
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA










THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, CAMPANIAE, NEAPOLIS, ET MAGNAE GRAECIAE.

TOMI NONI PARS PRIMA.





PUB. VIRGILIUS MARO.

THESAURUS ANTIQUITATUM ET HISTORIARUM ITALIAE,

CAMPANIAM, NEAPOLIM ET MAGNAM GRÆCIAM COMPREHENDENS.

TOMI NONI PARS PRIMA.

LUGD. BAT.
Apud
PETRUM VANDER AA.

M. Pool Scul.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

CAMPANIAE, NEAPOLIS, MAGNAE GRAECIAE,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quàm aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J.U.D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI NONI PARS PRIMA.

Scriptores hujus Tomi post Praefationem reperientur.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXIII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

PETRI BVRMANNI PRAEFATIO IN TOMVM NONVM THESAURI ITALICI.

LECTORI AEQVO S. D. PETRVS BVRMANNVS.



Tomum Nonum Thesauri hujus prae reliquis commendabunt tot scriptores eruditione summa & raritate etiam insignes, quot nullus prius editorum complectitur. Immo quorum nonnulli vel soli tam insano pretio vendi solebant, ut si quis impensarum rationes inire velit, bene non modo emisse sibi persuadere, sed vel singulorum gratia, universi Thesauri pretium leve satis aestimare possit. Exponet ille nobilissimam, & amoenitate & salubritate aëris ab omni aevo decantatam, ultimam illam Italiae partem, quae hodie solo *Neapolitani Regni* nomine, celeberrimas Regiones, *Campaniam*, *Samnium*, *Apuliam*, *Calabriam*, *Bruttium* & *Lucaniam*, complectitur. & cujus praecipua portio *Magnae* etiam *Graeciae* nomine appellabatur. Quam antequam per partes Lector perlustret, praemittere visum est, illos, qui totius Regni Neapolitani descriptiones & formam ediderunt: qui cum infiniti exstent, Editor duos potissimum elegit, BENEDICTUM FALCONEM, & HENRICUM BACCUM.

BENEDICTI FALCONIS, sive DE FALCO, *Antiquitates Neapolis, & ejus agri amoenissimi*, scriptae seculo sextodecimo laudem eo tempore auctori non vulgarem attulere. quis fuerit ille *Falco* ignorare me fateor, nec *Toppius* in Bibliotheca Neapolitana aliud de eo refert, nisi fuisse magni ingenii & doctrinae, & edidisse praeter hunc librum, alium de *Syllabarum Poëticarum quantitate noscenda* A. 1529. & lingua vulgari *Un Rimario* Neap. 1538. Aetas ejus colligi potest non longe ab initio Seculi sextidecimi absfuisse, ex illis, quae narrat pag. 14. lit. F. & 15. liter. C. & 36. lit. E. ubi *Pontanum*, *Sannazarium* & alios aequales suos memorat, & Caroli V. ut Neapolitani regis, meminit. Accuratam vero, & aevi sui faciem optime exprimentem, hanc esse Neapolis & Campaniae descriptionem nullus dubito, multumque inde lucis adhuc hodie incolis illius tractus adfulgere credo; sed *Capacio* & *Peregrino* multum cedere eum in antiquioris aevi monumentis, quibus referta ea pars Italiae, interpretandis facile patet. Lapides etiam, quos exhibet, & qui omnes etiam a Capacio operi suo inserti sunt, & plerique jam in Gruteriano Thesauro reperiuntur, saepe vitiosis & monstruosis vocabulis deformat. ita pag. 5. videbis *Veorium Zelosium*, qui *signum Panthesium* dedicavit. atqui apud Gruter. 1. 6 *Vestorius Zelotus*: apud Capacium lib. 1. Hist. Neap. cap. 14. *Vesorius Zeloius* vocatur. Glandorpius *Vestorium Zelotum*. ego vero *Vestorium* verum nomen esse puto, quod notum, ex *Vestorio* Ciceronis & Attici familiari. Vid. Cicer. VIII. ad Fam. 8. & in Epistolis ad Atticum saepius.

Sequenti pagina profert *Appium Claudium Tatroneum Dextrum*, qui Capacio ibid. *Terronius*, Grutero XXXIV. I. *Tarronius* dicitur. *Dextrorum* familiam nobilem celebremque fuisse censet, quia *Hieronymum* in quadam Epistola, *ad Dexterum Praetorii* scripsisse ait, quae nec capio, nec Epistolam talem reperire potui. & certe nobiliores *Dextros* reperire potuisset, ut *Domitium Dextrum*, *Turpilium Dextrum*, Consules in Indice Gruteri, & *Aemilium Dextrum* Praetorem, qui a Glandorpio memorantur & aliis. Pag. 14. lapidem, in quo GENIO CAESARUM DIOGNETUS VILLICUS FECIT. explicat, ac si *Vellicus*: (id est, *rusticus laborator*, ut vertitur, cum potius sit servis, qui opus ruri faciunt, praefectus) amoenum illum locum voluptati Caesarum consecrasset. Quia scilicet *genio indulgere* & similia dicimus, credidit genio Caesarum locum dedicasse, ut se ibi delectarent; cum nihil aliud, nisi *Genio* Caesarum, id est, tutelae se commendet. Graecae linguae non satis peritum fuisse ostendunt lapides Graeci, quos Latine versos exhibet. ut pag. 21. qui ad Gruterianum pag. XCVIII. 7. exigi debet, ubi *templum Pelagorum* vertit, cum Gudius ad Gruter. doceat πελάγων esse nomen Viri, & ita ediderit Capacius d. l. cap. 14. licet male vertat, *Templum marium*. nam & *Pelagon* inter Procos Hippodamiae a Scholiaste Pindar. I. Ol. 126. & Piscator *Pelagon* Anthol. lib. III. cap. 4. p. 285. & alius apud Arrian. de Exped. Alex. I. 18. memorati, satis vindicant id nomen, qualia servi gerere solebant, cum antiquis communia; sic pag. 26. vertit *Phoebo Splendidissimo Deificus Julius*, cum apud Gruter. p. XXXVI. 5. & Capacium dicto capite legatur ΗΒΩΝΙ (ΗΒΩΝΙ Capac.) ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΙ ΘΕΩΙ Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ &c. Capacius vero rectius, *Heboni Clarissimo* (malim *Praesentissimo*) *Deo L.* (potius *Gajus*) *Junius Aquila Junior*, *Miles*, *Procurator*, *Tribunus plebis*. in notis vero ad Gruterum, Reinesium hunc quoque lapidem tractasse III. Var. Lect. cap. 10. notatur. De *Hebone* vero illo agit Ampl. *Cuperus* Exercit. II. de Eleph. cap. 8. In inscriptione Titi Vespasiani mendosissime edita, P. P. interpretatur *pecunia propria*, cum sit *Pater Patriae*. & sequens TIBUS, reliquum ex *ictibus*, Graeca vero, quae sequuntur, miserum in modum vexat, quae legi possunt apud Gruter. CLXXIII. Memorabile est quod pagina 30. notat, paucis demum a sua aetate annis Principes & Barones regni coepisse cibum sumere ex vasis argenteis, & potare ex aureis, & hinc luxuriosorum conviviorum totum apparatum describit, in quo enumerat & fercula, & ciborum genera, quae a perito scissore, (quem noster *Chironomon* Graece dici adfirmat, quo nomine saltantes Mimi designabantur) inciduntur. Mensam duabus mappis nitidissimi *Hollandici* lintei, in rugas plicati, insterni; unde jam tum pretium merci huic nostrati fuisse videmus. mantilia vero prima, antequam carnes assatae adferantur, auferri, & secunda dari: ubi vero bellaria & suffimenta adferuntur mappam superiorem demi, & quae reliquae Apiciorum novorum sui temporis, ut vocat, ibi deliciae legi possunt. Deinde ubi Puteolos & Balnea descripsit, in laudes Neapolis desinit. Hoc quoque notavi, dum librum hunc perlego, ex Petrarchae & Pontani scriptis plurimum profecisse nostrum, eorumque sententiam in plerisque secutum fuisse.

Sequens HENRICI BACCI Alemanni liber, quo brevis descriptio Regni Neapolitani continetur, utilissimus illis, qui notitiam illustrium familiarum & eorum, qui munera ibi publica obeunt, habere volunt. similis enim plane est illis libellis, qui hodie Franciae, Britanniae, Imperii Germanici & aliorum regnorum & rerumpb. praesentem statum & conditionem exhibent. nullum vero, pro spatio suo, regnum tot nobilibus vel Vasallis florere puto, ac Neapolitanum: Principes enim quadraginta, Duces quinquaginta, Marchiones octoginta, Comites sexaginta duos, Barones vero numerum, qui millenario deest,

deest, supplere scribit auctor noster, quem hodie diminitum esse non puto. Incolas in una urbe Neapolitana, praeter Monasteria, & Ordines sacros & Peregrinos, esse ultra quingenta millia. hinc enumerat singulas ecclesias, familias, Urbes & loca omnia Regni Neapolitani, quae hic repetere non lubet. laudabile etiam, quod in singulis fere urbibus, viros eruditione illustres, inde ortos, enumeret & laudet. scriptus vero hic liber & ordine accurato, & stilo pro materia satis eleganti, & ornato. Ceterum quis fuerit hic *Henricus Baccus* me ignorare fateor, sed ex praefatione *Caesaris d'Eugenio* patet Typographum fuisse. ita ut forte aliena opera usus fuerit in eo componendo. *Caesarem* hunc nobilem Neapolitanum fuisse docet Toppius, & edidisse etiam *Neapolim Sacram* Italica lingua A. 1623.

Cum vero Neapolitani Regni prima & praecipua pars sit *Campania*, hodie *Terra di Lavoro*, Auctoribus, qui ejus Antiquitates & historias vel universae vel singularum urbium & locorum exsecuti sunt, praemittere visum est ANTONII SANFELICII Neapolitani librum, *de Situ ac Origine Campaniae*; cujus diligentiam plurimi celebraverunt. Inter quos *Cam. Peregrinus* Dissert. II. de Campan. Felic. cap. xx. p. 198. & celeberrimus Montfauconius in Diario Italico p. 302. dicit a Sanfelicio Campaniam ita *belle descriptam*, *ut vix simile quidquam illo seculo emissum sit*. Monachum se dicit, & elogium ejus a *Capacio* conscriptum ante hunc libellum legi potest. *Toppius* etiam in Biblioth. Neapolitana exactissimae diligentiae hanc descriptionem esse testatur. ex eadem familia nobilis eques fuit, *Joan. Franciscus Sanfelicius*, ut ex Dedicatione ab aliquo, nomen suum sub literis I. G. F. B. tegente, *Josepho Sanfelicio* Archiepiscopo Consentino, scripta patet. & quem acerrimi ingenii equitem vocat Capacius lib. II. Hist. Neapol. c 8. p. 32. h. Thes. Familiam inter nobiles *di Seggio di Montagna*, recenset Baccus pag. 13. Stili etiam elegantia & nitore placere eruditis potest. Cum vero mole sit exiguus libellus, & facile etiam minime otioso Lectori perlustrari possit, nos ejus recensione neminem morabimur. Unicum in eo notavi, *Palladium*, scriptorem Rei Rusticae, cujus aetas & vita eruditis nondum satis cognita est, ab eo credi scripsisse Neapoli, & praecepisse de *Citreorum cultu*, quae primus Italiae demonstravit. Certe in Martio mense Scriptor ille agens de Citreo, multaque de eo praecipiens, addit, *apud Assyrios pomis hanc arborem non carere. idque se in Sardinia & territorio Neapolitano in fundis suis comperisse.* & paullo ante dixerat se arborem illam ad poma & magna incrementa perduxisse. in fine etiam fere hujus libelli pag. II. inscriptionem Sanfelicius exhibet, quam in Grutero, aliisque reperire nondum potui, sed in quo vitium admissum esse puto. M. GAVIUS. T. F. QUISELLIUS. Q. F. GALLUS. nam unum virum memorari puto, qui *Duovir* dicitur, ideoque male & *Titi Filium*, & *Quinti* iterum *filium* dici puto. quare pro Q. F. insculptum fuisse puto QUI. id est *Quirina tribu*.

His Descriptionibus praemissis, jam ad singularum regionum & urbium historias & Antiquitates progrediendum, ubi primum jure suo occupat locum CAMILLUS PEREGRINUS, qui nemini humaniorum literarum studioso latere poterit. Natus hic *Alexandro* patre, & avo (cujus nomen non repperi,) viris etiam omni eruditionis laude florentissimis. Ab avi sui Fratre, *Camillo Peregrino* (cujus meminit Dissert. II. cap. 29.) nomen suum habuit, qui praecipuam famam sibi peperit, cum Italorum ingenia in diversas sententias irent de Poëtices Epicae palma, inter Ludovicum Ariostum & Torquatum Tassum dubia. nec dubitavit *Camillus* edito dialogo de *Epica Poësi* A. 1584. *Tassi* Gotofredum praeferre, Furioso Orlando *Ariosti*, unde infiniti libelli in utramque partem editi, quos enumerat Crescemb. de Vulgari Poëtica lib. V. p.

345. ubi & pag. 347. partes Patrui sui Majoris nostrum egisse narrat; sed ejus libellum, de *Differentia Poëtica*, manu exaratum apud heredes latere dicit: Maternam stirpem refert ad *Calium*, hodie *Calvi*, Comites, quos ex Comitibus Capuanis descendere probavit in lib. I. Genealogiae Principum Longobardiae, & ex qua familia ultimam fuisse matrem suam *Joannam*, cujus memoriam insigni pietate celebrat Diss. II. cap. 33. Praeceptoris sui *Marsilii Tebani*, magna cum laude & grati animi testificatione, meminit Diss. II. cap. 32. Scripsit vero circa annum MDCLI. ut apparet ex Dissert. IV. cap. 3. in fine. plurima porro Camilli elogia collegit editor, & Campaniae ejus Felici praemisit. Ipse vero sibi vivus titulum, quo sepulchrum ejus ornaretur, scripserat, quem refert Mabillonius Tom. I. Itineris Italici pag. 116.

CAMILLVS PEREGRINVS
ALEXANDRI F.
HIC JACET
MENTE DEVM, STILO PATRIAM, OFFICIIS AMICOS,
PVRE, DIGNE, SANCTE COLVIT.
VIXIT ANNOS LXV.
CONTENTVS VIXISSE
OBIIT ANNO MDCLXII.
HAVD MOLESTO SIBI FATO
HOSPES HAEC SATIS EX SAXO.
ABI.

Hujus Viri magni beneficio habes *Historiam Principum Lombardorum*, ex diversorum scriptorum Operibus compositam & collectam, de quibus singulis ne agamus effecit diligentia Editoris, qui & in praefatione & elencho Operum singulorum nomina & scripta accurate recensuit, & deinde ipse *Caracciolus*, qui primus edidit, & *Camillus Peregrinus*, qui denuo illis manus admovit, de scriptoribus tam doctas adjecerunt Dissertationes & judicia & notas, ut post eos plura velle adjicere, temerarium videatur. Denique de omnibus & singulis, hoc syntagmate comprehensis, abunde edoceri Lector cum possit ex ipsis scriptoribus, nos ad *Camilli Peregrini* opera, quae ab ipso elaborata hîc eduntur, transgrediemur. Ediderat tres ille Dissertationes; primam *de veteri significatu vocis Portae*, alteram *de Origine Antiquae Familiae di Colimenta*, tertiam *de Antiquo situ Capuae*, quarum, cum ultima ad verbum inserta sit ejus *Campaniae Felici*, duae priores hic Latine a Cl. Havercampo versae prodeunt. In prima ex variis scriptorum locis ostendit *Portas* in Italia vocatas fuisse jam ab anno Chr. millesimo, regiones urbium, & tribus, in quas cives dividebantur. Quam appellationem inde fluxisse censet, quod eo tempore cives uniuscujusque civitatis, qui sine stipendio militabant, moenium, turrium & portarum defensionem sibi vindicarent, & hinc a *portis*, quae certae familiae, & civibus defendendae attribuebantur, regiones quoque urbium ab istis habitatae denominarentur. Hinc ad portas deinde exstructae porticus fuere, *Seggi* Italice, *Sedilia* latine dictae, in usum illorum Civium, quibus istarum portarum custodia erat adsignata: quae porticus postea abierunt in nobilium usum, qui ibi collegia instituerunt, & in iis coire solebant; quales adhuc hodie multae in civitatibus Italiae supersunt. Hinc in Neapolitanarum Antiquitatum scriptoribus *Falcone*, *Surgente* & aliis, qui postea sequentur, frequentissima mentio *Sedilium* & *Seggi*. vid. inter alia Falcon. Antiq. Neapol. pag. 28. & in plurimis Neapolitani Regni urbibus Nobilitatem in duo vel tria *Sedilia* (*Seggi*) divisam esse, patet ex *Henrici Bacci* descriptione Regni Neapolitani, ubi per haec Sedilia, sive classes, gentes nobilium describuntur. A Longobardis vero hanc consuetudinem *Portarum* & *Sedilium* inventam quidem, sed ab Hebraeorum jam consuetudine repetitam

cen-

censet, ubi in Portis sedebant judices, & jus dicebant, & alia negotia publica obibant. *Cangius* in Glossario suo, hanc Peregrini sententiam amplexus, in voce *porta*, addit, unicuique portae, sive regioni, sua fuisse propria vexilla, coloribus & figuris distincta. Quod vero observet eo significatu, quo *Seggi* Italicis dicebatur, Latinis *Sedile* dictum; sed feminini generis, ex *L. XII. Cod. Theod. de Legatis & Decretis*, nescio an recte censeat; cum commentator doctissimus Jac. Gothofredus ibi legendum esse, *vestrae sedi*, non *sedili*, ostendat, quia & in Justiniani codice *l. 5. C. de Legationibus* legitur, *vestrae sedi*; licet in editionibus vulgatis deprehenderim, *nostrae sedi.* Sed quia passim in Codice *Sedes* Praefectis Praetorio & Urbi tribui doceat *Cangius* in Glossario, hîc quoque recte *vestrae sedi* legi potest. Altera Dissertatio originem *Familiae Di Colimenta* ex Comitibus Marsorum deducit, explicans verba *Petri*, qui de Abbatibus Cassinensibus agens, Raynaldi Colimentani, ex Comitibus Marsorum genus ducentis, meminit. Statuerat vero Vir insignis omnes Patriae Antiquitates illustrare, & hinc librum hunc de CAMPANIA FELICE, ut praeparationem ad reliquas Antiquitates Capuae praemisisse se ait, in fine Dissertationis IV. Vertit ex Italico, quo scriptus ab Auctore erat, sermone in Latinum, diligentiae sane & eruditionis suae documenta hoc opere exhibens, *Alexander Dukerus*, & simul notas aut animadversiones quasdam adjecit, quibus vel illustrat ea, quae Camillus scripsit, vel leviter errantem corrigit. Nos vero profitemur nullum nos umquam hujus generis auctorem majore cum voluptate evolvisse, aut utilius in aliquo scriptore, qui veterum civitatium fata & fortunae variationes descripsit, versatum esse. Utinam omnes Italiae Urbes, quae a veteribus laudantur, cives tam Doctos & amantes Patriae sortitae essent. Nos certe, longo terrarum intervallo disjunctos, saepissime veterum scriptorum loca, quibus mentionem urbium aut locorum antiquorum faciunt, parum, aut omnino non intelligere, haec *Campaniae Felicis* descriptio me docuit: quasi manu enim in rem praesentem ducit, & Poëtas & alios Auctores mirifica luce perfundit. Si *Dukeri* more notas ad has Dissertationes scribere placeret, & singula, quae, dum perlego hoc opus, adnotavi, hic proferre pateretur praefationis modus, non exiguum libellum producere possem; sed hîc & illic quaedam monuisse sufficiet. Ad Dissertationis I. cap. V. recte Dukerus observat, ex Tibulli versu non colligi, Falernum agrum excludi a Campania, quia Poëtae saepe, totius regionis mentione facta, praecipui praeterea loci meminisse solent. sed nollem virum doctum hic ineptorum & semidoctorum, qui censuram semper gerunt, exemplum imitari, quasi Poëtae metri necessitate adstricti plus minusve faciant, quam Historicum facere convenit. Metrum enim Poëtae, non Poëta metro servire, vel ob ejus leges inepte aut errare debet. Quid enim coegit Florum lib. IV. cap. II. *Arabes & Sabaeos*, in unum locum conjicere, nisi quod omnium Arabum Sabaei celeberrimi fuerint: nihil ergo caussae est, cur calumniemur Maronem, qui lib. VIII. 706. dixit

Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabaei.

& ita passim alii. & hoc modo etiam lis illa de *Stellati* agro, quem alii Campano agro adscribunt, alii diversum a Campano faciunt, componi posset, de qua Vid. Diss. II. cap. 33. Mirum autem est Dukerum versum illum Tibulli reperire non potuisse, cum recte ex lib. I. eleg. IX. citet Camillus, usus editionibus prioribus, quae ita exhibebant: in Broukhusii vero est eleg. X. vs. 33. Dissert. I. cap. VI. laborat & Camillus & Dukerus de verbis Lucae Act. XXVIII. 14. ubi Lucas dicit, καὶ οὕτως εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν, *ita Romam venimus*, cum postea adhuc subjungat, *Tres Tabernas & Forum Appii* transiisse,

& ita demum venisse Romam. Camillus priori loco *Romam* pro Romano Territorio capit; Dukerus notat, nihil miri esse, si aliquis se primo pervenisse aliquo scribat, & deinde, licet inverso ordine, subjiciat, quid in ipso itinere mirabile acciderit; quod tamen accurati Historici esse non puto, sed in quotidiano sermone tolerari facile posse; quare Bezae explicatio, qui *venire* pro *ire* poni docet, prae aliis placere debuisset Camillo, qui ipse in notis ad Lupi Chronicon pag. 410. simile observat. sed conferri meretur locus Justini lib. XII. 13. ubi de Alexandro dicit, *ab ultimis littoribus Oceani Babyloniam revertenti nuntiatur*; & postea addit, *reversus igitur Babyloniam.* prima ergo verba de itinere versus Babyloniam, ultima de ipsa Urbis introitione capi debent, ut & verba Lucae. Quae auctor de Urbe *Papia* Diss. II. cap. 10. differit, & quae incerta videntur esse Dukero, non videntur etiam probata fuisse Doctissimo *Antonio Gatto*, qui in Gymnasii Ticinensis Historia cap. 2. de illis agit. Difficultatem habent Diss. II. cap. XII. pag. 121. verba Virgilii ex lib. VII. ubi *vadosum* dixit *Vulturnum*, quem alii Poëtae *sonorum* & *rapacem* faciunt. Varia, quae excogitarunt interpretes, adducit Camillus, sed nos ad Val. Flacc. V. 180. multis ostendimus, Poëtas jure suo eosdem fluvios nunc quietos, & vadosos facere, nunc rapidos & profundos, quae ibi brevi legi poterunt. Differt. II. cap. 34. excutit Suetonii locum in Caesare, ubi *agrum Stellatem majoribus consecratum* dicit; & omnia, quae Interpretes adduxerunt, ad examen vocat, quae hîc recensere nihil attinet. Ipse putat Suetonium vulgi opinionem, qua sacrum hunc agrum esse credebat, respicere. sed simplicius multo ego, improprie Suetonium hoc verbo usum, credo, & *consecratum* dici, pro dividi semper a majoribus prohibitum, &, ut Cicero dicit, *repositum* ad ultimas necessitates reipubl., Eodem modo ut aerarium sanctum ad ultimos casus reipubl. erat; non ergo vendere vel dividere licebat, (vel ut in Pison. dicit cap. 2. *dividi non oportuit*) hunc agrum, qui erat subsidium belli, nisi pecunia alia publica deesset. ita dicit Livius XXVIII. 46. *quia pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem vendere quaestores jussi.* Et eo sensu *consecratus* erat ager Stellas, non, quod non arare aut pascere liceret; sed quod vectigal ejus, quo sustentabantur onera publica, esset sacrum: nam vectigal reddidisse docet Cicer. I. Agrar. 7. qui & in II. Agrar. vocat Campanum agrum, *Caput Patrimonii publici*, quod sacrum esse debebat; & passim in Orationibus Agrariis id agit, ut ostendat Agrum illum Campanum nefas esse dividere. ideoque verba illa Suetonii, *Agrum Stellatem Majoribus consecratum*, idem notant, quod mox variationis caussa, dixit de Campano, ad *subsidia reipb. relictum.* Differt. IV. cap. 9. p. 486. adnotat Dukerus, se non intelligere, quid velit illo suo Προσδόκιμος auctor. puto illum hoc agere, ut illustret nomina Latina, quae saepe exprimunt significationem Graecorum, ut *Volturnus*, a *volvendo*, idem notet, quod *Capua* a Graeco Κάμπτειν; ita qui Latinis dicitur *Exspectatus*, putat Graece dici *Prosdocimum*, eamdemque vim habere illas duas appellationes. atqui *Prosdocimus* occurrit in lapide apud Gruter. CCCCLXXIX. 4. *Exspectati* vero nomen saepius notat Index: sed manum de tabula, nec detineat diutius nos eruditissimus liber, & propter quem solum, ego Thesaurum hunc universum mihi compararem: vocant nos enim alii, meritis in patriam & rem literariam, & praecipue raritate sua commendabiles viri, quorum opera huc conjecta sunt.

Magnum sibi in Antiquitatibus Patriae indagandis & scripto consignandis nomen fecit seculo superiori JULIUS CAESAR CAPACIUS, cujus vitam, merita & scripta ex elogiis utrique ejus operi, quod hoc in tomo exhibetur, praepositis, lector cognoscere poterit. multa, quibus domi inclaruit, scripta ibi recensentur; sed apud exteros laudem egregiam sibi peperit *Historia &*

An-

Antiquitatibus Neapolitanis, quas, dum viveret, duobus libris Neapoli A. MDCVII. edidit: ubi cum in prima fronte libri legatur, *primus Tomus*, conjicere licet, Auctorem in animo habuisse alterum huic addere, qui, ut ex ejus Praefatione colligi potest, res sacras contineret; sed prodiisse eum numquam ex *Laurentii Crassi* elogio patet, qui illud volumen inter MSS. volumina Auctoris, quae mortuus reliquit, recenset. Unicum tamen est, quod famae ejus magnam maculam inurere posset, si verum sit, quod *Toppius* in ejus elogio, in *Bibliotheca Neapolitana*, ex libro II. ubi de Campania agit, refert. Plagio scilicet insigni illum hos libros sub suo nomine edidisse, qui tamen a quodam *Fabio Jordano* erant conscripti, quorum autographum in Bibliotheca Clericorum Regularium SS. Apostolorum Neapoli servatum se saepe vidisse, & legisse narrat non modo; sed testibus *Bracuno*, *Lasena*, & *Tutino* adfirmat. Et ex eo hoc quoque refert Auctor notarum in *Naudaeana* pag. 168. Obiit vero Anno MDCXXXI. Haec duo opera separatim edere visum fuit editori, cum tamen in prima editione unum opus, duobus libris divisum, fuerit. Forte ex elogio Toppii ad id faciendum inductus, qui tria diversa ejus opera, *Historiam Neapolitanam*, *Antiquitates & Historiam Campaniae Felicis*, & *Puteolanam Historiam*, enumerat; quod monere lectorem oportuit, ne, ubi a Reinesio & aliis librum secundum Historiae Neapolitanae citari videat, huic Thesauro aliquid deesse credat, cum ille secundus liber hic sit, qui *Antiquitates & Historiam Campaniae* complectitur. Praeterea Toppius & alii *Historiam Puteolanam*, ut diversum opus citant; & revera prodiit separatim Neapol. A. 1604: sed postea totum illum librum secundo suo libro Hist. Neapolitanae, ubi de Campania agit, intexuit, & multis locis quaedam mutavit, detraxit, aut addidit, quam editionem triennio posteriorem hîc expressit Typographus. Italice etiam prodiit ejus liber de *Antiquitate Puteolorum* A. 1652. quem ipse Capacius vertit, & in Praefatione Lectorem monet, se olim Latine scripsisse, ut ab exteris gratiam iniret, nunc Civibus suis gratificaturum vulgari lingua auctum, & accessione de *Balneis* locupletatum, emittere. Hoc vero in primis intendit Scriptor insignis, ut Urbis Neapolis, & totius Campaniae singula loca, urbes, & monumenta accuratissime recenseat, & ab ipsa origine fata & vicissitudines locorum & incolarum enarret. in quibus cum eruditione non vulgari diligentiam summam omnibus probavit, & quamvis *Camillo Peregrino* variae & interioris eruditionis laude vix comparari possit, primae tamen Doctorum virorum classi jure adnumerari potest. Tot vero veteris, medii & recentioris aevi monumenta in haec volumina contulit & constipavit, ut si singula recensere, & ad illa pauca tantum animadvertere vellemus, libellus non exiguus inde exiret. Qui vero maximum his libris pretium faciunt, sunt lapides & monumenta vetera, quae per totam Campaniam conquisita illustrare conatus est; sed quorum pars jam a Grutero in suum corpus, reliqua vero Grutero incognita, a Reinesio in Syntagma Inscriptionum relata sunt. Et cum Reinesius in commentariis ad inscriptiones de plurimis illorum erudite sit commentatus, & leviores etiam quosdam lapsus Capacii in Epistolis ad Rupertum passim, & saepe in Variis Lectionibus, praecipue lib. III. cap. 16. castigaverit, nos hoc labore levatos esse sentimus, & gaudemus. Primo libro Urbis Neapolitanae, Capitis Campaniae, originem, delicias, formam regiminis, Magistratus, facta insignia & Opera publica per seculorum omnium decursum exsequitur. Altero vero idem in reliquis Campaniae urbibus & locis praestat. In fine libri primi Neapol. Hist. insignem lapidem, adfert, ubi *Deus Patrius Neapolitanorum* memoratur, quem Herculem alii, alii Julium Caesarem esse censent. Vid. Reines. Comm. ad I. Class. Insc.

65. ſed Cl. Cuper. Exerc. II. de Eleph. cap. 8. *Hebonem*; ſive alium incognitum cenſet. quamvis nobis Reineſii ſententia ideo praeplaceat, quia Hercules & Neapoli cultus, & certaminum omnium Praeſes habebatur. Idem vero Vir Ampl. Cuperus Capacium aliquoties caſtigat in dicto libro, ut ex Indice poterit lector deprehendere. Duo praeterea vel tria ex libro ſecundo ubi adnotaverimus, ad alios tranſibimus. In Veſuviani incendii deſcriptione pag. 57. contra Bodinum, cineris latiſſime per terras, etiam longe ab Italia remotas, diſperſi veritatem adſerit, quod & Sanfelicius in ſua Campaniae deſcriptione pag. 8. teſtatur factum fuiſſe. Quibus confirmare licet illa, quae ad Valerii Flacci lib. II. 620. & IV. 509. jam typis deſcripta, adduxi. Ibidem cap. XIV. pag. 117. de *Caprea* agens, & ſeceſſu & libidine Tiberii, foedo errore *Elephantidis laſciviſſimi* libellos refert; quaſi vir Poëta ille fuiſſet, cum mulierem fuiſſe ſatis conſtet, & oſtenderit Reineſ. III. Var. Lect. 2. in fine, & ex Voſſio etiam Ampl. Cuperus Exerc. II. de Eleph. cap. 11. Denique cap. XVIII. de Cajeta, & viris illuſtribus ex ea urbe ortis agens, *Cardinalis Cajetani* maxime opera popularem noſtrum *Hadrianum VI.* ad culmen honoris Eccleſiaſtici evectum docet, ſimulque Batavum, quem Jovium & alios, ut barbarum & ineptum Papam conviciis acerbiſſimis proſcidiſſe vidimus in Praefatione Tomi IV. ab integritate vitae, ſapientia, doctrina, civili etiam prudentia & gubernandi ſcientia, ad invidiam uſque commendat & praedicat. Quo elogio candidi & veritatis amantis ſcriptoris laudem referre poteſt.

Capacio comes additur MARCUS ANTONIUS SURGENS Juriſconſultus & Patricius Neapolitanus, qui etiam Patriae Antiquitates illuſtrare voluit; ſed diverſo & longe alio ſcribendi genere. Subinde enim more Juris peritorum illius aevi & tractus, plurima communiter dicta longa ſerie teſtimoniorum, ex Doctoribus juris repetitorum, confirmat, & Hiſtoriam non, ut reliqui, perpetuo rerum geſtarum ordine, ſed interrupto per Juris ſententias & dogmata contexit. quod inſtitutum quoque Fratri ejus MUTIO SURGENTI in notis & additamentis ſuis placuit. Quorum Fratrum vitas & merita Lector ex praemiſſis elogiis diſcere poterit; quibus addi poteſt *Sanderus* de Claris Antoniis lib. III. qui *virum ſine dubio Doctiſſimum* vocat; nec nos intercedimus, licet eruditionis Juridicae nimia oſtentatione Titulo libri ſui non exacte reſpondiſſe credamus, & comparationem illam Praefecti Praetorio, reliquorumque Magiſtratuum cum Neapolitanis Magiſtratibus minimam Operis partem facere, lector deprehendere poſſit. Quare hic liber partim Hiſtoriae, partim Juri illuſtrando facere poteſt, cum ille omnibus, quae tradat, quod a nemine factum eſſe ait, non tantum hiſtoriarum Auctoribus, ſed & ex Utriuſque juris, Regni Conſtitutionibus & Feudorum fontibus fidem comparet. Reliqua vero, de forma regendae civitatis & Magiſtratibus, duobus aliis libris reſervare ſe ait pag. 5. Ut autem de modo ſcribendi auctoris noſtri ex ſpecimine aliquo conſtet, ipſam, unde orditur, originem Neapolis videamus. Ubi ab Antiquitate, id eſt, primis Urbis natalibus ideo eſſe incipiendum docet, quia hoc juris eſſe conſtet, idque multis legibus & Doctorum teſtimoniis confirmat. Ideoque in conciliis Regiis obſervari, ut major natu primus ſententiam dicat, ſecundum *Brocardicum* illud, *loquere major natu, te decet primum verbum*: quod & Frater commentario illuſtrat. In Sacro vero Collegio juniorem cenſere ante ſeniores, cujus rationem multis etiam juris argumentis probat. His praemiſſis, jam Aenean condidiſſe Neapolim vulgo credi narrat, & hac occaſione in Trojae non tantum obſidionem, & interitum; ſed etiam in Aeneae facta & reliqua his adfinia, longa Diſſertatione excurrit, pene Neapoleos ſuae oblitus. Et licet primum non multum credere

Tro-

Trojanis originibus videatur ostendere, tamen gloriosum esse ex illis descendere colligit, nec alienum se ab eorum sententia, qui Austriacae gentis inde stirpem arcessant, non vero Francicae, declarat. Reliqua persequi nec otii penuria, nec lectoris, qui per se facile capitum summaria percurrere potest, ratio permittit. Unum adnotasse sufficiet, quo probari posse, Neapolim ab Aenea, & Trojanis conditam esse, contendit. quia scilicet Trojanorum, & praecipue Hectoris, insigne fuit Leo; quod probat ex Virgil. lib. x. Aeneid. 157. (male ex libro primo profert) ubi *Aeneia puppis rostro Phrygios subvecta Leones* dicitur. Et hinc juris certissimo argumento colligit Aenean non fuisse proditorem Patriae; quia tunc ejus insignia fuissent deleta & ademta; cum ille nunc tamen eo insigni utatur; immo ab eo ad antiquissimas omnium sedilium familias Leonem, peculiare insigne, fuisse propagatum credit. Deinde Originem Trojanam adserit ex Graeco lapide, quem & Capacius lib. I. Hist. Neap. cap. IX. & ex eo Reines. Cl. VI. Ins. 37. habet. ubi *Creperlii* (*Crepereji* Surgens, & forte rectius) *Procli Phradores Artemisii* (collegium id erat Neapoli,) *ob beneficia memoriam consecrant* Surgens *Artemisium* urbem Oenotriae facit, Capacius *Artemisios*, qui in *Phratia* Iliensium Neapoli erant, interpretatur; quod, si probare posset Capacius, recipi ejus sententia posset. Reinesius vero pro τῶν Ἰλιέων ἐυεργέτην in lapide fuisse TON ΙΔΙΟΝ conjicit. quod in medio relinquimus. Haec sufficere possunt, ut de eruditione *Surgentis* existimare lector possit, cujus libros qui perleget, tantam varietatem materiarum hybridarum (ut ita dicam) reperiet, ut numquam Titulo libri lecto, tantos ibi Thesauros latere credidisset.

His scriptoribus, qui simul Antiquitates & Historias Regni Neapolitani prodiderunt, accedunt nunc, qui Historicorum munere functi, res praecipuas sub regibus Neapolitanis memorarunt, duo celeberrimi, BARTHOLOMAEUS FACIUS & JOANNES JOVIANUS PONTANUS, ambo clari & omnibus notissimi. quorum primus *Alphonsi* Arragonii, & a Joanna herede regni Neapolitani scripti, res gestas narrat, sub quo maxime res Italicae floruere. Alter vero *Ferdinandi* ejus filii tempora persecutus est, qui cum factionibus procerum maxime agitaretur, & bello cum aemulo Joanne Lotharingio gravi premeretur, has turbas egregie Pontanus nobis descripsit. De ipsis auctoribus supervacuum multa addere, cum de *Facio* jam egerimus praefatione ad Tom. IV. & *Pontanum* nemo humanioribus literis imbutus ignoret, & de utroque elogia, ab editore libris praeposita, abunde edocere lectorem possint. Hoc unicum addere visum est, posse & de *Pontano* legi Sannazarii lib. I. Elegiam nonam, ubi omnia ejus opera recenset, & quae singula egregio commentario illustravit *Brouckhusius* noster, qui & ad vs. 71. notat, Historiam hanc a *Petro Summontio* editam, qui nondum omnino perpolitam, sed ut ab ipso scriptore relicta erat, inventam in publicum emisit. Ideo etiam *Pontanus* huic Thesauro inseri merebatur, quia lib. VI. ubi finem belli Neapolitani narrasset, Urbis Neapolis & vicinorum locorum origines & fata breviter quidem, sed erudite recenset, & multis, qui ejus opera postea usi fuerunt, dux & fax fuit.

Cum vero Temporibus *Alphonsi*, quibus militaris res & virtus bellica maxime floruit, magnum inter duces nomen meruerit *Braccius Perusinus*, qui ab aliis *Forte-Brachius*, ex gente nobili Perusina appellatur, bellum, quod ille circa Aquilam, contra Joannam Reginam movit; descriptum ab ANGELO FONTICULANO hic adjungere placuit. Scriptoris hujus praecipuus finis fuit, *Joannis Antonii Campani* mendacia refutare, & falsa esse, quae ille de hoc bello narraverat, ostendere. Scripsit enim ille sex libros de Vita *Brachii*, ut vocat, qui inter ejus opera leguntur. Ubi *Brachium*

hunc natum Perusiae (noster in oppido agri Perusini *Mottone* dicto) Kal. Jul. An. 1368. patre Oddone narrat. qui cum multis expeditionibus esset exercitatus, & variis casibus in aula Joannae agitatus, ultimum hoc bellum contra eam suscepit, ut, Aquila in ditionem redacta, toto Aprutio potiretur. Quis fuerit *Angelus* ignoro, sed a *Fonticulis* oppido, cujus mentio p. 8., nomen *Fonticulani* habuisse credo. *Toppius* in Bibl. Neapol. eum ex Aquila ortum scribit, quam urbem *suam* etiam vocat. quisquis fuerit, fide summa hanc historiam scripsisse judico: sermone etiam eleganti & Latino, ut literis interioribus eruditus fuisse videatur, de quo existimare certius liceret, si Epigrammatum librum, quem edidisse eum Toppius refert, videre licuisset: ex carminibus enim, ut ingenii, ita linguae & sermonis elegantia & facultas praecipue elucere solent.

Neapoli magnitudine & opibus, non nominis celebritate & laudibus cedunt *Puteoli*, in quibus Antiquitatis monumenta plura, quam ulla in totius Italiae urbe aut agro supersunt: cum enim & salubritatis, & animi relaxandi gratia nullus locus magis a Romanis celebraretur, ejusque vestigia plurima superfuerint, certatim etiam Itali scriptis illustrare urbis nobilissimae reliquias adgressi sunt. ex quorum copia ideo FERRANTEM LOFFREDUM elegit editor, quia qui eum secuti sunt, saepe ad verbum eum, etiam sine ullo elogio, expresserunt; ut *Pompejus Sarnellus* testatur in Praefatione editioni novissimae An. 1675. praemissa: laudat tamen eum aliquoties Capacius. Ipse vero Eques Neapolitanus & Marchio Trevici, & consiliariis Bellicis Imperatoris Caroli V. regis Neapolitani adscriptus, ut *Toppius* in Bibliotheca Neapolitana testatur. Cum vero prima editio An. 1530. prodierit, initio illius seculi vixisse debuit. *Loffredorum* Gens inter nobiles *Sedilis Capuani* (*del Seggio di Capuana*,) Urbis Neapolitanae a *Bacco* pag. 12. descript. Regni Neapol. memoratur, qui etiam pag. 146. inter Marchiones *Loffredum* enumerat. & pag. 148. inter Capitaneos equitum levis armaturae, Marchionem etiam Trevici *Loffredum* recenset. Accuratissima certe haec est Puteolorum descriptio, ubi nullus in urbe vel circa eam locus relictus, cujus non situm & ingenium, ut tempore, quo scribebat, se habebat, exhibet, postquam oculis suis & pedibus omnia perlustrasset. Parcius vero veterum scriptorum testimoniis utitur, nec nisi nominibus suis, non vero librorum partibus, eos citans. sed quem defectum sequentium scriptorum Capacii, & aliorum industria abunde supplevit. Nec Puteolos tantum, sed vicina loca, *Cumas*, *Bajas*, *Baulos*, *Lacus Avernum* & *Lucrinum*, villasque olim celebres, earumque reliquias describit. Dum vero hunc libellum perlego, scrupulus mihi injectus est, ex descriptione *montis novi*, quem auctor noster habet cap. 18. si enim liber hic, ut Sarnellus dicit, prodierit primum A. 1530. non capio, quomodo ejus montis meminisse potuerit Auctor, cum ille demum 1538. emerserit. ut late hoc prodigium describit *Capacius* lib. 11. Historiae Neapol. cap. XXIV. pag. 257. hujus Thesauri. & *Camil. Pereg.* Differt. II. de Campania Felice. pag. 230. & multi alii: quare ex repetita deinde editione hoc in hanc defluxisse suspicor. Cap. XI. vulgi opinionem refutat, quod credit, pilas illas sive columnas arcubus connexas, quae hodie in Puteolano portu adhuc visuntur, esse reliquias pontis a Caligula constructi, quem memorat Suetonius in ejus vita cap. XIX. cum expressis verbis dicat ille, pontem illum ex onerariis navibus fuisse factum, & aggerem terrenum injectum. & hinc colligit, illos arcus vetustiores longe esse, & ad usum olim constructos Puteolani portus, ut per arcus illos aqua decurrens terram & pulverem per pluviam deductum fluctu undarum in mare veheret, quod ex eo idem Capacius lib. II. Hist. Neap. cap. XXIV. pag. h. Thes. 216. observat.

Magni

Magni etiam habita fuit opera SCIPIONIS MAZZELLAE, cujus liber *de Situ & Antiquitate Puteolorum, & agri vicini, & Cumarum, Bajarum & Miseni, simul cum inscriptionibus*, olim Neapoli prodierat uno volumine, quod editor noster, ut Lectoris, credo, commoditati consuleret, in duo distraxit. & primo titulum fecit de *Puteolis & Cumis*, qui Latine scriptus additionis vice fungitur, ad opusculum de *Balneis Puteolorum, Bajarum & Pithecusarum*; cui, quia duobus modo capitibus constabat, subjecit *Inscriptiones Puteolanas* &c. quae in fine capitis xxx. alterius libri Italice scripti in editione A. 1606. leguntur. Deinde alterum fecit volumen, quod de *situ & Antiquitate Puteolorum* inscribitur, & quod latine a Cl. Havercampo versum, hîc exhibetur. ab his vero separavit, qui etiam eodem volumine in editione Italica comprehendebatur, Librum de *Balneis Puteolanis*, quem a JOANNE ELISIO instauratum & editum olim fuisse testatur *Mazzella* in Praefatione, huicque Scholia JOAN. FRANCISCI LOMBARDI addidit, & alia, quorum rationem dederunt Cl. Havercampus & Editor in suis Praefationibus; unde apparebit, plures hîc conspici inscriptiones, adjectis quibusdam ex Mormilio & Capacio.

Mazzellae subjungi debet, utpote Neapoli eodem anno, & eisdem typis editus, ANTONIUS FERRUS, qui qualis fuerit nescio, cum nulla Praefatione aut nota, quae genus aut tempus vitae prodit, librum suum voluerit ornare. Jurisconsultum fuisse apparet, quia saepe ex jure testimonia petit; & p. 4. *Accursium suum* vocat. Hic, cum in loco subterraneo, non procul a moenibus Cumarum statuae quaedam repertae essent, de iis disserere instituit, & praemisso brevi de statuarum origine sermone, singulas deinde enumerat & illustrat, & simul de Diis, quorum statuas esse credit, multa undique corradit. An ubique recte divinaverit nos non definimus, neque singula ejus argumenta excutere vacat. rectius fecisset, si ipsas statuas aere expressas oculis antiquariorum exposuisset. Ob materiae vicinitatem additus est J. C. CAPACII liber de *Balneis*, qui pro eruditione sua, non solis Puteolanis & vicinis Balneis se cohibet, sed de Balneorum origine & usu pluribus disputat erudite satis & diligenter; sed de hujus Viri meritis jam satis lectori, ex iis, quae modo diximus, constat.

Inter Campaniae etiam urbes celebrata fuit praecipue *Nola*, & excessu Augusti, & Paullini Episcopi fama, & *Nolarum*, inde dictarum, inventione. ut vero exteris magis innotesceret, AMBROSIUS LEO, Medicus & Philosophus insignis, hanc Patriae suae operam dedit, & tribus libris ejus originem & fata descripsit. Quorum in primo de Agro Nolano & Antiquae Urbis situ, & ejus reliquiis agit; in secundo hodiernam Nolam accurate describit; tertium denique incolis, Magistratibus & moribus Nolanorum enarrandis impendit. Video vero hunc *Ambrosium Leonum* vocari, in Differt. II. Camil. Peregr. de Campan. Felic. p. 175. & Diss. III. cap. VII. pag. 392. an operarum, an interpretis vitio, nescio: patrio sermone *De Leone* vocat cum *Toppius* in Biblioth. Neapol. *Erasmo* nostro familiarem & summo in amore fuisse, patet ex iis, quae adducit in Adagio Δὶς διὰ πασῶν, ubi sermonem eruditissimum, cum eo habitum de hoc proverbio totum memoriae prodidit: & *Joannes Watson*, discipulus Erasmi, cum Venetias iret, *Leoni* a praeceptore suo commendatus, scribit lib. I. Epist. Erasm. 23. (sive Epist. CLXXXIII. Edit. novae.) se plurimi ab eo fieri Erasmi caussa: lib. x. Epistola *Leonis* ad Erasmum legitur, n. 28., (sive Ep. CCCXXIV.) cui respondet sequenti (sive Ep. CCCCLXVI.) Erasmus, unde colligere licet, *Leonem* Venetiis vixisse, & medicam artem exercuisse, tantoque ardore in literis humanioribus versatum, ut senex & canescens etiam Graecas addiscere non erubuerit. de hoc etiam

ſuo foetu, quo Patriam *Nolam* illuſtravit, certiorem facit Eraſmum; unde patet jam editum fuiſſe Anno, quo epiſtolam ſcribebat, 1518. Multum vero Doctrinae ſcriptor hoc in opere prodit, & patriae ſuae gratificatus notam ignominiam illam, qua Virgilius urbem hanc adfeciſſe vulgo creditur, lib. 1. cap. 2. operoſe amolitur. Inſcriptiones paucas adfert cap. XIV. plures autem Capacius lib. II. Hiſt. Neap. c. 28. quo de Nola agit. lib. II. cap. 11. notat Nolanis in ore fere eſſe vocem *Domine Deus*, & tempore Paullini fuiſſe Dedicationem templi factam *Dominedio*. quod putat ortum, quia jurantes & invocantes Deum clamabant *Domine Deus*. refutat vero hoc Roſweidus in notis ad Paullini Epiſtol. I. qui vocem compoſitam eſſe cenſet, ex *Aede & Dominus*, ſcribendumque *Dominaedius*, quaſi Dominus Aedium, ſeu Baſilicae Nolanae. Libro III. cap. ult. deſcribens vindemiam Nolanorum, narrat ſolutiſſimos eo tempore civium ſuorum mores, & laſciviam, quam edendo, potando, ſaltando, canendo obſcaeniſſimas cantilenas, omni pudore depoſito produnt, vere furentium eſſe. hanc vero veteris aevi eſſe conſuetudinem, & reliquias etiam Ethniciſmi notat Vir eruditiſſimus Muratorius ad Paullini Natal. XI. vſ. 169. ubi de Nola dicit.

in qua
Proſtibulum Veneris, ſimul & dementia Bacchi
Numen erat miſeris, foedoque nefaria ritu
Sacra celebrabat ſociata libido furori.

quod ſummum dedecus deplorat ſimul Vir eruditus, & miratur illa orgia tam diu duraſſe. Sed utinam ſolis Nolanis haec Ethniciſmi imago exprobrari poſſet, & Bacchanalia in Chriſtianiſmi pudorem non in ipſa Roma & urbibus, quae Romam colunt, ſimili furore celebrarentur: immo utinam plane in populis, a Domina hac gentium alienis, conticeſcant. neque etiam majorem religionis reverentiam indicant, quae Leo narrat eodem libro cap. X. de ſpectaculis Hiſtrionum, qui Chriſtum ex mortuis excitatum, aut etiam natum per ludicra populo exhibent: peritiſſimoſque in hac hiſtrionica inter alios Monachos etiam refert. Quae ſcenica dedecora, quis neſcit non ubique, ubi ludicrae hae pompae ducuntur, frequentari? Capite ſequenti aliud Ethnicae ſuperſtitionis monumentum refert: nam quotannis a Sacerdote, Stabiis miſſo, offertur Epiſcopo agnus candidiſſimus, auratis cornibus; quam cerimoniam Leo repetit a veteribus Stabianis, qui Nolae in templo Jovis quotannis ſolebant talem agnum mactare; ſimulque id fieri ſolere ab iis, quibus in fugiendo Jupiter profuiſſet, aut qui foedera ferirent, ex Apollonio & Homero oſtendit. ſed non ideo tantum Jovi talis victima, ſed fere ſemper & omnibus Diis, ubi Agna caedenda eſſet, alba legebatur, & auratis cornibus ad aram ducebatur. Ita Palladi Valer. Fl. 1. 89.

dabit auratis & cornibus igni
Colla pater, niveique greges altaria cingent.

Ubi plura Commentatores; ſed haec obvia & nota.

Ne vero ſibi Itali placeant, quaſi ſolis illis Patriae ſuae urbium Antiquitates & Hiſtorias noſcere & inveſtigare datum eſſet; Ecce ex Batavia noſtra Virum, eruditione & humanitatis laude celebratiſſimum, HENRICUM BRENCKMANNUM, cum quo longa & ſuaviſſima mihi amicitiae neceſſitudo interceſſit. Hic cum Italicum iter eo fere unice animo ſuſcepiſſet, ut Florentinorum Pandectarum exemplar illud, vere auguſtum & ſacrum, accuratiſſime perluſtraret, ſenſit ſibi quoque ejus codicis Fata perquirenda eſſe: & cum a Piſanis ex Urbe Amalfi abductum eſſe omnes traderent, *expeditionem illam Piſanorum*, & Urbis ipſius *Amalfeos* omnem ſimul hiſtoriam conſcribere aggreſſus, tanta diligentia elaboratam, & omnis aevi, quo floruit haec ci-

vi-

vitas, tot monumentis illustratam, ut dubitem an ulla in tota Italia urbs vel locus, a civibus & popularibus suis tam accurate sit descriptus. Certe non contentus ex omnis aevi & generis scriptoribus, quorum magna pars vulgo ignoratur, subsidia conquisivisse, ex Italiae Bibliothecis, quas summo studio perlustravit, tot nova produxit documenta, ut victuro hoc ingenii & doctrinae monumento aeternam sibi laudem paraverit. Librum hunc recensere supervacuum existimo, cum non huic tantum Thesauro (qui beatorum tantum Bibliothecas ornare poterit,) ingens pretium addat, sed iterata editione *Historiae Pandectarum*, quae hoc anno Ultrajecti prodiit, sit annexus, & ab Ephemeridum concinnatoribus dignis elogiis honestatus; ejusque etiam argumenta ample exposita, in omnium manibus versentur. Nos viro optimo & amicissimo vires tantum & annos a summo Deo precamur, ut ingens illud Pandectarum opus, ad codicem illum Florentinum singulari, & quali numquam antea, diligentia exactum producere possit; quo dono non a Juris modo interpretibus, sed ab omnibus literaturae & humanitatis cultoribus insignem gratiam inibit.

Non obscuri nominis inter urbes Campanas, licet rectius & accuratius alii Picentinis adscribant, est *Salernum*, quae praecipue medicorum proventu floruit, unde & *Salernitana schola* olim praecipuae famae fuit. Ex hac urbe oriundus nostrorum temporum scriptor, ANTONIUS MAZZA, urbis Patriae *Doctor Physicus & Collegii Almi Promotor*, ut eum Censores hujus operis appellant, hunc incunabilis suis honorem habuit, ut originem & fata Civitatis Patriae memoriae proderet. An vero in tanta literarum luce, in origine adserenda satisfecerit ubique eruditis, dubito: nam inter varias de nominis ratione opiniones quasdam minime probabiles enumerat, ut cum ex Ovidio lib. V. Fast. 105. a *Luco Elerna*, ut vocat, deducere conatur, cum & *lucus Helerni* dicatur, & ad Tiberim situs nihil commune cum Salerno habeat, nisi ultimas syllabas: hanc *Elernam* filiam Noachi, & *Cranam*, sive *Carnam* dictam, ex Annii Viterbiensis Beroso facit. Deinde ea missa ex iisdem nugacis scriptoris fabulis a *Sale* Noachis pronepote Urbis nomen & originem repetit. quae qui hodie data opera refutare vellet, risum deberet eruditis. Cap. III. refert inscriptionem, quae & apud Gruter. MXCIIII. 3. legitur, qui FANNIO VICTORINO exhibet, noster vero ANNIO VITTORINO. puto utrumque male, & legendum esse, T. ANNIO VICTORINO. alteram vitiosiori scriptura edit: nam ex Apiano, Manutio & aliis emendatior legitur apud Gruter. XCIV. 11. unde apparet non multum in his monumentis versatum fuisse. in reliquis diligenter satis conquisivit omnia, quae ad Duces, Principes, Episcopos, nobiles & cives Salernitanos attinent; nisi quod Episcoporum seriem, more reliquarum civitatium, a Christo nato, licet non perpetua serie, repetat. Civium etiam dignitatibus illustrium longum Catalogum cap. VIII. pertexit, sed quod praecipuum Urbi nomen fecit, cap. IX. de *Salernitano Studio & Collegio Hippocratico* amplissime agit, virosque eruditos enumerat.

Campanis divitiarum & inde, ut solet, natae luxuriae fama minores, sed virtutis militaris & industriae gloria superiores fuere *Marsi*, qui ipsos Campaniae fines tangebant. Quorum, cum multiplex & frequens apud veteres fiat mentio, Historiam a MUTIO PHOEBONIO diligentia insigni conscriptam hîc subjicere Editori visum fuit. Fuit hic Abbas Ecclesiae Transaquensis, ut ex *Ughellii* elogio in Praefatione *Asdrubalis Phoebonii*, Ordinum ductoris, qui Frater Auctoris post ejus mortem hanc Historiam edidit, apparet. Nec plura de eo rescilcere licuit; nisi quod genti Phoeboniae, etiam per matrem *Portiam Phoeboniam*, splendorem addidisse, Cardinalem *Caesarem Baronium* dicat Lib.

I. cap. XI. p. 44. Avum Maternum *Joannem Grandem* JCtum ibidem celebrat pag. 46. laudat etiam Phoebonium *Camarra in Teate antiq.* lib. III. 6. Historia haec, quae Marsicum Bellum, & reliqua a Marsis gesta accurate persequitur, doctrinae satis elegantis apparatum ostendit, & versatum fuisse in veterum scriptis Auctorem docet; non enim temere omnia ex fabulis, quas de Originibus suis jactant populi Italiae, sine discrimine repetit; sed, ubi vera adserere non audet, verisimilia dicere satis sibi esse testatur lib. I. cap. IV. in fine. Antiquitatis reliquias, & lapides etiam diligenter collegit. sed an in iis interpretandis semper recte divinarit nescio. Certe lib. I. cap. IV. profert lapidem, *Herculi Deo, Milites Aprica* &c. ubi *Apricorum* dedicationem Herculi tutelari factam intelligi putat. Quae *Aprica* quid velint nescio, & forte ibi *Milites Africani* possent rectius intelligi, ut omissa aspiratione *Aprica* pro *Aphrica* sit scriptum; ut *Aprodisia* pro *Aphrodisia* apud Gruter CCCXII. 3. & passim H. omittebatur in similibus, & saepe etiam addebatur, ubi ab aliis negligebatur: ita *Epapra*, *Epaphra*, *Calpurnius* & *Calphurnius* & alia reperiuntur in lapidibus. Errasse etiam vel Auctorem, vel operas in aliquibus docet lapis lib. I. cap. 8. ubi *L. Ferennus* legitur, quem antea *Terennum* ipse vocaverat auctor, cum neutrum placeat, ut nec cognomen *Cerusus*, sed legendum putem, L. TERENTIO C. F. RUFO. ut apud Gruter. MCI. 3. *L. Terentius* M. F. *Rufus*, occurrit. Inscriptiones *Optato* positae ibidem pag. 27. emendatiores proferuntur a Fabretto cap. IV. p. 284. neque etiam cap. X. pag. 37. satis probare puto lapidis fragmentum, *Asiatici* nomen exhibens, ad L. Scipionem Asiaticum esse referendum, cum dubitem, an non Libertus aliquis ibi memoretur, propter literas singulares C. L. V. F. id est, *Caji Liberto Viro Fidelissimo.* ut illae literae V. F. in lapide Gruteriano CLXXVIII. 3. & alio apud Phil. a Turr. in Inscript. Aquileg. XLI. pag. 397. leguntur. certe nimis temere saepe, quia nomen convenit, viris olim notis tribuit lapides. ut lib. III. 4. p. 118. *Trebatium* Ciceronis familiarem, statuit in Lapide dictum, C. *Trebatium C. F. Optatum*, cum illum cognomine *Testam* dictum fuisse, omnibus sit notissimum. Pag. 40. spuriam *Labeonis* inscriptionem refert, quae legitur apud Gruterum inter spurias pag. XII. 10. & ejusdem notae esse puto aliam, *Martiae*, Aviae Julii Caesaris, & ab Aenea Vico in Historia Augustarum (male *Augustorum* hic legitur) confictam, ut passim ille solet. *Hortensio* vero positum lapidem emendatiorem profert Gruteriano pag. CXVIII. 5. pag. 41. M. *Vettium Marcellum*, maritum *Helvidiae Priscillae*, Neronis procuratorem facit ex lapide, quem Camarra etiam in Teate lib. I. cap. 5. & III. 2. produxit; sed deceptus uterque, quia *Helvidium Priscum*, Thraseae generum, vixisse sub Nerone legerant, cum in lapide legatur PROC. AUGG. ideoque non ante tempora An. Antonini & L. Veri, qui primi duo Augusti dicti sunt, vixisse potest, ut recte probat Fabrett. c. III. p. 174. Inter Viros eruditos, quos Marsorum terra tulit pag. 41. *Domitium Marsum* jure refert, Poëtam temporis Augusti doctissimum; cujus amicam *Melenam* vocat. sed *Melaenis* illa dicta fuit, & certiora de hoc Epigrammatum scriptore lector discere poterit a *Jano Broukhusio* ad Tibul. IV. 15. forte & ad hunc *Domitium Marsum* referri posset, quod *Quinctil.* lib. VI. de Inst. Orat. cap. 3. in fine narrat de Pompeji joco in Ciceronem. Inter recentioris memoriae Viros illustres Cardinalem *Mazarinum* in Marsis natum esse pag. 44. narrat. Librum secundum fere impendit *Lacui Fucino*, & ejus emissarii descriptioni; ubi variam eruditionis copiam ostendit. quaedam tamen Vir Doctissimus Fabrettus, qui postea in eodem argumento est versatus, & de *Emissario Fucini* Dissertationem Syntagmati suo de columna Trajana adjecit, honorifica tamen Mutii Phaebonii

men-

mentione facta, correxit & castigavit, quo lectorem remittimus. In eo vero convenit *Phoebonio* & *Fabretto*, Claudii opus fuisse illud emissarium, licet & *Phoebonius* in fine libri inane eum opus tentasse adfirmet, quod negat maxime *Fabrettus*. Libro tertio omnes populos, urbes & loca Marsorum recenset, ad quae singula haerere non possumus. cap. 4. Viros renascentibus literis satis celebres, duos fratres, *Petrum* & *Paulum Marsos* praedicat, quorum ille in Silium, hic in Ovidium, Horatium & Ciceronem commentarios ediderunt, sed quorum famam eruditiorum sequentis aevi commentatorum gloria obscuravit. Reliqua impendit enumerationi Episcoporum, quorum vitas, historias, & simul Ecclesiarum in Italia fata enarrat; quod genus annalium etsi utilissimum esse, si bene instituatur, & non inutili rerum minutarum farragine stipetur, fateor; fructum tamen Italis majorem, quam nobis praestare potest, ideoque nos ad alia, quae omnis generis lectores tenere & delectare possunt, conferemus. Haec ipse ex Phoebonii libro mihi collegeram, jamque operis tradita, & typis fere descripta erant, cum in manus meas pervenit *Petri Antonii Corsignani* liber singularis de Viris illustribus Marsorum, in quo pag. 274. Gentem Phaeboniam nobilem, sed origine Avezzanensem celebrat; & postquam *Priamum Phaebonium* JCtum & judicem, qui Foro Capitolino praefuit, cujus & epitaphium noster lib. III. pag. 114. refert, laudasset, transit ad nostrum *Mutium*, quem amicitiae sibi olim vinculo conjunctum deflet mortuum, & *dulcissimum vitae suae oblectamentum*, *Virtutis radium*, *&* *Marsorum lumen vocat.* Natum dicit Aveani, sive Avezzani tenui oppido, (quod describit lib. II. Mutius pag. 113.) sed fere Romae vixisse, Doctorisque juris ibi insignia accepisse; Theologiam deinde professum, & Graeca Latinaque lingua excultum, Poëtam etiam exstitisse. In Patriam cum rediisset, & Protonotarium factum, vicarii Apostolici titulo praefuisse Aquilae, & deinde Vicarium Generalem Marsorum factum obisse A. MDCLXXV. Pag. 117. dicit Phaeboniam familiam jam extinctam. Praeter hunc librum *Mutium* edidisse etiam Vitas sanctorum Dioeceseos Marsorum Romae A. MDCLXXIII. dicit, quo libro facile caremus. de Portia Phaebonia, Matre Cardinalis Baronii, narrat pag. 117. Cardinalem olim A. MDLXXX. *vidisse in spiritu matris animam ad superos in Patria evolantem.* Haec nunc scriptis jam antea adjicere visum fuit.

LUCIUS CAMARRA, quis fuerit, rescíscere non potui, nisi quod eum a Phoebonio passim laudatum reperiam, qui Teatinum patricium, & in sacris humanisque satis versatum fuisse scribit lib. I. Hist. Marſ. cap. 10. & Nic. Toppius in Bibliothec. Neapol. illum etiam nobilem Teatinum & Doctorem eruditissimum brevi elogio praedicat. cujus Toppii meminit ipse Camarra, ut amici & viri multae lectionis lib. I. cap. 2. p. 9. *Lucium* patruum suum idem Camarra laudat ibidem, quem Toppius, sacerdotem, Philosophum & Poëtam fuisse scribit, sed qui obiit A. aetatis 28. Lib. II. 6. a Jesuitis Latinae linguae lac ebibisse scribit; lib. I. cap. 3. p. 15. vices gessisse se M. Antonii Columnae, in Toparchia ejus in Marsis, lib. I. c. 5. in fine, & lib. III. cap. 6. ubi se in Toparchia illa Auditoris munere functum ait. Eruditionis certe in hoc opere specimina egregia exhibet, & patriae suae origines non ex Annianis fabulis, sed certioribus monumentis, & doctissimis conjecturis arcessit. Marrucinorum, in quibus Teate situm est, origines vel ex Illyriis, vel Aboriginibus repetendas docet, & Alphonsi Ciccarelli ineptias egregie demonstrat; urbis vero conditores vel Arcadas vel Pelasgos. licet vero a fabulis ubique se alienum ostendat, blandiri tamen sibi Mucii Pansae opinionem non dissimulat, qui a *Titea*, quae eadem quae Vesta, vel a *Thetide*, ut alii, nominis originem repetit, eoque referri posse conjicit

versus Virgilii ex Ecl. IV. 34. *Alter erit tum Tiphys* &c.; quos in honorem civis sui scripsisse putat; Asinium Pollionem intelligens, quem lib. III. cap. 4. Teatinum fuisse contendit; sed Poëtica hac sententia repudiata, verius vel ab Hercule, vel ab Aboriginibus vel Sabinis conditam credit. *Teate* vero nomen ex *Tegeate* deduci posse, vel a Cteato Pelei comite, sive a situ & Graeca voce θεατός, quasi spectatu digna fuerit urbs. hinc in urbis monumentis, & soli circumjacentis ubertate ad finem libri primi versatur. Libro secundo formam, ad quam urbis olim res civiles administratae fuere, exsequitur, & eam municipium fuisse, civesque in Tribum Arniensem conjectos ostendit. an colonia fuerit dubitationem injecerat Lapis, ubi *Caesius Marcellus* P. C. TEATINORUM dicitur, quae verba possunt capi pro Patrono Coloniae Teatinorum, sed rectius deinde explicat *Patron. Collegii* vel *Civitatis*, quod ultimum sequitur Reines. Clas XII. Insc. 114. qui omnes fere a Camarra relatos lapides in suum syntagma conjecit, a Cl. Graevio sibi suppeditatos. Fortissimos vero semper & fidelissimos Romanis socios Marrucinos multis extollit, nihilque rem eorum cum Samnitium habuisse communem, sed postea novis sub Constantino, & deinde Langobardis, Italiae partibus factis, Samnitibus fuisse adscriptos, & regioni nomen Aprutii impositum. *Aprutii* vero appellationem, quam repudiatis aliorum sententiis deducit ab *Abruptis* montium praecipitiis, olim fuisse urbis nomen. Libro tertio Gentes & viros illustres patriae suae celebrat, & duas in primis, Vettiam & Asiniam. In Vettia gente familias varias dum observat, unam Bolanorum refert. cui miror non adscripsisse *Bolanum* illum, quem Horatius lib. I. sat. IX. II. memorat. Glandorpius *Vectiae* Genti adscribit familias a nostro fere memoratas. sed *Vettius Bolanius* in Lapidibus apud Gruter. CXXVIII. 5. & CLXIII. 7. dicitur. Asiniae gentis splendorem late describit, & Pollionis Oratoris celeberrimi, ejusque filii C. Asinii Galli facta & vitam enarrat, & in hujus natali Eclogam IV. Maronem cecinisse credit: deinde Petronios, Ninnios, Clementes, Marcellos, Octavios & Papinios; qui vel a Scriptoribus laudantur, vel in lapidibus occurrunt, Patriae suae vindicat. De quibus dum agit, Lapidem, quem & Reines. Cl. I. Ins. 220. habet, & in quo erasa nomina Augusti & Caesaris videntur, ad Maximinos verosimilius mihi, quam ad Septim. Severum & Antoninum referre videtur. Ex lapide, qui etiam apud Gruter. p. CIV. 6. legitur, nescio an satis feliciter *Marrunicinum Clementem* sibi adseruerit, cum *M. Arricinus Clemens* emendatior lectio videatur.

Inter Apuliae urbes *Canusium* veteribus jam celebrata fuit, & maxime nobilitata vicinitate Cannarum, ad quas Romanorum exercitus ab Hannibale victus & caesus fuit; parsque exigua Canusium profugit. Hujus urbis in agro A. 1675. Mense Novembri, Rusticus aratro terram vertens, aeream tabulam invenit, quam cum Domino Agri, Baroni *Octavio Affaitati* detulisset, ille eam Venetias misit, ubi in manus *Bernardi Palotulae* venit, qui adhuc possidere dicitur. quamvis Montfauconius eam se in Museo *Antonii Capelli* Patricii Veneti vidisse dicat in Diario Italico pag. 63. ad quem transiisse ejus possessio videtur: nam & Baro *Stosch*, cum Venetiis versaretur Tabulae ipsius exemplar ab eo obtinuit, quod noster Editor expressit, ne Illustrissimi Marchionis codex ulla parte labem aliquam acciperet. Nam apud Palotulam cum vidisset Abbas *Damadenus*, eam longo commentario illustravit, qui elegantissime scriptus, cum venisset in manus Viri Excellentissimi Marchionis BERETTI LANDI, apud Ordines nostros Regis Hispaniarum Legati, ab illo eum obtinuit Editor Thesauri, elegantiamque commentarii, ab Abbate summo nitore scripti, splendore chartae & literarum

specie

ſpecie aequare ſtuduit. Exhibuit eam etiam Sponius in Miſcell. Erud. Antiq. p. 280. De ipſo commentario, quia otio deficimur, & jam praeter inſtitutum Praefatio nimis excrevit, nihil dicemus, ſed eruditis exiſtimandum de illo liberum arbitrium permittimus. Noſter editor curavit, ut inſcriptiones, quas plurimas adduxit commentator, ad Gruteri editionem exigerentur, quoſdam etiam ex Goltzio nummos illuſtrandis Auctoris verbis adjici voluit; Cujus inſtitutum ut adjuvemus, indicabimus pauca, quae ejus, cujus opera uſus eſt editor, diligentiam effugerunt. Pag. 40. Lapis *Ti. Claudii Quartini* dicitur extra Gruterum eſſe, ſed legitur p. cccx. 5. & multo auctior etiam apud Sponium pag. 95. Pag. 42. ubi Conſules, in Tabula Canuſina reperti, memorantur a commentatore literis majoribus, quaſi inſcriptio alia eſſet, adnotatur; *extra Gruterum eſſe*, quid miri? ſi Gruterus ignoraverit tabulam A. 1675. inventam. Pag. 53. *M. Antonius Siriacus* apud Gruterum exſtare non notatur, ſed bis ibi legitur; primum vitioſe pag. CCCLVII. 2. & denuo emendatius pag. ſeq. 4. Contra pagin. 71. neglectum adnotare; inſcriptionem Tergeſtinam exſtare apud Gruter. pag. CCCCVIII. & in nova editione multas emendationes fuiſſe adſcriptas. Quae vero legitur nomine proprio defecta inſcriptio p. 74. eſt apud Gruter. CCCCXCIII 9. Pag. 93. *Aediles Colon. Puteolanorum* ſunt apud Gruter. cxcv. 9. atque haec ſupplementi vice adjicere viſum fuit.

Inter Regni Neapolitani provincias, non minimae fertilitatis & bonitatis agri eſt *Apulia*, cujus urbs, non quidem illuſtris admodum, *Cuperſanum*, hodie *Converſano*, nacta eſt hiſtoricum PAULLUM ANTONIUM DE TARSIA, qui doctor, Theologus & Abbas, ex nobiliſſima gente deſcendebat. Ipſe enim lib. I. pag. 3. familiae ſuae nobilitatem & Antiquitatem multis deſcribit, & poſt majores enumeratos, patrem ſuum, *Donatum Mariam de Tarſia*, multa eruditione & Juris ſcientia clarum, muneribus etiam ampliſſimis functum celebrat. Ipſe Auctor non Italica modo lingua, ut vernacula, promptus; ſed Hiſpanico etiam ſermone quaedam ſcripta edidit; quae memorat *Nicol. in Appendic. ad Biblioth. Hiſpan.* T. II. p. 356. Tribus libris Apuliam & Urbem patriam deſcripſit, & ab Antiquitate orſus, multam oſtentat & variam eruditionem; pauca tamen libro primo profert, quae non in aliis, qui in eodem ſcribendi genere verſati ſunt, leguntur: An ſcribae aut operis tribuam inſignem lapſum pag. 16. neſcio, ubi *Plauti* locum ex *Heautontim.* profert. certe doctior & verſatior fuiſſe ſcriptor videtur in antiquorum libris, ut tam negligentem fuiſſe credam. Liber ſecundus, diligentia magna conſcriptus, comitum Cuperſanorum geſta ordine apto continet; in quo multam aevi medii peritiam oſtendit, & praecipue *Gentis Aquavivae*, quae comitis Cuperſani titulo gaudet, ſplendorem, & viros illuſtres, quos tulit, egregie illuſtrat. Tertio res Eccleſiaſticas Patriae perſequitur, ubi more tralatitio, a Petro Apoſtolo conditam ibi Religionem Chriſtianam tradit, & reliqua, quae ante certam Annalium fidem, illis credenda relinquimus, quorum intereſt. perducit vero Epiſcoporum ſeriem ad An. Chriſti MDCXLII.

Calabriae ſitum & Antiquitatem deſcripſit GABRIEL BARRIUS FRANCISCANUS, ex oppido *Franciſca*, quod deſcribit pag. 64. presbyter ſecularis; cujus diligentiam laudat & *Jo. Juvenis* de Varia Fortuna Tarent. lib. II. cap. I. p. 18. & *Hieronymus Surita* ad Itiner. Anton. pag. 274. ſcripſit ille A. Chr. 1571. ut teſtatur pag. 5. Toto vero opere hoc in primis agit, ut *Calabriam*, & viros in ea natos, acerrime defendat contra obtrectatores laudum Calabricarum, ipſe in quoſvis vehementer invectus, qui de Calabris non ſatis honorifice ſcripſerunt, aut ſenſerunt. A ſuperſtitione etiam non alienum fuiſſe, paſſim tot reliquiarum memoriae, quas celebrat, oſtendunt. nec ſatis ex prioris aevi commentis, & narrationibus de *Paulo* Apoſtolo, & *Stephano* primo *Archiepiſcopo* Rhegino, & ſimilibus; immo nec ex fabulis, quae, Oenotri & Itali in hanc partem Italiae adventum & Calabriae origines tradunt, ſe expedire potuit aut voluit.

luit. Pag. 13. indignatur illis, qui *Gellii* locum lib. x. 3. corruperunt, & ignominiam illam, qua Bruttios a Romanis adfectos dicit, ille *Bojis* vel *Bojanis* Gallis, vel *Bajanis* Campanis esse inustam magno conamine vult probare: his praecipue argumentis, quod *Boji* dicti carnifices, & *Boja* vincula, & quod non *Bruttii* a Romanis primi defecere, sed *Boji* Galli, & deinde Campani; *Brettios* vero, licet quosdam ex gente illa stipendiarios habuerit Hannibal, non sponte defecisse, sed vel a Romanis destitutos, vel vi oppressos fuisse, paucos necessitate coactos defecisse, sed ante alios rediisse in fidem Romanam, ideoque non potuisse hac injuria adfici. Sed haec infirma & vana: licet enim demus quasdam urbes Bruttii in fide mansisse, potuere tamen quidam etiam Bruttii, simul cum Campanis deficere; qui cum postea hac ignominia notati essent, nomen illud *Bruttium* deinceps etiam ministris magistratuum adhaesit, licet illi non essent Bruttii origine. Nec quia Boji primi defecisse dicuntur, illi hîc substituendi: hi enim non in Italia, sed Gallia Cisalpina siti, & Gellius dicit, *cum Hannibal in Italia esset, & aliquot jam pugnas adversus P. R. pugnavisset*, tunc primos *Bruttios* defecisse; nihil ergo cogitare potuit Gellius de *Bojis*, qui jam post terga relicti erant, & sub Hannibale diu militabant. Quod vero *Boja* Carnificem & vincula notet, probandum erat, hoc a *Bojis* Populis deduci, cum alii diversas origines hujus vocis dent. Vide *Menag.* Orig. Ital. in *Boja.* & *Cangium* in Glossario, & quos laudant. Et cur non haec vox, ut plurimae aliae, potuit ad Romanos a Germanis vel alio Celtico populo venisse? nam & nos hodie *Boejen* vocamus vincula, quae noxiis & captivis injiciuntur, & vox haec varie pronuntiata fuit; vid. *Eccard.* Notas ad Leges Salicas pag. 175. Deinde genti suae favens versum Silii, ubi *Bruttius ambiguus* dicitur, explicat *ambiguum fortuna*, & in Leandrum acriter invectus, qui ignorantia Latinae linguae, aliter exposuit. sed imponit Barrius lectoribus incautis: certissime enim inter illos refert Silius populos Bruttios, qui fidem fefellerunt, & a Romanis ad Poenos defecere; sed quod notasse debuerat, si legisset diligenter Poëtam Barrius, non *ambiguus* dicitur ibi Bruttius, sed *levis.* ita enim lib. xi. 9. Silius

Mox levis, & sero pressurus fata pudore
Bruttius, ambiguis fallax mox Appulus armis.

ita enim legitur ille locus, non *Bruttius ambiguus.* illa vero verba, *sero pressurus fata pudore*, videntur ad illam ignominiam, qua *Bruttiani* illi postea pressi fuere, respicere. Eodem animo & levissima suspicione inductus, suspicatur p. 29. illa, quae in *Joviani Pontani* libris de Calabris leguntur minus honorifica, a Campano quodam subdolo & perverso esse inserta. Linguae autem Latinae acerrimus vindex, (nam & pro *Lingua Latina* librum scripsit) eos, qui Italice scribunt vehementissime perstringit ubique, & praecipue p. 32. ubi illis, qui suum librum in Italicam linguam vertere vellent, iram Dei multis diris imprecatur, & novo devotionis genere, vota ad Deum concipit, ne annum interpretes exigant. Inscriptionem, quam habet pag. 59. pleniorem exhibet Gruter. p. xcvii. 8. alia pag. 81. ex Gualthero paullo aliter legitur apud Gruter. p. clxxiv. 7. duae illae, quae p. 126. *M. Megonio* positae leguntur, sunt apud Gruter. p. cxxv. & Fabret. p. 404. pleniores, quae ibi videndae. Atque haec de hoc Barrio, ut ejus ingenium & eruditio innotescant, sufficiant, qui singulari plane industria totius Calabriae urbes, pagos & omnia, quae vel nomine appellantur proprio, loca ita recensuit, & cum antiquiorum scriptorum monumentis comparavit, ut dubitem, an ullius regionis exactior descriptio dari possit. si quid peccaverit, aut gravius in quosdam dixerit, id omne Patriae amori tribuendum, quo ita saepe aufertur, ut Calabriae etiam adscribat viros multos illustres, qui Siculi fuere, errore inde nato, quia *Calabriam* olim etiam *Siciliam* dictam fuisse credit. sed refutarunt hoc ejus, & aliorum Calabrorum scriptorum *furtum* (ut vo-

cant

cant Siculi) plurimi insulae Siciliae vindices, & in primis Cl. *Mongitor*, in delineatione Siciliae §. 2. ubi de *nominibus* insulae *Siciliae*, & de titulo illo *Regni utriusque Siciliae*, erudite, & candide agere mihi visus est. Antequam Barrium dimittam, nescire me fateri cogor, quid de *Davidis Abercrombii* Scoti censura statuendum, qui furto haec omnia *Cardinali Sirleto* Barrium surripuisse adfirmat in Fure Academ. p. 90. sed cum nullo testimonio, immo ne argumento quidem probabili innixus id referat, nobis id parum verisimile videtur: nam Sirleti studia omnia alio versa fuerunt; idemque stilus, eadem vehementia in hoc libro regnat, quae in aliis pro *Lingua Latina*, de *Laudibus Italiae*, & de *urbis aeternitate*, quae simul prodiere A. 1571. & quorum ultimus primam hujus Thesauri frontem ornat, & a Cl. Struvio in Biblioth. Antiq. 1705. T. 1. pag. 313. est recensitus. Praeterea nullus eorum, qui Sirleti vitam scripsere, quos recenset *Toppius in Bibliotheca Neapolitana*, vel minimam hujus rei suspicionem injicit. contra omnes uno ore ad sacra & ecclesiastica scribenda animum applicuisse Cardinalem tradunt.

Tarentus, urbs Magnae Graeciae primaria, & opibus olim & deliciis florentissima, nacta fuit etiam diligentissimum inter cives suos Historicum, JOANNEM JUVENEM, quem presbyterum secularem fuisse satis doctum & eruditum testatur *Toppius* in Bibliotheca Neapolitana, sed de quo, cum nulla alia ab eo opera edita recenseat, nihil praeterea novimus. Ipse in dedicatione ad *Laelium Brancatium*, Archiep. Tarentinum, se in ejus contubernio vixisse scribit, & ex praefatione sub Sixto V. scripsisse patet. Eruditionem ejus ostendit satis Lexicon vocum Tarentinarum, quod Historiae praemisit, ex antiquis Grammaticis collectum. De origine Tarenti agens, ab Annianis fabulis, & vulgi opinionibus animum alienum ostendit. Et cum de Tarante parum constet, de Phalantho, instauratore urbis, certiora ex historicis profert, & deinde ordine temporis deducit ad sua usque tempora. Viros illustres, rationem gerendi rempublicam, & rei pecuniariae, deinde Agri Tarentini situm & fertilitatem, delicias & luxuriam incolarum, & alia quatuor prioribus libris complexus est. Sequentibus tribus Historiam urbis, a Phalanthi temporibus, ad sua deducit, ubique optimorum scriptorum testimoniis sua firmans. Ultimo vero libro Ecclesiae Tarentinae fata narrat, a Petro Apostolo & Marco Euangelista, ut solent omnes fere istius tractus urbes, fundamenta & initia Christianismi repetens, non ut in historia reliqua certis annalibus innitens, sed patrum suorum traditione, & manuscripti cujusdam codicis, qui in choro templi servatur, auctoritate. Nec certiori fide nituntur sequentia, donec ad catalogum Episcoporum, quorum nomina ex tabulis publicis recensentur, pervenerit. numquam tamen non offendisse hunc scriptorem, egregio exemplo ostendit CL. Mongitor in delineatione Siciliae, quae ante ejus Bibliothecam Siculam legitur, §. 11. n. 20. ubi *Regnum utriusque Siciliae* dictum inde esse tradit, quia olim continens fuerit, & Italiae adhaeserit Sicilia, postea vero terrae motu avulsa duas fecerit quasi partes & regna. sed meliorem hujus tituli rationem ibi reddit vir doctissimus, de qua in *Thesauro Siciliae* videbimus.

Optimae quoque notae est liber egregius, ANTONII GALATEI *de situ Japygiae*, qui Medicus & Philosophus ante duo secula vixit, multis virorum Doctorum elogiis honoratus; & a *Pontano*, *Hermolao Barbaro* & aliis laudatus: elogium ejus scripsit etiam *Jovius* num. CXIX. ubi hoc opus cum veteribus comparandum sibi videri ait. laudat eum etiam *Sanderus* lib. III. de claris Antoniis. & *Joan. Juvenis* lib. II. cap. 4. de Varia Tarentin. Fortuna, ubi de situ Tarenti agens, praedicat ejus industriam, & fidem, ut qui loca, quae descripsit, ipse noverit omnia. De ejus vita & ratione studiorum quaedam ex hoc ipso opere colligi possunt. Pag. 27. se ex urbe *Galatina*, sive *Galata* oriundum dicit; quae urbs a Gallipoli IX. millia passuum distat;

hanc noſter credit originis Theſſalicae, quia Livius lib. XXXII. 13. vicum *Calathana* in Theſſalia memorat. Patrem ſuum a Joanne Antonio, Principe Tarentino, in exilium ejectum ſcribit pag. 29. Ipſe in urbe Nerito, ubi celeberrima toto regno ſtudia literarum fuiſſe dicit pag. 33. prima fundamenta literarum poſuit. Habitaſſe deinde Gallipoli (cujus urbis deſcriptio ultimam partem hujus libelli abſolvit) a ſexto decimo aetatis anno pag. 36. narrat, & in laudes iſtius urbis, ejusque ſalubritates & tranquillitates late excurrens, pag. 40. ſe cibo & ſomno parcius uſum athletice valere, tertia aut quarta hora noctis dormitum ire, nona aut decima ſurgere, nec diutius in lecto pudico & caelibe poſſe ſe morari, ſed ad ſcribendum aut faciendum excitari. Deinde ante orientem ſolem rei divinae vacare, tunc aegrotos circuire, dehinc prandere ſobrie, & ſimplici coena defungi, & reliquum vitae ordinem enarrat. Libri ſui de *Eucraſia* meminit pag. 36. quare miror hujus viri tam docti nomen omiſſum in *Lindenio* de ſcriptis Medicorum, licet ejus meminerit *Caſtellanus* in vitis Medicorum, ſed ex Jovio ad verbum omnia deſcribens. Fuiſſe vero Antonium noſtrum, non eruditum modo, ſed veritatis indagandae cupidiſſimum, & a vulgi erroribus & anilibus commentis alienum, egregie patet ex illis, quae p. 31. de Phaſmatibus, Strigibus, Lamiis & Spectris diſputat, quae legi merentur, cum praeſertim eo tempore ſint ſcripta, quo denſis tenebris occaecatae adhuc mentes hominum erant. Haec de ſcriptore. In ipſo libello nihil fere eſt, quod culpari meruit, licet poſtea major lux literis adfulſerit. pag. 8. Tarentum a quibusdam dici ab Hercule conditam, indeque *Herculeam* a Virgilio vocari ait. Rectius *Joan. Juvenis* lib. II. de Fortuna Tarentinorum cap. 2. quia Lacedaemonii Heraclidae, Phalantho duce, condidiſſe dicuntur. Notatu digna eſt expugnatae Hydruntis hiſtoria per Achamatum, Mahometis Turcarum Regis praefectum, quae neſcio an ab alio verius deſcripta ſit, & unde conficere licet, Hydruntinos ſtultitia ſua & intempeſtiva temeritate ſibi exitium arceſſiviſſe, quos tamen noſter a Turca jugulatos, Martyres Jeſu Chriſti appellat. Pag. 26. lapidem exhibet, Vaſtae repertum, quem ille eruditis Pontano, Hermolao & aliis miſit, literis, ut noſter credit, Meſapicis, quibus ante Idomenei adventum Iapyges uſi fuere, inſcriptum: habet & illum Gruter. pag. CXLV. 5. ſed ille Graecas, forma aliquantum immutata, linguaeque Aeolicae eſſe cenſet.

Atque ita, Lector Benevole, ſumptibus non exiguis & labore incredibili & induſtria diligentiſſimus noſter Bibliopola, & operis hujus editor, Theſaurum Italiae conſummavit, rariſſimis & pluribus libris inſtructum, quam in operis principio promiſerat. Neque paucos quoſdam, ſi nanciſci potuiſſet, neglexiſſet, qui forte votis quorumdam expetentur, ut plurium adhuc gentium vel urbium origines & fata poſſint illuſtrari. Sed ut non e re ſua putavit diutius morari deſideria Doctorum, ſi propter unius vel alterius libelli defectum integrum opus diſtuliſſet, ita neque plane conſilium abjecit, ſupplemento quodam hoc damnum reſarciendi, ſi modo tot libri, non ſola raritate, ſed & eruditione & praeſtantia inſignes ipſi ſuppeditentur, ut mereantur volumine ſingulari comprehendi. Interim gnaviter Siciliae Theſauro perficiendo opera datur, & omni ſtudio & diligentia in id incumbitur, ut inter ſex fere menſes Italicum comitetur SICULUS THESAURUS, qui libros & exquiſita eruditione, & raritate commendabiles tot exhibebit, quot nullum umquam hujus generis corpus comprehenderit. Fave conatibus ſtudioſiſſimi collectoris & editoris Lector, & inter ſeculi inſignes felicitates hunc uberrimum librorum proventum numera. Leidae III. Idus Decemb. CIƆIƆCCXXII.

E R R A T A.

Praefat. in Tom. VII. Pag. 6. l. 22. *Gibellinis*, leg. *Guelfis*.
Praefat. in Tom. IX. Pag. 12. l. 30. *neſcit non.* dele *non.*
Praefat. in Tom. VIII. Pag. 8. l. 20. *Cujus*, lege, *quorum.*
Pag. 14. l. 37. *An. Antoninus.* dele *An.*



S E-

S E R I E S
SCRIPTORUM
Qui in Nono Tomo Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ inveniuntur.

PARS PRIMA.



Benedicti Di Falco, *Civis Neapolitani*, Antiquitates Neapolis atque amœnissimi ejusdem Agri, ex emendatiore, post multas alias, Editione, *Latinæ* ex *Italicis* factæ, *Cura* Sigeberti Havercampi.

Henrici Bacci, *Alemanni*, Nova & Perfectissima Descriptio Regni Neapolitani, in Duodecim divisi Provincias; correcta atque amplificata per Cæsarem d'Engenio, Nobilem Neapolitanum: *In qua accurate & summatim disseritur de Urbe* Neapoli, *Rebusque maxime memorabilibus, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Castellis, Vicisque Regni insignioribus; ut & Familiis Nobilioribus*, non solum illis, *Quæ sunt* Neapoli, *verum etiam in aliis Civitatibus, præcipuisque Regni Oppidis; adjectis Arcibus & Turribus Regiis.* Accedit novissima enumeratio Focorum seu Familiarum, Tributorumque Regio Fisco debitorum recensio; tum & recensentur Archiepiscopatus, Episcopatus, Nomina Sanctorum, Regum, Vice-Regum, Septem Primaria Regni Munera seu Officia, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Equites denique Velleris Aurei. *Ex* Italicis Latina *fecit, Præfationem atque Indicem adjecit* Sigebertus Havercampus.

Antonius Sanfelicius. *Neapolitanus*, de Situ ac Origine Campaniæ, *comprehendens* hujus Felicissimæ Regionis Perfectissimam Descriptionem, *nec non* accuratissimam Chorographiam Oppidorum, Fluminum, Montium, Vallium, Lacuum, Camporum, cæterorumque notabilium.

Camilli Peregrinii, *Alexandri Filii, Campani*, Historia Principum Langobardorum; quæ partim aliquot Opuscula antiqua de rebus Langobardorum Beneventanæ olim Provinciæ, quæ modò Regnum ferè est Neapolitanum, continet: partim *Generis ejusdem alia nunc primum adjuncta; una cum Notis, Castigationibus & Variis Lectionibus* Camilli Peregrinii, & Antonii Caraccioli.

PARS SECUNDA.

Camilli Peregrinii, *Alexandri Filii*, Dissertationes de Veteri Significatu Vocis Portæ. Et de Origine Antiquæ Familiæ Di Colimenta. *Nunc primum ex* Italico Latine *vertit* Sigebertus Havercampus.

Camilli Peregrinii, *Alexandri Filii, Campani*, Dissertationes de Campania Felice. Quibus continetur exacta singulorum priscæ Campaniæ Locorum ac Populorum descriptio, ac succincta historia, a primis, quibus cœpere temporibus, ad suam usque ætatem. *Opus varia eruditione refertum, in quo plurima veterum Scriptorum loca expli-*

cantur, illustrantur, & emendantur. Nunc primum ex *Italico Latinum* sermonem transtulit, & animadversionem adjecit Alexander Dukerus. *In majorem, præter omnes emendationes accessionesque, illustrationem Geographicæ Tabulæ additæ sunt, atque Figuræ æneæ, nec non Auctoris Vita & Effigies, multaque alia, quæ Præfatio omittit.*

Julii Cæsaris Capacii, *Urbis Neapoleos a Secretis & Civis,* Antiquitates & Historiæ Neapolitanæ; in quibus Antiquitas Ædificii, Civium, Reipublicæ, Ducum, Religionis, Bellorum, Lapidum, adjacentiumque Locorum continetur: *Novissima Editione a mendis corruptelisque, quibus scatebant plurimis, repurgatæ, locisque compluribus restitutæ: &* Nummis Figuris*que accuratissimè ornatæ. Cui* Vita Auctoris Effigies*que additæ sunt.*

PARS TERTIA.

Julii Cæsaris Capacii, *Neapoleos Urbis a Secretis & Civis,* Antiquitates & Historiæ Campaniæ Felicis; *in quibus explicantur* Regionis felicissimæ Loca; Urbs quæque conjuncta Monumentis; Viri Illustres; aliaque insignia: *Novissima Editione accuratius editæ, integritati restitutæ, & Nummis passim Figurisque adornatæ.*

Marci Antonii Surgentis, *V. J. D. ac Patricii, & Equitis Neapolitani,* Neapolis Illustrata, Præfecti Prætorio, reliquorumque antiquorum Magistratuum, cum Vicerege, aliisque Magistratibus præsentis temporis, comparationem, eorumque Potestatem, Ordinem & inter se Præcellentiam continens, omnium præterea Tribunalium Regni Neapolis in Jure dicundo Ritum complectens, *Tota ad optimum administrandæ justitiæ cultum, Urbisque, & Regni Regimen, atque ad omnes quæstiones in ejus supremis Auditoriis agitari solitas, earumque decisiones pernecessaria;* Cum Annotationibus Mutii Surgentis, *Auctoris fratris, V. J. D. & Præsidentis Regiæ Cameræ Summariæ.*

Bartholomæi Facii, *Reipublicæ Genuensis a Secretis,* de Rebus Gestis ab Alphonso Primo, Neapolitanorum Rege, Commentariorum Libri X. Summo antehac studio, vetustissimis collatis exemplaribus, emendati, ac in lucem editi a Joanne Michaële Bruto.

(†) Joannis Joviani Pontani, *Secretar. Reg. Neapolit. Philosophi, Poëtæ, Oratoris & Historici Summi,* Historiæ Neapolitanæ, seu Rerum suo Tempore Gestarum, Libri Sex: ubi præsertim, quæ inter Ferdinandum Aragonium, Regem *Neapolitanum,* & Andegavienses eorumque in Regno *Neapolitano* Asseclas, gesta sunt, recensentur.

(†) Angeli Fonticulani Belli Bracciani, Aquilæ Gesti, fidelis narratio. In qua quidem narratione non solum Aquilanorum, & Braccianorum plurimi continentur Congressus: Verum etiam & Braccii miserrimus exitus recensetur.

PARS QUARTA.

Ferrantis Loffredi, *Marchionis Trevici, Consiliis Bellicis Catholicæ Majestatis Præfecti,* Antiquitas Puteolorum, cum Balneorum Agnani, Puteolorum, & Tripergolarum *Descriptionibus, per Generosissimum Dominum* Joannem Villanum, ex Auctoris vero, & antiquissimo Libro desumptis, Faucibus Temporis ereptis *per Dominum* Pompejum Sarnellum. Editio Novissima, aliis Auctior & Emendatior, Sigebertus Havercampus *ex* Italicis Latina *fecit, Præfationes & Indicem adjecit.*

Sci-

Scipionis Mazzellæ, *Neapolitani*, Urbium Puteolorum & Cumarum Descriptio. Cum Additamento Epitaphiorum & Inscriptionum, Puteolis, Cumis, in Bajis & Miseno, finitimisque locis inventarum.

(†) Scipionis Mazzellæ, *Neapolitani*, Situs & Antiquitas Puteolorum, locorumque vicinorum, quæ in amoenissimo ejusdem agro inveniuntur; *ut & rerum memorabilium, antiquarumque, quæ Cumis, Bajis, in Miseno, aliisque vicinis locis adhuc exstant.* Ex *Italicis Latine* vertit, Præfationem & Indices adjecit Sigebertus Havercampus.

Joannis Francisci Lombardi, *Neapolitani*, eorum, quæ de Balneis, aliisque Miraculis Puteolanis Scripta sunt, Synopsis. Adjectis Balneis Ænariarum, nec non locis obscurioribus Scholiis. Insuper addita sunt in calce tria Opuscula Medica: Cl. Galeni Libellus, quos, quibus & quando purgare oporteat. Hippocratis Coi Jusjurandum. Scholæ Salernitanæ Versus. Eodem Auctore.

Antonii Ferri, *ex Urbe* Bitetti, Apparatus Statuarum Novissime in destructis Cumis Inventarum. Accedunt *Commentarii ejusdem & Dissertationes super easdem, ut & Descriptio ipsius Templi, in quo Statuæ hæ quondam erant collocatæ.* Opus dignum simul admiratione propter Antiquitatem suam, atque curiositate sua gratum ingeniis peregrinis. *Ex* Italico Latine *vertit, Præfationem Indicesque adjecit* Sigebertus Havercampus.

Julii Cæsaris Capacii, *Neapoleos Urbis a Secretis & Civis*, de Balneis Liber, ubi Aquarum, quæ Neapoli, Puteolis, Bajis, Pithecusis extant virtutes; Thermarum, & Balnearum *apud Antiquos structuræ, usus & ministeria*, ad ægrorum commoda, explicantur.

Ambrosii Leonis, *Nolani*, Antiquitatum nec non Historiarum Urbis ac Agri Nolæ, ut & de Montibus Vesuvio & Abella descriptionis, *Libri Tres.*

Henrici Brencmanni, *J. C. & Academici Florentini*, Gemina Dissertatio: Altera de Republica Amalphitana: Altera de Amalphi a Pisanis direpta. Utraque nunc primum in lucem mittitur. *Adjecta in calce Tabula Cronologica, cum duplici Indice.*

Antonii Mazza, *Doctoris ac Civis Salernitani*, Urbis Salernitanæ Historia & Antiquitates, in Quibus Origo, Situs, Ubertas, Respublica, Primatus, Nobilitas, Principes, Ecclesiæ, Episcopi, Archiepiscopi, Illustres Cives, Studium, Hippocraticum Collegium, ac aliæ Res ad Salernitanam Urbem spectantes dilucidantur.

Mutii Phœbonii, *Marsi, J. V. D. Protonotarii Apostolici, Ecclesiæ Transaquensis Abbatis, & Marsorum Vicarii Generalis*, Historiæ Marsorum, *Libri Tres:* una cum eorundem Episcoporum Catalogo, *nec non* Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, D. Didaci Petra *Marsorum Episcopi*, Illustrationibus atque Auctariis.

PARS QUINTA.

Lucii Camarræ, *Marrucini Teatini, Juris-Consulti & Viri Patricii*, de Teate Antiquo, Marrucinorum, in Italia Metropoli, *Libri Tres.*

Aes Redivivum, sive Tabula Aerea, Maxima, Consularis, Duum-Viralis, Decurialis, Fastorum Consularium, Romanarumque Familiarum, in pluribus instaurativa, Canusii in Agro Apulorum olim incisa & erecta, exinde Barbarorum depopulatione recondita, recens e terrae visceribus eruta: Illustrata per Abbatem Damadenum. *Opus nunc primum editum ad Codicem M. S. pretiosissimum.*

D. Pauli Antonii, de Tarsia, *Doctoris Theologi, Abbatis Sancti Antonii Cupersanensis, & Academici Ociosi Neapolitani*, Historiarum Cupersanensium *Libri III.*

Gabrielis Barrii, *Francicani, Presbyteri Secularis*, de Calabriæ Antiquitate & Situ, Libri Quinque. In quibus Urbes, Castella, Vici, Pagi, Montes, Sylvæ, Flumina, Promontoria, Sinus aliaque loca; nec non, Sanctorum Reliquiæ; ut & cætera notabilia perspicue descripta.

Joannis Juvenis, *Tarentini, Celeberrimi suæ Pariæ Historici*, de Antiquitate & Varia Fortuna Tarentinorum, *Libri Octo. Cum triplici Indice, Capitum, Scriptorum & rerum Memorabilium.*

Antonii Galatei, Liciensis, *Philosophi & Medici Doctissimi ac Celeberrimi*, de Situ Japygiæ Liber. Nec non Urbis Callipolis Descriptio; *ut & de* Villa Laurentii Vallæ.

ADMONITIO AD BIBLIOPEGAM
de Figuris inserendis.



BENEDICTI DI FALCO,
Civis Neapolitani,

ANTIQUITATES NEAPOLIS

ATQUE

AMOENISSIMI

EJUSDEM AGRI,

Ex emendatiore, post multas alias, Editione,

Latinæ ex *Italicis* factæ,

Cura

SIGEBERTI HAVERCAMPI.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS
L. S.

Gratum Neapolitanis *non tantum, sed & aliis,* Falconis *seu* Falconii *hoc fuisse Opusculum, apparet vel ex sexta, quam secuti sumus, ad praelum revocatione. Exierat eadem in* 4°. Neapoli, *cum superiorum licentia, apud* Carolum Porsilem, *anno* MDCLXXIX. *neque est ut longiori te moremur sermone, quum opus ipsum paucis horis possit perlegi. Scito itaque eandem a nobis huic, quam in aliis hujus Thesauri Ornamentis adhibuimus, curam inpensam fuisse.*

G. T. C.
AD LECTOREM.

Semper & ab omnibus (Lector Benignissime) lectio Historiarum utilissima, atque omnium rerum maxime necessaria judicata fuit; quoniam Vitæ Humanæ in iis cernitur Speculum, multaque proponuntur exempla variorum morum atque studiorum humanæ conditionis, una cum memoria rerum præteritarum, atque certa experientia omnium ab humana natura gestorum factorumve. Per Historias itaque Principes Respublicas ordinant, bella gerunt, Status suos constituunt atque conservant, malum effugiunt atque bonum appetunt. Multa itaque laude digni sunt illi qui in Historiis conscribendis sese exercuerunt; Quod ego considerans, cernensque, quanto in pretio apud omnes esset Opusculum Domini *Benedicti di Falco*, tam propter Historias, quas complectitur rerum gestarum, quam laudes & præeminentias, quibus exornat Nobilissimum hoc Regnum, prodire rursus foras jussi, pluribus in locis emendatius excusum. Sit itaque tibi gratum in tantum quantum tuum esse idem Auctor voluit. Vale.

AUCTOR
AD PARTHENOPEN.

Dulcis *& formosa* Siren, *quæ quandoque inter lætas, pulchras, vagasque Nymphas, nostro in Mari dulce cantasti Melos; quæ humenti tuo sinu secura cum quiete recepisti tot onerarias, divitis Orientis pretiosis onustas mercibus, grato postquam Favonio impleta carbasa, ex longinquis easdem ad nostrum vexissent Portum; Macte Patre tuo* Neptuno, *atque genetrice* Thetide. *Ego quidem, exuvias hujus corporis terreni jam ante aliquot annos adeptus in gremio Urbis, quæ per Te Virgineo gaudet nomine, agnoscensque, quid ipsi, post*

Creatorem Deum debeam, nulla in re (quæ mea haud fortunatior sors est) prodesse adhuc potui. Dispersas itaque (ne ingratus essem) quasi colligere volui micas Nobilitatis ejusdem, cujus memoria, simul & incuriâ & avaritiâ præteriti temporis, tantum non sub undis impetusæ nigræque sepulta est oblivionis ; ut tandem ita cogantur filii ejusdem , qui paupertatis onus tam divitis atque copiosæ Matris abundantiæ superinducere cogitant , agnoscere & venerari magnitudinem propriæ genetricis, ipsamque , vel inviti, habeant in honore , colantque : illi vero qui, & olim semper & nunc, debito eandem prosequuntur amore, affectum suum in ejusdem duplicent dulci servitio.

Audi itaque me, Virgo pulcherrima, & quoniam ego antiquas tuas novasque divitias reserare cogito aliis, omnem, quæ oculis meis oboritur, aufer nebulam, ut læta omnia & vera agnoscantur. Post nubila enim solet esse Phœbus ; *Breve erit , & videbimus illum , relictis Orientis, Occidentis, & Aquilonis plagis, festinare, ut pulchris suis radiis illustret & comitetur clarum tuum & speciosum* Sebetum, *una cum limpidis ejusdem aquis dulcique flumine, effundens sese in amata multum tibi littora, æternam secum vehens felicitatem.*

A MESSER BENEDETTO DI FALCO NAPOL.

Astemio dell' incogniti di Napoli.

FAlco al pensier della vostr' alta mente,
Che con eterno honor del mio Sebeto,
Narrando i pregi suoi bramose, e lieto,
Pingete in carte altrui si dolcemente.

Veggio seguir d'immortal gloria ardente,
D'ambeduo, nome tal, ch'io il cuore acqueto,
E senza far il tempo unqua divieto,
Volar dal mar d'Esperia all'Oriente.

Ben puoi dal pigro sonno alma Sirena,
Destarti à tanto suon pura e gioiosa,
Ch'un *Falcon* in tua lode aperto hà l'ale.

Per cui quanto il tuo merto in alto hor sale,
Odrà il Tevere, e l'Arno, e al fin sdegnosa
Ne fia del Tago l'indorata arena.

INDEX AUCTORUM,

Qui citantur & illustrantur.

BENE-

5 BENEDICTI DE FALCO

Civis Neapolitani,

ANTIQUITATES NEAPOLIS
EJUSQUE
JUCUNDISSIMI AGRI.



Neapolitani agri laus.

Ummis celebrarunt Antiqui *Græci* laudibus *Alcinoi*, *Corcyræ* Regis, hortos, sed modo propter singularem fructuum copiam: Nullo verò modo comparari iidem possunt dulci, amœnoque *Neapolis* situi vicinisque frugiferis hortis, indesinenter tot, talesque producentibus fructus, quos ipse plantavit ab *Hesperidum* hortis redeuns *Hercules*; cujus simulacrum tria mala *Cydonia* manu gerens repertum *Romæ* fuit: quæ ab *Hesperidibus* illis Nymphis, in *Insulis Fortunatis*, ad latus Occidentale commorantibus, acceperat (hodierna die Magna ibi existit *Canaria*) ex qua ad nos tot suaves, aureique coloris fructus *Medicæ* delatæ fuêre, *mala* nempè *Citrea*, *Cydonia*, & *mala aurea*, à formosa *Nympha Amalphi* ad amœnas nostrorum Collium radices plantata, in quo specioso loco mira ibi commorantibus, vel transeuntibus videntur peristromata; uti sunt *Cajetæ* maritima ora, apricaque *Neapolis* plaga, ubi perpetuum floret *Ver*, locusque tot albis, odoriferisque floribus adeò redolet, ut fragrantibus fælicis illius *Arabiæ* montibus haud dispar dici queat. Commendarunt insuper Antiqui plura Orientis loca, ubi bona colligebantur vina; uti vinum *Metelinum*, Urbis in *Lesbo* insula; Vinum Insulæ (*Scio*) antiquitus *Chios* vocatæ, *Homeri Patriæ*: Vinum quoque uvæ *Maroneæ*. At vero quodnam Solum vinorum jure meritò majora meretur encomia nostro, cujus etiam vina tam ab Antiquis, quam hodiernis maximi æstimantur, illud præcipue, quod audit *Surrentinum*, de quo sic ait *Persius* Satyra III. versu 91.

Hercules & Nympha Amalphis.

Vina agri Neapolitani.

De majore domo modicè sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina *rogavit.*

Id est,

Portami in cortesia (molto ti prego.)
Quel vin leggiero, ch' in *Sorrento* nasce.

Vinum quoque *Massicum*, nunc *Massaquanum* dictum, ex Monte *Massico* delatum, propè *Carinolam* ad *Equanæ* Urbis agrum, ubi & *Massa* invenitur, & *Vicus*; unde *Horatius* cecinit, Lib. I. Carm. Od. I. versu 19.

Est qui nec veteris pocula Massici
Spernit.

Id est,

Il suave liquor del *Massaquano*
E degno d' apprezzar, non dispregio.

Falerna similiter vina, quorum dulces vites in
6 *Sancti Severini Solo* insertæ, vinum *Sancti Severini* producunt, vinum, inquam, in tam magno pretio *Romæ* habitum, ac vinum *Ammineum* à *Virgilio* celebratum Lib. II. *Georg.* versu 97.

Sunt etiam Amminea *vites, firmissima vina.*

A Id est,

L' *Amigne* viti fan gagliardi vini.

Fastignani quoque vini dulcedo & suavitas nati in *Monte Massico* (hodierno die dicto *Monte Marsico*) propè *Carinolam*, celebratur, ex quo loco *Carolinæ* vinum nuncupatum fuit; *Fundique* illud in viciniis ejus, palato admodum delectabile, non inter minora reponitur. Quid ergo dicendum de jucunda, fertilique *Sommæ* regione, in qua vinum oritur *Græcum* adeò à *Plinio* celebratum. Mons *Vesuvius* nonne egregias illas æquat Montis *Hemi* Valles à *Virgilio* dilectas? *Tempeque* pariter celebre in *Thessalica* regione, ubi nunc *Salonicchio* est? Quis quoque tot insignes Insulas
B in tranquillo *Puteolorum* sinu jacentes, præteribit? ubi terra tot fructibus locuples, ubi omni tempore tot variæ canunt aves, atque in mare ad spumosa litora tot læti saliunt pisces? idcirco jure meritò dixit *Boccacius* in *Landolphi Rufoli* novella; quod fretum inter *Rhegium*, & *Cajetam* amœnissima sit *Italiæ* pars; confirmatur idem ab *Horatio* dicente:

Nullus in Orbe locus Bajis *prælucet amœnis.*

Id est,

C Non si può nominar loco nel Mondo;
Che sia di *Baia* più lieto, & ameno.

Laudes quoque illustrium sileo *Puteolorum*; quorum alma regio, adeò jucunda, *Romanis* atque grata fuit, ut propter frequentia sua & saluberrima æstiva habitacula, à *M. Tullio* nuncupata fuerit *Parva Roma*; licèt *Petrarcha* in suis *Latinis* operibus magnam commendaverit *Liguriam*, affirmans: quod situs ille, quum Palmis & Citreis malis repletus sit, quamvis *Cerere* careat, vinis tamen, oleisque valdè abundet.

D *Petrarcha* iste tanto quidem locum hunc amore prosequebatur, ut de *Latinis* quereretur Poëtis, tam pulchram sine laude relictam regionem, hoc vel ex invidia, vel ex negligentia provenisse asserens. Huic *Petrarchæ* affectui respondeo; pulchrum unumquemque locum vocari propter speciem, haud satis posse, sed fœcunditate quoque pollere eundem oportere; deficiente itaque *Liguriæ* regioni frumento (re præcipuâ) gratissimaque insuper 7
planitie, pulchra vocari regio minimè potest; sicut & ipse fatetur *Petrarcha*: Nobis itaque dicendum; quod illustrior, pulchriorque Mundi pars sit *Europa*, ubi Populus triumphavit
E *Romanus*, pulchriorque *Europæ* pars sit *Italia*, uti cecinit *Virgilius* Libro II. *Georg.* versu 136.

Sed neque Medorum *Sylvæ*, *ditissima terra*;
Nec pulcher Ganges, *atque auro turbidus* Hermus,
Laudibus Italiæ *certent: non* Bactra, *neque* Indi,
Totaque turiferis Panchaïa *pinguis arenis.*

& paulo post versu 149.

Hic ver assiduum, atque alienis mensibus ætas;
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.

Id est,

Cedano gli *Indi*, & anco i *Battriani*
Al le lodi d' *Italia*, perche in essa
Stan le campagne di continuo piene
D' ogni sorte di frutti, e di buon vino.
Quivi continuamente è Primavera,
Et con gli alterni mesi vi è l' Estate
Le pecore quivi anco, e gli arboscelli
Due volte fanno i figli, e frutti ancora.

Amœnior, fœcundiorque *Italiæ* pars *Laboriæ*, seu *Campi* sunt *Laborini*, ab Antiquis *Campaniæ Felicis* nomine vocati, ut ex omnibus *Latinis Græcis*que Scriptoribus colligitur, ex *Plinio* præsertim, dicente, nescire se, quibus verbis uteretur in *Laborinis Agris* describendis, de illorum felici, beataque amœnitate disserens, ut, quomodo Natura uno in loco lætitiam, conatusque suos ostendere voluerit, patefaceret. Possidet hæc regio auram temperatam, & salubrem, Campos fertiles, Colles delectabiles, pascua virentia, umbrosas Sylvas, tot tam variaque nemora, tot montium diversitates, tantam segetum copiam, tantamque vinorum, tenuissimarum lanarum, pinguiumque gregum ubertatem, ut propterea *Polybius Græcus*, *Scipionis*, seu *Africani* præceptor, dicat, quod *Campi Laborini*, partim rerum omnium abundantiâ, partim regionis fertilitate, amœnitate, ac loci pulchritudine, præstantissimi sint præ omnibus aliis, quum penes mare siti sint, ubi plurimæ remotæ gentes, in *Italiam* tendentes, concurrrunt.

8 Si ergo duo ii prudentes Scriptores adeo hanc prædicarunt Regionem; tales laudes nulli (præter quam huic) tribuentes loco, ipsam excellentia sua, quamlibet aliam mundi partem superare, necessario sequitur. Mirum idcirco non est, si Prisci in hoc Mari *Sirenas* extitisse dixerint, quæ suavissimo suo cantu advenas ad hunc habitandum locum invitarent, innuebant enim figmento isto, magnam amœnitatem, locique pulchritudinem omnes aspicientes ad ibi commorandum invitare, ut ejus deliciis in perpetuum fruerentur.

Et quamvis *Campania* in *Gallia*, pulchra existat regio, magnaque superbi *Rheni* fluvii plaga pulcherrima sit, nec minus deliciosa appareat altera *Lacus Gardæ*, propter frigidissimum tamen Clima talium nivosarum regionum, ii loci pulchriores haud nuncupari queunt. Quapropter pulchra hæc, aprica, amœnaque *Laboriarum* regio feliciter à *Miseni* promontorio usque ad illud *Licosæ* sese extendit. Ita enim illa vocata fuit *Siren*, huic loco olim nomen tribuens partim propter suavitatem, agrique sui fertilitatem, propter Cœli clementiam, temperantiamque, partim quia planitiebus, montibusque amœnis connectitur, tum & propter saluberrimos Colles à tranquillo mari inundatos; omnibus hisce consideratis, pulchriorem, salubrioremque universi Orbis hanc regionem existere, evidentissime constat: hacque de causa *Galenus*, *Romanum* quemdam infirmum, deficientibus ad ejus infirmitatem abigendam remediis, *Roma* discedentem, atque in hanc saluberrimam *Laboriarum* terram sese conferentem, aëris temperie, locique amœnitate sanum evasisse scribit. Nunc igitur Fidelissimæ Urbis *Neapolis*, ejusque, à delicato incipientes *Pausilypo*, notatu digna exponemus.

Scribit *Plinius*, *Pausilypum* Villam extitisse *Neapoli* haud procul, ubi *Cæsaris* reperiebantur piscinæ, in quibus *Pollio Vedius* piscem projecit, qui demum sexaginta post annis (ut asserit *Seneca*) obiit. *Dionysius*, Historicus *Græ-*

A *cus* pariter refert, hunc *Pollionem* aliam in *Pausilypo* habuisse piscinam, in qua *Murænas* nutriebat, ac in quam reos quosdam ex servis projici mandabat, ut ab iisdem *Murenis* devorarentur: Evenit autem, ut unus ex servis suis vas quoddam Crystallinum fregerit, timensque ne in prædam *Murenis* projiceretur, ad pedes *Cæsaris* confugerit *Augusti*, à *Pollione* tunc ad convivium invitati, quapropter *Augustus*, moleste ferens, hominem minimi erroris causa lacerari, omnia ea Crystallina vasa ad se adferri jussit, quibus delatis, ipse eadem omnia fregit, miserrimumque servum illum à morte

B liberavit. Moriens deinde *Pollio* (ut ait *Dio* in *Græca* sua Historia) hæredem Piscinæ in *Pausilypo* existentis constituit *Cæsarem*. Hic Mons (*Pausilypus* dictus) totam *Neapolis* urbem circuit, in variis locis varia recipiens nomina: Primum est illud, quod accepit a *Sancto Erasmo*, nuncupabatur & *Monte di S. Ermo*: *Antonianus* deinde dictus (ut scribit *Pontanus*) ego verò *Antignanum* potiùs dicerem, quum è regione *Lacus Agnani* situs sit; ulteriùs postea, ubi *Sancti Januarii* extat Ecclesia, nominatur, *la Canocchia*, à (*Pontano Conicli*) & tandem dictus est, *Capo di Monte*. Sed quoniam hujus

C *Pausilypi* situs prorsus delectabilis est, deliciisque repletus, nomen ejus *quietem* significare voluêre prisci, ac si indicare vellent, locum omnem mœrorem delentem: sic *Jupiter* à *Græcis* dictus fuit *Pausilypus*, omnes scilicet diras tollens curas. Talis igitur pacatus, tranquillusque locus, antiquorum illorum *Romanorum* habitatio fuit: soluti enim, exoneratique ab omnibus ibi vivebant curis: Eodem modo *Cæsar Augustus* Insulam *Capræas*, *Græcè* nuncupavit *Apraxipolim*, hoc est, *Civitatem*, *amœnissimumque locum*, *curis solutum*. A *Cæsare Tiberio* ejus 9

D successore in eximiam suam voluptatem eadem insula selecta fuit, *Juvenalis* quoque delectabilem suam *Procidem Romæ* præposuit. Speciosum istum *Pausilypum* Montem *Hieronymus à Colle*, vir prudentissimus, solus bene novit. Hic enim post mille *Aulæ* (ut solet) curas, ad suum pulchrum *Pausilypi* pergebat hortum, ubi quadraginta annis ab omnibus sollicitudinibus procul, tranquillè vitam egit: Recta verè hæc est hominum prudentia, qui vitam brevem esse haud ignorantes, absque mærore & fastidiis transigere eamdem student.

E Mons iste duobus in locis perfossus fuit, primò in via *Puteolos* ducente, ubi est Crypta illa notissima, seu *Antrum*, secundò verò ubi est Promontorium *Pausilypi*; antiquitus *Nisitæ* annexum; ubi *Lucullus* perfodi jussit montem, antrumque, ut ad *Balneolas* facilius tendere posset, construxit; longa enim ei fuisset navigatio ab *Ovi* nunc Castello (ubi morabatur ipse) discedenti, atque *Nisitam* circumflectenti (quæ tunc temporis Promontorium erat *Pausilypi*) terrestre enim iter tunc erat omnibus ad *Balneolas* tendentibus. Curavit (inquam) effodi montem, & velis explicatis ingrediens, citò ad Balnea

F perveniebat, quoniam verò longinquitas temporis omnia manufacta ædificia diruit, antra quoque hæc diruta fuêre, sicque *Nisita* à monte & Insula segregata remansit: hodierno die propterea quidam apparent exsculpti lapides, in quibusdam partibus effossis, per quas ingreditur mare. De hoc ipso *Antro* scribit *Plutarchus* in *Luculli* vita, dicens: ipsum effodisse montem *Pausilypum* propè *Neapolim* in longum vastumque Lamiæ Arcum, ut facilius velis explicatis sub effoso Arcu ad *Balneolas* pervenire posset; idcirco a *Pompejo Magno* appellabatur *Lu-*

Lucullus, *Xerxes Togatus*, ut qui pariter Montem *Athon* ad Orientalem plagam (nunc *Mons Sanctus* vocatur, atque à *Græcis* monachis habitatur) effodit: Hoc & confirmatur à *Plinio* libro nono: qui scribit *Lucullum*, scisso monte majoribus expensis, quam vel usus fuerat in ipsa sua ædificanda Villa, fossam fecisse, mare in Antrum, seu Speluncam recepto, & idcirco à *Pompejo Magno* vocatum fuisse alterum *Xerxem*, sed *Togatum*. Et ne aliquis hoc de Speluncis intelligeret, existentibus in via *Puteolos* versus, scripsit *Pontanus* in libro de *Bello Neapolitano*; in effosso monte *Pausilypo* duas existere Speluncas, alteram in via *Puteolos* versus, alteram in mari ad egressum montis, versus meridiem, ubi hodie extat *Nisita*; Hoc Antrum propter antiquitatem suam magna ex parte destructum, ac dirutum est, in ejus vero ruinis plures apparent Speluncæ, parvaque Antra, à Nautis nuncupata *la Gaiola*, quasi parvulæ effossiones, ac si dicere velles, *loca effossa*, à Græcis εὐπλοῖαι dicta, hoc est *tranquillæ navigationes*.

Speluncæ variæ.

10 Ad finem *Pausilypi* apparet Ecclesia *Sanctæ Mariæ à Fortuna*, quæ juxta *Ethnicorum* ritum Templum erat *Fortunæ* dicatum, ut in prisco marmore, ibi reperto, legitur: VEORIUS ZELOSIUS POST ASSIGNATIONEM ÆDIS FORTUNÆ SIGNUM PANTHESIUM SUA PECUNIA D. D.

Templum Fortunæ.

Ibi parvum insuper invenitur Templum *Fratrum Carmelitarum*, *Sancta Maria Paradisi* nuncupatum; scilicet propter amœnitatem, suavitatemque loci (ut iest re vera *Pausilypus*) sic dictum existimo: ad latus delectabilemque montis appendicem super mare, formosa jacet *Mergellina*, sic à suavi piscium immersione dicta, de quibus poeticè noster cecinit *Sannazzarus* in divinis suis *Latinis Eclogis*, *Piscatoriis* nuncupatis: In hoc sacro loco erexit idem *Sannazzarus* Ecclesiam *Nativitati* Servatoris nostri *Jesu Christi* dicatam, generosum se ostendens Equitem, ut qui non tantum *Musis* suas sacraverit cogitationes, sed *Gloriosæ* pariter *Virgini*; quam sicut carminibus laudaverat *Latinis*, ita immortalem quoque per indeficientia reddidit marmora, *Musarum* enim esse amicum, oblitum deinde pietatis *Christianæ* sese ostendere, indecens videretur.

Mergellina.

Æquum autem fuit, quod sicuti divinæ ejus Poetices compositiones, figurate *Virginei Partus* nuncupantur, sic etiam templum illud, *Sancta Maria del Parto* vocaretur, & quod religiosi illi, quotidie sacras consuetas horas ibi canentes, peculiares essent *Mariæ Servi*, qui victum haud mendicantes, propriis *Jacobi Sannazzari* proventibus vivunt, gloriosæ *Virgini* Dei matri operam suam, facultates, & semetipsum donantis, pro cujus anima quotidie devoti iidem Religiosi preces ad Deum effundunt. *Marcus Antonius Sabellicus* refert, Medicum *Florentinum Mariæ* devotum, hanc religiosam instituisse Fratrum societatem, qui dicuntur *i Servi Anacoreti*: is autem *Philippus* Medicus *Florentinus*, primus *Anachoreta* fuit inter eos, id est *solitarius vir*, & *eremita*, *Mariæ*que servus, à quo Monachi ii nominantur *Servi*: Hoc in templo humatum est corpus *Sannazzari*, in cujus lapide sepulcrali hæc carmina sculpta leguntur:

Zannazzari sepulcrum, & Templum ab eodem erectum.

> Actius *hic hic situs est*, *cineres gaudete sepulti*,
> *Jam vaga post obitus umbra dolore vacat.*

11 *Petrus Bembus* Cardinalis, *Zannazzari* opus sciens magnificentiæ assimilari *Virgilio* (cujus *Zannazzarus* eximius extitit imitator) aliud ipsi composuit Epitaphium, quo innuitur, quod sicuti ille per imitationem proximus *Virgilio* fuit, ita etiam per sepulturæ locum deceret illi esse vicinum:

> *Da sacro cineri flores*, *hic ille* Maroni
> Sincerus *Musæ proximus*, *ut Tumulo.*

Ad litus maris, ad montis radices, venerabilis Beatæ Virginis, matrisque Dei est Ecclesia, nomen sumens à pede, & principio Antri, appellaturque *Santa Maria di Piedegrotte*. Hic *Canonici Regulares*, die nocteque sanctas Deo offerunt preces, quarum medio Clementissimus Dominus populis auxiliatur. Hi Religiosi Regulam acceperunt à S. *Augustino* Episcopo, qui antea libero, nulloque adstricti vivendi modo vitam agebant, at per novam regulam vocati postea fuêre *Regulares*. Antequam vero S. *Augustinus* Episcopus crearetur, Eremiticam duxerat vitam, suosque Fratres instituerat Eremitas, quibus vitæ Monasticæ normam dedit.

Hac in parte quædam reperitur via *Puteolos* ducens (ubi scilicet in magnum Antrum effossus est mons) ædificatum à *Coccejo* celebri Architecto, quando *Chalcidenses* (hoc est *Nigripontis* incolæ) ædificarunt *Cumas*, sicuti refert *Strabo*, sed ignorantis vulgi opinio est, hanc Speluncam a *Virgilio* arte magica factam fuisse; quum tantum, & tam mirum sit ædificium, sicut ibi omnia miranda (favente illi *Fortuna*) *Virgilio* tribuuntur. Quapropter *Petrarcha*, *Puteolos* una cum Rege *Roberto* tendens, per Antrum equitans, interrogatus fuit à Rege, an verum esset, quod ferretur, *Virgilium*, nempe, hanc arte magica confecisse Speluncam, ille vero falsum id esse Regi respondit, sicut ipse in Itinerario refert: „Inter „*Falerni* Promontorium & mare, mons quidam existit, qui opera manuum humanarum „effossus est, ignorans vero vulgus opus hoc „à *Virgilio* Artis magicæ vi factum fuisse sibi „imaginatur; Rex autem, vir celebris ingenio, „& literis præclarus, quum me interrogaret „de hac fabula, multis adstantibus atque præ„sentibus respondi ipsi, me nunquam legisse „*Virgilium* Magum extitisse; quod approbans „Rex, tale opus non magica arte, sed instru„mentorum ferreorum vi patratum fuisse dixit.

Spelunca Neapolitana.

Scribit insuper *Petrarcha*, quod tempore suo, fauces, ingressusque Antri valde parvi fuerint & angusti, & quod tempore jam illo fama esset, nullum ibi commissum unquam fuisse maleficium, ac si iste locus Religiosus, sacerque semper extitisset.

Refert præterea *Pontanus*, prædictum antrum magna ex parte à Rege *Alphonso* I. amplificatum fuisse, & nunc temporis illud satis stratum, & clarum videmus per spiracula quædam arte facta: In media hujus antri effossione 12 inventum fuit priscum marmor literis integris hanc continens inscriptionem:

OMNIPOTENTI DEO MITRÆ
APPIUS CLAUDIUS TARRONEUS
DEXTER V. C. DICAT.

Quantum vero attinet ad illum *Claudium*, cujus in hac Inscriptione fit mentio, me legisse recordor, Sanctum *Hieronymum* in quadam epistola sic scripsisse: *Ad Dexterum Prætorii* &c. ex quibus verbis *Dexterorum* familiam nobilem, celebremque fuisse satis constat: At verò barbarum verbum illud (*Mitra*) quod significat pileum, quo barbaræ utuntur gentes; *Solem* ipsum innuere existimo, quem *Persæ*, ut Deum, in Antris, Speluncisque sub crinita effi-

gie, Mitraque in Capite, adorabant: Eques igitur is, tarnseuns illud Antrum, atque *Solis* lumine indigens, meritò hoc Soli seu *Mithræ* sacravit marmor.

In egressu Antri parvulum, priscumque reperitur *Sacellum*, *Divæ Mariæ dell' Idrie* dicatum, cujus mentionem facit *Petrarcha*. Titulus hic (quantum comprehendere possum) *Mariæ* Virgini adaptatur propter castitatem, Domina enim pudicorum, castorumque est cordium, absque peccati macula existentium; Sacri enim Doctores hæc Evangelii Sancti verba explicantes (*Implete Hydrias aqua*) *Christum* secundum *Hebræorum* in convictu ritum locutum fuisse asserunt, qui potare consueverant tantum dulces illas aquas in vasibus purificatas. Jussit igitur ut juxta *Judeorum* purificationem *Hydriæ* implerentur: Virgini enim Matri cor purum, nitidum, & amaris purificatum lacrymis, effusis propter Deo factas offensas, placere potest. Idem *Petrarcha* narrat, quod exeuntibus ex Antro

Virgilii Sepulcrum.

prædicto, statim ac lumen conspicitur, *Virgilii* valdè vetustum cernatur sepulchrum, unde opinio illa magicæ effossionis Montis hujus Antri fortassis nata est.

Donatus quoque, duobus milliaribus ab Urbe *Neapolis* tanti *Poetæ* tumulum existere affirmat, locus vero ubi humatus est, *Patulco* vocatur, à quadam Dea tale gerente nomen, de qua sic cecinit *Pontanus*:

O bella Dea *Patulci*, io vò che prima
Sii meco à corre gli adorati fiori,
E che teco ne venga in compagnia
Antoniana à impirne i canistrelli.
13 Così le rose havran più odor soave
Insieme con quell'urna, ov'e riposta
L'ombra del saggio *Mantuan* Poëta.

Brundusii igitur obiit *Virgilius*, cujus ossa *Cæsaris Augusti* jussu *Neapolim* delata fuêre; atque tumulo ejusdem hi duo insculpti fuerunt *Latini* versus,

Mantua *me genuit*, Calabri *rapuere*, *tenet nunc*
Parthenope, *cecini pascua*, *rura*, *duces*.

Qui *Italè* ita sonant:

Mantua mi generò, mà i *Calabresi*.
Fur quei, che mi rubaro, hor mi ritiene
Partenope la dolce, ov' io cantai
Di paschi, e Villa, e degli invitti Duci.

Asserit *Servius*, *Virgilium*, annum agentem vigesimum octavum, *Neapoli Bucolica* pariter & *Georgica*, majoremque *Æneidum* partem composuisse; prout ipse testatur in fine Lib. IV. *Georgicorum* suorum ita canens:

Illo Virgilium *me tempore dulcis alebat*
Parthenope, *studiis florentem ignobilis oti*:
Carmina qui lusi pastorum; *audaxque juventâ*,
Tityre, *te patulæ cecini sub tegmine fagi*.

Id est,

Quando la dolce *Napoli* nudriva
A me *Virgilio*, all' hora che gli studi.
Fioriano in essa, giocondo cantai
Degli giovani audaci, e dè Pastori,
E di *Titere* sotto i fagi ameni.

Testamento jussit *Virgilius*, cineres suas ferri debere ad prædium suum, quod in *Patulci* regione possidebat, eratque mox extrà dictum Antrum. *Plinius* Junior in Epistolis suis refert, hoc Prædium emptum fuisse à *Silio Italico*, qui sæpè sacrum locum, ubi sepultus jacebat *Virgilius*, invisebat, perinde ac si sacram visitasset Ecclesiam, *Martialis* hoc confirmat testimonio suo; in quodam enim Epigrammate ita scribit Lib. XI. Epigr. XLIX.

A *Silius hæc magni celebrat monumenta* Maronis.
Jugera facundi qui Ciceronis *habet*.
Hæredem dominumque sui Tumulique Larisque
Non alium mallet, *nec* Maro, *nec Cicero*.

Id est,

Il monumento di quel gran *Marone*
Da *Silio* Poëta è riverito,
Nè meraviglia sia, possedendo egli
Dell' Eloquente *Ciceron* la Villa,
Poiche nè *Tullio*, nè *Virgilio* ancora
Altro herede, ò Patron desiderava
Il *Romano* Orator del suo podere,
B Del suo sepolcro il *Mantuan* Poëta.

Silius verò quum fuerit Poeta, & in *Latinis* carminibus suis imitator *Virgilii*, bona etiam quondam ejus possidere voluit, & quum Jurisconsultus quoque fuerit, *Tullium*que in causarum defensione imitatus, Villam quoque à *Tullio* 14
Puteolis possessam (ab ipso *Academiam* dictam ac ad instar illius *Athenarum* erectam,) habere cupivit.

Sepultus igitur fuit *Virgilius Neapoli*, non vero *Mantuæ*, licet enim ibi natus fuerit, *Neapolis* tamen cum fecit Poëtam; Otiosa insuper,
C doctaque *Neapolis* nobilem, præclarumque Poëtam constituit *Jovianum Pontanum*, *Sannazzarum*, *Gravinam*, *Statium* (qui ad priscos pertinet) aliosque quam plurimos: Præclara verò nuncupari solent loca ab excellentium singulariumque virorum tumulis; Sic *Hierusalem* à Sancto *Jesu Christi* sepulchro, *Mons Casius* in *Syria* à Tumulo *Pompeji*, *Sigeum* à celebri *Achillis* monumento, nostraque *Neapolitana* urbs à *Virgilii* tumulo celebratur. Insigni hoc loco perspecto, apricam, amœnamque illam videbis plagam à nobis *Chiaia* dictam, illam (inquam) maritimam oram, pictam tot virentibus
D pratis, fructiferisque hortis ornatam, quæ procul dubio omnibus aliis vel celeberrimis *Europæ* plagis minime cedunt; Magnifica & plurima hic adsunt ædificia; hic odoriferæ Citrorum, Aurantiorum malorum arbores, indeficienter suaves tot albis floribus odores spirantes, qualibetque hora inter aureos ramos florescentibus, mirandum quidem ibi opus, industriosè Myrtis parvulis, viridibusque Citrorum frondibus contextum, hic homines (quibus natura pacem, vitamque tranquillam largita est) humanis cupiditatibus finem imponentes, recreantur. In amœnissima hac plaga Sacellum extat quoddam, quod an-
E tiquitus separatum erat Præsepe, multisque ab hinc annis Antrum, dicatum *Serapidi Ægyptiorum* Deo, de quo plurima referunt eruditi, inter quos *Sannazzarus* ita cecinit:

Præsepe Antrum Serapidi sacrum.

Vicino al lito, detto *Platamonio*
Vi stà la sacra Grotte di *Serapide*.

Et licet Deus is in *Ægypto* coleretur, Templum habuit tamen & *Cajetæ*, priscisque temporibus à *Cajetanis* adoratus fuit, qui hodierno quoque die, locum quemdam Mari proximum, *Serapidem* vocant: Antiquum insuper Antrum, in Sacello existens, *Præsepe*, & Deo isti sa-
F crum se extitisse denotat. Ibi ad pulchrum Maris litus delitiosæ *Platamoniæ* speluncæ reperiuntur magno manuum artificio constructæ, ad communem voluptatem eorum, qui, in magnis Æstatis ardoribus ad sese refrigerandos, cò conveniunt: ibi frequentibus, sumptuosisque conviviis exhilarantur, gratoque (vestibus exuti) fruuntur aëre, ac desiderato Occidentali flatu, nudique inter claras undas natantes à ferventi calore sese substrahunt. Suavis locus iste *Græcè Platamion* dictus fuit, quod idem est, ac *Læ-*

tum

tum spumosarum turbati Maris undarum *receptaculum*; sed quia omne humanum ædificium
15 consumit vetustas, hodierno die ad bonum finem prorsus dirutum fuit; hominibus enim (qui Libertate nimia in graves incidere consuescunt errores) inhibitus est ingressus; *Ablata quippe peccandi occasione, tollitur & peccatum.* Sedet super *Platamonem* aprica, formosaque illa *Echia*, *Herculis* nomen adhuc retinens; *Hercules* quippe ex *Hispaniis* cum armento boum à *Gerione* ablato, rediens, ac in *Italiam* transeuns, post occisum *Cacum*, ad has nostras pervenit regiones, quapropter *Turris Græci*, à *Plinio*, pluribusque aliis Auctoribus *Herculaneum* nuncupatus olim est, quum ab ipso ædificata fuerit; & *Dionysius Halicarnassæus* dicit, quòd *Hercules* (decima spoliarum parte Diis sacrificata) Oppidum inter *Neapolim* & *Pompejos*, suo nomine, *Eracleum*, vel *Herculaneum* vocaverit; locus idem diebus etiam *Dionysii* à *Romanis* habitabatur, tum quia tutissimus omnibus temporibus esset Portus, tum quia ab *Italis* omnibus, uti Deus, coleretur, ita ut *Tiolum Romanæ* Urbem, sicut *Romæ Campaniam*, vocatam fuisse *Herculeum*, asserat *Strabo*, inde, quod ibi quolibet anno in *Herculis* honorem dies festus (ubi magna Populorum accurrebat copia,) celebrabatur.

Herculis in Italia cultus.

Pompeji verò (de quibus paulò ante diximus) amœnissima est Villa, sic vocata (juxta *Solinum*) à triumphali *pompa* boum ab *Hercule* ex *Hispaniis* abductorum. Vir itaque is ad *Echiam* perveniens, suosque ibi pascens boves, Loco pariter isti *Herculis* dedit nomen: de hoc mentionem facit *Pontanus* in lib. de *bello Neapolitano* sic fere scribens:

„Ex *Hispania* in *Italiam* transeuns *Hercules* „post occisum in *Latio Cacum*, terramque eam „ab ejusdem tyrannide liberatam, per litus Maris *Laborinæ Terræ*, insignium rerum suarum „*Puteolis* gestarum memoriam reliquit; multos *Græcos* socios ibi morari jussit, idonea illis tribuens habitacula, eorumque reliquos „*Neapolim* versus *Paleopolin* (hodierno quoque die *Hercola* nuncupatam) habitare „fecit.„ Per maris litora reliquiæ piscinæ *Luculli* apparent, quæ usque adhuc (*Locugliano*) vocantur, ejusque Palatium Promontorium erat *Echiæ* in mare procurrens; processu verò temporum à continente divisum fuit, ac à *Normannis* in fortalitium seu Castellum communitum; quod quum ad formam *Ovi* sit erectum, *Castellum Ovi* dicitur; Ibi ab Antiquis Urbs *Megara* ædificata fuit, sita (uti refert *Plinius*) inter *Pausilypum*, & *Neapolim*. De Magnificis autem *Luculli* ædificiis ab ipso ad mare erectis, de mirandisque ejus Piscinis, plura scribit *Plutarchus* in vita *Luculli*.

Castellum del Ovo.

In *Castello Ovi*, *Salvatoris* existit Sacellum, locus idcircò is antiquitus *Sancti Salvato-*
16 *ris Insula* nuncupatus fuit: estque è regione *Pizzofalcone*, cum sit altus, & eminens situs, *Falco* quippe altissime tendit volatum suum, eminentesque construit nidos.

Hoc *Ovi Castellum* præteritis temporibus ab *Hispanis* captum fuit suffossionibus subterraneis à *Petro Navarra*, primo talis artis bellicæ inventore, atque à *Pizzo Falcone* tormentorum bellicorum ictibus dirutum, *Gallis* omnibus in præsidio commorantibus interemptis, aut captis.

Supra *Chiaiam*, in monte possessiones inveniuntur Monachorum *Sancti Severini*, *Belvedere* vocatæ, propter immensum, quod inde cernitur Fretum; hoc equidem nomen melius Ec-

A clesiæ *Sancti Salvatoris* competeret, ubi de facto habitant Patres *Camaldulenses* à *Sancto Romualdo* instituti, ibi enim per Montis eminentiam super *Puteolos* existentis, è longinquo Ager omnis *Laborinus*, Mareque usque in *Siciliam* conspicitur; formosus iste aspectus (ut asserit *Livius*) illum Promontorii *Carthaginis* antecellit. Ulterius autem in Collis altitudine consistit Venerabile *Sancti Martini Templum*, ubi *Carthusiani* Monachi Deo inserviunt: Traxerunt ii Monachi originem à Canonico quodam Ecclesiæ *Remensis Parisiorum*, *Brunone* vocato, qui mundum deserens, & ad *Eremum* trans-

B euns *Carnesium* dictum, hoc in loco Monasterio erecto, modum vivendi valdè solitarium instituit, qui, ut Sanctus *Bernardus* dixit, austeritate vitæ, ac pœnitentia (licet non vetustate) omnes alios Ordine præcedit.

Monasterium Carnesium.

Hoc præterito Monasterio, Templum sese manifestat Sancti *Erasmi*, ubi *Pausilypus* nomen amittit, illudque hujus Sancti accipit, à *Pontano* autem *Mons Hermi* vocatur, à nobis *Sant' Hermo*, ab Antiquis verò, *Mons Trifolinus*, quia in ipso magna copia herbæ *Trifolium* dictæ, producitur. Mons iste partem *Pausily-*

Ecclesia S. Erasmi.

C *pum* versus, auræ tam temperatæ est & amœnæ, ut reconvalescentes ex recentibus adhuc morbis, locum huncaccedentes, ibique tam maris amæna respiratione, quam tot variorum, pulchriorumque florum, & fructuum suavitate, quam cum odore gratissimo arbores ridentium hortorum spirant, brevi tempore omnibus morbi reliquiis fugatis, optima fruantur valetudine.

Hoc in Monte Rex *Carolus Secundus* Castellum construxit, quod *Neapolim* ab omni parte ab hostibus defenderet, ab aliis Regibus vero quum neglectus is locus fuisset, diebus nostris, obsessa urbe à *Lotrecho*, cum formida-

D bili *Francorum* exercitu, strenuiores ibidem milites locari mandavit Consilium Urbis, ne videlicet ab illo eminenti loco novum dirui posset Castellum, atque ipsa Urbs *Neapolis* cogeretur ad faciendam deditionem. *Carolus* idcirco *Quintus*, Imperator, anno MDXXXV. *Neapolim* ingrediens, ac futura belli pericula ex conjecturis prævidens (quæ sæpè gravia, ac molesta in momento temporis evadunt) ut vetus 17
demoliretur ibi Castellum, novumque erigeretur, jussit, cuniculis illis bellicis (ut nunc cernitur) munitum, caveisque militaribus fortissimisque mœniis, ad hostium impetus coërcen-

E dos necessariis; multas pariter vias in viciniis ejus complanari curavit, ut obsidione forte orta, equorum cursus tutus ac expeditior fieret, Novumque Castellum defenderetur inde potius, quam oppugnaretur.

Nova Neapolis Munimenta.

Ad radices, appendicesque Collis Prædium quoddam existit Monachorum *Sancti Severini*, *Olympianum* dictum: Ubi festa quædam in *Jovis Olympii* honorem, ad instar priscorum *Olympicorum* ludorum celebrata fuisse puto. Mons deinde reperitur, *Antonianus* nuncupatus, à quadam tale nomen gerente *Nympha*,

F à quibusdam Poëtis celebrata; ac à Nostratibus *Antignano* vocatur, quum è regione *Agnani* Lacus existat. Me per *Forum-Julii* iter faciente, Villam ibi similiter *Antonianam* vocatam vidisse recordor, ipsamque à *Marco Antonio Romano* constructam fuisse ab incolis loci percepi, nominaturque & ipsa ab iisdem *Antognan*.

Ad extremam Montis partem quidam invenitur locus *la Concocchia* dictus, (à *Pontano Conichi* apellatur) ubi sita est Ecclesia *Sancti Januarii*, unde iter est ad aliud Montis Promonto-

rium, quod nos *Capo di Chio*, hoc est *ascensus initium* vocamus. Descendendo dein ad amœnissimam planitiem patet via, in qua frigidæ scaturiunt aquæ, ubi Villa Regia sita est; Antiqui ibi *Neapolis* Reges animi relaxandi gratia morari consueverant, præsertim æstivis diebus, temporibusque ideo illis plura ibi habitacula, multique deliciosi constructi sunt horti, ædificia *Romana* (arte quam maxima) aliorumque celebrium *Europæ* locorum depicta ibi fuêre, sententia enim Architectorum communi *Regium* illud *Palatium* inter miranda antiquorum ædificia numerari absque dubio potest. In exteriori murorum parte pictura artificiosa apparet, bellum *Baronum*, gestum contra *Ferdinandum* Primum, *Arrogoniæ* Regem, repræsentans. Non valde procul reperiuntur Aquæductus Aquarum, sex à *Neapoli* milliaribus fluentium, prope pulchrum & locuples Monachorum *Sancti Severini* prædium *la Pretiosa* nuncupatum; locus ibi est, ex quo guttatim cadit aqua, quæ passim in tantam augetur copiam, ut quodam in loco, prope *Salicem* tale aquæ incrementum vocetur *il Doglivolo*, ac si diceres, *doleum aqua plenum*, atque ab eximia ejus copia, quæ propter frequentes bullas bulliendo impetum facere videtur; ebulliens hic aquæ impetus *la Bolla* vocatur; quum per veram *Aristotelis* sententiam, à frequentissimis aquarum guttis flumina augeri constet. Et quoniam in hoc Aquæductu plura sunt canalia, per quæ limpida ex loco eo venit aqua, quæ à cadentibus

Aqua la Bolla dicta.

18 guttis *le Fontanelle* vocatur, atque ab eorumdem canalium formis *Aquæductus Formale*, & à *Pontano Formelle* nuncupantur, inde per quadratas Civitatis vias ad communem incolarum commodum discurrit aqua: considerandum vero nobis est, priscis temporibus ex alio latere aquam *Neapolim* accessisse; quoniam ditissimi ii *Romani* in *Pausilypo* commorantes, atque in amœnis *Montis Sommæ* appendicibus, magnifica, *Romana*que vere construere assueti ædificia, aquas fluminis à *Sancto Serino* ad *Atripaldam* fluentes, inter se diviserunt, easque *Neapolim* & dein *Puteolos* per Aquæductum pervenire coëgerunt.

In dicto *Sancti Serini* Territorio immensa reperitur aquæ copia, *l'Aquaro* dicta, quæ quondam ibi formabat Piscinam quandam qua servabatur aqua, quæ per porticulum ad villam pergebat, (nunc vocatur *la Contrada*), ac inde ad quasdam speluncas, & antra (ab incolis *Virgilii* antra nuncupata), ubi sita est *la Serra del Mortellito*, undè per eumdem Aquæductum, excisum in petra, aqua ad planitiem *Forini* percurrebat, indèque ad alios *Montorii* Territorii Aquæductus, hinc posteà per Territorium *Sancti Severini* usque ad *Serram Paterni* in monte super *Sarnum*, ubi adhuc cum admiratione magna cernitur maximum incredibili labore perforatum saxum, ex quo per eumdem Aquæductum ex lateribus constructum, aqua per priscam *Sarni* urbem (quæ erat juxta montem) usque ad Turrim, quæ est ad fauces fluminis, per antiquos currens Aquæductus, qui hodie elevati conspiciuntur in via *Parmam* ducente, ac indè ad *Parmæ* planitiem (in qua Regius exstitit *Catadromus*) *Sommam* usque permeabat; deindè ad *Afragolam*, ubi se in locum, *Cantarelli* nuncupatum ingurgitabat; *Cantarelli* vero quædam erant vasa juxta se invicem constructa, atque de loco in locum disposita ordine suo usque ad aliquem Aquæductum, qui hodierna die è regione montis S. *Anelli* dirutus cernitur; à Porta dein Regia, & per

Aquæductus Antiqui.

appendices montis Sancti *Martini* fluebat usque ad celebrem illam speluncam perviam, *Puteolos* ferentem: videntur etiam nunc supra speluncam istam integri Aquæductus; indeque aqua eadem in duas partes divisa, altera ad *Balneolas*, altera *Puteolos* tendebat. Admiror summopere de tanto, mirabilique Aquæductu nullam à scriptoribus factam fuisse mentionem, æque ùt de alio pulcherrimo pariter Aquæductu in Gallia in *Urbe Nemausensi*, Patria *Antonini Pii* Imperatoris existente: si enim is (per duodecim tantum se extendens milliaria) tanta dignus fuit admiratione, quantam non *Neapolitanus* ille Aquæductus, quinquaginta (à *Serino* nempe usque *Puteolos*) sese distendens milliaribus, meretur? Et licet tot annorum cursu occultus remanserit, industria tamen, ingenioque perspicacis civis nostri *Petri Antonii* de *Lettieris*, 19
D. *Petri* à *Toledo* jussu, de loco in locum innotuit; celebrisque factus est idem civis, quasi novus *Romanus Martius*, qui quum ædilis esset, per longum Aquæductum aquas *Lacus Martii* (hodie Lacus *Celani*) *Romam* usque fluere quondam fecit; à *Romanis* vero *Aqua Martia* à conductore suo *Martio* nuncupata fuit. Ratio quæ movit Antiquos ad tantum fabricandum Aquæductum super urbis eminentissimum locum (antiquitus infra *Appenninum* haud habitatum) aquarum fuit penuria, nam hodierno quoque die aliis in *Neapolis* locis non abundat aqua. Propter causam hanc, & propter commune commodum, Vice-Regis ipsam rursus indagari curavit, quod opus deinde tanto vigore minime fuit continuatum: de hoc celebri Aquæductu sic scribit *Pontanus*: „de „Antiquo hujus Urbis splendore, præter altissima mœnia, insigne testimonium est flumen per vivum saxum (in quo tota prisca „Urbs fundata erat) manu hominum intus effossum; unde infiniti exeunt Aquæductus, „varios puteos, fontesque aquarum saluberrimarum formantes.

Petrus Antonius de Lettieris.

Antiquus Aquæductus.

Hisce verbis quidam de *Formali* cum locutum fuisse putant, alii de Aquæductu intelligunt, quem celebratum illum *Sebetum* Fluvium extitisse dicunt, originem suam à quodam loco *Sabato* vocato trahentem: sententia hæc falsa videtur; vox enim *Sabatum* quamdam habet similitudine cum *Latina Samneum*, & non *Sebetum*: clarissime enim id constat per antiquum lapidem in porta Urbis, loco, ubi forum rerum est venalium, tempore, quando ædificati fuerunt muri, inventum hanc brevem continentem inscriptionem:

MEVIUS EUTYCUS ÆDICULAM
RESTITUIT SEBETO.

Propter vicinitatem idcirco loci, ubi inventus fuit lapis is, sicuti propter priscum *Magdalenæ* Sacellum; (quod *Ædiculam* illam fuisse puto) *Sebetum* esse *Flumen Pontis Magdalenæ* assero, *Sannazzari* etiam inductus testimonio sic scribentis:

Sebetus Antiquus.

Il bel *Sebeto* accolto in picciol fluvio.

Et quamvis *Boccacius* in libro, in quo omnia mundi flumina describit, dubitare videatur, an *Pons Magdalenæ Sebetum* sit; dicens, parvulam ejus nunc gloriam & exiguas reliquias antiquam suam diminuere Famam; ipsi respondeo, fluvium pariter *Timavum* in confiniis *Aquilejæ* in *Foro-Julii*, magna ex parte famæ suæ haud respondere, ut & alios, de quibus *Virgilius*, pluresque scripserunt alii, qui hodierno die,

die non ea; quam scriptores Antiqui illis dederunt magnitudine existunt: hoc probari facile potest; priscis quippe temporibus per hunc Aquæductum *Belisarius*, *Justiniani* Imperatoris Dux, *Neapolim* obsedit, cepit, *Gothosque* expulit; de quo mentionem facit *Procopius*,
20 de bello agens *Gothorum*, dicens; *Belisarium Neapolim* occupasse per locum illum, ubi stetit saxum perforatum penes mœnia Urbis: saxum illud puto fuisse locum ex quo petræ in via *delle Gradelle* extrahuntur, uti antiquorum murorum, super quos *Sancti Anelli* Ecclesia erecta est. Per eumdem Aquæductum Rex *Alphonsus Primus Arragonensis*, *Neapolis* pariter cepit urbem; ex quibus manifestum est mœnia hæc, Urbemque adeo valida extitisse, ut per aliam haud capi potuerint viam, quam per Aquæductum, qui tunc temporis satis amplus esse debuit; stupiditas ex hoc cognosci potuit obsessorum, qui quemlibet, licet minimum, locum, per quem à sagacibus inimicis Urbs capi posset, ut talem, considerare & munire debuerant. Temporibus vero nostris imprudens ille *Lotrechus*, ut *Neapolim* subjugaret, Aquæductus cursum seduxit, haud percipiens, quod aqua extra Urbem fluens, ac ingurgitata in lacus ibique se extendens, pessimam evaporaret auram, qua & obsidentes omnes, ægroti facti & plerique mortem experti sunt, obsessi vero incolumes evaserunt.

Neapolis ubi à Belisario capta, ut & ab Alphonso.

Lotrechi imperitia.

Ecclesia S. Joannis à Teducchio.

Præter *Sebetum* Vicus existit, in quo est Ecclesia *Sancti Joannis* à *Teducchio*. Hoc nomen à prisca quadam *Romanorum* familia *Teduchia* vocata, in his pulchris Agris olim commorante, locus iste retinuit, ut apparet ex antiquo lapide, Villam prope *Poggio Reale* pastinando, reperto, hæc continente verba.

GENIO CÆSARUM DIOGNETUS
VILLICUS FECIT.

Id est, Rusticus laborator hunc locum consecravit *Genio* Augustorum Cæsarum, id est, eorundem voluptati: Quapropter amœnam hanc regionem, domicilium, delectamentumque non tantum *Romanorum* Civium, sed & Imperatorum fuisse, apparet.

Villa Q. Pontii Aquilæ.

Villa ibi insuper erat *Quinti Pontii Aquilæ Romani* Civis, ut refert *Marcus Tullius* in Epistola ad *Atticum*; is locus hodie vocatur (*Portici*) quasi *Pontis*.

Villa Polveca.

Villa pariter ibi existebat *Polveca*, & *Cambruna* vocata, à pulveribus, ut puto incendii montis *Vesuvii*, in hoc loco existentibus.

Hæc usque adhuc de amœnissimo Agro *Neapolitano* diximus; de nobilibus vero vetustisque ejus Urbis Ædificiis tractandum nobis remanet, & primo

DE NEAPOLIS ANTIQUITATE.

Nostra formosa, nobilis, Regiaque Urbs, intra *Misenum* & *Promontorium Massæ* sita est, in illo tranquillo maris sinu, quem *Strabo* vocat *Cratera*; quia figura sua *Crateræ* instar est: variis ista Insulis, amœnisque collibus ad modum *Amphitheatri* coronatur, ubi claræ, spumosæque murmurantes undæ suaviter litus allidunt. A prudentibus exstructa Architectis sub pulchro *Pausilypo* sita est Colle, ut à susur-
21 rantibus, frigidissimisque Borealibus ventis defenderetur; triangulari fere forma, lati circuitus, pulchra, & temperata Cœli parte gaudens, Ædificata fuit à *Chalcidensibus*, antiquis *Nigriponti* incolis, super Collem, ubi Sancti *Anelli*

A Templum situm est, atque extat matronarum monialium Monasterium *Divæ Patritiæ* sacrum, ubi hodierno etiam die miranda, ac prisca Antiquæ *Parthenopis* mœnia cernuntur, à nostratibus locus iste vocatur *la Montagna*; ubi Sedes Nobilitatis (*il Seggio*) existit, antiquum *Collis* nomen retinet, ut & ubi sepulta fuit *Siren Parthenope*, à qua ipsa Urbs nomen suum accepit juxta *Plinium*, & *Solinum*; licet *Eustathius* (*Homeri* interpres;) scribat, Urbem *Parthenopem* à muliere quadam vera, & non fabulosa vocatam fuisse *Parthenopem*, cui consentit
B *Pontanus* dicens; fœminam quandam, *Parthenopem* dictam, eamdem antiquam Collis partem è *Surrenti* regione, imperio tenuisse; ego vero *Plinio* adhæreo, asserenti, à *Sirene Parthenope* denominari; cujus sepulchrum vidisse se affirmat *Strabo*. Dico autem, *Parthenopem* fuisse *Palæopolim*, id est, antiquam *Neapolim* in Colle sitam, quem nos *la Montagna* vocamus, à mari CCCC. circiter passus distantem, ut *Pontanus* dicit; Namque suavi, delitiarumque repleto loco (ubi prisca exstabat Urbs) ex variis locis propter commodum receptaculum, tutumque Navium Portum navi-
C gis advectæ multæ appulerunt gentes, paulatimque Urbem adeo auxerunt, ut processu temporis, quum parva Urbs antiqua eas capere haud amplius valeret, novam ædificaverint, quam nuncuparunt *Neapolim*, id est *Novam* Urbem: Itaque Urbes exstitêre duæ, populus unus, & ut refert *Livius*, haud procul invicem erant; tres habebant vias hæ duæ Urbes; prima illa erat, quæ nuncupatur (*Somma Piazza*,) in qua Puteus exstat marmoris albi, magicis quibusdam imaginibus (uti imperita putat plebs) à *Virgilio* insculptus. Altera via est
D illa, quæ dicitur *del Seggio di Capuana*, in eam desinens partem, ubi Ecclesia est *Magdalenæ* prope *Sanctam Mariam* à *Cancello*; ibi conspiciuntur muri ex lateribus, & mixtione quadam calcis confecti, qualem calcem hodierni nostri structores componere minime valent. Tertia via erat, quæ dicitur *della Vicaria Vecchia*, ad *Appenninum* deficiens, ubi *Porta* existebat *Nolana*, ibique nunc etiam antiquus reperitur Arcus.

Palæopolis & Neapolis.

Viæ variæ inter duas illas Urbes.

Porta alia erat ubi Templum existit *Sancti Angeli à Nido*, nuncupatur vero *Porta Ventosa*, propter ventos maris, tempore certo Urbem ibi
E inundantis ad vallem quamdam, dividentem *Palæopolim* à *Neapoli*; Hæc erat tota superior montis pars, sese usque ad *Appennini* portam, ubi *Sancti Augustini* Templum existit, exten- 22
dens. Per amœnitatem deinde Territorii, perque alias novas gentes crevit Urbs ipsa, ac ædificata fuit pars etiam inferior *Appennini*, quasi nova alia Urbs, cujus porta erat Ecclesiæ *Divi Eligii* Arcus; Ecclesiastici quapropter ad cadavera humanda vocati, laboriosi itineris ergo extra Urbem, largiter remunerabantur, mosque hic usque in diem præsentem perdurat. Rex tandem *Carolus Primus* Forum rerum vena-
F lium usque ad Arcum ædificavit; Arcus enim (ut dictum est) erat Porta, eo loco, quo nunc fons reperitur. Rex deinde *Alphonsus Secundus* recentia Urbis mænia erexit, ubi nova porta est Fori rerum venalium: Quum vero ipse pubescerem, plurimas erigi vidi domos ad *Cotonem* seu *Molem parvam*: magnifica quoque alia ædificia longissima Suburbia auxerunt; quibus non solum magnæ Urbis novæ nomen adepta erat, sed etiam, quia variis temporibus *Græci*, *Gothi*, *Germani*, *Galli*, aliæque nationes, sed & ultimo loco *Hispani* dominati in eadem fuerunt,

ita

ita semper & nunc est, & manebit nova, tum habitaculis, tum hominibus, moribus, vestitu, opinionibus, consuetudinibus, omnibusque aliis rebus, & quantum varietate suam auget pulchritudinem, tantum (invita ipsa) pejorem experietur sortem suam. Scribit *Livius* mœnia *Neapolis* adeo magna, ac inaccessibilia fuisse, ut ab urbis expugnatione coërcuerint *Annibalem Carthaginensem*: *Annibal* enim Civitate aliqua maritima potiri cupiens, *Neapolim* accessit, sed visis mœniis ejus tam expugnatu difficilibus, ipsam aggredi veritus est, iterque suum direxit *Capuam* versus, abundantem, divitem, longaque felicitate, ac benignitate Fortunæ mollem: Hujus Urbis *Neapolis* mœnia quum à Rege *Conrado*, *Frederici* Imperatoris filio, diruta fuissent, paulò post insequuta illius morte, ab *Innocentio Quarto* restaurata fuêre.

DE URBIS ECCLESIIS.

Ecclesia *B. Virginis Montis Carmeli.*

In Fori, seu Emporii Porta sita est *Mariæ* à *Monte Carmelo* Ecclesia, ab *Arragoniæ* Regibus erecta; claram, nobilemque traxit originem ab *Elia*, ac *Eliseo* Prophetis, rustico, varioque se habitu vestientibus. Hi postea à pluribus Sanctis Heremitis imitati fuêre, *Græcè* vocatis *Anachoretis*, hoc est, *homines solitarii*; sacra peragebant ii in quodam prisco templo Virginis Matris, in eodem *Monte Carmelo* ædificato, unde ortum traxêre *Monachi Carmelitæ*, ordinati in vitam Monasticam ab *Alexandro* III, ut scribit
23 *Marcus Antonius Sabellicus*; *Sanctique Basilii* institutis, præceptisque religiose viventes.

Hi, elapsis aliquot annis (anno MD. scilicet) adeo pauperes erant, ut communi consensu inde egredi, aliisque in locis vitam agere decreverint. Pia tamen Virgo nunquam deseruit servos suos, divina quippe inspiratione ejus sacra imago processionaliter lata, ægrotos quam plures, eam inspicientes ab incurabilibus sanabat infirmitatibus: Quapropter divulgatâ super hæc Famâ, ex omni Regni parte cum muneribus, ac precibus accurrebant Populi, quidquid cupiebant obtinentes; dona idcirco adeo aucta fuerunt, ut magno ibidem vivant nunc numero, magnisque in opibus, ita ut abundantes religioso otio de exitu jam amplius nihil cogitent. Aspero, instar Prophetarum *Eliæ*, ac *Elisei*, induuntur panno, super alias vestes albam ferunt togam, qui purus color *Virgini Matri* convenit.

Penes novam *Portam Nolanam* locus quidam existit, quem accessit Sanctus Apostolus *Petrus*, quando ex *Antiochia Romam* proficiscebatur, ibique panem & vinum *Deo* obtulit, super Altàre Missam celebrans: idcirco hodierno etiam die vocatur locus iste S. *Pietro ad Aram.* Convertit ibi ipse ad *Christi* fidem *Aspremum Neapolitanum* civem, exemplo morum, vitæque sanctitate insignem, eumdemque *Neapolis* Episcopum creavit, conversa etiam ab ipsomet *Apostolo* fuit castissima Vidua *Candida*, primique ii fuere *Christiani* à Sancto *Petro* ibi instituti.

Annunciata Templum.

Non procul hinc *Annunciatæ* reperitur Templum; locus hic erat olim solitarius, multisque maleficiis pollutus, vocabatur hac de causa *il mal pazzo*, monitu autem *Virginis Matris* Nobilis quidam *Neapolitanus*, *Sconditæ* prosapiæ, Ecclesiam cum Hospitali erigi curavit, ubi ex Dei amore recreantur infirmi; Regina dein *Joanna Secunda* eam annuis reditibus locupletavit, multique alii illustres viri eandem muneribus adeo cumularunt, ut hominum sanorum numerum infinitum, ægrotorumque alat, æquetque caritatis operibus quodcumque celebre *Christianitatis* Hospitale.

Sacellum S. *Catharinæ.*

Ad *Capuanam Portam*, priscum, parvulumque cernitur *Sanctæ Catharinæ* Sacellum, cum paucis, vetustisque habitaculis, in quibus quatuor Ordinis *Prædicatorum* Fratres eleëmosinis viventes morabantur: Ex his unus Frater *Bartholomæus* multum venerabatur, vir sanctis moribus, olim *Alphonsi* Primi Regis *Arragoniæ* Eleëmosinarius, is, tempore, quo Prædicatores cæteri concionando, Sacra Evangelii Sancti verba, Philosophorum, Poëtarumque dictis adulterabant, magna utilitate *Sancti Pauli* Epistolas Populo absque clamore, exclamationeque declarabat; Sermone 24
autem devoto *Neapolitani* (tamquam homines vere *Jesu Christo* dicati) commoti fuêre ad copiosas Sancto viro eleëmosinas mittendas; Comes idcirco de *Cariatis*, Magnificusque *Laurentius* ex *Palmeriis*, propriis sumptibus pulchrum ibi construxerunt Monasterium, deinde alii in dies Ecclesiam incredibilis expensæ ædificarunt, ut nunc videri potest, ubi plurimi aluntur Fratres *Dominicani Observantiæ Lombardiæ*.

in Magnificam Ecclesiam commutatum.

Ecclesia S. *Joannis à Carbonara.*

Ulterius sita est *Sancti Joannis* à *Carbonara* Regia Ecclesia, quæ cum olim parvum fuisset Sacellum, à devoto quodam Ordinis Sancti *Augustini* Fratre natione *Gallo*, temporibus *Arragoniæ* Regum ampliata fuit, processuque temporis, magnificentior reddita est à *Ladislao Neapolis* Rege, cujus corpus in eminenti marmoreo tumulo humatum ibidem jacet.

Card. *Seripandi* tumulus.

In altero quoque Sacello corpus quiescit *Antonii Seripandi*, olim Cardinalis *Arragoniæ* Secretarius; is gratitudinem suam post mortem etiam ostendens, voluit, ut ad utraque marmorei sui tumuli latera *Puccii* ejus Præceptoris, atque *Joannis Parrhasii*, viri doctissimi, studiorumque suorum socii, sepulchra existerent: quæ res vere laudibilis est tantoque digna viro. In spatiosâ, latâque hujus Ecclesiæ platea, *Neapolitana* Juventus exercitia frequentabat Armorum quibus secum invicem ad mortem usque dimicabant, Ludorum instar, quæ *Romæ* dicebantur gladiatorii, in quibus quum occisus fuisset pulcherrimus quidem adolescens ad pedes *Petrarchæ*, qui quoque visendi ergo accurrerat, in quadam epistola sua ad *Joannem Columnam* missâ, exaggeratione magna ostendit, digne meritò locum eum *Carbonaram*, propter humani sanguinis effusionem, nuncupatum fuisse; hic fere est verborum ejus sensus: „Infamis ille in hastiludio pugnandi mos celebratur in urbe *Neapolis*, feritate plus quam barbara, ubi instar „brutorum sanguis effunditur humanus, imò „sæpe accidit, ut dum stultorum circumstantium acies lætatur, in oculis infelicium „genitorum occisi cernantur afflicti filii; gladiumque in guttur mora aliqua recipere, dedecus reputatur magnum, ac si amore patriæ, „vel spe vitæ æternæ certaretur. Ipse talia ignorans, deductus fui ad locum prope Urbem, „*Carbonara* vocatum, vocabulo quidem loco isti condigno, quoniam ibi tamquam in Officina Fabrorum, rubentes naturali sanguinis „colore, invicem dimicantes ad incudem mortis, ut *carbones* nigrescunt. Adstabant ibi Regina, & *Andreas* Infans, Regni successor, „cum omni *Neapolitana* Nobilitate, (quæ à „nulla alia, nec ornatu, nec apparatibus superatur) populusque omnis mutua æmulatione 25
„illuc accurrebat: Ego cogitabundus, & anceps „propter tam magnam populi copiam, totque „illustrium virorum curiositatem, accessi, ali-

„quid

Ludi Gladiatorii nefandi Neapoli celebrati.

„ quid visu & contemplatione dignum me visu„rum existimans; subitaneum en percepi cla„morem, sese ad Cœlum usque extollentem, „ac si aliquis lætus successisset eventus, qua„propter circumcirca respiciens, formosum ado„lescentem, gladio transfixum, ante pedes „meos, vita privatum, intuitus sum; ego pal„lidus, ac tremens indigno isto viso facinore, „æquo meo calcaribus percito discessi, ne cru„dele, infernaleque illud viderem spectacu„lum, socios qui me ibi duxerant crudelitatem„que circumstantium multum increpans: & li„cet *Virgilius* unicam *Neapolim dulcem* inter „alias vocet, injuste nihilominus titulum istum „possidet, quum à tam inhumano corrupta sit „more, hominem enim innocentem ludi gra„tia occidit, Eia (dixi) fuge crudelem Ur„bem, fuge litus avarum.

Ex quibus facile constare potest, quare locus is nuncupatus sit *Carbonara.* Quæ inhumana, detestabilisque pugnandi consuetudo (Deo tamen favente) non multo post eventum hunc, cessavit, & ad meliorem frugem conversi *Neapolitani* eodem in loco Templum erexerunt, vocaruntque *Maria della Pietà*, ad discrimen crudelitatis ibi prius exercitæ.

S. Maria Pietatis.

Extra Portam *Sancti Joannis* à *Carbonara* Ecclesia extat *Sanctæ Mariæ Virginitatis*; ibi festum celebratur die conceptionis ejusdem; morantur ibi Monachi ab *Anacleto* Pontifice Summo S. *Apostoli Petri* discipulo, tertioque ab illo Pontifice, instituti. Dormiente eo, Angelus crucem ei ostendens apparuit, eumque monuit, ut Hospitale erigeret ad devotos recipiendos peregrinos, ex remotis regionibus *Romam* accedentes; Quod illico à Pontifice executioni mandatum fuit, Hospitale erigi curante, in quo Monachorum Ordinem instituit; jussit insuper Pontifex iste ut ii Monachi Crucem in manu, cœruleasque vestes gestarent, vocarenturque *Cruciferi Cœlestini*, propter *Cœleste* sibi factum nuncium, & licet ii primi exstiterint Monachi, ultimi tamen approbati fuère, Papæ scilicet *Innocentii* temporibus, anno MCCXV.

Ecclesia *S. Mariæ Virginitatis.*

In sede *Capuanæ*, Archiepiscopalis est Ecclesia à Rege *Carolo Primo* ædificata, cujus corpus in suggestu quodam ibi humatum est, ac sub Ara Majori Sacellum Sancti *Januarii*, jussu *Olivierii* Cardinalis *Caraffæ* candidis constructum marmoribus cernitur. Licet hodie hujus Sancti Caput cum ejus sanguine una cum aliis Sanctorum Urbis hujus Protectorum, aliisque reliquiis honorifice in pulchro alio, devotoque asserventur Sacello, ab uxore Ducis *Albæ* erecto, quod Sacellum vocatur *Thesaurus.*

Ecclesia Archiepiscopalis.

Parocchiales Ecclesiæ.

26 Quatuor præcipuæ *Parochiæ* ab hac dependent Archiepiscopali Ecclesia; Illæ scilicet *Sancti Georgii ad Forum*, *Sanctæ Mariæ Majoris*, *Sanctæ Mariæ Portæ Novæ*, & *Sancti Joannis Majoris:* Omnes hæ à *Constantino* Imperatore ædificatæ fuère; ex quibus majori Urbis commodo aliæ dependent viginti quatuor Parochiæ, *Granciæ* dictæ. In interiori hujus Ecclesiæ parte Magnum erectum est Sacellum, Sanctæ *Restitutæ* Virgini dicatum, sancte vixit ista *Constantini* Imperatoris temporibus, in eodem sacra Canonicorum societas consuetas sacras ad honorem Dei canit horas. Ibi devota B. Virginis imago, prisca, eximiique pictoris arte depicta cernitur, *Santa Maria del Principio* nuncupata, opusque Sancti *Lucæ* Evangelistæ esse putatur. Ibi *Campanam* pulsare solent, ad cujus sonitum congregantur Canonici, quando advocantur, ut cadaver aliquod ad tumulum deducant; *Campana* hæc vocatur à nobis voce Græca *lo Chio* id est, *flebilis*, & *dolens sonitus.*

Ecclesia Dominæ *S. Mariæ Reginæ.*

Ante annos aliquot *Maria*, *Hungariæ* Regis filia, curavit erigi Templum, dictum *Sancta Maria Donna Regina*, ibique in tumulo marmoreo cum septem filiis suis sepulta jacet: Virgines ibi in claustro vivunt, quibus Regina dono dedit *Carinolam.*

Ecclesia *S. Mariæ d'Agnone.*

Tempore eo ingens *Neapoli* apparuit serpens omnes sese aspicientes interimens; quum autem Virginis Matris auxilio extinctus esset, tanti beneficii memores *Neapolitani*, Ecclesiam in honorem Virginis erexerunt, nomine ei addito *Serpentis*; qui quum Latine dicatur *Anguis*, nuncupata fuit eadem Ecclesia *Santa Maria d'Agnone*, quasi *Angueone*; eodem modo quo Antiqui *Apollinem* vocarunt *Pythium* à Serpente ab ipso interfecto.

S. Patricia.

Mulier pariter nomine *Patricia*, Imperatoris *Constantini* neptis, Monasterium una cum Templo ædificavit, ubi vetusta *Palæopolis* mœnia inveniuntur, quod nomine illius retento, vocatur *Sanctæ Patriciæ* Templum. Hoc in loco à Matrona quadam *Longa* dicta, duo magna instituta fuère Hospitalia, virorum alterum, mulierumque alterum, in quibus ab incurabilibus morbis detenti, manerent, & curarentur; Ecclesia quoque penes ea erecta fuit, nomine S. *Mariæ* à *Populo*, instar illius *Romæ*, qui Christianitatis verus est effectus, Dominus enim noster *Jesus Christus*, nobis curam pauperum commendavit.

A Populo.

Capella di *Grassis.*

Non procul hinc antiquum existebat Sacellum *la Capella de Grassis*, vocatum, & quia *Virgo Maria* inter omnia sua nomina, præcipuum habet illud *gratiarum*, *Neapolitani* idcirco divinis moti affectibus pulcherrimam ibi ædificarunt Ecclesiam, in ejusdem Virginis honorem, & loco *de Grassis* eidem tribuerunt ti- 27
tulum *Santa Maria delle Gratie*, quas nos quotidie à benignissima illa Matre accipimus: Sacrificant ibi Deo Diui *Hieronymi* Fratres; Vestitus horum est instar Sancti *Marci* Evangelistæ discipulorum Fratrum, & ipsi diu in deserto, aliisque solitariis locis vitam duxerunt Heremiticam, more divi *Hieronymi*; Qui eos primus congregavit, & ad vitam communem reduxit, fuit *Petrus Gambacorta*, ex præcipua *Pisæ* Nobilitate, idem qui Ecclesiam cum Monasterio erexit, in *Montebello* sex ab *Urbino* milliaribus.

S. Cœlestinus.

Anno autem nostræ salutis MCCCCLVI. fuit quidam sanctæ vitæ Heremita, Frater *Petrus* à *Sulmona* vocatus, qui per aliquod tempus in Solitariis illis *Murronis* locis, asprisque, ac nebulosis illis Montis *Majellæ* appendicibus, duobus milliaribus à *Sulmona* habitavit, ipse autem propter vitæ sanctitatem, Papa creatus fuit, nomineque mutato, *Cœlestinus Quintus* vocatus: diebus vero octo tantum supra quinque menses in ista moratus est dignitate: valedicens enim honoribus, ad *Majellæ* Montem in Heremum reversus est suum. Scripsit is *Decretalia*, in quibus Papam Papatui renunciare posse asserit. Ordinem instituit *Monachorum Cœlestinorum*, qui devote Deo serviunt in Ecclesia Sancti *Petri Majellæ*, à quodam nobili *Neapolitano* (*Pipino* dicto) structa, cujus tumulus ante tribunal ejusdem Ecclesiæ elevatus apparet.

Ecclesia S. *Petri Majellæ.*

Ecclesia *S. Laurentii.*

In Foro veteri rerum Venalium (*Mercato Vecchio*) venerabilis est Sancti *Laurentii* Ecclesia, in qua sacra agunt Fratres *Conventuales* Ordinis Sancti *Francisci*, à *Carolo* Primo inchoata, ac à *Carolo Secundo* perfecta. In qua *Petrarchæ* tempori-

poribus, quidam concionabatur Heremita, qui
quum vitæ existeret exemplaris, spiritu orna-
tus fuit Prophetico, atque *Neapolim* cladem
pati debere ad diem XXV. *Novembris* prædi-
xit: Quæ clades à *Petrarcha* relata fuit in E-
pistola quadam ad *Cardinalem Columnam*: Epi-
stolæ sensus hic fere est:

Prædictio de clade Urbis Neapolis.

„Vesperi die XXIV. Mensis, ante Solis oc-
„occasum, meum petii habitaculum, postquam
„majorem Urbis mulierum partem, periculi
„potius, quam pudoris memores, nudis pedi-
„bus, capillis sparsis, infantes in ulnis geren-
„tes, Ecclesias invisere & implorare enixis
„precibus divinam misericordiam vidissem. Ve-
„speri autem facto, sereniore (ac solet) exi-
„stente Cœlo, famuli mei post cœnam, illico
„iverunt cubitum, mihi tamen visum fuit con-
„veniens aliquantum adhuc expectare, ut vi-
„derem, quomodo *Luna* appareret, quam se-
„ptimam fuisse arbitror; & fenestra versus
„Orientem aperta, ante ipsam mediam noctem
„sese retro *Sancti Martini Montem* celantem,
„tenebris nubibusque oppletam faciem ejus aspe-
„xi: clausaque fenestra, me super lectum in-
„clinavi, postquam aliquantum vigilassem dor-
„mire jam incipiens, à rumore, ac terræmotu
„quodam expergefactus fui tam vehemente, ut
28 „fenestras non tantum aperiret, & lumen, quod
„de nocte servare soleo extingueret, sed & Ca-
„meram, in qua morabar, à fundamentis com-
„moveret. Quum autem à vicinæ mortis ti-
„more potius, quam à somno aggressus fuis-
„sem, ad Claustrum perrexi *Divi Laurentii*, ubi
„habito; alter alterum quærebat, nec lumen appa-
„rebat in cœlo ullum, præter illud alicujus ful-
„guris, ita ut nos invicem impingeremus. Prior
„cum Fratribus, qui Ecclesiam ingressi erant, ad
„preces nocturnas canendas, à tam atroci tem-
„pestate perterriti, pluribus accensis cereis &
„facibus ad me venerunt, resumto itaque animo
„in templum cum illis ivi, omnesque in terram
„prostrati voce maxima divinam incessanter in-
„vocabamus misericordiam, quolibet tempo-
„ris articulo totius Ecclesiæ super nos lapsum
„timentes. Longa nimis esset historia Infernalis
„hujus noctis horrorem recitare, & licet ipsa
„major quam dici possit, sit veritas, verba mea
„vana fore timerem. Quæ aquarum undæ?
„Quàm horrendus terræmotus? qui metuendus
„Maris strepitus? Qui tot populorum clamo-
„res? Noctis spatium duplicatum arte magica
„fuisse videbatur; sed tandem surrexit Auro-
„ra, quæ obscuritate potius noctis, quam in-
„dicio, vel conjectura aliqua lucis dignosceba-
„tur; Sacerdotes tunc sacris induti vestibus
„Missæ sacrificium peragere incipiebant: Nos
„autem (qui adhuc faciem nostram Cœlum
„versus elevare minime audebamus) prostrati
„in terram, in gemitu, precibusque perseveraba-
„mus; die vero illucescente, licet adeo obscuro, ut
„similis nocti videretur, ex partibus Urbis emi-
„nentioribus desinere strepitus, rumoresque ma-
„jores mare versus audiri cœperunt, jamque
„equorum gressus per plateas audiebantur, nec
„quid esset, cognosci poterat; desperatione
„tandem in audaciam versa, equum ego pari-
„ter ascendi, videre certus, quid hoc esset,
„aut mori. *Magne Deus*! Quando unquam ta-
„lia visa sunt? Nautarum maximè senes & de-
„crepiti talia nunquam audivisse, nec vidisse
„sese asserebant: Medio Portu per mare dis-
„persi plurimi aspiciebantur homines terram
„attingere miseri cupientes, visque maris tan-
„to eos à Portu rejiciebat impetu, ut ad colles
„velut totidem ova frangi cernerentur. Spa-

A „tium illud totum hominibus submersis, aut
„submergendis impletum erat; quidam capite,
„quidam brachiis fractis, aliique visceribus ex
„ventre erumpentibus; nec virorum, mulie-
„rumque clamores minus horribiles fremitu
„erant maris; locusque qui præcedenti die super
„arenam patebat ambulatui commodus in mare
„commutatus erat adeo periculosum, ut *Messanæ*
„videretur esse fretum violentia undarum sua-
„rum. Mille & plus equites *Neapolitani* eo equi- 29
„tantes accessêre, & ego illis immixtus, audax
B „consilium cepi, etiamsi una cum ipsis mihi
„moriendum esset: Rumor mox maximus au-
„ditus fuit, terra sub pedibus nostris sidere in
„abyssum minitabatur, mare enim sub illam
„penetraverat; nos autem fugientes illico ad
„altiora nos recepimus. Res quidem supra mo-
„dum mortalium oculis horrida, Cœlum adeo
„ira accensum, Mareque tam dirum & impla-
„cabile videre! Mille undarum Montes non
„nigrarum, neque cœrulearum (ut aliis in
„tempestatibus apparere solent) sed albedine ni-
„tidissimarum, ab Insula *Capræis Neapolim* ve-
„nire cernebantur. Regina *Joanna* nudis pedi-
C „bus, numero infinito comitante mulierum,
„Ecclesias *Virgini* Dei *Matri* dicatas invisebat.
„Nulla inventa fuit in Portu Navis, quæ nau-
„fragium passa non fuerit: Triremes tres quæ à
„*Cypro* huc venerant, tot emensis Maribus, ma-
„ne iter prosequi cupientes, omnibus penitus
„hominibus submersis miserè periêre. Tres si-
„militer aliæ magnæ Naves, quæ in Portu
„anchoras projecerant, se invicem percutientes,
„pereuntibus Nautis omnibus, fractæ, ac sub-
„mersæ fuerunt, unica inter omnes (in qua qua-
„dringenti erant *rei*, judicum sententia damnati
„ad Triremes, ad bellum *Siculum* constructas)
D „unica (inquam) intacta remansit; usque ad fi-
„nem Maris impetum eludentibus magnum la-
„tronum illorum, in ea servatorum, conatibus &
„laboribus. Hi perdurantes, usque dum nocte
„appropinquante, contra omnium suamque ipso-
„rum spem, Cœlum sese serenum exhibuit, ser-
„vati fuerunt; furorque Maris mitigatus fuit
„eo ipso tempore, quo jam defatigati erant: Ex
„tanto itaque populi numero nequiores tantum
„salvi evaserunt. Hactenus *Petrarcha*.

Commorantibus in hoc Regno, illoque
Siciliæ Saracenis, potentissimo iidem exerci-
E tu Urbem *Neapolim* obsederunt, eoque per *Por-
tam Ventosam* potiti sunt, ubi tunc sita erat
Ecclesia *Sancti Angeli* à *Nido*, cujus victores
& Domini perseverarunt à Mense *Junio* usque
ad diem *Januarii* vigesimam octavam, eximia
Neapolitanorum, populorumque vicinorum rui-
na; Divina tandem favente gratia, Angelique
oraculo, de ædificanda in ejus honorem Eccle-
sia accepto, per alteram Urbis partem, magna
militum auxiliarium copia *Neapolim* ingressa *Sa-
racenos* universos debellavit & ejecit rursus.
Neapolitani itaque Ecclesiam erigi curarunt in
F sede *delle Montagna*, in terra fixa, eo loco quo
relata fuit victoria, ut signum æternæ posteris
esset memoriæ, vocaveruntque hoc Templum
S. Angelo à Segno. Hic prope prisca videtur Ec-
clesia *Sanctæ Mariæ Majori* dicata, atque
à *Divo Pomponio Neapolitano*, *Neapolis*que
Episcopo erecta, *Latina* hoc Inscriptio testa-
tur:

Saraceni potiuntur Neapoli.

BASILICAM HANC
POMPONIVS EPISCOPVS NEAPOLI- 30
TANVS, FAMVLVS JESV CHRI-
STI DOMINI, FECIT.

Ad

Ad Aræ Majoris hujus Ecclesiæ latus, antiqua pendet tabula, ubi super membranam scripta inter alia hæc leguntur verba.

Historiæ Ecclesia S. Mariæ. „Antequam Sanctæ *Mariæ Majoris* Ecclesia „fundaretur, spatium quoddam terræ erat, „vocabaturque *il Mondezzaro*, illoque in loco „noctu ingens apparebat *Porca* maximum hominibus incutiens metum; Quum autem in „viciniis illis Sanctus quidam vir (*Pomponius* „nomine) habitaret, à pluribus rogatus iste „fuit, ut precibus suis oblatis Reginæ Cœlorum, ejus gratia Dæmonem hunc sub *Porcæ* „spoliis, fugandi modus nobis ostenderetur; „Prædictus igitur Sanctus vir die quadam *Sabbathi* mane Missam celebravit, nocteque sequenti ei Virgo apparuit *Maria* sic dicens: „*Pomponi*, perge ad locum illum *Mondezzaro*, „ibi cœruleum invenies linteum, sub quo effodiendo marmor reperies, istoque in loco fundamenta jace Ecclesiæ, meoque nomine ipsam „*Sanctam Mariam* nuncupabis.

Post hæc, illico Dæmon ille disparuit: *Pomponius* deinde, Templo erecto, Pontificalem in eo celebravit Missam; Inscriptio hæc nobis validum est testimonium hoc Templum ab hoc Sancto Episcopo ædificatum fuisse, in cujus Ara majori devotissima & antiquissima imago cernitur Virginis *Mariæ* (opus manuum *Divi Lucæ*) in Areaque pulchrum *Pontani* reperitur Sacellum. In formosiori Urbis parte ab Antiquis *Castoris* & *Pollucis* Templum, (sicut & *Romæ*) erectum erat, à *Christianis Divo Paulo* dicatum, ac in una ex Urbis Parochiis erectum. Speluncæ instar Templum hoc derelictum olim remanserat, devotio deinde *Neapolitanorum*, semper loca sacra colentium, venerabiles in eo collocavit Presbyteros *Teatinos*, qui antiquo adhuc illo & laudabili more vestiuntur, simplicitateque cordis quotidianas Deo pro populorum peccatis preces offerunt: Eodem in Templo super columnas in marmore longo quidam *Græci* excisi sunt characteres, quorum sensus *Latine* talis est. (Templum Castoris & Pollucis.)

TIBERIVS JVLIVS TARSVS JOVIS FILIIS, ET CIVITATI TEMPLVM, ET QVÆ SVNT IN TEMPLO PELAGORVM AVGVSTI LIBERTUS, ET PROCVRATOR EX PROPRIIS CONDIDIT, ET CONSECRAVIT.

31 In altera speciosa Urbis parte ædificavit *Adrianus* Imperator Templum, hodie *Santa Maria Maggiore* vocatum, ubi nunc mœnia *Palæopolis* antiqua conspiciuntur, cujus pars Turris est quædam, sed à quo diruta fuerit ignoratur; rerum forsan pristinarum contemptu hoc evenit: sic de ea scribit *Pontanus*; „*Adrianus* Imperator in summo Urbis penes portam ad Mare immensæ magnitudinis exstruxit Templum, „quod successu temporis casum minans à Principibus ejus successoribus restauratum fuit. (S. Maria Maggiore.)

Sub frondosis *Montis Sancti Martini* appendicibus feliciter pulcherrimum existit Templum, ubi *Monachi albi* crucem Montis *Oliveti* ferentes, morantur, quod à conspicuis *Neapolitanis* nobilibus *Orilliæ* prosapiæ erectum, ampliatumque fuit ab *Arragoniæ* Rege *Alphonso* Secundo; Non procul in inferiori parte est Ecclesia, in qua coronata fuit Regina *Joanna* Prima, cujus Magna platea *Incoronatæ* nomen inde sumpsit, de qua mentionem facit *Petrarcha* dicens: „Postquam „navi egressus eris, Sacellum Regium ingredi „ne prætermittas; ibi enim civis meus patrius *Giottus Florentinus*, Princeps Pictorum nostri ævi, „& ingenii, & manuum suarum opera reliquit.

Super Antiquum *Neapolis* Portum existebat Castellum Urbis, quod dein in Ecclesiam versum, vocatum fuit *Sancta Maria Nuova*; Magna in isto Castello erat Turris, paucis ab hinc annis *Torre Maestra* nuncupata. De hoc Castello scribit *Petrarcha* dicens: (Castellum Urbis versum in Ecclesiam S. Mariæ Novæ.)

Erat (inquam) antiquum Castellum in loco eo ipso ubi stat Ecclesia, natura enim sua fortis erat.

Magnus ibi numerus est Fratrum *Sancti Francisci*, sicut & *Sancti Dominici*, Prædicatorum: ii duo Sancti viri eodem vixerunt tempore, Sanctus *Franciscus* ex *Assisio*, *Italus*, Sanctus *Dominicus Calaguritanus*, *Hispanus*, alter alterum intuitus est, Fratrum vero numero magis notus est S. *Franciscus*: Miratus est *Innocentius* Papa novum illorum album, nigrumque habitum; *Honorius* deinde, *Innocentii* successor, istum approbavit.

Honesta huic additur, religiosaque Monachorum *Benedictinorum* multitudo, Congregationis *Sanctæ Justinæ Paduæ*, qui vere observantia, vita, & moribus meriti sunt, ut plurima ubique loca possideant, non tantum locupletia, sed & formosa, & delectabilia, quemadmodum illa Sactæ *Justinæ Paduæ*, *Sancti Benedicti Mantuæ*, *Sancti Georgii Venetiis*, & super omnia, S. *Benedicti Montiscassini*, locum amœnissimum ac emolumento suo præcipuum.

Silentio haud præterire possum; quod Angelicus Doctor *Thomas Aquinas*, hæreticorum malleus, Veritatis scutum, gloria, atque corona 32 Regni, & Ecclesiæ, anno ætatis suæ quinto, adhuc puer per aliquod ibi manserit tempus; voluntate divina hoc evenisse puto, ne tantum lumen aleretur, educareturve in obscuris caliginosisque mundi tenebris, scriptum enim est de illo: *Nemo accendit Lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, & adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Diu igitur, imo multis annis innocentem puerum hunc inter Sanctos Patres *Benedictinos* habitasse credo, & postquam benedictus fuerat à Summo *Patre* omnium *Deo*, ut evenit quando anno duodecimo *Dominicanum* ingressus ordinem, non multo post illi à glorioso Crucifixo dictum fuit: *Bene scripsisti de me Thoma:* Ejus imago, & species in Regio *Sancti Dominici* Conventu cernitur, ubi discipulorum, Doctorumque concursus incredibilis propter continua, quæ ibi exercentur studia, nunquam sanè deficit. Hoc *Divi Dominici* Templum olim *Sancto Archangelo* dicatum erat, donatum autem hisce Patribus, ab *Alexandro* IV. fuit consecratum, & nunc à *Carolo* Secundo muneribus auctum. (S. Thomæ Aquinatis Historia.)

Ut autem ad propositum redeam meum, ex iis Regibus *Alphonsus* ille Secundus elegans hoc & præclarum inchoavit Templum, quod *Neapolitani* indesinenter ornare & consummare haud cessant; jacent in eo duo sanctissimorum virorum corpora, *Sancti*, scilicet, *Severini*, & *Sosii*. In illustriori Urbis loco situm hoc est Templum:

In *Seggio di Porto* prisca reperitur Ecclesia, *Sancti Petri à Fusarello* nuncupata, ubi olim Telonium existebat, & quia locus ille tempore eo multis abundabat aquis, *Fusarellus* dictus fuit, quasi à multa aqua fusa, & dispersa; incolæ quapropter loci istius *de l'Aquaro* nominantur, Nobilesque illi, in *Seggio di Porto* commorantes, ut nobiliores, *dell'Aquaro* dicuntur. In frequentiori Urbis parte Templum apparet Divo *Joanni Hierosolymitano* sacrum, vocatum S. *Maria à Mare*. In Sancti Joan- (Ecclesia S. Petri à Fusarello.)

Joannis vigilia antiquus (hodie etiam haud prorsus deletus) mos erat viris, mulieribusque omnibus eundi ad mare, ibique sese nudos lavandi, a peccatis suis sese purgari existimantibus, Antiquorum instar adhuc paganorum *Romanorum* sese ad *Tiberim* lavandi gratia conferentium, pro purgandis culpis suis, quod noster Sanctus *Jo. Baptista*, Baptismatis lotione nos docuit. Morem hunc in regione illa *Germaniæ*, quam *Rhenus* alluit, exstitisse refert *Petrarcha*, illuc enim quum ipse pervenisset, tanta *Germanorum* visa multitudine sese in *Rheno* lavantium admiratione correptus, illud *Virgilii* exclamavit carmen:

Mos virorum mulierumque nudos lavandi in aquis pro purgandis peccatis.

—— *Quia vult concursus ad Amnem,*
Quidve petunt animæ?

Ipse vero a *Germanis* hoc fere reponsum tulit, ut ipse in Epistola quadam ad *Joannem Colu-*
33 *mnam* scribit:

„Pervetustum Gentis ritum esse persuasum „vulgo, præsertim fœmineo, omnem totius „anni calamitatem imminentem, fluviali illius „diei absolutione purgari, & deinde lætiora „succedere. Itaque lustrationem esse annuam „inexhausto semper studio cultam, colendamque. Ad hæc ego (inquit) subridens, omnium „felices inquam *Rheni* accolæ, quorum ille mi„serias purgat, nostras quidem nec *Padus* un„quam valuit curare, nec *Tyberis*; vos vestra „mala *Brittannis*, *Rheno* vectore transmittitis, „nos nostra libenter *Afris*, atque *Illyriis* mit„teremus, sed nobis pejora sunt flumina.

Ecclesia S. *Eligii.*

Non procul hinc *Sancti Eligii* templum situm est, à tribus *Gallis*, Regis *Caroli* Primi *Coquis*, ædificatum; sed quia tres Sancti *Galli* fuêre, S. *Dionysius* (nempe) S. *Martinus*, & S. *Eligius*, tria ipsorum nomina in urna posita fuêre, unoque ex tribus sorte extracto nomine, illi Templum sacrandum esse decretum fuit, & quum *Eligii* nomen exiret, *Eligii* nomine Templum nuncupatum fuit; nos autem voce depravata eum vocamus S. *Aloia*: ii *Coqui* omnes domos eas, Templum circundantes, à Rege impetrarunt; spectabant olim eæ ad Tribunal *Antiqui Vicariatus* isto in loco existens, nunc vero ab eodem possidentur Templo; hujusque Regis reditibus loco isti assignatis plures aluntur Presbyteri, sacrificium Deo quotidie in ipso facientes.

Quod nomen illi sorte obvenit.

Ecclesia S. *Claræ.*

Eminentior Urbis Ecclesia est illa *Sanctæ* Virginis *Claræ*, à *Roberto* Rege erecta; ædificium quidem mirum, regiumque: de quo scripsit *Petrarcha*: „At *Claræ* Virginis præclarum do„micilium, quamvis à littore parumper abscesserit, videto, Regis, Reginæque senioris am„plissimum opus:

Literæ vero marmori (magnæ inceptæ Turris) insculptæ hoc docent. Hujus Ecclesiæ eminentiam mirari nullus debet, *Adrianus* enim Imperator ab *Apollodoro* Architecto repræhensus fuit, eo quia *Veneris* Templum dimissum ædificasset, Templa enim dicebat, ut procul videantur, alta construi debere.

34 Notatu dignum videtur, Imperatorem *Constantinum* sex *Neapoli* construxisse Templa, ab Abbatibus ea regentibus, *Abbatias* dicta; hoc mandato, ut in majori hebdomada ex qualibet *Abbatia* sex eligerentur Presbyteri *Græci*, qui die Sancti Sabbathi, ritu *Græco*, sex in Episcopatus Ecclesia canerent Prophetias, totidemque à sex aliis *Latinis* Presbyteris, more *Latino* canerentur: Talium vero director Cœremoniarum, *Cœrimoniarcha* vocaretur, id est *Præcipuus solemnium Cœrimoniarum magister*, licet ho-

Constantinus Imp. sex Ecclesias *Neapoli* exstruxit.

A dierni Episcopatus Presbyteri *Cimiliarcam* vocent, ut legi in quibusdam Annalibus, quæ servat venerandus dominus *Salvator Parascandolus Neapolitanus*, Musicæ Cathedralis Ecclesiæ magister. Hoc *Græcum Cimeliarchii* vocabulum me in *Ulpiano* legisse memini, *locus* scilicet significatur eo *secretus*, in quo pretiosæ Imperatorum res, à toto orbe *Romam* delatæ, custodiebantur: *Ulpianus* de eo loquitur de auro loquens *Vigesimario*, quod in secretissimis reponebatur locis, quodque non nisi in extremis extrahebatur necessitatibus.

B *Prima* ex his sex Ecclesiis ab Imperatore *Constantino* erectis fuit *Sanctæ Mariæ à Porta Nova*, ubi *Græco* Idiomate, à Presbyteris *Græcis* sacræ canebantur horæ, titulo *Sanctæ Mariæ* in *Cosmoinis*, hoc est *Ornamentorum*: licet in alio legatur titulo ΑΚΟΥΣΜΑΤΟΝ; hoc est, *Sanctæ Mariæ precum exauditarum*: in pluribus quippe Regni partibus quædam *Sanctæ Mariæ* extant Ecclesiæ, titulo *Sanctæ Mariæ Exaudibilis*, id est *gratiosæ Virginis nostras exaudientis preces*.

Ecclesia S. *Mariæ à Porta Nova.*

Secunda Ecclesia *Græca* est illa, existens sub Comitis *Altevillæ* Palatio, *divo* sacra *Januario*
C *ad Diaconiam*, destinata, scilicet, ad sacrum cultus divini ministerium; & quoniam Ecclesia parvula est, stulta Plebs eam *San Gennarello*, hoc est, *parvum Sanctum Januarium* vocant: ipsum enim statura pusillum fuisse putat.

S. *Januarii ad Diaconiam.*

Tertia est illa *Sancti Georgii* in prisci Fori viciniis.

S. *Georgii.*

Quarta *Sancti Andreæ Apostoli* in *Seggio del Nido*:

S. *Andreæ.*

Quinta *Sanctæ Mariæ à Rotunda*.

Sexta *Sancti Joannis Majoris*, quæ, (ut asserit *Pontanus*) ab *Hadriano* Imperatore erecta fuit.

S. *Joannis Majoris.*

D Nec prætermittendæ sunt Episcoporum *Neapolitonorum* sacræ Ecclesiæ, quos nos vocamus *Neapolis* Patronos: Quorum alter est Sanctus *Januarius* Martyr, cujus ad sacrum caput quolibet anno admotus sacratissimus sanguis suus, instar petræ durus licet, eo die, quo Presbyteri capite frondibus, floribusque coronato procedunt, repente liquefit; rarum hoc miraculum maximum nostræ fidei præbet testimonium. Hoc (inquam) sileo, intellectui enim majorem admirationem relinquit, quam ut humano ore possim eloqui.

Miraculum sanguinis S. *Januarii.*

E Templum aliud *divo Agrippino* dicatum est; quod hodie ab Ordinis *Sancti Basilii* fratribus possidetur: Alterum divi *Euphremii*, Sancti *Anelli* alterum, in quo Fratres Canonici Regulares Congregationis *Sancti Salvatoris Venetiarum* habitant; in alio graves, severique *Fratres Capucini*, asperæ vitæ; quartum denique est *Sancti Severi*. Unicum mihi exponendum remanet, & est illud priscum prorsus dirutum Templum è regione domus domini *Jacobi Brancatii*, multis ante *Constantinum* Imperatorem annis ædificatum, in quo præteritis temporibus album repertum fuit marmor, majusculis, integrisque incisum literis, quæ *Latine* e
F *Græcis* factæ ita sonant: 35

Ecclesiæ aliæ.

THEODORVS CONSVL ET DVX A FVNDAMENTIS HOC TEMPLVM ÆDIFICANS, ET HOC SACRVM MINISTERIUM EX NOVO PERFICIENS IND. IV. HVIVS REGNI ASSONTIS, ET CONSTANTINI DEI AMATORUM, ET REGVM HONESTE VIVENS IN QVA FIDE, ET CONVERSIONE SEXTO MENSIS OCTOBRIS HIC VIVENS CHRISTO ANNO NOVEM ET QVADRAGINTA.

Quan-

Plateæ Neapolis.

Quantum ad *Neapolis* Plateas pertinet, antiquam *Neapolim* tres habuisse plateas dicimus: Plateam quidem Maximam unam, in qua in domo olim domini *Joannis Baravalli* nobilem leges Inscriptionem *Græcam*, brevem, sed pulchram, cujus sensus *Latinè* talis est:

DIIS VENERANDIS, ET DIIS
SODALIBVS DEO DAEMONI.

Id est: Diis honoratis, & Augustis, Diis Commensalibus, cætera *Deo sapienti*.

Hoc considerato, apparet Dæmonis nomen, haud esse abominabile illud, quemadmodum ignorans credit vulgus, imo sapientissimum indicare Deum; Hocque modo Antiqui *Dæmonem* appellarunt *Aristotelem*, quia plurima sciebat: Verbum aliud *Phratriis*, seu *Sodalibus*, significat Deos ejusdem Tribus, & societatis, vel *Deos convictus socios*; quod vero dicit *devotum se Dæmoni*, eo vult, quod vivens adhuc & in corpore, *Diis* prius obligatus esset *Augustis*, amicis deinde ejusdem tribus, defuncta autem corporis mole, id quod remanet, (animam scilicet) Deo Cœli sacratum esse.

Secunda Platea est illa in *Seggio Capuano*, ubi antiquitus reorum existebant carceres, uti in
36 Itinerario suo scribit *Petrarcha* dicens: „Ter, „nisi fallor, aut quater, ipsum carceris limen „ingressus; *Capuanæ Castrum* dicitur:„ Nostra hac etiam ætate idem detentionis locus est, ab antiquo tamen illo carcere valde diversus; Cernitur enim ibi amplissimum, Regiumque Palatium priscæ *Doricæ* illius Architecturæ instar, illa *Corinthia*, vel *Thusca*, pulchrioris, mensuratis partibus illis, artificiose sculptis, visuque magnificis, ac sumptuosis. Voluerunt insuper ut in vasto eo, formosoque ædificio duo altera necessaria Tribunalia (*sacrum* nempe *Cæsareum Consilium*, *Cæsareaque Camera*) existerent; ubi in dies summarii Imperialium redituum computus examinarentur: magno litigantium commodo hoc patratum fuit, qui eodem in loco suum reperiunt Advocatum; Illustrissimo *Petro* à *Toledo* hujus Regni Vice-Regis tantum debetur ædificium, admirationem ingredientibus urbem præbens, eamque pulchram reddens, & commodam. Verum quidem est priscis temporibus nobiles & plebejos non segregatis in locis (ut hodie fit) detentos fuisse, sed uno in loco, variisque custodiis, ut refert *Salustius* dicens:

Itaque cæteri in liberis custodiis haberentur.

Id est, alii vero carceribus liberis uterentur; de liberis hominibus intelligens, ad distinctionem custodiarum servilium, ubi servi incarcerati tenebantur:

Quum penes *Seggium* fueris, *Seggium* ingredere, inveniesque ad latus sinistrum marmor in Episcopatus muro, è regione domus *Januarii Caraccioli* cum hac Inscriptione:

GN. POMPEIVS EUPHROSINVS ET
IVNIA GEMELLA VXOR EX BONIS
SVIS HOC SIBI SVMPSERVNT.

Sensus horum verborum, haud ineptus, hic est: *Gneus Pompejus Euphrosinus*, *Juliaque Gemella* ejus uxor, ex omnibus suis bonis hoc unum sibi sumpserunt; sarcophagum scilicet *inscriptum* & *insculptum*: sententia sanè rara, aureaque, quamcumque decens Religionem.

In *Seggio* montis Theatrum erat quoddam, ubi Poëmata & orationes omnes studiosorum ætate illa *Neapoli* florescentium tam *Græcæ* quàm *Latinæ* recitabantur; cujusque antiqua
A vestigia, altaque mœnia hodie etiam in *Palatio* Ducis *di Termole* apparent: Hoc in Theatro, *Nero* Imperator, è *Græcia* rediens, ad Musicos modos cecinit, ut in ejus vita refert *Suetonius*, *onusque recitandi à* Neapolitanis *ei oblatum*, *haud recusavit*, unde studiorum honores in omnibus liberalibus Artibus tunc *Neapoli* florescentes, in pretio apparet habuisse *Neronem*.

In *Seggio* Montis hæc legitur Latina Inscriptio:

PIISSIMAE, ET VENERABILI DO-
MINAE NOSTRAE HELENAE AV-
GVSTAE MATRI DOMINI NOSTRI
B VICTORIS SEMPER AVGVSTI CON-
STANTINI, ET AVIAE DOMINO- 37
RVM NOSTRORVM BEATISSIMO-
RVM CAESARVM. ORDO, ET PO-
PVLVS NEAPOLITAMVS.

Ulterius, in *Arcus* Palatio (olim *Pontani*) *Græcum* inventum fuit Epitaphium, cujus *Latinus* sensus hic est:

PHOEBO SPLENDIDÍSSIMO DEIFI-
LVS IVLIVS ACHILAS NOVITIVS
MILES, CVM CIVITATVM CVRAM
C HABVERIT, ET CVRAM PLEBIS
HABVERIT.

Ex quo *Græco* prisco epitaphio colligere licet, antiquos *Neapolitanos* duo pulchriora adorasse *Cæli* sydera, *Solem*, scilicet, & *Lunam*; cujus ritus clarissimum nobis etiam est testimonium Notariorum mos, illo in loco pacta mutua contrahentium, hanc enim vocant *Plateam Solis*, *& Lunæ*; quoniam hic duo extitêre (*Solis*, & *Lunæ*) simulacra.

Tertia Platea est illa *Nidi* vel melius *Nili*, sic dicta à statua quadam marmorea, effigie magnæ mulieris, mammis pluribus, plures
D lactantis infantes, recenter in *Seggio*, cum terram eruerent ad pavimentandam viam, reperta.

A *Seggio* autem recedens, ad *Seggium* Portus iturus integrum invenies marmor, in quo legitur

LICINIO ALPHIO.

Sed quoniam imperfectæ sunt literæ, apponendum huc non curavi: in utroque *Plinio* varii leguntur *Licinii*, ut *Licinius Murena*, *Licinius Crassus*, *Licinius Lartius*, *Licinius Alphius*,
E itaque ex illis aliquem gloriæ cupidum, nomen suum duro curasse insculpi marmore, ut sæpe à transeuntibus legeretur, mihi persuadeo.

Descendens autem, antiquum *Vicariatum* versus (*la Vicaria vecchia*) plateam invenies *Forcellæ*, ubi antiquis temporibus Furca seu Patibulum sculptum fuit, quod & hodie quoque adhuc apparet; hoc signum instar Y. *Græcum* formatum est, quæ *Pythagoræ* est litera, duas indicans vias, *Laboriosam* nempe, & *Asperam* (*la Faticosa e Aspera*) Ad Collem amœnum, eminentemque Virtutum labore magno ducens erat altera; altera vero, facilitate quam maxima
F descendens ad vitia: idque factum fuit, quia ex loco, quo litera existebat illa Y ad viam (ubi Artium liberalium exercebantur studia) patebat ingressus, & ubi nunc *Sancti Andreæ* Apostoli se sistit Templum, qui locus antiquitus *lo Scogliuso* dictus fuit, voce derivata à *Scholis* studiosorum: *Scholæ* hæ destructæ fuêre per incendium Montis *Sommæ*, quod domos omnes, hominesque circa *Sommam* commorantes combussit: quapropter *Titus Vespasianus* mandavit, ut terræ seu possessiones, & bona omnium sine

38 hæredibus defunctorum venderentur, pæcuniisque inde provenientibus *Gymnasia* amissa restaurarentur, auxiliumque præstaretur Oppidis incendio afflictis, atque tributis solvendis ineptis, ut in ipsius *Titi* vita refert *Suetonius*: hisce verbis;

Curatores restituendæ Campaniæ, *ex Consularium numero sorte duxit, bona oppressorum in* Vesuvio *quorum hæredes non extabant, restitutioni afflictarum Civitatum attribuit.*

Testimonium de hoc pariter nobis præbet nobilis quædam Inscriptio *Græca*, *Latina*que, literis marmore albo insculptis (quod recens adhuc opus præ nitore putares) repertaque fuit, ubi est *Annunciatæ* Fons ad fœminarum Aquarium; marmor hoc in muro insertum ita sese habet:

VESPASIANVS AVUGVSTVS VESP.F. CON.VII. CENSOR. P.P. TIBUS CON LAPSA VESTITVIT.

Sed quia non integre explicat *Latina* hæc Inscriptio id quod *Græca* significandum dat, interpretationem ejus hanc lubuit adjicere:

TITVS CAESAR VESPASIANVS VEVERANDVS SIVE AVGVSTVS, EX NONA POTESTATE, QVI EXIMIVS SEPTIES HONORATVS SEDERAT, CVM TER GYMNASIA INCHOAVERAT COLLAPSA RESTITVIT.

Quo ad verba hæc Latina VESP. F. indicant illa: *Vespasiani Filius*, ea P.P. Propria Pecunia. [1] *Tibus* significat, percussis seu *Ictibus*, verboque *Ictibus* deficiente defecerunt quoque literæ tam *Græcæ*, quam *Latinæ*. Considerato etiam, *Græcos* literis numerare, non numeris, *Jota*, quæ nona est litera, nobis novem indicat; *Ita*, quæ septima est, septem significat; *Gamma*, quæ tertia est, ter pariter significat. Verbum illud *Sebastos*, indicat *Venerandum*, & quia nomen est Regiæ reverentiæ, vocatus ita a *Græcis* fuit *Augustus*; *nona potestas*, *nonum Consulatum*, aliud verbum *Ypatos*, *Eximium* significat, hoc est, *Censorem*; Ex quibus verbis testimonium præbetur de *Neapolis* Urbis studiis, ac de Scholis quæ fuerunt ubi de facto existit divi *Andreæ* Templum in *Seggio Nili* (*lo Scoglioso* vocato) Eo quolibet anno processionaliter tendunt studiosi, unusquisque suam ferens candelam, in antiqui illius *Gym-*
39 *nasii* memoriam, ex quibus (inquam) verbis colligitur, laboriosum Virtutis Collem esse Furcam, seu illud Y, literam nempe *Pythagoræ*, & non patibulum, in quo quidam suspensus fuit Rex, ut stulte somniat ignorans plebs. In hac *Forcellæ* plateâ olim suos *Hercules* pascebat boves, ibique diu habitavit: Cujus nomen (res incredibilis) usque ad nostram durat ætatem: idcirco super viam de *Tarallari* antiquissimum, parvumque extat Sacellum, *Santa Maria ad Herculem* dictum; quin & Presbytei Ecclesiæ census accipientes, in receptionis cautelis, de ipsa *Herculis* via mentionem faciunt, quam etiam *Pontanus* in fine belli *Neapolitani* sese usque ad *Portam Nolanam* extendisse scribit. His in antiquis plateis erant *Seggia Petrarchæ* temporibus, qui in Itinerario suo, *Neapolis Seggia* enumerans, duo tantummodo exprimit, quæ ipse Latine *Vicos* nominat, alterum, nempe, *Capuanæ*, *Nidi* alterum, ita fere dicens:

Y. Pythagoricum.

S. Maria ad Herculem.

„illud nulla festinatio, nullus labor impe-„diat, quin duos illos Urbis vicos, *Nidum* scilicet, & *Capuanam* videas, ædificiis supra

A „privatum modum (antequam pestis terræ fun-„ditus exhausisset) vix cupiam credibili mi-„litiæ numero, ac decore memorabiles.

Quibus constat verbis duo tantum *Petrarchæ* diebus extitisse *Seggia*, illud scilicet *Nidi* & *Capuanæ*, ac si *Latine* diceres: *Locus ubi sunt Optimates*, vel *locus præcipuorum Nobilium Virorum.*

In lite quadam in antiquo Vicariatu (*Vicaria vecchia*) peracta, in quo lis coram *Roberto* Rege instituta fuerat, quum divites Cives *Seggii Portus* cum illis *Nidi*, & *Capuanæ*
B disputarent, post multas contentiones, sententia prolata fuit Regia, quod nempe *Cives Portus Portæ*que *Novæ* digniores essent populo, inferiores vero Nobilibus *Nidi*, & *Capuanæ*, à Rege inde nominati *Mediocres Cives*: Moventes vero litem hanc, fuerunt ex familia *Januaria*: *Seggiorum* vero (*delli Seggii*) inventorem fuisse Regem *Carolum Primum* puto, vel (ut melius dicam) *Normannos*. Annis præteritis, quibus Urbs ad *Romanos* spectabat, more *Romano* dicebatur *Populus Neapolitanus*, ut Inscriptio *Helenæ*, de qua supra diximus, ostendit. Hoc est quod nobis de tribus plateis, priscam am-
C plectentibus *Neapolim*, dicendum occurrerat, quæ parvo à *Paleopoli* distabat intervallo, existebat enim in parte Montis, seque usque ad *Sanctum Joannem Majorem*, ubi à Tumulo *Sirenes* 40
Parthenope vocata fuit, extendebat.

NVNC DE ALIIS DISSERERE PLATEIS AGGREDIAR.

Magno dulcis situs *Neapolis* commodo, multas & quaslibet extraneas Nationes in dies ex omni parte eo habitatum accessisse diximus: Multis quapropter *Catalanis* ex *Catalaunia* accedenti-
D bus, pro commodo habitandi loco, partem illam Urbis occupavêre, *Viam Catalanam* vocatam, ex alia similiter parte (ubi *Galli* habitarent) vocarunt eam *Viam Gallicam*, Plateâ alia à *Genuensibus* pro tempore habitata, dicebatur *la Loggia di Genova*, à verbo Græco *Logia*, *congregationem*, & *conventum* significante. Plures insuper viri *Bajani* venerunt, domiciliaque sua sumpserunt alia in parte Civitatis, quæ vocata fuit *Bajanorum Platea* (*la Strada delli Bajani*) alia pariter via, ubi est *Sancta Maria à Porta Nova*, ubi *Cimmerii* Populi (*Puteolis* vicini)
E commorati sunt, hodie dicitur *Sancta Maria à Cimmino.*

Et quoniam Artium varietas Civitates illustrat, de illis loquar plateis, in quibus manibus laboratur, ut de *Laniario*, in quo carnes super multas extensas repositæ mensas, aliisque in Urbis partibus, videntur, per totam enim *Italiam* nec tot, nec tam bene dispositas aspexi. Similiter de Plateis *della Zabbatteria*, ubi conficiuntur calcei, voce illa Æthiopica *Zabat*, *calceum* indicante; ac de illa *Sellaria*, (Latine *Ephippia*) ubi Equitum *Ephippia* conficiuntur: de illa etiam, *la Strada della Scalesia*, sic nun-
F cupata ab Ultramontanis hominibus *Caleti*, inter *Angliam*, & *Galliam* siti; in hac plateâ excellentes illius Regionis vendebantur panni; ex iis mihi (adhuc puero) notus erat *Gasparus della Scorta*, ditissimus mercator, qui hæredes reliquit, qui hodieque in eadem commorantur. Alia insuper est platea à *Roberto* Rege constructa, vocata *Robertina*, vel depravate nunc *la Rebbottina*. In amplissima Urbis parte invenitur Emporium seu Forum, cui simile in *Italia* nunquam vidi: Ibi *Sacellum* est quoddam, in quo humatus fuit *Con-*

Conradinus Hæres Siciliæ decollatur.

Conradinus, jussu *Caroli* Primi decollatus, in Regno enim *Neapolis* legitime succedere debuerat, mortuo *Conrado* germano suo fratre; Capite ibi etiam plexus fuit Dux *Austriæ*, aliique *Germani* quam plures, qui cum *Conradino* ad Regnum acquirendum venerant: Cui raro, ingentique spectaculo; quum afflicta interesset Mater, Maternasque profunderet lacrymas; *Neapolitani* in ejus memoriam statuam lacrymantibus oculis fieri, ac in muri angulo è regione Sacelli poni curarunt; quæ (nescio cujus rerum
41 priscarum inimici consilio) sublata fuit. Quædam item ædificatæ fuerunt plateæ a viris quibusdam, quorum usque adhuc nomina retinent, ut, *la strada di don Pietro* Equite *Hispano*; Platea *Albina*, a Cive *Romano Albino*, ubi Templum est *Sanctæ Mariæ* ab *Arvino*, quasi *Albino*, Platea *di don Orso*, ab eo quippe nominatur *Porta don Orso*; formosior, Regiaque Plateâ de *Banchi*, ubi olim *Ulmus* plantata erat, vocata fuit *la Piazza dell' Olmo*. Juvenes (ut superius dixi) *Neapolitani* sese in armis exercent in Platea *Sancti Joannis à Carbonara*, cujus mentionem (ut diximus) facit *Petrarcha*, & quoniam Ulmus ea erat Arbor in cujus ramis præmia ponebantur pugnantium, idcirco eo loco, & penes Sanctum *Laurentium* in altera Ulmo præmia eorumdem collocabantur certantium, ut de Arbore hac *Virgilius* testatur dicens:

Plateæ ab auctoribus suis nominatæ.

Velocis Jaculi certamina ponit in Ulmo.

Et quamvis Ulmus, quia sterilis, ab Antiquis *Plutoni* Inferorum Deo consecrata fuerit, dici tamen potest, quod *Ulmus*, licet arbor sit se ipsa haud fructifera, unita nihilominus cum *vite*, uvas producat; Populus eodem modo Ulmo assimilari potest, qui ex se ipso absque Nobilitate, quæ est vitis, sua uxor, nihil valet: Cives enim cum Nobilibus, fraterna fœderati amicitia, dulces, salubresque fructus suæ pariunt Reipublicæ; Quum autem inutilis sit Ulmus (nempe Populus) si solus remanet, sic vitis etiam quæ Nobilitas est, infæcunda, & inutilis. Tiliam pariter Populus plantare sueverat, quæ cum densis gaudeat frondibus, ac valde umbrosa sit (ut *Romanorum* Platanus) inde *Julius Cæsar* etiam in *Corduba* unam plantari curavit, sub cujus umbra *Fauni*, *Syringa*que Nympha suaviter canebant, da qua *Martialis*.

O dilecta Deis, ò Magna Cæsaris *arbor.*

Dixit *Magnam* cum ad nihil aliud, quam ad umbram præstandam valeat; eo modo, quo longæ staturæ homines, ad nihil aliud, quam ad longam suam demonstrandam staturam apti sunt.

Festa arborum & frondium.

Mos est apud nos *Neapolitanos* in initio Anni celebrare *Laurum*, ut illius cursus faustus sit, nec à fulgurum cœlestium ictibus percutiatur, boni quippe augurii est arbor: ut ait *Tibullus*:

Laurus ubi bona signa dedit, gaudete Coloni.

42 Cypressum ante defuncti fenestras plantare Antiqui pariter consuevêre, ne eo transiens Pontifex, viso defuncti corpore, tali inquinaretur intuitu; Religiosi quoque ante Ecclesias plantant, tamquam *Arborem funestam* & mortuis aptam; *Cypressus* vocatur à *Virgilio feralis*, quasi *mortifera*, sicut est *Horatio odiosa Cypressus*. Celebramus etiam die prima *Maji* genistarum flores in memoriam Deæ Florum ab Antiquis celebratæ. In platea Ulmi (vulgo *dell' Olma*) magnifice exstructum visitur magnum fortissi-

A mumque *Castellum Novum* ab *Alphonso* Primo, Rege *Aragoniæ*, erectum, ad oram maris situm, quo prospectu caret *Mediolani* Civitas. Fundatum idem est *Castellum Novum* super aquas sub ipso & undequaque fluentes, ne à subfossionibus cuniculorum ruinam causantibus quid pati necesse habeat. Hujus Regium cœnaculum pulcherrimæ apparet architecturæ, amœnissimo cum Pomerio, à *Petrarcha* laudatum, strenuum hoc Fortalitium naves *Magnæ Molis*, seu *Cotonis*, Urbemque totam ab excursionibus bellicis defendit: & hoc genus Fortalitiorum ad habitaculum Regis tutum reddendum, Populisque terrorem B incutiendum, construitur.

Ultimum locum Aurifabrorum plateæ dedi, aliquantulum à primo meo proposito aberrare intendens (digressione forsan haud ingrata.) In hac igitur plateâ aurum, & argentum artificiosa elaboratur arte: non multis enim elapsis annis Principes, Regnique Barones ex vasis argenteis cibum sumere, aureisque potare consueverant; quapropter ingrediens illustrium Palatiorum cœnacula admiraberis eminentia aspiciens variorum vasorum repositoria, pluribus insculpta imaginibus, novisque inventionibus, C quæ à Latinis *Abaci* vocantur.

Hæc noctu, vasis pendentibus cupri *CypreiGermanici*que & flamma coruscante ex candelabris, lucescunt. Plura insuper in alio repositorio videbis Chrystallina pocula, variis artificiosis laboribus ornata, ad diversas pretiosorum vinorum potiones ibidem collocata. In medio aptam cernes Mensam à pulchre indutis famulis circumdatam, argenteas patinas præ manibus tenentibus, exspectantibusque exquisita fercula incisa ab idoneo sectore, qui à Græcis *Chironomon* nuncupatur. Longa pariter apparet mensa duobus mappis nitidissimi *Hollandici* Lintei in ru- D gas plicatis tecta, odoriferis albisque jasminis (ita ut veris ibi pluere rorem amœnum diceres) frondibus Citri, aurei coloris, invitatos suavissimo implentibus odore. Hæc magnifica & sumptuosa mensa à decentibus nitidissimisque famulis, manu parvulum tenentibus cultrum, stipatur in ordinem statque ubique intermedium formosum 43 poculum vino *Vernaccia*, ab antiquis *Vinaccia* dicto, plenum, in quo madefaciunt panificia minuta, quæ à *Lombardis* nuncupantur *Cialdoni*: Ibi spectari etiam solet prima mensa (*antipasti*) uti sunt frustra ea saccharata, à nobis *Pignolate* dicta, ab *Hermolao Barbaro*: *Bugillates ex nucleis* E *pineis, & saccharo*; ubi scribit de exquisito convivio à Domino *Joanne Jacobo de Trivultiis* dato, tunc quando duxit in uxorem Illustrissimam Dominam *Beatricem d' Avolos d' Aquino*, Magni illius Marchionis à *Pescara* amitam. Adsunt quoque cibi ex saccharo *pasta regale* dicti, cum *Mustaccioli*, à *Latinis Mustacia* nuncupatis; sæpe etiam Aurantiorum dulcium bulbuli saccharo involuti, argenteoque quadrato tecti non deficiunt. Ut plurimum ponitur ante prandium mistio *Cytrorum*, *Limoniorum*que ab *Hermolao* vocata *Limoniacum Pultarium*, à nobis verò *la Cedronata*, bonum quippe visum fuit novis F *Apiciis* à dulcibus, salitisque cibis incipere, ut sunt petasones salviati, in vino cum salvia decocti, farcimina compressa & similia. Horum primorum ciborum seu liborum gustu peracto, aliæ primæ mensæ accedunt, seu *Antipasti*, à *Latinis Jentacula* vocatæ, ut *Jecura* assata frondibusque Lauri involuta prius micis albi panis aspersa, tenera hædi viscera, ossa ea elixata, quæ nos nuncupamus (*gamboncelli della Vitella*) his autem degustatis, vox auditur experti Aulæ Præfecti (*Maggiordomo*)

domo) indesinenter observantis convivas, hic severis oculis signa dat Ephebis, qui (quasi ad nolæ in Triremibus tinnitum) obediunt mox eidem Aulæ Præfecto, à sacris doctoribus *Architriclinio* dicto; Ordine itaque suo manibus candidis, ac nitidis ferunt, quidam, *il bianco mangiare, Græcè Leuchophagon* vocatum, quidam elixatas carnes, varia juscula, cibosque alios, *Latinis fercula* nuncupatos, variis comitantibus condimentis; Antequam vero carnes adferantur assatæ, æquum existimant, ut prima auferantur mantilia, secundaque imponantur; Hic cibos videbis assatos, variisque modis ornatos, conditosque; & dum Aulica modestia cibum sumitur, aliquot audies læta dicta jocosa prudentium, nobilium, doctorumque virorum, qui tanti debent æstimari, & venerari, quantum ignorantes, & fastidiosi moriones contemnendi sunt.

Fine cœnæ exquisitæ & sumptuosæ imposito, suavia olfacies suffimenta, quæ *fumando* exeunt à linteis mantilibus in modum Turrium plicatis, in quibus dentiscalpia pro merulis seu pinnaculis posita sunt. Tandem gustandi gratia aliquot coriandra super mensam à prima Mappa tectam (secunda dempta) sunt dispersa, aliquotque frusta *della torta di Marzopane*, ab *Hermolao* dicta
44 *Placenta ex nucleis amygdalinis confecta*; à nobis unica voce *Tragemata, e la retinente Cotognata*, ab eodem *Hermolao* vocata: *Strutea cotonea ex saccharo*. Aspicies insuper ibi hinc peristromata, inde locupletia argenti vasa, ac in qualibet parte res formosas, admirationeque dignas. Hodierna autem die, Aurifabrorum loco, in plateâ hâc habitant *Cretarii*, qui implent repositoria vasibus fictilibus, quod valde indecens est magnatibus illis, qui hac avara ætate ab angustis avarisque desideriis inopis cordis agitantur ita, ut fere vitam agere vulgarem præ sorditate sua cogantur.

DE ANTIQUITATE PUTEOLORUM.

Puteolorum Antiquitates.

Quoniam de *Pausilypi* locis egimus, antiquitates pariter *Puteolorum*, cum ipso *Pausilypo* conjunctorum haud prætermittendas judicamus; præsertim cum ad hoc faciendum à mihi tam dilecto, quam si filius esset, Domino *Leonardo Cuitz Germano* rogatus fuerim.

Sciendum igitur est, *Puteolos* antiquissimos omnium *Italiæ* locorum esse; Scribit enim *Virgilius, Æneam* (à cujus progenie, pluribus post eum ætatibus, *Roma* ædificata fuit,) *Cumas* accessisse, conditas a *Caldensibus*, qui plurimis ante *Æneam* annis *Italiam* ingressi sunt, & *Puteolos*. Ex his facile conjecturam facio, *Neapolim* ab ipsis *Chalcidensibus*, *Nigriponti* incolis, ædificatam fuisse, eaque de causa *Roma* multo esse antiquiorem: duas alias pariter Urbes antiquissimas judico. *Patavium* nempe, ab *Antenore conditum*, qui in *Venetas* regiones appulit longo temporis tractu antequam *Æneas* terras *Romanas* attigerat. Urbs altera *Argirippa* est, non procul à *Foggi* (*Latinè Foveæ*,) sic à quamplurimis foveis (profundis frumentorum receptaculis) nuncupata.

Suavis is *Puteolorum* locus situs sub lætiori climate Mundi, auram ibi largiente salubrem, tanto in pretio fuit apud *Romanos*, propter pulchrum, amœnumque situm, lætis jucundisque tranquilli Maris undis terram ferientibus, & à tot *Romanis* civibus habitatus fuit, ut *Tullius* ea de causa *parvam* vocaverit *Romam*, ubi illius *Athenarum* instar erexit *Academiam*, de qua *Plinius* sic scribit: *Digna memoria tua Villa*

A *est ab* Averno *lacu tendentibus, imposita littori, celebrata Porticu, ac nemore, quam & vocabat* Marcus Cicero Academiam *ab exemplo* Athenarum, *ibi compositis voluminibus ejusdem nominis, in qua & monumentum sibi instauraverat.*

Tarquinum Superbum Romanorum Regem, voluptatis etiam causa, quam singularem ibi capiebat, *Puteolos* accessisse refert *Petrarcha*.

Hic *Sylla* hospitatus est, hic *Nero*, qui mirandam Piscinam construxit illam, adeo vastam, ut à *Miseni* capite ad *Lacum Tripergularum* usque B pertingeret, asserente *Suetonio* his verbis: *Præterea inchoabat Piscinam à* Miseno *ad* Avernum *Lacum, porticibusque conclusam, quo quicquid totis* Bajis *calidarum aquarum esset, committeretur.*

Vocatur hæc piscina hodierno die *Piscina Mirabilis*:

Nero insuper miraculorum excitandorum cupidus, Architectos Ædificiorumque magistros interrogavit de fossa facienda ex *Tripergularum* Lacu *Ostiam* usque, longitudine centum cum sexaginta milliaribus, latitudine vero tanta, ut quinque triremes per eamdem foveam *Hostiam* C usque remis navigare possent, juxta singula littora canentes, *Alexandrinorum* more, qui ex *Alexandria* ad *Nilum* usque cantantes navigant, 45 ut refert *Suetonius* in ejusdem *Neronis* vita; ad quem conatum adhibuit omnes in carcere & custodiis detentos, captivitatemque eorum effossione hujus fossæ permutavit, atque effodere jussit fossam; quæ ab Antiquis *Fossa Neronis* dicta fuit.

Hic *Germanicus Augustus* Villam possedit, loco nunc *Belgermano* dicto, ut & alio loco extra Antrum, vocato *alli Romani*, & *alli Pisani*, in quo *Romani*, nobilissimique *Pisani* D Cives habitârunt: Locus quidem in Planitie situs, fructiferusque est valde, *la Campagna* nuncupatus, retinens illius *Campaniæ* nomen, ubi tot exquisiti, tempestivique oriuntur fructus. Asserit *Plutarchus* Magnifica Palatia à *Mario* ædificata fuisse penes *Miseni* Caput, quod ita ab *Æneæ* Tubicine ibi humato vocatum fuit.

——— ——— *Qui nunc* Misenus *ab illo*
Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.

Quo in *Miseni* loco prisca fuit Urbs illa divi *Sosii* Diaconi Patria, cujus corpus in Sancti E *Severini* Ecclesia sepultum jacet; *Cumæ* insuper, Civitas antiqua, die hodierno prorsus diruta: Palus ibi est à Latinis *Acherusia* dicta, vulgo *la Coluccia*, quasi *Cheruccia*, ubi, ad hoc usque tempus, vici *Juliani* rustici lina purgant; *Julianum* hoc à *Julio Cæsare* constructum esse asserit *Petrarcha*, ibi lacus est, tot repletus piscibus, ut magnos afferat accolis proventus.

Portus antiqui vestigia.

Puteolis ad *Tripergulas* non absque admiratione plurima adhuc mirandæ quondam *Molis* seu *Portus* incredibilis apparent vestigia (*Regis Opus* 46 diceret *Horatius*) à *Virgilio*, aliisque celebratæ F Scriptoribus, iidem ab *Octaviano Augusto* erectam eandem fuisse asserunt.

Lacus Avernus.

Lacus Lucrinus.

Penes *Cumas* Sylva invenitur *Gallinaria*, de qua in epistola ad *Petum* mentionem facit *Marcus Tullius*. Lacus *Avernus*, *Tripergole* dictus, per quem, *Anchisis* Patris umbram videndi gratia, ad Inferos descendit *Æneas*, à *Græcis Aornus* nuncupatur; propter eximium enim sulphuris fœtorem nullæ ibi supervolitare credebantur aves. Lacus *Lucrinus* penes hunc situs est, vulgariter *Lago di Licola* nuncupatus, atque à Poëtis valde celebratus: Hunc in Lacum Maris in-

ingrediebantur aquæ impetu tanto, ut sæpe hæ *Avernique* illæ, propter vicinitatem, unum eumdemque ex duobus illis constituere viderentur; unde *Julius Cæsar*, magnos ibi elevari curavit aggeres, sed tamen undis haud sufficientes.

Mare Mortuum. In aprico autem, & formoso *Puteolorum* sinu tranquillum, undisque carens jacet Mare, hac de causa *Mare Mortuum* nuncupatum. Hic tutissimus est Portus *Bajarum* apud *Montem Barbarum*, qui a Latinis *Mons Baulus* dicitur, ubi *Herculis* existebat Villa, temporibus iis, *Baulia* dicta, ubi pecudum, suorumque Boum stabula habebat, locusque ab ejus *Bovibus*, *Bauli* fuit vocatus. Hoc in loco paucis abhinc annis incendium fuit illud sulphureæ terræ, de quo jam locuti fuimus.

Baulia.

Fabula de Monte Barbaro. Montem hunc sic vocatum fuisse à *Barbarorum* habitaculis putant ignari, asseruntque imperiti, eos egregium quemdam nobilemque Equitem *Hispanum*, *Petrum de Pace* nominatum, ad montem effodiendum induxisse, magica avaritia ibi Thesauros existere asserentem; Juvenis is, adhibitis fossoribus plurimis, ut absconditas reperiret divitias, nihil præter pulveres, terramque reperiit. Qualis scilicet fraus olim *Neroni* fuit facta, cui Magi promiserant, se Reginæ *Didonis* divitias inventuros, illique ostensuros, ut refert *Suetonius*. Eques ille quapropter, qui pecunias suas certas ad incerta invenienda consumpserat, adeo derisus ab Urbe tota fuit, ut ludus mimicus repræsentatus sit, in quo fossorum horum labores ad vivum depingerentur: ipse *Hispanus* Eques repræsentabatur sub figura cujusdam Presbyteri statura pusilli, & gibbosi, verba & mandata hujus Equitis fingentis & repræsentantis.

Solfatara. Ibi albi sulphuris montes inveniuntur, à nobis *Solfatara*, *à Latinis* dicti, *Græca* voce, *Leucogii*, materiæ sulphureæ exhalantes faces. Terra hæc ardens dicitur à Latinis *Ager Phlegræus*, hoc est terra à visceribus suis inflammata, ubi fabulosi domiti fuêre Gigantes: sic *Silius Italicus:*

> Phlegrei *legere sinus*, Misenus, *& ardens*,
> *Rore Giganteo sedes* Ithacosia Baji.

47 Hoc est *Bajani* viri, cognominati à Patria *Itaca*, unde ortum traxit *Ulisses*, sinus ardentis *Miseni* legerunt.

Sibyllæ Cumææ Antrum. Horridum hic *Sibyllæ* apparet antrum, hodie *la Grotta della Sibylla* dictum, in quam quum ego cum facibus accensis ingressus fuissem, cameras plures vidi, imaginibus multis pictas, in quibus virgines, secreta callentes *Sibyllæ*, manebant; cum ea locutus est *Æneas*, ut scribit *Virgilius*. Templum ibi aderat *Dianæ*, *Apollinisque*, & *Labirynthus*, *Cento celle* vocatus, unde *Dædalus* (ut fabulantur) cereis evolavit alis.

Centum Cellæ.

Lacus Agnani. Non procul igitur à *Coliseo* seu Amphiteatro, *Virgilii Scola* nominato; tertius reperitur lacus, *Agnanus*, ab antiquis valde celebratus; Lacus is vocatur *Agnanus*, quasi *Anguignanus*, à serpentium copia eo confugientium, qui à *Latinis Angues* vocantur: Hujus lacus aqua utilis est ad purganda lina, ab omnibus *Neapolis* Villis ea de causa missa; Hoc in loco parva sed miranda est, tanti fœtoris sulphurei, vel alterius terrestris qualitatis, spelunca, ut quodlibet ibi delatum animal vivens, moriatur, atque suffocetur.

Antrum Canis.

DE BALNEIS.

Varia in Orbe Europæo Balnea. Multis in *Europæ* partibus Balnea reperiuntur, ut in *Germania* (scilicet) in loco quodam *Au* vocato, prope *Rotemburghum*, aliaque penes lacum *Podamicum*, ubi *Constantiæ* exstructa est Urbs; alia in *Helveticis* regionibus, in *Badenio* Marchionatu; illis tamen *Puteolorum* æquiparari haud possunt, loca enim ea Septentrionalia, frigidissima sunt, & intolerabilia, ut *Astensia* Balnea in *Pedemonte*, quæ ipse ingressus fui, loco *Aquis* nuncupato. Alia celebria minus sunt, quoniam à mare procul existunt. Balnea illa di *Mondragone*, licet sint penes *Puteolos*, eis tamen nullo modo comparantur; Cœlo enim tam læto, clemente, salubrique haud gaudent, nulla quippe in mundo reperitur plaga adeo amœna, & aprica, quam nostra *Puteolorum*, dicente *Petrarcha* in Epistola quadam: „Nulla tamen amœnior, nulla frequentior, „quam *Bajarum* statio, quod & scriptores il„lius ævi, vulgi fama, & ingentes murorum re„liquiæ testantur.

Balnea Puteolana.

Scribit insuper *Plinius* nullibi terrarum tantam *aquarum inveniri copiam*, *quam* Puteolis: *Quod nusquam largius aquæ*, *quam in* Bajano 48 *sinu*, *nec pluribus auxiliandi generibus*; *tanta est earum vis*, *ut generatim nervis prosint*, *pedibusque*, *aut coxendicibus*, *aliæ luxatis*, *fractisque*, *inaniunt alvos*, *sanant ulcera*, *capiti auribusque privatim medentur*.

Balnea hæc, quia omnes curabant morbos, *Salernitani* medici invidia moti, prorsus quondam corrupêre: ut scribit *Petrarcha* dicens: „Vidi „rupes undique liquorem saluberrimum stillan„tes; adhibita post medicorum invidia, ut „memorant, confusa balnea. Ad quæ nunc „etiam ex finitimis Urbibus ingens omnis se„xus, ætatisque concursus est.

Quantum vero ad distincta Balneorum nomina, in antiquis quidem scriptoribus nulla earum reperi, nisi in *Marco Tullio*, qui *Puteolos* vocat *Provinciam aquarum*, ab earum scilicet copia; & quia statim post *Tullii* obitum plurimæ in ejus Villa scaturierunt tepidæ aquæ, à *Latinis Aquæ Ciceronianæ* nuncupatæ fuêre, de quibus mentionem facit *Plinius*, sicut & de salutiferis aliis alibi existentibus, ut illis *Balneorum* Oppidi *Montis Draconis* (*della Rocca di Mondragone*) dicens: *In eadem Campaniæ Regione* Sinuessanæ *Aquæ sterilitatem fæminarum*, *& virorum insaniam abolere produntur: Item in* Stabiano *aqua*, *quæ dimidia dicitur: In* Ænaria *insulæ calculosis mederi:* Loquitur pariter de quadam aqua frigida *Theani*, nec non de altera *Venafri*, progrediente à fonte quodam a se vocato *Acidulo:* de his vero Balneis disserere ad me minime spectat, præsertim quum Dominus *Joannes Baptista Elisius*, Medicus *Neapolitanus*, de triginta scripserit *Balneis Puteolis* existentibus ad *Bisignani* Principem, hodierni Principis patrem, *Oribasium*, priscum *Græcum* Medicum, adducens, qui decimo operis sui libro de eis disserens, ea singillatim nominat. *Græcus* iste Auctor à me visus 49 fuit idiomate *Græco*, *Latino* autem nunquam. Ipse insuper *Elisius Galenum* ipsum *Puteolos* venisse ad ea videnda balnea, valdeque miratum eadem fuisse, scribit, deque uno tantum (de illo *Speluncæ* scilicet) locutum fuisse eundem, cœteris in scriptis suis silentio præteritis.

Ego vero de eis quæ mihi nota sunt, de celebribus maxime, & usu consuetis, uti sunt *Balneola* in littore maris penes *Puteolos*, loquar.

Varia eorum nomina & virtutes.

Balnea *Tripergularum*, Balneum *Ariolarum*, Balneum dictum *Cantarellum*: Balneum *Sanctæ Mariæ*, Balneum *Scrophularum*: de duobus testimonium referre ipsemet possum, de illo, nempe Lacus *Agnani*, ubi domuncula est quædam, in quam ingressus fui morbo quodam correptus, à *Lombardis Sidrato*, quasi, *Syderatus*, vocato, è Stellis enim provenire fertur morbus is. Purgato vero corpore, & nudus ingressus fui (ad balnea enim nisi prius purgato corpore accedere haud licet) ac quolibet momento peccantis humoris guttæ egrediebantur, quapropter per mensem moratus ibi fui, contractaque membra paulatim soluta fuêre, & sanus evasi: Ad aliud deinde perrexi *Sudatorium*, in *Tripergulis* ad ripam *Magni Montis* ardentis, ubi longa, arcta, obscuraque reperitur spelunca; (miranda equidem res) stando, sudorem emittes, inclinans vero in terram, frigesces: vocatur locus iste *Tritulum*, ut scribit *Elisius* à voce *Græca Tritaios*, significante *Tertianam*, hoc quippe *Balneum* febrim curat *Tertianam*; vocatur etiam *Balneum Navis*: plures de loco ad locum in Monte *Sulphataræ* ebullientes aperte conspiciuntur aquæ: Antiquitus autem in Monte *Falerno* (nunc Monte *Marsia*) ibique in *Monte Draconis* rupe, multæ ferventes scaturiunt aquæ, quas *Nero* in Mirabilem suam *Piscinam* congregare voluit, quæque hodierno quoque die cernuntur cum multis columnis Porticum fulcientibus.

Plura insuper prisca monumenta (privatorum tamen) in quibus ægrotorum effigies pictæ erant, atque in iisdem simulacra ex lapide excisa fuisse ibi leguntur; unumquodque *Balneum* sua gaudebat effigie, ut (exempli gratia) *Scrophulæ Balnei* petrâ laborantis hominis erat effigies, quoniam *Balneum* illud tali morbo mederi solet, idemque in cæteris observabatur: & hæc sufficiant quoad delectabilem locum eum, ubi hyemis etiam tempore, (quæ acerbior anni est pars) plurimi ægroti, nobiles ac divites accurrunt: Miror persæpe, quare tot steriles mulieres concipiendi gratia eo veniant; quum naturam, ad effectum talem, aquam haud produxisse bene sciam, sed purum esse credo commentum alicujus Medici, fæminis persuadentis, quod si sese isto lavent *Balneo*, gravidæ sint futuræ: Ecce nunc loca omnia antiqua Regiæ Urbis tibi indicata sunt; in qua vos docti viri splendide
50 commoramini, cujus honestissimi Cives, colendique Equites, & Principes Regni, viri gravissimi, tibi gratias reddent quam plurimas (pace quod tua dictum sit) literarum studiosis, tantarum rerum, tuo monitu & jussu, mea opera monstrata cognitione, licet stylo rudi in lucem prodeat; Secundam nunc accipe Partem, Laudes *Neapolis* complectentem, de qua (in Epistolis videlicet) mentionem feci.

URBIS NEAPOLIS LAUDES.

Dulcem vocavit *Neapolim Virgilius* dicens:

> *Illo* Virgilium *me tempore* dulcis *alebat*
> Parthenope *&c.*

Dulcem inquâm vocavit; delectabilem scilicet & jucundam; *dulci*que revera in loco sita est Urbs, & non in aspero, saxosoque, ut *Genua*, non in melancholico, uti *Roma*, non frigidissimis in locis, uti *Mediolanum* existit; sed pulchro, apricoque Colle, suaviter in planitiem descendente ad amœnum sui tranquilli maris littus: Eximiæ pulchritudinis censendam esse fæminam, quæ dulcem habet vultum, putant formosæ
A mulieres, unde & ait *Petarcha*:

> *Un atto dolce in donna assai m' aggrada*

Merito igitur *Virgilius* eam *dulcem* dixit, dulcedine quippe omni, intuituque suavi repleta est Urbs ista, læto, temperatoque ejus aëre considerato. *Dulcis* hæc Urbs aliarum facta est Dominatrix, ac honestis nobilissimorum studiorum otiis, intuitu suavi, gratisque amplexibus olim in otioso suo, vastoque diversorio omnes reciepiebat illos, qui diuturnis studiis famam sibi adepti erant claram: idcirco vocata
B fuit *Neapolis* docta; teste *Ovidio*:

Neapolis dulcis & docta.

> ——— ——— *Et in otia natam*
> Parthenopen.

Recordarisne te legisse, vel audivisse *Neapolim* in se fovisse civem *Archiam Poëtam*, *Marci Tullii* præceptorem? *Lucium* nonne habuit Poëtam, qui post mortem publicis exequiis elatus fuit? *Neronem* nonne vidit Imperatorem? quando scænica sua, atque ad Theatrum spectantia carmina recitavit? *Brutus* non ne hic habitavit, sicut *Cicero* ad *Pomponium* scribit *Atticum* dicens:

C
> Bruti *nostri Hospitæ*, (&) *qui* Brutum Neapoli *reliquerunt*.

Plurimique alii *Romani* Cives *Neapoli* partim voluptatis, & lætitæ causa, partim artium liberalium studio commorati sunt, *Statium* laudantes Poëtam *Neapolitanum*, Patrem suum, qui obscurum *Lycophronis* Poëma *Neapoli* interpretabatur. Explicabantur tempore illo Scriptores *Græci* & *Latini*, quapropter in usu tunc erat sermo *Latinus*, *Græcus*que, mixtione quadam grata, ac emendata, ita ut *Pompejus* suum desereret *Latino-Romanum* idioma, 51
D illoque *Neapolitano* uteretur; ut refert *Marcus Tullius* ad *Pomponium Atticum*.

Redeo ad rem: quomodo expectabam Epistolam, quam Philoxeno *dedisses*, *scripseras enim esse de sermone* Pompeji Neapolitano, *eam mihi patronus* Brundusii *reddidit*; Corcyræ, *ut opinor*, *acceperat*, *nihil potuit esse jucundius*.

Suavis hic *Latinus*, *Græcus*que sermo, quem diligebat *Pompejus*, ab Imperio *Romanorum* ad illud usque *Constantini* perduravit: In insultibus deinde *Barbarorum*, *Gallorum*, *Normannorum*, *Gallorum Andegavensium*, *Germanorum*
E *Suevorum*, *Hispanorum*que, adeo depravata fuit lingua nostra, ut *Græca* amplius non sit, neque *Latina*; imò quo magis à Magnatibus affectabatur *Romanis*, tanto ab *Italis* jam accurata loquentibus spernitur. Quemadmodum vero docta *Neapolis* illa mirifico amore eruditos recipiebat, ita & ipsa homines reddebat doctos, uti *Virgilium*, quem & vivum & mortuum sinu suo recepit: sic & nostris pariter temporibus Poëtam fecit doctissimum *Pontanum*, *Virgilianum Sincerum Sannazzarum*, *Gravinam*, *Summontem*, *Hieronymum Carbonam*, *Hieronymum Borgam*, Ducem *Atri*, *Cariteum*, alios, mille *Athænas*
F milleque *Romas* jam ingredi merentes. Hodiernis autem diebus gratiosæ, doctæque *Musæ* divinorum ingeniorum Adolescentium *Neapolitanorum* amore captæ, laudari se celebrarique à tribus Nobilissimis *Neapolis* Academiis gaudere multum poterant, in quibus tot Studiosi, nobilissimique adolescentes de studiis gratulantes morarentur, in literarum studiis cosumentes horas illas, quæ ab aliis contemnendis ludis impenduntur, vanis, inutilibusque rebus, tempus (quo nihil pretiosius) amittentibus.

Multi Poëtæ Neapoli floruerunt.

At ego quidem vere ignoro à quo nunc *Inferni* angulo

gulo diabolica exierit discordia, quæ eos à bono, laudabilique exercitio avertit, ac furia infernalis, quæ tantum non suspectam facit antiquam laudem doctæ *Neapolis*, ubi tot quondam docti viri *Neapolitanorum* eruditione attracti conveniebant, ut testatur *Pontanus*;

„ Nam qua humanitate doctos viros, quique „ ea in Urbe literis, rerumque naturæ cognitioni operam dabant, Cives ipsi complecterentur, aperte illud docet, quod *Græci*, *Latini*que, Augustorum temporibus, *Neapoli*, tamquam in studiorum suorum Matris sinum, secedebant.

52 Hoc idem confirmatur à *Marco Tullio* vocante *Neapolim Romanorum* matrem, sic ad *Atticum* scribente: Domitii *filius transiit* Formias *octavo Idus*: *currens ad Matrem* Neapolim:

Juremerito *Matrem* vocavit, ipsa enim materno, lætoque vultu omnes cives amplectebatur *Romanos*, quibus adeo fidelis extitit, quam temporibus nostris omnes recipit mercatores Urbem nostram locupletis commercii causa accedentes, & merces ibi comparantes nobilis Regni, quæ in aliis Mundi partibus in tanta non habentur copia, *Sericum* (puta) *Grana*, *Olea*, *Mannam*, *Amygdalas*, *Crocum*, *Xylinum*, aliaque pretiosa mercimonia.

Quid autem dicemus de tot illustribus Equitibus, belli infortuniis ad Urbem istam nudis accersitis, quos tamquam dilectos filios suos non tantum decore magno induit, sed & Statibus multis dominiisque locupletavit. Quid insuper de tot tamque variis Artificibus, qui in dies laborantes ditescunt. Heu! Heu! quam doleo, & gemo, quod sæpe adoptetur ei effigies illa simplicis Ovis Lupum lactantis, & pro Matre dilecta, odio, tamquam Noverca, prosequatur; &, quod mihi magis cordi est, Doctorem quemdam ubera *Neapolis* sugentem, tamquam rebellem filium proferre ausum fuisse: *Neapolim* Patriam haud nostram, nec liberam esse Rempublicam, quum *Cæsari* sit subjecta. Quinam sit iste, ignoro: vel calumniosum sanctarum Legum intepretem, vel verum patriæ inimicum esse puto: variæ hunc ego Lectionis frequentissimarumque auditionum virum haud fuisse existimo; multorum opera legi, pluresque, doctosque audivi viros, prout quisque de se præsumere sibi posset, nunquam tamen tale audivi inconveniens dictum, unum solummodo sciens, quod, Nativitatis locus, Patria vocetur; ubi igitur invenitur hæc Logicalis consequentia? *Neapolis non est Respublica*, *ergo non est Patria*: Respondeat quæso mihi ille, *Roma* nonne *Cæsari*, aliisque subjecta fuit Imperatoribus? Quomodo ergo *Tullius* eam sic *Cæsari* subjectam, Patriam vocavit suam? Si vero Doctor is sic fatus est, mirum ne videatur, ex peritis quippe non est Advocatis illis, de quibus Sanctus loquitur *Jurisconsultus*: *Boni*, *& æqui observantissimus*, *cujus merito quis nos Sacerdotes appellat*.

Neapolis formosissima. Inter formosas *Italiæ* Urbes, formosissima reputatur *Neapolis*, quum ipsa olim dulce *Romanorum* receptaculum extiterit; colligi hoc potest ex ornatu tot mirandorum Ædificiorum, quæ à Magnatibus illis erigebantur. *Marcus*
53 *Tullius* idcirco, Palatium possedit *Neapoli*, ut ipse in libro Familiarum Epistolarum nono, *Papirio Peto* scribit, dicens: *Quod autem altera Epistola purgas te*, *non dissuaderem mihi emptionis* Neapolitanæ *fuisse*: Ipse *Marcus Tullius Pomponio Attico* scribens, de Palatio quodam mentionem facit, *Neapoli* à *Marco Fonteio* a *Rabirio* (Cive *Romano*) empto, dicens: *Do-*A *mum* Rabirianam Neapoli, *quam tu jam dimensam*, *& exædificatam animo habebas*, Marcus Fontejus *emit*: A *Plinio* quoque incredibiles referuntur Equitis cujusdam *Romani* divitiæ in ornandis *Neapolis* ædificiis consumptæ, dicente: *Par*, *& fratri ejus merces à* Claudio Cæsare *infusa est*, *censusque*, *quamquam exahusti operibus* Neapoli *exornata*.

Municipium Romanorum. *Neapolis*, *Romanorum* fuit municipium (hoc est Urbs *Imperio Subjecta*) *Romanis* tamen gaudens privilegiis, ut ait *Marcus Tullius* libro tertiodecimo Epistolarum Familiarum, *Acilio* Proconsuli ita scribens:

B Lucius Manlius *est Socius*, *hic fuit* Catinensis, *sed est una cum reliquis* Neapolitanis *Civis* Romanus *factus decurioque* Neapoli. *Erat enim adscriptus in id Municipium* Neapolitanorum *ante Civitatem Sociis*, *& Latinis datam*.

Eundem *Lucium Manlium*, Civem *Neapolitanum*, refert *Marcus Tullius* alia in Epistola, suum familiarem amicum, literisque ornatum fuisse, dicens:

Lucius Manlius, *Civis* Neapolitanus, *in primisque ipsum virum optimum*, *mihique familiarissimum his studiis literarum*, *doctrinaque præ*C *ditum*.

Ex *Ciceronis* hisce verbis facile colligitur, olim laudi fuisse literato Equiti, inter Cives *Neapolitanos* numerari; perduravit hoc decus ad *Barbarorum* usque ingressum, qui ædificia *Neapoli* barbaro suo more erexerunt, ut columnatæ fenestræ Palatii prisci Ducis di *Termole*, Illustrissimique *Annibalis* à *Capua*, eæque Domini *Colæ Milani*, aliæque plures testantur: Magnifica deinde erecta fuère ædificia more hodierno juxta antiquam *Doricam*, *Corinthiam*, & *Thuscam* Architecturam, à *Joanne Normanno* 54
D *Florentino* inchoata, qui domum suam è regione *Sancti Gregorii* construxit: inter quæ illud Domini *Ferdinandi* à *Sangro* eminet, in cujus artificiosis, formosisque fenestris curavit apponi munimenta, à Latinis *Pluteos*, noncupata: eodemque tempore *Gabriel* ab *Angelo Neapolitanus* mirabili arte Palatium Illustris Ducis de *Gravina* commodis infimis stationibus Palatii *Farnesiorum* instar, *Romæ* (à *Corte Savella*) erexit; pulcherrima utraque sunt ædificia; plurimaque alia à variis Architectis, arte maxima eximiisque expensis constructa videntur, ut *Neapolis Formosæ* apud omnes nomine gaudeat, præ qualibet
E alia pulchra inter pulchras Urbes; Cujus pulchritudini temporibus nostris Excellentissimum Dominum *Petrum* à *Toledo Neapolis* Vice-Regis splendorem addidisse haud negari potest, eam formosiorem aliis reddentem, per quem in qualibet plateâ clari inveniuntur fontes, quos in aliis haud reperies *Italiæ* Urbibus. Nobilis (*Italicè Gentile*) insuper fruitur peculiari nomine, & licet in aliis nobilissimis *Italiæ* Urbibus magna copia existant nobiles, *Neapoli* uni hoc attribuerunt nomen, à *Petrarcha* diversimode descriptum, dicente: Sanguis *nobilis*, *illustris*:

F *Chinava à terra il bel sguardo gentile*:

Id est *civilis* & *humanus*,

Le mani bianche gentili, id est *mollis*

Gentil mia donna, *io veggio*, id est *venusta*

Quel spirito gentil id est *grandis*

Ecclesia vero in alio sumit sensu hoc verbum *Gentile*, hoc enim nomine nuncupantur omnes ii, qui *Christum* haud fatentur, more *Hebræorum*, *gentiles* vocantium omnes, inter Populum electum *Israël* haud numeratos: Sic de *Virgilio* à *Dante* dicitur:

Quel savio Gentil, *che tutto seppe*.

Nos autem hoc nullo ex iis accipimus sensu ver-

bum illud *Gentile*, (*Latinis* Nobilis) more sumentes antiquo *Latino*, cujus significatio descendere indicat ex nobilissima prosapia, qualis est ea *Caracciolorum*, *Carraforum*, pluriumque aliarum: Et quoniam nobilitas tanta in aliis haud reperitur Civitatibus, hac de causa nomen hoc *Nobilis* (*Gentile*) *Neapoli* magis quam aliis competit; idem autem est in vita quotidiana *Nobilis*, (*Gentile*,) ac *civilis*, & *politus*, hoc est non rusticus, & plebeus: significat enim civilis nobilem, non civilis plebejum, & popularem, quum nostra in Urbe tot distincti reperiantur Barones, totque illustrissimi domini armis insigniti, quibus verum nobilitatis nomen (*di gentilezza*) jure merito adepti sunt.

55 Et licet viri inveniantur priscis divitiis nobiles, Equitibus tamen nostris *Neapolitanis* haud comparandi sunt, quia (sicut teste diximus *Petrarcha*) nec nobiliores, nec illustriores iis inveniuntur, indifferens enim est nobilem esse mercium divitiis, an mediantibus honoribus militaribus, nobilitatem literis adeptam (omnibus communem) haud excludo; Unicam, & singularem proponam nunc rem, nobilia Equitum *Neapolitanorum* insignia spectantem; duo super alia pulchra eorum cognomina possidet singularia, *fidelitatis* (scilicet) *verique Christiani* nomen.

Fidelis & vere Christiana.

Tecum usque adhuc, Lector, differere volui; Amor nunc Patriæ talis, tantusque mihi oboritur, ut cogar digressionem facere, & utroque isto nomine *Carolum Quintum*, Imperatorem (cui hæc competunt nomina) alloqui, quapropter omni alio apparatu eloquentiæ, verborumque splendore, vanoque proëmio prætermisso, Majestati tuæ notum sit, *Neapolim* in primis *Romano* fuisse fidelem Imperio, ut *Marcus Tullius* testatur in Oratione pro *Sylla*, dicens, *Syllam Neapolim* Urbem venisse, quam Senatus de nulla umquam conspiratione suspectam habuit.

Hic (Sylla *nempe*) *contra quievit, ut eo tempore omni* Neapoli *fuerit, ubi neque homines hujus suspectionis fuisse putatur, & locus ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandum accommodatus.*

Qua fidelitate usa nonne ipsa fuit *Constantini* Imperatoris tempore. Fidem secundo integram nonne eidem servavit Imperio, quando *Gothi Romam* cepêre? quæ à *Neapoli* nunquam relicta fuit, ut testantur historiæ, & de quo mentionem facit *Pontanus* in libro de bello *Neapolitano*:

„Sed & post dirutum à *Gothis Romanum* Imperium, eamdem nonne constantiam retinuit „adversum eos, qui rem *Romanam* etiam qualemcumque tenuêre?

Normannis pariter fidelis fuit, & *Frederico Barbarossæ*, multoque fidelior successoribus Regis *Caroli Andegavensis* seu *Dyrrhachini*, ut in operibus suis *Latinis* asserit *Petrarcha*, *Neapolitanorum* fidelitatem extollens his verbis:

56 „Quod ita esse ipsa *Roma* testatur, quæ bello *Punico* secundo, afflictis Imperii rebus ab „omni fermè *Italia* derelicta, imo attrita quidem ab omnibus, & oppressa à *Capuanis* ante alios, vicinis nostris, de quibus optime „merebatur, pro quibus multa & magna bella „gesserat, prodita, & injurias perpessa gravissimas, *Neapolitanorum* liberalitatem eximiam, ac „fidem extremis suis sensit in rebus, unde & „ego veteribus, & novis argumentis inducor, „ut censeam, qui *Parthenopem* novit, & non „amat, aut non nosse, aut non amare virtutem.

A *Pandulphus Colenutius* de *Neapolitanis* mendax, & malignus scriptor, in suis *Chronicis* asserit: *Regnicolos* tantæ esse inconstantiæ, ut, *si non rebellent, id fiat, quia contra quem rebellaturi sint, ignorent:* hocque e *Livio* adducit libro primo de bello *Macedonico*; qui tamen verus, & priscus Historicus, non de omnibus loquitur *Regnicolis*, sed de *Calabris* tantummodo, *Lucaniæ*que incolis, hodie *Basilicata* dictæ: hæc sunt ejus verba:

Sed Lucanus, *&* Brutius *ab nobis defecerunt. Hæc vos, si* Philippus *in* Italiam *transmiserit quietura, aut mansura in fide creditis, mansere*B *runt enim* Punico *postea bello. Nunquam isti populi nisi cum deërit ad quem desciscant, ab nobis non deficient.*

Ecce quomodo is gnavus doctrinæ ostentator *Livium* interpretatus sit: Nec de *Lucanis* omnibus loquutus est *Livius*, sed de exulibus tantum, sic scribens in nono libro ab Urbe condita:

Lucanorum *Exules circa se pro fidis habebat, ut pleraque ejus generis ingenia sunt cum fortuna mutabilem gerentes fidem.*

Dicam amplius quod diebus iis, quorum C mentionem facit *Livius*, *Lucani*, & *Calabri*, *Græci* fuerint, non *Itali*, ut ex lectione ejusdem libri apparet:

Quis igitur Auctor *Neapolitanos* fidelitate, ac liberalitate magis laudat quam *Livius*; secundus liber tertiæ legatur *Decadis*, orationemque Oratorum inveniet *Neapolitanorum*, 57 qui *Neapolitani* Populi jussu, *Romano Senatui* quadragintas obtulêre pateras, extrema tunc existente *Romæ* calamitate: sic ait Pontanus:

„Mihi quidem visi sunt *Romani* Imperatores „contendisse invicem in magnifacienda, atque D „illustranda *Neapoli*, adversum quos Civitas „ipsa constantissimam ubique fidem servavit. „Nam qua fide, qua animorum affirmatione „fuerit post eam stragem, rerumque calamitatem tantam, qua dux *Carthaginensium Amnibal* Populum *Romanum* affecit *Punico* secundo bello, ipsæ *Romanorum* historiæ docent.

Quia igitur *Collenutius* unus, verus Agyrta & ignorantiæ magister, illustribus nobilissimisque adversatur scriptoribus, ad sententiam nostram probandam citatis, in *Regni Chronico* scribens, omnes Regni Barones proditores extitisse, expresse Comitem nominans *de Caserta*, E ut qui fuerit Regis *Manfredi* dux Generalis contra Regem *Carolum* Primum, & contra *Manfredum* Regem rebellaverit, & multis comitantibus Equitibus, ac militibus ab exercitu ejus recesserit.

Huic imprudenti scriptori, absque sano consilio scribenti haud respondeo: nec apud Majestatem Tuam verum *Cæsarem* dominumque nostrum, hunc rebellionis actum defendam: odiosum quippe, & Deo; à quo anima nostra (opus manuum ejus) etiam quum rebellat contra illum, dependet, atque Principibus pariter, quibus Deus nos subjecit, ita ut absque F dubio dignè puniri mereatur. Considerandum tamen nobis est, quod illustris vir duabus de causis à supremo domino suo desciscere aliquando possit, aliqua scilicet manifesta, notabilique indignatione, vel aliquo alio animi decreto: Ab altera Principes, (Majestati Vestræ pares) cavere debent, ne spernant eos qui fideliter serviunt: secunda vero haud toleranda est: in avaros præcipue, qui nunquam aliquid honore dignum faciunt, si cadat. Comes quapropter de *Caserta*, uxore relicta, ut *Manfredum* ad bellum sequeretur (mille variorum mortalium

lium armis circumseptum) animo suo juvandi ejus gratia processit. At vero eundem Comitem *Manfredus* cum hoste certaturum mittere haud debuerat, ut sibi curaret interim occasionem domum illius ingrediendi, atque cum ejus uxore venereas suas satiandi voluptates, dedecoreque summo Comitem (tam egregium virum) afficiendi; tanquam scilicet alter *Davidus*, qui, ut *Barsabea* frueretur, maritum ad pugnam, in qua fraude ejus interiit, misit: Et quamvis dici posset, Comitem occidere debuisse *Manfredum*
58 Regem, & non in rebellionis ignominiam ruere; silere tamen nequeo, quod quum eum occidere non potuerit, nec tamen tantum concoquere dedecus, inde quod par pari retulerit, & pudorem suum ita sit ultus, mereatur excusari Comes de *Caserta*.

Dico igitur, similibus in rebus illum qui causam iræ tam justæ præbet, mereri pariter injustitiam & pœnam: Hæc eadem vero res tecte, verbisque obscuris in *Philocopii* Procemio narratur à *Boccacio*.

„*Alecto*, Furia Infernalis, dimissis eis, ad „alios reversa est, ab ipsa ad crudelia jam cer„tamina excitatos, ac Magnatum animos ini„qua in supremum suum Principem volunta„te replevit, illis ostendens, quomodo conju„gales eorum toros venerea libidine violassent; „quos nefaria voluntate, ac ira prægnantes re„liquit, ac quo venerat reversa est.

Circa autem illud, quod de *Baronibus* contra *Ferdinandum* Seniorem rebellantibus, fertur, sciendum est Majestati tuæ, majorem hujus Regni *Baronum* partem collectam tum fuisse ex *Normannis*, vel ex *Gallis Andegavensibus*, vel ex *Suevis Germanis*, qui, naturali nobilitate sanguinis suæ, Dominum, à Natione ipsorum tam alienum haud pati poterant; & præterea Rebelliones eas in omni regione, ac sub omni Principe accidere solere:

Rex *Galliæ* à suis derelictus fuit *Gallis*, contra quem Dux *Burgundiæ* rebellavit; tempore etiam præsenti Principes quidam *Germaniæ* tuæ non solum rebellarunt, sed etiam coram fælicissimo, potentissimoque exercitu tuo sese armatis agminibus offerre ausi sunt, licet ab invicta Imperii vi justum eis impositum sit frænum.

Similiter propter *Equitem* illum *Hispanum* Ordinis *Hierosolymitani Sancti Joannis Baptistæ*, Magnus Ordinis istius Magister prodidit *Turcarum* Imperatori *Rhodum*, atque tradidit: de similibus erroribus plures narrari possent casus, cum variis causis, modo justis, modo injustis: sed nos cum aliis ex una dealbati sumus fidelia; verum enim est, malis opponi bona, majoris existentia ponderis; licet certè aliquando *Barones* aliqui (non tamen omnes) à Rege *Ferdinando* Seniore rebellaverint, alia rursus vice fœdus inierunt omnes contra *Albaniæ* Ducem, qui annis præteritis in Regnum, ut illud sibi submitteret, irrupit.

Barones ii (res quidem rara, dignaque visu) singuli militia sua comitati *Neapolim*, ordinate, ut Regnum pro Majestate tua servarent, ingressi sunt. Imo ut legentibus clarius memoriæ tradam, de singulis *Baronibus* hisce men-
59 tionem faciam, qui parvi (Majestati tuæ fideliter serviendi gratia) vitam suam æstimarunt.

Catalogus fidelium & bellicosorum Neapolitanorum.

Præterito sæculo duo magni vivebant una cum Pontifice Reges, Rex scilicet *Catholicus*, Majestatis tuæ *Avus*, & Rex *Galliæ Aloisius*, Papa vero erat *Julius*: Hi duo Reges, alter de alterius Imperio zelotypi erant, *Vicarius* autem *Christi* ambos ex *Italia* pellere cupiebat,

A omnes vero quid singuli cogitarent, invicem conscii. Rex *Catholicus*, qui prudentissimus erat, Illustrem *Andream* de *Capua*, Ducem *di Termole*, cum quingentis equitibus, sexque millibus peditum in *Lombardiam* misit, ad impetus *Gallorum* coërcendos, quo ibi manente, *Gallorum* exercitus *Italiam* ingredi haud ausus fuit, is vero res ita callebat militares, adeoque Papæ gratus erat, ut ab ipso Sanctæ Ecclesiæ *Vexillifer* electus fuerit; *Romam* itaque ad osculandos Pontificis pedes ingressus, à *Columnensibus*, *Urbinique* Duce, invidia motis, veneno peremptus fuit. Primus itaque is extitit, qui Reg-
B num tranquille redemptum, tamquam insignis miles, consueta *Neapolitana*, ac antiqua fidelitate Majestati tuæ servavit; unicus ejusdem quoque filius *Ferrans*, eximiis belli in *Lombardia* toleratis laboribus, ibidem obiit. Illustris dein *Prosper Columna*, indefessus servitiis suis præstandis, consueta fidelitate *Romanis Cæsaribus Augustisque*, ad mortem usque fidelissimus perseveravit.

Celebris insuper ille *Fabricius Columna*, inter tot egregia *Ravennæ Rotæ* præstita servitia, ab Duce Illustrissimo *Ferrariæ* in summum Regis *Galliæ* Ducem electus fuit; quando
C exercitus *Catholici* Regis, temere passim vagabatur, dominoque de *Fois* defuncto, qui *Neapolitano* cupiebat succedere Regno. Nec dicere juvat hos insignes milites *Romanos* extitisse, *Barones* enim fuêre Regni, à Regibus *Arragoniæ* nostris creati, diuque *Neapolitani* idcirco fuerunt, & non *Romani*. Quinam igitur emendatus, purissimique atramenti calamus, vivis delineare chartis Marchionum à *Pescara*, atque à *Guasto* miranda gesta valebit? Horum, quoniam Majestati tuæ notissimi fuêre, duo tantum bellica exponam gesta.

D Vivente *Catholico* Rege; quum bellicosus eximiusque exercitus ejus obsederetur in *Vicentino* Territorio à *Bartholomæo de Alviano Venetorum* Duce; licet *Raymundus* à *Cardona*, celebrisque *Prosper Columna* præcipui ibi adessent Duces, stratagemate nihilominus bellico magni Marchionis à *Pescara*, obsessi liberi evasêre, militibus *Venetis* obsidentibus peremptis, aliisque exutis armis suis, ac *Bartholomeo* ab *Alviano* fugato. Victoriosus is Exercitus ab eo tempore Majestati tuæ *Italiam* reddidit:

Hic, inquam, eximius Marchio, mundi hi- 60
E storias, priscumque militandi modum callens, quum in *Livio* legisset *Lineum agmen*, antelucanam reperiit aggressionem, per quod militare inventum memoranda die illa Sancti *Matthæi Apostoli* victus Rex *Galliæ*, Majestatisque tuæ captivus factus fuit; quamvis quidam asserat, laudem deberi *D. Carolo de la Noy* Regni Vice-Regis tunc Agminum Duci; cum tamen Legatus Papæ *Clementis* Septimi in *Lombardiam* (ad finem tanti belli videndum) missus, Papæ scripserit, quod Marchio à *Pescara* non aliter virtutis suæ corruscantes diffun-
F debat radios inter milites Cæsareos, ac *Sol* suos super terram, qui sane & videri & sentiri possunt.

De Marchione vero *à Guasto* rem modo unicam dicam (de celebratis enim tantopere ab omnibus viris multum rudi loqui stylo, dedecore eos afficere videretur) Natus hic, quum admirabilis esset pulchritudinis; reprehensione procul, tot vivas suorum illustrium Avorum imagines spectans, vitam quietam, atque à rumoribus militaribus remotam, agere poterat: sed quia attente effigies eas considerabat, easdem imi-

imitandi ardore accendebatur; annum igitur quartumdecimum agens, Marchionem *Pescaræ* sequutus est ad conflictum *Ravennæ*, post aliquot deinde annos, adhuc juvenis, Chiliarchus functus die eo, quo captus fuit Rex *Galliæ*, paulatim variis in bellis strenui, & fidelis militis adeptus est famam, ut Majestatis tuæ Locumtenens in *Italia* à te creatus fuerit. Nec obstant, horum originem *Hispanicam* esse; origo enim ea remotissima est, à nobilissimo enim, illustrique descendunt sanguine Prosapiæ *ab Aquino*, *Neapolitanæ*, idcirco vocantur *d' Avolos ab Aquino*. Priscum hoc nomen, pulchraque hæc *Italica* vox, pro lumine, splendoreque illi *d' Avolos* apponitur.

Quis ergo certamen illud, victoriamque silebit castrensem ab illustrissimo *Salerni* Principe obtentam; eo inquam tempore, quo Majestatis tuæ agmina infortunium ad *Cerasuolam* passa sunt: Acies quapropter *Gallorum*, *Italorum*que auctæ, ut eam Majestati abriperent tuæ, huic majori fuissent damno, dirutæ nisi ac dispersæ fuissent à strenuo *Salerni* solo Principe, qui in militaribus expeditionibus fidelissime te comitatus est.

Reverendissimi Cardinalis *Caraccioli* fidelitas minime omittenda est, tempore enim Protonotariatus sui, singulari prudentia *Statum* rexit *Mediolani*; majoribus etiam laudibus dignus est Dominus Comes *Hieronymus Tuttavilla*, *Sarni* Comes, hodiernique Comitis Pater: Hic arma induit pro liberanda *Neapoli* primusque eâdem liberata exiit ad recuperandum *Sarnum*, *Nocera*,
61 *ram*, partemque *Terræ Laborinæ*. Ad expeditionem deinde perrexit *Cori*, tamquam Principis *d' Oriæ* Locumtenens in mari, Duxque Majestatis tuæ Generalis Terra; *Tuneti* deinde contra *Mauros* dimicans; in Majestatis tuæ conspectu occisus fuit: Illustrissimus dein *Vincentius Tuttavilla*, ejus filius, Majestati adfuit tuæ in *Algierii* oppugnatione, majoris fidelem operam erga Majestatem tuam Imperialem quam defuncti Patris memoriam, æstimans.

Magnæ fidei parva haud fuit nota illa Excellentissimi *Fabritii Maramaldi*, quando fidelitate, diligentiaque tanta Portam custodivit *Oppidi Novi*, in obsidione *Neapolis*, militibus *Italis*, *Germanicis*que, cæteris in *Lombardiæ* bellis præclaris gestis ejus omissis. Et recenter Illustrissimus Dominus Dux à *Castrovillari* ardentes *Solis* æstus tolerans, cum Agminibus è *Germania* veniens, puerilibus adhuc annis, pro Majestate tua stetit contra *Germaniæ Lutheranos*. *Barones* ii Vasalli Majesti tuæ fideles indesinenter extiterunt,& licet debitam servare fidelitatem tenenantur, de hac nihilominus disserui in gratiam memoriæ eorum, qui *Neapolitanos* nostros fidelissimos suo *Cæsari* semper extitisse legunt: Verum omnibus aliis omissis, quæ majora fidelitatis nota dici potest, quam ut in momento oculi, Civitas tota, iracundia quadam, armis captis, ad Majestatis tuæ signum ea illico dimiserit? Dignemerito igitur, omnique dubio procul dici potest, verum *Neapolis* vexillum *Fidelitatem* esse; ac de ipsa verissimi cani posse & debere hos duos versiculos.

Se bene il fin della mia vita sento,
Non curo morte per servar mia fede.

Quod quum Majestati tuæ innotescat, ut certa detur aliquibus fides, qui tumultibus hisce ultimis forsan de hoc dubitarunt, *Neapolitanæ* scribens Urbi, eam fidelissimo tuo signo atque vexillo honorasti: Quantum vero ad illud mendax, vanumque dictum, *Neapolis* vexillum esse, *animal quoddam, quod loricam supra dorsum tenens antiquam, novam respicit*: Tale quidem nunquam ego intuitus sum, illud enim Urbis est, *Campus dimidio sui aureus* qui color *Solis* est (antiquitus à *Neapolitanis* adorati) *dimidioque rubeus*, qui color est *Lunæ* (mane rubentis propter vapores, quos à Terra ipsa recipit, quum Planeta vicinior terræ sit aliis) ab ipsis pariter cultæ *Neapolitanis*. Quæso si de *Italorum* inconstantia mentionem facere hic mihi liceret, tale Animal lorica simili ornatum ad reliquos potius pertinere *Italos*, quam ad *Neapolitanos* dicerem; Sed ne longior evadam & maledicentiæ reus, spernendo talem sermonem, potius silebo. Præcipuum *Neapolis* cognomen est; *Neapolis Christiana*
Neapolis Christiana; sic nominatur à *Petrarcha* in suis *Latinis* Epistolis, septuagesima scilicet; 62
Majestati quapropter tuæ sciendum est, Sanctum *Apostolum Petrum* ex *Antiochia Neapolim* venisse, primumque Sacrificium Panis, & Vini oblatum ab illo, tamquam secundo *Melchisedeco*, in loco fuit *Sancti Petri ad Aram* exinde nuncupato: Mulierem convertit *Neapolitanam* nomine *Candidam*, quæ præceptis *Christi Jesu* ab Apostolo imbuta, divino accensa amore, Sanctum rogavit *Petrum*, uti ad fidem pariter converteret nobilissimum quemdam *Neapolitanum* Civem, vocatum *Aspremum* ex prosapia *Siculorum*, & quia podagra laborabat, Sanctus *Petrus* baculum suum, ut illi innitaretur ei misit: Vir iste Apostolo obediens, accessit ad eum, ac Sancti *Petri* verbis *Christianus* factus est, & deinde *Neapolis* Episcopus ab eodem Apostolo creatus, Sanctus *Aspremus* dictus fuit. Tota quapropter Urbs admiratione hujus podagrici atque miraculo mota, lecticæ enim loco, propriis recessit, ususque deinde est pedibus, ad *Christi* fidem conversa est: sicque primi *Christiani Italiæ Neapolitani* fuêre, *Neapolis*que prima inter omnes *Europæ* Urbes *Christianam* professa est fidem: & quia prisca, & nobilis *Sicula* Prosapia usque ad *Normannorum* adventum perduravit, annis circiter nongentis fides *Neapoli* identidem *Christiana* absque ulla hæresis suspicione observata fuit. *Normannorum* Dominio exstincto, illud incepit *Germanorum Suevorum*, *Neapolim* accersito *Frederico Barbarossa* Imperatore, atque acquisito *Hierusalem*, Regnoque adjuncto, magis, magisque *Neapoli Christi* fides augebatur.

Imperio pariter *Germanorum* finito, *Andegavensis* Prosapiæ Reges accessêre, dominatique sunt annis circiter trecentis: *Galli* ii semper pure *Christi* fidem colentes, jam ante Domini Incarnationem natura sua religionibus dediti erant, teste *Julio Cæsare in Commentariis suis, libro sexto de bello Gallico*, de Theologia *Gallica* his verbis:

Natio est omnium Gallorum dedita religionibus. Dico igitur, quod *Neapolitani*, pii *Christiani* à tot annis, cum religiosis, & *Christianis Gallis* permanserint usque ad Regis *Ladislai* Imperium, ultimi stirpis *Andegavensis* Principis: Qua de causa *Petrarcha* vocavit *Neapolim Christianam*, *Roberti* Regis temporibus; imo *Christianissimi*, (qui titulus soli *Galliarum* Regi convenit) in *Gallia* quippe nulla umquam fuit hæresis suspicio. Post *Ladislai* vero obitum Regina *Joanna*, ejus soror, Regni remansit hæres, quam utinam nutrix ad latus suum jacentem infantem adhuc elisisset, origo enim innumerorum extitit malorum.

Insatiabilis mulier hæc (ut luxuriosæ solent esse fœminæ) Rege *Raniero*, marito suo, 63

alüs-

aliiſque illegitimis procis haud contenta, adoptivum ſibi elegit filium *Alphonſum Primum*, *Arragoniæ* Regem, qui *Neapolim* ingreſſus, ut Regnum *Raniero* eriperet, opus habuit ſecum ducere varias *Hiſpaniæ* gentes, *Granatas*, aliaſque *Mauræ* nationis: Mirandum idcirco non eſt, ſi usque in hodiernum diem varii *Neapoli* conſpecti fuerint mores, diverſis enim temporibus diverſæ dominatæ fuêre Nationes: ut ſuperius enim dictum eſt, *Alani*, &*Gothi* diu in *Hiſpania* commorati ſunt: unde hodie vocantur *Catalani*, quaſi *Gothi Alani*, ab alio quoque *Hiſpaniæ* latere, *Vandaluſia* nuncupato, diu *Vandali* habitarunt, demum *Granatæ* Regnum quoque fuit poſſeſſum a *Mauris*, qui, Dei gratia, virtuteque Regis *Arragoniæ Ferdinandi* ejecti ex *Hiſpania* fuêre, *Catholicus* ideo nominatus fuit Rex, id eſt *Univerſalis defenſor Eccleſiæ*: Commixtione itaque *Barbarorum*, *Maurorum*, aliorumque Septentrionalium ferocium nationum infecti, atque maculati fuêre ipſi *Hiſpani*, quoad *Chriſti* fidem, adepti inſuper ſunt nomen *Maurorum*, *Marranus* enim quaſi *Mauranus* dicitur, & eos non pudet, vis enim id voluit; atque ita dico, per diuturnam infidelium *Maurorum* moram, *Mauram* ſectam prorſus auferri haud potuiſſe; juremerito hinc in *Hiſpania* extirpantur adhuc hæretici, ſicut & in *Germania* ii, qui vera, & ſancta præcepta obſervare renuunt Eccleſiæ *Romanæ*, in *Chriſtiana* ſocietate primum occupantis locum, fundatæ, erectæque à *Chriſto*, Sanctum interrogante *Petrum*, & dicente: *Quem tu me eſſe putas?* cui ipſe reſpondit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; cui reſpondit: *Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* Ædifico, inquam ſuper hanc confeſſionem, quam profeſſus es, dicens, me filium Dei eſſe. Sanctus *Paulus* quoque ſcribit; *bibebant autem de conſequenti eos petra, petra autem erat Chriſtus*; hoc pro certo habemus propter *Romæ*, & *Papæ* vicinitatem: à quibus quotidie docemur, præſertim, quum *Neapolitana* Urbs nunquam ſub dominatione fuerit *Maurorum* aut aliorum infidelium hominum, per quos infidelitatis ſuſpicio oriri potuerit, proximi enim *Mauris* haud ſumus, ut *Hiſpania* eſt; *Marcus Agrippa* dixit, ut refert *Plinius*, quod omnia maritima *Hiſpaniæ* ora *Mauris* confinia ſint, multis verbis *Mauricis Barbaris*que id comprobantibus: Noſtra vero Urbs innumeris tot Sanctorum corporibus impleta eſt, illuſtriſque per rarum Capitis Divi *Januarii* miraculum, quod poſitum penes proprium ſuum ſanguinem, licet petræ inſtar durum, illum prorſus facit colliqueſcere; res quidem miratu digna, verumque fideique noſtræ argumentum; hæ duæ Sanctiſſimi Martyris reliquiæ cum magna aſſervantur reverentia in Epiſcopatus Turri. Neque ſolum *Neapolis*, ſed & univerſum Regnum tot Apoſtolorum requie & collocatione coruſcat, ut ſcilicet Sancti *Andreæ Amalphi*, *Salerni* divi *Matthæi*, *Beneventi* Sancti *Bartholomæi*, in *Apulia Oraculum Sancti Michaëlis* auditum eſt in monte *Gargano*; *Barii* Sancti *Nicolai*, in *Calabria* Sancti *Franciſci* de *Pauola*, in *Monte Virginis* Sancti *Gulielmi Galli*, qui quingentis abhinc annis ſocietatem Monachorum alborum *Sanctæ Mariæ* inſtituit, in *Abrutio* Sancti *Petri Cœleſtini*; aliiſque in locis aliorum glorioſorum Sanctorum corpora aſſervantur, ac inter omnes Sacer eſt *Mons Caſſinus*, ubi Sancti *Benedicti* Sanctæque ejus ſororis *Scholaſticæ* corpora jacent. Quis tot publicas privataſque ſilebit eleëmoſynas, quotidie tot pauperibus diſtributas? quis inſuper non laudabit divina officia, divinumque cultum tanta reverentia, ac devotione in magnificis, ſanctiſque *Neapolitanis* Eccleſiis celebratum? Quis ſuper omnia laudibus haud extollet honorandos *Neapolitanos* Cives in populoſa, pulchraque *Heraldica* plateâ, ubi cum tanta devotione, & honore octava feſtivitatis Sacri corporis Chriſti dies celebratur:

Jure igitur merito Majeſtas tua Regno tam *Chriſtiano*, & *Chriſtianiſſimæ* Urbi huic, ſigna haud modici oſtendit amoris; & porro eadem ſperat 64
non tantum à Majeſtate tua, ſed poſt longos, fauſtoſque annos à feliciſſimo pariter *Hiſpaniæ* Principe, ſucceſſore tuo, Sereniſſimiſque Nepotibus, à *Clementia* divina conceſſis, ac concedendis cum totius mundi lætitia, & fideliſſimæ præcipue *Neapolitanæ* juventutis, ex qua tamquam à recentibus plantis frondes, ac inde amœni, formoſique virtutis flores pullulare incipiunt, tutum dulciſſimorum fructuum præſagium, qui ſub glorioſæ *Jovis* Avis umbra in poſterum guſtari debent: ſi enim Armorum inſpicitur exercitium, Equites, teneræ adhuc ætatis, prudentiaque graves, plurimos tibi indicare poſſem, qui futuris temporibus largam in armis ſpem promittunt; in quorum exercitio debito tempore laborantes, victorioſa Imperii tui vexilla ſequuturi videbuntur, ut ſui Avi, Patreſque fecerunt. Si autem de literis ſermo habeatur, antiqua jam primarum Academiarum ſtudia reſerantur (licet, ut ſupra diximus, per paucos annos interrupta fuêre) honorifica docentur exercitia, peregrina ingenia iterum *Neapoli* floreſcunt. Jam in Academia *Serenorum*, novo lumine corruſcans apparet *Apollo*. In ea *Ardentium*, ſacra accenſa virtutis thura fumant; & in Academia *Incognitorum* ſui ipſius cognitio proponitur. Muſica dein, præter naturalem quidem vim, qua Cœlum dotaſſe videtur *Neapolitanos*, excolitur; unuſquiſque illorum, naturæ artem adjungens, die nocteque, modo vocibus, modo inſtrumentis, variiſque harmoniis, diverſis in locis mirabili ſuavitate canens auditur.

Quid autem de aliis artibus honeſte exercitis dicemus? Ædificiis priſtinæ redduntur formæ: Aquarum curſus jam clauſi, induſtrioſe aperiuntur: Terra jam ſterilis colitur, paludes incluſæ effluunt; Aura incolis ſana, clariſſimaque redditur, & licet quidam, ut moris eſt, errores ſequantur, nihilominus tamen major hominum pars prudentiam, mulieres pudicitiam, caſtitatemque amplectuntur: Puer doctrinam diſcunt, juvenes modeſtiam, & prudentiam oſtendunt, ſeneſque laudabilia præbent exempla. Spectacula redeunt, ſcænæ repræſentantur, æmulationes muſicæ parantur; Mirum idcirco non eſt ſi *Neapolis* ſemper veneretur, ac usque in diem hodiernum à remotis regionibus accurrant ad eandem Nationes. Ex *Germania* quippe, *Gallia*, & *Hiſpania* magnates accedunt omnes à Fama honorandæ ſemper *Neapolis* attracti, ad eam ſuſpiciendam, &, ut ejus deliciis fruantur: de elaboratis agris, de cultis montibus, de floreſcentibus littoribus, de fructiferis vallibus, de hortis ornatis, de nitidis, frigidiſque aquis, variis modis inter candida *Neapolitanorum* manibus elaborata marmora (gratia illius Magni à *Toledo*) & induſtrioſe ſculpta, murmure ſuaviſſimo ſcaturientibus, ſermones ferentes ſtupeſcunt. Admirantur inſuper induſtrioſa ſpectacula, ac exercitatæ plebis artibus lætantur; multa cum laude inter ſe agunt de venerabilibus Civibus, de illuſtri Nobilitate, de ſtrenuis Equitibus; de Principibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibuſque, quibus (Majeſtatis tuæ gratia) tantopere abundat Urbs noſtra *Neapolis*, ſicut *Parthenius*, unus ex ſupradictis *Incognitis*, inter

ter amicos suos prolixa oratione docuit, coram docto & sapiente Episcopo *Lesinæ Musci*.

Largiatur igitur *Æternus Deus* annos, sanitatemque animæ, & corporis Majestati tuæ, in longum, ad suam gloriam, *Christianæ*que Reipublicæ utilitatem, ut videre possis filios felicissimorum Nepotum tuorum ad quartam usque generationem, cordique tibi semper sit fidelissima Patria mea, cujus nomine humilibus hisce chartis, submissoque hoc atramento coram te caput meum reverenter incurvo.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

F I N I S.

HENRICI BACCI,
Alemanni,
NOVA ET PERFECTISSIMA DESCRIPTIO REGNI NEAPOLITANI,
IN DUODECIM DIVISI PROVINCIAS;

correcta atque amplificata

Per

CÆSAREM D'ENGENIO,

Nobilem Neapolitanum:

In qua accurate & summatim dissèritur de Urbe Neapoli, *Rebusque maxime memorabilibus, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Castellis, Vicisque Regni insignioribus; ut & Familiis Nobilioribus,*

Non solum illis,

Quæ sunt Neapoli, *verum etiam in aliis Civitatibus, præcipuisque Regni Oppidis; adjectis Arcibus & Turribus Regiis.*

Accedit novissima enumeratio Focorum seu Familiarum, Tributorumque Regio Fisco debitorum recensio; tum & recensentur Archiepiscopatus, Episcopatus, Nomina Sanctorum, Regum, Vice-Regum, Septem Primaria Regni Munera seu Officia, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Equites denique Velleris Aurei.

Ex Italicis Latina *fecit, Præfationem atque Indicem adjecit*

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS
L. S.

Titulus ipſe libri, quid eo contineatur, per ſynopſin docere poteſt. Liber ipſe, ſeu Editio, quam nos ſecuti ſumus, prodiit *Neapoli* in 8°. Anno MDCXXIX. apud *Lazarum Scoriggium*, ad *inſtantiam*, (ut additur) *Petri Antonii Sofiæ*, qui Opuſculum hoc, ut videri poteſt, Nobiliſſimo Equiti *Caracciolo*, Principi *d'Avellino* &c. dedicavit. Hujus Editionis Veteres pagellas ad marginem poni curavimus, Indicem vero, qui plane editioni iſti deerat, addidimus. Additamenta Nobilis Viri *Cæſaris d'Engenii*, inde dignoſci poſſunt, quod præpoſuerit iiſdem Auctor iſte nomen ſuum. Denique Tabulas, Inſignia XII. Provinciarum continentes, ſparſim ante poſitas, colligi ſimul fecimus, ut uno ita obtutu in oculos incurrerent. Vale & porro conatibus noſtris favere perge.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum meum Patronumque obſervandiſſimum, Dominum

MARINUM CARACCIOLUM,

Principem *Avellini*, Ducem *Tripaldæ*, Marchionem *Sanſeverini*, Comitem *Galerati* & *Torellæ*, Dominum Status *Setini* & Baroniæ *Capriglia*,

Ut &

Magnum Cancellarium Regni *Neapolitani*, Capitaneum turmarum equeſtrium, Equitem Velleris Aurei &c.

Deſcriptio hæc Regni Neapolitani, *qua ſimul accurata continetur notitia Nobilitatis ejuſdem, ut & Civitatum, Caſtellorum, Titulorum, Baroniarum, ſummorum Magiſtratuum, ſublimiorumque Dignitatum, ipſius denique Militiæ, dedicari aptius nulli poterat, quam E. V. utpote relucenti ſplendore illuſtriſſimæ Familiæ* Caracciolæ, *magnæ & magnificæ, non in hoc tantum Regno, verum & in univerſa* Italia, *ipſaque adeo* Europa, *cujus ego magnitudinem celebrandam relinquo canoræ tubæ illorum, quorum eſt Annales condere & conſcribere. Inter Barones enim eadem gaudet titulis eminentiſſimis Principatuum, Ducatuum, Marchionatuum, Comitatuum, Dominationum, Baroniarumque, poſſidens pulcherrima ditiſſimaque Oppida & Caſtella, quæ in univerſo inveniuntur Regno. Inter Magi-*

* 2 *ſtra-*

ſtratus vero, honoratur eadem ſuperbiſſimis maximiſque ex Septem Magnis Officiis ſeu Magiſtratibus Regni, ſummiſque præterea dignitatibus, ut inter alias Aurei Velleris nobilitate & honore, ornatur. Denique & in Militia Cataphractorum turmæ Ducatum obtinet, nobiliorique adeo robori præeſt; ut adeo vere dicere mihi liceat, E. V. epilogum eſſe & compendium Magnitudinis hujus Regni. Ut jam nihil commemorem dotes animi, atque clementiam E. V. pietatem, juſtitiam, generoſitatem, omneſque reliquas virtutes, quæ ſummum Heroicæ Nobilitatis culmen perficiunt.

Accipiat igitur E. V. tot nominibus debitum ſibi opus, atque una me inter infimos ſuos clientes, indeſinenter genua flectentem Summo Numini, precibuſque poſcentem felicitatis omnis E. V. & ſtatuum ejuſdem augmentum, quod fideliter facit

Humil. cliens & Servus

PETRUS ANTONIUS SOFIA.

Neap. I. Octob. MDCXXIX.

PRÆFATIO AUCTORIS.

CÆSAR D'ENGENIO,

Additamentorum Auctor, L. S.



Librum hunc, quem ſub REGNI NEAPOLITANI titulo, aliquot retro annis HENRICUS BACCUS, *Alemannus*, Bibliopola ſeu Typographus (non unius docti viri opus) imprimi curaverat, correctum a me cernis atque amplificatum, addita deſcriptione Civitatum atque Oppidorum Terrarumque ſeu Vicorum plurimorum. Quod Opuſculum quum in privatum uſum atque oblectamentum factum a me eſſet, multi Domini Equiteſque (qui viderunt) *Neapolitani*, vi quadam (ſi ita loqui liceat) in lucem protrudere coëgerunt, antequam pleniſſime ad perfectionem (ſecundum meam quidem opinionem) eſſet perductum. Excuſatum itaque me Lector æquus habeat, quum ſperem abſolutius idem aliquando me editurum, ſi quidem ad notitiam meam acceſſerint Oppida locique adhuc neglecti & tamen memoratu digni, quæ & ipſe operi meo poſtmodum inſeram. Voluntatem interim bonam habeat pro ſatisfactione, quicunque videat ſemet in Deſcriptione noſtra omiſſum, quum id conſulto haud ſit factum, ſed (ut credibile eſt) multa meam effugerint diligentiam; præcipue quum mihi non eadem otii & temporis data fuerit poteſtas, quam ſpero me habiturum in Editione iteranda. Interim id tibi certiſſime perſuadeas volo; omnia quæ ſcripta a me ſunt atque collecta, ſive ex Hiſtoriis, ſive Archivis, Regiſtris Regiis, ſcripturis Autenticis Memoriiſque, ſcripta eſſe Veritate ſola pro ſcopo mihi ſerviente. In reliquum largiatur (precor) mihi fons Vitæ vitam vireſque, ut perſequi ulterius ea, quæ animo conſtitui, poſſim, atque Patriam civium noſtrorum meamque honore afficere debito.

Neapoli XXVI. Januarii MDCXXII.

Imprimatur.

Jacobus Terragn. Vic. Gen.

Felix de Januario S. T. D.

NOMINA XII. PROVINCIARUM REGNI NEAPOLITANI.



1 # HENRICI BACCI,
Alemanni,
BREVIS DESCRIPTIO
REGNI NEAPOLITANI,
Correcta atque Aucta Studio
CÆSARIS DE ENGENIO,
Nobilis Neapolitani.



NEapolitanum Regnum, nobilissimum simul atque amœnissimum, nomen ab Urbe maxima, quæ Regni est caput, *Neapoli* accepit, atque *Siciliæ* plerumque adjungi solet, dicta etiam & ipsa *Sicilia*; a parte Freti *Siculia* tribus circumdatur maribus, *Adriatico* scilicet, *Ionio* & *Tyrrheno*, undique circumfluum, præterquam ubi Status est Ecclesiasticus. Incipiens vero a *Terracina* & Fluvio *Ufente* (qui in Mare *Tyrrhenum* exit) ad partem Meridionalem per *Cajetam* pergens, *Neapolim*, *Salernum* atque *Tropæam*, & juxta angustias *Freti Messanensis*, quod inter *Siciliam* est atque *Italiam*, usque ad *Spartiventum*, quod in extremo est *Calabriæ*, Maris *Ionii* secutus cursum versus Orientem, per *Hieraceum*, *Stilum*, *Squillatium*, *Catanzarum*, *Crotonem*, *Rossanum*, *Tarentum*, usque ad Caput *Otranti*, dein vero porrectum juxta littus Maris *Adriatici* ad Septentrionem, usque ad Fluvium *Tronto* (qui in Mare *Adriaticum* se exonerat) formam tantum non habet Peninsulæ. Fines ejus mediterranei a Fluvio *Tronto*, juxta fluxum descripti Fluvii *Ufentis*, Occidentem maxime spectant, atque omnes *Ecclesiæ Sanctæ* sunt subjecti. Circuitus omnis milliarium est MCCCCLX. longitudo milliarium DXL. latitudo CXL. juxta receptam maxime opinionem.

Antiquitus Regnum hoc in Septem dividebatur Provincias seu Regiones primarias, dictas *Terra di Lavoro*, *Contado di Molise*, *Basilicata*, *Capitanata*, *Abruzzo*, *Terra d' Otranto*, & *Calabria*, nostro vero tempore dispergitur in duodecim, eo ut sequuntur ordine. Provincia prima est *Terra di Lavoro*, pristinis temporibus dicta *Campania Felix*. Secunda Principatus *Citra*, olim *Pi-*
2 *centinus* ager dictus, cum parte *Lucaniæ*. Tertia Principatus *Ultra*, ubi *Samnites* erant & *Hirpini*. Quarta *Basilicata*, quondam *Lucania* dicta, sita in medio seu umbilico Regni. Quinta *Calabria* citerior, jam *de' Prutii*. Sexta *Calabria* ulterior, *Magnæ Græciæ* pars. Septima *Terra d' Otranto*, antiquitus dicta *Japigia*, *Hydruntum*, *Messapia*, & *Salentina*. Octava, *Terra di Bari*, olim *Apulia* & *Peucetia* dicta. Nona *Apruzzo* citerior. Decima *Apruzzo* ulterior, prout appellantur ratione interfluentis Fluvii *Piscaræ*. Hæ duæ Provinciæ communiter *Samnio* adnumeratæ ab antiquis fuerunt, & *Aprutium* posterioribus appellatæ temporibus. Undecima est *Contado di Molise*, olim ad *Samnites* pertinens. Duodecima atque ultima Regni Provincia est *Capitanata*, ubi *Daunia* erat, &, cum *Monte Gargano*, qui nunc *Monte di St. Angelo* dicitur, *Japigia*.

Sunt in hoc Regno Urbes, Oppida atque Ca-
A stella, numero mille nongenta octoginta cum una, quæ partim ad Regium pertinent dominium, partim a Rege in præmium meritorum concessa sunt, pro feudis, Nobilibus, qui in Regno sunt, in multas familias dispersis, qui a variis Nationibus trahunt originem, unde progressi illorum majores, militatum venerunt sub diversis Regni hujus Regibus. Numerus hodie Dominorum istorum Vasallorum ad millenarium pervenit, inter quos numerantur Principes quadraginta, Duces quinquaginta, Marchiones octoginta, Comites sexaginta duo, reliqui vero Barones sunt, atque omnes ad Regni defensionem obstricti tenen-
B tur.

Gens ipsa bellicosa est & fortis, in terra simul atque mari, excellens atque conspicua in cunctis artibus atque scientiis, præsertim vero dedita Juris & Legum studiis.

Soliti sunt Reges Nobilibus quibusdam & Baronibus concedere unam seu plures *Cameras Reservatas*, id est, unum vel plura eorum oppida liberum reddunt a tributo, locum istum liberum ipsis illorumque familiæ concedentes. Hi autem loci ita liberi a pendendo tributo appellantur *Cameræ Reservatæ*, & a nobis hoc signo † interpunguntur.

C Regni Insigne lilia aliquot sunt aurea, in Campo cœruleo, donata ab *Carolo* I. *Andegavensi*, quum Regnum hoc subegisset, atque debellasset *Manfredum*, atque hæc ab illo retinuit una cum rastello quatuor dentium rubrorum.

Alia etiam quidam Regno arma tribuunt, equum 3
scilicet; nisi dicere velimus, equum, *Neapolis* Urbis, quæ caput Regni est, insigne, toto Regno tribui. Facit ad assertionem illam, quod ante Ecclesiam Majorem conspiciebatur olim equus æreus, quem *Chronicum Neapolitanum* scribit factum fuisse à *Virgilio*, & sanasse omnes infirmitates equorum; verum equus iste, ad vitandam superstitionem, dejectus & vastatus fuit postea Archiepiscopi *Neapolitani* jussu, Anno
D MCCCXXII. Factum vero eundem a *Virgilio* fuisse, atque tali virtute præditum, credat cui id lubitum est.

Equum vero verum atque antiquum *Neapolis* esse insigne, confirmatur ex moneta argentea, percussa istis temporibus, quibus erat adhuc Respublica, in qua ab altera parte conspicitur Crucis figura circulo inclusa, quem ambiunt literæ CIVITAS, ab altera vero equus, cum literis NEAPOLIS. quæ simul unitæ dicunt CIVITAS NEAPOLIS. Monstrata mihi ante annos aliquot hæc moneta fuit a Domino *Colantonio Dentice*, inter curiositates patris sui Domini *Seba-*
E *stiani*, data dein *Cæsari Capaccio*, qui hodieque servat.

Equum insuper *Neapolis* insigne esse, præter quæ diximus, confirmat id, quod, antequam *Christi* nomen & cultum recepisset, pro Numine suo Tutelari habuerit *Dioscuros*, equorum patronos, unde & factum est, quod posterioribus

temporibus parva quædam moneta ærea, a Regibus percussa, *equi* seu *cavallo* nomine insignita fuerit. Et Sedes *Capuana* & *Nidi*, quæ Nobilitatem repræsentant *Neapolitanam*, pro insigni habent equum. Ante paucos præterea annos, quum fundamenta excavarentur ad muniendum impluvium Palatii Vicariæ, ejusque muros sustinendos, marmoreus ibidem equus repertus fuit. Equum denique verum *Neapolis* esse insigne, clarissime apparet inde, quod Imperator *Conradus*, quum Urbem *Neapolim* subjugasset, atque ad Ecclesiam *Metropolitanam* pergeret, videretque ibi æreum istum equum, fræna eidem addere jusserit, & hos addi versiculos:

Hactenus effrænis, Domini nunc paret habenis,
(Rex domat hunc æquus Parthenopensis) equus.

Jam vero nisi equus iste Urbem ipsam significasset, non apposuisset illi frænum Imperator, qui eo ipso significare volebat, urbem rebellem, sibique non obedientem, sub jugo suo esse missam atque domitam.

4 *Neapolis*, Metropolis, Imperatrix, & Caput Regni, nomen ab eadem adepti; Urbs religiosissima, præque cunctis, quas Sol illustrat, resplendens pietate atque nobilitate, antiquitate pariter atque situ præstans, non modo jacet in *Italia*, quæ Mundi est Regina, verum & illa ejus parte, quæ maxime est fertilis atque longe beatissima. Hinc non sine magna ratione *Campaniæ Felici* nomen est inditum.

Initio Urbs hæc *Parthenope* fuit appellata, ita dicta a conditrice sua *Parthenope*, Filia *Eumoli* Regis *Pheræ* in *Thessalia*, a virginitate sua id nomen adepta. Inclaruit multis ante *Romam* conditam seculis, virtute bellica & literarum studio nulli secunda. Initio statim *Christianæ* Religionis dignata fuit prædicatione S. *Petri*, a quo fidei Sacræ accepit institutionem, atque inde per omnia secula Sanctitate vitæ claros produxit homines. Tanto enim benigni Numinis favore dotata fuit semper, ut infinitam Mundo produxerit turbam virorum dignissimorum Sanctissimorumque (qui exstitêre principes *Christianæ* religionis) utpote Pontifices Maximos, Cardinales innumeros, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Principes, Heroas, Equites, armis alios etiam, alios literis inclitos, de quibus omnibus silere melius est, quam parca nimis laude illorum detrahere meritis, ne balbutiente nostra lingua magis obscurentur quam illustrentur, si tamen tanta illorum claritas ullo modo obscurari potest. Tantum vero habens numerum Ecclesiarum, Reliquiarum Sanctorum Beatorumque, & Religiosorum tantam turbam, merito primas inter omnes totius Orbis obtinet Civitates, incolarum etiam respectu maxime numerosa atque frequens inter omnes *Christiani* nominis, per palatia, non vero nobiles domos, habitata, Regum, non tantum Vice-Regum sedes, ut & ingentis numeri Dominorum, qui maximam partem locorum in Regno possident, titulo Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronumque sine numero, ut adeo *Civitas Regum* appellari mereatur.

[1] *Cæsar d' Engenio.*

6 *Enumeratio familiarum & animarum fidelissimæ Urbis Neapolis, quæ continentur in Urbe, in ejusdem Suburbiis, Monasteriis Monachorum atque Monialium, Presbyterorum Regularium, Conservatoriis, Nosocomiis; Carceribus, Munimentis, Militia Terrestri atque Navali, facta Anno MDCXIV. Una cum adnotatione familiarum atque animarum XLIII. ejusdem pagorum.*

Cæsar d' Engenio] Ubicunque hoc nomen in Opusculo occurrit, signum est, Sequentia ab isto *Engenio* fuisse addita.

Accedit Enumeratio Focorum seu Familiarum, Vicorum ejusdem XLIII. ut & farinæ in singulos dies tumulorum (Tomoli, *genus est mensuræ*) *Pistoriisque Officinis seu Tabernis, tempore isto* (in tempo di Cartella) *quando recensio earundem publico decreto facta est.*

Obtinet itaque a Capitaneis.	Tumulos panis,	Tab.	Foc.	Anim.
Spirito santo, col borgo di Chiaia	700	13	5193	23996
Rua Catelana con Posilipo	224	4	2926	12047
Santo Gioseppe con Sant' Ermo	60	8	3925	23966
Porto	332	7	2880	19077
Porta del Caputo	60	2	449	3338
Santa Caterina Spina corona	164	3	925	6770
Santo Pietro Martire	94	2	639	4618
Santo Giovanni Maggiore	46	1	310	2618
Nido con Santa Maria del Monte	209	5	1662	11508
S. Maria Magg. con Limpiano, Antign.	249	5	1545	10898
Porta S. Gennaro, con le Verg.	300	8	2289	17760
Sant' Angelo à Segno	32	1	258	1982
Mercato Vecchio	43	1	219	1730
Capuana, con S. Antonio	800	14	5772	36301
Casenove, con i Zingari	208	4	1553	9678
Forcella	114	2	844	5673
Vicaria vecchia	150	1	353	2524
S. Gennarello	115	1	489	3427
Merc. grande, con Lor. villa, e Pazzigno	648	13	4462	29638
Selleria	200	4	1072	7295
Fistola, e Baiano	100	1	238	1295
Santo Giovanni à mare	102	3	879	4289
Rua Toscana	61	2	503	3486
Speciaria antica	64	1	402	2638
Armieri	28	1	178	1230
Scalesia	42	1	381	2390
Loggia	68	2	477	3511
Selice	46	1	248	1688
Aluina	77	1	411	3345

29. Capitanei. Faciunt ita tumulos 6639. 114. 40478. 267972.

Enumeratio Monasteriorum Monachorum, Monacharum, Presbyterorum Regularium, Conservatoriorum, Hospitalium, Carcerum, Arcium, Militiæ Pedestris & Navalis Fidelissimæ Urbis Neapolis. 7

Dominicani
S. *Domenico* 150
S. *Pietro Martire* 120
Monte di Dio 15
S. *Tomaso d'Aquino* 18
Il Rosario 25
S. *Rocco* 4
S. *Lucia à mare* 4
S. *Lonardo* 4
S. *Brigida à Posilipo* 8
S. *Caterina à Formello* 70
Santo Spirito 35
S. *Maria della Sanità* 110
Giesù Maria 40
S. *Severo* 60
S. *Maria de Libera* 10
S. *Maria della Salute* 12
Monachæ.
S. *Sebastiano* 100
La Sapientia 68
S. *Gio. Battista* 30
S. *Caterina di Siena* 64
Franciscani.
S. *Maria della Nova* 200
S. *Gioachimo, detto dal volgo lo Spedaletto* 50
Monte Calvario 60
S. *Maria de gli Angioli* 29
Reformati.
La Croce 45
La Trinità 28
S. *Maria della Salute* 20
Capuccini.
La Concettione 120
S. *Effremo* 70
La Scarpa.
S. *Lorenzo* 120
S. *Anna* 20
S. *Caterina* 8
S. *Maria del Monte* 15
S. *Francesco di Capo di Monte* 5

S. *Severo alle Vergini* 20
Lo Spirito Santo à Limpiano 10
Reformati.
S. *Lucia del Monte* 50
S. *Maria dei Miracoli* 20
Monachæ.
S. *Francesco* 100
S. *Girolamo* 88
S. *Chiara* 350
S. *Antonio di Padua* 65
Il Giesù 80
Gierusalem 54
La Consolatione 52
Donna Regina 150
La Trinità 30
Agustiniani.
S. *Agostino* 110
S. *Giovanni à Carbonara* 100
La Consolatione à Posilipo 12
S. *Maria dello Soccorso* 15
S. *Maria dell' Oliva* 8
S. *Maria della Speranza* extra Portam *Capuanam* 5
Reformati. 8
S. *Maria della Verità.* 10
Monachæ.
La Madalena 76
La Egittiaca 48
S. *Andrea* 50
Carmelitani.
S. *Maria del Carmine* 128
La Speranza 18
Il Paradiso à Posilipo 8
La Concordia 8
S. *Maria del Carmine a Capo di Chino* 12
S. *Maria del Carmine à Plagia* 10

Re-

Reformati.
I Scalzi 50
Monachæ.
La Croce di Lucca 86
Le Scalze 40
Certosini.
S. *Martino* 100
Cœlestini.
S. *Pietro à Maiella* 58
L' Ascensione 10
Canonici Regulares S. Salvatoris.
S. *Anello* 15
Cappella 24
Cruciferi.
S. *Maria delle Vergini* 12
Canonici Regulares Lateranenses.
S. *Pietro ad Ara* 88
S. *Maria di Piedigrotta* 60
Monachi.
Regina Cœli 100
Benedictini.
S. *Severino* 150
Monachæ.
S. *Marcellino* 100
Donna Romita 80
S. *Gaudioso* 90
S. *Petito* 60
S. *Patritia* 90
S. *Ligorio* 120
Donna Aluina 60
Olivetani.
Monte Oliveto 100
Minimi S. Francisci de Paula.
S. *Luise* 80
S. *Maria della Stella* 50
S. *Maria degli Angioli* 15
S. *Francesco fuor porta Capuana* 20
Servi di Parto.
Mergellina 30
Mater Dei 4
S. *Maria d' ogni bene* 10
Heremitani.
S. *Maria della Gratia* 60
Camaldolenses.
Il Salvatore à Nazaret 30
Montisverginis.
S. *Maria* 30
Basiliani.
S. *Agrippino* 10
Monachi Hispani.
La Trinità 25
S. *Orsola* 20
Monserrato 6
Monachæ.
La Concettione à Santo Giacomo 60
La Soledad Conservatorio 40
9 Jesuitæ.
La Casa Professa 75
Il Collegio 104
Il Novitiato 60
Il Carminello 12
Paulini, vel Teatini.
S. *Paolo* 100
Santi Apostoli 70
S. *Maria de gli Angeli* 35
10 Clerici Regulares Minores.
S. *Maria Maggiore* 70
S. *Gioseffo* 12

Clerici Seculares.
La Congregatione dell' Oratorio delli Gerolimini 100
Ministri infirmiorum.
S. *Maria Porta Cœli* 40
Concettione à Palemone, a vulgo dicto *Chiatamone* 30
Barnabitæ.
S. *Maria di Portanova* 50
S. *Carlo* 10
Pii operarii doctrinæ Christianæ.
S. *Giorgio Maggiore* 40
S. *Maria delli Monti* 20
La Carità 12
Conservatoria Filiorum.
Il Seminario 100
Santa Maria di Loreto de i Bianchi 300
Santa Maria della Pietà de i Turchini 200
Santa Maria della Colonna di S. Francesco 150
Conservator. Dominar.
Tempio delle Scortiate 60
Tempio delle Papare 40
Sorelle di Suor Orsola 50
Il Refugio 90
Le Capuccinelle 28
Le Convertite all' Incurabili 160
Le Convertite Spagnuole 80
L' Illuminate 60
S. *Honofrio alla Vicaria* 40
Santa Maria Succurre miseris 80
Il Conservatorio delle Vedove in S. Margarita 20
Conservatoria Filiarum.
La Carità 30
Concettione di Montecalvario 100
L' Annunciata 450
S. Eligio 300
Lo Spirito Santo 400
Santi Filippo, e Giacomo 150
S. *Crispino* 80
Lo Splendore 60
S. *Maria di Constantinopoli* 50
S. *Maria della Gratia dell' Arte della lana* 15
Conservatorium Senum.
S. *Honofrio* 40
Hospitalia.
L' Annuntiata 700
L' Incurabili 1300
S. *Angelo à Nido* 50
S. *Giacomo de' Spagnoli* 110
La Vittoria 10
La Pace di Giovan di Dio 50
S. *Eligio*, mulierum. 150
La Misericordia, Sacerdotum 20
I Pellegrini 30
S. *Nicola* nautarum 10
S. *Marta* 6
S. *Maria della Patienza Cesarea* 30

A Arces.
Castel novo 50
Castel S. Eramo 250
Castello dell' Ovo 128
Torre di S. Vicenzo 49
L' Infanterie Spagnuole 900
Galere 4000
Carceres.
La Vicaria 850
L' Ammiragliato 64
L' Arcivescovado 30
Il Nuncio 20
L' Arte della seta 50
L' arte della lana 28
Giustitiero 20
Moccia 16
Baglivo 30
Spagnuoli 60
Zecca 25

Olim Anno MDCXIV. computo inito, numerus animarum adscendit ad 267972. hoc autem Anno MDCXXI. duplo fere est auctior, ita ut ad numerum LXXX. focorum adscendat, atque B si quinque, non plures, in singulis numerentur, efficiant quingenta hominum millia, quibus si adjungas Monasteria, Ordines Sacros, & qui quotidie Urbem celebrant, peregrinos, quique per aliquod modo temporis spatium ibi commorantur, immensus exsistit numerus, ita ut quotidie in Urbe & Suburbiis consumatur plus sex millibus Tumulis granorum, quamvis illis non adnumerentur, qui panem domi sibi coquunt satis magno numero, diversi insuper generis Monachi atque Clerici, qui bonum efficiunt numerum.

C

ECCLESIÆ PAROCHIALES.

Archiepiscopalis Sedes ædificata est a *Carolo* II. Rege *Neapolis*, ut apparet ex Registro Officinæ Monetariæ Regiæ, Anni MCCXCVIII. licet alii dicant fuisse conditam a *Carolo* I. Numerantur ibi Cononici XXX. adnumeratis Diacono Primo, Primicerio, & Cimeliarcha. Sunt & Hebdomadarii, qui una cum XVIII. Presbyteris seu Capellanis XL. efficiunt. Duo ibidem sunt Sacristani, XII. Diaconi, & LXXX. circiter juvenes Clerici Collegii, quod Seminarium dicitur, atque erectum est Anno MDLXXXVI. in D totum efficientes CLXIV. præter alios Capellanos extraordinarios Capellarum diversarum familiarum, quæ satis magno sunt numero.

[1] C. Post Ecclesiam S. *Restitutæ*, quam gubernant prædicti illi Canonici, quæ congregatio *Capitulum* dicitur, quatuor Principes sunt *Parochiæ*, cum minoribus aliis XXXV. omnes autem subjectæ sunt Majori Ecclesiæ. Sunt autem Majores 11
illæ seu Principes, S. *Joannis Majoris*, S. *Georgii Majoris* & S. *Mariæ Majoris*, quæ habent suos Hebdomadarios, Presbyteros, & Diaconos ordinarios. Hi singulis vicibus una cum Archiepiscopo suo seu Vicario Generali prodeunt in publicam E Processionem; Gerunt tunc crucem argenteam. Parochiæ Minores sunt S. *Angeli a Segno*, S. *Mariæ Ritondæ*, S. *Mariæ a Piazza*, S. *Thomæ Apostoli*, prope Vicariæ *Palatium*, S. *Sophiæ*, S. *Joannis a Porta*, S. *Gennarelli ad Diaconiam* dicti, S. *Mariæ a Cancello*, S. *Mariæ della Scala*, S. *Catharinæ al Mercato*, S. *Eligii*, S. *Anelli Majoris*, quæ Canonicos Regulares S. *Salvatoris* habet; S. *Archangeli* ad forum *de gli Armieri*, S. *Joannis in Corte*, S. *Jacobi dell' Italiani*, dictæ item S. *Bartolomeo*, S. *Gioseffo*, S. *Maria della Carità*, S. *Maria della Catena à S. Lucia à mare*, S. *Anna di* F *Palazzo*, S. *Matteo*, S. *Maria d' Ognibene*, S. *Maria della Neve à Chiaia*, S. *Strato à Posilipo*, S. *Maria della Auvocata* extra Portam Regiam, S. *Maria del Soccorso all' Arenella*, S. *Maria della Misericordia al borgo delle Vergini*, S. *Maria della Gratia à Capo di Monte*, S. *Maria de tutti Santi* extra Suburbium S. *Antonii*, SS. *Joannis* & *Pauli*, eodem in loco, & S. *Angeli dell' Arena*, extra portam *del Carmine*.

Pres-

[1] C. Nota & hæc est indicans sequentia a Secundo Editore esse addita.

Presbyteri ejus *Confratres* dicti, atque *Hebdomadarii* quatuor Parochiarum Majorum, exeunt cum crucibus suis, ut comitentur defunctos ordinis sui, & sine illis nullus sepeliri eorum potest, verum ubi exequiis intervenit crux Majoris Ecclesiæ cum Canonicis sive *Hebdomadariis*, ad conspectum ejus removetur illa Parochiæ crux. Archiepiscopatus, ut caput, & prædictæ viginti sex Parochiæ antiquis temporibus subveniebant sibi invicem in Sanctissimis Sacramentis administrandis, & sepeliendis mortuis per universam Urbem, tunc temporis in districtus atque Ordines XXVII. divisam. Postquam vero Anno MDXXXVI. ampliata Urbs est duobus aliis Ordinibus, Parochiis multæ adjunctæ fuere Ecclesiæ, quæ dictæ fuere *Granciæ*, quæque tantum subvenire solent reliquis in Sacramentorum administratione.

Præter Parochias, LXX. numero sunt, tam Ecclesiæ quam Capellæ, quibus Presbyteri sunt
12 Seculares, cum XXX. aliis Capellis in variis Ecclesiis, centum etiam adhuc aliis a civibus juxta ædes suas ædificatis, quibus item Presbyteri sunt Seculares, quorum duodecim sunt sub regimine variarum Communitatum exterarum, ut *Hispanorum*, *Catalanorum*, *Genuensium*, *Florentinorum*, *Luccensium*, *Lombardorum*, *Germanorum*, *Cajetanorum*, *Aierolanorum*, *Cetarensium* & *Massessiorum*, cum aliis XXXII. sub regimine Communitatis Artificum Operariorumque, ut Sericariorum, Lini textorum, Sartorum, Thoracopæorum, Caligarum textorum, Acu pingentium, Calceariorum, Coriariorum, Ephippiariorum, Propolarum, Tonsorum, Aromatariorum, Dulciariorum, Panificiariorum, vendentium aves piscesque, Piscatorum, Tabernariorum, Oenopolarum, Officinas habentium, Pullariorum, Hortulanorum, eorum qui sebum & candelas vendunt, Naviculariorum, Equisonum, Fabrorum ferrariorum, Pictorum, Musicorum, Sclopetariorum, Cloacas purgantium, Apparitorumque.

Atque hæc sufficiant de iis, qui sunt sub gubernatione Magistratus populi.

Tam prædictis Ecclesiis istis, quam Conventibus Monachorum comprehenduntur plus quam centum Congregationes, sive Collegia Laicorum, qui optimis institutis gubernantur, atque S. Sacramentorum assistunt frequentiæ, atque diebus festis ad Oratoria conveniunt, exercentes sese piis precibus atque meditationibus & disciplinis. Major illorum pars procedit lino vestita atque incognita, pauperes ad sepulturam deducens; alia egenos in carcere visitat, solvit etiam debita illorum; sunt & qui in *Xenodochiis* pauperum curationi atque cibationi attendunt, recreantes illos variis fructibus & bellariis; Domos etiam quidam visitant illorum, qui propter paupertatem egredi erubescunt. Reliqui adsunt illis, qui damnati ad mortem sunt, Angelico certe officio, hospitalitatem denique atque alia caritatis opera, quæ brevitatis gratia transeo, exercent.

Hæ etiam Congregationes quotannis ex eleëmosynis, quas cives conferunt, magnum numerum dotant virginum paupercularum, quarum fere numerus adscendit ad DCLXV. in dotem vero illarum conferre solent 29479. ducatos. Ordine alphabetico vero digeruntur, hoc pacto:

A.

13 Domus *dell' Annunciata* ex expositis suis dotat centum, cum summa XC. ducatorum.

Domus eadem ex diversis legatis dotat adhuc centum cum dote ducatorum LX.

Adhuc eadem pauperculis Urbis, atque centum supernumerariis, dat dotem ducatorum XXIV.

Ecclesia S. *Agnelli Majoris*, ex legato Notarii *Tisei Grassi*, singulis bienniis unam elocat cum dote ducatorum CCC.

Capella *di S. Agnello Carnegrassa* collocat pauperculas virgines numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella di *S. Antonio di Padoa* in *S. Lorenzo* numero VI. cum dote ducatorum XXXVI.

Capella *di* S. *Agrippino* ex legato *Petri Sommonte* numero V. cum dote ducatorum L.

Capella *di Sant' Angelo de' Sartori* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di Sant' Angelo dell' Arena de' Gipponari* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di* S. *Andrea de' Calzaivoli* numero IV. cum dote ducatorum LX.

Capella *di* S. *Angelo de'* Sonatori in S. *Nicola* numero II. cum dote ducatorum XXXVI.

Ecclesia *di Sant' Anna de' Lombardi* numero III. cum dote ducatorum XXXVI.

Capella *di* S. *Antonio Abbate* in S. *Agostino* de gli *Aierolani* numero IV. cum dote ducatorum XXX.

Capella *dell' Ascensione de' Vermicellari al Carmine* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

B.

Capella *di* S, *Barbara de' Bombardieri nel Castelnovo* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di* S. *Biase dell' Olmo* di S. Lorenzo numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di* S. *Bonifacio appresso l' Egittiaca* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

C.

Capella *di Santa Croce de gli Hortolani* in S. *Maria della Scala* numero V. cum dote ducatorum XXXVI.

Capella *di Santa Croce de' Lucchesi* in *S. Eligio* numero I. cum dote ducatorum XXIV. 14

Capella *de i* SS. *Cosmo*, *e Damiano de Barbieri* num. II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di* S. *Ciriaco de' Boccieri* in S. *Eligio* numero IV. cum dote ducatorum XXXVI.

Ecclesia *di* S. *Crispino de' Calzolari* numero V. cum dote ducatorum LX.

D

Capella *del* nome di *Dio* in S. *Pietro Martire* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

E

Ecclesia *di* S. *Eligio delle sue Orfane* num. X. cum dote ducatorum LX.

Capella *di* S. *Eligio de i Ferrari*, in S. *Eligio* num. X. cum dote ducatorum XXIV.

F

Ecclesia *de i* SS. *Filippo*, *e Giacomo dell' arte della seta* num. IV. cum dote ducatorum XXIV.

G.

Ecclesia *di* S. *Gennaro* fuor la Città numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *del Giesù* in S. *Giovanni* à mare numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Ecclesia *di* S. *Gioseppe de' Mannesi* numero IV. cum dote ducatorum LX.

Staurita *di* S. *Gio. Battista* in S. *Giovanni* à mare numero I. cum dote ducatorum XXX.

Ecclesia *di* S. *Gio. Battista de' Fiorentini* numero II. cum dote ducatorum XXXVI.

Capella *de' Revenditori* in S. *Giovanni* in *Corte* numero VI. cum dote ducatorum XXXVI.

Ecclesia, seu Hospitale di S. *Giacomo de' Spagnoli* numero III. cum dote ducatorum XXX.

Ecclesia *di* S. *Giacomo de' Pisani*, nunc ditto *dell' Italiani*, numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Ecclesia *di* S. *Giacomo della Sellaria* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *de'* SS. *Giacomo*, *e Christoforo d' Aluina* 15 numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di* S. *Giacomo de' Panettieri* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Ca-

Capella *di S. Giorgio de' Genovesi* numero III. cum dote ducatorum XXX.

H.

Hospitale *della Santissima Trinità de' Peregrini* numer. VIII. cum dote ducatorum....

L.

Capella *di S. Luca de' Pittori* numero I. cum dote ducatorum XXXVI.

Capella *di S. Luca de' Ricamatori* in S. *Marta* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Ecclesia *di S. Luise de' Minimi*, ex legato *Joannis Martialis*, num. III. cum dote ducatorum L.

M.

Conservatoria *di S. Maria delle Vergini dell' Arte della seta* numero VI. cum dote ducatorum L.

Hospitale *di S. Maria del Popolo*, ex legato *Joannis Cosciæ* singulis tribus annis numero I. cum dote ducatorum CXX.

Idem Hospitale pro legato Dominæ *Dianoræ Sanseverini* num. II. cum dote dcuatorum XXV.

Ecclesia *di S. Maria della Carità*, ex legato *Juliæ Galli* num. VI. cum dote ducatorum LX.

Congregatio *de' Bianchi di S. Maria Succurre miseris*, numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Misericordia* in S. *Eligio* num. V. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Gratia* in S. *Eligio* num. II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Gratia* in S. *Giorgio Maggiore*, num. II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Gratia all' Horto dello Conte* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Gratia delle Paludi* num. IV. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Gratia nella Doana della farina* num. II. cum dote ducatorum XXIV.

16 Capella *di S. Maria della Gratia alla Conciaria* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Gratia d' Pescivendoli* num. IV. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Bisogna* in S. *Giovanni* à mare numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria del Soccorso* in S. *Agostino* numero II. cum dote ducatorum XXX.

Capella *di S. Maria del Soccorso* in S. *Nicola* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Ecclesia *di S. Maria di Constantinopoli* appresso le mura della Citta numero VII. cum dote ducatorum XXXVI.

Capella *di S. Maria di Constantinopoli de' Coirari* in *S. Caterina del Carmelo* numero III. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria dell' Avvocata* in S. *Giovanni* à mare numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria della Catena de' Tavernari* à *S. Nicolò* numero II. cum dote ducatorum XXXVI.

Capella *di S. Maria della Candelora d' Candelari alla Pietà* numero III. cum dote ducatorum L.

Capella *di S. Maria della Neve d' Pescatori* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria Incoronata* in *S. Pietro Martire* numero III. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria del Rosario* in S. *Pietro Martire* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

L'Oratorio *de' Bianchi dello Spirito Santo*, detta *S. Maria Regina di tutti i Santi*, numero I. cum dote ducatorum LXXII.

Ecclesia *di S. Maria Portosalvo de i Barcaroli*

A numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Maria a Fonte de' Pozzari* in S. *Maria à Piazza* numero I. cum dote ducatorum XXI.

Capella *di S. Maria di Montevergine de' Marciaivoli alla Pietà* numero IV. cum dote ducatorum XXX.

Ecclesia *di Mont' Oliveto*, ex legato *D. Philippi di Lano* numero VI. cum dote ducatorum XXXVI.

Il sacro Monte della Pieta numero VI. cum do-

B te ducatorum L.

Capella *del monte della Città di Massa in* S. *Pietro in Vincola* num. IV. cum dote ducatorum XXIV. 17

Capella *del monte di Cetara in* S. *Pietro Martire* numer. VI. cum dote ducatorum XXIV.

Il Regimento della strada de gli Orefici numero IV. cum dote ducatorum LXXX.

Ecclesia *di S. Marta* numero II. cum dote ducatorum XVIII.

Staurita *di S. Maria Maddalena* in S. *Agnello Maggiore* numero IV. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Marco de' Tessitori di lino* numero

C IV. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Marco de' Magazinieri di vino in* S. *Andrea* num. VI. cum dote ducatorum XXX.

Capella *di S. Marco in* S. *Eligio* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *di S. Margarita de i Tedeschi* numero II. cum dote ducatorum XXIV.

N.

Staurita *di S. Nicolò à Pistasi* numero IV. cum dote ducatorum XXIV.

P

Staurita *de i SS. Pietro, e Paolo in* S. *Paolo Maggiore* numero II. cum dote ducatorum

D XXXVI.

Ecclesia *de i SS. Pietro, e Paolo de' Greci* numero II. cum dote ducatorum XXXVI.

Ecclesia *di S. Pietro in Vincoli de' Spetiali* numero II. cum dote ducatorum XXXVI.

Lo Regimento della piazza del popolo di Napoli numero XIV. cum dote ducatorum XXXVI.

S.

Ecclesia *dello Spirito Santo delle sue figlivole*, num. X. cum dote ducatorum LX.

Eadem Ecclesia ex legato *Roderici Dies* numero I. cum dote ducatorum L.

E Capella *del Santissimo Sacramento in* S. *Giovanni Maggiore*, num. VI. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *del Santissimo Sacramento in* S. *Maria Maggiore* numero I. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *del Sacramento di Sant' Angelo* num. VII. 18 cum dote ducatorum XXIV.

Capella *del Santiss. Sacramento di* S. *Eligio* numero III. cum dote ducatorum XXIV.

Capella *del Sacramento di S. Caterina del Carmelo* num. VII. cum dote ducatorum XXIV.

Staurita *di S. Severo Maggiore* num. VII. cum

F dote ducatorum XXIV.

V.

Capella *di S. Orsola de' Coirari in* S. *Maria del Carmelo* num. X. cum dote ducatorum XXX.

Congregatio *del Santissimo Rosario in* S. *Dominico*, numero V. cum dote ducatorum XXX.

Congregatio *del Santiss. Rosario di* S. *Maria della Sanità* num. . . . . cum dote ducatorum . . . . .

Multæ item aliæ hoc modo maritantur ex plebe, grandi numero, præter illas, quæ dotem accipiunt a *Montibus* institutis a Nobilibus, satis multis, cum dote magna, de quibus brevitatis gratia sileo.

19 CORPORA SANCTA, QUÆ IN ECCLESIIS ISTIS ASSERVANTUR.

Sunt in enumeratis istis Ecclesiis satis multa Corpora Sanctorum atque Beatorum, cum pretiosissimis Reliquiis. Et quidem in Archiepiscopali, magni istius Sancti & gloriosi Martyris S. *Januarii* illud asservatur, una cum SS. *Euticeti*, *Acutii*, *Maximi* Martyrum; SS. item *Aspremi*, *Agrippini*, *Athanasii*, *Laurentii*, & *Joannis*, Episcoporum *Neapolitanorum*; *Restitutæ* insuper Virginis atque Martyris, Beati *Tiberii* Episcopi, atque B. *Nicolai Romiti* Corporibus. Asservantur vero in *S. Maria Majore* Corpora S. *Pomponii* Episcopi, in S, *Georgio Majore*, S. *Severi* Episcopi, in S. *Maria Cosmodin.* illud S. *Stasii Confessoris* Episcopi *Neapolitani.* In S. *Joanne Majori*, Fratris *Lucæ Genuensis* Sanctissimæ Vitæ viri, qui (prout ex Epitaphio ejus licet cognoscere) postquam quadraginta annos in pœnitentia perseverasset, ad meliorem vitam transiit Anno MCCCLXXV. In Ecclesia S. *Euphemii* sunt illa SS. *Euphremi*, *Fortunati*, & *Maximi* Episcoporum; in Ecclesia Monachorum *Cassinensium*, Episcopi S. *Severini*, S. item *Severini Confessoris*, & S. *Sosii Levitæ*, Martyris. In Ecclesia S. *Agnelli*, Abbatis S. *Agnelli* illud ipsum. In Ecclesia S. *Laurentii*, Papæ S. *Leonis.* In Ecclesia S. *Gaudiosi*, SS. *Gaudiosi* & *Quivultdei* Episcoporum, *Fortunatæ* Virginis & Martyris, cum tribus fratribus Martyribus, *Carponio*, *Eucharisto* & *Tresciano.* In Ecclesia S. *Mariæ Donnæ Romitæ*, illud S. *Julianæ* Virginis & Martyris. In Ecclesia S. *Peregrini* Confessoris S. *Peregrini.* In Ecclesia *dell' Annunciata* SS. *Innocentium* duorum corpuscula. Translatæ illuc etiam fuere anno MDXCVIII. die Aprilis XXIX. Reliquiæ SS. *Primiani*, *Firmiani*, *Alexandri* & *Tellurii* Martyrum, ut & SS. *Sabini* & *Eunomii* Pontificum, *Pascasii* Abbatis, & *Ursulæ* Virginis & Martyris, miraculose inventæ in destructa Ecclesia Majore antiqua in Urbe *Lesina*, quæ est in Provincia *Capinata.* Sunt & in Ecclesia S. *Patritiæ* illud S. *Patritiæ* Virginis, in S. *Petri ad Aram* Viduæ S. *Candidæ* cum aliis septem SS. Corporibus; in S. *Andreæ a Nido* illud S. *Candidæ* Junioris; in S. *Dominici*, Beati *Guidonis Neapolitani* ex familia *Maramalda*; in S. *Claræ* B. *Philippi Aquerii*; in S. *Francisci della Limosina* B. *Magdalenæ* ex familia Constantia; in S. *Mariæ della Nova*, B. *Jacobi della Marca*; & in Ecclesia S. *Joannis a Carbonara* B. *Christiani Franci.*

20 RELIQUIÆ SANCTORUM, QUÆ IN ENUMERATIS INVENIUNTUR ECCLESIIS, ALIÆ ITEM RELIQUIÆ.

Inter maxime suspiciendas, quæ ibidem asservantur, Reliquias, præter Corpora, quindecim sunt Capita. Ita in Archiepiscopali, in Capella Thesauri est Caput S. *Severi*, S. *Euphremi* & *Berettini Asprenensis*; miraculosus item sanguis S. *Januarii*, Brachium S. *Thaddæi* Apostoli; pars frontis S. *Joannis Baptistæ*, Costa Apostoli S. *Pauli*, frustum Crucis Dominicæ, S. *Petri* Apostoli Baculus, quo S. *Asprenus* fuit sanatus; pars Brachii S. *Thomæ Aquinatis*, quæ illuc translata est a Patribus Ecclesiæ S. *Dominici*, tunc quum in numerum XII. Urbis Patronorum transscriptus est. In S. *Mariæ Dominæ Reginæ* Ecclesia asservatur Caput S. *Bartholomæi* Apostoli; in S. *Joanne Majore* bona pars Capitis S. *Matthiæ* Apostoli, in S. *Augustini* Caput S. *Lucæ* Evangelistæ, ut & *Clementis* Papæ; in S. *Gregorii* vulgo *Ligorii*, Caput ipsum Sancti istius atque Martyris, ut & Caput S. *Stephani* Protomartyris, atque A S. *Blasii* Episcopi & Martyris. In SS. *Petri* & *Sebastiani* Caput est S. *Cordulæ* Martyris. In S. *Mariæ della Concettione*, quam *Jesuitæ* habent, Caput S *Cornelii* Papæ & Martyris, una cum duobus ex undecim mille Virginibus, sicut tertium ex iisdem est in S. *Mariæ del Rosario*, quartum in S. *Mariæ a Formello*, quæ capita argento teguntur in festivitatibus earundem Virginum. Sunt & ibidem plura argento exornata aliorum Sanctorum, pluresque Reliquiæ pulchræ atque admirabiles, quarum jam nobis notitia non suppetit.

Sub Altari *Rosarii* Ecclesiæ S. *Catharinæ a Formello* B infinita conservantur ossa illorum, qui necati sunt a crudelissimis *Turcis* in Urbe *Otranto*, Anno MCCCCLXXX. quod nollent *Christianam* Fidem ejurare. Collocata vero ibidem sunt ab *Alphonso* Duce *Calabriæ*, qui illuc *Otranto* transferri jussit.

Præter (cujus jam mentionem fecimus) miraculosum S. *Januarii* sanguinem, in Ecclesia S. *Gaudiosi* est sanguis S. *Stephani* Protomartyris, & in S. *Joannis a Carbonara* S. item *Ligorii*; in S. *Mariæ Donnæ Romitæ* atque S. *Bartholomæi*, sanguis S. *Joannis Baptistæ.* In Ecclesia S. *Patriciæ*
C ejusdem Sanctæ sanguis est, una cum sanguine
S. *Bartholomæi* Apostoli; & in Ecclesia S. *Augu-* 21
stini sanguis S. *Nicolai Tolentini.*

Quinque insignia frusta Crucis Dominicæ inveniuntur in *Archiepiscopali*, ut & S. *Mariæ di Mont' Oliveto*, & S. *Augustini*, atque S. *Joannis a Carbonara*, & denique S. *Mariæ del Carmelo.*

In aliis Ecclesiis sunt Spinæ ex Corona illa Domini Nostri J. C. ut in S. *Martini Carthusianorum*, S. *Mariæ Coronatæ*, S. *Mariæ Donnæ Romitæ*, S. *Mariæ Annunciatæ*, S. *Joannis Majoris*, S. *Patriciæ*, S. *Petri Martyris*, *Spiritus Sancti*; D & denique conservatur etiam in Ecclesia S. *Patriciæ* unus ex clavis istis, quibus pro salute nostra transfixus olim Redemptor noster fuit.

Supersunt multæ aliæ Reliquiæ in variis Ecclesiis, quas brevitatis gratia omitto, ut in Thesauro *Archiepiscopalis* digitus S. *Luciæ* Virginis & Martyris; Oculus ejusdem in S. *Joannis Majoris* Ecclesia, & Omenti ejusdem atque Sanguinis paululum in illa S. *Laurentii*; præter tot alia Corpora SS. & dignissimas Reliquias, quæ conservantur in Thesauro Magnæ Ecclesiæ *dell' Annunciata*, aliisque in Ecclesiis, quæ large complexus est *Cæsar d' Engenio*, Nobilis *Neapolitanus*, in Libro E suo inscripto *Neapolis Sacra.*

FAMILIÆ NOBILES DE' SEGGI, (SEU QUÆ SEDIUM GAUDENT PRIVILEGIO) FIDELISSIMÆ URBIS NEAPOLIS.

Familiæ nobiles del Seggio di Capuana.

Acciapaccia
Aprani
Boccapianola
F *Bozzuti*
Boncompagni
Cantelmi
Capeci
Caraccioli del Leone
Caraccioli Rossi
Colonna del Duca di Zagarola
Crispani
Barrili
Dentici
Filomarini
Di Forma
Galeota
Guindacci
Di Lagni
Della Leonessa
Latri
Loffredi
Mariconda
Della Marra
Mendozza del Principe di Melito
Morra
Minutoli
Orsini di Bracciano
Piscicelli
Protonobilissimi
Sconditi

Sei

Seripandi
Di Silva
Di Somna
22 *Tocco dell' onde*
Tomacelli
Zurli
Familiæ extinctæ ejusdem Sedis.
Acciaioli
Aiossi
Aquilio
D' Arbusto
Dell' Aversana
Arcella
Barrese
Carbone
Catanei
Cappasanti
Coscia
Di Franco
Gagliardi
De Insula
Mansella
Mastaro
Pandoni del Duca di Boiano
Pesce
Proculo
Siginulfo
Tortello
Varvalli, & alii.
Familiæ nobiles del Seggio di Nido.
23 *Acquavivi*
Afflitti di Mazzeo
D' Avalos
D' Azzia del Conte di Noia
Aldemorisco
Berlingieri
Di Bologna
Brancacci
Cabanigli
Cantelmi
Capani
Capeci
Di Capua
Di Cardine
Carrafa
Coscia
Dentici delle Stelle
Dello Doce
Frezza
Gaetani
Gallucci
Della Gatta
Gesualdi
Gironi del Duca di Ossuna
Gonzaghi di D. Ferrante
Grisoni
Guevari
Guindacci
Di Luna
Milani
Mansolini
Montalti
Orsini del Duca di Gravina
Piccolomini
Pignatelli
Ricci
Di Sangro
Sanseverini
Saraceni
Sirsali
Spina
Spinelli
Della Tolfa
Tomacelli
Vulcani.
Familiæ extinctæ ejusdem Sedis.
D' Alagno
Acerra
Beccaria
Capuani
Caraccioli Bianchi
Cardona
Carduini
Centeglia
Diaz Carlona
Fontanola
Gallarani
Malaspina
Maramaldi
Offieri
Palentana
Papirio
Rumbo
Sanframondo
Solpitio
Toraldi
Villamarina, & alii.
Familiæ nobiles del Seggio di Montagna.
Di Capua
Carmignani
Cicinelli
Coppola di Coluccio.
Costanzi
Majorana
De Majo
Miraballi
Muscettola
Pignoni
Puderici
Ribera
Rocchi
Rossi
Sanfelici
Sances del Marchese di Grottola.
Sorgenti
Stendardi
Toledo
Villani del Marchese della Polla.
Familiæ extinctæ ejusdem Sedis.
Abissa
Arcamoni
Arrichiuti
Baiano
Balestrieri
Barbati
Boccatorti
Bonifacii
Calandri
Cannuto
Caperosi
Chianula
Cicalese
Cicino
Cimbro
Cocchiola
Cotogno
Cozza
Crissi
Cupidini
Corvisieri
A *Egino*
Ferrara
Fagilla
Franconi
Giontola
Grassi
Guarraccini
Hercules
Hipanta
Iaganto
Ianara
Impeta
Iuntula
B *Lanzalogna*
Mammoli
Mardones
Macogani
Mazza
Moscone
Moschetta
Munna
Oricchioni
Origlia
Orimini
Paladini
C *Pappansogna*
Petrosa
Pizzo
Pizzofalcone
Ponzetti
Rosso del Leone
Scorciati
Sicola
Soto
Spiccicacaso
Scannacardillo
Scrignara
Simia
D *Di Sarno*
Di Toro
Transo
Verticelli, *& altri.*
Familiæ nobiles del Seggio di Porto.
D' Alessandro
D' Angelo
Arcamoni
Cardona
Colonna d' Ascanio
Di Duca
E *Di Gaeta*
Di Gennaro
Inferra
Macedoni
Macedoni di Maione
Mele
Origlia
Pagani
Pappacoda
Severini
Stramboni
Tuttavilla
Venati.
Familiæ extinctæ ejusdem Sedis.
Aiossa
Aloppa
Cacciaconte
Castagnola 24
Ferillo
Fregosi
Gennari di Nicotera
Gentile
Landriani
Manati
Procola
Rosa, & alii.
Familiæ nobiles del Seggio di Portanova.
Agnese
Aponti del Marchese di S. Angelo.
Capuani
Coppola del Marchese di Missanello.
Costanzi
Gattola
Gonzaga di Vespesiano.
Ligori
Miraballi
Mocci
Mormili
Sitica del Cardinale Altemps
Familiæ extinctæ ejusdem Sedis.
D' Anna
D' Arco
Bonifacii
Bolgarelli
Capassi
Caputi
Cappella
Casatino
Castagnola del Cardinale
Cicari
Frangipane
Gammitelli
Lottieri
Monticello
Moschini
Ollopesce
D' Onnibono
Ravignano
Ronchella
Sannazaro
Scannasorice
Sassone
Tora
Torello, & alii

F

FAMILIÆ TITULATÆ FIDELISSIMÆ URBIS NEAPOLIS, QUÆ SEDIBUS NON GAUDENT.

Aierbi d' Aragano, ex Marchionibus *della Grotteria.*
Afflitti ex Duce *di Barrera* & Comite *di Loreto* & *Trivento.*
Aquini de S. Tomaso, ex antiquis Comitibus *d' Aquino*, & Dominis *del Monte S. Gio. in Campagna di Roma*, & Marchione *di Corato*, avo Cardinalis *D. Ladislai.*
Ardoini, ex Marchione *di Sorito.*
Barrionovo, ex Marchione *di Cusano.*
Belparati, ex *Aversæ* olim Comitibus.

Ber-

Bernaudi, ex Duce *Bernaudæ*.
Beltrani, ex Comite *di Misagne*.
Bertelloiti, ex Principe *Castellanetæ*.
Borges d' Arragona, ex Principe *Squillacei*.
Branci, ex Marchione *di Larino*.
Bucca d' Aragonia, ex Marchione *d' Alfidena*.
25 *Di Capua*, ex principe *di Conca*, magni Admiralis Regni.
Castelletti, ex Marchione *di Montorio*.
Concobletti, ex Marchione *d' Arena*.
David, descendens a Duce *della Castelluccia*, & Comite *della Rocca Rainola*.
Franchi, a Marchione *Octaviano*.
Galli, a Marchione *di Montefalcone*.
Gambacorti, a Marchione *di Celenza*.
Gattinari, a Comite *di Castro*.
Grimaldi, a Duce *d' Evoli*, a Marchione *della Petra* Domini *Monaci*, & Marchione *di Campagna*.
Imperiali, a Marchione *d' Oria*.
Imperati, a Marchione *di Spineto*.
Longhi, a Marchione *di S. Giulano*, qui etiam jure suo gaudent in Urbe *Consentia*.
Marchesi, a Marchione *di Camerota*.
Mastrogiudice, a Marchione *di S. Mango*.
Medici, a Principe *Octaviano*.
Mendozza, a Marchione *della Valle*.
Montenegri, a Marchione *di Marigliano*.
Delli Monti, a Marchionibus *di Corrigliano* & *d' Acaia*.
Orifici, a Principibus *di Sans*.
Langoni, a Comite *d' Ugento*.
Pescara di Diiano, a Duce *di Saracena*.
Pinelli, ex Duce *d' Azerenza*, & Marchione *di Galatola*.
Ravaschieri, a Duce *del Cardinale*.
Di Regina, a Comite *di Macchia*.
Revertera, a Duce *della Salandra*:
Rossi, a Comite *di Caiazzo*.
Ruffi, a Principe *di Scilla*, Comite *Sinopolis* & Duce *Bagnaræ*.
Siscari a Comite *d' Aiello*.

Aliæque Familiæ Titulatæ, quarum jam non subvenit notitia.

Præter Titulatas has Familias magnus *Neapoli* est numerus Familiarum Illustrium, Equitum Nobilium, ac Baronum, qui Sedibus non gaudent.

26
27 HENRICI BACCI

Alemanni,

BREVIS DESCRIPTIO

DI TERRA DI LAVORO

PRIMÆ PROVINCIÆ REGNI NEAPOLITANI;

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, atque Castellorum, quæ in illa inveniuntur, ut & Familiarum, quæ secundum novam hanc recensionem ibidem inveniuntur. Ut & Urbium Dominii Regii, & Camerarum Reservatarum, quæ ibidem inveniuntur, una cum tributo, quod Regio Fisco solvunt.

Correcta atque aucta studio

CÆSARIS D' ENGENIO,

Nobilis Neapolitani.

---

26. 27. *Henrici Bacci*] Duplex cernitur numerus ad marginem, quoniam Tabula, Insignia Provinciæ repræsentans, in principium hujus Libri rejecta est, quod & in sequentibus est observandum.

A PRovincia *di Terra di Lavoro* antiquitus *Campania Felix* dicta fuit, propter fertilitatem scilicet atque abundantiam agri sui, qua velut reliquarum Provinciarum Regina, illas omnes, Naturæ dotibus supergreditur. Hinc merito pro insigni adoptavit duo Cornucopiæ ex auro, quorum alterum plenum est uvis atque fructibus, alterum vero granorum Spicis, connectuntur vero inter se corona Regali ex auro, in campo cœruleo.

Provincia hæc præcipua sui parte, quæque ad Aquilonem est, conjungit fines suos cum Statu *Ecclesiastico* & Provincia *Abruzzo* ulteriore, & B qua Caurum spectat, Urbem ipsam *Abruzzo* versus paullum vergit, & fines suos cum Regione *Molisi* conjungit. Tres sibi Insulas subjectas habet a parte Meridionali, *Nisitam*, *Ischiam* & *Prochytam*, Fluvios duos celebres, *Garigliamum* & *Vulturnum*, quinque item Lacus insignes, *Agnanum*, *Avernum*, *Lucrinum*, *Patriam*, & quæ dicitur *di Fundi*, cum quatuor Promontoriis marinisque Portubus, *Neapoli*, *Bajis*, *Maremorto*, & *Cajeta*. Octo ibidem sunt Castella, quorum hæc sunt nomina: *Castellum Novum*, Castellum *di S. Ermo*, & illud *dell' Vovo*, *Capuæ* item Castellum *di Capua*, & *Cajetæ* Castellum *di Gaeta*, & *della Citadella di Gaeta* ibi- C dem. *Bajis* Castellum *di Baia*; in Insula *Ischia* 28
Castellum *d' Ischia*. Sunt & insuper ad latera maris triginta duo Speculæ seu Turres.

Sunt in Provincia hac Urbes viginti quatuor, ex quibus tres Archiepiscopales sunt, *Neapolis*, *Capua*, *Surrentum*. Episcopales sunt *Aquino*, *Alife*, *Aversa*, *Acerra*, *Calvi*, *Caserta*, *Caiazzo*, *Carinola*, *Fundi*, *Cajeta*, *Ischia*, *Massa*, *Monte Casino*, *Nola*, *Puteoli*, *Sora*, *Sessa*, *Tiano*, *Telese*, *Venafri* & *Vico*. Oppidula vero Vicus atque D Castella enumerantur circiter CLXVI. ut ita in universum numerum impleant CXCI. una cum Insula *Ischia* & *Prochyta*, præter quindecim alias Urbes diversis temporibus vastatas, ut sunt *Liva*, *Ausonia*, *Vestina*, *Stabia*, *Pompeji*, *Herculana*, *Linternum*, *Misenum*, *Atella*, *Formium*, *Minturnum*, *Sinuessa*, *Vulturnum*, *Cumæ* & *Bajæ*.

Prope antiquas *Linterni* ruinas Fons est *Accidola* cujus aquæ potæ dolorem levant capitis, copiose autem sumtæ non aliter quam vinum inebriant. In agro *Puteolano* inveniuntur fodinæ sulphureæ, æreæ, ferreæ; sunt & in quibus nitrum invenitur atque alumen. In agro autem *Sessæ* E etiam aurum atque argentum effoditur. *Cajetano* in agro Montana gypsum producunt plurimum. *Sommæ* in Monte, *Vesuvio* dicto, aurifodinæ etiam inveniuntur una cum sulphure & alumine. In Insula *Ischia* aurum pariter atque alumen effoditur.

Sed & complures in hac Provincia sunt Paludes Montesque famosi, quos brevitatis gratia non enumero.

Ubi † signum hoc conspicitur, indicio est locos illos *Cameras* esse *Reservatas*.

Familias habuerunt habentque

F

Olim		Nunc.
	A.	
133	*Acerra*	189
82	*Acqua fondata*	47
82	*Arlano*	47
100	*Alife*	56
247	*Arino*	284
7	*Alvignanello*	12
205	*Alviguano*	223
536	† *Alvito*	524
	Adaito	30
84	*Ameruso*	54
41	*Aquino*	72
327	† *Arx, una cum munitionibus*	333

Olim		Nunc.
829	*Arienzo*	1057
486	*Arpino*	604
549	† *Avella*	647
4405	*Aversa*, ejusque prædia.	6312
	B.	
20	*Bagnuolo*	27
73	*Baia*	51
133	*Bajano*	132
115	*Bellomonte*	112
69	*Brocco*	97
	C.	
85	*Caianello*	70

Caiaz-

NOMINA
XII. PROVINCIARUM REGNI NEAPOLITANI.

I.



Pag. 15.

Terra di Lavoro.

II.



Pag. 30.

Principatus Citra.

III.



Pag. 45.

Principatus Ultra.

IV.



Pag. 63.

Basilicata.


V.



Pag. 67.

Calabria Citra.

VI.



Pag. 74.

Calabria Ultra.

VII.



Pag. 84.

Terra d'Otranto.

VIII.



Pag. 93.

Terra di Bari.

IX.



Pag. 102.

Abruzzo Citra.

X.



Pag. 106.

Abruzzo Ultra.

XI.



Pag. 113.

Comitatus di Molisi.

XII.



Pag. 117.

Capitanata.

	Olim		Nunc.
	492	*Caiazzo*, ejusque prædia	597
	350	† *Caiuano*	300
29	264	*Calvi*	199
	30	*Campagnano*, & *Squilli*	35
	119	*Campli*	136
30	194	*Campo di mele*	183
	37	*Cannito*	37
	18	*Capriata*	30
	1816	*Capua* Civitas	1200
	5795	*Capua*, & prædia	5989
	45	*Carinola*	59
	. .	*Casaluce*	80
	190	*Casalvieri*	323
	1026	*Caserta*, & prædia	1379
	15	*Caspuli*	15
	224	*Castell' a mare del Volturno*	253
	80	*Castel honorato*	85
	415	*Castel forte*	317
	63	*Castiglione*	67
	126	*Castelnovo di San Germano*	155
	57	*Castelnovo di San Vincenzo Brino*	55
	34	*Casteluetere*	48
	67	*Casteluzzo*	81
	183	*Castroceli Palisii*	201
	410	*Cerrito*	588
	240	*Cerro*	428
	109	*Cervaro*, & *Trocchia*	140
	10	*Cicala*	15
	137	† *Cicciano*	212
	46	*Ciorlano*	53
	50	*Civitella*	67
	186	*Colle di* S. *Mango*	186
	. .	*Cocorozzo*	90
	. .	*Colle dell' Abbadia*	40
	692	† *Conca*	322
	108	*Crapiata*	121
	250	*Cusano*	301
		D.	
	220	*Dragone*	174
	11	*Ducenta*	18
	349	*Durazzano*	402
		F.	
	191	*Faicchio*	111
	40	*Feudo della Cerra*	68
	108	*Fontana*	138
	313	*Formicula*	303
	55	*Fossaceca*	42
	148	*Frasso*	157
	515	*Fratta*, & *Coreno*	568
		G.	
	1843	*Gaeta*	1250
	102	*Gallinaro*	131
	121	*Gallo*	156
	380	*Galluccio*	375
	157	† *Gioia*	219
	. .	*Guardia Sanframundo*	251
		I.	
	156	† *Insola*	192
	935	*Ischia*	1807
	735	*Itri*	758
		L.	
	21	*Lauriola*	30
	951	*Lauro*, & prædia	1584
	168	*Lenola*	190
	83	*Li Colli*	84

Olim		Nunc
8	*Limata*	8
265	*Limatola*	235
88	*Latino*	88
120	† *Lotino*	140
	M.	
698	*Maddaloni*	748
285	*Maranola*	231
68	*Mariancella*	107
849	*Marigliano*, & prædia	1109
90	*Martiale*	75
708	† *Marzano*	634
12	*Marzanello*	19
344	*Massa di Sorrento*	604
29	*Massa superiore*,	10
34	*Massa inferiore*	10
51	*Mastrata*	47
60	*Mignano*	90
70	*Mognano*	90
56	*Mellizzano*	46
20	*Molonola*	15
53	*Montagli*	50
23	*Montanaro*	23
123	*Monticello*	73
240	*Morrone*	265
	N.	
1820	*Nola*, & prædia	1295
	O.	
465	*Ottaiano.*	939
	P.	
247	† *Palma*	948
152	*Pastena*	186
30	*Pasta*	40
385	*Pedemonte dell' Abbadia*	309
1660	† *Pedemonte d'Alife*, & prædia	1945
40	*Pedemonte di Palese*	55
212	† *Petra Molara*	148
406	† *Petra di Vairano*	264
90	*Petraroia*	114
193	*Piacinisco*	249
103	*Pico*	66
150	*Pescolare*	256
60	*Pizzone*	74
164	*Pomigliano d' Arco*	296
62	*Pontelatrone*	39
59	*Posta*	66
675	*Pozzuolo*	950
165	*Prata di Valle*	227
36	*Pratella*	46
178	† *Presenzano*	136
353	*Procida*	766
55	*Puglianello*	38
	Q.	
32	*Quatrella*	32
	R.	
55	*Raiano*	89
50	*Raiardo*	90
66	*Rocca d'Evandro*	98
811	*Rocca Guglielma*	722
310	*Rocca di Modragone*	192
978	*Rocca Monfina*	723
17	*Rocca Piperozzo*	34
125	*Rocca Rainola*	218
165	*Rocca Romana*	101
456	*Rocca secca*	480
49	*Rocca Ravinola*	58

Olim		Nunc.
55	*Rocca dell' Abbadia*	63
20	*Rocchetta di Calvi*	18
	S.	
16	*Sant' Ambrosio dell' Abbadia*	30
45	*Sant' Andrea*	34
334	† *Sant' Angelo Raviscanine*	351
34	S. *Angelo in Todice*	38
355	*Santo Donato*	401
223	*S. Elia*	230
40	*San Felice*	27
865	*San Germano*	938
99	S. *Gio. in Carico*	123
45	*San Giorgio dell' Abbadia*	30
152	*San Laurenzello*	223
160	*San Laurenzo*	105
35	S. *Maria dell' Oliveto*	32
126	*Santo Padre*	141
177	*Santo Pietro in fine*	160
46	*Santo Ponnaro*	49
30	*Santo Salvatore*	22
78	*Santo Vincenzo dell' Abbadia*	79
192	*Santo Vittore*	174
89	*Scapoli*	90
90	*Schiavi*	120
1979	*Sessa*, & prædia	1979
72	*Sesto*	71
221	*Sette frati*	256
1241	*Somma*, & prædia	1773

Olim		Nunc	
512	*Sora*	629	
657	*Sorrento*, & planicies	1019	
125	*Soropaca di Santo Martino*	146	
40	*Sperlonga*	48	
176	*Spigno*	176	
195	† *Striano*	249	
88	*Suio*	100	
	T.		
12	*Telese*	6	
1345	† *Tiano*, & prædia	1345	
362	*Tora*	222	
153	*Torre di Francolise*	86	
180	*Torella*	188	
180	*Torello*	16	
281	*Traietto*	242	31
45	*Trentola*, & *Lauriano*	158	
25	*Trocchio*, & *Cervaro*	140	
	V.		
196	*Vaiavo*	148	
103	*Valle di Caserta*	148	
84	*Valle fredda*	79	
89	*Valle di preta*	105	
178	*Valle rotonda*	147	
46	*Valle di Scafara*	25	
20	*Vandre*	30	
842	*Venafro*	951	
69	*Vetticuso*	76	
123	*Vicalvo*	129	
70	*Vico di Pantano*	64	
204	*Vico di Sorrento*	398	

Civitates & loci qui semper immunes habentur a conferendo tributo in Provincia dicta Terra di Lavoro *hi sunt:*

Neapolis una cum vicis suis.
Cajeta.
Ischia.
Prochyta seu *Procida.*
Puteoli.
Aquino.
S. *Germano*
Magnanum.
Quatrelle.
Vicus *di Pantano.*

Nomina Urbium atque Oppidorum, *DI DEMANIO*, *id est Regiorum*, *quæ sunt in Provincia hac dicta* Terra di Lavoro. 32

Neapolis, Urbs inclita, Regni caput, ex privilegio suo, quod obtinet, nihil solvit, ut nec vici ejus, qui in circuitu duodecim milliarium XLIII. sunt numero.

Familias vero habuit olim & habet nunc

Olim		Nunc
4405	*Aversa* cum vicis suis	6313
5795	*Capua* cum vicis suis	5795
843.	*Cajeta.*	2210
344.	*Massa.*	605
1830.	*Nola* cum vicis suis	2301
675.	*Puteoli.*	950
869.	S. *Gennaro*	939
957.	*Surrentum* & *il Piano*	1053
1441.	*Somma* cum vicis suis	1773

Tributum quod unaquæque hujus Provinciæ familia Regiæ Cameræ seu Fisco Regio pendet.

Primo ordinarium solvit & extraordinarium, pro rationibus, *Carolinos* quindecim cum cum uno grano pro Foco singulo. Hoc tributum persolvitur ita, ut singulis quatuor mensibus rata pars afferatur.

LXVIII. grana solvit pro *Hispano* præsidio, & singulis mensibus affertur.

XVII. pro reliqua militia, item singulis mensibus.

IX. quod per tertias partes solvi solet, pro viis publicis muniendis.

IX. item & equum (monetæ *Neapolitanæ* genus est) unum pro custodia Turrium. Verum Oppida, quæ duodecim a littore absunt milliaria, dimidium istius tributi persolvunt, atque id per mensem faciunt.

II. item & equos sex & equi duas tertias partes solvit pro familiarum defectu, atque granorum XLVIII. fitque per tertiam partem.

Nomina VICORUM Urbis NEAPOLIS, qui propter Urbis privilegium nec Fisci illud nec aliud quod tributum persolvunt.

S. Pietro à Paterno
La Fragola
Lo Salice
Casalnuovo
Fratta majore
Grummo
Casandrine
33 *Melito*
Mugnano
Carvizzano
Panecuocolo
Marano
Polueca
Chiaiano
Marianella
Cardito
Piscinola
Maiano
Maianella
Secundigliano
Capo di Chio
Casa vatore
Arzano
Casoria
Capo di monte
Antignano
Socciano
Pianura
Fuora grotta
Posilipo
Peccigno
S. *Giovanni a Toduccio*
34 *La Varra*
Serino
San Spirito
S. *Iorio à Carumano*
Ponticello
Terzo
La Piscinella
La Villa
Pietra bianca
Portici
Resina
La Torre del Greco
La Torre della Nunciata.

VICI Urbis AVERSÆ hi infrascripti sunt:

Aversa Urbs ipsa.
Aprano

Casa pesenna
Casa puzzana
Casal di Prencipe
Carinara
Casolla Valenzana
Casignano
Cese
Casale Sant' Aitoro
Crispano
Ducenta
Frignano maggiore
Fratta picciola
Gricignano
Juliano
Insula
Lusiano
Orta
Pumigliano d' Atella
Pascarola
Pupone
Parete
Sant' Arcangelo
Sugivo
Santo Marcellino
Santo Cipriano
Sant' Arpino
Sant' Antimo
Teverola
Teverolaccio
Trentola
Tusciano

VICI Regionis ARIENZI.

Capo da conca
Cumellara
Caianello d' Atiento
Cane, & S. *Felice*
Figliarino, & S. *Maria.*

VICI Urbis CAPUÆ.

Capua Urbs ipsa
Airola
Arnone
Breccera
Bagnara
Casaluce

A *Campercipro*
Camigliano
Capo di risi
Casanova
Curzoli
Caturano
Cancello
Casale Alba
Le curte de Iano
Grazzanile
Jano di Capoa
Le corte di Lagio
Lo Perrone
B *Maturata*
Marcianisi
Morsicile
Pignataro
Pastorano
Pecognano
Portico
Pantoliano
Portignano
Ricale
Santo Marcellino
Sant' Andrea
C *Santa Maria della fossa*
Santo Clemente
Santo Vito
Santo Nicola
Santa Lucia
Staffari
Santo Secondino
Santa Maria Maggiore
Santo Pietro in corpo
Santo Tammaro
Santo Prisco
Savignano
Vitolaccio
D *Vellona di Capoa.*

VICI Urbis CAIAZZÆ.

Caiazza Urbs; familias habet 538
Casate di Caiazza
Frustella }
Piana } 60
Vascelli }

VICI Urbis CASERTÆ.

E *Caserta* Urbs ipsa
Alifreda
Priano
Carola
Casolla
Centorano
Ercole Fauciano
Sarzano
Piedemonte
Porcianello
Pozzo Vetere
Sala
F *Santa Barbara*
Santo Benedetto
Santo Clemente
Satorano
Sommana
Torre
Tredici
Tuoto.

VICI Urbis FERMICOLÆ,

Fermicola Oppidum ipsum
Casa di Fermicola
Profeti di Fermicola
Strangola gallo
Sassa di Fermicola

VICI Urbis LAURI.

Lauro Urbs ipsa
Beato di Lauro
Casolla
Imma
Busegra
Bisciano
Dimocella
Marzano
Mosciano
Migliano
Pago
Quindici
Pignano
Pernosano
Sopra via di Lauro
Taurano.

VICI Urbis MARIGLIANI.

Marigliano Urbs ipsa 535
Brusciano 98
Cisterna 78
Sisciano 204
Santo Vitaliano
Santo Martino.

VICI Urbis NOLÆ.

Nola Urbs ipsa.
Camposano
Casa Marciano
Cimitino
Cumignano
Cutignano
Faviano
Gallo
Liccardi
Livari
Le curte
Lo Reale
Ricigliano
Santo Paolo
Saviano
Sant' Heramo
Sirico
Scarvaila
Tufino
Vignola.

VICI PEDIS MONTIS ALIFÆI. 35 36

Piedemonte la terra 1715
Santo Pietro 98

VICI Urbis SOMMÆ.

Somma Urbs ipsa 750
Massa di Somma 60
Pollena 125
Santo Nastaso 724
Trocchia 96

VICI Urbis SURRENTI.

Sorrento Civitas
Il piano di Sorrento.

VI-

VICI Urbis di S. ANGELO RAVIS-CANINE

S. *Angelo Raviſcanine* 225
Eguiſcanina 129

DISSERTATIO Brevis de Origine aliquot Urbium in Provincia hac DI TERRA DI LAVORO, ubi Familiæ ſunt Nobiles.

AVERSA.

Ædificata fuit *Averſa*, prout ſcribit *Raphaël Volaterranus Lib.* VI. *Anthropologiæ* ſuæ, ab *Roberto Guiſcardo*, quum bellum gereret contra *Capuanos* atque *Neapolitanos*,

Guilelmus Appulus vult, *Normannos* poſt cladem *Cannenſem* mortemque Ducis ſui *Meli*, recepiſſe ſeſe in *Campaniam*, certo loco haud morantes, verum nunc in collibus, nunc in vallibus habitantes. Hos tandem metu hoſtium ait condidiſſe Urbem *Averſam* ex ruinis antiquæ Urbis *Atellæ*; & prout ſcribit Auctor *Chronici Neapolitani Lib.* I. *Cap.* VI. ædificata fuit Urbs eo in loco, ubi erat Caſtellum *Neapolitanum. Sergius* Dux & Conſul *Neapolitanus* Urbem hanc Comitatus titulo conceſſit *Rainolpho* Equiti *Normanno*, conſanguineo ſuo, anno MXXX. ſecundum *Chronicam Caſſinenſem Lib.* II. *Cap.* LVII. & titulus idem confirmatus fuit ab Imperatore *Conrado* anno MXXX. ut ibidem legitur Lib. II. Cap. LXIV.

Inde dominati ſuper illam multi fuere *Capuæ* Principes, qui Comites *Averſæ* etiam dicti fuerunt. Hos brevitatis gratia omittemus, dicemusque ſolummodo *Robertum* ejus nominis XI. *A-*
37 *verſæ* Comitem, & XXI. *Capuæ* Principem, ſtetiſſe pro *Innocentio* II. Pontifice Summo, contra *Rogerium* Regem *Neapolitanum*, atque Principatu dejectum fuiſſe, cremata Urbe *Averſa*, quæ poſtea reſtituta ſub ejuſdem filio *Anſulfo* Principe *Capuæ* fuit.

Sita Urbs eſt in pulcherrimo atque præcipuo Regionis ſeu Provinciæ tractu, omnibus ad Vitam Humanam neceſſariis abundanti, vina præſertim, *Aſprino* nomine nota, eximio guſtu proferente. Fuit etiam hæc Urbs propter amœnitatem ſuam, & quod prope *Neapolim* jacet, ſæpius frequentata a *Neapolitanis* Regibus. Quod & evincit infelix fatum *Andreæ Ungari*, mariti Reginæ *Joannæ* I. qui, dum ibi commoraretur cum uxore, eſt ſtrangulatus. Ibidem etiam *Ludovici* Regis *Hungariæ*, qui occiſi *Andreæ* frater erat, juſſu cæſus fuit *Carolus* Dux *Duraſſi*, quaſi cædis *Andreæ* particeps.

Paret jam Regi, & produxit ab olim viros Juris Civilis Canonicique aliarumque doctrinarum gloria celebres, & inter illos *Covernum Barnabam*, Summariæ Præſidem, Regentem etiam *Scipionem Cutinarium*, *Marcellum di Mauro*, primo Advocatum Fiſcalem, dein Præſidem Summariæ, qui multos compoſuit libros, præſertim unum multarum Allegationum ſeu Conſiliorum, quem, prout omnibus eſt notum, Abbas *Jo. Hieronymus*, filius ejus in lucem emiſit. Produxit & *Antonium Catalanum*, qui primum a Rege *Philippo* II. creatus fuit advocatus pauperum cum multis prærogativis, poſtea vero Conſiliarius fuit; ex quo natus eſt *Jo. Ludovicus*, qui ex præcipuo Advocato Comitis *Beneventi* factus fuit Auditor *Salerni*, & dein Judex Civilis, atque occaſione Indultus anno MDC. emiſit librum *de Amneſtia & Indultu*. Hinc fuit & *Carolus*, qui ex ejuſdem Regis Capellano factus fuit Epiſcopus *Aquilæ*, dein *Crotonis*, ubi hodieque vitam degit. *Franciſcus* item & *Camillus*, Legum Doctores, multæque exſpectationis, niſi in flore ætatis rapti fuiſſent; *Bartholomæus di Donato*, qui librum de

A *Corporeitate* conſcripſit; *Lucas Praſſitius*, qui ſcripſit contra *Auguſtinum Niſum da Seſſa*; Frater *Alphonſus di Marco*, Ordinis Prædicatorum, qui 38
libris ſuis explicavit Logicam, Phyſicam, Animam, Metaphyſicam, & Ens Rationale. Gloriatur inſuper *Averſa Thoma Grammatico*, Conſiliario Regio, celebri per Deciſiones ſuas aliaque opera, nato ibidem patre *Foſca da Tuſo* (*Grammatica* autem familia eſt *Neapolitana*) *Neapolitano*, unde *Neapolitani* & *Averſani* parem, quam olim de *Homeri* aliorumque natalibus *Græcia*, in illo
B habuerunt contentionem.

C. d' Engenio.

In Urbe hac, quæ Regia eſt, ſequentes Nobiles exſiſtunt familiæ:

Altomari
Catalani
Gargani.
Giraldi.
Landulſo.
Di Marco.
Di Mauro.
Di Niſi.
Pacifici.
C *Ricciardi.*
Sarriani.
Scaglioni.
Silveſtri.
Simonelli.
Del Tuſo.
Della Valle & aliæ.

CAPREÆ nunc CAPRI.

Ab Inſula cognomine ita Civitas appellata eſt; cujus Rex quondam fuit *Telon* pater *Abali*, cujus meminit *Virgilius* Lib. *Æn.* VII. verſu: 734.

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis,
Oebale, quem generaſſe Telon Sebethide Nympha
D *Fertur, Theleboum Capreas cum Regna teneret.*

Locus hic admodum in deliciis fuit *Octaviano Auguſto*, ita ut frequentius viſitaverit, narrantque veterrimæ ilicis demiſſos jam ad terram languentesque ramos convaluiſſe adventu ſuo, quo adeo lætatus eſt, ut eas cum Republica *Neapolitanorum* (cujus tunc erant) permutaverit, data *Ænaria* ſive *Iſchia*, ibique ſeceſſum ſuum habuerit. Ab eodem multum dein exornatæ fuerunt, exſtructis ædificiis pulcherrimis, & quoniam plurimum ibi degebat, locum illum (ſecundum *Volaterranum*) ob aſperitatem, & amœnitatem tamen, appellabat
E *Apraxiopolin*, id eſt *aſperæ amœnitatis* Civitatem, ſeu *Aſpremenam.* Incolæ vivebant more *Græco* illorumque utebantur ſermone; frequentarunt eandem Urbem Imperatores *Tiberius* atque *Vitellius*. *Plinius* de *Capreis* agens, dicit: *Mox a Surrento* 39
octo millibus paſſuum diſtant Tiberii Principis Arce nobiles Capreæ, circuitu quadraginta millia paſſuum. In ejuſdem Epiſcopali aſſervatur corpus S. *Conſtantii* Epiſcopi. Urbs autem, quæ ad Regem pertinet, multos intus habet familias nobiles, ut ſunt *Arcucci*, *Roſſi*, *Strini* aliique *C. d' Engenio.*

CAPUA.

F *Capua* Urbs antiquiſſima, ita dicta a *Capy Trojano*, qui *Æneæ* ejus fundatori ſucceſſit, ut aliqui dicunt, ab *Ænea* enim alii ita appellatam volunt a *Capy* avo ſuo *Aſſaraci* filio. Ab *Oſcis* alii conditam aſſerunt, qui prius *Oſcam* dein *Capuam* ædificaverint. *Servius* etiam exponens illa *Æneid.* VII. *Oſcorumque manus*, primitus *Capuanos* appellatos fuiſſe aſſerit *Oſcos* a magna ibidem ſerpentum copia, quum id vocabulum ſerpentem ſignificet. Alii a *Capy* dictum volunt, id eſt falconum augurio, quum in condenda Urbe falco ſupervolaret: *Tuſcorum* enim tunc lingua falco dicebatur *capys.* Alii denique *Capuam* dictam volunt, quod

duodecim olim, quo ſuperbit titulo, urbium caput
fuerit. Gloriatur etiam cum variis populis geſſiſſe
bellum. Maximas a *Romanis* clades, victo *Hanni-*
bale, experta eſt, majores longe a *Genſerico* Rege
Vandalorum, qui penitus Urbem vaſtavit. Reæ-
dificata fuit ab *Landone* Comite *Capuæ*, & *Landul-*
pho ejusdem Urbis Epiſcopo in ponte *Caſolino* di-
cto; Verum denuo direpta atque incenſa fuit ab
Rogerio, Comite tunc *Siciliæ* & *Neapolis*, dein Re-
ge, qui filio *Alphonſo* conceſſit cum titulo Prin-
cipis; degit hodie ſub dominatione Regis *Hiſpa-*
niæ.

Civitas hæc exornata fuit Archiepiſcopali digni-
tate & Metropolis facta a Papa *Joanne* XIII. anno
Partæ Salutis DCLXVI. Multis Sanctorum glo-
riatur corporibus, ut S. *Rufi*, diſcipuli S. *Apolli-*
naris Epiſcopi & Martyris, S. *Priſci* Martyris, ex
antiquis ipſius *Jeſu* diſcipulis, SS. *Ariſtæi* Epiſco-
pi, & *Antonini* Martyris, S. *Pamphili* & S. *Pau-*
lini, S. *Bernardi*, S. *Deccoroſi*, quatuor Urbis E-
piſcoporum, S. *Ruffini* etiam Epiſcopi, ut & SS.
40 *Marcelli*, *Caſti*, *Æmilii* & *Saturnini* Martyrum;
S. *Priſci*, SS. *Quintini*, *Arcontii*, *Donati*, *Car-*
pophori Martyrum; B. *Matronæ* Virginis, SS. *Quarti*,
Quintini, Martyrum; SS. *Joannis* & *Pauli Ca-*
puani, Monachorum Ordinis *Caſſinenſis*, S. *Ludo-*
vici Capuani, Monachi Ordinis S. *Auguſtini*.

Produxit eadem Urbs illuſtres multos viros,
tam in dignitatibus Eccleſiaſticis, quam Legibus
Canonicis & Civilibus, aliisque ſcientiis conſpi-
cuos; & inter illos *Honorium* I. Pontificem, *Pe-*
tronii Conſularis filium, qui ſancte in Sede S.
Petri vixit annos XII. Menſes XI. & XVII. dies.
ſepultus vero fuit in Eccleſia S. *Petri*. Sicut &
produxit *Aldemarum* Monachum & Abbatem *Mon-*
tis Caſini, qui Cardinalis factus fuit ſub titulo S.
Stephani in Monte *Cœlio*, ab *Alexandro* II. item
Vitulam, qui propter virtutem ſuam a *Romualdo*
Rege *Longobardorum* Dux factus fuit *Spoleti*. *He-*
ctorem Ferramoſcam, fortiſſimum militem ætate
Catholici Regis, *Petrum de Vineis*, *Joannem Ca-*
ruſum magnum Regni Protonotarium, *Joannem*
Baptiſtam Attendolum Oratorem celebrem, *Ca-*
millum Peregrinum & *Lucam Centium* Hiſtoricos.
Fabium Marchionem, cognitione Legum, aucto-
ritate & fama (vixit autem temporibus noſtris)
conſpicuum. Vivit hodieque inter alios ejusdem
filios *Andreas* celebris Juriſconſultus, qui paternis
late incedit veſtigiis. Exſtat etiam adhuc *Franco-*
rum familia, quæ Orbi dedit *Vincentium*, Con-
ſilii Præſidem, notum omnibus doctrina, virtu-
te, prudentia, & deciſionibus doctiſſimis, quas in
lucem edidit, *Jacobum*, *Laurentium*, *Andream*,
Ludovicum, *Lucam*, *Hieronymum*, *Franciſcum*
Antonium, *Thomam*, & *Joannem Baptiſtam*, pa-
ternis ornatos virtutibus, quique ſibi juris ſcien-
tia aliisque virtutibus viam aperuerunt ad Mini-
ſterium Regium. Primus enim M. S. Conſiliarius
fuit, ut & Marchionis *Octaviani*, ſecundus Ad-
vocatus Fiſcalis Vicariæ, perque merita ſua a *Phi-*
lippo III. factus eſt Præſes Cameræ Rationalis.
Tertius prius Archiepiſcopus fuit *Trani*, dein *Ma-*
teræ. Quartus Epiſcopus fuit *Nardi*, quintus *U-*
genti. Sextus non ita pridem ab eodem Rege E-
piſcopus *Puteolanus* electus eſt, verum eodem
tempore *Nardi* Epiſcopus creatus fuit a *Paulo* V.
Septimus in Aula obiit Capellanus ipſius Regis.
Octavus Legum Doctor eſt ut & ultimus, utri-
que juvenes multæ virtutis & exſpectationis.

41 *C. d' Engenio.*

Sunt in Urbe hac infraſcriptæ familiæ nobiles;

D' Argentio	*Bianco*, alias *Novellone*.
De Archiepiſcopis	*Di Capua*
D' Azzia	*Di Falco*
Del Balzo	

A *Frappiero*	*Olimpio di Tiberio*
Ferramoſca	*Pellegrini*
Franchi	*Della Ratta*
Gallucci	*Dello Riccio*
Giugnano	*Di Rinaldo*
Lanza	*Roſſi*
Leoneſſa	*Siniſcalchi*
Maggio	*Di Tomaſo*, *detti del Barone*.
Marcheſi	*Delle Vigne*
Marotta	*Vitelli*, & alii.
Mazziotti	
Minutoli	

Fuêre in eadem Civitate *Antignani*, *Evoli*,
B *Ferramoſchi*, *Ferrari*, *Funicelli*, *Landi*, *Pandoni*,
aliique hodie extincti.

CASERTA.

Civitas hæc condita fuit a *Seſulanis* & *Galatinis*,
prout ex antiquiſſima traditione perhibent incolæ.
Ex reliquiis *Capuæ* ſecundæ excitatam credunt alii.
Volunt denique alii a *Longobardis* conditam fuiſſe,
Cathedralem vero dein factam a Pontifice Summo
Alexandro VI. & prout ſcribit *Herimpertus* Hiſtor.
Lib. III. *Caſerta* appellata fuit a *Caſa irta*. Co-
mitatus titulo poſſedit *Robertus di Lauro*, ut &
Bartholomæus Siginolphus Magnus Regni Came-
C rarius. In ditionem dein venit *Sanſeverinorum*,
Cajetanorum, *Rattarum*, & poſſidetur ab *Aqua-*
vivis. Urbem hanc multum illuſtravit familia *San-*
torum, quæ inter feliciſſimas Regni meretur
numerari, quoniam edidit *Leonardum San-*
torum, excellentem Doctorem Legem, patrem
Julii Antonii Santori, qui Cardinalis S. Eccleſiæ
creatus eſt a *Pio* V. felicis memoriæ, & Cardi-
nalis S. *Severinæ* dictus fuit, quo titulo & Archie-
piſcopus fuerat; ut & *Franciſcum Antonium* ejus-
dem Urbis S. *Severinæ* Archiepiſcopum, qui fuê-
re Antiſtes tempore noſtro virtutibus meritisque
D multis præditi. Vivit hodieque ex iſta familia
Paulus Æmylius Santorus, nepos Cardinalis S. *Se-*
verini, Antiſtes multæ virtutis & religionis, Ar-
chiepiſcopus *Coſentiæ*, ex cujus ingenio multi 42
præclari prodiêre partus, Vitæ ſcilicet SS. *Petri* &
Pauli, ut & Virginum, Hiſtoria *Carbonaræ*, & No-
ſtrorum Temporum, quæ nondum eſt impreſſa,
ſtylo elegantiſſimo. Meretur vero annumerari
præſtantiſſimis ſæculi noſtri ingeniis.

C. d' Engenio.

Sunt hodie in iſta civitate ſequentes nobiles
Familiæ:

E *D' Alois*	*Majelli della linea di Franceſco*
D' Amico	*Migliareſi*
Cifoli di Tarquinio	*Santori*
Clementi	*Saſſi*, & alii.
D' Enrico	
Guido	

CASTELLUM AD MARE.

Quoniam hæc Civitas condita eſt in parvo ſinu
in ruinis Antiquæ Civitatis *Stabiorum*, quæ de-
ſtructa fuit a *Lucio Sulla* Legato, in Bello Sociali,
inde vocatur *Caſtell' à Mare di Stabia*. Incertum
eſt a quonam deſolata ſit. id modo dicemus, ſi-
F tam eſſe in amœniſſimo & ſereniſſimo loco inter
montem *Sommam* & Urbem *Surrentum*, in radi-
cibus Montis *Gauri*, qui ab accolis appellatur
Monte d' Oro. Caſtellum factum fuit a *Carolo* I.
ſecundum alios vero ab *Alphonſo* I. verum ab po-
ſtremo forſan reſtauratum fuit & ampliatum.
Paret hodie Duci *Parmæ*.

C. d' Engenio.

Familiæ nobiles hæ ſunt:

Afflitti	*Certa*
D' Apozzo	*Comparati*
D' Avitata	*Longobardi*
Caſtaldi	*De Miro*
Di Nocera	*Sicardi*

Plagesi	*Vaccari*
Pandoni	*Vergari*, & alii.
Rosania	

CAJETA.

Urbs antiquissima, nomen nacta ab *Æneæ* nutrice *Cajeta*, ibi mortua atque sepulta, in cujus
43 gratiam ab *Ænea* condita fuit, ut asserit *Virgil.* Æn. VII. versu I.

Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix
Æternam famam moriens Cajeta dedisti.

Quæ exponens *Servius*, dicit ab aliis fuisse habitam pro nutrice *Æneæ*, ab aliis *Creusæ*, uxoris ejusdem, a multis etiam pro illa *Ascanii* filii sui. *Aurelius* Victor in libello de Originibus *Romanorum*, dicit appulisse in loco *Æneam*, qui nunc vocatur *Portus Cajetæ*, & ex mortuæ nutricis nomine *Cajetam* appellasse, quod ibi sepulta fuerit. Volunt alii classem ibi forte *Trojanorum* conflagrasse, unde nomen nactus locus sit. Alii denique *Cajetæ* acquisivisse nomen dicunt a sinus incurvatione, quod omnis incurvatio ita a *Samiis* vocitetur, prout *Strabo* asserit.

Fuit Civitas hæc sub Ducibus, pariter ut *Neapolis.* Anno MXLI. profecto ex *Italia* Imperatore *Conrado*, Consul *Tiani Landolphus* Comitem *Cajetæ Atenulphum* tradidit in potestatem *Guaimarini* Principis *Capuæ*, & temporibus *Joannis* & *Alesii Porphyrogennetorum*, Imperatorum *Constanstantinopolitanorum*, Clericus *Joannes* Archiprimicerius Ecclesiæ S. *Georgii Majoris Neapolis*, dedit *Sergio* Duci & Consuli *Neapolis* & uxori ejus *Ebæ* filiæ *Loffredi*, cognominati *Ridelli*, Ducis olim *Cajetæ*, agros aliquot prope *Neapolim*, prout ex publico instrumento est cognoscere. Possessa eadem Urbs fuit a familia *Aquina*, ut dicit *Ammiratus.* Portum ejus splendido opere instauravit *Antoninus Pius* secundum *Spartianum.* Validissima est, quum habeat ab altera parte Arcem munitissimam in summa rupe, quæ muro validissimo cincta fuit a *Ferdinando Arragonensi*, postquam a magno Capitaneo ejecti ex Regno *Galli* essent anno MCCCCXCIV.

Sunt ibi Corpora S. *Erasmi*, Episcopi *Antiocheni* & Martyris. S. *Martiani* Martyris & Episcopi *Syracusani.* S. *Probi* Episcopi. SS. *Casti* & *Secundini* Episcoporum & Martyrum. S. *Montani* Martyris. Beati *Innocentii* una cum SS. *Albina* & *Euphrosia* virginibus & Martyribus.

Multi etiam literis *Cajetam* illustrarunt, ut *Gelasius* II. Pontifex Summus, qui ex Cancellario S. Ecclesiæ & Cardinale S. *Mariæ* in *Cosmedina* die XXV. Febr. Anno MCXVIII. Pontifex creatus fuit, & in Urbe patria consecratus primo die Martii, prout dicit Auctor *Ligni Vitæ*, in *Francia* dein sancte diem obiit, postquam S. Sedem tenuisset annum unum & quinque dies, non
44 sine Sanctitatis opinione, unde Sanctus a multis vocatur gravissimis auctoribus. Per excellentiam etiam *Cajetanus* ille dictus fuit *Thomas di Vio* primus Generalis Ordinis *Domicani*, & postea Cardinalis S. Ecclesiæ, prudentia sua clarus, doctrina illustris, præclarisque factis suis celeberrimus. Hodie Regia hæc Urbs præsidium habet *Hispanicum.*

C. d' Engenio.

Familias Nobiles hasce continet:

Alvio	*Lomaoli*
Avanzo	*Manganella*
Castagna	*Mont' Aquila*
Cavalcanti	*Siglieri*
Falangoli	*Spartari*
Gazelli	*Squaquara*
Gattoli	*Storrenti*
Guastaferro	*De Vio*
Laudati	*Vio*, & alias.

ISCHIA seu ÆNARIA.

Inexpugnabilis hæc est Civitas, quæ Insulæ nomen dedit, in qua jacet. *Ischia* enim, ut *Volaterranus* ait, appellatur a *Græco* idiomate, quod *robur* dicit, & hinc propter fortitudinem secunda Regni clavis est. *Arime* vocatur ab *Homero*, ut & a *Pindaro*, licet quidam *i Siri* hoc nomine intelligant. Dicta ita Insula ab habitatoribus ita appellatis, sive a *Simiis* antiqua *Hetruscorum* lingua ita dictis. *Plinius* ab *Ænea* insulam *Ænariam* vocat, qui ibi stationem habuerit, & subjungit *Pithecusam* appellatam fuisse non a *simiis*, sed vasis *Cretæis*, quæ ibi magna erant abundantia, faciunt vero & hodie ex creta ista laterculos insulani, quibus *Neapolitani* plateas muniunt.

Ab *Erythrensibus* juxta *Strabonem* habitata fuit hæc Insula, atque etiam a *Chalcidensibus.* Famosa vero valde est ex fabula gigantis *Typhæi*, qui *Jovem* in *Cœlo* impetens, fulmine ab eodem percussus & Monti *Typhæo* fuit subditus. Non minorem Insulæ famam conciliarunt calida balnea & salutifera, quæ ibidem inveniuntur, & quod dotata sit corpore S. *Olivaræ*, quæ soror fuit S. *Restitutæ*, Virginis & Martyris, cujus & corpus contendunt acerrime incolæ ibidem asservari, sed
magno errore, sublatum enim fuit ab Imperato- 45
re *Constantino*, atque translatum *Neapolim*, atque ibi in Ecclesia collocatum, quæ nomini ejus est dedicata.

Omnibus frugibus eadem abundat Insula, præsertim vero cinaris quarum magna ibidem nascitur copia. Perdicum quoque ibidem magna captura est, aliarumque avium atque animalium. Venas auri atque ferri habet, locum etiam in quo præter grandem piscium copiam multæ inveniuntur aves aquaticæ mense Novembri. Vina *Græca* & *Latina* atque etiam aliæ sorbitiones boni sunt gustus, aquæ laudatæ a cunctis. Urbs inexpugnabili munita est Castello, quod ferreas habet portas, & præsidium *Italum* e civibus fere omne. Validum magis reddidit *Alphonsus* I. Rex *Neapolis*, fossis, muris, & bombardis instruens.

Multi in Civitate viri Illustres sunt, præsertim *Petrus Cossa* seu *SalvaCossa*, Comes *di Bellante*, *Joannes SalvaCossa*, Comes *Trojæ*, qui a *Ludovico* IX. Rege *Galliæ*, & *Renato Andegavense* multis dignitatibus aucti sunt in *Galliis*, posterior etiam in *Provincia* Magnus Seneschallus fuit.

C. d' Engenio.

Familiæ ibi nobiles hæ sunt.

Albani. Assanti. Bonemmi. Gallicani. Mellusi. Monte. alii.

NOLA.

Antiquissima sane *Nola* est, neque situ, aut ædificiorum magnificentia cuiquam ex majoribus Regni civitatibus concedit, satis crebro repetita ab antiquis Imperatoribus. *Iapyges*, ut ait *Trogus Pompejus*, illam condiderunt, secundum *Solinum* vero *Tyrii.* Condita ab his, ab illis aucta esse potuit. Pristinis temporibus ampla valde fuit, ut *Ambrosius Leo* asserit. Morte *Octaviani Augusti* nobilitata. In possessione diu fuit *Ursinæ* domus Comitatus modo titulo.

In Urbe hac, quæ Regia est, multa Sanctorum inveniuntur corpora, ut S. *Felicis* Martyris, S. *Calonii* Martyris, S. *Aureliani* Martyris, S. *Maximi*, S. *Quinti*, S. *Paulini* Episcopi, S. *Ruffi*, S. *Laurentii*, S. *Patricii*, S. *Felicis*, & S. *Deodati*
Episcopi *Nolani*, S. *Felicis* Præsbyteri & Confes- 46
soris, SS. *Felicis*, *Juliæ*, *Jucundæ*, Martyrum, triginta insuper Martyrum, qui coronam illam acceperunt cum S. *Felice* Episcopo, sub persecutione Imperatoris *Valeriani*, Beati *Reginaldi* Monachi Ordinis Seraphici S. *Francisci*, aliorumque.

C. d' Engenio

In Urbe hac Familiæ Nobiles hæ sunt:

Albertini	*Alfani*
Baroni	*Cæsarini*
Fellechia	*Fontanaroso*, ex antiquis

Baronibus *Fontanarosæ*, Oppido *Hispanorum*, aliorumque locorum, quæ nimis longa nunc recensere:

Frezza	*Gioseppi.*
Guidici	*Mariscoli*
Mastrilli	*De Notariis*
Palma	*De Risi*, *Tansilli* & alii.

PUTEOLI.

Hæc Urbs a nobis *Pozzuolo* dicta variis gaudet appellationibus, a *Servio* dicta est *Puteola*, *Puteula* a *Petrarcha*, a *Sannazaro Dicharchum*, ab aliis *Putiolum*, *Dicacarchia* & *Dicæa*. Duas Urbes *Dicepolis* nomine recenset *Suidas*, alteram in *Thracia*, alteram in *Italia*, quæ aliis *Puteoli* appelletur, verum *Dicepolis* dicta sit a conditore *Diceo* filio *Neptuni* seu *Herculis*. a *Latinis* appellata fuit *Puteoli* a puteis, quæ in aquarum usum fuerunt excavati eo tempore, quo obsessa fuit ab *Hannibale*, gaudetque adhuc eo nomine, rejecto priori. Dictam ita alii volunt a vapore, qui continuo istis in locis exit & aquis calidis & sulphureis, quum ibi perpetuus intus foveatur ignis. *Festus* Minorem *Delum* appellat, forum quasi totius Orbis. Mercatum ibi *Cumarum* fuisse alii volunt, unde & a *Cumanis* conditam nonnulli asserunt. Nobis *Suidæ* placet sententia, quam plurimi approbant.

Hanc postea Urbem ampliaverunt Imperatores
47 *Romani*, præsertim *Septimius Severus* & *Antoninus* filius, ita ut tanquam altera quædam parvula *Roma* videretur. Gloriatur Mansione S. Apostoli *Pauli* per septem dies, qui *Rhegio* profectus alligatus catenis huc venit, prout legimus Cap. ultimo *Act. Apost.* neque minoris imo multo majoris pretii *Puteolanis* fuit Doctorem videre Gentium quam Imperatorem.

Nobilitata etiam hæc Urbs fuit martyrio S. *Januarii* ejusque discipulorum, inter quos fuit S. *Proculus* Diaconus Ecclesiæ *Puteolanæ*, ejus Urbis Protector. Sunt & ibidem Corpora S. *Celsi*, discipuli S. *Petri* Apostoli, S. *Nicææ* Martyris, matris S. *Proculi*, S. *Patrobæ*, Episcopi *Puteolani*, qui & ex LXXII. Discipulis *Christi* fuit. Volunt & quidam servari ibi corpus *Onesimi* discipuli Apostoli S. *Pauli* & S. *Artemæ* Martyris.

C. d' Engenio.

Civitas hodie hæc Regia, & sequentes ibi Familiæ Nobiles sunt:

Aquileri	*Composta*
Arcani	*Costanzi*
Berelli	*Damiani*
Bossa	*Fraiapani*
Buonhuomo	*Pesci*
Capomazzi	*Rossi*, & alii.
Cioffi	

SUESSA.

Variis passim cognominibus audit apud Scriptores. *Suessa Pometia* appellatur propter *Pometiæ* cives, qui illuc migratum concessere, vexata Urbe sua a *Tarquinio Prisco*. Ab *Auruncis* etiam *Aurunca* dicta fuit, qui ibi, prout dicit *Livius*, cum conjugibus & liberis habitatum venerunt. *Sidicinæ* etiam cognomen habuit a Castello *Sidicino*, quod prope erat, a *Volscis* etiam, quia caput illorum, nomen adepta, quod potentiæ ejusdem atque magnitudinis est indicium. *Vestina* denique nuncupata fuit, quia in illa sita regione, ut *Livius*,
A *Strabo* aliique testantur.

Condita *Suessa* fuit in agro amœno atque fertilissimo, nemo autem conditores ejus memorat, licet *Livius* dictam primitus *Suessam* adnotet.

Multos claros viros edidit, & inter illos *Lucilium* Satyrorum primum Poëtam, *Augustinum Niphum*, & fratrem *Vincentium*, Medicos excellentissimos, *Antonium Calcilium*, Grammaticum & Poëtam, *Franciscum Tacconem*, Legum Doctorem, *Nicolaum di Cesta*, & *Franciscum* filium, illustrissimos Medicos, aliosque. 48

Ducatus titulo ornatur, & possidebatur olim
B a Familia *Marzana*, dein a Rege Catholico donata fuit Magno Capitaneo, atque nunc ab ejus nepotibus possidetur.

C. d' Engenio.

Sunt ibi Familiæ Nobiles hæ:

Altissimi	*Marra*
Aranna	*Montaquili*
Asprelli	*Nisi*
Cerasuoli	*Pascali*
Conestaboli	*Di Paolo*
Coscia	*Pippi*
Florimonti	*Piscitelli*
Fundi	*Ratta*
C *Di Francisco de Geronimo*	*Ricca*
Gallucci	*Rossi di Luigi*
Gattoli	*Sessa*
Di Giove	*Suessani*
	Turaldi
Magnoni	*Di Transo*, & alii.

SURRENTUM.

Antiquissima hæc atque nobilissima civitas, secundum *Hyginum* a *Græcis*, alios, ab ipso *Ulysse* condita est. *Surrentum* nomen a *Sirenibus* habet, quæ ibi, prout dicit *Plinus*, habitarunt. Amplitudo ejus pristina adhuc ex ædificiis resplendet.
D Fuere ibi Templa *Cereris*, *Fortunæ* & *Minervæ*, ab *Ulysse* exstructa, prout testatur *Strabo*. A *Sirenibus* autem habitatam fuisse Urbem *Plinii* hæc docent verba: *Surrentum cum Promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede.* Affirmat idem *Pontanus* Lib. VI. *Belli Neapolitani*. Fuit Urbs illa colonia *Romanorum*, & multum laudatur ab antiquis scriptoribus propter aëris temperiem & agri amœnitatem, præsertim a *Martiale*. In pretio hodie sunt caro ejus vitulina, ut & porcina, & vina optimi saporis.

Quando Urbs hæc Episcopali & Archiepiscopali Sede exornata fuerit, non constat nobis: me- 49
E minit tamen S. *Gregorius* Papa *Epist. Lib.* I. *Ep.* LII. *Joannis* Episcopi *Surrentini*. In consecratione etiam Ecclesiæ *Cassinensis*, facta anno MLXXI. inter alios Antistites & Archiepiscopos interfuit ille *Neapolis* & *Surrenti*. Haud parum etiam illustris est miraculis Abbatis S. *Antonii*, cujus corpus medetur illis, qui a maligno vexantur Dæmone. Sunt ibi Corpora SS. *Renati*, *Valerii*, *Athanasii* & *Bacoli*, Episcoporum ejusdem Urbis. Mentio etiam in *Martyrologio* fit SS. *Quarti*, *Quartilli*, *Quartillæ* & *Marci*, qui martyrii ibidem coronam reportarunt, ubi & nunc illorum asservantur corpora.

F Nati *Surrenti* sunt *Nicolaus Acciapaccia* Episcopus *Tropeæ* & postea *Capuæ* Archiepiscopus, qui ab *Eugenio* IV. creatus fuit Cardinalis, titulo S. *Marci*; *Robertus Acciapaccia* Archiepiscopus *Surrenti*, *Thomas Acciapaccia*; Comes *Belcastri*, *Cerchiaræ*, & *Casalnovi*, *Robertus Sersalis*, Princeps *Capuæ*, *Gabriel Correalis Dux di Castel' a mare*, *Vici* etiam & *Massæ*, *Marinus Correalis*, frater, Comes *Terranovæ*, ut & *Antonius Aurifex*, Præses Consilii, *Petrus Paulus Theodorus*, *Franciscus Brancia*, & *Ferrandus Brancia* (qui hodieque vivit) Consilia-

filiarii Regii, *Zaccharias Guardatus* Consiliarius & Vice Magni Cancellarii, *Torquatus* etiam *Tassus*, Poëta celeberrimus.

Urbs hæc, quæ Regia est, Nobilitatem suam in duas Sedes (*Seggi*) ad morem *Neapolis*, distinctam habet.

C. d'Engenio.

In unaquaque hodie Familiæ Nobiles sunt tredecim, suntque hæ sequentes:

In Sede di Porta.	In Sede, dicta Domini nova.
Acciapacci	*Boccia*
Anfora	*Capeci*
Amoni	*Cortesi*
Branci	*Don Urso*
Correali	*Mastroiodice*
Della Porta	*Molignani*
Falangola	*Martiale*
Fiori.	*Nobilioni*
Guardati	*Orefici*
Marzati	*Sersali*
Domini Marte	*Spasiani*
Romani	*Teodori*
Rota	*Vulcani.*

50 TIANUM.

Vocatur *Sidicinum*, testibus *Strabone* & *Plinio*, ad differentiam illius, quod in *Apulia* est. Antiquissima est Urbs, ad fidem conversa Catholicam a S. *Paride*, qui inde a populo in Episcopum electus & consecratus a Papa S. *Sylvestro*, ad meliorem vitam transiit die quinta Augusti anno CCCXLVI. postquam per aliquot annos præfuisset, gregemque suam summa administrasset cura. Corpus ejus illatum est summa cum veneratione in Ecclesiam ipsi a *Tianensibus* dedicatam.

Sunt ibidem corpora S. *Amati* & S. *Urbani* Urbis Episcoporum, S. etiam *Reparatæ*, Virginis & Martyris, quæ in *Cæsarea Palæstinæ* nata fuit. Sæpius *Tiani* fit mentio in *Chronico Cassinensi*, Comitatus titulo longum tempus possessum a multis fuit, ut & anno CMLXXXVII. a *Gisulpho*, qui Monasterio *Monte Casino* dedit Castellum dictum *Caspolo* cum confiniis suis, anno autem MXVI. a *Pandulpho* & *Gisulpho* Comitibus, prout legitur Lib. II. Cap. XIII. & XXXII. ejusdem Chronici. Nunc est Principum *di Stigliano*.

C. d'Engenio.

Sunt ibi Familiæ Nobiles hæ:

D'Albenaboli	*Garofali*
D'Angelo	*Lotterii*
Barattucci	*Di Martino*
Carigli	*Di Monte*
Gallucci	*Pii*, & alii.

TRAETUM.

Oppidum hoc situm est supra pulchrum collem, in cujus radicibus visuntur ruinæ antiquæ Urbis *Minturni*, cujus meminerunt *Strabo*, *Mela*, & *Tacitus*. Condita fuit ab *Ausoniis*, & Colonia itidem *Romanorum*. Possessa dein Comitatus titulo, prout legere est in *Chronico Cassinensi*. Anno MXVI. usque MLVII. Comes fuit ibi *Marinus*, & anno MLXXXIV. alterius *Marini* fit mentio, nisi sit idem forte, citatur & conjux ejusdem *Oddolana*, prout exstat in isto *Chronico*. Postea Ducatus titulo possedere *Sanseverini*, ut & *Honoratus Cajetanus* Magnus Protonotarius Regni, Regis *Neapolis Alphonsi* II. affinis, & alii ex ejusdem familia deinceps. Nunc translata est ad posses-
51 sionem Principis *Stigliani*.

C. d'Engenio.

Sunt ibi Nobiles Familiæ sequentes:

A

Cœlii.	*Fogliami.*
Crescentii.	*Simonelli.*
Frezzilli.	*Vallonii*, & alii.

VENAFRUM.

Olivis præsertim abundat *Venafrum*, unde passim *Venafranum* oleum in *Epigrammatibus* suis celebrat *Martialis*. Conditum autem fuit in Colle amœno & valde fertili. Comitatus titulo pridem possedit Familia *Pandona*. Sub dominio Principum *Sulmonensium* dein fuit, Familiæ *Lanoiæ*, qua penitus extincta, in ditione nunc esse videmus Familiæ *Perettæ*, Principatus titulo donatum est a *Sixto*
B V. Pontifice.

C. d'Engenio.

Sunt ibi sequentes Familiæ Nobiles:

Augusti	*Massarotti*
De Amicis	*Montaquili*
Bovi	*Pelosi*
Bruni	*Rignoni*
Cortesi	*Ricena*
Dattoli	*Rocca*
Gargagli	*Santabarbi*
Giusti	*De Santis*
Magnotti	*Valletti* dispersi in familias varias, & alii.
C *Martucci*	
Martelli	

VICO EQUENSE.

Carolus II. Rex *Neapolis* mire captus aëris temperie, & fertilitate atque amœnitate agri, ubi hodie hæc Urbs est, eo in loco anno Domini MCCC. illam condidit, atque illuc æstate secessum captare solitus fuit. Volens haud paucas sui in eadem Urbe memorias exstare filia *Caroli* III. Regis *Neapolis*, Regina *Joanna* II. exstruxit ibidem aliquot Ecclesias.

D *Vico* seu *Vicus* appellatur, quoniam in peramœni vici formam est ædificata Urbs. Illustravit autem illam *Paulus Regius* ejusdem Episcopus, vir egregius, per multa, quæ in lucem edidit, opera. Possidetur hodie a *Faustino Durazzo*, Nobili *Genuensi*.

C. d'Engenio.

Familiæ Nobiles hæ sunt:

Cimini.	*Longi*, aliique.

HENRICI BACCI 52

Alemanni, 53

E

BREVIS DESCRIPTIO

PRINCIPATUS CITRA,

PROVINCIÆ SECUNDÆ REGNI NEAPOLITANI;

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum atque Castellorum, quæ in illa exstant, ut & Familiarum, quæ secundum novam hanc recensionem ibidem inveniuntur.

F *Urbium præterea & Oppidorum Dominii Regii* (di demanio) *quæ ibidem inveniuntur, ut & Camerarum Reservatarum.*

Correcta atque aucta studio CÆSARIS D'ENGENIO, *Nobilis Neapolitani.*

PRovincia, quæ *Principatus Citra* dicitur, pars est *Lucaniæ* sive *Basilicatæ*. Populi ejus *Picentini* olim dicebantur. a Circii latere & Aquilone connectitur cum *Principatu Ultra*, a Meridie Mari *Tyrrheno* alluitur, maxima autem sui parte adjungitur terræ *di Lavoro*. Duas sibi subjectas habet Insulas a parte Meridionali, *Capre* & *Gallo*; tria flumi-

flumina, *Sarnò*, *Selè*, & *Riofreddo*, ut & *Palinuri* Promontorium, quod pulcherrimum Maris habet Portum.

Pro inſigni habet pixin nauticam quatuor a lateribus alis in circuitu inſtructam, inter duos campos, quorum ſuperior eſt argenteus cum ſtella aurea fulgentibus radiis, inferior niger eſt. Hoc inſigni gaudet, quoniam in hac Provincia ortum fuit anno MCCC. nobiliſſimum hoc inventum pixidis nauticæ per *Flavium di Gioia* civem *Amalphitanum*, quod antiquis fuit incognitum. Ab *Amalphitanis* etiam originem habet Religio Equitum S. *Joannis Hieroſolymitani*, quæ nunc Equeſtris Ordo *Melitenſis* appellatur. Sunt in Provincia hac Civitates ſeptendecim, e quibus tantum *Amalphi* & *Salernum* Archiepiſcopales ſunt, ſunt autem Epiſcopales
54 *Acerni*, *Campagnia*, *Capaccio*, *Capri*, *Cangiano*, *Caſtello a mare della Bruca*, *Caſtello a mare di Stabia*, *Cava*, *Lettere*, *Minori*, *Marſico novo*, *Nocera delli Pagani*, *Policaſtro*, *Ravello*, *Sarno* & *Scala*, & Vici atque Caſtella præterea CXLIII. quæ una efficiunt CLX. cum Inſula di *Capri*.

Fluvius *Sele* qui in illa invenitur, ea eſt natura, ut quidquid injiciatur in lapidem convertat, ſervato colore. In agro *Olibani* argenti eſt fodina. In vico *d' Agro*, ex mollitie aëris virgunculæ anno duodecimo nubiles fiunt & deflorantur. In vico *d' Evoli* tempore Reginæ *Joannæ* I. puella quædam ſexum mutavit, evenitque ſimile anno MCCCCXC. quum Regnum teneret *Ferrandus* I. Provincia hæc Turres pro cuſtodia habet XCIX. præter Caſtellum *di Salerno*.

Ubi hoc invenitur ſignum † ſunt Cameræ reſervatæ.

Olim		Nunc.
	A.	
55	*Abbate Marco*	39
218	† *Acerno*	363
190	*Acquara*	186
75	*Aquarella*	90
83	*Agropoli*	98
227	† *Airola*	253
	Aieta	92
176	*Albanella*	75
49	*Alfano*	48
361	† *Altavilla*	268
452	† *Amalfi*, ejusque prædia	587
467	† *Angri*	486
49	*Angillara*	65
277	*Atena*	286
740	*Atrani d' Amalfi*	173
229	*Auletta*	248
	B.	
74	*Battaglia*	80
56	*Barbazzano*	61
89	*Belloriguardo*	60
25	*Baſco*	53
231	† *Bracigliano*	314
600	*Bucino*	631
335	*Buonohabitacolo*	351
243	*Burgenta*	391
	C.	
1665	† *Cava*, ejusque prædia	3193
126	† *Caſalnovo*	155
785	*Campagna*	758
123	*Campora*	89
359	*Capra*, & *Anacapra*	349
142	*Calabritto*	191
213	*Capaccio*	296
55 321	*Capoſele*	321

Olim		Nunc.
140	*Caſella*	187
173	*Caſtello dell' Abbate*	219
71	*Caſtellonovo di conza*	83
49	*Caſtellovetro di Cilento*	72
644	† *Caſtelluccio*	602
79	*Caſtelluccio Coſentino*	87
210	*Caſtello a mare della Bruca*	161
474	*Caſtello a mare di Stabia*	614
436	*Caſtello a mare Linterzieri*	472
13	*Caſtigliano*	19
38	*Capizza*	52
115	*Caſaletto*	132
42	*Cardile*	51
70	*Cannalonga*	81
11	*Caruſi*	7
62	*Capograſſo*	66
29	*Cannella*	63
26	*Cuperſito*	25
13	*Conſigliano*	19
26	*Conſentino*	28
46	*Caſalicchio*	94
12	*Caſtagneta*	19
110	*Cicerale*	105
46	*Cannicchio*	40
20	*Caſtinatelli*	25
22	*Convignenti*	18
30	*Caſola*, & prædia *di Lettere*	67
	Camella di Cilento	63
263	*Caggiano*	299

	Olim		Nunc.
A	183	† *Camerota*	227
	38	*Celſo*	40
	97	*Centola*	125
	70	*Ceraſo*	104
	159	*Cogliano*	162
		Conza	60
	29	*Conca d' Amalfi*	60
	148	† *Cetrone*	127
	400	*Conturſi*	
	184	† *Corleto*, *Cornito* alias	235 174
B	37	*Corvaro Vicus di Santo Egidio*	56
	77	*Cornuti de novi*	98
	163	*Cuccaro*	164
		D.	
	397	† *Diano*	399
		E.	
	895	† *Eboli*	648
		F.	
	109	*Felitto*	101
	11	*Futani di Caſtinatelli*	15
	37	*Furore d' Amalfi*	17
C	52	*Filetta*	68
	24	*Forvillo di Cilento*	16
	21	*Fenochito*	41
	30	*Franche*	46
	31	*Furia*	35
		Fonga Vicus di Lauria	66
		G.	
	132	*Gardo di Cilento*	41
	29	*Gauro Vicus di Gifuni*	105
	1017	*Gifune Vallis* & planicies	1100
D	1025	*Gifuni* ejusque prædia	1064
	54	*Gorga di Magliano*	62
	385	*Guagnano*	508
	13	*Graſſo*	14
		Guarazzano	15
		H	
	22	*Heremiti*	25
	20	*Hereditả*	28
	24	*Hiſpani Vicus di Policaſtro*	8
		I.	
E	287	*Ioio*	208
	80	*Iongano*	115
		L.	
	101	*Licuſati*	114
	179	*Lettere*, ejusque prædia	313
	38	*Lenteſcola*	64
	154	*Laurito*	127
	407	† *Laurino Oppidum*	448
	169	*Laurino ſoprano*	181
	58	*Laurino ſottano*	83
	56	*Laureana*	72
F	182	*Laviano*	261
	. .	*Levino*	. .
	190	† *Libonati*	376
	41	*Luſtra de Cilento*	48
	100	*Loria*	78
		M.	
	49	*Magliano Oppidum*	30
	63	*Magliano vetere*	61
	341	† *Majure* pertinet ad *Amalfi*	375
	43	*Mandia*	26

Olim		Nunc.	
75	*Maſſicella*	70	
112	*Montana*	157	
14	*Montanari*	9	
116	*Minuri* pertinet ad *Amalfi*	128	
456	*Marſico novo*	574	
796	*Montecorvino Ravelli*	640	
423	*Montecorvino Pogliano*	812	
30	*Montecorace Maconta*	72 44	
75	*Murigerale*	78	
10	† *Montepetruſo* pertinet ad *Amalfi*	14	
4	*Melito d' Agropoli*	5	
80	*Monteforte*	83	
	Monteſano	508	
14	*Montanara*	9	
757	† *Montuoro*	876	
35	*Maſſa*	44	
18	*Maſſaſcuſa de novi*	26	
52	*Majo del Ioio*	43	
71	*Monte Cilento*	65	
	Mendoia	26	
	Mognano di Cilento	74	
	N.		
740	† *Nocera ſoprana*	1184	
	Nocera ejusque prædia	260	
136	*Nocera* tria prædia	232	
	Nocera ſottana	646	
21	† *Nocera ſpera in Deo*	33	
	Nocera	40	
70	*Novi la terra*	89	
	O.		56
45	*Ogliaſtro*	53	
352	*Olivito*	434	
35	*Ottodonico di Cilento*	54	
300	*Olibano ſoprano* ſeparata a *Valli*	19157	
	Olibano Ariano	89	
	Olibina Vicus Vallis.	22	
	Olibano Vicus di Capo caſale	36	
	Olibano Monticello	53	
	Orito	78	
24	*Oſtigliano del Ioio*	18	
300	*Ottari*	271	
	P.		
655	† *Padula*	706	
23	*Pantoliano*	23	
291	*Partano ſoprano*	12	
66	*Partano ſottano*	50	
325	*Palo*	122	
284	*Polla*	536	
86	*Pollica di Cilento*	122	
87	*Praiano* Status *Amalfi*, cum *Vettica maggiore*	2077	
70	† *Paſitano* Status *Amalfi*	161	
	Petruccia	65	
191	*Pimonte*	228	
		169	

	Olim		Nunc.
	169	*Postiglione*	175
	139	*Petina*	223
		Pedimonti di Salerno	29
	120	*Pisciotta*	123
		Perito	63
		Poderia	31
	67	*Perdifumo*	150
	80	*Porcili*	99
	88	*Prignano di Melito*	136
	11	*Puglisi*	5
	94	*Pellere*	122
		Q.	
	84	*Quaglietta*	77
		R.	
	215	† *Roccagloriosa*	261
	195	*Rocca dell' aspro*	251
	36	*Rocca Cilento*	40
	60	*Rocca pimonte lo corpo*	65
		Rocca pimonte Monfini	168
	158	*Rocca pimonte* ejusque prædia	164
	213	† *Ravello*	284
	196	*Rocigliano*	79
	116	† *Rofrano*	138
	88	*Rodio di Cilento*	101
	133	*Rosciglio*	132
	39	*Romagnano*	43
	93	*Rutino*	122
		S	
	213	*Sacco*	199
	444	*Sala la terra*	524
	58	*Sala lo casale*	89
	15	*Sasella del Ioio*	19
	95	*Salcia*	100
	1279	† *Salerno*	2233
	2748	† *Sanseverino*	3090
	763	† *Sarno*	923
	259	† *Sansa*	365
	24	*Sanseverino di Camerota*	22
	57	*Senerchia*	68
	84	*Selvitella*	96
	134	*Scasara*	101
	127	† *Scala*	272
	168	*Serra*	57
	456	*Sicignano*	447
	30	*Seffa Cilento*	35
58	25	*Spio de novi*	23
	27	*Serra mezana*	4
	53	*Stio*	60
	247	† *Sicilli*	160
	509	† S. *Angelo Fasanella*	516
	68	S. *Angelo di Fratta*	72
	157	*Sant' Arseri*	213
	69	S. *Barbara de novi*	80
	62	S. *Biase de novi*	47
	176	S. *Egidio*	314

Olim		Nunc.
138	S. *Cipriano*	168
206	† S. *Giorgio*	243
206	S. *Gregorio*	239
25	*Santo Giovanni di Cilento*	38
322	*Saponara*	317
619	*Sassano*	683
	Seca	67
	Santo Giovanni à Piro.	117
17	S. *Christoforo di Policastro*	18
6	S. *Luca di Cilento*	7
101	S. *Lorenzo*	157
154	S. *Iacomo di Diano*	187
123	S. *Mennaio*	181
197	S. *Mango Castri Roccæ.*	118
141	S. *Mango Pedimonte di Salerno*	104
110	*Santo Mauro Cilenti.*	146
160	† S. *Marzano*	158
75	S. *Marco di Cuccaro.*	94
15	S. *Martino*	21
98	*Santa Marina*	91
40	S. *Nazaro*	36
100	S. *Pietro di Scafato*	53
164	S. *Pietro di Diano*	193
	S. *Ruffo*	130
18	S, *Todaro*	17
10	S. *Vittore*	3
	T.	
5	*Trojano*	6
89	*Turchiara*	91
76	*Torraca*	105
201	*Torre di Ursaia*	268
174	† *Tortorella*	262
1178	† *Tramonti*, ejusque prædia	1062
	Tensa Duca	50
35	*Trentenara*	92
	V.	
40	*Valle Cilenti*	63
164	*Valentino*, ejusque prædia	234
60	*Valva*	125
109	*Valvano*	153
99	*Vinnale*	99
29	*Vattola*	37
	Vetrara del Ioio	32
	Vertia piccola con Minuri d' Amalfi	8
95	*Vettica, & Praiano*	277
360	† *Vietri*	397
27	*Vetrale*	32
	Z.	
35	*Zoppi.*	44

59 Nomina Urbium & Oppidorum *di Demanio*, i.e. Regiorum, quæ in hac Provincia sunt.

Olim		Nunc.
452	*Amalphi*, cum vicis	587
349	*Capra*, & *Anacapra*	349
2665	*Cava*	3193
385	*Gragnano*	509
229	*Lettere*	248
30	*Le Franche*	46

Olim		Nunc.
1929	*Salerno* Urbs	2231
656	*Marsico nuovo*	674
199	*Piemonte*	228
444	*La Sala*	524
541	*Majuri*	375
227	*Scala*	272
126	*Minori*	128
127	*Airola*	253

A Urbes & Oppida semper tributi immunes

Capra & *Anacapra*
Castello a mare di Stabia.
99 *Castello a mare della Bruca.*

Oppida quæ solvunt per conventionem.

Rodio. *Santo Mauro.*

Impositio, quam pendent singulæ familiæ hujus Provinciæ Aulæ Regiæ.

Pendent tantum ; quantum Provincia di Terra di Lavoro.

B BREVIS ENUMERATIO *Originum Civitatum aliquot hujus Provinciæ, quæ dicitur* PRINCIPATUS CITRA, *ubi sunt Familiæ Nobiles.*

AMALPHI.

Sciendum est, anno Christi CCCXXXIX. multos Nobiles *Romanos* (prout in *Chronico Amalphitano* legitur) conscendisse naves, una cum uxoribus atque liberis omnique substantia, ut habitatum irent *Constantinopolin*, quæ tunc *Nova Roma* dicebatur. Verum tempestate oborta, omnes
C naves fuere submersæ, exceptis duabus, quæ Dei 60
benignitate *Ragusæ* portum tenuerunt, ubi ab incolis, & quod commiseratione infelicitatis essent capti, & quod multum deberent *Romanis*, benigne excepti fuerunt, assignato ad habitandum loco, atque ita per aliquot ibi annos permanserunt. Verum postea *Ragusanis* odio facti, conscensis navibus in *Italiam* remigrarunt, in itinere autem venerunt ad locum *Melpheto* dictum, atque ibi Urbem *Melphi* dictam ædificarunt, seque jam non *Romanos* amplius, sed *Melphitanos* seu *Amalphitanos* nuncupaverunt. Verum quum incommodior videretur locus, discesserunt inde, atque *Ebolum*
D venere habitatum, deinde *Scalam*, descensu enim ad mare facto, inventoque ibi spatio capaci & valde commodo, regressi ad suos, cum voluptate reliquerunt *Ebolum*, & inhabitarunt *Scalam*, & nova ibi condita Urbe, eandem *Amalphin* nuncuparunt.

Quum vero non longe postea cum *Neapolitanis* & *Longobardis* cognationem contraxissent *Amalphitani*, suspicio inde oborta est *Siconi*, Principi *Salerni* & Duci *Beneventi*, qui multa pecunia tradita *Amalphitanos* quosdam corrupit, ut parentibus & amicis suis persuaderent, ut incensa & de-
E structa Urbe inde commigrarent. Verum hoc illis non placuit, neque diruere voluerunt placitam sibi sedem, nec ipsi patriam suam prodere. Visa itaque illorum constantia, *Sico*, nocte quadam assumptis qui penes se educabantur *Amalphitanis* atque *Longobardis*, subita impressione cepit Urbem, & incolas *Salernum* traduxit. Verum hi quum per summam indignationem jam quartum annum *Salerni* tererent, cupidi pristinæ patriæ, occasione observata, de improviso ipsos oppresserunt *Salernitanos*, & incensa Urbe, villis & agris, læti ac triumphantes subito *Amalphin* rediere, anno DCCCXXIX. cumque Urbem longe melius,
F quem antea muniissent, Præfectum constituerunt annuum, dein vero Duces, exemplo *Neapolitanorum*.

Gloriatur Urbs hæc patria esse *Flavii di Gioia*, qui primus invenit usum pixidis nauticæ, tantopere navigantibus necessariæ, unde canit *Panormita*:

Prima dedit nautis usum magnetis Amalphis.

Celebris quoque est institutione Religionis Equi- 61
tum *Hierosolymitanorum*, verum illustrior multo corpore Apostolico S. *Andreæ*, quod in Archiepi-

ſcopali ſervatur Eccleſia, repoſitum ibi anno MCCVII. a Cardinale *Petro Capuano Amalphitano*, advectum *Conſtantinopoli*. Multa inſuper de hac Urbe dici poſſent, quæ ſcire volentem relegamus ad illa, quæ docte & copioſe ſcripſit Doctor *Franciſcus Antonius Purpura*, nobilis valde induſtrius,

C. d' Engenio.

Amalphin ducatus titulo poſſedit Familia *Sanſeverina*, dein *Piccolominorum* ſub Pontice *Pio* II. nunc ad Regem pertinet, & ſequentes Familias habet Nobiles:

Acconciagioco	*Citarella*
D' Alagno	*Dello Jodice*
D' Afflittto	*Manſo*
Bonito	*Piſanelli*,
Brancia	*Mezza capo di Gio. Antonio*, & alias.
Caſtrioti	

CAMPANIA.

Dicta ita *Campania*, quod in confinio Provinciæ jaceat *Picentinæ*, grande vero decus accipit ex duobus fluminibus parvis, quorum alter *Atro*, alter *Tempia* dicitur. Hæc interfluentem placide illam irrigant; & magnam bonarum truttarum copiam progenerant. Abundat regio venatu, fert etiam multum vini, atque alia vitæ neceſſaria, verum maxime oleo ſuo eſt celebris, quod ibi magna copia naſcitur.

Matrem ſeſe atque nutricem jactat S. *Antonini* Monachi *Caſſinenſis*, & Abbatis Monaſterii *Surrentini*, ubi ſancte obdormivit, & meritis dives aliis in Cœlo Sanctis eſt additus, corpus vero ejus ibidem magna cum veneratione aſſervatur. Civitatem hanc, patriam ſuam, illuſtravit etiam *Jo. Antonius de Nigris*, celebris Legum Doctor, qui ad Capitula Regni ſcripſit, ut & ſuper *Clementinam de Vita & Honeſtate Clericorum*.

Civitas hæc Marchionatus titulo poſſeſſa quandoque eſt a *Gravinæ* Ducibus, & nunc eodem titulo habetur a Familia *Grimalda*.

C. d' Engenio.

Sunt ibi Familiæ Nobiles ſequentes:

62 *Adelizzi*	*Naimoli*
Belboni	*Nigris*
Bernalli	*Papa*
Bruni	*Perotti*
Ciminelli	*Regale*
Campanini	*Ricciardi*
Darrioni	*Riſi*
Diamati di Roma	*Roſſi*
Gibboni	*Santilli*
Greci	*Sici*
Guarnieri	*Tercaſi*
Guadagnini	*Vicariis di Salerno*
Guerrieri	*Vivani*
Landi	*Zapulli*, & alii.

CAVA.

Nomen a ſitu adepta eſt, quoniam in valle eſt montibus circumdata. Mille abhinc annis augeri ejus magnitudo cœpit. Fuit ibi olim ingens Silva, ubi Principes & Domini ſolebant ſeſe venatu recreare, erantque varii ibidem vici, inter quos & hi, qui ſervant antiquum adhuc nomen: *Mitiglianum*, *Paſcianum*, S. *Adjutore* vulgo S. *Aitoro* dictum. Nomen habet a S. *Adjutorio* Epiſcopo, qui in Urbem hanc venit & ibidem ſepultus eſt. Præterea *Corpo della Cava*, nunc *Feneſtra* dictum, unde originem habet & nomen poſtea deſumſit ipſa *Cava*. In quadam vero Silvæ parte a natura ſpelunca quædam eſt, frigidiſſimas habens aquas magna copia, ubi multi Sancti Eremitæ ſolitariam inſtituerunt vitam, & pœnitentiam egerunt, poſtea vero in Sanctorum relati ſunt numerum, & multa patrarunt miracula. Talis autem & tantus dehinc ad locum illum factus eſt concurſus, ut vicus iſte *Corpo della Cava* admodum accreverit, & fundatum ibi fuerit Monaſterium celebre atque Eccleſia S. *Trinitatis* titulo.

Primus qui celeberrimo huic Monaſterio principium dedit, fuit S. *Alferius* ex Familia *Pappacarbone*, inſignis nobilis *Salernitanus*, qui captus ſervitio Dei & S. *Benedicti* Patriarchæ, Monachus factus eſt in Monaſterio *Cluniacenſi*, ſub auſpiciis *Oddilonis* Abbatis, & aliquot annis poſt ad Principis *Salerni*, qui Monaſteria aliquot in Principatu ſuo volebat inſtituere, rogationem, ab Abbate ſuo illi conceſſus fuit. Qui ubi Principis volun- 63
tati morem geſſiſſet, ut ſolitudinis amicus, hunc elegit locum, ſibi a Principe donatum, atque ibi Eccleſiam exſtruxit atque Monaſterium ſub S. *Trinitatis* nomine, vixitque ibi Sanctiſſime per multos annos, multis ſibi adſcitis commilitonibus, inter quorum primos fuit *Leo Lucenſis* aliique. Prædixit S. *Alferius*, plenum illud fore Monaſterium Servis Domini, atque inter primos religioſiſſimoſque ordinis S. *Benedicti*, poſtquam vero ad Sanctorum operum miraculorumque perveniſſet culmen, placide obdormivit in Domino anno ML. poſtquam impleviſſet annos centum & viginti vitæ ſuæ. Poſt mortem etiam Dæmoniacum liberavit, atque alia itidem fecit miracula, quæ brevitatis gratia tranſimus.

Sunt & ibidem corpora Beatorum *Leonis*, *Petri*, *Coſtabilis*, *Simeonis*, *Falconis*, *Marini*, *Benincaſæ*, *Petri II. Balſamonis*, *Lonardi*, *Leonis* II. Sanctiſſimæ omnium vitæ, atque undecim iſtius Monaſterii Abbatum. Propter horum Patrum Sanctitatem in magno pretio hoc Monaſterium fuit apud Dominos *Neapolitanos* aliosque Principes, præſertim *Troiſium Normannum*, Dominum *Sanſeverini*, ejuſque hæredes, qui ex *Sanſeverini* dominio poſtea cognomen ſibi adſciverunt, & variis temporibus multa dona in Monaſterium hoc contulerunt, diviteſque illi agros & prædia donaverunt. *Rogerius*, Rex *Neapolis*, huic Monaſterio Eccleſiam S. *Archangeli di Petraglia* in Inſula *Sicilia*, vicos etiam *di Metelliano*, *di Paſciano* & *di Sant' Adjutore*, cum incolis, vaſallis & juriſdictionibus ſuis cunctis, donavit, prout legere eſt in loci ejuſdem Archivis, & confirmatur a *Summonte* Hiſtoriæ ſuæ Parte Secunda. Multa præterea privilegia conceſſit atque prærogativas Rex idem iis, qui prope Monaſterium illud hoſpitantur.

Hodie Urbs iſta inter primas eſt Regni, totque habet vicos, quot in anno ſunt dies, & in quatuor dividitur Provincias ex dictis ſupra quatuor vicis denominatas. Eſt præterea dives & bene frequentata, utpote in pulcherrimo & amœniſſimo provinciæ loco ſita. Propter virtutem inſuper civium privilegium accepit a *Ferrando* I. Rege *Neapolis* præter alias Regni Urbes, qui ut 64
plane bearet illam, conceſſit ampliſſimum privilegium manu ſua ſcriptum, ut & Secretarii ſui, anno MCDLX. cum peculiaribus literis, in quibus amplam conceſſit poteſtatem conſcriptam in iſto privilegio, immunitatem, gratiam, prærogativam & libertatem aliaque, quæ olim obtinuerat, confirmavit, ſed quæ nihili erant reſpectu illorum, quæ Rex iſte donavit.

Magnificentiſſima hæc Urbs eſt propter Suburbium *de gli Scacciaventi*, quæ familia originalis & antiquiſſima illius Urbis eſt, iſtique Burgo ſeu Suburbio nomen dedit, unde apparet quantæ eadem fuerit roboris potentiæ atque auctoritatis. In *Provinciæ* bello, *Guilelmus*, *Joannes* & *Cerronus Scacciaventi* magnam pecuniæ vim ſubminiſtrarunt *Carolo* I. Regi *Neapolis*, prout legitur in Archivo Regio *Neapolitano*, ſignato anno MCCLXIX.

Lit.

Lit. D. p. 5. & *Gratianus Scacciaventus* multas prærogativas obtinuit ab *Alfonso* Rege, anno MCLIV. *Theodo Scacciaventus* autem, qui possedit locum illum, ubi nuuc Burgum illud exstructum est, creatus fuit Episcopus Urbis *Scalæ*, verum dignitatem istam ultro recusavit. *Joannes Antonius* Doctor Legum fuit, & *Simonnetta* turmæ peditum ductor, atque sub *Carolo* V. militans & fortissime in bello *Tunetano* dimicans, in acie ab hostibus occisus est. Vivunt hodie ex nobili hac Familia *Scipio Scacciaventus*, una cum duobus filiis *Francisco Antonio*, & *Julio Cæsare*, Legum Doctoribus, ut & nepote *Josepho*, Medico Physico. *Franciscus* etiam *Antonius*, qui juvenis adhuc per virtutem suam creatus est judex Majestatis Suæ in Urbibus *Cajeta*, *Salerno*, & *Aquila*. Merito itaque Suburbium illud superbit *Scacciaventorum* nomine, qui & in armis & in literis præclaros viros omni tempore in Civitatis ornamentum protulerunt, namque inter longe antiquissimas Urbis *Cavæ* eadem familia numerari meretur.

Illustrarunt etiam Urbem hanc *Idus Longus* Archithalassus Triremium *Frederici* II. *Guilelmus Tosone*, miles fortissimus, qui una cum *Cæsare Galliardo* a *Carolo* I. in auxilium missus fuit *Lucensium*. Præterea *Josua* & *Marius Longi*, Duces *Ferrandi* Regis *Arragoniæ*. In scientia Legum
65 claruêre *Jo. Andreas de Curtis* Præses Consilii, & Viceprotonotarius Regni, cujus filii paternæ gloriæ æmuli, viam sibi aperuerunt ad Servitium Regium Legum intelligentia. *Franciscus* enim & *Scipio* Regii Consiliarii facti sunt, *Camillus* autem, Advocatus Fiscalis Regiæ Cameræ Summariæ, creatus fuit Regens Cancellariæ, & dein Præses Consilii; *Paulus* Episcopus *Ravelli*, dein *Iserniæ*, Vice regentis Papæ, Gubernator *Spoleti* & *Beneventi*, hodie Vicarius est *S. Mariæ Majoris Romæ*. Capellanus Regis fuit *Julius*, *Marius* autem vir insignis doctrinæ & eloquentiæ sacræ merito. *Franciscus Antonius David* (qua Familia hodie gaudet Urbs *Salerni*) propter merita sua a *Philippo* II. creatus fuit Præses Cameræ anno MDLXVI. dein ab eodem Rege in *Hispaniam* evocatus, Regens factus est supremi Consilii *Italiæ*, & postea Locumtenens Regii Patrimonii, & Consiliarius Status atque Comes *Roccæ Rainolæ*. Nunc quidem nepos ejus *Franciscus Antonius* Dux est *Castelluccia*. Sunt & alii, quos brevitatis gratia prætereo.

C. d' Engenio.

In Urbe hac, quæ Regia est, sequentes Nobiles sunt Familiæ:

D' Anna.	*Rocchi.*
De Curtis.	*Scacciaventi.*
Gagliardi.	*Tesoni,*
Longi.	aliique.
Punizi.	

CONTURSI.

Licet jam parvulum sit Oppidum: ex ambitu tamen murorum apparet olim grandius longe fuisse. In principio est *Lucaniæ*, prope *Sele* & *Negro* Flumina; crediturque ædificatum esse ex ruinis antiquioris Civitatis destructæ, cujus hodieque apparent vestigia, in loco qui dicitur *Saginaria*. Mentio ejusdem fit in Privilegio quodam dato Principi *Bisignani*, ejus loci Domino, in hunc sensum: *Concedimus Terram Contursii cum Civitate diruta, in ejus tenimento*. Vocatur autem *Contursi* ab *Urso* Comite *Conzæ*, qui Anno DCCCXL. adjutum ivit *Sichenolphum* Principem *Salerni*, belligerantem contra *Radelchum*, Ducem
66 *Beneventi*, olim autem Metropolis & Caput fuit populorum *Ursentinorum*, prout affirmat *Joannes Antonius Pepi*, dictus *Pepirone*, celebris Legum Doctor & judex Vicariæ, in Libro *de omni vero Officio*.

EBOLUM.

Civitas Provinciæ hujus non minus antiqua quam nobilis, a *Ptolomæo* dicta *Ebulum*, prout affirmat *Leander Alberti* in *Italiæ Descriptione* in *Picentinis*. Meminit & *Plinius* Lib. III. Cap. XI. *Populi Eborini*. Servat eorundem memoriam Marmor Antiquum in Ecclesia Parochiali S. *Mariæ d' Intro*, non longe a Castello Civitatis, in quo Marmore leguntur *Populi Eborini* &c. Meminit ejus Civitatis etiam *Chronicon Amalphitanum* ad annum CCCXXXIX. scribens: *Romani dimissa Melfi ad Provinciam Principatus pervenerunt usque Ebolum, prope Salernum*. Multos ibi annos habitarunt, & magna exstruxerunt ædificia, quorum vestigia apparent extra Urbem in Suburbio, loco qui *alle Fornaci* dicitur. Quoniam vero ut *Amalphitanum* dicit *Chronicon* ulterius, *locus Eboli non videbatur eis tutus ad habitandum propter diversitatem gentium & dominorum, qui circumcirca dominabantur*, ad latus ivêre & *Amalphin* condiderunt, prout etiam legere est in *Historia Neapolitana*, quam scripsit *Jo. Antonius Summonte* Lib. I. pag. 385. & in *Julio Cæsare Capaccio* Cap. XIII. pag. 176. Libri I.

Nobilissimam hanc Urbem ædificatam volunt ab *Obolo*, Duce summo exercitus *Thesei*, Regis *Atheniensium*, qui discedens ab isto *Theseo*, & durissimos in mari labores expertus, tandem ad Fluvium *Selen* appulit, quem (nondum enim quoddam illi nomen erat) ita appellavit a *Sele* quodam socio suo in eodem submerso. Ubi autem illuc pervenisset *Obolus*, & delicias amœnissimi loci perspexisset, condidit ibi Civitatem, quam a nomine suo appellavit, & cujus hodieque visuntur vestigia antiqua supra Monasterium S. *Petri*, mare versus, in colle dicto *Monte d' Oro*, loco qui vocatur S. *Tecchia*. Conditam alii volunt ab *Oebalo* Nymphæ *Sebetidis* filio, cujus meminit *Virgilius* Lib. VII. *Æneid. versu* 733. 67

Oebale, quem generasse Telon Sebetide Nympha.

Volunt alii a fertili Gleba (id enim *Græcis* sonat) nomen inditum.

C. d' Engenio.

Sunt ibi Familiæ Nobiles hæ:

Abinetti	*Marcangioni*
Caravita	*Miloni*
Clarii	*Mirti*
Consoli	*Monaci*
Corcioni	*Novella*
Crispi	*Orsi*
Cristofano	*Paganetta*
Favali, origine *Amalfitani*	*Perretta*
	Raghi
Folgoni	*Ragoni*
Giuliani	*Ruffi*
Ligori	*Del Sacco*
Luisi	*Di Troiani*,
Malacarne	& alii.

GRAGNANUM.

Ex antiquæ *Stabiorum* Urbis ruinis *Gragnanum* ædificatum est, in pulcherrimo atque amœnissimo loco juxta *Amalphin*, prout asserit *Ambrosius Leo* in *Nolæ* Chronico, licet autem Oppidum ipsum sit parvum, nihilominus ager ejus est fertilissimus. Fiunt ibi etiam nobiles panni magna copia, qui inde nomen sumunt.

C. d' Engenio.

In Oppido hoc, quod Regium est, hæ Familiæ numerantur Nobiles:

Afflitti	*Marchesi*
Amati	*Marini*
Baroni	*Medici*
Concilii	*De Miro*
Comprato	*De Rimini*
Giuliani	*Sicardi*, & alii.
Golani	

L E T T E R E.

Una ex Civitatibus est, quæ ad Ducatum seu Rempublicam *Amalphitanam* pertinent, primum Episcopum habuit nomine *Stephanum*, anno CMLXXXVII. quo tempore *Manso* Reipublicæ illius Dux effecit, ut Ecclesia Urbis *Amalphitanæ* fieret *Metropolitana*.

68 Condita Urbs hæc est in Monte *Latteo*, prout vocatur a *Procopio* Lib. III. *Belli Gothici*. & quum *Lactea* dici deberet, corrupto nomine *Lettere* dicitur. Non longe ab hac Urbe ad radices dicti Montis famosa ista clade affecti sunt *Gothi* a *Narsete*, celebri isto *Justiniani* Duce, ubi & Rex *Gothorum* cecidit *Feia*, ut idem scribit *Procopius*. Hinc ad nostra usque tempora locus cladis dicitur *à Pizzo Aguso*, quod corruptum est ex Latino *ad cæsos Gothos*. Mentionem hujus Urbis facit *Frezza* de *Subfeud*. Lib. I.

Urbem *Lettere* illustrarunt multi Viri celebres, inter quos fuit Comes *Petrus de Lettere*, qui anno MCCVII. cum Comite *Godefrido di Montefuscolo* cognato suo, Nobili *Neapolitano*, aliisque, destruxit Urbem *Cumas*, quæ tunc erat receptaculum latronum *Alemannorum*, qui latrociniis suis omnem late regionem infestabant. Nostris autem temporibus natus ibi est Pater ille eximiæ Sanctitatis Frater *Jo. Leonardus de Fusco*, Ordinis *Prædicatorum*, Congregationis S. *Mariæ Sanitatis*, de quo (quoniam uberius egimus in *Neapoli* nostra *Sacra*) nihil amplius jam dicemus, quam quod originem habeat ejus familia ab illa *Ravellorum* per eandem lineam, per quam descendunt *d' Amalfi*. Estque multa hodieque in hac Urbe Nobilitas, quæ separata vivit a plebe, prout apparet ex Regio Collaterali Consilio post acta *dello Scrivano di Mandamento Lombardo*, & Sacro Regio Consilio in *Banca di Felice*, id est ex Decreto Collaterali XXII. Januarii MDCXXVIII. & dicto S. C. III. Aprilis MDCXXIX.

C. d' Engenio.

Urbs hæc Regia est, suntque ibi sequentes Familiæ Nobiles, quæ (ut diximus) separatæ a plebe vivunt, videlicet:

Apreia — *Fontana*
Cavallari di Berardo — *Salerni di Giacomo*, & *Ottavio*
Coppola — *Marangi*
Di Fusco d' Albentio, & *Gio. Tomase* — *Risi*, & alii.
Fattorosi di Barnaba

N U C E R A.

69 *Nucera* seu *Nuceria Paganorum* in fertilissimo agro sita est, aspectu longe pulcherrimo, laudaturque ab omnibus fere antiquis Scriptoribus. Dicta ita fuit a *Nucera* filia *Pici*, qui *Priscus* dictus fuit, Rege *Hetruscorum*, prout scribit *Dositheus* auctor *Græcus*, & *Frezza* de *Subfeudis*. Uxor fuit *Evii* Regis *Adriæ*, quæ quum conjuge haud contenta privignum *Firmum* frustra sollicitasset, occiso eodem, aufugit ex Regia sede, & oberrans per Regnum, hoc in loco se munivit, ubi paullo post est mortua, & a patre *Pico* Civitas filiæ nomine est excitata. Imperator *Fredericus* II. quum *Saracenos* aliquot vivos in Castello *Siciliæ* dicto *Lati* cepisset rebellantes, hic in custodiam dedit, unde appellata fuit Urbs *Nocere di Pagani*, ut distingueretur a *Lucera Saracenorum* in *Apulia*, similiter ita a *Saracenis* dicta, permutante vulgo literam *n.* in *l.*

Sunt in hac Urbe hæc Sanctorum corpora, S. *Prisci*, civis *Nucerini* primique ejus Episcopi, B. *Jonæ* Prophetæ, & SS. *Felicis* & *Constantiæ*, sub *Nerone* martyrio coronatorum.

Natus in ejusdem Castello est S. *Ludovicus*, filius *Caroli* II. Regis *Neapolis*, qui relicto paterno quidem Regno Monachus factus est Seraphici Ordinis S. *Francisci*, & dein ob vitæ sanctitatem a Pontifice *Bonifacio* VIII. creatus fuit Episcopus *Tolosæ*. Maxime etiam Urbem hanc illustravit civis & Episcopus ejusdem *Paulus Jovius*, Historiis suis per Orbem Terrarum notissimus.

C. d' Engenio.

Nuceram Comitatus titulo possedit *Bernardus Zurlus*, filiusque ejus *Franciscus*, Comes *Montorii* & Magnus Regni *Seneschallus*.

Nunc autem Ducatus titulo ad Familiam *Caraffæ* pertinet, suntque ibidem Familiæ Nobiles sequentes:

Baldini — *Marini*
Castaldi — *Mauri*
Lamberti — *Pagani*
Magliani — *Di Rinaldo*
Mansi — *Ungari*, & alii.

O L I V E T U M.

Olivetum ita ab hortorum multitudine & Sylvarum, quæ olivas ferunt, dicitur. Sita Urbs est in colle & parte agri *Picentini*, qui ibi *Silare* fluvio, celebrato apud Auctores multos, a *Lucanis* dividitur. Est & ibidem alter parvulus fluvius, qui *Piceglia* dicitur, amittitque nomen suum in *Silarem* influens. Ligna injecta anni spatio in lapidem mutantur. In vicinia ibidem ingens quandoque auditur murmur; quod effici creditur per torrentem sub terris labentem aquæ sulphureæ, qualis aliquoties ibidem ebullire solet, aërisque violentia supervolantes aviculæ in terram cadunt, ita ut manibus comprehendi possint. Sunt in ejus agro plures aquæ sulphureæ & calidæ, quæ omnigenis morbis prodesse solent. Fontes gelidi quinetiam & amœni inveniuntur colles. Omnibus ad vitam necessariis & venatu multo hæc regio abundat. 70

Multos annos possedit Familia *Grappina*, pro dote dein data fuit *Violantæ Grappinæ*, quum nuptum daretur *Antonio Diascarleoni* Comiti *d' Alife*, cui *Ferrantes* filius successit. Nunc possidet *Franciscus Blancus*.

Fuerunt ibi olim & adhuc sunt Familiæ nobiles, armis & literis claræ. Priori generi accensentur *Alexander*, *Tiberius* & *Marcus Antonius Bruni*, posteriori *Borelli*, inter quos excellit Doctor *Alexander*, filius excellentis JCti *Camilli*, Eques Auratus & Comes Palatinus, quique composuit & etiamnum componit multos libros in Jurisprudentia aliisque scientiis, quorum jam pars emissa est in lucem. Sunt & ibidem *Longi* seu *Longhi*, qui quidem Sede P. *Nova*, *Salernitana*, gaudent; & inter illos *Joannes* Theologiæ Doctor, & ex Collegio Doctorum & Canonicorum Archiepiscopatus *Neapolitani*, Consultor causarum S. Officii, & eloquentissimus concionator, qui ejusmodi libros multos in lucem emisit. *Joannes*, *Petrus* item & *Michaël Longhi*, tres Doctores Legum, aliique, quos ne fastidium lectori moveam, prætereo.

C. d' Engenio.

Sunt itaque in Oppido hoc Familiæ Nobiles sequentes.

Borelli. — *Bruni.* — *Longhi*, aliique.

R A V E L L U M.

Licet haud valde antiqua sit Urbs *Ravelli*, nihilominus, quoniam bene ædificata est, inter nobiles Regnique primas annumerari debet, quum ædificia atque palatia habeat pulcherrima. Hoc saltem gloriatur, quod quasi nidus sit Nobilitatis, materque atque nutrix Familiarum Nobilium bene multarum, quæ nunc Sedibus *Neapolitanis* gaudent. Inter illas Familia *Frezza* est, quæ Sedi (*Seggio*) *di Nido* adnumeratur, non minus antiquitate sua & nobilitate resplendens, quam præstantissimis, quos in bello & pace pariter produxit, viris. Tales,

les, ut alios taceam, sunt *Jacobus*, *Andreas* & *Nicolaus Frezza*, qui omnes propter merita sua ad multos honores provecti fuerunt. *Sabbatellus* ibidem noscebatur & *Stephanus*, charissimi Regibus *Neapolitanis*, a quibus in gravibus multis negotiis fuerunt adhibiti, & largiter remunerati. Patrum etiam nostrorum memoria celebris fuit JCtus *Marinus*, cujus infinita exstant opera MSS. atque impressa, propter insignia autem sua merita factus fuit Consiliarius *Caroli* V. Honorem hunc jam *Cæsar* obtinet, æterna vita dignissimus, & *Fabius*, alti ingenii & exquisitæ vir eruditionis, bonitatis, atque virtutis, non suæ tantum Familiæ, sed & Nobilitatis *Neapolitanæ* splendor, qui propter easdem virtutes a *Philippo* III. ornatus est habitu *di Calatrava*. Duo is composuit volumina, quæ jam in lucem exierunt, de Status & belli materia, & brevi (bono cum Deo) alia sua doctissima editurus est opera, ut ita merito Illustrissimis Heroibus sæculi nostri sit annumerandus.

Servatur in Ecclesia Episcopali sanguis S. *Pantaleonis* Martyris, qui quum durissimus sit, liquidissimus fit die præcedenti & sequenti ejusdem solennitatis, postea autem rursus indurescit, cum maximo contemplantium stupore, non aliter quam sanguis S. *Januarii*, gloriosi Advocati & Patroni *Neapolis*, patriæ suæ.

C. d' Engenio.

In hac Urbe sequentes Familiæ Nobiles sunt:

72 *Acconciagioeo*	*Fusco*
Afflitti	*Grisoni*
Bove	*Justi*
Campanile	*De Insola*
Castaldo	*Longhi*
Confalone	*Della Marra*
Coppola	*Muscettola*
Cortesi	*Di Rago*
Citarella	*Rogadei*
Curtis	*Rufulo*
Fenice	*Ruvito*
Foggia	*Sconciaioco*, & alii.
Frezza	

SALERNUM.

Siler Fluvius Urbi huic nomen dedit juxta *Lucanum* Lib. II. versu 431.

—— —— Radensque Salerni
Culta Siler.

litera *i*. in *a*. mutata, quod & *Omnibonus Vicentinus* ad Poëtæ istum locum affirmat. Secundum alios autem nomen illud accepit a duobus parvis Fluviis, quorum alter, qui ad Occidentem muros Urbis alluit, *Sal* dicitur, nunc a rusticis corrupte *Busanola* dictus, alter *Ernum*, seu ut alii volunt *Hirnum*, currens a parte Occidentali.

Nullus Auctorum meminit a quo fuerit condita, quum tamen antiquissima sit Civitas, Colonia *Romanorum* facta una cum *Buxento*, secundum *Livium* Lib. XXXIV. Cap. XLIV. tempore, quo *Picentini* aliqui populi fœdus cum *Hannibale* fecerant. Munierunt vero *Romani* & præsidiis instruxerunt, ita ut qui pulsi inde erant redire non potuerint, a præsidiariis prohibiti. Meminerunt Urbis ejus *Plinius*, *Silius*, *Ptolemæus*, *Volaterranus*, *Strabo* aliique.

Instaurata atque ampliata fuit ab *Arecchi* II. ejus nominis XV. Duce *Beneventi*, & primo *Salerni* Principe, anno DCCLXIV. prout testatur Auctor *Chronici Cassinensis*. Sæpius hic *Normannorum* Reges, qui prius Principes appellati sunt, habitarunt.

Principatus titulum dedit olim Regum Regni istius filiis (ut & a Familia *Sanseverina* & *Columna*
A hoc titulo fuit possessa) unde *Carolus* II. filius I. Princeps *Salerni* dictus fuit.

In Urbe hac, quæ Regia est, & Provinciæ caput, publicum omnium scientiarum celebratur studium, unde & ibidem Prælectores sunt literatissimi. Est & ibidem Collegium Medicum & 73
Philosophicum, quod isto gaudet privilegio, ut quicunque ibi Doctoratus acceperit gradum, ubicunque voluerit, artem suam exercere possit. *Petrarcha* de eodem agens in Itinerario suo scribit: *Fuisse hic medicinæ fontem, sed nihil esse, quod senio non crescat.*

Illustris admodum Urbs hæc est sacro corpore
B S. *Matthæi* Apostoli, quod in Cathedrali asservatur. Sunt & ibidem corpora B. *Gregorii* VII. Summi Pontificis, SS. *Bonosi*, *Grammatii*, *Veri*, *Eusterii*, *Valentiniani*, totidem Episcoporum Urbis *Salerni*; SS. item *Fortunati*, *Caji*, *Antesii*, *Felicis*, Martyrum; SS. præterea *Elpidii*, Episcopi antiquæ Urbis *Atellæ*, *Cionis* Presbyteri, & *Elpigii* Levitæ, *Cerini* & *Quingesii* Confessorum. In Ecclesia S. *Georgii delle Moriache* corpora sunt SS. *Archelaæ*, *Teclæ*, *Susannæ*, Virginum & Martyrum.

Multos quoque viros illustres eadem produxit
C Civitas, & inter illos fuit *Joannes Danferius*, qui propter virtutem suam a *Calixto* II. creatus fuit Cardinalis titulo S. *Nicolai in Carcere Tulliano*; *Joannes Guana*, Monachus Ordinis *Dominicani*, cujus corpus repositum est in Ecclesia S. *Mariæ Novellæ* Urbis *Florentiæ*, ubi per miracula illustre est, prout legitur in *Chronico Dominicano*. *Petrus* præterea *Alferius* ex Familia *Pappacarbone*, primus Abbas & fundator Ecclesiæ Trinitatis quæ *Cavæ* est, prout superius diximus. *Giamottus* præterea, Protojudex & Magnus Connestabilis Regni atque Comes *Acerræ*, temporibus *Caroli* III. *Matthæus de Notariis*, Magnus Cancellarius
D ætate *Guilelmi Mali*; ut & *Joannes di Procida*, Dominus Insulæ *di Procida*, Medicus famigeratissimus, & auctor *Siculi* Vesperis *Gallis* damnosi. *Matthæus* etiam *Silvagnus* seu *Silvatius*, *Boccuccius Grillus*, qui aliquot opera Medica conscripsit, *Trotola* seu *Trottola di Ruggiero*, multæ doctrinæ matrona, quæ librum conscripsit *de Morbis Mulierum & earum cura*, ut & alterum *de Compositione Medicamentorum*. Præterea, quæ super eandem materiam scripsit, *Rebecca Guarna*. Medici etiam fuerunt *Paulus Grisignanus*, *Franciscus di Alfano*, *Antonellus* & *Giancola di Ruggiero*. In
E Jurisprudentia celebres admodum fuerunt *Petrus Bajalardus*, *Giancola di Vicario*, *Carolus di Ruggiero*, Regius Consiliarius, *Thomas di Simeone*, *Joannes Angelus Papia*, *Pyrrhus Alfanus*. Celebres vero in Literis Humanioribus fuêre *Julius Pomponius Lætus*, *Masuccius Guardarus*, *Jo. Andreas* 74
Longus, *Andreas Guarna*, *Benedictus Ruggius*, Orator excellentissimus, qui a Rege *Alphonso* Legatus missus fuit ad Rempublicam *Venetam*, ubi & mortuus est; præterea alii.

Bina in hac Urbe rerum venalium celebrantur fora III. Maji & XXV. Septembris, priora octo sunt dierum, posteriora decem; tuncque conve-
F niunt ibi mercatores ex omni parte *Italiæ*, *Siciliæ*, *Sclavoniæ*, *Græciæ*, *Asiæ*, aliarumque regionum, ut merces suas exponant.

Civitas hæc, quæ etiam Metropolitana est, perinde ut *Neapolis*, tres Sedes (*tre Seggi*) habet, inque iis sequentes Familiæ Nobiles inveniuntur.

C. d' Engenio.

IN SEGGIO DI PORTA NOVA.

	Capograssi
	Comiti
	Dello Jodice
Aversani	*Longhi*

Mazza
Morra
Pagani
Pinti
Santo Mango
Salernitani
Scattaretici
Serluchi
Vicarii, aliique extincti

IN SEGGIO DI PORTARETESA.

Ajelli
Altomari di Tomaso Reg. Cons.
Capani
Coppoli
Guarna
Manganari
Pagliari
Di Stefano ex Baronibus *d' Arcadia.*
Del Pezzo
Prignani
Rascica
Ruggieri, aliique extincti.

IN SEGGIO DEL CAMPO.

Castellomari
Cavaselice.
David del Regente.
Graviti
Grilli
Del Pezzo
Ruggia
Sciabichi
Solimeli, & alii extincti.

SANSEVERINUM.

Celebre hoc valde Oppidum est propter generosa vina, quæ amœna ejusdem atque fertilia prædia proferre solent, suntque hodie magno in pretio in Urbe *Roma*. Traxit ab eodem Oppido nomen Familia *Sanseverinorum*, &, prout narrat *Summonte*, circa annum MLXXX. *Robertus Guiscardus* Comitatum *Sanseverini* Equiti cuidam dedit *Normanno*, qui *Troisius* vocabatur, qui nomen suum a dominatione sua mutuatus Familiæ istius nomini originem dedit, prout apparet ex multis
75 instrumentis, quæ sunt in Monasterio S. *Trinitatis* in Urbe *Cava*, sæpius a nobis lectis, unde clarissime apparet, primos ex Familia ista vocatos fuisse Dominos *Castelli Sanseverini*, & postea absolute *Sanseverini*, & præterea patet *Normannos* fuisse eosdem. Longo itaque tempore in possessione istius Familiæ fuit. Nunc vero paret Principi *D' Avellino*, ex Nobilissima Familia *Caracciola*.

C. d' Engenio.

Sunt ibidem sequentes Familiæ Nobiles:

Dell' Abbadessa
Alamagna
Antinori
Capasino
Daniele
Folliero
Gaiano
Pescara
Brignano
De Sanctis
Da Sarno
Villani, aliique.

SCALA.

Nullus Auctor commemorat Urbis hujus conditores, unde nihil nobis dicendum restat, nisi quod sit antiquissima, prout legere est in *Chronico Amalphitano*, namque patet inde commoratos hic aliquamdiu *Romanos* illos fuisse, qui postea *Amalphim* condiderunt, prout superius docuimus. Ut autem scribit *Mazzella*, reædificata postea fuit a *Normannis*. Anno autem MCXXXVII. Augusti mensis die secunda, capta fuit & direpta una cum *Ravello* aliisque oppidis, ab Imperatore *Lothario*, quoniam steterat a partibus *Rogerii Normanni*, Regis *Neapolis*. Cives sui postea reædificarunt.

C. d' Engenio.

Sunt ibidem sequentes Familiæ Nobiles:

Afflitti
Alfani
Bonito
Frisaro
Grisone
Pando
Rufula
Sannella
Sasso
Sebastiani
Staivani, aliique.

TRAMONTI.

Antiquissimum hoc est Oppidum, & habet Castellum dictum S. *Maria della Nova*, sexdecim
76 turribus circumvallatum, unam præterea turrim

A in Monte, dicto *Piunzo*. Est ibi falconum aliarumque avium venatus. Distat a mari tribus milliaribus, nec ullo modo ab hoste expugnari potest, quoniam locus petrosus & aditus angustus est, inter valles atque montes, ut a paucissimis defendi possit, sunt tamen a partes maris hodieque dispositæ turres bene munitæ atque præsidiis servatæ.

Sunt ibidem Fontes aquæ gelidæ complures, ut & alba vina, quæ æstate delectant admodum. Aër est saluberrimus, ita ut paucissimi morbis vexentur, verum complures morbidi ex aliis locis illuc deferantur. Quatuordecim habet Parochias, & licet Archiepiscopatus titulum non habeat, ha-
B bet tamen Ecclesiam Matrem sub titulo S. *Mariæ della Nuova*, aliasque Ecclesias cum sexaginta Presbyteris, quorum major pars pilcolos gerit in Canonicorum morem, Archipresbyter autem reliquos omnes Presbyteros *Amalphitanæ* Diœcesos præcedit.

In Parochiali Ecclesia S. *Mariæ di Cosarano* servatur brachium cum manu gloriosi Martyris S. *Tryphonis*, & in Parochiali S. *Marci Di Bolvito* sunt Reliquiæ S. *Placidi* Martyris.

Habet hoc Oppidum multa privilegia, concessa a Rege *Ferrando* aliisque, prout ex Registris
C ejusdem Oppidi apparet, tempore autem belli subsidium virorum atque pecuniæ eidem Regi tulit, unde multas immunitates atque gratias obtinuit, quæ exstant in Privilegio registrato in Cancellaria Reg. XXI. & in *Executoriarum* XXIV. anni MCCCCLXI. Inque iis Privilegiis Cives Urbis vocantur passim *Nobiles viri*, *sincera fide*, *& ob constantiam sinceræ fidelitatis*.

Ut nunc, ita olim produxit viros in variis scientiis nobiles, & inter alios *Bertranium di Majo*, *Archiepiscopum Amalphitanum*, *Martium* etiam *di Majo*, Episcopum *di Bisceglie*, cujus Familiæ viri *Foggiam* & alibi habitatum iverunt. *Conradum* etiam *Spar-*
D *ranum*, Archiepiscopum *Amalphitanum*, *Robertum Marantam*, qui Practicam suam edidit, jam olim omnibus notam, Episcopos item *Calvi* & *Montepelosi*, & *Robertum Marantam* fratrem, celebrem illum Advocatum *Neapolitanum*. Hi licet in hac Civitate nati non fuerint, tamen illorum majores hinc migrarunt *Venosam*, atque inde *Neapolim*. Inde etiam est *Lucas Antonius Maranta*, Dux celeberrimus, ex quo natus est *Octavius*, Auditor Generalis status Principis *Salerni*. *Ambrosius* item *Romanus*, Episcopus *Minori*, Doctor *Robertus Romanus*, Auditor Generalis Ducis *Amalphitani*. 77
E Doctor *Antonius Fontanella* Advocatus Fiscalis S. M. in Provincia *Principatus Ultra*. Doctor *Prosper Fontanella*, Regius Auditor in variis Regni Provinciis. Doctor *Julius Cæsar Pontanella*, Judex Curiæ Magni Admirantis & Locumtenentis Don *Loperii de Gusman*, Visitatoris S. M. in hoc Regno. *Joannes Camillus*, *Tiberius*, & *Vespasianus Foutanellæ*, Doctores Legum celeberrimi, multorumque meritorum. Doctor *Joannes Hieronymus Romanus*, Auditor Generalis statuum Principis *Amalphitani* & Ducum *D' Atri*. Doctor *Octavius Vitaglianus* celeberrimus Urbis *Neapolis* Advocatus, virtutis & famæ plu-
F rimæ. Est & ibidem Familia *Palumbo*, quæ nobiles & celebres produxit viros.

C. d' Engenio.

In Oppido hoc, quod Regium est, sequentes Familiæ Nobiles sunt:

Fantanella di Vespasiano.
Lanari.
Luciani d' Ascanio, *di Fabritio*, *di Tomasantonio*, *di Pietro*, *di Giangelo*, *& di Girolamo.*
Maranta di Martino, *& di Giangiacomo.*
Palumbi d' Antonio, *di Ludovico*, *d' Ascanio*, *& di Giantomaso*, *& di Francesco.*

Ro-

Romani di Marcantonio, & *di Giangeronimo.*
Santelia d'Oratio, & *di Giofeppe*, utrique Doctores Legum.
Sparani.
Vitagliani d'Ottavio, *di Gianantonio*, & *di Mauritio.*
Di Vivo di Gianangelo, & *di Berardo*, & alii.

78
79 HENRICI BACCI

Alemanni,

BREVIS DESCRIPTIO

PRINCIPATUS ULTRA

PROVINCIÆ TERTIÆ REGNI NEAPOLITANI;

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum atque Castellorum, quæ in illa exstant, ut & Familiarum, quæ secundum novam hanc recensioncm ibidem inveniuntur.

Urbium præterea & Oppidorum Dominii Regii (di demanio) *quæ ibidem inveniuntur, ut & Camerarum Reservatarum.*

Una cum tributo quod pendent Aulæ Regiæ.

Correcta atque aucta studio CÆSARIS D'ENGENIO, *Nobilis Neapolitani.*

PRovincia *Principatus Ultra* pars est Veterum *Arpinorum*, quæ in Mediterraneis trianguli modo sita est, & ab Aquilone, Cauro & Oriente, tangit agrum *di Molisi* & *Capitanatæ*, paullulum etiam terræ *di Bari*, ab Euronoto adjacet *Basilicatæ*, & ad Meridiem habet *Principatum Citra*, ad Occidentem vero est *Terra di Lavoro.*

Pro insigni habet coronam pinnatam ex auro, in medio duorum camporum, qui æqualiter dividuntur, Pars superior, in qua corona jacet, rubea est, inferior argentea. Hisce insignibus novi Principum tituli indicari creduntur, quos assumsit *Arrechus* II. Dux *Beneventi* XIV. tempore quo *Picenos* populos sibi subjecit, unde per campum rubeum & argenteum demonstratur virtus & audacia ejusdem *Arrechi*, & per coronam auream, quæ nihil vel parum a Regia differt, novi Dominii acquisitio.

Sunt in hac Provincia Civitates undecim, ex quibus *Beneventum* & *Consa* Archiepiscopales sunt,
Episcopales vero *Arianum*, *Avellinum*, *Bisaccium*,
80 *S. Angelo de' Lombardi*, *Odogna*, *Montemaranum*,
Nuscum, *Voltorara*, *Trivicum*, a recentioribus *Vico della Baronia* dictum, *S. Agata delli Goti.* Sunt & CXL. tam vici quam Castella, in universum cum Oppidis CLXXI.

Aurifodinæ inveniuntur in agro *di Prata* ejusdem Provinciæ, ut & argentifodinæ. Est & Regia Audientia in eadem Provincia residens, in Civitate di *Montefuscolo*, una cum Viceregis, cum stipendio annuo sexcentorum ducatorum, & quibusdam emolumentis. Excellentia sua duos illi dat Auditores cum stipendio ducatorum CCCXL. singulis, cum advocato Fisci, tubicine, & stipatoribus quindecim, qui singuli annuum habent stipendium ducatorum triginta sex.

Ubi hoc reperitur signum † *Cameræ sunt Reservatæ.*

	Olim		Nunc.	
		A.		
	207	*Accadia*	234	
		† *Airola corpo*	44	
		Airola Lacciano	38	
		Aierola Gucciana	76	
		Aierola portisi	266	
		Aierola muiano	100	
		Aierola Burgo	51	
A	80	*Apellosa*	115	
	450	*Apice*	546	
	658	† *Atripaldi*, ejusque prædia	535	
	32	*Albanesi d'Ariano*	32	
	208	† *Altavilla*	325	
	161	† *Androtta*	208	
	1890	*Ariano*	1899	
		Arpaia corpo	38	
		Arpaia Paolise	71	
B		*Arpaia Forchia*	49	
		Aiello dell' Atripalda	175	
	194	† *Avellino*	318	
		B.		
	66	*Bagnara*	66	
	366	† *Bagnulo*	412	
	18	*Bellizza*	28	
	409	*Biscaccia*	593	
	131	† *Bonito*	264	
	724	*Buon albergo*	288	
		Borgo	51	
		C		
C	100	*Cairano*	142	
	514	† *Galitre*	613	
	82	*Campo lattaro*	80	
	125	*Candida*	88	
	125	*Capriglia*	163	
	140	*Carbonara*	229	
	296	† *Carife*	145	
	180	*Casalbore*	225	
		Casalmonte rocchetto	63	
		Casal Corvara	126	
	110	*Casalduni*	126	
	285	† *Cassano*	226	
D		*Castellofato*	74	
	233	*Castel della Baronia*	254	
	13	*Castello muzzo*	12	
	181	*Castelvetere*	188	
		Castelfranco	309	
	192	† *Castel delli Franchi*	192	
	70	*Castel pote*	74	
	299	† *Cedogna*	327	
	38	† *Cervinara*, ejusque prædia	403	
E	299	† *Ceppaluni*, ejusque prædia	509	
	272	*Chiancherella*	39	
	371	† *Chiusano*	413	
		Corizza	74	
	125	*Corzano*	85	
		Cucciano Fornillo	72	
		Cucciano cantano	64	
	25	*Chianca*	29	
		Contrada di Fiorino	115	
		F.		
	773	*Flumari*	150	
F	246	*Foglianisi*	301	
	193	*Fontanarosa*	314	
	573	*Forino*, ejusque prædia	693	
	75	*Fossaceca*, & *Terranova*	84	
	52	† *Fragnito dell'Abbate*	77	
	125	*Fragnito di Monteforte*	152	
	128	*Fricento*	138	
		Frustulari di Montefuscolo	22	
		G.		
	19	*Genestra di Montefuscolo*	41	
		Ginestra delli Schiavoni	81	
	53	*Gesualde*	479	
	21	*Grieci*	75	
		Grotta Castagnara	53	
	292	*Grotta Minarda*	256	
	232	*Guardia Lombarda*	349	
		L.		
	249	*La Pia*	369	
	14	*La Pellosa*	20	
	16	*Lentace*	13	
	288	*Lioni*	352	
	68	*Locusano*	129	
		Le Bellizze d'Avellino	28	
		M.		
	83	*Malcalzati*	119	
	35	*Mancusi*	38	
	160	*Melito*	102	
		† *Mercogliano*	382	
	331	*Mirabella*	472	
		Molinara	108	
	82	*Monteaperto*	112	
	636	† *Montecalvo*	734	
		Monte d'Urso	53	
	178	† *Montefalcono*	193	
	171	*Montefalcone*	314	
	244	† *Monteforte*	264	
	153	*Montefredano*	228	
	261	*Montefuscolo*	300	
	150	*Monteleone*	172	81
	492	† *Montella*	501	
	44	† *Montemalo*	53	
	133	*Montemarono*	218	
	630	† *Montesarchio*	631	82
	155	† *Montemilletto*	213	
	191	*Monteverde*	185	
	136	*Morra*	194	
		N.		
	458	*Nusco*	483	
		P.		
	450	† *Padula*	521	
	30	*Pagliara*	38	
		Paglio		
	55	*Panderano*	65	
	33	*Pago*	36	
	263	*Paterno*	30	
	127	† *Pietra delli fusi*	128	
	242	*Pietropolcina*	247	
	116	*Pietro stornina*	153	
	19	*Petruro de Forino*	131	
		Piesco della Mazza	86	
	13	*Ponte*	15	
	228	*Ponte Landolfo*	267	
		Porcarino	162	
		Prata	139	
	19	*Petruro di Montefuscolo*	123	
	70	*Parolisi*	69	
	1117	*Polarino*	90	
		R.		
	67	*Reino*	82	
	271	*Rocchetta S. Antonio*	325	
	112	*Rocca San Felice*	144	

Roc-

	Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
		Rocca Vasciarana	179	82	S. *Potito*, alias *Radicazzo*	97
	80	† *Rotonda*, *e Campora*	90	15	S. *Rosso*	20
83		S. *Andrea*	231	122	S. *Sossò*	170
	440	S. *Agata delli Groti*	523	55	S. *Stefano*	88
	13	S. *Agnese*	20	20	*Savignano*	30
	49	S. *Angelo a Cancello*	124	165	† *Sitignano*	143
	20	S. *Angelo à Cupolo*	20		*Sellito di* S. *Angelo à Copolo*	13
	281	S. *Angelo Lombardo*	346	91	*Salza*	118
	18	S. *Angelo all'Esca*	46	20	*Serra*	25
		S. *Angelo à Scala*	121	82	*Sorbo*	136
		S. *Barbaro*	16	731	† *Salofra*	747
		S. *Giacomo della Montefuscolo*	22	82	*Summonte*	166
		S. *Guglielmo*	6	503	† *Sarno*, ejusque prædia	503
		S. *Iorio della Molinara*	455		T.	
	85	S. *Iorio di Montefuscolo*	98	115	*Taurasi*	227
	77	S. *Lupo*	84	291	*Tegora*	350
	169	† S. *Mango*	240	59	*Tortanisi*	61
	242	*San Marco delli Cavoti*	285	92	*Tocco*	133
	15	S. *Maria in Elice*	19	219	† *Torella*	366
		S. *Maria in Grisone*	64	9	*Torrione del Signor Camillo*	13
	67	S. *Maria Toro*	57	17	*Torrione del Tufo*	51
	277	S. *Maria di Vitolano*	374	42	*Torrione del Monte*	50
	161	† *Santo Martino*	191	250	*Torrecuso*	314
		S. *Michele de Serino*	47	201	*Torre di Montefuscolo*	234
		S. *Miele*	67		*Terranova* ejusque prædia	257
		S. *Marino*	191	66	*Tufo*	93
	60	S. *Nazaro*	67		*Tavernola dell' Atripalda*	71
		S. *Nicolo della Baronio*	114	305	*Trivico* nunc dictum *Vico della Baronia*	345
	56	S. *Nicola Monfredo*	69		V.	
	83	*Santo Paolino*	129	285	*Vallara*	346
		S. *Pietro in Delicato*	88	207	† *Vitulano* S. *Croce*	166
				67	† *Villamagna*	49
					Z.	
					Zunsuli	381

Oppida seu vici liberi, qui pertinent ad Sacrum *Xenodochium* Venerabilis Ecclesiæ *Annunciatæ*, quæ *Neapolis* est, & in hac Provincia inveniuntur.

Bagnara	*Cucciano*
Casale di S. *Marco à Monte.*	*Lentace*
	Frustulari
Monte d' Urso	S. *Giacopo di Montefuscolo*
Pietra delli fusi	*Mercogliano*
Terranova	*Spitaletto*
S. *Martino*	S. *Michele.*

84 Nomina Urbium vicorumque Dominii Regii, quæ in hac Provincia sunt.

Olim		Nunc.
1890.	*Ariano* familias habet	1090

Impositio seu Tributum, quod singulæ familiæ hujus Provinciæ Aulæ solvunt.

Pendent tantundem, quantum Provincia *di Terra di Lavoro.*

Non autem pendent excubias Turrium, quoniam ibidem non sunt.

Brevis Commentarius Originis BENEVENTI, *Urbis hujus Provinciæ* PRINCIPATUS ULTRA, *ubi sunt Familiæ Nobiles.*

Non dubitatur quin a *Diomede* condita sit Urbs *Beneventi*, fueritque olim sub triplici Domi-
A natione, ut scribit *Volaterranus* Lib. VIII. p.
178.

Ad Rempublicam olim *Samnitium* pertinuit,
& inter nobilissimas *Savii* Civitates numerata,
tantæque potentiæ, ut continuum *Romanis* bellum
fecerit, per annos octoginta, prout quidem Scri-
ptores tradunt, vel secundum alios, quinquagin-
ta. Eodem in bello *Samnites* sæpius victores ex- 85
stiterunt, præcipue vero circa *Furcas Caudinas*,
ubi Consules *Romani* una cum maximo exer-
citu, *Herennio* Duce, famosissimam cladem accepe-
runt & ignominiam, prout scribit *Titus Livius*
B Libro IX. & *Lucius Florus* de *Bello Samnitico*, a-
liique Scriptores.

Antiqua hæc Civitas inter celeberrimas *Italiæ*
numeratur, ita, ut in *Italiæ* divisione, quæ facta
fuit inter *Carolum Magnum* & Imperatorem *Con-
stantinopolitanum*, tunc *Nicephorum*, inter liberos
tres Ducatus relicta fuerit, Ducatum scilicet *Ro-
manum*, ita dictum post ejectos *Gothos*; Duca-
tum *Beneventanum* & Ducatum *Venetum*.

Secundus itaque ejus Status liberorum fuit Do-
minorum, & Serenissimorum Ducum, Principum
postea *Beneventinorum*. Visum fuit Dominis *Lon-
gobardis* Nomen Regium *Italis* terribile esse at-
C que improbatum, unde triginta sex Duces crea-
verunt, qui singuli ditionibus suis imperaverunt.
Et inter illos fuit *Zotonus*, Dux *Beneventi*, qui
quidem Ducatus amplectabatur omnem illam Ter-
ram, quæ nobis *Abruzzo* dicitur, item, quæ
nunc appellatur *Terra di Lavoro*, excepta *Nea-
poli*, & Oppidis quibusdam maritimis, quæ pro-
pter commoditatem maris permanserunt sub Impe-
rio *Græcorum*, prout *Ammiratus* dicit in princi-
pio Tractatus de Duce *Beneventi*, secundum quem
Auctorem Ducatus iste insuper complectebatur
Apuliam & *Calabriam*, sicut testatur, ubi agit
D de *Sicardo*, Principe Quinto.

Temerarium foret, affirmare, quo pacto sese
habuerit successio Ducatus istius quoniam non-
nunquam filios legimus patribus successisse, sæ-
pius autem ab ipso Populo *Beneventano* Duces il-
los electos fuisse.

Inter Serenissimos illos Duces multi fortes ad-
modum fuisse leguntur, & bellicis operibus cla-
ri. Inter quos numeratur *Grimoaldus* Dux *Bene-
venti* Quintus, & Undecimus *Italiæ* Rex; Quum
enim *Saraceni* venissent ad spoliandam Ecclesiam
Sancti Archangeli *Michaëlis*, quæ in Monte *Gar-
gano* sita est; obviam illis cum exercitu suo pro-
E cessit, atque tantum non omnes occidit. Dein ve-
ro cum egregio & magno *Beneventanorum* exer-
citu versus *Patavium* ivit, atque ibi ubi perve-
nisset, mortuo *Gundeberto*, atque pulso *Parta-
rito*, Rex *Longobardorum* fuit constitutus, anno 86
DCLXVI.

Romualdus, Sextus *Beneventi* Dux, quum ab
Imperatore *Constantio* cum magno exercitu *Bene-
venti* esset obsessus, coëgit eundem cum exercitu
suo recedere *Neapolim*, emissoque in discedentem
Morola, Comite *Capuæ*, magnam illi cladem at-
tulit prope Fluvium *Calarum*. Imperator itaque,
F ubi *Neapolim* venisset, Ducem quendam suum, *Sa-
burram* dictum, cum viginti millibus militum misit,
ut iterum belli fortunam tentaret; verum *Romual-
dus* Imperatoris exercitum fugam capessere coëgit,
atque triumphabundus *Beneventum* rediit; & post-
ea etiam recentibus copiis auctus egregie illatam
a *Græcis* injuriam vindicavit, *Tarento* & *Brundu-
sio* expugnatis, omnique Provincia ad obsequium
suum redacta. Unde haud ingrata Divinis bene-
ficiis Uxor ejus *Theodoreta*, extra Urbis *Bene-
venti* muros Ecclesiam ædificavit & Monasterium
in S. *Petri* honorem, cujus murorum reliquiæ ad-
hucdum visuntur.

Gisulphus etiam, *Beneventi* Dux, satis fuit bellicosus, suaque ætate occupavit *Ursuram*, Oppidum *Romanorum*, & insuper *Hirpinum* atque *Ursinum*.

Magnanimus fuit vir *Henricus* primusque omnium *Beneventi* Ducum, qui Principem sese vocari jussit; nec illorum tantum, sed & omnium illorum, qui hodieque universalem illum titulum obtinent; coronam insuper capite gestare voluit. *Salernum* Urbem munitam reddidit, ut haberet securam ad Mare *Tyrrhenum* arcem. Ultimam etiam manum imposuit ditissimo S. *Sophiæ* Templo, in quod transtulit multa Sanctorum corpora, ex variis *Italiæ* locis.

Grimoaldus Quartus *Beneventi* Princeps, quum juxta *Beneventum* a *Francis* ad pugnam esset exire coactus, gloriosissimo eosdem prœlio vicit.

Sico, Princeps Quartus, a *Beneventanis* electus, contra *Neapolitanos* bellum gessit, qui quum illi resistere non possent, pacti fœdus cum eodem sunt, atque annuam ipsi solverunt pensionem, dederuntque illi Corpus Sancti *Januarii* Martyris, atque ex voluntate ejus Urbem *Capuam* reædificaverunt. Idem, ut gratificaretur nobilibus quibus-
87 dam, qui Principatum illi procuraverant, duos filios suos, primarias *Beneventanæ* Nobilitatis virgines uuores ducere fecit.

Sichardus, Princeps Quintus, quum renuissent *Neapolitani* pendere pensionem seu tributum a Principe *Sicone*, patre suo impositum, longo temporis spatio obsessos eosdem tenuit, cunctaque extra Urbis portas devastavit. Coacti itaque ad fœderis leges *Neapolitani*, veniam quidem admissorum obtinuerunt, veruntamen obligati fuerunt pariter ut patri *Siconi*, ita & *Sichardo* filio, tributum solvere. Idem *Saracenos* expulit *Otranto*, ut & *Brundusio*, subjugavit *Amalphitanos*, sine ullo quidem prælio. Per omnia vero Imperii sui loca Corpora Sanctorum investigari fecit, atque *Beneventum* transferri, inter quæ nobilia ejus atque illustria opera recensetur etiam translatio gloriosi corporis S. *Bartholomæi* Apostoli, ex *Liparo* Insula; in cujus gratiam quoque rotundæ formæ superbissimum exstruxit Templum; nam & ipse, & successores ejus magna cum cura & honore tantum & apud omnes maximi æstimatum thesaurum asservarunt. Imo ipse Imperator *Otho*, cum maximo exercitu Urbem *Beneventum* obsedit, ut Ossa & Reliquias Apostoli istius inde auferret. Huic improvisæ belli moli quum resistere non possent *Beneventani*, destituti defensionis omnis apparatu, quum tradere ipsius Apostoli corpus fas non esset, neque tamen illicitum S. *Paulini*, Episcopi *Nolani* illud permittere, facta repositoriorum permutatione, pro *Bartholomæi* corpore, illud *Paulini* Imperatori obtruserunt. Cujus doli certior postea factus Imperator; valde iratus, denuo tentavit Urbis obsidionem, quam quum bene invenisset munitam, ita ut necesse illi foret obsidionem in longum protrahere tempus, *Romam* redire constituit; verum in itinere veneno fuit interceptus, prout scribunt *Chronicon Cassinense* Lib. II. Cap. XXIV. & in *Historia* sua *Florentina Sanct. Antoninus*, Parte I. Tit. VI. Cap. XII. *Chassanæus* etiam in *Catalogo Gloriæ Mundi* Parte III. Considerat. XXIX. In cujus rei confirmationem Frater *Petrus della Vega*, *Hispanus*, in libro suo, qui dicitur *Flos Sanctorum*, in *Vita S. Bartholomæi Apostoli*, admirabile, quod & firmatur ex antiqua traditione, narrat Miraculum.

Multæ etiam Indulgentiæ a variis Pontificibus
88 concessæ fuerunt, qui visitatum iverunt *Beneventi* gloriosum hocce Corpus. Concessa autem eadem fuerunt post mortem memorati Imperatoris *Othonis* III. & originaliter servantur in Archivio dictæ Urbis *Beneventi*. Hodie vero summa adhuc cum cura Ossa illa asservantur duplici clave, quarum alteram servat Illustrissimus Urbis Archiepi-

A scopus, utpote Cleri & viginti quatuor Episcoporum, ejus Suffraganeorum, Caput; alteram vero jam a remotis usque temporibus tenuit Nobilissima Familia *Mascambrunorum*.

Multis ita per ordinem sequentibus Principibus, in Principatum *Capuæ* & *Salerni* dispertito Principatu, ipsa Urbs *Beneventum* tandem ad *Sedem* devoluta est *Apostolicam*, cui primitus a *Carolo Magno* donata fuit. Vide *Frezz. De Subfeud.* Lib. VIII. pag. 118. *in fine*. Neque adhuc penitus pristinam magnificentiam amisit, Caput enim (titulo tenus licet) est Comitatus & Juris.

B Licet vero sub Dominio sit *Apostolico*, non tamen Regno *Neapolis* continetur, verum ipsa per se Caput remanet suæ ditionis, gaudens etiam singularibus quibusdam privilegiis, ab Ecclesia *Romana* concessis; prout inter alia, quod bona ejus fisco non subjaceant, sed & appellationem quoque in causis criminalibus ad Rotam *Romanam* habeat; quibus privilegiis excepta solâ *Bononiæ* Ecclesiâ, nulla Urbs in Statu Ecclesiastico gaudet.

Civitas ista, non tantum semper Metropolis fuit, verum & Archiepiscopus ejus viginti quatuor Episcopos Suffraganeos sibi habet, quot in Orbe *Christiano* nullus alius habet Antistes, prout
C testatur *Frezz. de Subfeud.* Lib. VIII. pag. 123. Num. 50. una cum aliis quibusdam notabilibus Prærogativis; utpote Signatura Plumbi, & per multa etiam secula decorata fuit *Camauro* Pontificio.

Et sicuti nullum est dubium, imo certo certius, multos *Longobardorum* Principes sedem suam ibidem fixisse, ita multa ejusdem Nobilitas ex iisdem stemma suum deducere potest, prout ostendit *Franciscus de Petris*, in *Historia de Nobilitate Regni*.

Ex celeberrima hac atque antiquissima Civitate multi viri insignes virtute omni provenerunt. Ecclesiæ enim, præter multos Cardinales, duos
D etiam Papas produxit, *Victorem* III. ex Familia *Epiphaniæ*, & *Gregorium* VIII. ex Familia *Morræ*, prout *Blondus* aliique testantur.

Ex *Tocco* Familia provenêre Heroës quidam, 89
qui vi expugnarunt Insulas *Zante* & *Cephaloniam*. earumque Dominium tenuerunt. In Jurisprudentia celebris fuit *Papinianus* JCtus *Beneventanus*, ut ipse dicit in Lege, *Hæredes mei § cum ita. ff. ad Trebellianum*, atque explicant *Marcus Antonius Surgens* in *Neapoli Illustrata* Cap. XXV. Num. XXVIII. *Rovitus* in Pragmaticam *de Causis Decidendis*, ut & *Frezzia de Subfeudis* Lib. I. pag. 49. præter *Roffredum de Libellis*, *Camerarium*,
E aliosque eminentes Doctores; qui ex eadem Civitate prodierunt.

C. d' Engenio.

Beneventum, ut Nobilium quoddam Forum Nobiles hasce habet Familias:



Aquini del Cardinale	*Gregorio*
D' Avalos	*Griffi*
Dell' Aquila	*Leone*
Bassi	*Mascambruni*
Di Blasio	*Mazzilli*
Bilotta	*Morra del Pontifice Gregorio* VIII.
Bottini	*Morra del Seggio di Capoana*
Briti	*Monteforti*
F *Calenda*	*Pesce*
Candida	*Savariani*
Capasso	*Sellaroli.*
Capobianchi	*Del Sindico*
Caraccioli	*Tocca del Principe di Montemileto*
Carasi del Duca di Nocera	*Tufo*
Conestabili	*Di Vico*
D' Enea	*Della Vipera*
Di Leo	*Vintimiglia*, & alias.
Filingieri	
Geremia	

90 CIVITAS

AVELLINUM

ejusque Nobilitas.

Avellinum, Civitas antiqua, inter *Hirpinas* numeratur. Incolæ olim *Protropi*, juxta *Plinium*, dicebantur, prout & vult *Justinus*, qui Lib. XX. asserit descendere a *Chalcidensibus*. Et *Ptolæmeus* & *Strabo* Urbem hanc *Abellinum* nuncupant. Nomen illud vult *Flavius Blondus* originem accepisse ab *avellanis*, quæ ibidem magna nascuntur copia; inque eam rem auctoritatem adducit *Plinii*: quod sane mirum mihi videtur. Scribit enim Auctor iste, fructum hunc primitus *Nucem Ponticam* dictum fuisse a *Latinis*, utpote ex *Ponto* advectum, ipsas autem nuces, quum admirabiliter in *Abellini* agris provenirent, primum *abellinas*, deinde *avellanas* dictas fuisse.

Alii volunt *Avellinum* ita fuisse vocatum, quoniam cives ejusdem, seu primi incolæ, perstudiosi fuerint Deæ *Bellonæ*, unde initio *Bellinum*, dein *Abellinum* vocata Civitas fuerit. Probant vero eo argumento, quod similiter alia hujus Regni loca pariter nomen a Diis suis tutelaribus nacta fuerint, ut *Mercurianum* a *Mercurio*, *Mugnanum*, ab *Jove Ammone*, *Serpicum* a *Serapide*, *Arianum* ab *Jano*, *Venosa* a *Venere*, *Minervinum* a *Minerva*, *Panderanum* a *Pane*, *Gifunum* autem a Fano seu Templo *Junonis*; qualis mos hodie etiam adhuc obtinet, multa enim loca vocantur nomine Sanctorum suorum, in quorum sunt tutela, ut S. *Angeli*, S. *Georgii*, S. *Severini*, similiumque. Addunt iidem, qui hocce volunt, ad corroborandam sententiam suam, quod, quum S. *Guilelmus* anno MCXVI. celeberrimum illud Templum suum ædificaret in honorem Beatissimæ
91 Virginis Matris *Christi*, veri Dei, super ruinas Templi *Cybeles*, Matris Deum falsorum, in Urbis confinio & proprie in monte, qui e regione ejusdem est, idem Templum atque Monasterium *Montem Virginis* fuisse appellatum, sicut antea *Cybeles*, atque dein *Virgilianus* dictus fuerat; inventæ in ruinis ejusdem Templi Statuæ sint aliquot Idolorum, illuc a vicinis Urbibus, ut Tutelarium suorum, missis atque erectis, quasi Intercessorum totidem apud Deam *Cybelem*. Erant inter easdem statuæ *Herculis*, missa ab Oppido *Montesarchio*, antiquis temporibus *Mons Herculis* dicto; *Castoris* & *Pollucis* a *Neapolitanis*; *Floræ* a *Nolanis*, Deæ *Bellonæ* cum parva columella marmoris purissimi ab Urbe *Abellino*, quam ipsam hodieque ajunt conspici in dicto Monasterio in pariete quæ ad gradus ejusdem a manu sinistra est.

Pristinis temporibus Civitas hæc ædificata fuit in loco prope Oppidum *Tripalda*, quod adhuc *Civita* dicitur a paganis, atque ex antiquarum ibidem fabricarum vestigiis colligi potest, Urbem olim multo majorem fuisse eo in loco, quam est in illo, in quo nunc conspicitur; quod ipsum etiam legitur in Vita S. *Hippoliti*, civis ejusdem Urbis, descripta a *Paulo Regio* Episcopo *Vici*, ut & Fratre *Philippo Ferrario*, atque *Davide Romeo*; qui narrant, quod, quum dictus ille Sanctus ad veram fidem octo mille cives convertisset, & inter alios tres Senatores, *Firmianum*, *Fortunatum* & *Faustinum*, Pontifex cum Sacerdotibus *Jovis* reliquam multitudinem contra Sanctum illum concitaverint, ita ut eundem occiderint.

Scribit *Paulus Merula* in *Cosmographia* sua *Universali*, Urbem hanc Coloniam esse *Romanorum*, usus hac in re auctoritate *Frontini*, & *Velleji Paterculi*, quod & insuper patere potest ex residuis adhuc Marmoribus Antiquis, quæ in eadem inveniuntur, quorum quidem hoc unum est:

[1] SEPTIMIÆ L. F. SIL. MALLIO M. F. MEN. ROF.
PRÆF. FABR CÆS. Q. TR. MIL. A. P. E. HUNC DECURIONES
GRATIS IN ORDINEM SU. ADLEGERUNT. DUUMVIRIALIUM
NUMERO ORDINEM ADIIT PETIITQUE UT DECRETO
QUOQUE VOLUNTATE ESSE ADSCRIBENDUM.

Apparet ex isto Marmore, antiquitus hanc Urbem rectam fuisse a Duumviris, Decurionibus, aliisque Magistratibus, ad exemplum Reip. *Rom.* Erantque ibidem Ædiles, qui Templorum, Sacrorumque habebant curam, ut & privatorum ædificiorum, prout ex alio ibidem Marmore docemur: 92

A. V. D. D. M. V.
EX TESTAMENTO FECERUNT QUI INFRA
C. ALLENAIUS C. F. TER C. A. . . . D.
C. LVVERIUS C. F. GAL. SABINUS. A.
C. ARUNTIUS C. F. GAL. A. L. AUD.
D.

Quo autem tempore cives ab antiquo Urbis loco in illum, qui nunc habitatur, migraverint, præcise quidem definiri nequit. Credo autem, quod, quum jaceret in transitu, creberrimas acceperit clades per continua in *Italia* bella, præsertim vero istis temporibus, quum *Samnites* inter atque *Romanos* bellum fuit, congregatis una cum *Samnitibus* omnibus populis *Hirpinis* contra *Romanos*, a quibus plurimæ Urbes fuerunt destructæ, tam in *Samnio*, quam in *Hirpinis*. Quod idem accidisse statuendum est, in bellis *Pœni Annibalis* cum Populo *Romano* in *Italia* gesto; Civilibus item *Sullæ* atque *Marii*.

Narrat *Julius Cæsar Capacius* in *Historiis* suis *Neapolitanis*, una cum multis aliis Civitatibus atque Oppidis fuisse devastatam, quod & innuit *Strabo* Libro V. & *Appianus Alexandrinus* Libro I. Belli Civilis. Unde credibile est ex traditione incolarum ejusdem Urbis Cives post tantas & tam crebras ruinas deseruisse priorem situm, ita ut pars quidem sese contulerit habitatum Collem illum, in quo nunc sita est Civitas, pars autem mansionem retinuerit ad fluvium *Sabatum*, qui per mediam Urbem transibat eo in loco, qui, quod ibidem ædificatum erat Templum *Palladis*, quæ *Tritonia Pallas* ab Antiquis dicebatur, prout quidam volunt, *Tripalda* vocabatur, prout adhucdum dicitur ibidem satis magnus tractus isto in loco.

Agrum autem istum partem fuisse Urbis *Abellini*, præter communem paganorum opinionem, inde etiam patet, quod nuper adhuc Urbis ejus Episcopatus Canonici soliti fuerint mittere illuc Sacerdotem, ut ibidem Sacramenta administraret incolis; id quod clare evincit olim locum utrumque pro uno fuisse habitum, atque utrumque populum ab eadem destructa Urbe originem suam traxisse, unde hodieque observantur in loci utriusque atque Oppidi medio reliquiæ.

Jacet hodie Civitas hæc in Via Magna *Apuliæ*, 93 triginta milliaribus distans a *Neapoli*, in amœna Valle, aquarum abundantissima, ut & corylorum; neque antiquis tantum *Romanorum* temporibus, multo major, quam hodieque est, ea erat Civitas, verum & proximis hisce, id est, postquam secunda vice reædificata fuit; quod patere potest ex Vetustis quibusdam Scripturis, ut Bulla *Cœlestini* III. S. P. anno MCXCVII. atque altera *Innocentii* III. anno MCCIX. ut & Privilegio C. *Jacobi Caraccioli*, dato in Castello *Avellini*, anno MCDLVII. in quibus Scripturis fit mentio Ecclesiæ S. *Benedicti*, S. *Antonii*, *S. Bartholomæi*, Monasterii Monachorum S. *Pauli*, Ecclesiæ S. *Juliani* & S. *Thomæ*, Martyrum, *S. Matthæi*, S. *Nicolai*, S. *Damiani*, S. *Joannis*, ut & Diœceseos S. *Laurentii*, & aliarum Ecclesiarum, quæ nunc maximam partem in ruinis jacent, ita ut exigua vix earundem vestigia appareant.

Ubi

1 *Septimiæ*] Non inveni Inscriptiones has apud *Gruterum*, in quibus & mendas aliquot esse suspicor.

Ubi Urbe exieris, præsto antiquum ejusdem est Castellum, quod a Principe *Camillo Caracciolo* exornatum atque ampliatum est, ad cujus pedes cernitur Vivarium pro cervorum aliorumque animalium venatu, ut & Hortus abundans multa aquarum copia, quas idem Princeps ex longinquis partibus illuc per aquæductus derivavit, ubi & magna Fontium est varietas, qui pulchro atque ingenioso artificio foras emittunt continue magnam aquarum vim, non sine maxima spectatorum voluptate atque admiratione. Visitur ibidem ad introitum ejusdem Horti in ipsis portis hæc Inscriptio:

MVLCENDO PER PACIS BLANDITIAS MARTE,
EXERCENDAQVE PER LVDICRA MARTIS PACE,
NATVRAE, ARTISQVE AD OBLECTANDVM CERTAMINA,
IN AMPLISSIMO HOC VIRIDARII THEATRO,
SIBI, SVISQVE, INDIGENISQVE, ET ADVENIS
PARAVIT,
MARTIS DELICIVM PACIS PRAESIDIVM,
CAMILLVS CARACTIOLVS, ABELLINI PRINCEPS.

Sunt in Urbe eadem Monasteria quinque, quorum duo quidem Fratrum sunt S. *Francisci*, unum *Conventualium*, alterum *Capucinorum*, tertium Fr. *Dominicanorum*, quartum Ordinis S. *Augustini*, quintum, vocatum S. *Joannis Baptistæ di Monaci*
94 *di Monte Virgine*, quod quum in initio condi cœptum esset a Comite *Rainulfo*, perfectum postea est a Rege *Rogerio*, dein tantum non dirutum, rursus ædificatum est, cum multa pietate, & magnificentia, a Principe *Camillo*; qui & à fundamentis exstruxit Monasterium Monachorum Ordinis *del Carmine*; Antiquæ Ecclesiæ S. *Pauli*, & S. *Benedicti* adhucdum integræ restant; est & ibidem Hospitium in potestate *Sociorum Jesu*, ut & Ecclesia S. *Mariæ Constantinopolitanæ*, *Carminelli*, & S. *Trinitatis*, cujus curam gerunt Presbyteri Seculares. Sed præ omnibus conspicienda venit Ecclesia Episcopalis Architecturæ Antiquæ, cujus tectum grandibus sustentatur Columnis, quæ eandem in tres Naves dividunt, ubi præter Episcopum suum spectabilis est Capitulus Canonicorum, ut & Seminarium, propter quod valde est celebris. Conservantur in eadem permultæ Reliquiæ, præsertim vero lignum Sanctissimæ Crucis N. S. spongiæ pars, & una ex coronæ ejusdem spinis, S. *Laurentii* Martyris adeps, quæ, quum condensata atque dura sit, die festivitatis ejusdem miraculose liquefieri solet; Caput item S. *Modestini*, Episcopi *Antiochiæ*, Protectoris Urbis ejusdem, ut & SS. *Flaviani* & *Florentini* Martyrum, Sociorum ejusdem, quæ reliquiæ argento omnes contectæ sut. Sunt & aliæ ibidem, quas brevitatis gratia omitto.

Episcopus ejusdem Urbis pariter Episcopus est *Fricenti*, & licet non liqueat, quænam ex duabus istis Civitatibus prior in titulo ejusdem nominetur, Episcopatus *Avellini* nihilominus valde est antiquus; in *Chronica* enim *Falconis* Beneventani, ad annum MCXIV. mentio fit Episcopi ejusdem Urbis, & in Vita S. *Guilelmi Eremitæ* cognocitur *Joannes*, Episcopus *Avellinus* anno MCXXVI. & MCXXXII. *Robertus*, anno denique MCLXXXII. *Guilelmus* alter, Episcopi omnes *Avellini*.

Temporibus *Longobardorum*, quum olim totum illud, quod nunc *Neapolis* dicitur Regnum, divisum esset in tres Principatus, id est, Principatum *Beneventi*, *Salerni*, & *Capuæ*, ætate ista subjecta *Avellini* erat Civitas Principi *Beneventi*, qui ibi Magistratum habebat, ut suo nomine gubernaret Urbem, Magistratus iste, *Castaldus* dicebatur; eratque Officium illud *Castaldi* tunc temporis in eximio honore, neque enim nisi in præcipuis obtinebat Civitatibus; ita legimus de *Capua*, quod *Castaldos* suos habuerit, antequam
95 nacta sit Principes. Unde *Atenulfus*, qui primus *Capuæ* fuit Princeps, & simul etiam *Beneventi*, antea fuit *Castaldus* ejusdem Urbis *Capuæ*. Unde patet, non tantum in præcipuis Urbibus, sed & maxime considerabilibus, Magistratum tali nomine

A mine obtinuisse. Quod & confirmat exemplum *Alenzonii* Ducis *Bulgarorum*, qui quum advenisset in *Beneventinum* Statum, ut ibidem sedes figeret, receptus fuit a Duce tunc *Romualdo*, sed ea sub conditione, ut alium sibi quam Ducis titulum eligeret, unde idem sibi *Castaldi* titulum adoptavit, quo & deinceps nominatus fuit.

Rempertus etiam, qui Historiam conscripsit *Longobardorum*, multas narrat pugnas, quæ acciderunt in *Avellino*, inter *Græcorum* & *Beneventanorum* copias, varia fortuna pugnatas; ita per vicem *Græci* fuere victores, & fusis *Beneventanis*,
B Duces illorum captos *Constantinopolim* amandaverunt, inter quos & Castaldum *Avellini*; & rursus victores exstiterunt *Beneventani*, ita ut pulsis *Græcis*, ab omni parte liberam fecerint Urbem *Avellinum*.

In *Chronico*, quod scripsit *Falco Beneventanus*, narratur anno MCXXX. quod quum *Anacletus* II. (qui per Scisma Papa creatus erat contra *Innocentium* II.) venisset *Avellinum*, & inde transire vellet *Beneventum*; venerit quoque in eandem Urbem *Apuliæ* Dux *Rogerius*, simul autem *Avellini* deliberasse, atque constitutum ibidem *Rogerium* fuisse Regem *Siciliæ*, prout postea Regni Coronam in Urbe *Panormo* accepit.

C Scribit idem, transiisse per *Avellinum* Papam *Innocentium* II. una cum Imperatore *Lothario*, ut obviam irent *Rogerio* Regi, memorato, atque inimico S. E. atque ibidem Ducem exercitus fuisse *Rainulfum*, Comitem *Avellini*, quare & a Pontifice & ab Imperatore publice Comiti isti Vexillum atque Scipio Ducalis fuit traditus, cum applausu & gaudio universali, quoniam ista ætate magnæ & conspectæ virtutis & fortitudinis idem *Avellinæ* Comes habebatur.

Tempore isto, quo Rex *Carolus* II. Regis *Aragonensium* fuit captivus, coactum *Avellini* fuit Concilium Prælatorum & Baronum Regni, in-
D que isto Concilio creati fuerunt Legati *Richardus Moblasius* Archiepiscopus *Otranti*, & *Gentilis Sanctus-Georgius*, ad Regem *Francorum*, advocaverat enim illos in Regni defensionem *Robertus* Comes *Artesiæ*.

Primi qui in Civitate hac dominati sunt sub ti- 96
tulo Comitum, fuêre, dictus Comes *Rainulfus Normannus*, & frater ejus *Richardus*. Sponsus *Methildæ*, sororis *Rogerii*, Regis *Siciliæ*, fuit hic *Rainulfus*, & magnæ potentiæ, & virtutis vir, prout narrant Scriptores ejus temporis, & confirmat privilegium donationis multarum proventuum, quas idem dono dedit Monasterio ædifica-
E to ab ipso in regione *di Tocco*, ad instantiam S. *Guilelmi*, in quo Privilegio ita loquitur Secretarius: *Ex jussione præfatæ Serenissimæ Potestatis scripsi ego Berardinus Seca, vigesimo anno Comitatus ejusdem Gloriosissimi Comitis.* Ex quibus verbis Magnitudo ejus commensurari potest, qui, postquam per longum tempus belligerasset cum cognato suo, Rege *Rogerio*, Summus Dux electus, ut diximus, exercitus Papæ & Imperatoris, mortuus est *Trojæ*, anno MCXXXVII. Post cujus mortem non tantum *Avellinum*, sed & universa ejus ditio sub Rege *Rogerio* venit.

F Mortuo deinde & ipso Rege *Rogerio* anno MCXLIX. instituto hærede Statuum suorum filio *Guilelmo*, notho suo *Simoni*, Principatum reliquit *Tarenti*, quem quum ipsi concedere nollet *Guilelmus* Rex, per compensationem accepit Comitatum *Avellini*, verum paullo post detecta in Regem conjuratione, vitam una cum dignitate amisit. Atque hunc nactus est finem *Simon*, III. Comes *Avellini*, & Regis *Rogerii* filius.

Comitem IV. *Avellini* invenio *Rogerium dell' Aquila*, qui, quum illud neque successive a patre habuerit, neque datum a Rege, quum ta-

tamen abinde ab infantia tenuerit, perveniſſe ad illum credimus ex hæreditate matris, Regi cognatæ, quæque genus ſuum deducere potuit vel a Comite *Rainulfo* vel *Simone*. Habuit hic uxorem Comitis *Guilelmi Sanſeverini* ſororem, ex qua genitus illi eſt

Rogerius II. quartus Comes *Avellini*, qui ex Uxore ſua *Adeliſia* tres habuit liberos, *Richardum*, *Thomam*, & *Joannam*.

Hoſce duos Comites *Ammiratus* vult fuiſſe ex domo *Sanſeverina*, alii ex *Urſiniana* deducunt, verum utrique errant, fuêre enim ex domo *dell' Aquila*, ut patet ex Inſtrumento quodam Donationis, a Comite *Rogerio* II. conceſſæ Monachis S.
97 *Guilelmi*, quod conſervatur in Archivio *Annunciatæ Neapolis*, cujus initium tale eſt: Ego *Rogerius de Aquila*, *Comes Avellini*, *& Dominus Caſalis Sclanarum*.

Sextus *Avellini* Comes fuit *Stephanus Boy*, *Suevus*, prout apparet ex Donationibus quibusdam factis ab illo Monaſterio Montis Virginis.

Pervento poſtea Regno & Dominio in poteſtatem *Caroli Andegavenſis*, Comitatus *Avellini* ab eodem Rege donatus fuit *Simoni Montisfortis*, qui VII. exſtitit Comes; eo autem ſine hærede exſtincto, rurſus ad Regem *Carolum* rediit, qui eundem donavit

Bertrando Balzono, qui VIII. exſtitit *Avellani* Comes.

Hujus filius *Raimundus*, poſt mortem patris, IX. fuit *Avellini* Comes. Habuit autem duas uxores, quarum prima fuit *Joanna*, filia *Joannis*, Comitis *Bertagnæ*, ſecunda autem, *Stefania* dicta, peperit ipſi *Hugonem* X. Comitem, cui *Reinaldus Balzonus* XI. Comes ſucceſſit.

Eliſabetha, ſeu *Liſetta*, XII. *Avellinæ* Comitiſſa fuit, atque ultima ex *Balzoni* familia.

A Rege *Carolo* III. dono Comitatum hunc accepit *Jacobus Filingierus*, fuitque Comes XIII. Uxorem habuit *Jovanellam Minutolam*, atque obiit, relicto hærede & ſucceſſore

Jacobo Nicolao, Comite XIV. Hic uxore ducta *Secchella Sanframondo*, ex ea genuit *Gurrellum*, *Catharinam*, aliosque liberos.

Gurrellus poſt patris mortem XV. exſtitit Comes *Avellini*, juvenis autem mortuus, & ſine prole, hæredem reliquit ſororem ſuam.

Catharinam, Comitiſſam XVI. ejusdem Urbis, & Uxorem *Sergionni Caraccioli*, Ducis *Venoſæ*, & Comitis *Avellini* XVII. Magni Conneſtabilis, Magni Seneſchalli, & Moderatoris Regni, ferventi in favore penes Reginam *Joannam* II.

Catharinæ ſucceſſit *Trojanus Caracciolus*, *Amalphitanorum* Dux, filiusque ſuus, Comes autem XVIII. *Avellini*, qui uxorem habuit *Mariam Caldoram*, filiam *Jacobi Caldoræ*, Ducis *Bari*, ex qua progenuit *Amalphitanorum* Ducem *Joannem*, & *Jacobum Carolum*, Comitem XIX. *Avellini*.

Mortuo improli Comite *Jacobo*, Rex *Arragoniæ Ferdinandus* Comitatum hunc dedit *Galzorano*
98 *Richeſenio*, qui itaque XX. *Avellini* fuit Comes. Uxorem habuit *Helenam Balzonam*, filiam *Algiberti*, Ducis *Nardi*, & Comitis *Ugenti*, ex qua liberos aliquot ſuſtulit, atque inter alios

Iſabellam, Comitiſſam XXI. & uxorem D. *Raimundi di Cardona*, Vice-Regis Regni; ſecuto autem bello inter *Arragonenſes* & *Gallos*, Rex *Gallorum Carolus* VIII. acquiſito Regni iſtius Dominio, Comitatum hunc dedit Equiti cuidam *Gallo*, dicto *Stephano di Veſt*, cui itidem Civitatem *Nolæ* donavit, ut & *Aſcoli*, cum titulo Ducis, & Munere Magni Camerlingi Regni. Fuit itaque hic XXII. ejus Urbis Comes.

Recuperato autem ab *Arragonenſibus* Regno, Rex *Fredericus* Comitem Urbis creavit XXIII. *Jacobum Griſonem*.

Frederico autem ipſo ejecto a Rege, tam Galliæ, *Ludovico* XII. quam *Ferdinando Catholico*, Rege *Arragoniæ*, manente ſolo domino *Ferdinando Catholico*, rediit Comitatus ad *Raimundum di Cardona*, & *Iſabellam Richeſens*, priſtinos Comites *Avellini*.

Sed, quum Rex Catholicus Oppida quædam, quæ erant *Alfonſi Sanſeverini*, dediſſet D. *Antonio*, & D. *Joanni Cardonis* fratribus, quæ poſtea idem Rex cogebatur reſtituere *Sanſeverino*, permutatis invicem Statibus, pro iisdem Nobilibus iſtis Fratribus *Cardonis* Comitatum *Avellini* dedit, emtum a *Raimundo* Comite ejusque Uxore *Iſabella*.

D. *Antonius di Cardona*, *Padulæ* Marchio, & Comes XXIV. *Avellini*, uxorem habuit ex domo *Villamarina*, filiam Comitis *Capacii*, ex quibus, quæ illi ſucceſſit in Statibus ſuis, filia nata eſt *Maria*.

Maria hæc, Comitiſſa *Avellini* XXV. atque *Padulæ* Marchioniſſa, bis nupta fuit; prima quidem vice D. *Artalo di Cordona*, cognato ſuo, ſecunda autem vice *Franciſco d'Eſte*, filio Ducis *Ferrariæ*, quum autem ſine prole obiiſſet, revolutus ad Regiam Poteſtatem eſt Comitatus.

Marinus Caracciolus Roſſus, Dux *Tripaldæ*, & Comes *Galerati* & *Torellæ*, anno MDLXXX. a Camera Regia emtione ſibi comparavit Civitatem *Avellini*, atque dein primus ejusdem Princeps exſtitit. Uxorem habuit *Chryſoſtomam Carrafam*, filiam Ducis *Andri*, ex qua multam prolem ſuſcepit, & inter alios

Camillum, Principum II. ſucceſſorem patri in 99
omnibus ſuis Statibus, qui etiam Magnus Regni factus fuit Cancellarius, & Eques Velleris Aurei. Tres habuit uxores; primam, *Robertam Carrafam*, filiam Ducis *Mataloni*; ſecundam, *Beatricem Urſinam*, filiam Comitis *Muri*; tertiam, D. *Dorotheam Aquavivam Arragoniam*, filiam Ducis *Atri*, ex qua multos filios genuit, mortuusque in *Lombardia* eſt, erat enim Dux Generalis Equitatus *Neapolitani*, totumque regebat Regni exercitum.

Succeſſit illi ex *Roberta Carrafa* genitus filius *Marinus*, III. *Avellini* Princeps, Dux itidem *Tripaldæ*, Marchio *Sanſeverini*, Comes *Galerati* & *Torellæ*, Dominus Status *Serini*, & Baro *Caprigliæ* & *Lancuſæ*, Magnus Cancellarius Regni, & Eques Velleris Aurei, Dux præterea Militiæ. Uxores habuit duas, primam quidem *Leſam Aldobrandinam*, neptem Summi Pontificis *Clementis* VIII. & ſororem *Margaritæ*, Ducis *Parmæ* & *Placentiæ*, ex qua, quum aliquot liberos genuiſſet, eosdem tenera adhuc ætate una cum matre amiſit. Poſt hujus mortem ad thalamum ſuum tranſtulit Dominam *Franciſcam d'Avolos Arragoniam*, filiam Marchionis *Piſcaræ* & *Vaſti*, ex qua genuit *Carolum Camillum*, Ducem *Tripaldæ*, filium ſuum natu maximum.

Magno cum ſplendore vixit hic Princeps, quod non modo demonſtravit magnifico comitatu ſuo aulico, quem circa ſeſe habuit, verum etiam magnificentia & liberalitate, qua uſus eſt erga viros benemeritos. Ampliavit hic de novo Civitatem hanc, atque multis ædificiis, & publicis, & privatis exornavit, præcipue vero Suburbia ipſi incluſit, exſtructis Portis magnificentiſſimis, alterâ, a parte iſta, qua itur *Neapolim* verſus, alterâ, verſus viam, quæ ducit in *Apuliam*. In hiſce Portis ſequentes cernuntur Inſcriptiones. In Porta verſus *Neapolim*:

100 MARINVS CARACCIOLVS
ABELLINI PRINCEPS III.
EXPLICATIS LATE MANIBVS
INCLITVSQVE SVBVRBIIS
VRBEM LAXIVS
CIVES TVTIVS
ADVENAS LAETIVS
OMNES HABVIT MVNIFICENTIVS
ANNO SALVTIS MDCXX.

In Porta versus *Apuliam*:

MARINVS CARACCIOLVS ABELLINI PRINCEPS III.
FRVGI LIBERALITATE, DOMICILIA DE SVO STRVIT
VIRGINIBVS IN DOTEM DVIT
VRBEM AMPLAT CIVEM DVPLAT
CASCVM, ET RECENS, PORTIS MORISQVE CLATHRAT
SIBI FOENERATVS, AC SVIS
TVM VOS A POSTERIS
AVGERE LARGITATE DITIONEM.
ANNO DOMINI M. DC. XX.

Inclytam idem Civitatem effecit, additis illi atque adlectis multis Nobilibus viris; jam enim in desuetudinem venerat, ut a plebe Nobilitas distingueretur, quod quidem olim fieri fuit solitum *Romanorum* temporibus in hac ipsa Civitate; prout discimus, non tantum ex *Vita S. Hippolyti*, verum etiam ex relatis superius Marmoribus, in quibus fit mentio Ordinis Senatorii, qui ista ætate nihil aliud denotabat, quam Ordinem Nobilium; quo respectu temporibus etiam longe posterioribus adhuc accipiebatur, sicut patere potest ex Instrumento quodam Publico *Jo. Jacobi Gaudii*, ubi idem ordo observatur. In Congregatione enim quadam, seu Parlamento, quod coactum est anno MDXLVIII. die decimo sexto Decembris, Publica illa Congregatio, pro more solito, habita fuit in Episcopali Urbis Domo, ubi non tantum adfuerunt Syndicus & Electi, aliique Urbis deputati, verum etiam, prout ipsa sunt verba, *& alii Magnifici & Nobiles Cives dictæ Civitatis.*

Sunt & etiamnum ibidem Familiæ seu Gentes quædam Splendidæ & Nobiles, inter quas memoratur illa *Arminii* in Scriptura quadam, facta anno MCCLVIII. in qua legitur, *Blasium d'Arminio & Monforte* hæredem reliquisse uxorem suam *Constantiam dell' Aquila*, ista conditione, ut duos Colles divenderet, quos in Urbe *Avellino* possidebat, pro ædificanda ejusdem Civitatis Ecclesia Cathedrali. Ex qua quidem Scriptura non tantum Familiæ ejus antiquitas, utpote quæ celebris jam fuerit ante annos trecentos & sexaginta, cognoscitur, verum etiam magnitudo ejus, seu potentia, atque pietas; imo, quod insuper *Blasius* iste non tantum *Arminius* fuerit dictus, verum etiam *Montisfortis*; quum-
101 que Familia *Arminia* pro insigni habeat Mustelam albam (*Armellino*) credere æquum est, vel per cognationem, vel per concessionem a *Montisfortibus* cognomen illud obtinuisse, ut & insigne. *Bertagnæ* enim Duces, qui ex Regia apud *Gallos* sunt Prosapia, *Montisfortes* vocantur, atque in clypeis suis pro insigni caudam Armelini, seu Mustelæ albæ habent, prout & *Montisfortes*, qui in hoc consederunt Regno, præter Leonis insigne, in parvo clypeo caudam quoque Mustelæ istius habent, ut ita ostendant descendere sese a dictis Ducibus, pariter Mustelam albam pro insigni habentibus, condideruntque Ordinem Militarem, prout scribit *Andreas Favia* in *Theatro Honoris & Equitum.* Sive vero illud ex parentela venerit, sive ex concessione, certum est *Blasium* istum fuisse virum magnæ potentiæ atque existimationis, utpote qui affinitatem cum domo *de Aquila* contraxerit; quæ quidem Familia, prout dictum est superius, ante ipsos *Montisfortes* Dominium Civitatis obtinuit, qui quidem, cum Comite *Simone Montisforte*, de quo pariter

A actum est, una in Urbem *Avellinum* venerunt. In *Registro Caroli* I. ad *annum* MCCLXXI. *Litera D. pag.* 53. honorata quoque est mentio *Joannis d'Arminio*, eodemque loco, in Fasciculo signato *Num.* XLV. 8. *primo*, anno MCCLXXXII. *Dominicus d'Arminio* inter alios nominatur Nobiles, quorum mentio fit in Inquisitione, facta, jussu Regis *Godefridi di Sommesor*, in omnes Barones Feudatarios, & Nobiles Regni. Aliquanto inferius sub *Carolo* II. in *Registro*, signato *anno* MCCXCI. *litera* A. *a. tergo*, *pag.* 66. legitur, quomodo *Joannes de Arminio* Castellanus fuerit B Castelli *Capuana* dicti, ut & ejus, quod S. *Salvator ad Mare* dicebatur, nunc vero vocatur *dell' Ovo*. In *Registro* Regis *Roberti*, signato *anno* MCCXXVI. & MCCXXVII. *sine litera*, *pag.* 112. legimus *Petrum d'Arminio*, *Avellinensem*, militem, annumerari inter Barones & Feudatarios Provinciæ *Principatus Ultra*, & in *Registro Caroli* III. signato *anno* MCCCXXVI. & MCCCXXVII. *litera* B. *pag.* 87. *a tergo*, cum honore nominantur *Nicolaus d'Arminio*, & *Jacobus d'Arminio*; *Avellinenses*, atque hic quidem a Rege *Ladislao* vocatur *Nobilis*, atque designatur Commissarius pro exigendo novo tributo, quod imposi- C tum erat frumento in Urbe *Salerno*, ad armandas triremes Regias, prout apparet ex Registro ejusdem Regis, signato anno MCCCXC. *lit.* B. *pag.* 75. *Nicolai* quoque *Arminii*, seu d'*Arminio*, 102
Canonici Episcopi *Avellini* superest Memoria in Instrumento quodam, facto *anno* MCCCXCIV. *Martinellus* etiam *Arminius*, ab eodem Rege *Ladislao* factus fuit Capitaneus Baroniæ *di Toco*, ut patet ex *Registro*, *anno* MCCCC. *lit.* A. *pag.* 75. Anno MCCCCXLII. Rex *Alfonsus* misit *Franciscum Arminium*, *Avellinensem*, propter negotia sua, *Romam*, Rex autem *Ferdinandus* anno MCCCCXCII. pensionem annuam (*di* 10. *onze*) D dedisse legitur *Joanni Arminio*, *Avellinensi*, Castellano Castelli *Cajetæ*, pro fideli ejusdem opera. Hunc eundem uxorem habuisse suspicor ex Domo *Dura*, *Neapolitana*, filiosque ejusdem fuisse *Antonium*, seu *Antonatium*, & *Joannem*, Archidiaconum & Vicarium Generalem Episcopatus *Avellini* anno MDXXIX. *Antonatii* autem Memoria exstat ad annum MDXXVII. fuitque pater *Colangeli*, cui D. *Maria di Cardona*, Marchionissa *Padulæ*, & *Avellini* Comitissa, pro fideli servitio (fuerat enim ejusdem puer pedissequus) per Privilegium quoddam, concessum die XVIII. Au- E gusti, anno MDXXXVII. in singulos annos centum dedit ducatos, consignatos in molinam quandam *della Ferrera* dictam; in hoc Privilegio dictus ille *Colangelus* (*Col' Angelo*) vocatur Miles, atque eadem donatio postea confirmata fuit ab Imperatore *Carolo* V. die XX. Junii, anno MDXXXVIII. Idem *Colangelus*, seu *Colus Angelus*, plus semel Dux copiarum *Italicarum* pedestrium fuit, sub eodem Imperatore *Carolo* V. cumque uxorem duxisset *Victoriam Spataforam*, multos progenuit filios, & inter alios *Marcum Antonium*, qui Quæstor supremus atque præfectus fuit ærario Regiæ Aulæ, ad percipiendos annuos proventus F ex *Avellini* Comitatu. Uxor ejusdem fuit *Sylvia Baiano*, Matrona Nobilis Neapolitana ex Sede *Montaniæ* (*di Seggio di Montagna*) ex qua progenuit Doctorem *Andream*, aliosque filios, qui quidem, sicut omnes ejusdem Familiæ, splendidi, pro more Nobilium, vixerunt; quidam vero illorum ad Studia Humaniora sese applicuerunt, factique sunt Doctores Legum; alii Sacris addicti, Canonici facti sunt Cathedralis ejusdem Urbis; reliqui ad belli sese munera vertentes, in bellis *Lombardiæ* atque *Flandriæ*, singulari virtute eminuerunt. *Horatius*, *Marci Antonii* frater, milita-

vit sub Duce *Urbini*, inque ejus cohortem allectus fuit, quo tempore gradus iste non dabatur, nisi spectatæ virtutis hominibus; Uxores habuit, *Galeranam di Vivo*, filiam Doctoris *Antonii di Vivo*, ut & *Hippolitam Rugeriam*, *Beneventanam*, filiam Baronis *Ginestræ*, ex qua progenuit Doctorem *Joannem Hieronymum*, aliosque filios. *Cæsar* in cohorte patris miles fuit, duxitque postea *Juliam Offieriam*, filiam *Scipionis Offierii*, Baronis *Tortorellæ*, ex *Beatrice Cotella* autem, filiam Ba-
103 ronis *di Paò* genuit *Franciscum* Presbyterum atque Canonicum Episcopatus *Avellini*, præterea *Thomam*, atque *Augustinum*, qui quum puer pedissequus fuisset Principis *Marini*, factus est Baro *dell' Acqua della Mela*, & denique *Ayellum*, Cubicularium ejusdem Principis & Ministrum Primarium, quod idem ante pater ejus atque avus habuerant officium. Uxorem duxit *Beatricem de Ruggiero*, ex Nobilitate *Salernitana*, filiam *Lucii de Ruggiero*, seu *Rogerii*, & D. *Isabellæ di Castro Sandoval*, ex familia Marchionum *Deniæ*, nunc Ducum *Lermæ*.

Est & ibidem Gens *Balzarana*, quæ primam suam habet originem ex antiqua & illustri Urbe *Sarno*, patriam *Mariani* istius *Abignenti*, nobilissimi Equitis, qui armata manu gloriam *Italiæ* contra potentissimas Mundi Nationes est tutatus, quæ quum primæ esse gestirent, ab eodem superatæ sunt, &, invitæ licet, confiteri necesse habuerunt, *Italiam* Regionum omnium esse Reginam.

Urbs illa *Sarno*, ut olim, ita & hodie ab antiquissimis usque temporibus Nobilitatem suam distinctam a plebe habet, unde anno Domini MCCCCXII. lites exortæ sunt inter Urbis istius Nobiles & Syndicum Plebis, occasione immunitatis cujusdam; & anno MCCCCLIX. Civitas illa creavit quinque Electos ex Nobilibus, & totidem ex plebe, ad præstandum fidelitatis jusjurandum *Raimundo Ursino*, Principi *Salerni*, ejusque Urbis Domino.

Familia vero, seu Gens *Balzarana*, Nobilitatem suam hodieque vindicat ab usque temporibus *Caroli* I. Regis *Neapolis*, in *Registro* enim istius Regis, Signato anno MCCLXXVIII. *lit.* D. *pag.* 2. *a tergo*, nominatur *Jacobus Balzaranus*, Miles, Dominus *Stiglianæ* in *Basilicata*, pater *Pitaniæ*, uxoris Militis *Roberti Altriciæ*.

In Registro *Caroli* II. Signato *anno* MCCLXXXIX *lit.* A. *pag.* 54. *Adenulfus Balzaranus*, frater *Matthæi*, Baronis *Capursi*, memoratur a Rege constitutus tutor & nutritor filiæ hereditariæ ejusdem *Matthæi*; & in ejusdem Regis Registro, signato anno MCCLXXIX. *lit.* A. *pag.* 224. & 225. rursus ejusdem *Adenulfi Balzarani* exstat memoria, ut & *Matthæi* ejus filiæ Nutritoris, qui feuda quædam possidebat in Terra *di Bari*.

Possedit idem *Adinulfus* feuda aliquot in *Sarno*, & in specie territoria quædam in loco, dicto *Acqua Manca*, ut patet ex *Registro* eodem *anno* MCCXCV. *lit.* B. *pag.* 35.

Temporibus dein Regis *Roberti*, inter milites & Capitaneos illorum, quos superius nominavimus atque in ejus Regis servitio recensuimus, mentio fit *Petri Balzarani*, *anno* MCCCXXXVIII. *lit.* B. *pag.* 319. *a tergo*.

104 *Cubella Balzarana* possedit feuda aliquot in *Sarno*, de quibus litem exercuit cum Comite ejusdem loci, tempore Regis *Ladislai*, ut patet ex *Regist.* *anno* MCCCXCVIII. *sine lit. pag.* 224.

Pater autem ejusdem *Cubellæ* nomine *Robertus* agnoscitur tempore Regis ejusdem, ut qui possederit modo memoratas possessiones in *Sarno*, in *Reg.* anno MCCCC. *lit.* B. *pag.* 115.

In Privilegio quodam concesso ultimo Februarii *Nolæ*, anno MCCCCLVIII. *Raimundus Ur-*
A *sinus*, Princeps *Salerni*, & Comes *Nolæ*, agens de *Rudino Balzarano*, appellat (quæ ipsa sunt verba) *Nobilem virum Rudinum Balzaranum de Civitate nostra Sarni, generalem liberatorem nostri hospitii.*

Carmosina Cardoina Nobilis *Neapolitana*, ex Sede *Nidi* (*del Seggio di Nido*) uxor fuit *Rainaldi Balzarani*, postque mortem ejus dotem suam sibi securam devinxit super feudum *Balzaranum* dictum, quod erat *Sarni*, prout apparet ex Privilegio dato a Rege *Ferdinando*, die VIII. Octobris anno MCCCCLXXXIV. in quo Privilegio dictus Rex *Rainaldum* appellat *Nobilem virum*.

B Ut autem transeam Illustres multas alias affinitates cum variis ex *Neapolitana* Nobilitate, fuit ex eadem Familia anno MDXXXVII. *Cæsar*, filius *Vespasiani* & *Sylviæ Villanæ*, sororis *Francisci Antonii*, Cancellariæ Rectoris. Uxorem hic *Cæsar* habuit *Aureliam Comitem*, ex Nobilitate *Salernitana*, filium autem *Vespasianum*, maritum *Hieronymæ Balzarani*, ex qua *Cæsarem* Juniorem genuit, quæ uxore ducta *Constantia Pinto*, ex Nobilitate *Salernitana*, multos filios genuit, & inter illos *Hectorem*, maritum *Martiæ Villanæ*, ex Nobilitate *Sanseverina*, ut & *Joannem*, qui quum
C prius puer pedissequus fuisset, & dein Nobilis Cameræ Principis *Marini*, Baro tandem factus est *Bellizzi*, atque sedem in Urbe *Avellino* fixit, ibique inter cives Nobilesque est adscitus.

Ex eadem familia ante annos non multos obiit sine prole *Franciscus Maria*, Baro *delli Fici*, quod feudum longo tempore in istius Familiæ possessione fuit; erat autem patruus dicti *Joannis*, atque duas duxerat uxores, primam *Lucretiam Rogeriam*, Nobilem *Salernitanam*, secundam *Villanam*, Nobilem *Sanseverinam*.

Familiam d'*Offieri* quidam eandem credunt cum *Offieris* illis, qui antea quidem *Ravelli*, dein ve-
D ro etiam *Neapoli* in Sede *Nidi* (*Seggio di Nido*) 105
Nobilitatem suam habebant, ratio autem cur credant hoc, est, quod *Offieri*, qui ex *Avellino* sunt, eadem habeant Insignia, quæ habent illi ex *Neapoli* & *Ravello*; Alii vero, & præsertim Pater D. *Octavius de Luteis*, in quodam suo Tractatu MS. Domum hanc descendere credunt a quodam *Dauferio Basaforte*, *Beneventano*, qui, quum ejusdem Urbis Judex esset & Nobilis, anno MCXXVIII. una cum *Guilelmo* Gubernatore *Beneventi*, *Spontone*, *Spitameta*, *Joanne Grislitio*, *Transone*, *Laurentio*, & *Ludovico* Medico, quum pro Pontifice custodirent *Beneventum*, egerunt cum Rege *Rogerio*,
E de tradenda illi Urbe; verum detecta proditione, oppidani concursu ad domum *Junii* (*Giugno*) facto, ipsum fuga in Ecclesiam elapsum ibidem occiderunt, atque fune per pedem trajecto per plateas cadaver ejus traxerunt; dilapsi inde ad ædes reliquorum, qui sibi jam fuga consuluerant, easdem diruerunt, vineasque illorum exsciderunt. In eo tumultu *Dauferius* ad Regem sese *Rogerium* contulit, qui ipsum largiter est remuneratus, atque ubi *Avellinum* sese retulisset, ejusdem Civitatis custodia illi a Rege commissa est. Ex hujus posteritate, quæ ibidem remansit,
F existimant initium sumsisse Familiam *Offierorum*.

Pater *Ciacconius* in Vita Papæ *Calixti* II. anno MCXXII. inter Cardinales ab isto Pontifice creatos ponit *Joannem Dauferium*, in Clypeo autem ejus eadem observantur Insignia, quibus nunc utuntur *Offieri Avellinenses*, quæque plane eadem sunt cum illis *Neapolitanorum*, atque *Ravellinensium Offierorum*; unde facile inducor, ut credam & nostros *Offieros*, & illos, utpote eadem habentes Insignia, ex eadem Gente descendere, atque omnes adeo eandem habere originem. Facile enim fieri potuit, ut Cardinalis ille *Joannes* arcta cognatione jun-

junctus fuerit *Dauferio* isti, & quoniam insuper *Ciacconius* Cardinalem *Joannem* appellat *Salernitanum*, probabiliter conjicitur aliquem ex Familia ista domum suam *Benevento* transtulisse *Salernum*, & rursus *Salerno Ravellum*, dein vero *Neapolim*; ut ita omnes pariter a *Beneventanis* sint derivandi, &, per consequens, a *Longobardis*; tanto magis, quoniam ista ætate utraque Civitas *Longobardis* Principibus parebat, & ab illa Gente habitabatur. Verum, ut finam illos *Neapolitanos* atque *Ravellenses*, dico tantum, in Civitate *Avel-*
106 *lino* multæ semper existimationis fuisse hosce *Offieros*, magnasque possedisse divitias, fortunæ muneribus valde beatos; quod sane patet ex eorundem Palatiis atque aliis operibus in hac Urbe exstructis.

Ex hac stirpe vixit anno MDXVIII. *Joannes Franciscus*, Doctor Legum, & Auditor Generalis Statuum D. *Mariæ di Cardonæ*, Marchionissæ *Padulæ*, & Comitissæ *Avellini*, a qua Domina multa obtinuit beneficia & dona, pro navata fideliter opera sua, prout apparet ex Privilegiis dictorum Concessionum, quæ illis rata habita sunt ab ejusdem Successoribus.

Joannes, Thesaurarius fuit & Quæstor Status ejusdem Marchionissæ, *Scipio* autem, filius *Joannis Francisci*, & *Franciscinæ Casalis*, pariter Doctor Legum fuit, & Baro *Tortorellæ*, in *Basilicata*; uxorem autem habuit *Beatricem Cotellam*, filiam Baronis *di Fao*, genuitque ex illa *Julium Cæsarem*, Baronem pariter *Tortorellæ*; ut & *Heracium*, Doctorem Legum, Archidiaconum Cathedralis ejusdem Urbis, Vicarium Generalem Episcopi, & Protonotarium Apostolicum; *Marcum Antonium* item, patrem *Joannis*, qui adhucdum vivit.

Fabius filius *Offieri* & *Beatricis Miraballæ* Nobilis *Neapolitanæ*, nepos est *Vincentii* & *Floribellæ Galeotæ*, Nobilis pariter *Neapolitanæ*, & adhucdum superstes, Baro est S. *Eustachii*, atque vivit vere nobiliter, sicuti quicunque ad istam Familiam pertinent.

Familia *Riccarda* antiquitatem suam commonstrat in Scriptura quadam, quæ conservatur in Archivio Regio, in *Registro* Regis *Caroli* I. signato MCCLXIX. lit. S. pag. 47. *a tergo*. In qua Rex Principatus & terræ *Beneventanæ* Justitiarium jubet, ut aliquam pecuniæ summam restituat, quam signari fecerat Universitas *Avellini*, & privati quidam cives ejusdem Urbis, inter quos nominatur *Jacobus Riccardus*. Hos autem istis temporibus viros potentes fuisse, divites, atque Urbis Principes, apparere potest ex Scriptura ejusdem *Registri*, signata MCCLXIX. *lit.* S. *pag.* 43. in qua idem Rex *Nicolao Buccelli* mandat, ut pecuniam istam non exigat a pauperibus & plebe, verum a ditioribus tantum atque potentioribus, ut & voluntariis.

107 Vixit hisce temporibus ex ista Familia *Joannes Cola*, pater *Joannis Andreæ*, Doctoris Legum, & Advocati primarii, qui Baro factus *Corsani*, ut & *Cerciæ Picciolæ*, filios habet *Josephum*, *Carolum*, *Martium* & *Claudium*.

Josephus pariter Baro fuit *Corsani*, uxoremque habuit *Lauram della Gatta*, Nobilem *Neapolitanam*, ex Sede *Nidi*, ex qua liberos tulit, *Joannem Andream* Juniorem, & *Fulvium*, qui hodie adhuc supersunt. *Joannes Andreas* autem pariter Baro *Corsani* fuit, uxoremque duxit Dominam quandam ex Familia *Carafa*. Ex reliquis *Jo. Andreæ*, Senioris filiis, *Carolus* Doctor fuit, multæ vir existimationis atque famæ, mortuus autem est non contracto matrimonio; *Martius* vero *Romæ* uxorem ex Domo *Maximorum* duxit. *Claudius* hodie *Teatini* adhuc vivit, seseque *Vincentium* appellari finit, in Religione sua multum æstimatus. Ex eadem domo ante paucos annos mortuus est Doctor *Bartholomæus*, cujus frater *Nicolaus Antonius*, itidem Doctor, Archidiaconus est Cathedralis ejusdem Urbis, descendunt vero ex *Marino*, *Modestini*, qui pater *Joannis Colæ* fuit, fratre, cujusque filius fuit *Joannes Andreas* Senior, Baro *Corsani*; memorati autem Doctoris *Bartholomæi* filius est Doctor *Modestinus*, qui etiamnum vivit.

Gens *Miraballa* agnoscit Nobilitatem suam *Neapoli* in Sede *Portæ Novæ* & *Montanæ*, estque hodie præclaris multis Titulis exornata, leguntur-que permulti ex ista Gente, in *Registris Regiis*, qui a Regibus nacti sint Provinciarum Gubernationes, Donationes, Privilegia, atque Concessiones Urbium & Castellorum.

Ex hac Gente fuit *Joannes*, Dominus *Gragnani* aliorumque Castellorum, valde charus Regi *Arragonensi Alfonso* I. Gentem suam hic non modo divitiis exornavit, sicut etiam Dominio multorum feudorum atque Oppidorum; verum beatus etiam prole sua fuit, qui honoratas atque opulentas nuptias atque affinitates nacti sunt; uxores enim habuerunt ex Nobilissimis Familiis *Neapolitanis*, unde & nepotes ejusdem gaudent Sede *Portæ Novæ*; *Joannes* autem tertius ejus filius, uxorem sibi adscivit D. *Claricem Cicinellam*, Nobilem ex Sede *Montanæ* (*di Montagna*) unde & ab Equitibus iis in locis in Nobilitatem suam est adscitus.

Dicti *Joannis* Majoris filius fuit *Salvator*, qui multos habuit filios, atque ex cujus progenie tres fratres prodierunt, scilicet Frater *Robertus*, Eques *Melitensis*, & Commendator *Terlizzi*, *Galeottus*, qui prolem non reliquit, & *Carolus*, qui uxorem duxit *Florianam Mercadantem*, ex qua genuit *Jo. Baptistam* & *Vincentium*. Uxorem autem *Jo. Baptista* duxit *Laudoniam* d'*Alexandro*, Nobilem ex Sede *di Porto*, ex qua quatuor habuit filios, & inter illos *Carolum Antonium*. Hic *Jo. Baptista* receptus est in Sedem *Portæ Novæ*, ejusque honores, ut sobolis *Joannis* Majoris, prout apparere potest ex Albo seu Catalogo confecto atque subnotato ab omnibus Equitibus seu Nobilibus ejus loci, qui adhucdum supersunt die XV. Junii, anno MDXXVIII.

Carolus Antonius, inops Nobilis, obsequium 108
suum Cardinali *Ursino* præstitit, qui habitabat *Solofræ*, Oppido patris sui Ducis *Gravinæ*, quum autem locus iste non longe abesset *Avellino*, opimas ista occasione nuptias est nactus, atque ita in Civitatem hanc transtulit ramum Gentis Nobilissimæ *Miraballæ*, ex qua hodieque vivit *Flaminius*, filius *Caroli Antonii*, qui quum litem haberet cum Fisco Regio & Quæstore census *Neapolitani* (*Parrenditore della Doana di Napoli*) supra immunitatem, quam ipse sibi ut *Neapolitanus* vindicabat, victor exstitit, quum Commissarius in causa esset *Jo. Dominicus Brancaleone*, Præses Cameræ, ad diem Junii VI. anno MDLXXIX. inveniuntur autem inter alia ejus Decreti hæc etiam verba. *In causa Magnifici Caroli Antonii Miraballi, Nobilis de Sedili Portanovæ, cum Regio Fisco* &c. & paullo inferius: *tanquam Originarius Neapolitanus, & filius quondam Magnifici Joannis Baptistæ Miraballi, qui erat ortus Neapolis.* &c.

Miraballi iidem ex *Avellino* possederunt Capellam quandam *Neapoli*, in Ecclesia S. *Petri ad Aram*, quæ postea ab iisdem vendita est, prout apparet ex Instrumento Notarii *Alfonsi di Rosa*, ad XIV. Septemb. MDXXXIV.

Spatoferæ pariter ex antiqua ejusdem Urbis Nobilitate sunt, divitiis opulenti, & nobilibus affinitatibus decori. *Petrus* enim *Antonius* uxorem duxit *Covellam Santtomanniam*, Nobilem *Salernitanam*;

tanam; ficut *Marcus*, Doctor Legum, *Antoniam d'Ayello*, pariter ex Nobilitate *Salernitana*; filiusque ejus *Joannes Hieronymus* uxorem habuit *Juliam Narniam*, ex quibus natus eft *Marcus* Junior, qui adhucdum vivit.

Propter hanc ejus Gentes Nobilitatem, aliasque rationes fuperius allatas, vifum eft Principi *Marino*, anno MDCXIX. rurfus conftituere, ut feparatim a plebe Nobilitas pro antiquo more viveret, ideoque potentioribus quibusdam civibus indicavit, ut omnibus id modis procurarent, deditque poftea curam ejus rei Doctori *Andreæ Matthæo Cacciatori*, Comiti Palatino, & Equiti *Aurato*, Auditori fuo Generali.

Atque ab Auditore ifto Scripturæ recognitæ funt, curavitque idem, ut die XVI. Menfis Ma-
109 ji ejusdem anni executioni mandaretur illa feparatio feu diftinctio, atque, ficut priftinis fuit factum temporibus, ita & ex illo tempore fieret; quod decretum poftea confirmatum fuit a Regio Confilio III. die Julii ejusdem anni, & die XXVII. ejusdem menfis cautiones fuerunt defcriptæ a Confiliario *Jo. Andreæ di Georgio*, Commiffario in illo negotio, quæ obfervari debent in eligendis ejusdem Officialibus & Magiftratibus; atque exin ab ifto anno vetus ille mos eft renovatus in hac Urbe.

C. d'Engenio.

Nobiles autem Familiæ, quæque ad illas earumque privilegia poft divifionem iftam pertinent, hæ funt fequentes:

Arminio.	*Miraballi.*
Angelis, ab Equite *Modeftino.*	*Morra.*
Balzarani.	*Minaldi.*
Felice, a Doctore *Hieronymo.*	*Offieri.*
Giordani.	*Paulella*, a Doctore *Scipione.*
Imbimbo, a Doctore *Francifco.*	*Riccardi.*
	Spatafora.
	Vivo, a Doctore *Nicolao.*

---

110 HENRICI BACCI
111 *Alemanni*,

BREVIS DESCRIPTIO

BASILICATAE,

QUARTÆ PROVINCIÆ REGNI NEAPOLITANI;

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Caftellorum, quæ ibidem inveniuntur, ut & cum enumeratione Familiarum, quæ in fingulis, fecundum novam hanc computationem inveniuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum, atque Camerarum Refervatarum, quæ ibidem funt.

Accedit Tributum, feu Impofitio, quam pendent Aulæ Regiæ.

Correcta & aucta per CAESAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

PRovincia *di Bafilicata* antiquitus *Lucania* dicta, a præcipua fui parte objacet *Principatui Ultra*, ad Aquilonem vero & Corum verfus conjungitur Terræ *di Bari*, ut & *Otranti*, & ab Oriente pariter atque Occidente, ab Africo cum *Principatu Citra*, marique *Tarenti* feu *Ionio.*

Pro Infigni habet dimidiatam aquilam coronatam, fulvi coloris feu clari, cum triplici inferius unda coloris cœrulei, reliquus campus eft aureus. Nihil aliud defignat Infigne hoc præter victoriam, quam obtinuerunt *Lucani* contra *Græcos*, quos univerfa regione fua ejecerunt; ita, ut ipfe *Imperatoris Conftantinopolitani* Dux, fugiens, una cum aliis Ducibus, in Flumine *Brandano* fit fubmerfus.

Sunt in hac Provincia celebres duo Fluvii, *Vafentus* & *Arfivus*, cum tribus Lacubus, *Amfanto*, *Vignola*, & *Perito*. Complectitur Civitates undecim; ex quibus *Accrenza*, quondam Archiepifcopalis, nunc unita eft cum Archiepifcopatu *Materæ*, in Provincia Terræ d'*Otranto*. Epifcopales hæ funt: *Lavello*, *Muro*, *Melfi*, *Montepelofo*, *Potenza*, *Rapolla*, *Tricarico*, *Turfi*, funt autem vici & Caftella feu Oppida XCVII. in totum CCVIII. præter duas alias deftructas, quæ *Mofpa* & *Pefti* dicuntur.

Ubi hoc invenitur fignum, funt Cameræ refervatæ. 112

Olim		Nunc.
	A.	
182	*Accettura*	301
382	*Acerenza*	300
317	† *Anfe*	517
338	*Albano*	480
71	*Aliamello*	271
324	*Aliano*	42
448	† *Armento*	316
601	*Atella*	573
218	† *Avigliano*	438
	B.	
254	† *Baglio*	328
92	*Baraggiano*	207
1	*Barrile*	98
299	*Bella*	275
284	† *Bernauda*, feu *Camerada*	668
	C.	
15	*Calvario*	25
60	*Cavicello*	84
216	† *Cancellara*	386
339	*Carboni*	292
113	*Caftello di grandine*	162
91	*Caftello mezzano*	126
437	*Caftello Saracino*	880
334	† *Caftelluzzo*	356
195	*Caftronovo*	184
200	*Calciano*	179
175	† *Garigliano*	178
216	*Claramonte*	207
470	*Colombraro*	583
157	† *Cornito*	225
188	*Craco*	465
20	*Cafalnovo*	45
12	*Caftrocucco*	12
	E.	
205	† *Epifcopia*	247
	F.	
100	*Favale*	69
686	*Ferrandina*	1028
600	† *Forenza*	717
116	*Francavilla*	186
	G.	
40	*Galluccio*	98
34	*Garagufo*	50
319	*Genzano*	360
163	*Gorgoglione*	155
124	*Graffano*	176
517	† *Grottola*	645
122	*Guardia*	182
	L.	
516	*Lagonigro*, feu *Lebero*	706
720	*Latitana*	272
399	*Latronico*	384
400	† *Laurenzana*	520
720	† *Lauria*	1097
574	*Laviello*	702
. .	*Lombarda Maffa*	19
	M.	
116	† *Marfico vetere*	302
77	*Maratea* fuperior	89
467	*Maratea* inferior	560
220	*Mafchitte d'Albanifi*	477
1772	† *Melfe*	2180
293	*Migliovico*	656 113
138	† *Meffaniello*	210
604	† *Montealbano*	479
251	*Moliterno*	315
55	*Montemilone*	135
566	† *Montepelufo*	911
539	*Montemuro*	318
527	*Muro*	848
846	† *Montefcagliofo*	854
	N.	
100	† *Noia*	79
	O.	
301	*Oppido*	307
59	*Oliveto*	39
	P.	
1	*Palazzo*	82
513	† *Petrapetrofa*	333
251	† *Pappafidero*	243
783	*Piftizzo*	938
150	*Petrafefa*	104
146	*Petragalla*	273
468	† *Picerno*	548
265	*Pefcopagno*	374
551	† *Pomarico*	673
1802	† *Potenza*	1179
	R.	
179	*Rapolla*	186
50	*Rapone*	75
91	*Ripacandida*	166
546	*Rivello*	649
688	*Rocca Imperiale*	348
90	*Rocca nova*	171
165	*Rotondo*	244
23	*Rotondella*	87
91	*Ruote*	102
123	† *Ruvo*	367

S.

Olim		Nunc.
	S.	
113 266	† *Salandra*	348
188	*Sant' Arcangelo*	350
146	*Santo Chirico*	249
10	*Santo Chirico casale*	29
228	*Santo Fele*	401
	Santo Costantino	58
343	† *Santo Martino*	246
340	*Santo Mauro*	408
	Santo Giorgio, alias *Mendulo*	9
198	*Sarcuni*	118
104	*Sasso*	151
177	*Spinusò*	110
477	*Sinisi*	247
390	† *Spennazzola*	516
514	† *Stigliamo*	679
	T.	
508	*Tito*	567
527	*Tolve*	385
302	*Tramutola*	603
232	*Trecchina*	264
1071	† *Tricarico*	1255
	Trivico	1000
1799	† *Tursi*	1731
	V.	
382	*Veggiano*	377
264	*Veggianello*	260
1096	*Venosa*	1055
238	*Vignola*	316

Loci extraordinarii ejus Provinciæ.

Atella familias habet	6
Armento	6
Albabo	10
Alvignano	26
114 *Anzi*	22
Acerenza	7
Baraggiano	20
Baglio	13
Barole	121
Calciano	7
Castronovo	13
Camarda, seu *Bernauda*	28
Cancellara	24
Casalnovo	20
Ferrandina	36
Forenzo	7
Gensaro	6
Grottola	4
Grassano	14
Laviello	15
Mont' Albano	5
Montescaggioso	6
Miglionico	10
Melfe	51
Montemuro	4
Maschito	33
Montemilone	44
Montepeluso	19
Oppido	6
Pomarico	28
Rasticci	5
Potenza	13
Petragalla	5
Palazzo	56
Ripacandida	14
Ruoti	12
Santo Chirico nuovo	30
Senise	5
Santo Martino	5
Sant' Arcangelo	6
Spenazzola	20
Sigliano	6
Santo Costantino	26
Trevico	27
Tricarico	26
Terranova	26
Tolve	13
Venosa	21

Nomina Urbium & Vicorum di Dimanio, *seu Dominii Regii, quæ in hac Provincia inveniuntur.*

916	*Lagonigro* familias habet	706
546	*Riviello*	651
327	*Tolve*	385
402	*Tramutola*	603

Impositio seu Tributum, quod singulæ pendunt Familiæ hujus Provinciæ Aulæ Regiæ.

Pendit Provincia hæc tantundem, quantum *Provincia di Terra di Lavoro.*

115 *Turres Speculatoriæ in eadem hac Provincia di Basilicata.*

Turris *Arcis Imperialis*, stat in suo Territorio.

Turris *Trisaiæ*, in Territorio *Tursi*, prope Flumen *Sinnum.*

Turris S. *Basilii*, stat in Territorio *di Pellicore*, prope Flumen *Sinnum.*

Turris *di Acre*, stat in Territorio *Scanzanæ.*

Turris della *Salandrella*, stat in Territorio *Bernaldæ* prope *Salandrellam.*

Turris *di Bassente*, in Territorio della *Macchia.*

Turris *Bradani* stat in Feudo S. *Basilii*, quod est in Monasterio S. *Laurentii della Padua.*

116 BREVIS NARRATIO ORIGINIS *Urbium quarundam Provinciæ hujus di Basilicata, ubi sunt Familiæ Nobiles.*

LAVELLUM.

Nihil habeo, quod dicam de hac Urbe, nisi quod sita sit prope antiquam Urbem *Venosam*, ejusque agri haud minus reliquis istius Provinciæ sint fœcundi; ornatam etiam esse Sede Episcopali; quodque aliquando fuerit sub Dominio Familiæ *Caracciolæ* ex Comitibus S. *Angeli*; nunc autem possideatur a *Tufis*, Nobilibus Civitatis *Aversæ*, nepotibus *Joannis del Tufo*, Consiliarii *Frederici* Regis *Neapolitani*, a quo propter singularia merita atque virtutem creati sunt *Marchiones.*

C. d'Engenio.

Sunt ibidem hæ Familiæ Nobiles:

Baroni	*Manna*
Barrili	*Micaeli*
Brancacci	*Palmerii*
Lupi	*Riccardi*, & alii.

TRICARICUM.

Possedit Oppidum hoc, temporibus Regis *Rogerii*, *Laurus*, filius *Roberti*, Comitis *Casertæ*, deinde *Jacobus*, *Rogerius*, atque *Hugo Sanseverinus*, postea etiam *Franciscus Sfortia*, denique Principes *Rignani*; nunc autem Civitas est Regia. Asservantur in Episcopali ejus Ecclesia Corpora S. *Potiti* Martyris, & S. *Antonii* Abbatis.

C. d'Engenio.

Familiæ Nobiles in *Tricarico* hæ sunt:

Abbati	*Hippoliti*
Ampli	*Imperatrici*
Cafarelli	*Monaci*
Campolonghi	*Putignani*
Capocci	*Ronchi*
Carregni	*Rossi*
Caetani	*Ruscelli*
Cati	*Soria*
Ferri	*Topatii*
Grilli	*Verenichi*, & alii.

VENOSA. 117

Venusia hæc Urbs a *Plinio* appellatur, & ab *Appiano* dicitur *Venusia* & *Venusium*, a Templo scilicet & cultu *Veneris* ibidem; a quo illud Templum ædificatum fuerit, nullus (quantum ego quidem scio) ex Scriptoribus commemorat; Legitur autem in Marmore quodam, quod exstat ad Portam prope Castellum, Urbem hanc quondam fuisse Rempublicam. *Paterculus* & *Livius* Coloniam quondam *Romanorum* fuisse perhibent.

Haud parum eandem illustrant multa Sanctorum Corpora, quæ in Cathedrali ejus conservantur; sunt autem Felicis, Episcopi *Africani*, *Audacti*, *Januarii*, Presbyterorum, *Fortunati* & *Septimii*, Lectorum; qui quinque pariter in persecutione illa crudelissima Imperatoris *Diocletiani* Martyrii coronam reportaverunt. Sunt præterea ibidem corpora duodecim fratrum Martyrum, prout *Galesinus* in suo testatur *Martyrologio*, aliique; *Austerii* etiam, Episcopi *Venosæ.*

Urbem hanc natalem habuit elegantissimus Poëta *Horatius.* Possessa, sub titulo Ducatus, fuit a *Sanseverinis*, & postea a *Sergianno Caracciolo*, summopere dilecto a Regina *Joanna* II. post quem dein pervenit ad *Gabrielem Ursinum*, ulterius vero ad *Pyrrhum del Balzo*, Principem *Altamuræ*, cujus hæres fuit gener suus Rex *Fredericus.*

Tandem una cum aliis Oppidis a Rege Catholico donata fuit Magno Capitaneo, a cujus hæredibus anno MCCCLXI. pervenit ad *Ludovicum Gesualdum*, Comitem *Consæ*; cujus hæredes hodieque sub Principatus titulo possident.

C. d'Engenio.

Numerantur in hac Civitate sequentes Familiæ Nobiles:

Caputi	*Ceroni*
Cappellani	*Consolmagni*

Costanzi	*Speraindeo*
Maranti	*Solimeli*
Plumbaroli	*Tardi.*
Porfidi	*Vigleni*, & alii.

118 # HENRICI BACCI

119 *Alemanni*,

BREVIS DESCRIPTIO
CALABRIÆ CITERIORIS,
QUINTÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Castellorum, quæ ibidem inveniuntur, una cum enumeratione Familiarum, quæ in singulis, secundum novam hanc computationem reperiuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum, (di Demanio) *atque Camerarum Reservatarum, quæ ibidem sunt.*

Accedit Tributum, seu Impositio, quam pendunt Aulæ Regiæ.

Correcta, atque aucta per CÆSAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

PRovincia hæc, nunc *Calabria Citerior*, olim *Bruttiorum* veniebat nomine, Incolæ enim ejusdem originem suam deducunt a *Bretio*, filio *Herculis*. Ab Aquilone fines suos jungit cum *Basilicata*, ab Oriente autem Mari alluitur *Ionio*, a Meridie vero *Calabriam Ulteriorem* tangit, ab Occidente denique Mari *Tyrrheno* circumdatur.

Insigne hujus Provinciæ est Crux nigra in Campo argenteo, quod quidem insigne ad illud refertur tempus, quo *Boëmundus Normannus*, Dux *Calabriæ*, una cum duodecim millium exercitu ad *Terræ Sanctæ* expeditionem est profectus, qui deinde quoque propter prudentiam suam Princeps constitutus est *Antiochiæ*. Quoniam vero gloriosa & nobilis hæc exstitit expeditio, non errabimus, si in hujus tam longæ & præclaræ expeditionis memoriam dicamus assumtum hoc Insigne fuisse.

Sunt in Provincia hac, in regione d'*Altomonte*, mineralia loca aurum producentia, argentum item, ferrum, atque alabastrum. Nascitur ibidem & gypsum, & crystallum; suntque ibidem maximi montes salis candidi. In *Rossani* autem regione sal item atque alabastrum invenitur, ut & in agro *Marchesitæ*; in illo autem *Longobuci*, argen-
120 tifodinæ non tantum sunt, sed & argentum vivum invenitur. In territorio autem Regionis *di Regina*, alabastrum invenitur, & sulphur, & vitrum, in territorio *di Petrafitta*, prope Flumen *Isspicam*, fodinæ sunt chalybis, plumbi, & salis; in territorio quoque Urbis *Marrorani* item chalybis; in illo autem *Cosentiæ*, prope Flumen *Jovinium*, aurifodinæ inveniuntur, ut & ferri; in loco quoque *Nacchia Germana* dicto vulgariter, auri item fodinæ, & plumbi, & sulphuris inveniuntur, atque inde parum distanti alio loco, *Miliano* dicto, salis & aluminis fodinæ sunt.

Abundat hæc Provincia serico, bombyce, saccharo, melle & croco. Est ibi amœnissima illa Sylva, quam incolæ *Silam* appellant, ubi magna copia est altissimarum pinorum, quæ magnam vim picis progenerant, picis *Græcæ* & terebinthi. Est hæc Sylva una ex maximis in tota *Italia*, ducenta enim in circuitu habet milliaria. In summa, nihil ibi desideratur, sed quasi cœlitus depluente manna, omnium rerum affluentissima est copia.

Sunt in hac Provincia Urbes decem, ex quibus *Cosentia* & *Rossanum* Archiepiscopales sunt. Urbes autem hæ reliquæ ita appellantur: *l'Amanica*, *Bisignano*, *Cariati*, *Cassano*, *Martorano*, *Strongoli*, *Santo-Marco* & *Ubriatico*. Turres præterea & Castella, circiter CLX. quæ universa faciunt numerum CLXX. præter antiquam illam celebratissimæ famæ *Pandosiam*, jam destructam.

Residet in hac Provincia, in nobilissima scilicet Civitate *Cosentia*, Audientia Regia, cum Vice-Regis, cum stipendio annuo DCCC. ducatorum, una cum tribus Auditoribus, qui stipendium ducatorum CCCC. habent, singuli quoque annuum, & Advocato atque Procuratore pauperum, Advocato item dictæ modo Audientiæ, Archivorum custode, tubicine & decem bipenniferis hastatis, Capitaneo cohortis, multisque militibus, omnibus Regiæ Aulæ stipendio instructis.

Ubi hoc invenitur Signum † sunt Cameræ Reservatæ.

Olim		Nunc.
	A.	
7	*Abbate Marco* efficit familias	5
731	*Acri*	930
45	*Acqua formosa*	51
180	*Aieta*	224
70	† *Aiello*	709
220	† *Alvidona*	152
300	*Altomonte*	368
1093	*Amantea*	606
560	† *Amendolara*	165
700	*Aprigliano*	765
15	*Argentino*	18
292	*Altilia*	281
	B.	
159	† *Bollita*	58
280	*Bellomonte*	325
437	*Belvedere* maritimum	401
24	*Belvedere*, & *Melapezza*	29
148	† *Bervicaro*	306
1447	*Bisignano*	1238
141	*Bonifati*	152
14	*Boccarizzo*	133
166	*Bucchiglieri*	274
84	*Buonvicino*	97
	C.	
155	*Calapizzati*	193
261	*Calviti*	142
346	*Casalnuovo*	342
298	† *Castiglione* maritimum	194
431	*Carolei*	418
258	† *Castellofranco*	284
20	*Castro Regio*	15
475	*Castiglione di Cosenza*	413
642	*Cassano*	789
1559	*Castrovillare*	1338
129	*Canna*	116
274	*Campana*	308
109	† *Carlati*	139
431	*Carpensano*	557
230	† *Casobuono*	200
178	*Cerisano*	283
974	*Celico*	749
92	*Cercito*	24
32	*Cervicare*	29
470	† *Cerchiano*	336
120	*Cerenza*	20
85	*Cirella*	82
640	*Citraro*	436
12	*Cinga*	15
20	*Civita*	75
1751	*Cosenza*	2509
22	*Crisma*	36
231	† *Crusia*	152
297	† *Cropolati*	210
134	*Crucoli*	236
325	† *Cuccari*	194
420	*Cumpano*, seu *Zumpano*	462 121
1175	*Curigliano*	1438
	Cuzzopanno	420
	D.	
369	*Depignano*	407
152	*Domanico*	186
232	*Donnici*	208
	F.	
70	*Falconara*	132
683	*Feglione*	624
450	*Fiumefreddo*	987
38	*Fermo*	23
17	*Forneta*	26
229	*Fuscaldo*	456
45	*Francavilla*	71
	G.	
202	*Grimaldo*	248
92	*Grisolina*	35
122	*Guardia*	247 122
	I.	
467	† *Ipsico*, alias *lo Zirò*	472
	L.	
267	*Lettarico*	236
563	*Laino*	474
294	*Laco*, & *Lachitiello*	486
300	*Lappano*	271
101	*Lungro*	160
	Gobucco	500
399	† *Luzzi*	316
	M.	
52	*Macchio d'horto*	52
296	*Malvito*, cum prædiis	208
21	*Manganluita*	16
19	*Maria*	89
400	*Mangone*, & *Santo Stefano*	459
198	*Melito*, & *Crepescito*	250
450	† *Martorano*	490
590	† *Morano*	697
153	*Montefellone*	105
225	† *Melissa*	250
331	*Mendicino*	304

347

	Olim		Nunc.
	347	*Mormando*	401
	62	*Morrassano*	55
	76	*Montespinello*	105
123	229	*Motta Santa Lucia*	363
	1137	† *Montalto*	1024
		N.	
	258	† *Nucara*	231
	321	*Nucera*	339
		O.	
	426	*Oriolo*, seu *Riolo*	513
		P.	
	578	*Paula*	812
	894	*Paterno*	836
	746	*Pedace*	858
	218	*Petrapaula*	210
	260	† *Petramala*	265
	782	*Petrafitta*	700
	57	*Policastrello*	75
	49	*Porcile*	46
	100	*Platici*	71
		R.	
	225	† *Rosito*	104
	278	† *Regina*	142
	332	*Roggiano*	229
	425	*Rovito*	502
	120	*Roccadivero*	134
	800	† *Rende*	663
	286	*Rose*	202
	2255	† *Rossano*	1844
	895	*Rogliano*	1137
	9	*Russi*	9
		S.	
	132	*Sanginito*	104
	205	*Sant' Agata*	161
	434	*Saracina*	332
	190	*Savatello*	88
	304	† *Scalea*	196
	215	*Scala*	235
	1429	*Scigliano*	1025
	28	*Scifo*	28
	35	*Serra di Lio*	38
	10	*Serano*	45
	2	*Scolfadero*	1
	304	*Spezzane grande*	415
	655	*Spezzano piccolo*	979
	108	*Santo Benedetto di Cosenza*	96

Olim		Nunc.
78	*Santo Benedetto dell' Abbadia*	71
100	*Santo Basile*	87
	Santo Percopo	49
12	*Santo Cosmo*	8
14	*Santo Lauro*	14
50	*Spezzano piccolo, casale di Terranova*	34
18	† *Santa Caterina*	29
138	*Santo Domitri*	166
139	† *Santo Donato*	179
361	*Santo Fili*	429
75	*Santo Giorgio in Corigliano*	115
22	*Santo Giorgio, & Santo Marco*	26
27	*Santo Giovanni di Fiore*	95
23	*Santo Jacopo*	23
89	*Santo Lorenzo*	148
170	*Santo Lucito*	105
21	*Santo Maurello*	38
534	*Santo Marco*	160
83	*Santo Martino*	56
56	*Santa Maria della Rota*	78
20	*Santo Nicola dell' Alto*	26
115	*Santo Pietro Albanese*	60
111	*Santo Pietro de Guarino*	104
140	*Santa Sofia casal di Bisignano*	187
28	*Santo Sosso*	38
464	*Strongoli*	178
	T.	
175	*Tarsia*	175
554	† *Turano*	179
618	*Trebisaccie*	136
203	*Tessano*	245
507	*Terranova*	374
151	*Turture*	118
	V.	
393	*Verzino*	266
130	*Umbriatico*	90
293	*Urso Marso*	325
	Z.	
467	*Zirò*, alias *Isgro*	472

Castella & Turres, quæ ad Mare in custodiam hujus Provinciæ positæ sunt.

Ad Mare *dell' Amantea* Castellum *Cosentiæ*.

Ad Mare *Tyrrhenum*.

1 Turris *del Capo di Dino.*
124
2 Turris *di Fella.*
3 Turris *di Tirone.*
4 Turris *di Santa Secla.*
5 Turris *di San Giovanni.*
6 Turris *Lombarda.*
7 Turris *di Santi Quaranta.*
8 Turris *del Suffio.*
9 Turris *de Aquanite.*
10 Turris *di S. Guanni.*
11 Turris *di Barbarise.*
12 Turris *di Coracena.*
13 Turris *di Mesa.*
14 Turris *di Rupe.*
15 Turris *della Bocca di Sanuto.*
16 Turris *di Pietra.*

In Mari Ionio 21

17 Turris *del Plano de i Monaci* 23
18 Turris *di Suplica.* 24
19 Turris *di Fiomenica.* 25
20 Turris *del Capo di Saracino.*
21 Turris *delli Magazeni.*
22 Turris *del Capo d' Alice.*
23 Turris *di Sant' Angelo.*
24 Turris *Limara.*
25 Turris *di Coscile.*

A *Nomina Civitatum & Oppidorum* di Demanio, *seu Dominii Regii, quæ in hac Provincia sunt.*

Amantea, continet familias	609	*Longobuco*	500
Cosenza seu *Cosentia*	2669	*Rossano*	1844
		Scigliano	1025

Urbs Provinciæ hujus perpetuo libera, Amantea.

Oppida, quæ per Conventionem Tributum solvunt.

Paterno. Nocera.

Impositio, seu tributum, quod singulæ familiæ hujus Provinciæ Regiæ Aulæ pendent.

Tantundem pendet, quantum Provincia di *Terra*
B *di Lavoro*, & insuper pendet pro *il Barrigello di Campagna*, grana duo cum equis decem, idque per mensem.

BREVIS DISSERTATIO 125

De Origine BENEVENTI, *Urbis Provinciæ hujus* CALABRIÆ CITERIORIS, *ubi Familiæ sunt Nobiles.*

AMANTEA.

Olim Urbs hæc dicta fuit *Nepetia*, qua de ratione *Strabo* (prout *Antiochus* adnotat) totum il-
C lum Maris Sinum, qui sese ab hac Urbe extendit usque ad Caput *Vaticani*, Mare appellat *Nepetinum.* Structa autem fuit loco alto atque in Mare imminente, ita ut Castellum ejusdem sit inexpugnabile.

Ornatur Civitas hæc Sede Episcopali, fuitque inter alios ejusdem Episcopos Beatus *Josua*, cujus corpus servatur in Ecclesia S. *Bernardini*, Ordinis *Franciscanorum*, prout legitur in *Chronico* dictæ Religionis. Cappares ibidem nascuntur, oleumque est abundantissimum.

C. d' Engenio.

Urbs autem hæc, quæ Regii est Dominii, se-
D quentes Familias Nobiles habet.

Amati	*Cioeli*
Baldacchini	*Lauro*
Cozza	*Mirabelli*
Cavallo	*Pittelia.*
Carrettelli	*Stanti*
Fava	*Sacchi*, aliasque.
Gracchi	

COSENTIA.

Cosentia, caput *Bruttiorum*, in mediis *Bruttiis* condita est, ab *Herculis* (ut volunt) filio *Bre-*
E *tio*; prout legitur apud *Dionysium Afrum*, & *Stephanum Byzantinum*; & quamvis nunc *Cosenza*, olim tamen *Consentia* dicebatur, testibus *Plinio*, *Appiano Alexandrino*, *Pomponio Mela*, *Strabone*, *Livio*, *Ptolemæo*, aliis.

Jacet Civitas hæc inter septem exiguos Colles, quibus circumdatur, verum ad Aquilonem ingenti tangitur planicie, viginti milliaria in longitudinem habente, ubi cognoscitur Vallis *di Grati*, ita dicta a Fluvio *Grate*, qui ab Orientali plaga nascitur sex milliaribus distans ab Urbe, Aquilonem vero versus per mediam interlabitur Civitatem, atque commiscetur Fluvio *Busento*, qui ab 126
F Occidentali parte Civitatis interlabitur mœnia, atque in trianguli speciem ad communionem Fluminis *Grati* pergit, ubi sepultum cadaver est famosi istius *Alarici*, Regis *Wisigothorum*, qui ibi vitam mortalem reliquit anno D. N. CCCCXII. tempore *Innocentii* I. Pontificis, & *Theodosii* Imperatoris, tam impense a *Claudiano* laudati.

Alaricus autem hic, post *Romam* direptam, ut & *Cosentiam*, hic est mortuus; Sui autem, ne ex vindicta sæviretur in ejusdem defuncti membra, clam omnibus illum sepeliverunt ad Fluvium *Busentum*, ejusque Sepulchrum infinitis thesauris ibidem reposi-

tis ditarunt, omnes autem, qui operi manum admovissent, occiderunt, ne scilicet per eosdem proderetur locus sepulturæ.

Postea temporis ætate Papæ *Joannis* XIII. atque Imperatoris *Othonis*, anno DCCCCLXXV. magna *Saracenorum* ex *Africa* venit multitudo, qui direpta Urbe, atque cremata, omnes incolas occiderunt. Oportet, ut postea ex reliquiis quibusdam suis reædificata sit, quod autem mirum est, non legitur, quis illi hoc officium præstiterit.

Fluvius, qui *Gratis* dicitur, *Latinis Crathis*, ejus est naturæ, ut, quæ in eodem capillum lavent mulieres, flavum nancifcantur, quum e contrario nigrum efficiat Flumen *Busentum*. In serico pariter id observatur, quod ex lotione sua ex altero Flumine album, ex altero fuscum egreditur.

Hinc cecinit *Ovidius* Lib. XV. *Metam.* versu 315.

Crathis & huic Sybaris nostris conterminus arvis
Electro similes faciunt auroque capillos.

Item:

Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes
Parvus ager.

Nunquam hæc Civitas Baroni seu alii cuiquam sub quocunque Titulo subjecta fuit, præterquam Regibus, qui maximis natu ex filiis suis, Regnique successoribus Titulum dabant Ducis *Calabriæ*, cujus hæc ipsa Urbs erat Metropolis atque Caput. Tempore vero, quo *Ludovicus* XII. *Galliæ* Rex, atque *Ferdinandus*, Rex *Hispaniæ*, Regni *Siculi* invicem fecerunt divisionem, *Calabria* & *Apulia* obvenit Regi Catholico, qui illarum Regionum Urbem hanc fecit Metropolim, prout narrat Dominus *Catalicius*, Episcopus *Atri* & Civitatis *di Penna*, in *Magni Capitanei Historia.* Post *Neapolim* eadem in temporali primum dignitatis locum obtinet.

Antiquissimus ejusdem est Archiepiscopatus, Tituloque *Miserationis Divinæ* ejusdem Archiepiscopus exornatur. Habet quoque Castellum munitissimum, verum sine præsidio militari, est enim intus longius a Mari.

Ager est fertilissimus omnium rerum, quæ ad vitam necessariæ sunt, ita ut hac in re nulli ex
127 *Italiæ* loco cedat; habet autem Vicos DCCCV. incolis divites, qui quidem omnes magnorum Oppidorum faciem habent, egregiamque oculis speciem exhibent, quum non amplius duodecim milliaribus ab invicem distent. Hæc autem illorum sunt nomina.

1 *Altilia*
2 *Aprigliano*
3 *Agosto sottano*
4 *Agosto soprano*
5 *Brunetta*
6 *Corte*
7 *Casignano*
8 *Cejico Sopraoise*
9 *Cerzito*
10 *Caldarizzi*
11 *Carpanzano*
12 *Castiglione di Cosenza*
13 *Caporesce*
14 *Chiane*
15 *Cellara*
16 *Cerno*
17 *Crepessito*
18 *Cava*
19 *Capitealo*
20 *Cuti*
21 *Casola*
22 *Crivati*
23 *Calvisi*
24 *Copani*
25 *Donnici soprano*
26 *Donnici sottano*
27 *Dipignano Vitiosi*
28 *Figlione*
29 *Francolise*
30 *Franconi*
31 *Franetto*
32 *Feruci*
33 *Garno*
34 *Grupa*
35 *Grimaldo*
36 *Lappano*
37 *Lupici*
38 *Lutrignano*
39 *Motta*
40 *Minnito*
41 *Motta*
42 *Moscani*
43 *Malito*
44 *Magnone*
45 *Motta*
46 *Marsi*
47 *Macchia*

A
48 *Macchisi*
49 *Maglie*
50 *Motta di Santa Lucia*
51 *Petrone*
52 *Pedalin*
53 *Pira*
54 *Petroni*
55 *Porciacche*
56 *Pedace*
57 *Perito*
58 *Petrafitta Malfitani*
59 *Petrici*
B
60 *Puzano*
61 *Roncile*
62 *Rovito*
63 *Rogliano Rotaspani*
64 *Santo Nicola*
65 *Santo Stefano*
66 *Santa Maria*
67 *Seretani*
68 *Santo Stefano de Mangoni*
69 *Seria*
70 *Santo Polito*
71 *Santo Nicolò*
72 *Spezzano grande*
73 *San Benedetto di Cosenza*
74 *S. Pietro di Guarino*
75 *Spezzane piccolo*
76 *Scalzato*
77 *Scigliano Diano*
78 *Serra*
79 *Turzano*
80 *Tessano*
81 *Trenta*
82 *Vicinanza*
83 *Verticelle*
84 *Yotta*
85 *Zumpano.*

Singulis diebus Saturni horum vicorum incolæ Urbem accedunt, ibique in foro totius Regni celeberrimo omnis generis ad humanum victum pertinentes res vendunt. 128

C Civitas hæc eadem produxit olim & adhuc fert viros toga & armis illustres, prout hisce temporibus florent *Bernardinus Telesius*, *Sertorius Quatromannus*, *Joannes Paulinus d'Aquino*, *Julius Cavalcantius*, *Fabius Cicala*, Philosophi magni, sicut & *Joannes Baptista Ardomus*, & *Cosmus Morellus*, Poëtæ celebres, qui omnes ex ejusdem Urbis sunt Nobilitate, aliique, quos silentio prætereo brevitatis gratia.

Sunt & ibidem Doctores Legum plurimi celebres, residet enim ibi Audientia Regia cum suo Provinciæ Vice-Regis, tribus Auditoribus, Advocato, & Fisci Procuratore, ut & Cohortis Capitaneo. Est & ibidem Locumtenens, ut & judex.

D Nec minus Sacris decorata est quam Sæcularibus dotibus. Sunt enim ditissima ibidem Monasteria S. *Augustini*, S. *Dominici*, S. *Francisci*, ut & Conventus *Observantium*, *Capucinorum*, *Franciscanorum di Paolo*, & S. *Mariæ del Carmine.* Sunt & ibidem Monasteria varia. Hospitale item S. *Annunciatæ*; Fratrum *Joannis de Deo*, Collegium Patrum *Jesuitarum.* Nundinæ in Urbe ter habentur singulis annis, illæ *Annunciatæ*, mense *Martio*, mense autem *Julio* S. *Magdelenæ*, & S. *Augustini*, mense *Augusto.* Est & *Mons Pietatis*, ubi sine fœnore fit oppignoratio.

E Exquisita in hac Urbe est Nobilitas, ita ut ad LXVIII. adscendat Familias, præter eas quæ jam sunt exstinctæ. Vivunt vero omnes splendide pro natalium decore, atque ita dicuntur:

Abenanti
Amici
Andriotti
Aquini
Ardoini
Arnoni
Bernaudi, hodie duces *della Bernanda*
F
Bombini
Boncenti
Boni
Britti
Donati
Ferrai
Favori Origine *Amalfitani*
Ferrari d'Empaminonda
Ferrari d'Antonello
Francia
Fera
Gaeta della Stella
Gaeta del Leone
Garofali
Giovanni
Neri
Oranghi
Parisi di Roggiero
Parisi di Tomaso
Pilusi
Passalacqua
Pantusti
Pascali di Bartolo
Preti
Quattromani 129
Rocchi
Rossi
Barrachi
Cavalcanti
Caputi
Caselli

Giac.

Giaccii antea dicti *Contestabiles.*	*Clivellis*
Cicali	*Domanici*
Corati	*Filleni*
Cava	*Gadi*
Celsi	*Giacchini*
Dattili	*Longobardi*
Telesi	*Martirani*
Tosti	*Massari*
Tirello	*Montalti*
Toscani	*Sampiasi*
	Sersali della Motta
	Sersali di Guido
Familiæ exstinctæ Cosentiæ.	*Scaglioni*
Aloe	*Spiriti*
Alimnie	*Schinosi*
Beccuti	*Spatafora*
Baroni	*Stocchi*
Giannoccheri	*Spina*
Goffredi	*Tarsia*
Longhi	*Mirabelli*
Marani	*Manuardi*
Migliaresi	*Poerii*
Morelli	*Pollisii*
Materi	*Pascali di Giacomo*
Magoni	*Pellegrini*
Monaci	*Plantedii*
Molli	*Santangioli*
Bonaccursi	*Sanfelici*
Cozza	*Sirisanti*
Catolei	*Tarsia dello Motta*
	Valle, & alii.

Advertere Lectorem debemus, Familiam *Ciacciam*, in hanc Urbem commigrasse ex *Barletta*, sub nomine *Contestabilis* ibi cognitam, nomen autem *Ciacciæ* habet ab *Hieronymo Contestabili*, qui ita vocabatur. Huc autem venit ex occasione litis cujusdam, quam exercebat cum Familia *della Marra*; sicut autem illi Domini *della Marra* Regis *Rogerii* jussu migrarunt *Neapolim*, ita *Contestabiles* secesserunt *Cosentiam*, hodieque, prout retuli, *Giaccii* dicuntur, quod & in ipsa Civitate est notissimum.

Continet insuper in agro suo hæc Civitas multas Familias Nobiles, ut in *Fighina Lifera*, aliisque, quæ Familiæ quoque ad ipsius Civitatis pertinent Nobilitatem, prout distinctius in iterata Editione demonstrabimus.

130 ## ROSSANUM.

Condita hæc Civitas a *Romanis*, prout asserit *Procopius* Lib. III. *Belli Gothici*. *Blondus* item Lib. VI. ut & *Livius* Coloniam vocant *Romanorum*. Contrarium alii asserunt, atque ab *OEnotriis* ædificatam volunt. Metropolitana nunc est, & in Concilio *Constantinopolitano* Sexto, sub Pontifice *Agathone*, adfuit *Valerius*, Episcopus *Rossanus*.

Ager ejusdem abundat oleo consummatissimo; nascitur ibidem & terebynthus, & vitex, & capparis, oleandrum, & crocum Sylvestre, dictamnum insuper, aonide, centaurea major, aliæque herbæ medicatæ.

Civitati huic insigne præbuit ornamentum *Joannes* VII. Summus Pontifex, qui ibi est natus; sicut & multum accepit decoris a *S. Nilo*, Abbate Ordines S. *Basilii*, qui multum inclaruit dono Prophetiæ; ruinam præsertim *Calabriæ* prædixit, atque deinde a Clero *Rossani* electus fuit Archiepiscopus ejusdem Urbis, verum ille ad Servatoris exemplum secessit in desertum, ita ut alius in ejus vicem eligi debuerit. Condidit idem multa Monasteria, præsertim illud *S. Mariæ di Grottaferrata* prope *Frascati*, ubi ad vitæ usque finem permansit; postquam enim ibidem nonaginta quinque vitæ absolvisset annos, victoriose in Cœlum

A abiit Septembris die XXVI. populares autem ibidem adhuc corpus ejus venerantur.

Est & in eadem Ecclesia corpus S. *Bartholomæi*, ex *Rossano* pariter, Abbatis, & S. *Nili* discipuli. Natus & in Urbe hac est B. *Stephanus*, ut & B. *Georgius*, discipuli ejusdem S. *Nili*, B. item *Theodora*, spiritualis S. *Nili* mater. Corpus autem B. *Stephani* est in Monasterio *di Serperi*, prope *Cajetam*; istud autem B. *Georgii* conditum est in Monasterio S. *Andreani*, prope Urbem *Bisignano*; istud autem B. *Theodoræ* in Monasterio circa *Rossanum*.

B Nolo autem silere extra *Rossanum* devotissimam Ecclesiam S. *Mariæ del Patire*, ubi floruerunt multi Sancti Patres ejusdem Ordinis. Nunquam Ecclesiam hanc mulieres ingrediuntur; si autem forte fortuna ingressæ fuerint inopinatæ, subito miscetur cœlum maximis pluviis, fulgoribus, tonitrubusque, ita ut omnia subitam velut ruinam comminentur. Ubi autem exiêre Ecclesia mulieres, 131
cessat rursus tempestas, atque aër serenus rursus fit ut ante. Hoc autem inde narratur accidere; quum S. *Bartholomæo* Ecclesiæ condendæ ichnographam commonstrasset Regina Cœli, usque ad ipsum locum Sanctum illum comitata est, semper autem in circuitu mansit designati soli, neque intra circulum illum intrare visa fuit; unde S. *Bartholomæus* vetuit, unquam Ecclesiam hanc ullam ingredi mulierem, concessa tantum auscultatione Missæ extra fores.

C *Rossanum* Principatus titulo possedit *Marinus Marzanus*, cognatus Regis *Ferdinandi* I. Eodem nunc titulo habetur ab *Olympia Aldobrandina*.

C. d' Engenio.

Sunt autem ibidem hæ familiæ Nobiles.

Adimari	*Maleni*
Alessandri	*Manarini*
D *Amarelli*	*Mezzomonaco*
Armengari	*Muro*
Britti	*Negri del Murio*
Campagna	*Ponthii*
Caponsacchi	*Rapani*
Citi	*Risi*
Curti	*Tagliaferro*
Ferrari	*Toscani*
Foggia	*Zanfini*, & aliæ.
Interzati	

E # HENRICI BACCI 132

Alemanni, 133

BREVIS DESCRIPTIO
CALABRIÆ ULTERIORIS
SEXTÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Castellorum, quæ ibidem exstant, ut & enumeratione Familiarum, quæ in singulis secundum novam hanc computationem inveniuntur;

F *Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum* (di Demanio) *atque Camerarum Reservatarum, quæ ibidem sunt.*

Accedit Tributum, seu Impositio, quam pendent Aulæ Regiæ.

Correcta atque aucta per CAESAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

PRovincia, quæ *Calabria Ulterior* appellatur, antiquitus *Magna Græcia* dicta fuit; ab Aquilone *Calabriæ Citeriori* adjacet, ab Oriente autem

Ionio alluitur Mari, & a Meridie Fretum *Mamertinum* habet Inſulæ *Siciliæ*; ab Occidente vero alluitur Mari *Tyrrheno*, & e regione *Liparam* habet Inſulam habitatam, & deſertam item *Strongylen*.

Pro Inſigni habet duas Cruces nigras, in duobus angulis collocatas, alteram ſcilicet ad latus dextrum, alteram ad ſiniſtrum, uterque autem campus eſt argenteus; intercurrunt autem duos iſtos angulos duo alii, quorum alter eſt a parte ſuperiori, alter ab inferiori, in utroque autem quatuor trabes rubræ porriguntur in altum in campo aureo.

Denotat autem Inſigne hoc per duplicem Crucem *Calabriam* duplicem, Citeriorem & Ulteriorem, quatuor autem iſtæ trabes rubræ in campo aureo, *Arragonum* Inſigne ſunt. Invenit ſignum hoc *Ferdinandus Arragonenſis*, Dux *Calabriæ*, filius *Alphonſi* I. Regis *Neapolis*, neque aliud eo ipſo denotare voluit, quam quod, licet in duplicem a Patre diſtincta Provinciam fuiſſet *Calabria*, ipſe tamen utriusque ſolus maneret Dominus.

Sunt in hac Provincia Civitates XVI. ex quibus *Rhegium* & *Sancta Severina* Archiepiſcopales exiſtunt. Epiſcopales autem ſunt *Belcaſtro*, *Bova*,
134 *Cantanzaro*, *Cotrone*, *Gieraci*, *l'Iſola*, *Monteleone*, *Melito*, *Nicaſtro*, *Nicotera*, *Oppido*, *Squillace*, *Taverna* & *Tropea*. Oppida inveniuntur atque Caſtella CXXXVI. ut ita univerſa ſint numero CLV. præter alia quatuor jam deſtructa, quæ ſunt *Zurris*, *Sybaris*, *Metapontum* & *Medamum*.

In Statibus Don *Andreæ Ardonii*, Marchionis *Soriti*, hac in Provincia, detecta noviſſime eſt minera ſalis Armoniacis Orientalis perfectiſſimi. Caſtella autem in Urbibus *Tropea* & *Rhegio* ſunt, ut & Turres XLVII. in Provinciæ ejusdem cuſtodiam.

Reſidet quoque in hac Provincia Audientia Regia, in Urbe *Cantanzaro*, una cum Vice-Regis, cum ſtipendio annuo ducatorum octingentorum, Advocato item, Procuratore Fiſci, tribus item Auditoribus, qui ſinguli quadringentorum ducatorum annuum habent ſtipendium; habet & tubicinem ſuum & bipenniferos haſtatos, & cohortis Capitaneum, qui omnes Aulæ Regiæ ſunt ſtipendiarii.

Ubi hoc ſignum eſt † Cameræ ſunt Reſervatæ.

Olim		Nunc.
	A.	
25	*Agnone*, ſeu *Andali* habet familias	34
29	*Amarone*	33
250	*Avoia*	400
618	† *Arena*	707
35	*Arenuſo*	39
98	*Arguto*	95
	Ardore	87
135	B.	
462	*Bagnara*	386
337	*Badulato*	498
221	*Belcaſtro*	246
139	*Bellaforte*	45
361	*Bianco*	291
267	*Bova*	413
46	*Bonugni*	113
105	*Brancaleone*	90
843	*Briatico*	976
36	*Brugnatore*	40
	Bivona, non habitata.	
983	† *Burrello*	895
150	*Bombile*	130
	C.	
2296	*Catanzaro*	2406
358	*Calama*	503
152	*Calimera*	82
2	*Caiandra*	2

Olim		Nunc.
232	*Cardinale*	268
111	*Caſtellace*	40
11	*Caſtelle*	19
304	*Carida*	332
108	*Caſtello Monardo*	217
31	*Centica*	34
570	† *Caſtello vetere*	727
73	*Claravalle*	69
50	*Coſolito*	90
57	*Cotronei*	69
153	*Conte Janne*	198
1398	*Cotrone*	922
159	† *Cinque frondi*	306
403	*Cropani*	457
114	† *Crapacore*	50
638	*Cutro*	677
	D.	
197	*Davole*	216
250	*Droſe*	238
	F.	
157	*Ferolito dell'Ecleſia*	126
385	*Ferolito di Nicaſtro*	338
83	*Filogaſo*	128
814	† *Fiumara di Muro*	790
178	*Francavilla*	189

Olim		Nunc.
460	*Francica*	392
	G.	
425	*Galateo*	568
49	*Gagliato*	31
127	*Garerio*	165
19	*Garaſſa*	41
10	*Guardavalle*	20
31	*Gaudioſo*	84
104	*Gaſparine*	84
191	*Gioia*	156
297	*Gimigliano*	109
210	*Girifalco*	191
1030	*Girare*	1314
582	† *Grottaria*	843
	I.	
79	*Ippolo*	107
64	*Iſala*, ſeu *Iſcla*	108
121	*Iſaria*	124
	L.	
32	*Lacconia*	92
28	*Larzetta*	38
	M.	
979	*Maida*	847
135	*Marcellanara*	130
9	*Marcheduſa*	12
19	*Maſſanona*	26
665	*Melicucca*, & *Droſi*	1175
577	*Meſuraca*	692
46	*Megliarina*	70
774	*Meſiano*	1035
128	*Montabro*	100
900	*Melito*	917
1640	*Monteleone*	2147
399	*Monte S. Giovanni*	332
356	*Motta Bovalina*	168
272	† *Motta Sideroni*	
27	*Motta di Brozzano*	17
270	† *Montebello*	159
155	*Motta Gioioſa*	253
548	*Motta Filocaſtro*	582
65	† *Monaſterace*	110
121	*Monteſanto*	168
124	*Monteroſſo*	82
83	*Monteforo*	69
142	*Montepanone*	123
	N.	
922	† *Nicaſtro*, & *Santo Biaſe*	1154
658	† *Nicotera*	745
	O.	
804	† *Oppido*	1023
52	*Olivaddo*	60
	P.	
75	† *Placanica*	98
17	*Palermita*	19
508	*Palma*	617
46	*Palagorio*	69
137	*Palizi*	122
193	*Panaia*	213
80	*Papa Niceforo*	232
86	*Petrizzi*	109
177	*Pontedattilo*	99
309	*Pizzo*	331
70	*Potomia*	44
104	*Plaiſano*	74
585	*Policaſtro*	753
100	*Polia*	107
1056	*Poliſtena*, & *Santo Giorgio*	1617

Olim		Nunc.
60	*Preti*	52
	R.	
1380	*Reggio*	1068
36	*Rodio Velamato*	59
225	† *Roccella*	263
183	*Rocca Bernauda*	293
230	*Rocca Angirola*	220
18	*Rocca Falluca*	4
580	*Roſſarno*	378
	S.	
218	*Satriano*	265
221	† *Sellia*	254
52	*Serra ſtretta*	67
1437	*Seminara*	1264
41	*Settinſano*	91
41	*Settingiano*	112
572	† *Sciglio*	522
271	† *Simari*	360
444	† *Sinopoli*	573
132	*Spatula*, & *Serra*	218
470	*Squillace*	286
955	*Stilo*	1615
315	*Stallati*	
38	*Stafacone*	78
382	*Suriano*	437
115	*Suberato*	47
367	† *Sorito*	400
997	*S. Agata con Cardito*	845
19	*S. Andrea della Vena*	28
82	*S. Andr. di Badaloto*	207
	S. Agata di Crepacore	45
81	*S. Calioto*	125
210	*S. Caterina*	340
541	† *S. Chriſtina*	804
35	*S. Demetri*	40
100	*S. Eufemia*	68
126	*S. Elia*	130
106	*S. Floro*	105
94	*S. Gio Minagò*	516
1056	† *Santo Giorgio*, & *Poliſtena*	1617
858	† *Santo Lorenzo*	469
17	*S. Pietro Melicozza*	35
20	*S. Pietro dell' Iſola*	20
60	*S. Mauro*	151
6	*S. Maria de Altiglia*	9
57	*S. Suoſſo*	68
111	*Santo Vito*	133
414	*Santa Severina*	308
	T.	
2000	*Taverna*	1407
2419	† *Terranova*	2418
112	*Terriolo*	144
95	*Torre di Bruzzano*	45 136
170	*Torre dell' Iſola*	160
3104	*Tropea*	3537
8	*Troiani*	3
	V.	
449	*Vallelonga*	658
20	*Villa Carbonara*	13
	Z.	
269	*Zangariſe*	335
62	*Zingarone*	59

Na-

137 *Nomina Urbium & Oppidorum di* Demanio, *seu Aulæ Regiæ, quæ in hac Provincia inveniuntur.*

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
1398	*Cotrone*	803	955	*Stilo*	1615
2299	*Catanzaro*	1884	1430	*Seminara*	1132
685	*Policastro*	713	3104	*Tropea*	3524
2380	*Reggio*	1546	2064	*Taverna*	1398
1108	*Sant' Agata*	835			

Urbis hujus Provinciæ perpetuo liberæ hæ sunt.

Bagnara *Silla*
Catanzaro

Oppida, quæ tributum per conventionem solvunt.

Reggio *Melicucca*
Santa Eufemia *Isarria*

Comprehenditur insuper inter Regiæ Aulæ Urbes Insula *Lipara*, quæ non enumerata est, utpote omni tributo exemta.

Tributum seu Impositio, quam pendunt singulæ Provinciæ hujus Familiæ Aulæ Regiæ.

Singulæ Familiæ hujus Provinciæ tantundem pendunt, quantum pendit Provincia *Calabriæ Citerioris*, differt tantum in pensione *Baricelli*, cujus gratia duo grana & decem pendet equos.

138 BREVIS DESCRIPTIO

Originis quarundam Civitatum Provinciæ hujus Calabriæ Ulterioris, ubi Familiæ sunt Nobiles.

CATANZARO.

Fagitius, qui *Italiæ* Procurator fuit temporibus *Nicephori*, Imperatoris *Constantinopolitani*, post ruinas illas, quas passæ sunt Provinciæ *Neapolitanæ*, Urbem hanc condidit in celsi Montis vertice, atque insuper in illa exstruxit Ecclesiam S. *Michaëli Archangelo* dicatam. Consecrata autem hæc Ecclesia fuit a *Rhegii* Archiepiscopo *Stephano*.

Catanzaro autem, quod Urbi lingua nostra nomen est, a *Græco* καθίζειν est derivatum, quod *sedere* significat. Conditor enim ejus Civitatis ichnographiam delineans, locum, ubi considebat tum forte, ut maxime placentem sibi elegit, atque in illo Civitatem condidit.

Anno autem MCXIX. quum *Guilelmus Guiscardus*, Dux *Apuliæ* atque *Calabriæ*, ex Regno *Neapolitano* profectus esset *Constantinopolim*, ut Imperatoris *Alexii* filiam matrimonio sibi jungeret, cognatus ejusdem, *Siciliæ* Comes, *Rogerius*, ex Insula in continentem trajecto exercitu, magnam Regni partem sibi asseruit. Audita re hac, reversus *Guilelmus*, ut sua recuperaret, magnum ubique tumultum, adductis secum copiis auxiliaribus, excitavit. Itaque *Calixtus* II. Summus Pontifex, pacem & concordiam inter utrosque suasurus, *Roma* profectus, prius *Beneventum* venit, deinde in *Calabriam*, ubi bellum inter hos Principes gerebatur; atque ista occasione per *Catanzarum* transiit. Præerat tum temporis Urbi cum summa potestate Comes *Godefridus Loritellus*, qui una cum civibus suis honorifice Summum Ecclesiæ Pastorem excepit; a quo ibidem ad preces Comitis consecrata fuit Ecclesia Major una cum altari, Urbisque istius Episcopatui adjunctus fuit iste *Tavernæ*, quoniam ista Civitas tum fere ad nihilum redacta erat; prout plenius legi potest in Bulla ab eodem Pontifice subscripta, ut & ab XXVIII. Cardinalibus, aliisque Antistitibus, anno MCXXII. die XXVIII. Decembris, in Urbe ipsa *Catanzaro*, scripta manu *Chrysogoni* Cardinalis Diaconi, anno Pontificatus IV. ejusdem *Calixti*. Inter alia autem beneficia & dona spiritualia, ditavit eandem multis Sanctorum reliquiis, præsertim vero dono dedit corpus S. *Vitalis*, Episcopi *Capuæ* quondam, translato eodem *Catanzarum* a *Monte Virgineo*. Inveniuntur ibidem corpora SS. *Fortunati*, Episcopi *Todi*, ut & *Irenei*, Episcopi *Leonis*, quæ postea temporis inventa fuerunt, anno scilicet MDLXXXIII. prout narrat *Paulus Regius*, Episcopus *Vici*, in *Historia* sua *Sacra*.

Catanzarum Comitatus titulo possedit *Godefridus Loritellus*, ex Familia *Ruffa* & *Columna*, nunc autem Urbs ad Regem pertinet. Inter alios doctrina illustres viros protulit *Joannem Jacobum Parisium*, Philosophum doctissimum, qui *Commentarios* scripsit *supra Animam*, *Metaphysicam Aristotelis*, aliosque libros. 139

C. d'Engenio.

Sunt autem in Urbe hac Familiæ Nobiles hæ sequentes:

Arberini *Biblia*
Arcieri *Bolotta*
Della Cananea, orti hi sunt ex Cubiculario Regio *Alphonsi* I. prius autem dicti fuere *Canani*; originem vero habent ex Nobilitate *Ferrariensi*.
Catania *Dello Nobile*
Coco *Di Paolo*
Cumis *Pistoia*
Cuoitelli *Pitera*
Di Franza *Ricca*
Fabrica *Riso*
Ferraro *Rocca del Vicario*
Grimaldi *Rocca di Lattantio*
Inglesi *Rodio*
Lauro *Sanseverini*
Malatacca *Serra*
Marincola *Sonatore*
Mazza *Spina*
Maniardo *Striverii*
Mangione *Susanna*
Michele *Trombatore*
Morano *Zaccone*, & alii.

COTRONE seu CROTON.

Variæ Scriptorum sunt opiniones circa Urbis *Crotonis* fundationem. *Pythagoras*, qui paullo ante *Trojæ* excidium obiit, ab *Hercule* conditam scripsit. *Antiochus* (prout *Strabo* nos docet) vult, venisse illuc maritimo itinere *Achivos*, atque, ubi ipsi in terram essent egressi, agrosque pererrarent, mulieres, quas secum per maris undas ex *Iliaca* terra adduxerant, naves incendisse, ne alios rursus in locos abirent; ademtam itaque fugæ spem sentientes *Achivos*, & ob id ipsum dubios, consuluisse Oraculum quid facturi essent, a quo ibidem Civitatem condere jussi sunt; emiserunt itaque *Myscellum*, ut locum examinaret condendæ Urbis, qui quum illum *Sybaris* præ *Crotone* elegisset, reversus ad Oraculum, interrogavit illud, num non isto potissimum in loco Urbem condi vellet, quod *Myscello*, qui gibbosus erat, respondisse fertur, ut exstat apud *Strabonem* Lib. VI. pag. 262.

Μύσκελλε βραχύνωτε, πάρες σέθεν ἄλλο ματεύων,
Κλάσματα θηρεύεις· ὀρθὸν δ' ὅ, τι δῶ τὶς ἐπαίνει.

Id est,

Gibbose incassum Myscelle aliena requiris,
Vanaque venaris, quæ dantur dona, probato.

Atque ita *Myscellus* retrogressus *Crotonem*, ubi nunc est, ædificavit, auxiliante *Archia Tarentino*. 140
Legitur apud *Eusebium*, in *Chronico* condita hæc

hæc Urbs ante N. D. anno scilicet Mundi MMMMCCCCLXXX. *Crotonem* Antiqui vocant Scriptores, verum *Blondus Cotronam*, *Procopius* etiam *Croton*; secundum *Razzanum* autem dicta ita fuit a *Græco* ΚΡΟΤΟΣ, quod *saltationem* lingua *Latina* dicit, quoniam scilicet ibi multa joca, saltationes, atque hilaritates peractæ fuerunt.

Illustris admodum hæc Urbs est Philosophi *Pythagoræ* Scola, ex qua, tanquam ex equo *Trojano*, complures Philosophi exierunt. Et sane miraculi instar est, Urbem *Crotonem* tantam vim protulisse virorum, non sapientia tantum, sed & robore atque aliis, tam corporis, quam animi virtutibus, inclitorum. In *Olympicis* enim aliquando Ludis, prout refert *Strabo*, septem *Crotoniatæ* inventi fuerunt, qui ingenio, fortitudine, robore, omnibus adversariis victis, coronam retulerint.

Celebris inter alios (quos enumerare longum foret) fuit *Milo Crotoniates*, robore corporis admirabilis atque omnibus præstans. Fuit idem *Pythagoræ* discipulus, narraturque ab eodem *Strabone*, ruinam meditante ædificio, in quo cum aliis consederat Philosophis, inclinata quadam columna, humeros suos oneri subjecisse, usquedum Socii, in tutiorem sese locum recepissent, mox autem, ipso quoque ruinæ sese subtrahente, corruisse ædificium.

Pervenit huc S. *Dionysius*, discipulus Apostoli S. *Pauli*, ubi ex *Græcia* profectus fuerat; tempore autem mansionis suæ (quæ non fuit diuturna) veram salutis viam *Crotoniatas* edocuit. In hujus beneficii memoriam hodieque incolæ *Crotronis*, pro sigillo Civitatis suæ, Gloriosi S. *Dionysii* imagine utuntur, prout testantur *Barrius*, atque *Marafiottus* in suis *Calabriæ Chronicis*, ut & alii Scriptores.

Possedêre olim sub Marchionatus titulo hanc Urbem *Nicolaus Ruffus*, & *Petrus Paulus Viterbiensis*, atque *Antonius Columna*. Nunc Regia est.

C. d'Engenio.

Familiæ Nobiles, quæ ibidem inveniuntur, hæ quidem sunt:

Baglioni, qui venerunt ex *Perusina* Urbe.	*Marzani*
	Pagani
Berlingieri	*Pipini*
Campitelli	*Protospatari*
La Picciola	*Susanna*
Luciferi	*Suriani*, & alii.
Mangioni	

RHEGIUM.

141 Nulli quidem Civitati, non in *Italia* modo, sed nec in universa *Europa*, antiquitate cedit *Rhegium*. Neque enim longe post primum diluvium est conditum, ab *Asthenego*, pronepote *Noachi*, prout scribit *Josephus* Lib. I. *Antiq. Judaic.* Cap. II. Vocatur idem in *S. Scriptura*, Lib. I. *Paralip.* Cap. I. & *Genes.* X. *Ascenes*, nepos *Japheti*, qui septem habuerat filios, qui dicti erant *Gomer*, *Magog*, *Madai*, *Javan*, *Tubal*, *Mosoch* & *Tyras*. Et hi quidem varia *Asiæ* loca occuparunt. *Gomer* autem in *Europam* sese contulit, ex quo, *Gomeritæ* dictæ postea Gentes, venerunt, *Galatæ* a *Græcis* dictæ. Tres autem filios *Gomer* iste habuit, quorum fuerunt nomina, *Ascenes*, seu *Asthenegus*, *Riphaat* seu *Riphat*, *Tigra* seu *Thogorma*. Ab *Ascene* autem, primo filio, populi venerunt *Asthenegi* dicti, a *Græcis* autem *Rhegini* nuncupati. *Josephi* verba hæc sunt: *Gomer autem habente tres filios*, *Asthenegus quidem Asthenegos instituit*, *qui nunc Rhegini vocantur a Græcis.*

Aschenes itaque, quum ad locum illum, qui nunc *Rhegium* dicitur, pervenisset, insigni loci amœnitate captus, ibidem cum familia sua consedit, atque Urbem postea exstruxit exiguam, quam ex nomine suo *Aschenam* vocavit, unde & incolæ ejusdem *Aschenates* dicti fuerunt. Affirmat idem S. *Hieronymus* in *Hebraicis Quæstionibus* super *Genesim*.

Sunt tamen, qui contrarium affirmant, scribentes, antiquis temporibus conjunctam *Siciliæ* fuisse *Calabriam*, ita ut Maris parte, Orientem versus, ubi condita Civitas est, pulcherrima inter duo Maria fuerit planicies, quæ Civitati amœnissimum præbebat portum atque largissimum, ad angulum *Siciliæ*, velut cornu, egregie sese extendentem; verum per maximum quendam terræmotum effectum fuisse, ut interrupta ista planicie, divulsa plane, junctis Maribus, ab *Italia* fuerit *Sicilia*, unde Urbs hæc a *Græcis* dicta fuit *Rhegium*, illis enim ΡΗΓΝΥΜΙ *rumpere* significat, ΡΗΓΜΑ *ruptura* est. Accidit autem hoc secundum *Trogum Pompejum*, non tantum terræmotu & aquarum vi, verum etiam diruptione telluris, quod *Calabriam* & *Siciliam* interjacebat. Sæpenumero autem idem, & multis in partibus Orbis Terrarum simile quid hodie evenire solet, prout & jam suo tempore de *Rhegio* ipso ita scripsit *Plinius* Lib. II. Cap. XLVIII. & Lib. III. Cap. VIII. *Quondam Brutio agro cohærens*, *mox interfuso Mari avulso*, *duodecim millium in longitudinem fuso*, *in latitudinem*, *mille & quingentorum passuum*, *juxta Columnam Rheginam.* 142 *Ab hoc debiscendi argumento Rhegium Græci nomen dedere Oppido in margine Italiæ sito.* Confirmat totum hoc *Virgilius Æneid.* Lib. III. versu 414.

Hæc loca, vi quondam, & vasta convulsa ruina,
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & urbes
Littore deductos angusto interluit æstu.
Dextrum Scylla latus, lævum implicata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sydera verberat unda.

Solinus atque *Strabo* Urbem hanc a *Chalcidensibus* conditam fuisse scribunt, qui quum sterilitatis gratia Oraculum *Apollinis* consuluissent, ex ejusdem præscripto in hunc locum venerunt, una cum Urbis *Delphorum* incolis, aliisque itineris sociis, atque cum iisdem Urbem hanc condiderunt.

Scribit *Dionysius Afer*, divulsam a continente fuisse Insulam tridentis *Neptuni* percussione, adjungitque Commentator ejusdem *Eustathius*, factum id a *Neptuno* fuisse, ut securius ab insidiis viveret *Acastus*, seu *Jocastus Æoli* filius. Habuisse hunc dominium *Rhegii* volunt, unde & *Acasti Urbem* appellat *Callimachus*.

Volunt alii *Rhegium* dictam esse Urbem hanc a bona aëris temperie, locoque situs. Appellant alii *Phœbeam*, taleque illi nomen imponunt a *Dionysii* Tyranni filio, utpote qui eandem post fœdam, quam a patre passa fuerat ruinam, restauraverit denuo. Acciderat autem desolatio ista hac de occasione. Nobilem quandam & pulchram sibi puellam in uxorem a *Rheginis* poposcerat *Dionysius*; verum illi, ipso ludibrio habito, negaverunt sese aliam illi daturos, præter carnificis filiam. Qua indignitate motus *Dionysius*, collecto exercitu, post gravem obsidionem, Urbem a fundamentis diruerat.

Restauravit etiam *Julius Cæsar*, fugato ex *Sicilia Pompejo*, atque multis eandem incolis ex navalibus sociis locupletavit; atque inde, utpote

ab

ab illo condita, *Rhegium Julium* appellata fuit, prout *Strabonis* firmatur auctoritate. Adde, de hac Urbe quæ scribunt *Thucydides* Lib. VI. *Polybius*, *Plinius*, *Pomponius Mela*, *Ptolemæus*, *Appianus Alexandrinus* Lib. IV. V. & alii.

143 Gloriatur hæc Civitas baptismi acceptione ab Apostolo S. *Paulo*, qui (prout legi potest in *Actis Apost.* capite ultimo) ibidem catenis vinctus venit, & quum per unum modo diem commoraretur, statim Evangelium prædicavit. At vero, quoniam idololatræ Urbis erant cives, neque concioni ejusdem auscultare vellent, dicitur ab iisdem petiisse Apostolus, ut tantisper æquas illi aures præberent, quamdiu frustulum candelæ, digiti tantum magnitudinis, ardorem continuaret; quod quum facile impetrasset ab iis, qui credebant, illum, tam pauxillo temporis spatio, vix viginti prolaturum verba, verba facere ad populum incepit. Verum quid accidit? ubi columnæ impositum frustum illud candelæ sat cito consumtum, jam extingui debere videretur, subito ipsa columna (de qua inferius mox mentionem etiam facturi sumus) instar facis ardere cœpit, cum tanto omnium stupore, ut haud exiguus civium numerus ad *Christi* fidem fuerit conversus.

Columna hæc marmoris est non valde candidi nec puri valde, alta circiter quindecim palmos, & aliquanto crassior, ita ut ab homine amplexu circumdari possit. Servatur hodieque in Ecclesia ibidem S. *Paulo* Apostolo dedicata, prope Urbem, erecta supra Altare Majus, atque egregie exornata, insistente Statua Apostoli, concionantis habitu, pedibus catenatis, signum vero Crucis manu tenentis.

Discedens vero inde Apostolus reliquit sui vice pro Archiepiscopo *Stephanum Nicænum*, qui una cum illo ex *Judæa* venerat, qui, annis XVII. in pastu gregis sibi creditæ peractis, jussu *Hieracis*, Gubernatoris *Rhegii*, una cum *Severo*, alterius cujusdam Urbis Episcopo, tribusque matronis *Rheginatibus*, scilicet *Agnete*, *Felicitate* & *Perpetua*, post diros cruciatus, pro fide in *Christum* martyrium gloriose subiit. Corpora vero illorum ibidem postea fuêre sepulta, & prout scribit *Marcus Antonius Politi*, Medicus & Philosophus, in *Chronico Rhegii*, sunt ibidem insuper corpora SS. *Eusebii*, Archiepiscopi *Rhegii*, *Cypriani* & *Thomæ*, Abbatum, Ordinis S. *Basilii*.

Urbem hanc natalem habuerunt SS. *Agatho*, *Leo* II. *Stephanus* III. qui Summi fuêre Pontifices: licet enim secundum *Baronium*, *Panvinium*, aliosque, *Siculi* fuerint, contrarium tamen affirmant Scriptores *Chronici Calabriæ*.

C. d'Engenio.

In Urbe hac, quæ Regii Dominii est, sequentes sunt Familiæ Nobiles:

Alagona	*Filocamo*
Barone	*Fornari*
Barilla	*Iodice*
Bosurgi	*Logoteta*
Bozzetta	*Malgeri*
Burza	*Majorana*
Campolo	*Mazza*
Campagna	*Melissari*
Capua	*Melito*
Castelli	*Monsolini*
Carboni	*Parisi*
Ciriaco	*Paromia*
144 *Diano*	*Pitali*
Geria	*Ricca*
Giovanni	*Riccabono*
Francoperta	*Spano*
Ferrante	*Suppa*, & alii.

SQUILLACEUM.

Hanc Urbem *Cassiodorus* Libro XII. *Epistolarum* clarissime ab *Ulysse* fuisse conditam scribit, post Excidium *Trojanum*. Verum *Strabo*, de hac ipsa Civitate agens, Coloniam dicit fuisse *Atheniensium*, qui ibi Duce *Mnestheo*, uno ex Principibus *Græcis*, in Bello *Trojano*, post ejusdem Urbis excidium ventis acti adversantibus, venerunt; successit autem ille *Mnestheus* in Regnum Regi *Atheniensium Theseo*. Hosce itaque una cum *Squillaceis* Urbem istam condidisse affirmat, atque Coloniam ibidem *Atheniensium* stabilivisse. Licet autem & *Ulysses* & *Mnestheus* eodem vixerint tempore, longiores tamen & magis remotæ *Ulyssis* fuêre errores, quam ullius reliquorum *Græcorum*, ut adeo potius ad illum forsan condita Urbs referri debeat. Credibile itaque est, antiquissimis temporibus *Squillaceum* vel ab *Ausoniis*, vel ab *Oenotriis* fuisse conditum, & postea temporis *Romanorum* evasisse Coloniam.

Episcopali Sede hæc Civitas exornatur, & valde est antiqua; Episcopus enim ejusdem *Gaudentius* intervenit Concilio *Romano*, temporibus Summi Pontificis *Hilarii*. Corpus in Majori servatur Ecclesia S. *Acatii* Centurionis, qui sub persecutione Imperatorum, *Diocletiani*, & *Maximiani*, in Civitate *Constantinopolitana* Martyrii honorem subiit, cujusque corpus inde ad hunc locum mirabiliter transportatum fuit.

Magna quoque hujus Urbis est fama propter Senatorem *Cassiodorum*, Monachum Ordinis S. *Benedicti*, qui complures conscripsit libros, & hic est natus, prout *Chronica* dicunt *Calabriæ*, licet *Petrus Natalis* in *Catalogo Sanctorum*, eundem *Apuliæ* adscribat.

C. d'Engenio.

Possessa aliquando hæc Civitas fuit titulo Comitatus, a Familia *Marzana*, nunc autem ut Principatus pertinet ad Familiam *Borghiam*, habetque sequentes Familias Nobiles:

Alemagna	*Monitio*
Assanti	*Pepi* 145
Barlea	*Rodio*
Ferrato	*Striverii*
Di Franza	*Terioli*, & alios.
Gironda	

TAVERNA.

Sciendum est Urbem *Tavernam* originem suam habere ab antiquissima *Calabriæ* Urbe *Trischeniis*, quæ sita erat inter Flumen *Crotalum* & *Simari*, atque ornata erat Sede Episcopali. *Trischenia* autem dicebatur, id est *tria Tabernacula*, quoniam erant in eadem tres Ecclesiæ Majores, in præcipuis vero sollemnitatibus nunc in hac, nunc in illa, atque sic & tertia, Sacra celebrabat Episcopus. Postea autem temporis una cum multis aliis Ecclesiis destructæ a *Saracenis* una cum ipsa Urbe fuerunt.

Miserat huc *Græcorum* Imperator *Nicephorus*, ut destructas a *Mauris* seu *Saracenis* in *Calabria* Civitates, restitueret, Procuratorem suum *Gorgolanum*; quas vero propter nimias ruinas reædificare non posset, juxta alio in loco conderet. Ille itaque, ubi in *Calabriam* advenit, multa restauravit loca, multa etiam in vicinia de novo condidit; quod & *Trischenia* fatum subierunt, quæ prius quidem ad Mare sita, secunda vice condita fuerunt decem inde milliaribus, nomenque *Tabernæ* acceperunt *Latinum*.

Episcopalem hanc Urbem asserunt *Simonetta* Libro III. *Historiarum*, *Barrius* & *Marafiottus* in suis *Calabriæ Chronicis*, ex quibus ea, quæ ad *Calabriam* pertinent, decerpsimus. Est in Ecclesia *Franciscanorum* corpus B. *Matthæi di Misurica*, Monachi Ordinis S. *Francisci*. Commendavit *Trischenorum* Ecclesiam, post destructionem suam, *Joanni*, Archiepiscopo *Catanzari*, S. *Gregorius*, atque ejusdem Ecclesiæ inseruit, prout & fecit *Calixtus* II. ut a nobis superius est dictum.

In agro hujus Urbis Terebinthus nascitur. Famam vero illi magnam conciliavit natus ibidem *Joannes Laur. Anania*, excellens Theologus atque Cosmographus, qui *Fabricam* conscripsit *Mundi*, atque alia item opera.

C. d' Engenio.

Sunt ibidem hæ Familiæ Nobiles:

146 *Anania*, ex *Joanne Laurentio*.

Balaschi

Filante, qui ex *Ungaria* sunt oriundi, vel, ut alii volunt, ex *Macedonia*.

Mandeli	*Pistoia*
Marincola, ex *Tiani* Episcopo	*Poërii*
Mazze	*Schipani*, ex *Belcastri* Episcopo, aliique.
Monetii	

TROPEA.

Rediens ex subacta *Africa*, atque diruta *Carthagine* victor *Scipio* in *Italiam*, in prima, ubi appulit, terra, exstare voluit monumentum victoriæ suæ. Hic itaque loci, hostiis Diis cæsis, Tropea erexit, unde *Trofea* postea Civitas dicta fuit, prout testatur *Constantinus Lascaris* in Libro, quem de *Philosophis Calabris* conscripsit. Verum corrupto postea vocabulo, & *f.* in *p.* permutato, *Tropea* appellata fuit.

Affirmat quoque *Janus Parasicus* a *Trofeo* nomen accepisse *Tropeæ*, verum Historiam paulo aliter narrat; quum enim, inquit, *Sextus Pompejus* in navali conflictu *Octavianum Cæsarem* superasset ad *Vaticanum* Promontorium, triumphabundus in terram egressus, Tropæa erexit, atque monumentum victoriæ suæ cogitans relinquere, Urbem condidit, quam *Triumphum* (*Trionfea*) appellavit, hodie *Tropea* dictam.

Ornatur dignitate Episcopali, cujus exordium antiquissimum est. *Stephanus* enim, ejus Episcopus, Concilio adfuit *Niceno* II. prout annotat *Marafiottus* in *Chronico Calabriæ*. Multis clarisque viris illustris fuit; condecorarunt enim illam inter alios *Vincentius Laurus*, Episcopus *Mondoni*, Civitatis in *Sabaudiæ* Ducatu. Hic post multas Legationes pro S. Sede obitas, a *Gregorio* XIII. felicis memoriæ, Cardinalis fuit creatus, sub titulo *S. Mariæ in Via Lata*. Sed & præter hunc *Marcus Laurus*, Episcopus *Campaniæ*, & *Theophilus Galuppus*, Episcopus *Oppidi*, qui & Concilio interfuit *Tridentino*. Floruêre & ibidem *Franciscus Gabriel*, celebris Doctor Legum, *Ludovicus Ventus*, Magnus Seneschallus, *Ludovicus Vulcanus*, Triremium Archithalassus, quas Rex *Ferdinandus* II. in *Tropeæ* habuit Navalibus, *Joannes Malatesta*, qui, quum inter præsidiarios *Crotonis* inveniretur, in honorem Regis Catholici singulare certamen iniit cum *Mustapha* quodam fortis-
147 simo ex *Turcis*, cui victo caput abscidit, quare propter virtutem donatus a Rege Oppido quodam in *Abruzzo*, seu *Vestinis*, aliisque muneribus affectus est.

Jacet in S. *Dominicæ* vico corpus S. *Dominicæ*, virginis & Martyris.

C. d'Engenio.

In Urbis autem Nobilitate sequentes numerantur Familiæ:

Afflitti	*Galuppi*
Aaroli	*Lumicisi*
Aquini	*Lancellotti*
Angelini	*Mortirani*
Baroni	*Migliaresi*
Buongiovanni	*Pellicia*
Braccio	*Pipini*
Coivani	*Pignatelli*
Caputi	*Portugalli*
Campani	*Puglisi*
Caraccioli	*Scartaretica*
Consiglia	*Schiavelli*
Coppula	*Tocco*
Del Duce	*Tomacelli*
Facili	*Toraldi*
Fazzelli	*Traufo*
De Franza	*Tropiani*
Frezza	*Viento*
Gabrieli	*Vulcani*, & alii.

HENRICI BACCI 148
149
Alemanni,

BREVIS DESCRIPTIO

TERRÆ D'OTRANTO

SEPTIMÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Castellorum, quæ ibidem exstant, ut & enumeratione Familiarum, quæ in singulis secundum novam hanc computationem inveniuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum (di Demanio) *atque Camerarum Reservatarum, quæ ibidem sunt.*

Accedit Tributum, seu Impositio, quam pendunt Aulæ Regiæ.

Correcta atque aucta per CAESAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

Provincia Terræ *di Otranto* olim *Hydruntum*, *Japigia*, *Messapia* & *Salentina* dicta fuit. Ab Occidente *Basilicatæ* jungitur, ab Aquilone Terræ *di Bari*, a reliqua Septentrionis & Cauri partibus Mari alluitur *Adriatico*, ab Oriente vero, Noto & Meridie Mari *Ionio*.

Insigne ejus sunt trabes quatuor rubræ in campo aureo per longitudinem extensæ; super illas cernitur Delphinus squamatus, qui lunam dimidiatam ore retinet. Origo hujus Insignis referenda venit ad annum MCCCCLXXXI. quo tempore *Alphonsus Arragonensis*, Dux *Calabriæ*, filius *Ferdinandi* I. Regis *Neapolis*, ab Urbe *Otranto* repulit *Turcas*, ut & ab aliis in vicinia locis. Cives itaque & incolæ in testimonium accepti tanti a Rege suo beneficii, qui eos ab impia *Mahumetis* II. *Turcarum* Imperatoris tyrannide liberaverat, hoc sibi Insigne assumserunt. Quatuor enim illæ trabes rubræ in aureo campo Insigne exprimunt Regis *Ferdinandi Arragonensis*. Delphinus, res nova haud est: jam olim enim, prout ex vetustis discimus Numismatibus Delphinus cum *Neptuno* insigne fuit *Salentinorum*, verum accessit 150
illi modo luna dimidiata, quam ore tenet, qua innuitur Imperium *Turcicum*, quod hic stabilire Tyrannus *Mahumetes* voluit, fortiter & feliciter ab *Alphonso* & incolis a tam pulcra regione propulsum.

Sunt in Provincia hac octo Arces seu Castella, præsidiis bene munita. Portus marinos celebres valde duos habet, ut *Tarentum* in Mari *Ionio*, & *Brundusium* in Mari *Adriatico*. Urbes continet XIV. ex quibus *Otranto*, *Brundusium*, *Tarentum*, &

& *Matera* Archiepiſcopales ſunt; Epiſcopales vero ſunt, *Aleſſano*, *Caſtellaneta*, *Caſtro*, *Gallipoli*, *Lecce*, *Motola*, *Nardò*, *Oſtuni*, *Oria* & *Ugento*; Oppida & Caſtella CLXX. habet, in univerſum CLXXXIV.

Reſidet in hac Provincia Audientia Regia, in Urbe *Lecce*, cum Vice-regis ſuo (qui ſtipendium annuum habet octingentorum ducatorum) & tribus Auditoribus, qui ſinguli habent ſtipendium item annuum quadringentorum ducatorum, Advocato, & Procuratore pauperum, tubicine item, atque bipenniferis duodecim, ut & cohortis Capitaneo, omnibus Regiæ Aulæ ſtipendiariis.

Ubi hoc invenitur ſignum † ſunt Cameræ Reſervatæ.

	Olim		Nunc.
		A.	
	58	*Acquarica di Lecce*, habet familias	60
	65	*Acquarica del Campo*	85
	28	*Andiano*	24
	110	*Alcaras*, alias *Ceſine*	34
	161	† *Aleſſano*	226
	127	*Aradèo*	105
	114	† *Arneſano*	120
	12	*Arigliano*	19
		B.	
	51	*Barbarano*	86.
	157	*Bagnola*	239
	1836	*Brindeſi*	1978
	116	† *Burgagne*, & *Paleſe*	129
	115	† *Bugiardo*	206
	43	*Butrugno*	97
	15	*Belvedere*	15
		C.	
	284	*Carovigna*	291
	1560	† *Caſtellaneta*	1683
	560	*Ceglie*	616
	717	*Caſalnovo*	986
	443	*Campie*	621
	126	*Cellino*	171
	98	*Carmiano*	168
	500	† *Cupertino*	623
	28	*Caſamaſella*	21
	215	† *Carpignano*	704
	40	*Caſtroguarino*	49
	41	*Caſtrofrancone*	58
	116	*Cavallino*	132
	370	† *Curigliano*	442
151	167	*Curſiomnium*	238
	46	*Cannole*	75
	205	*Caſtrignano*	289
	95	*Caſtrignano del Campo*	126
	102	*Cutrofiano*	111
	145	† *Caſarano*	281
	66	*Cugniano*	67
	33	*Caſtiglione*	70
	35	*Caſtro*	11
	49	*Cucumula*	59
	108	*Cerfignano*	87
	10	*Caſalicchio*	6
	104	*Calimera*	135
	28	*Caprarico del Campo*	22
	119	*Cruſano*	147
	91	*Craparica di Lecce*	113
152	152	*Cavellino*	351
	32	*Carafino*	48
	16	*Civitella*	26

Olim		Nunc.
	D.	
12	*Depreſſa*	30
67	*Dito*	84
	E.	
3	*Erchie*	10
	F.	
270	*Faggiano*	110
100	*Fragagnano*	122
138	*Fallino*	185
836	† *Francavilla*	1020
	G.	
504	† *Galatola*	605
266	† *Gagliano*	240
1385	*Galipoli*	1371
366	† *Ginoſa*	409
80	*Giordignano*	50
1208	*Grottaglie*	1320
215	*Guagnano*	321
	I.	
130	*Juliano*	136
141	*Jurdignano*	167
	L.	
141	*Lataranta*	180
447	*Latrano*	505
6167	† *Lecce*	6023
115	*Leporano*	103
325	*Legnile*	401
115	*Lenorano*	103
60	*Lionte*	25
79	*Liſte*	88
70	*Leccianello*	116
93	*Luciano*	85
	M.	
47	*Magliano*	15
106	† *Maglio*	160
121	*Maladugno*	173
27	*Maritima*	39
246	*Martano*	328
1837	† *Martina*	2195
421	*Marugio*	431
800	*Maſſafre*	911
2495	† *Matera*	3110
153	*Matino*	263
27	*Mellezzano*	33
297	† *Melpignano*	378
38	*Metino*	50
859	† *Miſagne*	1116
66	*Miſciano*	65
120	† *Monacizzo*	120
154	*Monorbino*	247
297	*Montegiano*	378
40	*Monteruſo*	80
20	*Montemeſale*	50
182	*Monterone*	262
19	*Monteſano*	41
114	*Monteſardo*	138
229	*Morciano*	231
20	*M[illegible]ricino*	40

Olim		Nunc.
234	† *Motula*	161
127	† *Muro.*	781
	N.	
1468	† *Nardò*	1627
38	*Niviano*	66
25	*Nociglia*	26
43	*Noia*	44
	O.	
40	*Oglavo*	66
654	*Oira*	597
39	*Ortella*	51
1624	*Oſtuni*	1908
918	*Otranto*	578
	P.	
70	*Poleſmello*	58
40	*Paleſmo*	78
94	*Palmariggio*	99
234	† *Paravita*	299
40	*Panti*	30
18	*Piſignano*	40
163	† *Perſiano*	180
30	*Prate*	15
20	*Pregiano*	40
36	*Preſizzo*	60
15	*Pulſano*	45
	R.	
20	*Reale*	30
	Rocca	210
247	*Rogliano*	247
35	*Rogiano*	17
	S.	
297	† *Salice*	414
848	*Salignano*	55
215	*Salve*	305
121	*Sannarinca*	123
51	*San Caſſiano*	78
47	*S. Criſpero*	60
54	*S. Donaci*	82
110	*S. Donato*	125
	S. Giorgio	21
226	† *Santa Maria de Nova*	235
106	† *Secli*	131
195	*Scorrano*	165
52	*Scogliano*	75
	Solito	593
	Specchia di Preite	265
87	*Specchio di Minorvino*	75
537	*Squinzano*	563
6	*Stigliano*	6
88	*Strutta*	96
276	† *Stornatia*	314
48	*Supleſſano*	81

Olim		Nunc.	
41	*Spagnano*	50	
23	*Suriano*	36	
66	*Succiavello*	83	
342	† *Santo Vito*	454	
20	*S. Pancratio*	47	
173	† *Santo Pietro Vernotico*	193	
990	† *Santo Pietro Galatina*	940	
327	*Santo Ceſaro del Barone*	227	
200	*Santo Ceſario di Santa Croce*	320	
48	*Santo Ceſario de Matteis*	42	
6	*S. Eufemia*	6	
1	*S. Pietro di Lama*	12	
	Santo Placanzo	45	153
	Santo Marzano	54	
30	*Santo Martino*	50	
	Santo Dona	39	
	T.		
410	*Taurano*	300	
85	*Tauriſano*	300	
3861	*Taranto*	3617	
145	*Tadiciano*	270	
115	*Terza*	743	
129	† *Trepuzzi*	251	
201	*Trecaſe*	278	
65	*Tiggiano*	76	
146	Turris *di Padula*	187	
16	Turris *di maro*	58	
70	*Torricella*	90	
60	*Tarchiarolo*	107	
94	*Turino*	137	
117	*Turturano*	126	
182	† Turris *di Santa Suſanna*	236	
	V.		
12	*Vagliano*	12	
12	*Vanſe*	12	
36	*Vaſte*	21	
271	*Veglie*	314	
205	*Vetrana*	200	
21	*Vicinanza*	25	
97	*Vigiano*	145	
71	*Vigiano di Monteſuſcolo*	84	
24	*Viſignano*	36	
20	*Vigna Aſtreſe*	38	
153	† *Ungento*	271	
56	*Vernole*	75	
50	*Viſcianello*	66	

Urbes & Oppida perpetuo libera a tributo in hac Provincia ſunt.

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
1636	*Brunduſium*, habet familias	1870	3865	*Taranto*	3000
270	*Faggiano*	108	6	*Santa Eufemia*	6
1283	*Gallipoli*	1283	127	*Aradeo*	105
918	*Otranto*	551	157	*Bagnulo*	213
117	*Turturano*	126	5	*Puzzo dell' Horto*	5
			6167	*Lecce*	6167

Nomina Urbium & Oppidorum di Demanio, ſeu Aulæ Regiæ, quæ in hac Provincia ſunt.

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
1436	*Bruduſium*, habet familias	1870	918	*Otranto*	573
1381	*Gallipoli*	1283	537	*Squinzano*	597
6167	*Lecce*	6160	3865	*Taranto*	3617
2895	*Matera*	3118	186	Turris *di B. Suſanna*	236
1624	*Oſtuni*	1908			

154 *Impositio seu Tributum, quod pendunt singulæ Familiæ in hac Provincia Aulæ Regiæ.*

Pendit duo grana, & decem equos pro *Barricello*, pendit autem in mensem.

Castella atque Turres exstructæ in Provinciæ hujus custodiam.

1 Castellum *d'Otranto.*
2 Castellum *di Lecce.*
3 Castellum *grande di Brindisi.*
4 Castellum *dell' Isola di Brindisi.*
5 *Forte di Brindisi.*
6 Castellum *di Gallipoli.*
7 Castellum *di S. Cataldo.*
8 Castellum *di Taranto.*

In territorio Civitatis *d'Otranto.*

1 Turris *d'Orto.*
2 Turris *pelagia.*
3 Turris *di S. Stefano.*
4 Turris *S. Milano.*
5 Turris *dell' Atteglio in territorio di Galatea.*
6 Turris *di Buracco in territorio di Marugio.*

In territorio di Nardo.

7 Turris *del Crustamo.*
8 Turris *del Crito.*
9 Turris *di Castiglione.*
10 Turris *di S. Maria dell' Allo*
11 Turris *di S. Sidero.*
12 Turris *della Casa del Rio, in territorio di Diso.*

In territorio di Brindisi.

13 Turris *Capogallo.*
14 Turris *Matrelle.*
15 Turris *Penna.*
16 Turris *Cavallaccio.*

In territorio di Lecce.

17 Turris *Chianca.*
18 Turris *Rinalda.*

In territorio di Punice.

19 Turris *Fiumicelli.*
20 Turris *del Pizzo in territorio di Taviano.*

In territorio di Castignano del Gapo.

21 Turris *Imbriachello.*
22 Turris vecchia *del Porto di S. Maria di Leuca.*

In territorio di Gagliano.

23 Turris *Montelongo.*
24 Turris *Navaglie.*

Nel territorio di Taranto.

25 Turris *pezzi di Tara.*
26 Turris *Rendinella.*
27 Turris S. *Vito.*
155 28 Turris *della Luna di donne.*
29 Turris *del fiume di Taro.*
30 Turris *Monte dell' ovo in territorio di Marugio.*

In territorio di tre case.

31 Turris *del Porto.*
32 Turris *piana.*
33 Turris *Guascito in territorio di S. Vito.*
34 Turris *di Mattefante in territorio di Morciano.*
35 Turris *Naspere in territorio Tigiano*

In territorio d'Ostuni.

36 Turris *di Puzelle.*
37 Turris S. *Leonardo.*
38 Turris *Porto Mingrano in territorio di Brigiando.*
39 Turris *del porto di Leverano.*
40 Turris *Portorosso in territorio di Mombrino.*
41 Turris *di Protoripa in territorio d'Adrano.*
42 Turris *porta Badiscio in territorio d'Ugiane.*
43 Turris *de i Pali in territorio de Selve.*
44 Turris *Rocca vecchia in territorio di Carpignano.*
45 Turris *di S. Gennaro in territorio di Salignano.*
46 Turris *di S. Maria in territorio di Salignano.*
47 Turris *di S. Giovanni in territorio d'Ugento.*
48 Turris *di S. Lioro in territorio di Patù.*
49 Turris *Sansone in territorio di Falline.*
50 Turris *di Sapea in territorio di Gallipoli.*
51 Turris *Salsole in territorio di Monacizzo.*
52 Turris *suda in terra di Racle.*
53 Turris *S. Andrea in territorio di Burgagne.*
54 Turris *del Sasso in territorio dell' Abadia di Cornito.*
55 Turris *di Soca in territorio di Meladugno.*
56 Turris *di S. Cesarea in territorio di Muro.*
57 Turris *di S. Pietro Bavigno in territorio di Casalnovo.*
58 Turris *Pecchia della Guardia Cersignano.*
59 Turris *Specchio di Roggiero in territorio d'Aquarica di Lecce.*
60 Turris *Saturo in territorio di Lepano.*
61 Turris *Specchio grande in territorio di Corzano.*
62 Turris *dell' Urso in territorio di Martano.*
63 Turris *di Salline di Castellaneta.*
64 Turris *del Luzzo nella marina di Pulzano.*
65 Turris *di Porano in territorio di Cusano.*
66 Turris *di Novaglie in territorio di Gagliano.*

BREVIS DESCRIPTIO 156

Urbium quarundam atque Oppidorum in hac Provincia Terræ d'OTRANTO, *ubi Familiæ inveniuntur Nobiles.*

BRUNDUSIUM.

Urbs *Brindisi* a nobis dicta, *Brundusium* vocatur *Straboni*, ut & *Plinio*, *Livio*, *Ptolemæo*, atque aliis, atque secundum *Lucium Florum* Caput *Salentinorum* fuit. Condita, juxta *Trogum* Lib. *Historiarum* XII. ab *Ætolis* fuit. Hi quum Regem suum *Diomedem* secuti essent, loco postea pulsi sunt ab *Appulis*; consulto autem Oraculo, quem amplius peterent locum, responsum tulerunt, locum illum, quem occupaverant, perpetuo possessuros. Legatos itaque *Ætoli* ad *Appulos* miserunt petentes restitutionem loci, quod ni facerent, armis sese repetituros. Cognito autem Oraculi responso *Appuli* Legatos occiderunt, atque ita perpetuo in Urbe mansuros sepeliverunt, Oraculi ita fidem implentes.

Narrat *Strabo* ibi habitasse *Cretenses*, qui cum *Theseo* & *Gnosso* profecti erant ex *Creta*, hi sub Regum postea imperium ubi pervenerunt, magnam imperii partem nactus est *Phalantus* Dux *Partheniorum*, seu *Tarentinorum*, qui pulsus a suis, *Brundusium* sese contulit, atque honorifice ibidem exceptus) fuit. Temporibus denique *Romanorum* Colonia facta fuit, prout docet *Livius* Lib. XIX.

In Majore Urbis Ecclesia (quam consecravit Papa *Urbanus* II. anno MLXXXVIII. prout docet *Frezza* de *Subfeudis*, atque Episcopali dignitate exornavit) servantur magna cum veneratione corpora S. *Levitii* Episcopi Urbis, & S. *Theodosii* Martyris. Ostenditur ibidem adhuc integra lingua Doctoris Ecclesiæ S. *Hieronymi*.

Magnam *Brundusio* famam dedit *Marcus Pacuvius*, Poëta Tragicus, nepos *Ennii*, ut & *Nicolaus Fornari*, Magnus Protonotarius Regni, tempore *Guilelmi* III. Regis *Neapolis*.

C. d'Engenio.

In hac Civitate, quæ Regia est, sequentes sunt Familiæ Nobiles.

Balzo
Blanditii del presidente.
Claudio
Caraccioli
Cavalieri
Cuggio
Fornari
Pacuvii
Paudi
Ramundi
Ranieri
Sacchi
Salvatori
Scolmafora
Tomasini
Villanova, & alii.

157 ## GALLIPOLI.

Pulchra admodum & populosa est Urbs *Gallipoli*, quæ a *Plinio* vocatur *Anxa Senonum*, *Pomponius Mela* autem *Gallipolin* appellat. *Græcam* fuisse dicunt *Livius* atque *Strabo*; prout autem dicit *Razzanus*, primum a *Græcis*, deinde a *Gallis* habitata fuit. *Leander* autem *Alberti* priores incolas *Gallos* statuit, posteriores autem *Græcos*; Binos quoque istos populos ipsa evincit appellatio, quoniam *Gallipolis* dicta fuit, voce *Græca* Gentem unde dicta sit demonstrante, sicut pariter *Gallos* ipsa appellatione sua incolas testatur. Videntur autem primi inhabitasse *Galli*, dein *Græci*, si enim *Græci* priores fuissent habitatores, alio illam vocabulo appellassent. Confirmat idem electio quondam illorum, qui sacra *Græco* more celebrabant in Urbis hujus Ecclesia, atque ita per vices etiam solitus fuit Episcopus eligi ex natione nunc *Græca*, nunc *Latina*, quod pariter *Græcos* post *Gallos* venisse docet.

Celebris hæc Civitas est non minus munitionum suarum fortitudine, quam agri fertilitate, utpote oleo, vino, croco, aliisque abundans.

C. d'Engenio.

Est vero Civitas Regia, atque sequentes Familias habet Nobiles:

Barba.

Calò, hi ex Nobilitate *Constantinopolitana* sunt, & sæpissime ejus Familiæ fit mentio in Regiis Archivis Urbis *Neapolis*, ut suo loco dicetur.

Crisogiovanni	*Pepi*
Magis	*Scaglioni*
Nanni	*Sermaisti*, & alias.

LECCE.

Celebris Urbs *Lecce* una est ex præcipuis & antiquissimis Regni hujus; condita enim est a *Malennio*, filio *Dasummi*, Rege *Salentinorum*, ex *Noachidis*, atque nepos *Sale*, qui primus Insulæ *Cretæ* Rex fuit, nunc *Candiæ* dictæ; deinde vero Rex *Salentinorum*, prout dicunt *Julius Capitolinus* & alii, qui Vitas Imperatorum *Romanorum*, *M. Aurelii*, *Antonini Veri*, & *Lucii Veri* conscripserunt, qui (prout illi narrant) originem paternam a *Numa Pompilio*, maternam vero deducebant a *Salentinorum* Rege *Malennio*, quod insuper firmatur Marmore quodam aliquot ante annis in hac Urbe reperto, dum fundamenta extruerent Monasterii Monachorum S. *Mariæ della Nova*; est autem sequens hoc:

158 VT MARMOR DOCVIT HIC OLIM FORTE REPERTVM,
VICTORI IDOMENEO FUERAT IAM REGIA QVONDAM
HIC VBI FVNDARAT NOSTRAM MALENNIVS VRBEM,
VICTORI, HAVD QVOD MARTE SVO SVPERASSET, ET ARMIS
HOS SALENTINOS FORTES, IAPIGIVMQVE SODALES,
VICTIS NAM ILLIS AD LOCROS CONFVGIT AMICOS
SED QVOD CONIVGIO SIBI IVNCTA EVIPPA POTENTIS
FILIA MALENNI, DASVMMIQVE INCLYTA NEPTIS,
PRONEPTISQVE SALIS, DAVNI SOROR VNICA, ET HAERES
NOMINE DOTIS EI DEDIT HAEC FORTISSIMA REGNA,
QVAE NVLLO ILLI PRIVS POTERAT CONTVLERE FERRO.

A Apparet hinc conditam Urbem hanc a *Malennio* fuisse, non vero a *Lyctio Idomeneo*, qui (prout *Virgilius* III. *Æneidos* canit) post *Trojæ* Excidium belligeravit in Campis *Salentinis*, ubi *Lecce* jacet. Ita enim canit versu 400.

Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Hic autem, quum milites suos in littore exposuisset, *Salentinos* adorturus, quoniam eorundem Rex *Daunus* nullo modo permittere voluerat *Idomeneum*, vel quemquam ex suis, navibus egredi in terram; B *Apuliæ* Rex *Cleander*, frater *Diomedis* supervenit, tentavitque pacem conciliare inter utrosque, per matrimonii conditiones, ut scilicet in uxorem reciperet *Idomeneus* filiam *Malennii*, & Regis *Dauni* sororem *Euippam*, cui obventurum aliquando erat *Salentinorum* Regnum. Acceptis conditionibus, cum nova nupta in Urbem *Lecce* recepit sese *Lyctius Idomeneus*, illamque situ ampliorem & civibus frequentiorem idem postea effecit, atque ita ejus quasi de integro conditor exstitit; unde & plurimi originem & prima hujus Urbis incrementa ad ipsum referunt, prout docte & fuse demonstrat Pater *Antonius Beatillus*, ex C Societate *Jesu*, ejusque Religionis ornamentum eximium, in Vita S. *Irenes*, Virginis & Martyris, Urbis hujus Patronæ.

A *Normannis* deleta hæc Civitas, postea rursus, prout nunc cernitur, instaurata fuit, ampliore ambitu, magnificentissimis ædificiis exornata, ita ut parva appelletur *Neapolis*.

Gloriatur eadem cives suos habuisse S. *Orontium*, 159 ejusque fratrem S. *Fortunatum*, qui postea in Episcopali dignitate S. *Orontio* successit. Hi autem ad fidem Evangelicam conversi sunt a S. *Justo*, uno ex LXII. Discipulis *J.C.* fuit autem a S. *Paulo* Apostolo hic *Orontius* Episcopus hujus D Urbis electus, qui quidem tres omnes pro Fide Catholica jussu *Neronis*, in Urbe *Lecce* capite truncati fuerunt.

Sunt & ibidem corpora SS. *Irenæ* & *Ereniæ*, Virginum atque Martyrum. Sanctam ibidem vitam reliquit Pater *Berardinus Regalinus da Cardi*, Sacerdos ex Societate *Jesu*, qui anno MDCXVI. obiit cum communi Sanctitatis opinione, atque pariter in vita & post mortem complura patravit miracula.

Inter fortes autem bellatores eximium *Lecce* produxit *F. Leonardum Pratum*, Equitem Hierosolymitanum *Venosæ* Satrapam (*Baglivio*) inter præ- E stantissimos ævi sui Duces existimatum. *Venetis* fidem suam obligavit, ejusque Reipublicæ gloriam summis viribus tutatus est, hostium suorum terror, sociorumque protector & refugium. Hinc beneficii ejus memor Respublica *Veneta*, unacum Epitaphio marmoream illi posuit Statuam in Ecclesia SS. *Joannis* & *Pauli*.

Natus & ibidem est Frater *Robertus Caracciolus*, Monachus Ordinis Seraphici P.S. *Francisci*, qui prius *Aquini* fuit Episcopus, & Patriæ suæ. Composuit autem *Speculum Fidei*, & alia opuscula, dedicata Regi *Ferdinando*. Item *Ludovicus Paladinus*, F legatus Regis *Ferrantis* I. ad Aulam *Romanam*. *Antoniusdi Mosco*, Castrametator (*Mastro di Campo*) Imperatoris *Caroli* V. *Scipio Ammiratus*, Orator, Poëta & Historicus excellentissimus, aliique, quos brevitatis gratia nominare supersedeo.

Possedêre hanc Urbem Comitatus titulo *Normanni*, sicut postea alii Domini ex sanguine Regio, ex Familia *d' Engenio*, aliisque.

C. d'Engenio.

Nunc Regia est, atque Familiæ Nobiles hæ ibidem inveniuntur:

Dell' Acaia	*Maramonti*
Alelli	*Marifcalchi*
Alami	*Matici*
160 *Ammirati*	*Memoli*
Balduini	*Montefuscoli*
Baroni	*Delli Monti*
Belle	*Monica*
Buttera	*Musco*
Carboneri	*Di Noia*
Castromediani	*Paladini*
Castriotti	*Petraroli*
Catanetti	*Pirroni*
Cicala	*Prati*
Condò	*Prioli*
Del Doce	*Rarnò*
Delli Falconi	*Sambiasi*
Franconi	*Santori*
Frisani	*Saracini*
Georgi	*Scaglioni*
Giudici	*Scisco*
Groffoglietti	*Tafuri*
Guarini	*Ventura*
Lantoglia	*Verardi*, & alii.
Lobelli	

MATERA.

Volunt quidam Urbem *Materam* (quæ & *Acheruntia* quondam dicta fuit) a *Plinio* aliisque antiquis Scriptoribus *Mateolam* appellatam fuisse, atque habitatores *Mateolanos*. Clara autem Civitas est amplo suo atque fertili agro, qui inter alias res bolarmelum producit & terram sigillatam.

Anno DCCCXVI. quum a *Saracenis* teneretur, capta ab Imperatore *Ludovico*, flamma & ferro devastata fuit. Anno CMXL ibidem *Græci* superati fuerunt a *Longobardis*, qui Ducem hostilis exercitus, *Stratonem* nomine, præcipitem in Mare dederunt. Anno CMXCVI. a *Saracenis* obsessa post quatuor menses capta fuit; tanta autem tum fame pressa fuit Civitas, ut & matrona quædam, ne inedia interiret, filiolum suum mactaverit. Anno MLXXXII. Archiepiscopus *Arnoldus* Templum condidit sub nomine S. *Eustachii*, Pontifex autem Summus, *Urbanus* II. anno MXCIII. ibidem, prout scribit *Frezza* de *Subfeudis*, hospitatus est.

Cives Urbis hujus fuerunt *Eustachius*, dictus *de Matera*, Medicus excellentissimus, qui carmine conscripsit virtutem Balneorum *Puteolanorum*; item *M. Vitus di Matera*, Monachus Ordinis Prædicatorum, vir meritis suis notissimus.

Ornata Civitas hæc est Sede Archiepiscopali, atque unita cum Archiepiscopatu *Acerenze*. longo autem tempore titulo Comitatus fuit sub Dominio Ducum *Gravinæ*, licet possederint *Sanseverini*.

C. d' Engenio.

Regia nunc est, inque eadem Familiæ Nobiles hæ reperiuntur.

Agati	*Noia*
Alemi	*Ricchieri*
D' Angeli	*Senerchie*
Duci	*Santoro*
Elmo	*Trojani*
Ferrari	*Turco*, & alii.
Malvindi	

161

OSTUNI.

Jacet *Ostunorum* Civitas in confiniis Provinciæ *Terræ d' Otranto* & *Bari*, agrique ejusdem fertilissimi pertingunt ad Urbes *Brundusium* & *Monopolin*. Abundat frumento, vino, oleo, amygdalis aliisque rebus ad vitam humanam necessariis. Celebris etiam valde est propter Sylvas ingentes,

A quæ in circuitu sunt, & magnam vim præbent ferarum omnis generis, quæ ibidem magna copia reperiuntur.

C. d' Engenio.

Possedêre quondam *Sanseverini*, ut & *Gualtieri d' Engenio*, nunc autem Regia est, Suntque ibidem sequentes Familiæ Nobiles.

Bisanticci	*Petraroli*
Carducci	*Scaloni*
Larearii	*Zaccaria*, & alii.
Palmieri	

TARENTUM.

B Hanc Civitatem *Antiochus* a *Crotensibus* fabricatam asserit, qui una cum *Minoë* prius in *Siciliam* profecti, mortuo in *Camicis* prope *Localen* in Insula ista Rege, in hæc loca venientes, atque egressi in terram, pars quidem versus Mare *Adriaticum* perrexerunt, atque terrestri itinere *Macedoniam* petiverunt, *Buggei* dicti; multi quoque in hoc loco remanserunt, atque Civitatem condiderunt, quam ex quodam Duce suo *Tarento* dixêre *Tarentum*.

Lucius Florus a *Lacedæmoniis* vult fuisse conditam; *Solinus* vero ab *Heraclidis*; & *Servius* illa

C *Virgiliana* exponens Lib VII. versu 532.

Qua niger humectat flaventia rura Galesus,
Hic situs Herculei, si vera est fama, Tarenti.

Taram, filium *Neptuni*, Urbis facit auctorem, auctam vero postea scribit a *Phalanta* & *Partheniis*. A Flumine *Tara* alii dictam *Tarentum* volunt; ab *Hercule* alii derivant; alii denique a nucibus & pineis deducunt, quales molli producit cortice, *Sabini* autem quidquid molle est *Tarentum* appellant. Verum nobis præ reliquis prior placet sententia.

D Magna hujus Civitatis gloria *Archītas* est *Tarentinus*, Philosophus & Mathematicus. Prout autem scribit S. *Hieronynus* ad *Paulinum*, venit etiam 162
in loca hæc *Plato* ille magnus, ad invisendum *Aristoxenum* & *Lutitam* Philosophos. *Regerius* item *Tarentinus*, qui Logotheta fuit, aliique, quos brevitatis gratia omitto.

Temporibus Regum *Neapolitanorum* semper possessa titulo Principatus fuit a quibusdam ex majoribus natu filiis Regum, ut tempore *Rogerii*, qui *Neapolis* Rex fuit, a *Guilelmo*, filio ejus secundo, Regnique dein Successore, ut & nepote suo,

E *Tancredo*. Possedêre postea *Balzi*, inde *Ursini*, nunc vero Civitas est Regia, ornata dignitate Archiepiscopali, & valde celebris corpore S. *Cataldi*, Episcopi, qui, postquam peregrinationem instituisset versus *Hierosolymam* ad visendum S. Sepulcrum, divinitus fuit admonitus, ut huc sese conferret, atque ita mox *Tarentum* sese contulit, atque prædicatione Evangelii ad Fidem incolas ejusdem convertit, Urbisque Pastor factus, ubi multis sanctis enituisset virtutibus, in Domino obdormivit. Corpus ejus inventum postea fuit a *Dragone*, Archiepiscopo *Tarenti*.

C. d' Engenio.

F Sunt hic Familiæ Nobiles sequentes:

Ajello	*Calli del Marchese di Montefalcone*
Dell' Antoglietto	*Manfredi*
Buccarelli	*Marotta del Dottore Col' Antonio*
Capitignani	*Ponti*, & alii.
Carignani	
Delle Castella	
Falconi	

HEN-

163 HENRICI BACCI
164 *Alemanni*,

BREVIS DESCRIPTIO

TERRÆ DI BARI,

OCTAVÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Castellorum, quæ ibidem exstant, una cum enumeratione Familiarum, quæ in singulis, secundum novam hanc computationem reperiuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum, (di Demanio) *atque Camerarum Reservatarum, quæ ibidem sunt.*

Accedit Tributum, seu Impositio, quam pendunt Aulæ Regiæ.

Correcta, atque aucta per CÆSAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

PRovincia Terræ *di Bari*, antiquitus *Apulia Peucetia* dicta fuit, quæ a majori atque Septentrionali parte Provinciam tangit *Capitanatam*, & *Principatum Ulteriorem*, a Meridionali autem atque Australi parte, *Basilicatam* & Terram *d'Otranto*, a Cauro autem & Septentrionali ibidem Mari alluitur *Adriatico*.

Pro Insigni habet Campum quadrangularem, in cujus medio est Pastorale Pedum aureum, in fundo cœruleo positum, reliquum spatium ex angulis ad latera argento impletur. In hoc Insigni anguli illi confinia indicare videntur, quibus a reliquis dividitur Provinciis; Pedum autem illud Pastorale in S. *Nicolaum* incolarum denotat studium; tanto magis, quoniam corpus ejusdem Sancti in præcipua Provinciæ Civitate asservatur.

Habet hæc Provincia Fluvium *Ophantem*, Lacum *Adronicum*, & pulcherrimum Portum Marinum in Urbe *Trani*, una cum XIV. Civitatibus, ex quibus *Bari* & *Trani* Archiepiscopales sunt, Episcopales vero *Andria*, *Bisceglia*, *Bitontum*, *Bitettum*, *Conversanum*, *Gravina*, *Juvenatium*, *Monopolis*, *Molfetta*, *Monorvinum*, *Polignanum*, & *Ruvum*; Oppida autem & Castella insuper XXXVII. in universum LI.

165 Residet in hac Provincia Audientia Regia, in Urbe *Trani*, cum Vice-Regis suo, qui stipendium annuum habet DCCC. ducatorum, tribus item Auditoribus, qui singuli stipendium habent annuum ducatorum CCCC. Advocato item, Procuratore pauperum, Tubicine, duodecim bipenniferis, & Capitaneo cohortis, omnibus Regiæ Aulæ stipendiariis.

Ubi hoc invenitur Signum † sunt Cameræ Reservatæ.

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
	A.		109	*Cannito*	173
1022	† *Acquaviva*, Familias habet	1343	391	*Capurso*	424
			269	*Canose*	333
2121	† *Altamura*	2686	537	† *Cassano*	716
2191	† *Andria*	3164	315	† *Castellano*	611
	B.		65	*Casal della Trinità*	45
2165	*Bari*	1926			
2573	*Barletta*	3047	20	*Ceglie*	40
180	† *Binetta*	159	115	*Cellamare*	103
1271	*Bisceglia*	1678	543	*Cisternino*	629
1941	*Bitonto*	1514	1043	† *Conversano*	1629
587	† *Bitetto*	554		F.	
116	*Britutto*	189	356	*Fasciano*	680
	C.			G.	
449	*Casamassima*	578	400	† *Gioia*	524
226	*Carbonara*	196	587	*Giovenazzo*	751

A

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
351	*Grumo*	437	741	*Polignano*	816
2874	*Gravina*	2692	956	*Putignano*	1499
	L.			Q.	
93	*Losito*	70	1083	*Quarata*	1590
308	† *Loco rotundo*	425		R.	
	M.		1026	† *Ruvo*	1573
2785	*Monopoli*	2492	760	*Rutigliano*	709
124	† *Molfetta*	1415		S.	
1072	*Modugno*	1375	169	*S. Micandro*	265
770	*Mola*	1040	239	*S. Bramo*	317 166
40	† *Motione*	40		T.	
555	† *Monorvino*	753	1011	*Trani*	962
315	*Monopoli*	200	729	† *Terlizzi*	1057
	N.		151	† *Triggiano*	348
589	† *Noia*	746	317	*Turito*	194
688	† *Nuci*	807	127	*Turo*	517
	P.			V.	
751	† *Palo*	1136	283	*Valenzano*	195

B

Nomina Civitatum & Oppidorum Dominii Regii, quæ in hac Provincia inveniuntur.

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
3165	*Bari*, habet Familias	2626	1941	*Bitonto*	2514
			1272	*Biseglia*	1678
2575	*Barletta*	3470	1786	*Monopoli*	2492

C

Oppida, quæ per conventionem solvunt.

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
1011	*Trani*, habet Familias	962	386	*Fasciano*	680
			956	*Putignano*	1499
2191	*Andria*	3164			

Impositio, seu Tributum, quod singulæ solvunt Familiæ Provinciæ hujus Aulæ Regiæ.

Solvunt grana duo cum dimidio, & duas tertias equi pro *Barricello di Campagna*, & solvunt per mensem.

D

Castella & Turres exstructæ in Provinciæ hujus præsidium.

In *Bari* Castellum est *Bari*.
In *Barletta* Castellum *Barlettæ* est.
In *Trani* Castellum est *Trani*.
In *Monopoli* Castellum est *Monopolis*.

1 Turris *Carnosæ* in Territorio di *Bari*.
In Territorio *Barlettæ*.
2 Turris *di Lofanto*.
3 Turris *di Salina*.
4 Turris *di Pietra*.
5 Turris *del Goldorino* in Territorio *di Molfetta*.
In Territorio *di Monopoli*.
6 Turris *d'Anazo*.
7 Turris *di S. Giorgio*.
8 Turris *di Cintolo*.
9 Turris *di Pezzulo*.
10 Turris *d'Ancina*.
11 Turris *di Lama* in Territorio *di Bisceglia*.
In Territorto *di Polignano*.
12 Turris *di Rampagnone*.
13 Turris *di S. Vito*.
14 Turris *della Pecosa* in Territorio *di Noia*.
15 Turris *di Fiume di Canna* in Territorio *di Fasciano*.
16 Turris *di S. Spirito* in Territorio *di Bitonto*.

E

BREVIS DESCRIPTIO 167

F

Originis Civitatum Provinciæ hujus TERRÆ DI BARI, *ubi sunt Familiæ Nobiles.*

ANDRIA.

Hæc Civitas, prout in *Chronico* quodam Religiosi Ordinis *Cruciferorum* legitur, ædificata fuit a *Græcis*, ista ætate, qua in *Appulis* regnavit *Diomedes*; *Andria* autem dicta fuit ab *Andro*, Insula *Græca* in Mari *Ægeo*, non longe a *Samo*.

Contrarium tamen scribit *Guido Malaterra*, in *Chronico Normannorum* Cap. LXVIII. ubi dicit, *Petrum*, Nobilem *Normannorum*, Comitem *Trani*,

ni, cognatum *Dragonis* II. Comitis *Apuliæ*, inter alias *Appulas* Urbes condidisse quoque *Andriam*.

Multum Urbem hanc illustravit Episcopus suus S. *Riccardus*, qui natus est in Insula *Anglia*, & postquam gregem hic suam multa cum cura pavisset perdiu, plenus annis & dives meritis, mortalem reliquit vitam die Junii XIX. In Episcopali autem ejus Ecclesia miraculose ejusdem corpus inventum fuit (ibi enim sepultum erat) anno MCCCCXXXVIII. quum Summus sederet Pontifex *Eugenius* IV. felicis memoriæ, Dux autem *Andriæ* esset *Franciscus del Balzo*.

Ornatur hæc Civitas titulo Ducatus, qui quidem illi valde est antiquus, quum per longos annos in Familia *Balzorum* fuerit, quæ hodieque perillustris est, & inter Nobilissimas Regni enumeratur Familias. Successit enim *Pyrrho del Balzo*, in quo præcipue floruit decus Familiæ unica filia *Isabella*, quæ desponsata fuit *Frederico Arragonensi*, Filio *Ferrantis* I. qui in Regno *Neapolitano* successit *Ferranti* II. nepoti suo.

C. de' Engenio.

Nunc eodem titulo possidet Familia *Carrafa*, suntque ibidem sequentes Familiæ Nobiles.

Alessi	*Meroldi*
Conoscitori	*Meli*
Curtopassi	*Marulli*
Eccelsi	*Quarri*
Giannotti	*Tesorieri*
Giugni	*Vanulli*
Lupicini	*Vitani*
Maggi	*Volponi*, & alii.

BARI.

Bari à *Strabone Barri* & *Barretum*, a *Pompo-*
168 *nio Mela*, *Ptolemæo*, & *Cornelio Tacito Histor.* Lib. VI. *Barrium* appellatur. *Plinius* nominat *Barion*, qui etiam subdit, primitus dictam fuisse *Japygen* a *Dædali* filio. Postea vero a *Bariono*, uno ex novem *Pediculis* fratribus adaucta, & *Bari* vocata fuit teste *Razzano*. *Pediculi* juxta *Strabonem* & *Plinium* novem erant juvenes, qui cum totidem Virginibus ex *Illyrico* huc migrantibus, sedem ibi fixerunt: Ex quibus XIII. populi exorti, multa ibi excitarunt Castella. Dicebantur autem *Pediculi*, quasi pueri & infantes. Nam qui nobis *pueri*, *Græcis* παιδία *pædia* nuncupantur. Inde tamen nulla nobis credendi incumbit necessitas, quasi isti pueri sive infantes istas Regiones jugo suo subdere in potestate habuerint, atque adeo a sese ii dem indiderint denominationem: potius talis ip is honos a sociis concessus fuit, eo quod inter ipsos fuerint eminentiores.

Urbs hæc nulli istius Regni, nec morum civilitate, nec regionis fertilitate cedit; quippe frumento, vino, oleo, amygdalis maxime abundat: unde non sine ratione Caput Provinciæ appellatur, atque illius nomine Regio tota nomen *Bari* accepit, imo & Archiepiscopatus dignitate insignita quoque ipsa est.

Solebant ibi Reges *Neapolitani* & *Siciliæ* diademate redimiri: unde etiamnum ibi vestimenta aliaque regia insignia conspiciuntur, quibus quondam tempore coronationis & consecrationis utebantur. Maxime vero hæc Urbs præsentia Corporis divi *Nicolai Myræ* Episcopi, miraculis ibidem clari, conspicua est, in celebri multisque reditibus gaudente templo, a *Rogerio* Duce *Apuliæ* extructo, reconditi. Idem Corpus Sanctum scaturiginis instar liquorem quendam effundit (qualis vulgo *Manna* dictus) idque tam abundanti copia, ut omnes illa re in stuporem & admirationem abripiantur. Istius Divi Corpus a *Baresanis* circa annum MLXXXVII. ex civitate *Myra* (*Myrea*) *Barrium* translatum fuit. Maxima vero contentione exorta, quo loci Templum esset exædificandum (unoquoque istud in suo agro habere ambiente) post multas admodum concertationes tandem ita determinarunt, corpus Sacrum vehiculo ut imponeretur, & quo boum par istud sua sponte abducerent, nec ulterius simul progrederentur, Templum ibi esse condendum. Cives, ubi omnia citra moram præparassent, arca, in qua sacrum asservabatur corpus, manibus suis apprehensa, facibus præterea multis accensis, populoque ex Urbe frequenti comitante, prædictam arcam sive Capsam Currui imposuere. Mox boves, nemine impellente, progredi lento gradu inceperunt, nec tanta populi ingruentis turba moti, viæ æquali tenore insistentes, mare versus se contulerunt. Tandem ubi Currus non procul a Mari, in quoddam Ducis *Rogerii* venit territorium, boves, nullo eos continente, substiterunt. Nec, li- 169
cet adacti, diu ab eo loco discedere, nec pedem promovere voluerunt. Hinc maxima alacritate, nec ulla interposita mora, Templum titulo istius Sancti exornatum, ad culmen perducunt. Quum interea Sacrum illud Corpus in templo Sancti *Benedicti* Monachorum *Cassinensium* asservaretur: unde tandem a Duce cum pompa eleganti & frequenti Sacrum istud Corpus ex hac Ecclesia ad recens ædificatum Templum transvectum, ibi potsium fuit in loco honoratiore. (*Soccorpo.*)

Huic solemni pompæ interfuere Papa *Urbanus* beatæ memoriæ Pontifex, cum multis Cardinalibus aliisque Antistitibus, qui eodem tempore *Barreti* erat, qui & manu propria, sub summo Altari, Corpus Sanctum ex feretro deposuit.

Idem Pontifex novam istam Ecclesiam sacris usibus dedicavit, uti in marmore legitur, quod hodie adhuc ibi conspicitur: Secundo etiam mensis Decembris die MLXXXIX. Idem Pontifex *B. Eliam* Abbatem prædicti Monasterii *Benedictini* in Archiepiscopum *Barensem* consecravit, qui insuper Prior prædictæ Sancti *Nicolai* Ecclesiæ fuit constitutus. Postea Dux *Rogerius* a *Paschale* II. obtinuit, ut dicta Ecclesia ab omni jurisdictione ordinaria immunis, tantum Apostolicæ sedi subjiceretur: prout & hoc & alia item reperiuntur in diplomate dicti Pontificis, *Romæ* MCVI. consignato. Anno MCCXC. *Carolus Secundus* Rex *Neapolitanus*, ardens divi *Nicolai* cultor, præter alia isti Ecclesiæ dono dedit duo oppida, *Rotilianum* & S. *Nicandrum*, præterea quamplurimas eximii pretii vestes & pannos. Voluit etiam inter alia, ut esset Sacellum Regium, & a XLII. Canonicis LVIII. Sacerdotibus beneficiatis (ut dicunt) ibi cultus divinus perageretur: quod & postea a *Clemente Quinto*, B. Memoriæ, confirmatum est, uti ex Codicillo, Pontificatus sui tertio anno adornato, apparet.

In prædicto *Soccorpo* asservatur corpus Beati *Eliæ* Archiepiscopi *Barensis*, sunt etiam in Archiepiscopatu Corpora S. *Sabini*, S. *Memoris*, S. *Ruffini* Archiepiscopi *Canosæ*. Ditissimus etiam in isto Templo conspicitur thesaurus, ubi in magna copia reperiuntur quamplurima vasa aurea, argentea, quin & multæ non exigui pretii Imagines, ut & magnæ æstimationis vestes sacræ. Traxerunt ex ista Civitate originem *Robertus*, & *Sparanus*, *Barensis*, Regni Protonotarius, *Majon*, qui ex Notario Curiæ, virtute sua meruit, ut Magnus regis Cancellarius evaderet, postea Regis *Guilhelmi* factus est Magnus Admirantus, seu Archithalassus.

Hæc civitas sub titulo Ducatus a *Jacobo Caldora*, Regis *Renati* Præfecto Militum possessa fuit, ut & a *Joanne Antonio Caldora*, Connestabili

bili & Regis Vicario in tota ista Regni parte,
170 quæ Regi *Renato* obedientiam præstabat, postea a *Sforzescis*, Dynastis *Mediolanensibus*.

C. d'Engenio.

Hodie Urbs Regia est, sequentibusque Familiis Nobilibus claret:

Affaitati	*Lamberti*
Arcamoni	*Lampugnani*
Boccapianoli	*Masilla*
Carducci	*Marsilia*
Carrettoni	*Massimi*
Casamassimi	*Palombi*
Doppola	*Pascalivo*
Dottola	*De Rossi*
D'Effrem	*Taurisano*
Filippuccio	*Tresca*
Gerunda	*Ventura*
Gliri	*Visconti*, & aliis.
Izzinosi	

BARLETTA.

Digna tali nomine Civitas, utpote quæ in sese continet Sedem Archiepiscopalem *di Nazarette*, atque ita dicta a multis Regibus, quibus sola appellatione est licitum Vicorum nomina in Urbes & Civitates permutare, non tantum propter celebria Prædia, sed& quod successerit in locum Antiquarum *Cannarum*, Urbis Episcopalis, verum destructæ, & non longe inde sitæ.

Hæc ejus Urbis sunt exordia. Jacebat hæc Urbs media inter *Tranum*, & Urbem modo laudatam, quæ nobis *Canne* dicitur, isto loco, ubi Turris cernitur erecta in commodum viatorum VII. milliaribus ab utraque distans Civitate, habens autem pro Insigni suo semicadum (*una Barriletta*) propter situs commoditatem, ubi habitari cœpta est, *Barletta* fuit dicta, accrescens autem sub Imperio *Zenonis*, & Pontificatu *Gelasii*, judicata a S. *Sabino*, Episcopo *Canosæ*, est pro loco opportuno ad exstruendam ibi Ecclesiam pro devotione habitatorum. Exstructa itaque ibi Ecclesia fuit in honorem S. *Andreæ* Apostoli; procuravit idem per Pontificem Summum *Gelasium*, cui erat amicissimus, ut, quum propter miraculum S. *Michaëlis* adesset idem in Monte *Gargano*, dignaretur simul consecrare Ecclesiam istam; quod accidit anno (secundum calculum Historicorum) circiter CCCCXCIII. quod sane ille Pontifex valde lubens fecit, intervenientibus ad idem negotium S. *Laurentio*, Episcopo *Siponti*, *Palladio*, Episcopo *Salpi*, *Etychio*, *Traini*, *Joanne*, *Ruvi*, *Eusterio Venosæ*, *Rogerio* denique, *Cannarum* Episcopis.

Facta autem hac consecratione, incolis sensim multiplicatis habitum bonæ jam Civitatis adepta est, præsertim ubi satis multi *Cannarum* incolæ ad eandem transiissent, pro commodiori ibidem mansione. Sicut autem, tamquam filia erat *Can-*
171 *narum*, ita & per multos annos communes invicem agros possederunt; verum propter lites quasdam (sicut passim inter vicinos fieri solet) divisêre postea, prout legitur in Registro *Caroli* I. anno MCCXCII. & MCCCIII. atque ex ejusdem Regis mandato muris est cincta, lapidibus strata, atque portis exornata.

Atque hæc vera est narratio ædificationis & accretionis *Barlettæ*, quantum capere licuit ex Scripturis, Auctoribus, atque Traditionibus Incolarum, quæ quidem ad veri notitiam multum conferunt, quum etiam vetus fama in tali negotio magnum veritatis sit argumentum.

Godefridus Malaterra in *Historia Normannorum* Cap. LXVIII. scribit, *Petrum Normannum*, Comitem *Traini*, inter alias Urbes atque Oppida, quæ excitavit in isto Regno, condidisse etiam
A *Barlettam*. Recentiores alii aliter tradiderunt. Ita *Jovius* in Vita *Magni Capitanei* (ut suam confirmet opinionem) quod stet ibi Statua *Heraclii* Imperatoris, ipsum *Heraclium* Urbis fecit auctorem; quod quidem merum est somnium, quum nec Auctor quis, nec Scriptura sit, unde idem affirmetur. Neque verosimile est, illos, qui hujus Principis Vitam scripto reliquerunt, prout satis multi inter *Græcos* sunt scriptores, hoc intactum relicturos fuisse. Neque etiam sinit, ut contrarium credamus, Memoria Consecrationis Ec-
B clesiæ ejus in honorem S. *Andreæ* Apostoli facta a Papa *Gelasio*, prout a nobis dictum est.

Invenitur ista ejus Ecclesiæ fundatio in Vita S. *Sabini Canusini*, in Vita S. *Laurentii Sipontini*, in Memoriis Ecclesiæ *Michaëlis Archangeli*, atque aliis ejusdem Provinciæ Scripturis Antiquis. Sophisticentur itaque alii quocunque velint more. Quum autem ista *Heraclii* Statua in Urbe hac, sit ex illis, quæ famam ejus augeant, operæ pretium est eandem recognoscere, ut ita & de Conditore Urbis & Historica veritate nobis constet.

Regnare cœpit Imperator *Heraclius* circa annum DCIX. multis rationibus addictissimus
C cultui S. *Michaëlis Archangeli*, cumque clara valde ejusdem S. *Michaëlis Archangeli* Miracula in Monte essent *Gargano*, pro sua devotione misit una cum aliis donis Statuam suam cum nave *Veneta*; verum quum *Veneti* nautæ, ubi in conspectum Montis venissent, ulterius vellent pergere, ut portarent illam in ipsam Urbem *Venetorum*, navis eadem a tempestate irruente in littus fuit projecta juxta Portum *Barlettæ*, una cum Statua, ubi quidem semifracta eadem Statua jacuit usque ad annum MCCCCXCI. quo tempore transvecta inde fuit in ipsam Urbem, atque ere-
D cta in Foro, prout adhucdum visitur, manibus pedibusque accommodatis. Licet autem *Joan-* 172
nes Villanus Statuam esse dicat Ducis *Beneventi*, contrarium tamen evincit habitus *Græcus*, atque similitudo oris ad illud *Heraclii* Imperatoris; subscripti præterera versus, qui quidem licet non dicant missam hanc Statuam ab Imperatore fuisse ad S. *Michaëlis* Ecclesiam (legitur enim in illis avectam *Venetias* fuisse) nihilominus confirmat id, quod diximus, Vetus Memoria Ecclesiæ S. *Michaëlis Archangeli*. Mos etiam fuit Imperatorum *Græcorum* sacrum hoc Templum pretiosis exornare donis; atque ab ipso adeo Imperatore *Zenone* donatæ sunt CL. libræ auri, tempore Apparitionis, ad ædifi-
E cationem Ecclesiæ S. *Stephani*, & S. *Agathæ*, Episcopo ejus S. *Laurentio*. Missæ autem ibidem a *Pantaleone* sunt portæ illæ æreæ, quæ adhucdum visuntur, prout ex earundem inscriptionibus apparet. Nec certe verosimile est, navem, quæ hic naufragium fecit cum illa Statua, illam avehere *Venetias* voluisse, quum certe, si desideravissent illam *Veneti*, multo facilius inde quam usque a *Constantinopoli* nancisci potuissent. Nec rursus verosimile est, passuros fuisse Imperatores *Græcos*, tam pulchrum Colossum, viginti enim palmos altitudine æquat, crassus pro proportione, a *Ve-*
F *netis* ad se rapi, licet facillime propter vicinitatem potuissent. Si autem aliquando *Constantinopoleos* dominium habuerint *Veneti*, id jam factum fuit longe post missam hanc in Urbem *Barlettam* Statuam, prout & ex *Joanne Villano* potest colligi.

Hinc jam intelligi potest, quam falsa sit *Ammirati* sententia, qui in *Familiis Neapolitanis* dicit, hanc Statuam a *Barlettanis* fuisse erectam Imperatori *Heraclio*, in gratitudinis signum, ad commodum enim mercatorum Cotonem (*il Molo*) Portus hujus Urbis fabricasse. Nam præterquam quod ipsa Statua immanis molis sit Colossus, atque ita non tantum sumtus incredibilis, atque ad-

eo majoris, quam in ipsum Cotonem fuerit expensus, cum & Memoria exstet Structuræ hujus tempore posteriori ab ipsis constructæ civibus; Præterea, inquam, Civitatis, pro isto tempore, haud tantæ fuere vires, ut impensas ad tale opus conferre potuisset.

Verum ut ad alia transeamus; habet eadem Civitas Archiepiscopatum di *Nazarette*, quod illuc transportatum est, quum ipsa Urbs *Nazareth* in Infidelium manus pervenerit.

Sita est in agro pulcherrimo, atque fructuosissimo, plateas habet egregias, & ædes amplas, muris præterea & fossis ad illum modum exornata, ut visu pulcherrima sit. Est ibidem Arx pulchra æque & valida; exquisita quoque Nobilitas, quæ magnificam agit vitam.

173 Cernuntur ibi Ecclesiæ atque Monasteria multa, cum multis Reliquiis, inter quas est corpus S. *Rogerii*, Episcopi *Cannarum*, Patroni & Protectoris Urbis ejusdem, in Ecclesia S. *Stephani*, quod Monasterium est Ordinis S. *Benedicti*.

Residet in eadem Urbe Tribunal Portulani, quod insuper *Regium Secretum* appellatur, quod est circa causas Maritimas duarum Provinciarum. *Fredericus* II. Civitatem hanc exornavit multum, & magni fecit, unde & falsus fuit *Joannes Rozzanus*, Episcopus *Luceræ*, scribens, *Barlettam* a *Frederico* fuisse conditam.

C. d'Engenio.

Familiæ Nobiles ibidem sequentes sunt:

Affaitati di Bari	*Della Marra*
Acconciaiochi	*Marulli*
Bonelli	*Nicastri*
Cataldo, seu *Queraldi*	*Orsini*
Comonte	*Pappalettere*
D'Elefanto	*Santa Croce*
Delli Falconi	*Strazza*
Gatiano	*Stoppa*
Galiberti	*Vischi*, & alii.
Gentili	

BITONTO.

In fertilissimo agro hæc Civitas sita est, omnibus plane abundans, quæ ad vitam humanam sunt necessaria. *Bitonto* appellatur ab incolis, quod (prout dicit *Rozzanus*) velut *totum bonum* sit Oppidum, litera *n.* sede sua mota, quasi dicta esset *bientoto*. *Bituntum* vocat *Volaterranus*.

Hanc Marchionatus titulo possederunt Domini ex Familia *Acquaviva*, nunc autem est Regia. Magnum ejus decus est Dominus *Cornelius Mussus*, ejusdem Antistes, tantæ famæ atque meritorum vir, ut ubique terrarum cognitus sit. Illustrarunt etiam Civitatem hanc *Antonius* ex *Fratribus Minoribus*, eloquentissimus homo, & *Marianus*, Monachus *Dominicanus*, qui universæ *Italiæ* vim ingenii & acumen in disputando notam fecerunt.

C. d'Engenio.

Sunt in *Bitonto* hæ Familiæ Nobiles:

Affatati	*Ildaris*
Alitti	*Perrese*
Baroni	*Regna*
Bove	*Rogadei*
174 *Gentili*	*Saluzzi*
Giannoni	*Sassi*
Girardi	*Scaraggi*
Labini	*Silos*
Di Lucio	*Tacola*
Maggiori	*Valeriani*
Paduli	*Veritate*
Planella	*Volponi*, & alii.

A

GIOVENAZZO.

Magnam huic Urbi famam conciliavit B. *Nicolaus da Giovenazzo*, unus ex primis S. *Dominici* sociis, qui & meruit, ut illi revelaretur modus translationis Sancti Corporis ejusdem. Habuit hic Servus Dei multas pulcherrimas visiones & gustus Cœlestis gloriæ, atque post multos annos in Religione sua transactos ad meliorem vitam migravit in Urbe *Perusiæ*, plenus Sanctis meritis, sepultus autem fuit in Ecclesia Ordinis sui, prout legitur in *Chronicis Dominicanis*.

B Olim quidem in initio hæc Urbs *Egnazzuolæ*, seu *Egnatiolæ* nomen habuit ab illustri Urbe *Egnatia*, isto in tractu quondam situ, ex cujus residuis adhuc ruinis quibusdam *Egnatiolam* ædificarunt, prout dicit *Pontanus* Lib. II. *Bellorum Neapolitanorum*.

C. d'Engenio.

Possidetur hodie Comitatus titulo a Principibus *Molfettæ*, ex *Gonzagarum* Familia. Habet autem sequentes Familias Nobiles:

Braida	*De Planca*
Boccapianola	*Delli Pavoni*
Barnaba	*Ricci*
C *Castiglia*	*Risi*
Chiurlia	*Roberti*
Framarini	*Sagarica*
Gaeta	*Saraceni*
Gaudio	*Sassi*
De Migronibus	*Spinelli*
Mena	*Sindolfi*
Morola	*Valloni*
Nicastri	*Zurli*, & alias.
Paglia	

MOLA.

D Condita hæc Civitas ex antiquæ Civitatis *Formiæ* ruinis, ut dignoscatur ab illa, quæ prope *Cajetam* est, *Mola di Bari* dicitur, a Provincia scilicet, in qua sita est.

Fuit olim sub dominio Familiæ *Toraldæ* ex *Polignani* Marchionibus, qui ibidem in Civitate Arcem exstruxerunt; nunc autem sub titulo Comitatus paret *Michaëli Vaëzo*, Nobili *Portugalensi*, Domino virtutis & meritorum plurimorum. Abundat terra hæc optimo oleo atque aliis fructibus.

C. d'Engenio.

E Sunt ibidem Familiæ sequentes Nobiles:

Cesari	*di Matteo*
Candeli	*Minervi*
Girandi	*Quintanigli*
Lilli	*Rotondi*
Lupis	*Suschi di Rocco*, & alii.

MOLFETTA. 175

Urbs admodum civilis & bene habitata; a quibusdam *Morphetta* dicitur, ab aliis *Malphetta*. In fertilissimo jacet territorio (ut & aliæ Civitates in eadem regione) ex qua proveniunt omnes res ad F vitam humanam necessariæ. Sunt & ibidem amygdala, oleum, mala punica, citrea, atque aliæ fructus.

Urbs hæc titulo Principatus possidetur hodie a Dominis *Gonzagis*, qui originem suam ducunt a D. *Ferrante*, uno ex fortissimis, celeberrimis, atque Illustrissimis Ducibus Imperatoris *Caroli* V. Antea autem pertinuit ad Familiam *Capuanam*, ex qua ad *Gonzagas* per donationem transiit.

C. d'Engenio.

Sunt ibidem Familiæ Nobiles sequentes:

Agni

Agni	*Lupis*
Andreoli	*Majorana*
De Angileis	*Maranta*
Bottoni	*Micchelli*
De Electis	*Monni*
Falconi	*Passeri*
Gadaletti	*Porticelli*
Lanza	*Rufoli*
Lepori	*Tattoli*
Di Lucelli	*Volpicelli*, & alii.

MONOPOLI.

Urbs hæc haud valde antiqua eſt, neque ullus veterum Scriptorum mentionem ejus facit; *Volaterranus* tantum de illa agit, & vult conditam eſſe ex ruinis *Egnatiæ*, quæ ſubtus eandem jaceat, quod & affirmat *Frezza de Subſeudis*.

Ornatiſſima ſumtuoſis eſt ædificiis aliisque rebus egregiis. Eſt ibidem Capella in Eccleſia Primaria, quæ exornata eſt Statuis marmoreis longe artificioſiſſimis, excellenti operis artifice *Ludovico Florentino*.

Civis hujus Urbis fuit Fr. *Hieronymus* Ordinis *Prædicatorum*, dictus *il Monopoli*, vir doctiſſimus, qui longo tempore publice *Patavii* docuit, unde propter virtutem ſuam factus eſt Archiepiſcopus *Tarenti*. Illuſtravit etiam Civitatem hanc *Bartholomæus Sibylla* ejusdem Ordinis, Philoſophus excellens, & Theologus primarius. *Camillus* etiam *Quernus* Archipoëta, & Fr. *Anſelmus Marzatus*, Ordinis *Capucinorum*, qui creatus fuit Cardinalis Presbiter, titulo S. *Petri in Monte Aureo*, a fel. mem. *Clemente* VIII.

C. d'Engenio.

In Urbe hac, quæ Regia eſt, Familiæ Nobiles ſunt ſequentes.

176 *Acconciaioco*	*Manfredi*
Arponi	*Palmieri*
Barba	*Patricii*
Ferro	*Paſſarelli*
Galderiſi	*Ratta*
Indelli	*Rendella*
Mazzalorſi	*Riſi*
Marzati	*Sandalari*
Maſtroiodici	*Tarſia*, & alii.
Morano	

TRANI.

Condita hæc Civitas fuit a *Tyrrheno*, filio *Diomedis*, & poſtea ab Imperatore *Trajano* reſtituta atque ampliata, atque ex nomine ejusdem *Trajanopolis* dicta. Ager ejus, ejusdem, ut ſuperiores, eſt fertilitatis. Arx autem Urbis ſtructa eſt ab Imperatore *Frederico* II. una cum Portu pulcherrimo. Habet multas & præclaras ædes, eſtque Urbs Metropolitana, cujus Archiepiſcopus *Tranenſis* dicitur & *Salpenſis*, quum duæ hæ Eccleſiæ unitæ ſint.

Sunt ibi in Eccleſia Cathedrali (*Duomo*) corpora SS. *Eutitii*, Epiſcopi *Trani*, *Palladii*, ſeu *Pelagii*, Epiſcopi *Salpi*, & *Nicolai Peregrini*. In Eccleſiis S. *Mariæ Columnæ*, & S. *Franciſci de Aſſiſiis*, ſunt corpora S. *Stephani*, Papæ & Martyris, & Beati *Petri*, Monachi ejuſdem Ordinis.

C. d'Engenio.

Nunc quidem hæc Civitas, quæ Regia eſt, quatuor habet Sedilia, in quibus, prout conſuevit fieri in Urbe *Neapoli*, diſtinctæ ſunt ſequentes Familiæ Nobiles.

In Sedili PORTÆ NOVÆ.

Palagno.	*Elizarii.*
Paſepe.	*Sanſone.*
Stanga.	*Mandrico.*

In Sedili ARCHIEPISCOPATUS.

Mondelli.	*Criſpi.*
Buonſumito.	*Campanile.*

In Sedili S. MARCI.

Sifoli.	*Campitelli.*
Berlingiero.	*Ventura.*

In Sedili del CAMPO.

D' Angelis.	*De Cunio.*
Staffa	*Arcamone.*

HENRICI BACCI 177 178

Alemanni,

BREVIS DESCRIPTIO
D' ABRUZZO CITRA,
NONÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Caſtellorum, quæ ibidem exſtant, ut & enumeratione Familiarum, quæ in ſingulis, ſecundum novam hanc computationem, inveniuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum (di Demanio) *atque Camerarum Reſervatarum, quæ ibidem ſunt.*

Accedit Tributum, ſeu Impoſitio, quam pendunt Aulæ Regiæ.

Correcta atque aucta per CAESAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

POpuli, qui Provinciam *Abruzzo Citra*, ſeu *Citeriorem* inhabitabant, *Samnites* olim dicti fuerunt. Ab *Aquilone* Provinciæ *Abruzzi Ulterioris* adnectitur, & ab Africo tangit partem *Terræ di Lavoro*, a Noto autem jungitur Comitatui *di Moliſi*, a Cauri vero parte Mari alluitur *Adriatico*. Subjacet illi Inſula *di Tremito* in Mari iſto ſita.

Pro Inſigni habet apri caput, una cum jugo rubro in campo aureo; quo denotari videtur venatus ibidem aprorum, ſicut jugo illo, memorabile illud factum, quod accidit *Romanis* a *Samnitibus* ad *Furcas Caudinas*, licet & denotari utroque poſſit idem, ita ſcilicet, ut caput aprinum denotet ferociam *Romanorum* ſub jugo poſitorum.

Sunt in eadem Provincia quinque Urbes, ex quibus *Beneventum*, *Lancianum*, & *Civita di Chieti* Archiepiſcopales ſunt, Epiſcopales autem ſunt *Civita Borelle*, *Sulmona*, & *Ortona* ad Mare. Oppida autem & Caſtella CLXXV. habet, quæ in univerſum faciunt CLXXX. præter alias deſtructas, quarum ſtupendæ adhucdum viſuntur ruinæ, ſunt autem *Antina*, *Cominum*, & *Aquilonia*.

Reſidet in hac Urbe Regia Audientia, in Urbe *di Civita di Chieti*, una cum ſuo Vice-Regis, 179
qui & inſuper gubernat Provinciam *Abruzzi Ulterioris*. Habet autem ſtipendium annuum DCCC. ducatorum, cum duobus Auditoribus, qui ſinguli annuum ſtipendium habent CCCC. ducatorum, Advocato Fiſci, Secretario, Magiſtro Cameræ, Advocato, & Procuratore pauperum, cum duodecim Bipenniferis, Capitaneo, Tubicine, & Alguzzinis, ſtipendiariis Aulæ Regiæ.

Ubi hoc invenitur ſignum † Cameræ ſunt reſervatæ.

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.
	A.		271	*Arco*	140
813	† *Agnone* habet familias	791	56	*Ati*	38
			45	*Ariello*	63
101	*Alfidena*	195	33	† *Ateſſa*	617
71	*Altino*	53	555	*Abbareggio*	62
228	† *Anverſa*	228			

	Olim		Nunc.
		B.	
	83	*Bagnara*	92
	56	*Baselice*	46
	133	*Bellomonte*	167
	90	*Bulignano*	101
	452	† *Bucchianico*	456
	95	† *Bomba*	88
	90	*Bugliola*	70
		C.	
	62	*Canosa*	86
	75	*Cansano*	82
	261	*Casoli*	246
	173	*Casal Bordino*	87
	84	*Carpeneto*	75
	720	† *Caramanico*	871
	53	*Carretto*	60
	153	*Caronchio*	111
	237	*Campo di Giove*	158
	167	*Castiglione*	332
	178	*Casal in contrada*	192
	103	*Casa languida*	91
	111	*Castello novo*	140
	61	*Castro de Valde*	56
	329	*Castello di Sangro*	447
	148	† *Celenza*	145
	1816	*Civita di Chieti*	2195
	96	*Civita Luparella*	104
	82	*Civitella di Raim.*	52
	97	*Civita Burella*	96
	102	*Colle di Macine*	131
	48	*Civitella Alfidena*	53
	124	*Colle di mezzo*	60
	114	*Crecchio*	555
		D.	
	70	*Dogliola*	77
		F.	
	40	*Fallo*	40
	41	*Falascoso*	50
	310	*Francavilla*	236
	152	*Fara Santi Martini*	161
	68	*Fara Filiorum*	98
	59	*Filetto*	67
	129	*Forli*	87
	163	† *Fossaceca*	147
	99	*Fraine*	62
	55	*Friscia di Janniano*	69
180	138	*Frisa Grandinara*	135
	90	*Frattura*	98
	140	*Furci*	93
		G.	
	59	† *Gambarale*	70
	204	*Gessa Paleno*	283
	209	*Gesso Monte de riso*	172
	88	*Giugliano*	134
	124	*Guilme*	94
181	442	*Guardia grele*	468
		I.	
	132	*Introacqua*	172
		L.	
	206	*Lama*	295
	1353	*Lanciano*	1878
	64	*Lisia*	32
	96	*Lentella*	102
	109	*Letto Menopello*	128
	108	*Letto Palena*	170

Olim		Nunc.
	M.	
31	*Malanotte*	17
256	*Manupello*	261
116	*Miglionico*	60
74	*Monteferrante*	86
109	*Montenegro*	130
54	*Montelupiano*	57
154	*Monte de riso*	157
76	*Montegliaro*	88
	O.	
99	*Opi*	105
797	† *Ortona à mare*	218
132	*Ortona de Marci*	218
	P.	
167	*Paglietta*	61
305	*Palena*	310
178	† *Palmoli*	144
83	*Palumbaro*	118
287	† *Pacentro*	401
149	*Pesco Asseroli*	281
65	*Penna di Pedimonte*	93
320	† *Pesco Costanzo*	427
147	*Petima*	144
61	*Petransero*	77
163	*Perrurano*	322
117	*Petroro*	171
92	*Petrabundante*	103
59	*Petraferrazzana*	28
54	*Penna d'huomo*	46
125	*Pizzoferrato*	130
133	*Polutri*	97
262	† *Populi*	318
125	*Pratula*	159
114	*Prezza*	106
	Pescara	1
	Q.	
102	*Quarata*	77
	R.	
105	*Rapino*	127
212	*Ripa Tiatina*	204
206	*Rivisondoli*	229
177	*Rocca del Raso*	156
55	*Rocca Cinquemiglia*	59
120	*Rocca Morice*	238
82	*Rocca Scalegna*	45
197	*Rocca Valle scura*	250
35	*Rocca Caramanico*	46
121	*Rocca Montepiano*	181
104	*Rocca S. Giovanni*	113
101	*Rocca Spinalveti*	124
78	*Rocca di Casale*	85
118	† *Roio*	103
118	† *Rosello*	172
169	† *Raiano*	168
	S.	
159	*Salle*	181
281	† *Scacco*	368
150	*Schiavi*	153
170	*Serra Monacesca*	127
995	*Sulmona*	1292
77	*Santo Martino*	105
100	*Santo Vito*	104
297	*Santo Valentino*	324

	Olim		Nunc.
A	45	*S. Giovanni Lupino*	50
	213	† *Santo Buono*	209
	95	*Suerni*	117
		T.	
	273	† *Taranta*	242
	83	*Tollo*	108
	326	*Tocco*	361
	33	*Torri*	41
	85	*Torre bruna*	97
	126	*Torricella*	159
	241	*Turino*	138
	132	*Tusillo*	192
B	164	*Tornareccio*	185
		V.	
	73	*Vacro*	76
	197	*Varrea*	201
	911	† *Vasto Aimone*	869
	28	*Villa casa candidella*	33
	95	*Villa Lago*	73
	67	*Villa Varrea*	70
	10	*Vitrorito*	120
	111	*Villa Santa Maria*	110
C	254	*Villa Magna*	194
	71	*Villa Coppello*	115
	72	*Villa Santo Salvo*	36
	70	*Villa Ravea*	48
	25	*Villa Policorno*	21
	71	*Villa Alfonsina*	16
	5	*Villa Viano*	13
	14	*Villa Summi Vincoli*	17
	6	*Villa Torre Vecchia*	16
D	23	*Villa Torre gentilo*	13

Olim		Nunc.
10	*Villa Forca popolina*	20
4	*Villa Fonte chiara*	9
30	*Villa Fonte del Trocco*	31
10	*Villa Silvestro*	25
3	*Villa Santo Spirito*	3
4	*Villa Santa Rustica*	11
4	*Villa Santa Cecilia*	15
30	*Villa Pietra Constantina*	31
6	*Villa di Giovan Tomaso Mazzograsso*	13
10	*Villa Scortiosa*	10
20	*Villa S. Maria à Mare*	23
21	*Villa Cannapalo*	23
13	*Villa Stannazo*	18
39	*Villa Treglio*	54
4	*Villa Lazaro*	4
16	*Villa Corolessa*	7
10	*Villa Santa Pollinara*	5
10	*Villa Vasto meroli*	12
7	*Villa Santo Sangro*	18
8	*Villa Arielli*	22
30	*Villa novo in feudo Volignano*	10
1	*Villa Santo Pietro Mont'Urso*	1
5	*Villa Pompeo Petrucci*	5
	Villa Torrenova	3
146	*Ursana*	104

Nomina Urbium & Vicorum di Dimanio, *seu* 182
Dominii Regii, *quæ in hac Provincia inveniuntur.*

Olim		Nunc.
1816	*Civitas di Chieti* familias habet	1985
442	*Guardia Greli*	468
1357	*Lanciano*	1878
326	*Tocco*	361

Civitates Liberæ in eadem Provincia.

	Olim		Nunc.
	1816	*Civita di Chieti*	1985
	178	*Casal Incontrato*	194
	212	*Ripa Teatina*	205
E	70	*Villa Ranea*	48

Civitates & Oppida, quæ per Conventionem solvunt.

Olim		Nunc.
442	*Guardia Greli*	467
1353	*Lanciano*	1878
125	*Pratola*	159

Impositio seu Tributum, *quod singulæ Familiæ hujus Provinciæ Aulæ Regiæ solvunt.*

Pendunt tantundem, quantum Provincia *di Terra di Bari*, excepta tantum pensione Baricelli, pro quo pendent per mensem grana duo & quin-
F que equos ut & quartam ejusdem partem.

Turres, *quæ a Parte Maritima oram hujus Provinciæ tutantur.*

1 Turris *Moro*, in Territorio *di Ottona.*
2 Turris *Cavalluccia*, in Territorio *della Rocca.*
3 Turris *Fiumesoro*, in Territorio *di Francavilla.*
4 Turris *di Mocchia ad Mare*, in Territorio *d'Ortona*
5 Turris *d'Asinella*, in Territorio *di Polluno.*
6 Turris *di Sangro*, in Territorio *di Torino.*
7 Turris *di Penna*, in Territorio *Vallo.*

BRE-

183 ## BREVIS NARRATIO

De Origine quarundam Civitatum hujus Provinciæ ABRUZZO CITRA, *in qua Familiæ Nobiles inveniuntur.*

Civitas DI CHIETI.

Tegeates hæc Urbs a *Solino* dicitur, qui subjungit, Caput fuisse & Metropolim *Marrucinorum*; atque eodem nomine venit apud *Strabonem*; a *Ptolemæo* autem *Teatea* dicitur. Dictam ita volunt a *Thetide*, matre *Achillis*, utpote qui longo ibi tempore habitaverit, sicut dicit *Facius Ubertinus* Lib. III. *Dittamundi* sui, Carm. I. atque *Frezza* de *Subfeudis*.

Diruta eadem hæc postea fuit a *Pipino*, filio *Caroli Magni*, atque cremata, quoniam semper Cives ejusdem a *Longobardorum* steterant partibus. Verum instaurata dein, *Normannorum* temporibus, celeberrima fuit, propter situs sui gratiam atque amœnitatem. Ibi enim iidem magis quam in aliquo alio hujus Provinciæ loco sedem elegerunt, ut *Blondus* in Historiis suis scriptum reliquit.

Sunt in hac Civitate Corpora S. *Justini*, S. *Flaviani*, S. *Eleutherii*, ejusdem Episcoporum, ut & Beatorum, *Felicis*, Monachi *Cassinensis*, & *Alberti*, Confessorum. Mentio ejusdem Civitatis sæpius etiam fit in *Chronico Cassinensi*, præsertim Lib. II. Cap. IX. ubi legitur, quomodo *Thrasimundus*, Comes *Chieti*, anno DCCCCLXXII intelligens *Landulfum*, *Capuæ* Principem, affinem suum, a *Capuanis* occisum, ingentem collegerit exercitum, atque una cum *Reginaldo* & *Odorisio*, Comitibus *Marsorum*, obsederit *Capuam*, atque paullo post percussores Principis nactus, crudelissimam inter illos stragem ediderit.

Temporibus *Caroli* I. Civitas hæc possessa fuit titulo Comitatus a *Radulfo Caracciolo*, & postea sub *Carolo* II. a *Philippo Flandro*, ut *Summontes* scribit Lib. III. Partis II. hodie autem Regia est, atque subscriptas Familias habet Nobiles.

C. *d'Engenio*.

Alveti	*Ramignani*
Di Eletti	*Valignani*
Henrici	*Veneri*, & alios
Petrucci	

184 ### SULMONA.

A *Solino Phrygio*, Comite *Æneæ*, ædificata fuit *Sulmona*, prout testis est Poëta *Ovidius* Lib. IV. *de Tristibus* Eleg. X. *Sulmo* vocatur a *Strabone*, atque ita etiam a *Ptolemæo*.

Hanc Urbem post longam obsidionem cepit *Jacobus Piccininus*, Dux fortissimus, qui militavit pro *Joanne Andegavense*, filio *Renati*, contra Regem *Ferdinandum*, ejusque Urbis simul Dominus factus est.

Data postea est a *Carolo* V. anno MDXXVI. cum Principatus titulo D. *Carolo di Lanoia*, Vice-Regis *Neapolis*, cujus stirps possedit usque ad nostra tempora; verum exstincta demum Familia, ad Regium Fiscum rediit, a quo vendita fuit Principi *di Conca*, alienata vero rursus ab ejusdem hæredibus nunc pertinet ad Familiam *Burghesiam*, eodem possessa titulo a *Camillo*, nepote Papæ *Pauli* V.

Episcopus Urbis *Sulmonæ*, ab antiqua Urbe *Valva*, adhuc *Valvensis* dicitur. In Episcopali Ecclesia Corpus servatur S. *Pamphili* Episcopi *Valvæ*; atque in S. *Nicolai* illa, prope *Sulmonæ* muros, sunt Corpora Fr. *Antonii*, ex eadem Civitate,

A & B. *Philippi Aquilæ*, Ordinis *Seraphici* P. S. *Francisci*.

Nobilis hæc Urbs est nativitate Summi Pontificis *Innocentii* VII. qui dictus antea fuit *Cosmatus de Melioratis*, atque, Episcopus *Bononiæ* exsistens, a *Bonifacio* IX. creatus fuit Cardinalis Presbyter titulo S. *Crucis in Hierusalem*, quod accidit anno MCCCLXXXIX. Eruditissimus fuit in Legibus Canonicis & Civilibus, mortuusque est *Romæ*, anno secundo & diebus XXI. Pontificatus sui, VI. Novemb. MCCCCVI. atque in Æde S. *Petri* sepultus fuit. Natus ibidem est *Joannes Melioratus*, nepos ejus, *Ravennæ* Archie-
B piscopus, cui & Pileum & Titulum Cardinalitiæ dignitatis Papa dedit. Natales denique hic suos sortitus est elegans Poëta *Ovidius*, ut ipse testatur Lib. IV. de Tristib. Eleg. X. *Angelus Politianus* præterea, aliique.

C. *d'Engenio*.

Familiæ Nobiles, quæ inveniuntur, sunt sequentes.

Amone	*Mattheis*
Aristotele	*Meliorati*
De Canibus	*Merlini*
De Capite	*Quatrari*
C *Capegrassi*	*Rinaldi*
Colombini	*Russo*
Corbi	*Di Sanità*, & alii.

HENRICI BACCI 185 186

Alemanni,

BREVIS DESCRIPTIO

D'ABRUZZO ULTRA,

D ## DECIMÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Castellorum, quæ ibidem exstant, & una cum enumeratione Familiarum, quæ in singulis, secundum novam hanc computationem, reperiuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum, (di Demanio) *atque Camerarum Reservatarum, quæ ibidem sunt.*

Accedit Tributum, seu Impositio, quam pendunt Aulæ Regiæ.

Correcta, atque aucta per CÆSAREM D'EN-
E GENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

PRovincia d'*Abruzzo Ultra*, ab Oriente & ab Aquilone contermina est Statui Ecclesiastico; a Meridie autem *Terræ di Lavoro*. A parte vero, quæ Notum versus vergit, objacet Provinciæ *Abruzzo Citra*, atque a Cauri latere Mari alluitur *Hadriatico*. Populi ejus antiquitus *Vestini* dicti fuerunt. Pro Insigni habet Aquilam albam coronatam, tribus Aureis insidentem Montibus, in Campo azurino. Aquilam vero nactam inde quidam putant, quod vexillum olim in prælio Cæsareum rapuerint incolæ. Alii vero volunt Aquilam significare *Hadrianum* Imperatorem, in Urbe hujus Provinciæ *Hadria* progenitum, Montes vero illos Aureos fertilitatem loci atque divitias. Neque desunt, qui volunt per *Aquilam* designari totius regionis præcipuam Urbem *Aquilam*, a *Frederico* II. Imperatore conditam, prout ex quodam ejus Privilegio apparet, quod ita incipit: *Regnantibus nobis feliciter, & victoriose degentibus in hæreditario nostro Regno Siciliæ* &c. Adfertur autem a *Salvatore Mastonio* in Dialogo suo de Origine Urbis *Aquilæ*; ut ita credere possimus Aquilam pro insigni adeptos cives, ut Imperatoris *Frederici* colonos & subditos.

187 Legitur insuper mirabile hoc atque memoria dignum. Anno scilicet MCCCXLIV. & MCCCXLV. pugna inter *Christianos* atque *Saracenos* orta, visibiliter apparuit B. Virgo in exigua quadam Ecclesia, extra *Aquilæ* Urbis muros, in ipso Altari, filiolum brachiis gestans, parvamque manu Crucem tenens. Quod miraculum ubi per Civitatem innotuit, totius *Aquilæ* viri atque mulieres concursum illuc fecerunt, permansitque visibilis usque ad horam *di Terza*, omnesque viderunt eandem Sole pulcriorem splendidioremque. Verum & id haud minus mirabile fuit, omnes infantes, qui ista dic *Aquilæ* nati fuerunt, Crucem in dextro habuisse humero. Multi itaque tum cives Crucis gestantes imaginem, in pugnam contra Infideles exiverunt.

Celebres tres Fluvii in hac Regione inveniuntur, *Trento*, *Pescaro* & *Sangro*, una cum *Fucino* Lacu, *di Celano* dicto; quinque præterea Urbes, quarum nulla Archiepiscopalis est. Urbium nomina hæc sunt: *Aquila*, *Atri*, *Campli*, *Civita di Penna*, & *Teramo*, Vici insuper vel Castella CCCXXII. in totum CCCXXVII. præter destructa tria Oppida, quorum vix vestigia apparent, fuerunt vero *Amiternum*, *Buca* & *Histonium*.

Ubi hoc exstat Signum † Cameræ sunt reservatæ.

	Olim		Nunc.
		A.	
	178	*Acciano* habet Familias	192
	27	*Acquaviva*	40
	768	*Acumoli*	457
	250	*Alanno*	242
	43	† *Apignano*	35
	2133	† *Amatrice*	1184
	1799	*Aquila*	2124
	63	*Aquilano*	37
	216	*Asserge*	124
	45	*Aragne*	57
	147	*Arischie*	238
	950	*Atri*	961
		B.	
	73	*Bacucco*	73
	208	*Bagno*	319
	286	† *Bariscia*	390
	125	† *Bascianono*	101
	12	*Bazzano*	10
	178	*Beste*	149
	190	*Bellante*	126
	30	*Bisegna*	26
	165	*Bisento*	93
	57	*Bommaco*	60
	151	*Borbona*	200
	86	*Brittoli*	86
	79	*Buscio*	89
	44	*Burgo nuovo*	36
		C.	
	63	† *Camarda*	99
188	167	*Cagnano*	241
	269	*Cantalice*	162
	128	*Canzano*	127
	34	*Campana*	16
	1077	† *Campli*	900
	109	*Carpinetto*	109
	166	*Carropoli*	146
	79	*Capurciano*	96
	46	*Casentino*	68
	51	*Castagna*	40
	108	† *Castignano*	127
	119	*Castilenti*	121
	130	*Castelle*	140
	65	*Castello nuovo*	80
	105	*Castello vecchio ad alto*	79

Olim		Nunc.
109	*Castello vecchio à basso*	112
9	*Casale* S. *Nicola*	6
113	*Castiglione della Valle*	86
134	*Castiglione del Conte*	133
111	*Castiglione di Ramundo*	100
73	*Celera*	57
60	*Cerchiara*	38
64	*Carmignano*	62
219	*Cellino*	228
98	*Cerveto*	59
1243	† *Civita Ducale*	946
230	*Civita Reale*	307
81	*Civita Tomassa*	81
113	*Civita Retegna*	129
174	† *Civita Acquara*	148
977	† *Civita di Penna*	951
451	† *Civita Sant' Angelo*	451
158	*Civitella dell' Abbadia*	142
856	*Civitella del Tronto*	837
78	*Colle Pietro*	68
28	*Colle Donico*	30
37	*Coll' Alto*	29
208	*Colle Corvino*	197
109	*Colle vecchio*	29
200	*Colonello*	171
96	*Contaguerra*	128
80	*Corvara*	45
133	*Cugnolo*	52
93	*Colle fecato*	63
	F.	
299	*Fagnano*	133
80	*Fano Adriano*	58
47	*Faravono*	86
225	*Farinola*	124
48	*Filetto*	63
2	*Feudo di Canzano*	2
33	*Fonte d' Avignone*	41
222	*Fontecchia*	165

Olim		Nunc.
80	*Forcella del Contado*	73
68	*Forcella di Penna*	42
66	*Forca di Valle*	59
48	*Fornaroli*	33
86	*Frunti*	64
85	*Fossa*	121
	G.	
35	*Giulianova*	292
215	*Giorano, di Valle*	204
88	*Guardia Humano*	80
	I.	
200	*Insola*	171
18	*Intempera*	20
122	*Intermesuli*	65
185	† *Interdoco*	231
	L.	
104	*La posta*	110
100	*Lavaretta*	115
108	*La Elece*	138
70	*Leognano*	54
946	† *Leonessa*	1906
500	† *Loreto*	520
441	*Luculo*	520
30	*Luco*	60
58	*Lupranica*, alias *S. Nicandro*	83
	M.	
77	*Macchia del Conte*	91
118	*Maiano*	94
50	*Montebello*	195
1565	† *Montereale*	1744
35	*Montegaltiero*	105
69	*Montefecco*	78
127	*Montesiloano*	68
136	*Montepagano*	126
51	*Montone*	45
445	*Monterio*	407
19	*Monticchio*	35
140	*Mosciano*	147
176	*Moscuso*	118
369	*Montagna di Roscito*	352
152	*Morra*	178
	N.	
183	*Navelli*	204
114	*Nereto*	164
118	*Nocciano*	114
115	*Notaresco*	135
	O.	
169	*Ocre*	195
17	*Onna*	25
	P.	
100	*Pagnanica*	575
424	*Pagliara*	58
50	*Pesco* major	58
196	*Pesco Sansonesco*	129
56	*Penna di S. Andrea*	49
76	*Petranico*	76
114	*Petruro*	96
120	*Petra Camela*	113
38	*Petto*	30
432	† *Pizzolo*	441
321	*Pianella*	248
128	*Poio di Piacenza*	148
148	*Poio di S. Maria*	136
42	*Poio Umbriccio*	31
15	*Poio Rattire*	16
84	*Poio Morello*	68
39	*Poppolito*	36
80	*Prata*	92

Olim		Nunc.	
	R.		
69	*Rapino*	112	
75	*Ripattoni*	48	
61	*Rocca di Petrino*	47	
92	*Rocca di S. Stefano*	90	
415	*Rocca di mezo*	421	
135	*Rocca di cambio*	138	
88	*Rocca S. Maria*	79	
126	*Roio*	167	
145	*Rosciano*	48	
	S.		
144	*Sassa*	145	
83	*Santo Pio*	105	
112	† *S. Demitre*	205	
31	*Santo Sano*	40	
73	*Santo Benedetto*	68	
63	*S. Maria del Ponte*	62	189
19	*S. Vittorino*	16	
30	*Santo Giovanni à Scorzone*	33	
103	*S. Giglio*	55	
110	*S. Vito*	129	
130	*S. Omero*	89	190
74	*Scolpito*	113	
86	*Scorano*	81	
94	*Silve*	63	
209	*Spoltore*	209	
22	*Stiffe*	20	
	T.		
888	*Teramo*	845	
116	*Thione*	101	
300	*Torna in parte*	329	
45	*Torre delli Passari*	46	
38	*Tusci*	88	
32	*Tuscillo*	35	
33	*Torre Moricana Montagna*	27	
30	*Terra Moricana Sola villa*	26	
18	*Terra Mortana Terzana*	17	
29	*Terra Moricana Moricone*	27	
85	*Terra Moricano del Conte*	41	
48	*Terra Mortana Mangia villa*	41	
143	*Tortoreto*	226	
47	*Turano*	69	
206	*Tofficcia*	191	

VILLÆ SEPARATÆ a *Teramo*.

	Villa Cola longo f.	97
50	*Villa S. Angelo*	64
2	*Villa Santa Maria Joannella*	4
97	*Viccolli*	86
136	*Vesta*	221
15	*Villa Moricone*	17
25	*Villa Verruti*	17
10	*Villa Colle caruni del Conte*	3
143	*Villa Castellana*	161
34	*Villa di Chiarino*	18
42	*Villa di Rupo*	20
57	*Villa Turricella*, e *Plano*	20
13	*Villa di Nepozano*	13

7 *Villa*

Olim		Nunc.
7	*Villa delle marine*	5
66	*Ville poicone*	34
	Ville Orse	10
	Ville Silvestri	9
	Villa Cerreti	1

Terræ Comitatus di *Marire* & Baroniæ *di Col' Alto.*

Olim		Nunc.
93	*Colle fecato* habet Familias	92
62	*Capodrosso*	54
82	*Castello Minardo*	61
38	*Giergenti*	32
65	*Gamagna*	70
25	*Liostrini*	19
	Lugnone, & *Lisciaro*	152
85	*Materi*	65
39	*Macchia timone*	22
75	*Petrella*	65
68	*Poio Diano*	67
131	*Poio Poponesco*	119
26	*Poio di Valle*	17
19	*Poio S. Giovanni*	21
47	*Poio Sinolfo*	35
52	*Petrasecca*	42
191 85	*Pesco rocchiano*	73
35	*Radiaro*	9
67	*Rocca veruti*	62
23	*Rocca rannisi*	19
18	*Rocca libiese*	10
62	*Staffone*	60
87	*Sambucco*	74
56	*Torre del taglio*	64
45	*Vuso*	38
29	*Trondiconda*	29

192 Terræ Comitatus *Celari* & Baroniæ *Carapellis.*

Olim		Nunc.
254	*Ajello* habet Familias	278
95	*Aschi*	129
136	*Bisegno*	136
170	*Ballerano*	179
151	*Celle*, seu *Carsoli*	132
398	*Celano*	398
178	*Castello vecchio di Subiego*	179
166	*Cucollo*	224
144	*Castello di hieri*	147
97	*Carapelle*	113
142	† *Capistrano*	193
158	*Castello vecchio di Carapelle*	180
127	*Colle longo*	127
231	*Castello del monte*	254
102	*Circhio*	192
183	*Colle Armele*	183
339	† *Calascio*	367
151	*Cello*	132
73	*Colle*	75
101	*Gagliano*	218
238	*Gioia*	238
71	*Intromunti*	67
263	*Lucce*	303
170	*Morrea*	189
197	† *Offena*	404
104	*Ovindoli*	132

Olim		Nunc.
180	*Ortucchio*	192
256	*Pescina*	276
201	*Rocca di Calascio*	203
88	*Ruvole*	99
135	*S. Sebastiano*	163
145	*Secenara*	158
241	*S. Stefano*	230
37	*S. Petito*	73
74	*S. Jona*	90
59	*Speron d'asino*	60
130	*Venere*	142
97	*Villa di Colle longo*	140

Terræ & Villæ Comitatus d'*Albi* & *Tagliocozzi.*

Olim		Nunc.
421	*Albi* habet Familias	401
	Adrosciano separatum ab *Albi*	56
93	*Auricola*	76
326	*Avezzano*	399
164	*Corvaro*	124
74	*Cese*	73
26	*Castello vecchio*	20
85	*Capodotio*	99
52	*Canistro*	63
88	*Cappelle*	70
77	*Capistrello*	77
141	*Civitella di rovito*	70
73	*Colli*	173
74	*Civita d'antioa*	68
70	*Castello di fiume*	30
152	*Corcumello*	120
....	*La forma separata da Albi*	81
253	*Luco*	244
22	*Latresco*	19
73	*Lupagliara*, alias *Grifala*	48
291	*Migliano*	126
49	*Motta d'Orveto*	57
75	*Merino*	82
53	*Marano*	38
	Massa superior	70
	Massa inferior	78
92	*Petrella*	81
114	*Paterno*	74
46	*Pasco Canale*	49
123	*Poio Filippo*	115
203	*Perito*	164
69	*Rendenara*	68
170	*Rocca de Butti*	176
65	*Rocca di Certo*	68
51	*Rocca di Vivo*	55
141	*Risciolo*	121
29	*Scuriolo*	217
120	*Scanzano*	114
88	*S. Donato*	79
29	*Spedino*	21
224	*S. Maria*	125
130	*S. Natolia*	114
371	*Tagliacozzo*	328
100	*Torano*	84
221	*Trasaceo*	221
104	*Verecchia*	85
10	*Villa Bozza*	15
	Villa S. Vittorini	15
2	*Villa Mazzacani*	2
2	*Villa Constantini*	6
6	*Villa Castell' à mare*	6

A

Olim		Nunc.
7	*Villa Coli di Topi*	7
	Villa collis d'Alfani	8
	Villa S. Maria à Piciano	1

Amatrice cum infrascriptis Villis continent juxta initum numerum.

Olim		Nunc.
1492	*Amatrice*	1183
146	*Villa Campodosso*	150
54	*Villa Consigni*	52
25	*Villa S. Jorio*	14
17	*Villa Bagnoli*	7
32	*Villa Patischi*	28
17	*Villa Colle Morisco*	13
10	*VillaScare*	71
27	*Villa domi*	29
5	*Villa Conca*	4

B

Villæ *Sclavonenses* & *Albanenses* extraordinariæ.

C

Olim		Nunc.
3	*Villa Prepositi*	2
11	*Villa Caprara*	12
7	*Villa Sibi*	13
20	*Villa Capelli*	19
13	*Villa Cipressi*	22

Olim Nunc.

Nomina Urbium & Terrarum *di Demanio*, i. e. Dominii Regii, in hac Provincia.

Olim		Nunc.
7681	*Acumoli* habet Familias	463
250	*Alanno*	242
1799	*Aquila*	2076
230	*Civita regale*	308
856	*Civita del tronto*	837
34	*Campana*	16
199	*Fagnano*	309

Urbes & Terræ hujus Provinciæ in perpetuum liberæ.

Giulia nova
Nereto *Pisciano.*
Villa di S. *Maria à Pisciano.* 193

Terræ liberæ pro tempore.

Civitello del Tronto.
Faragone
S. *Giglio Casale*
Cantalice.

Tributum quod singulæ Familiæ hujus Provinciæ Regiæ Aulæ solvunt,

Tantundem solvunt, quantum reliquæ, verum insuper pro *Barrigello di Campagna* portionem duorum granorum, & quinque Equorum cum quarta parte, idque per menses singulos.

D *Castella atque Turres, quibus juxta Mare ut præsidiariis gaudet hæc Provincia.*

Castellum Urbis *Aquilæ*.
Castellum Urbis *del Tronto*
1 Turris *di Tronto* in Territorio *di Colonella.*
2 Turris *di Cerrano* in Territorio *d' Atri.*
3 Turris *di Saline* in Territorio *di Civita S. Angelo.*
4 Turris *di Vibrera* in Territorio *di Tortoreto.*
5 Turris *di Tordino* in Territorio *di Giulianova.*
6 Turris *di Salinello* in Territorio *di Giulianova.*

E

BREVIS DISSERTATIO

De Origine Urbis AQUILÆ, *in Provincia* D'ABRUZZO ULTRA, *ubi Familiæ sunt Nobiles.*

Illustris claraque admodum Urbs *Aquila* est, non modo propter egregia Civium suorum facinora, structurarumque magnificentiam, verum & propter originem, quam habet a quinque deletis jam *Samnitum* Oppidis, quorum præcipuum erat *Amiternum.* Quoniam vero temporibus Imperatoris *Frederici* II. Cives *Amiterni* atque *Forconæ* per
F Montana *Abruzzi* dispersi erant, adunari eosdem Imperator jussit, atque Civitatem condere in opportuno pro defensione Regni loco, parte ista quæ *Aquila* dicitur, prout testantur *Summontes* & *Caraffa.* Et *Pontanus* quidem Libro ultimo Belli *Neapolitani* adnotat, haud longe ab *Aterno* exiguum fuisse Vicum seu Villam, a Fonte suo *Aquilam* dictam, quo etiamnum nova pars Urbis gaudeat nomine. *Salvator Massonius*, in Dialogo de *Origine Aquilæ*, scribit, *Aquilam* ædificatam fuisse in loco *Aquila* vocato, inter *Forconem* & 194
Amiternum, & hinc (ut addit idem) Imperator prædictus, tam in Imperii honorem, quam (ut superius

perius diximus) quod eo loco fabricata esset, qui *Aquila* diceretur, Aquilam vocari voluit; sicut eadem quoque leguntur in Privilegio dictæ fundationis, cujus Originale servatur in Archivio *Aquilæ*, in Charta Pergamena, incipiens: *Regnantibus nobis feliciter, & triumphantibus victoriose* &c. Adducitur idem Privilegium in Epistolis *Petri de Vineis*, *Campani*, Judicis Aulæ, atque eidem Imperatori a secretis; licet *Mazzella* (verum non sine errore) dicat, Cives *Furconæ* conjunctos cum *Amiterninis*, *Abiensibus* & *Duroniis*, palatum ivisse per *Longobardorum* terras, & Duce *Amiterno* quodam *Aquilo* seu *Aquila*, Urbem ædificasse, quam de nomine Ducis sui *Aquilam* dixerint, postea ampliatam atque decoratam a *Frederico* II.

Eadem hæc Civitas postea *Manfredi* jussu diruta fuit, verum (ut *Cyrillus* scribit) permissu *Caroli* I. reædificata rursus a civibus.

Civitas hæc hodie vere est magnifica splendore suo, dives atque celebris, adeoque caput Provinciæ suæ. Papa *Nicolaus* II. discordiis *Romanorum* civium oppressus, hac in Urbe conventum habuit cum *Roberto Guiscardo*, *Normanno*, qui restituto Ecclesiæ *Benevento*, aliisque ad illam pertinentibus locis, creatus a Papa fuit Dux *Apuliæ* & *Calabriæ*.

Coronatus quoque ibidem solemniter ingenti cum pompa fuit, die decollationis S. *Joannis Baptistæ*, anno MCCXCV. Papa *Cœlestinus* V. ab *Jacobo Columna*, Cardinale & Archidiacono Ecclesiæ, in conventu plus quam ducentorum hominum millium.

Ornata eadem hæc Urbs fuit Episcopali dignitate ab *Alexandro* IV. anno MCCLVII. Illustris quoque & spectabilis Sanctorum Corporibus, quæ in Episcopali aliisque asservantur Ecclesiis, ut S. *Maximi*, Levitæ & Martyris, in priori, in illa *di Collemaggio*, S. *Petri Cœlestini* Papæ, Beati *Bonanni* & *Jo. Bassandi*, Monachorum Ordinis *Cœlestinorum*; in Ecclesia S. *Biagii* pars est Corporis *S. Rayneri*, Episcopi, & Corpus S. *Victorini*, Episcopi & Martyris; in Ecclesia S. *Marci* illud est S. *Tutii*; in illa S. *Bernardini*, Corpus S. *Bernardini Sienensis* in cista argentea pretii XXX. millium scutatorum. In Ecclesia S. *Laurentii* illud est S. *Equirii* Abbatis; in illa *Augustini*, Beati *Antonii* ejusdem religionis Monachi; in SS. *Eucharistiæ*, illud B. *Antoniæ Florentinæ*, B.
195 *Paullæ Folignanæ*, B. *Joannæ dell' Aquilæ*, & B. *Gabrielæ da Piezzoli*, Monacharum *Seraphici* S. *Francisci* Ordinis, prout in ejusdem Ordinis Chronico legi potest.

Magnam etiam famam Civitas hæc nacta est ex Fr. *Petro Aquila*, Monacho *Montis Casini*, Archiepiscopo *Beneventi*, qui Cardinalis Presbyter creatus fuit cum titulo S. *Marcellini* a *Cœlestino* V. *Amico* quoque *Agnifilo*, Episcopo *Aquilæ*, Cardinali Presbytero titulo *S. M. in Transtyberina*, creato a *Paulo* II. *Ansaldo* præterea *del Aquila*, Duce exercitus *Guilelmi*, Regis *Neapolis*; *Antoniccio Caponesco*, Duce Regis *Ladislai*, & equitatui *Veneto* præfecto, postea quoque ab *Eugenio* IV. creato Generali S. Ecclesiæ; *Minutio* item *Ugolino*, Capitaneo Regis *Alphonsi Arragonensis*, ut & *Guilelmo Fonticulano*, Duce *Perusinorum* contra *Braccium*; *Hieronymo Gaglioffo*, Colonello *Caroli* VIII. Regis *Galliarum*, & Campi-Magistro Regis *Ludovici* XII. in acquirendo Regno *Neapolitano*; *Francisco Rustico*, qui Capitaneus fuit balistariorum equitum Regis *Ferrantis* II. *Terentio Gentili* denique, Capitaneo equitum sub *Columnensibus*.

In literis denique floruerunt *Petrus*, dictus *Scotellus dell' Aquila*, Fr. Conventualis S. *Francisci*, qui scripsit supra libros quatuor Magistri Scien-

A tiarum; *Joannes* item *Aquilanus*, frater *Francisci* Prædicatoris excellentis; D. *Scipio Gentilis*, S. *Justæ* Præpositus, Theologus & Prædicator clarus; *Antonius Claudius*, *Marcus Antius* & *Alexander Gentilis*, excellentissimi Legum Doctores; *Franciscus Vivius* JCtus celeberrimus, auctor *Sylvæ Opinionum Communium*, aliorumque Operum; *Joannes Crispus*, dictus *de Montibus*, Legum Doctor, *Josephus Rusticus*, Doctor multi valoris, Consiliarius Magni Ducis *Hetruriæ*, & Judex Civilis Vicariæ *Neapolitanæ*, in quo etiam officio obdormivit in Domino. Edidit hic Tractatum, intitu-
B latum: *An & quando liberi in conditione positi vocentur*, aliaque composuit Opuscula; *Jacobus* præterea *Carli*, & *Alexander Trentacinque*, excellentissimi duo Doctores Legum; *Bernardinus Cerillus*, Auctor Annalium *Aquilæ*; *Seraphinus Aquilanus*, Poëta ingeniosus; *Cæsar Campania*, qui Mundi edidit Historiam; *Angelus Fonticulanus*, qui descripsit Bellum *Braccionis di Montone* cum *Siquilanis* gestum; *Sebastianus Aquilanus*, & *Jo. Angelus Conticelli*, Medici expertissimi.

Familia quoque *Mansoniorum* memorari meretur, ut nobilis atque antiqua ejusdem Civitatis, sicut adnotat in Opusculis suis *Zazzara*, testaturque
C Senatus-Consultum *Romanum*, & Collegium Consistoriale in Privilegiis a me relectis, virique 196 præterea florentes adhuc ex eadem Nobilitate. Fuerunt ibidem *Giovanni* & *Portia Colucci*, Nobilis etiam & Antiqua Familia; Doctor etiam *Alexander*, multis annis Advocatus in Aula *Romana*, ubi magno habitus fuit in pretio propter virtutem & ingenium; variis occasionibus Regi, Domino nostro, operam suam præstitit scriptione sua, ut & frater ejus *Hippolytus*, pariter virtutis egregiæ, in eadem Aula negotiis exercitatus, ut & ex Scriptis ejus editis apparet, estque etiamnum Advocatus *Neapolitanus* Urbis atque Nationis in
D Archiconfraternitate S. Spiritus in Urbe *Roma*, ubi Urbis *Neapolis* res diu curavit atque etiamnum summo cum omnium curat applausu, nomine Majestatis Regiæ. Procuravit ibidem apud Pontificem canonizationem B. *Jacobi della Marca*; cujus & vigent quatuor alii fratres, *Petrus Paulus*, *Jo. Hieronymus*, *Alphonsus* & *Pompeus*, Doctores Legum atque in rebus officiisque Regni hujus versatissimi. Est & Doctor *Fredericus Floridus* Patriæ suæ vetustissimus Advocatus, multum æstimatus propter virtutem suam per universam Provinciam, ubi munus implevit regii Officii Auditoris mercimoniorum vetitorum, & Con-
E sultoris *delle Dohanelle*, ab omnibus laudatus; frater item ejus *Astorius*, multique filii & nepotes magnæ omnes spei. Verum de hac Familia (quum Scripturas viderim de Majorum Antiquitate, præstantissimas) alia occasione uberius sum acturus.

C. *de Engenio*.

In *Aquila*, quæ Urbs Regia est, sequentes sunt Familiæ Nobiles.

Agnifili de Cardinale	*Crispi*
Alfieri	*Emiliani*
Angelini	*Fibbioni*
Antonelli	*Franchi*
Baroncelli	*Gentili*
F *Branconii*	*Lucentini de' Piccolomini*
De' Benedetti	*Legistis*
Cappa	*Lepidi*
Carli	*Lepori*
Caprucci	*Maneri*
Castiglioni	*Mariani*
Casella	*Mausonii*
Ciampella	*Matteucci*
Colucci	*Micheletti*
Ciucci	*Nardi*
Colantonii	*Oliva*

Pa-

Pascali
Porcinari
Pica
Perelli
Quintii
Rustici
Rosis
De Ritiis
Rivera
De Simeonibus.
Sabini
Selviati
Trentacinque
Turcani
Vetusti
Zecherii & alii

197

198 # HENRICI BACCI

Alemanni,

BREVIS DESCRIPTIO COMITATUS DI MOLISI, UNDECIMÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Castellorum, quæ ibidem exstant, & una cum enumeratione Familiarum, quæ in singulis, secundum novam hanc computationem, reperiuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum, (di Demanio) *atque Camerarum Reservatarum, quæ ibidem sunt.*

Accedit Tributum, seu Impositio, quam pendunt Aulæ Regiæ.

Correcta, atque aucta per CÆSAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

Qui Provinciam Comitatus, *di Molisi* nunc dicti, incolunt, antiquitus *Hirpini* & *Samnites* dicti fuerunt. Est autem Regio hæc Mediterranea & Theatri habet formam in circuitu suo, atque a Cæcia atque Septentrione *Abruzzo* Urbe circumdatur, a Cauro & Oriente *Capitanata*, a Meridie *Principatu Ultra*, & bona parte *Terræ di Lavoro*, maxime autem versus Occidentem & Lybicum.

Pro Insigni habet Corollam Spiceam in Campo rubro, in cujus medio Stella cernitur radiis suis fulgida. Denotat autem sertum illud terræ ubertatem, argentea autem fulgensque Stella promtam incolarum voluntatem, sequentium Insigne Familiæ *del Balzo*, quæ dominata fuit in tota ista regione atque aliis præcipuis Regni locis; habuit enim Familia *di Balzo* pro insigni Stellam crinitam argenteam in Campo rubro.

Quatuor in hac Provincia sunt Urbes, nulla quarum Archiepiscopatum obtinet; sunt autem hæ: *Boiano*, *Guardia Alferes*, *Isernia*, *Triventum*, una cum Vicis & Castellis CLXIV. quæ in totum sunt CXCVIII.

199 *Ubi Signum hoc † invenitur sunt Cameræ reservatæ.*

Olim		Nunc.
	A.	
50	*Acquaviva*	60
	B.	
157	† *Bagnulo*	160
	Bajano	139
217	† *Baranello*	255
93	*Busso*	155
	C.	
60	*Caccavone*	97
697	† *Campobasso*	826
241	*Campo chiaro*	231
146	† *Campo leto*	165
180	*Campo di Pietro*	141
167	*Cantalupo*	157
164	*Capra cotta*	146
75	*Carcabottaccio*	73
235	† *Carpione*	166
	Caraville, e Castignani, seu *Castello delli Caravilli*	252
125	† *Casal Calenda, con Santo Barbato*	165
	Casal Cerrito	13
123	† *Casal Cipriano*	82
28	*Casal Taberna*	34
55	*Castello acqua bucana*	40
40	*Castello d' Agnano*	13

	Olim		Nunc.
A		*Castel di Laurori*	25
	61	† *Castel delli Giudici*	68
	95	*Castel Guidone*	33
	81	*Castel di Lino*	88
	39	*Castel Petruso*	178
	74	*Castello Pizzuto*	89
	254	*Castro Pignano*	189
		Castiglione	13
	168	*Cerqua picciola*	147
		Civitello	24
B	65	*Chiavici*	66
	30	† *Civita capo marano*	134
	175	† *Civita nova*	173
	62	*Civita vecchia*	55
	87	† *Colle d' Anchise*	121
	23	*Colle della Croce*	45
	36	*Covatta*	26
		F.	
	106	*Fornello*	117
	183	† *Fossacieca*	207
C	310	*Fresolove*	349
		G.	
	361	† *Gambatesa*	327
	103	*Guardia Alferes*	106
	34	*Guardia bruna*	22
	106	*Guardia campo chiaro*	104
	149	*Guasto Girardo*	258
		I.	
		Ipara	30
	610	*Isernia*	839
		L.	
D	261	*Lespinete*	235
	80	*Li Camilli*	85
	146	*Limolano*	183
	191	*Lucilo*	197
	73	*Longano*	94
	133	*Lotarino*	172
	123	*Lupara*	123
		M.	
	195	*Macchia godana*	248
	90	*Macchia d' Isernia*	103
	161	*Matrice*	173
E	11	† *Mirabella*	313
	120	† *Miranda*	136
	32	*Molise*	36
	114	*Mont' Accioli*	123
	136	*Montagnano*	167
	136	*Montefalcone*	263
	75	*Montela tegua*	53
	69	*Montenegro*	93
	35	*Montenegro*, alias *Santa Lucia*	34
	104	*Montorio*	103
		Monte Radone	
	725	† *Morcone*	665
	219	*Morrone*	262
		P.	
	73	*Palata*	80
	41	† *Pesco Lanciano*	54
	199	*Pesco pignataro*	183
	69	*Pesco d' Isernia*	83
	69	*Petra cupa*	73
	741	† *Petrella*	132
	65	*Petrorano*	72
	63	*Providente*	80
		R.	
	60	*Rio negro*	75
	359	† *Riccia*	280
	72	*Ripalata*	107
	168	† *Ripa Limosa*	218
	103	*Ripa libottuni*	166
	47	*Rocca aspramonte*	58
		Rocca Cività	40
	45	*Rocca Minolfa*	300
	94	*Rocca Vivara*	105
		S.	
	100	*Salicito*	94
	62	*Sant' Agapito*	45
	88	† *Sant' Angelo in Grottola*	118
	80	*Sant' Angelo Limosano*	88
	26	*Santo Biase*	33
		Santo Barbato	25
	75	† *Santa Croce*	145
	58	*Santa Capita*	71
	80	*Santo Felice*	82
	256	† *Santo Giovanni in Gaudo*	267
	150	*Santo Giuliano*	184
	30	*Santa Giusta*	22
	109	*Santo Massimo*	101
	92	*Santo Pietro in Vellana*	125
	17	*Speron d' Asino*	17
	122	*Santo Paolo*	119
	8	*Santo Stefano*	10
	15	*Sansinora*	30
	62	*Scontrone*	64
	117	*Sciano*	144 200
	418	*Supino*	416
		T.	
	117	*Torella*	116
	289	*Toro*	280
	325	*Trivento*	469
		V.	
		† *Vinchiaturo*	227

Nomina Urbium & Vicorum Regiorum seu *di Demanio*, quæ in hac Provincia inveniuntur. 201

F *Isernia* (quæ per conventionem solvit) Familias habet 839

Vici liberi in hac Provincia

276	*Santo Giovanni in Gaudo*	260
289	*Toro*	287

Familiæ extraordinariæ

Casal S. Barbato habet Familias	8
Casal Cerrito	8
Conatta	3
Colle di Croce	5
Monte la Teglia	10
Palata	11
Ripalta	13
Santo Felice	16
Santa Lucia.	13
Santo Leuci	29

Tributum, quod Aulæ Regiæ singulæ familiæ hujus Regionis pendunt.

Pendunt pro *Barricello* Grana sex & undecim Equos, cum Equi duabus tertiis, idque per mensem. Verum nihil confert hæc Provincia ad Turrium tributum, quoniam (ut Mediterranea) nullas habet.

202 ## BREVIS DISSERTATIO

De Origine ISERNIÆ, *Urbis Provinciæ* DI MOLISI, *ubi nobiles inveniuntur Familiæ.*

Antiquissima Civitas hæc quum sit, certa notitia primorum ejus conditorum haberi nequit; proinde nihil aliud dicemus, nisi quod aliquando Colonia fuerit *Romanorum*, atque ita vocetur a *Strabone*, *Silio Italico* Lib. VIII. & *Appiano Alexandrino*. Libro primo *Plinii* Æsernini in nona numerantur regione, atque a *Ptolemæo* Urbs hæc reponitur in *Samnitibus*. Multis quoque de eadem agit *Livius*, præsertim vero lib. LXXII. ubi scribit una cum *Alba* (Colonia etiam) obsessam fuisse ab *Italis*; fuitque (ut testatur *Strabo* Lib. IV.) destructa olim. Scribit etiam *Livius* Lib. III. Decad. II. *Æserninos* fuisse inter octodecim Colonias, quæ obstrictæ erant pecunia & militibus (tempore isto quo graviter *Italiam* vexabat *Hannibal*) ut & aliis necessitatibus, succurrere ex pacto *Romanis*. Fuerunt autem hæ: *Segnini*, *Nolani*, *Norbini*, *Satriculani*, *Brundusini*, *Fregellani*, *Nucerini*, *Adriani*, *Firmani & Arimanati*, a superiore *Tyrrheni* Maris littore, *Pontiani*, *Pestani*, *Consani*, in Mediterraneis, *Beneventani*, *Æsernini*, *Spoletini*, *Placentini*, *Cremonenses*. Hisce itaque Coloniis jam olim Imperium illud (quod Pontifex *Romanus* obtinet) sese tutatum fuit, Senatuique & Populo gratæ valde fuerunt. In Lib. *de Coloniis* de hac Civitate hæc scripta invenimus: *Æsernia Colonia deducta Lege Julia inter populos debetur pedibus X. limitibus augusteis est designatus.*

Multum hanc Urbem illustravit, qui natus ibi est S. *Petrus Cœlestinus*, atque a puero vitæ addictus solitariæ Monachus & Sacerdos factus est Ordinis S. *Benedicti*, auctorque fuit Ordinis *Cœlestinorum*; verum lite inter Cardinales exorta, postquam per duos annos Papalis vacasset Sedes, ipse est electus in istam Summam Dignitatem & V. istius nominis dictus fuit, die Julii XVII. anno MCCXCIV. Menses sedit V. & dies VII. atque sponte renuncians Honori ad Religionem
203 suam reversus est, inque ejus locum electus *Bonifacius* VIII. qui metuens ne revocaretur idem *Cœlestinus* a populo ad pristinam dignitatem, repente præhendi Sanctum Virum jussit, atque duci in Castellum *di Fumone*, ibique arcta custodia in loco munitissimo asservari, ubi animam sanctissimis meritis divitem cœlo reddidit XIX. Maji MCCXCVI. Pontifex autem *Clemens* V. eundem postea inseruit Catalogo Sanctorum Confessorum XIII. Maji MCCCXV. Corpus autem ejus hodieque servatur in Ecclesia *Collis Majoris*, in Urbe *Aquilæ*; ubi divina gratia nunquam a gratiis miraculisque faciendis cessat.

In Episcopali *Iserniæ* Corpus est S. *Benedicti* Episcopi sui, quem in summa habent veneratione. Narrant incolæ, jussisse aliquando Episcopum quendam loci fodere circa tumulum hujus Sancti, verum subito Ecclesiam tanta vi concussam fuisse, quasi derepente casum minaretur, quo perterritum Episcopum abstineri ab opere jussisse. Festum hujus celebratur IV. die Maji. Est & ibidem Corpus S. *Cassiani*, Martyris, Protectoris *Iserniæ*, cujus Solemnitas celebratur V. Augusti. Multi in Civitate hac Illustres viri floruerunt, & inter alios celebris Doctor *Andreas de Rampino*, dictus *de Isernia*, cujus Scripta plurimum æstimantur apud Doctores, fuit idem Consiliarius Reginæ *Joannæ* I. ut scribit *Liparulus*, atque postea occisus fuit ab *Conrado de Gothis*, Barone *Germano*, quod adversam contra illum protulisset sententiam.

Fuit aliquando *Isernia* sub dominio Comitum, ut legi potest in Chronico *Cassinensi* Cap. VIII. Lib. II. hodie autem Regia est, atque inter alias ibidem Familias Nobiles *Græca* quoque est, quæ Nobilitatis privilegiis gaudet in multis præstantioribus Regni Civitatibus, præsertim vero *Salerni* & *Neapoli*. Sedile *Salerni* habuit *Portaretesæ*, ubi postea satis exstincta est, ut testantur multæ Scripturæ Regii Archivi *della Zecca di Napoli*. Nobilem autem *Neapoli* fuisse, ex infinitis earundem Scripturarum testimoniis liquet, præsertim vero sequente hac, anni MCCLXXI. Indictione Prima, pag. 305. & seqq. ubi legitur, quomodo Eques *Matthæus Caracciolus*, *Neapolitanus*, uxorem habuerit *Capuanam*, filiam *Philippi Græci*, Nobilis *Neapolitani*, *con cent' onze di dote*; unde colligere licet, quosdam ex illa Familia vel 204
Neapoli, vel *Salerno* ivisse habitatum *Iserniam*, sive etiam in illa loca ex *Isernia*. Verum, utcunque sese res habeat, certum est Nobilissimam antiquitus hanc fuisse Familiam, ubicunque fuerit, præsertim vero *Iserniæ*, ubi floruit semper & adhucdum floret; quod verum esse patet ex tribus sequentibus Scripturis, prima ejusdem Regii Archivi; ubi legitur, tempore, quo instituta fuit universalis lustratio Baronum Feudatariorum a Rege *Roberto*, inter reliquos Equites & Barones, præsens fuisse *Nicolaus Græcus d' Isernia*; ut & anno MCCCXXVIII. pagg. 22. 106. 138. Altera, quæ servatur in Monasterio S. *Patritiæ Neapoli* anni MCCCXXV. ex qua patet *Cicellam Masellam* Matronam *Neapolitanam*, uxoremque *Gualteri Græci d' Isernia*, Majoris-domus *Philippi*, Principis *Tarenti*, & Imperatoris *Constantinopolitani*, decem *onze di Carlini d' argento* dedisse Equiti *Matthæo*, Protojudici *Salernitano*. Tertia, quæ invenitur inter Scripturas S. *Mariæ à Capella di Napoli*, anno MCCCXLIV. sub Regina *Joanna*, testatur Equitem *Landulfum Græcum d' Isernia*, ejusdem Reginæ Camerarium, Procuratorem suum instituisse *Lisolum Barrese di Napoli*, cognatum suum, cum ampla potestate elocandi ædes quasdam suas, quas *Neapoli* possidebat in Regione *di Capuana*, quæ olim fuerant *Lunellæ Barrese*, uxoris suæ, sororis dicti *Lisoli*. Ex quibus Scripturis patet Antiqua ejus Familiæ Nobilitas; ex qua originem suam repetunt Majores D. *Francisci Gregi* Ducis *di Montenegro*, qui plus CL. annos Barones fuerunt Terræ *della Petrella* & *del Collo*, in Provincia Comitatus *di Molisi* atque Terræ *di Lavoro*, præter alia multa rustica prædia, quæ quondam possederunt, unde jure merito Ducatus istarum terrarum titulum obtinuit D. *Franciscus* a Rege *Philippo* III. propter antiquam suam Nobilitatem, merita, virtutem, & fortitudinem, qui &, omnium bonarum artium curiosus assertor, hodieque vivit; Uxorem idem duxit, aliquot retro annis, D. *Eleonoram*, filiam *Berardini Ramiresii Montalvi*, Locumtenentis Cameræ, Regentis Cancellariæ, Equitis Ordinis S. *Jacobi*, Consiliarii Status Majestatis suæ in Regno *Neapolitano*, & Marchionis S. *Juliani*, Domini virtutis meritorumque singularium; ex qua genuit filiam unam, & filium D. *Josephum*.

HEN-

205
206 HENRICI BACCI

Alemanni,

BREVIS DESCRIPTIO

CAPITANATÆ,

DUODECIMÆ REGNI NEAPOLITANI PROVINCIÆ.

Una cum nominibus Civitatum, Oppidorum, Castellorum, quæ ibidem exstant, ut & enumeratione Familiarum, quæ in singulis, secundum novam hanc computationem, inveniuntur;

Ut & Civitatum Oppidorumque Regiorum (di Demanio) *atque Camerarum Reservatarum, quæ ibidem sunt.*

Accedit Tributum, seu Impositio, quam pendunt Aulæ Regiæ.

Correcta atque aucta per CÆSAREM D'ENGENIO, *Nobilem Neapolitanum.*

PRovincia *Capitanata* antiquitus *Daunia* dicta fuit, ut & *OEnotria*, *Hesperia*, *Ionia*, *Taurinia*, *Camesena*, *Italia*, *Japygia*, *Apulia*, *Vetulia*, & *Magna Græcia*, licet confinia ultimorum duorum locorum complectantur plures latasque terras. A Religionibus autem & Sacris S. *Angeli* etiam dicitur, atque a parte Euri, Aquilonis, Caurique orientis circumdatur Mari *Adriatico*, ab Euronoto autem jungitur Terræ di *Bari*, ad Occidentem vero, *Lybicum* & Meridiem cum Principato *Ultra* & Comitatu *di Molisi* confinia nectit.

Insigne ejus Mons est Aureus spicis quibusdam ad latera cinctus, & stans in Monte effigies Archangeli *Michaëlis* in Campo azurino; quod insigne nihil aliud denotat præter apparitionem istius Archangeli in Monte *Gargano*, spicæ vero terræ ubertatem indicant.

Fluvios celebres hæc Provincia duos habet, *Fortorem* & *Candelarum*, Lacus totidem, *Lesinam* & *Varanum*. Duodecim ibi sunt Civitates, ex quibus illa *Montis S. Angeli*, unita cum *Manfredonia*, sola est Archiepiscopalis. Successêre vero hæ in
207 locum antiquæ Urbis *Siponti*. Episcopales autem sunt *Ascoli*, *Bovino*, *Fiorenzola*, *Larino*, *Lucera*, *Lesena*, *Salpe*, *Vieste*, *Vulterara*, *Termoli*, *Sansevero*, & *Troja*, Vicos vero & Castella LXXXIX. habet, atque in universum CI. Licet quondam & aliæ, jam desolatæ, Urbes fuerint, ut *Arpi* seu *Agirippa*, *Salapia*, *Sipontum*, *Cliternia*, *Girone*, *Vibianum*, *Apaneste*, aliæque.

Residet in hac Provincia Regia Audientia in Urbe *Luceræ*, una cum Vice-Regis suo, qui etiam gubernat Provinciam *Comitatus di Molisi*; stipendium vero habet annuum ducatorum DC. & duos Auditores, cum stipendio pro singulis CCC. ducatorum, Advocato Fisci & Secretario, Magistro Cameræ, Tubicine, & XV. Stipatoribus & Capitaneo cohortis, qui omnes stipendium ex Regio fisco capiunt.

Ubi Signum hoc † invenitur, Cameræ sunt Reservatæ.

Olim		Nunc.	Olim		Nunc.	
	A.		35	*Bignano*	28	
58	*Alarico*	224		C.		
742	† *Ascoli*	870	105	*Cagnano*	264	
245	*Alberona*	221	135	*Campo Marino*	104	
	B.		236	*Candela*	232	
267	*Baselece*	285	11	*Casalnovo*	44	
338	*Biccaro*	341	48	*Casal della Porcina*	72	
430	† *Bovino*	510				
62	*Barburano*	50		*Casal franco*	43	
24	*Casal maggiore*	30	50	*Mont' Aguto*	64	
27	*Casal vecchio*	31	360	*Montenegro*	391	
119	*Castel Pagano*	168		*Monte Sant' Angelo*	586	
	Castelluccio delli Schiavi	368	62	*Motta di Montecorvino*	99	
157	† *Castelvetere*	193	38	*Montelongo*	41	
186	*Castelluccio*, alias *Cajuri*	214		*Monte Rosario*	30	
35	*Castelluccio di Valle*	40	150	*Monacilioni*	151	
375	† *Celenza*	494		N.		
58	*Celle*	36	1192	*Nocera*, seu *Lucera*	1496	
30	*Coppito*	24		P.		
228	*Cerqua maggiore*	217	98	*Panni*	159	
418	*Cercello*	311		*Pieschice*	260	
466	*Cirignola*	699	3	*Porte Cannone*	38	
189	*Civitari*	167	350	*Petra catello*	308	
219	*Colle*	244	136	*Pietra di Montecorvino*	172	
20	*Colle di Roi*, sive *Palabron*	15		R.		
215	*Colle torto*	228	110	† *Regnano*	142	
84	*Crapino*	224	108	† *Rodia*	198	
8	*Conzaga*, alias *Chiance*	13	98	*Rotello*	136	
20	*Curie* major	15	173	*Rosito*	224	
	Castellucci delli Sauri	73		S.		
	Casal carlentino	10	470	† *Sant' Agata*	492	
	Civitella	51	487	*S. Bartolomeo del Gaudo*	567	
	Casale, alias *Castelluccio*	27	273	† *S. Elia*	318	208
	Casal Vico	43	391	† *S. Gio Rotondo*	474	
	D.		245	*S. Giuliano*	236	
18	*Derotti*	60	1	*S. Jacopo*	15	
	F.		50	*S. Marcutio*	129	
216	*Fiorenzuola*	81	227	*S. Martino*	211	
618	*Foggia*	1090	190	† *S. Marco della Masula*	207	
70	*Fatto*	147	110	† *S. Nicandro*	350	
150	*Foiano*	158	800	† *S. Severo*	1000	
	G.		246	*Serra capriola*	386	
313	† *Guidone*	214		T.		
490	† *Giuglionisi*	490	70	*Troia*	1202	
	I.		342	*Termole*	239	
211	*Ielsi*	179	206	† *Torre maggiore*	311	
145	*Ischitello*	250	138	*Tufara*	172	
387	*Ilicito*, seu *Dolecito*	484		V.		
	L.		351	† *Vico*	602	
258	*Larina*	224	139	*Viesta*	209	
44	*Lesina*	28	304	*Venifro*	391	
	M.		115	† *Volturara*	126	
	Mont' alto	62	204	*Ursara*	336	
222	*Marchia*	241	204	*Voltorino*	170	
31	*Magliano*	42		*Val di Vico*	43	
620	*Manfredonia*	648				

Nomina Urbium & Vicorum *di Demanio* seu Regiorum, in hac Provincia. 209

618	*Foggia* Familias habet	1001	620	*Manfredonia*	649
1192	*Lucera*	1496	139	*Vieste*	209
			701	*Troia*	893

Tributum quod singulæ hujus Provinciæ familiæ Regiæ Aulæ solvunt.

Grana pendunt sex, Equos undecim, cum duabus tertiis pro *Barricello di Campagna*, idque per mensem.

Castella atque Turres, quæ Provinciam hanc a littore Maris tutantur.

Castellum *di Manfredonia.*
Castellum *di Veste.*
1 Turris *del Porto Marino.*
2 Turris *di Civita a Mare.*

3 Turris *della foce di Lesina.*
4 Turris *di Giferno*
5 Turris *di Regoli.*
6 Turris *del Monte Saraceno.*
7 Turris *della Pergola.*
8 Turris *della Sesta.*
9 Turris *dell' Aglio.*
10 Turris *della Molinella.*
11 Turris *della Sinarca.*
12 Turris *di San Felice.*
13 Turris *di Porto novo.*
14 Turris *di Petacciata.*
15 Turris *di Matinata.*
16 Turris *di Miletta.*
17 Turris *di Galarossa.*
18 Turris *delle Gattarelle.*
19 Turris *di Sfinale.*
20 Turris *di Staccione.*
21 Turris *di monte Barone.*

210 BREVIS DISSERTATIO

De Origine quarundam Civitatum & Vicorum in hac Provincia DI CAPITANATA, *ubi Familiæ sunt Nobiles.*

MONS S. ANGELI.

Quum Civitas *Montis Gargani*, communiter dicta *Mons S. Angeli*, primaria hujus Provinciæ Urbs sit, atque Metropolis, unde sacris & insignibus inclita est, æquum est, ut de illa primum agamus.

Sacra Civitas *Montis S. Angeli*, dicta *Latinis Mons Garganus*, aliis *Mons Angeli*, originem suam habet a miraculosa apparitione S. *Michaëlis* Archangeli. Dicitur enim ipse e Cœlis in Terras descendisse, ut Angelica conversatione dignos mortales redderet, abolito jam ab aliis cultu Idolorum, & ut, sicut in Cœlis, ita etiam in Terris triumpharet, Montem *Garganum* elegisse in Theatrum Angelici Triumphi. Ibi enim cœlesti manu sua Regiam suam ædificavit, cœlestibus illam adornans favoribus, dansque Mortalibus in Ædem orationis atque absolutionis peccatorum, lapidibus quidem haud manu aggestis, verum in vivo saxo excavato loco, in summo Montis vertice, non sine visibili opera Angelicæ virtutis.

Urbem ipsam ædificavit Sanctus Episcopus *Laurentius*, una cum *Siponti* veteribus incolis, dignaque habita est, ut ab ipso Archangelo Episcopo illi commendaretur; unde in *Responsorio* ejusdem Sancti hæc leguntur: *Hanc arctavit, & beavit Michaël Archangelus, dans favorem, ut sub eo sit Garganus populus, qui pro loci sanctitate dicitur Angelicus, & hic hortatu Michaëlis cœpit jus regiminis civitatis, atque Cleri, & cœlestis lapidis.* Ornata eadem Urbs a dicto Episcopo fuit multis Ecclesiis, quæ quadraginta usque intus atque extra muros Civitatis inveniuntur. Muri vero ambitum habent unius milliaris cum dimidio, continentque Arcem adeo validam, ut semper inexpugnabilis habita fuerit; Hinc habitasse ibi creduntur prisci incolæ ut in Montis loco fortissimo, locumque illum debere intelligi volunt, quando Veteres Scriptores loquuntur de Monte isto *Gargano*, sede *Noachi*, *Japheti*, *Pilumni*, aliorumque antiquo-
211 rum *Italiæ* Regum, ut & Principum regionis istius, qui nomina dedêre Terræ *Oenotriæ*, *Japygiæ*, *Hesperiæ*, *Ioniæ*, *Apuliæ*, *Dauniæ*, prout non tantum patet ex hodierna appellatione *Puglia*; verum etiam ex Libris Regiis *Capitanatæ* Sacrisque Provinciæ S. *Angeli*; unde & hodieque ibi ingens valde Turris cernitur, quæ *Gigantum* retinet appellationem, ut & aliarum Structurarum reliquiæ, præcipue vero Templi Dei *Pilumni*, unde & appellatio-

A nem adhuc retinet ibidem pars declivior Civitatis.

Metropolim eo in loco constituerunt ejusdem regionis populi, qui bellum gesserunt cum *Diomede*, Rege *Ætoliæ*, illuc post Bellum *Trojanum* appulso. Victor autem *Diomedes* tam bellicosæ gentis & validi loci, gavisus est triumpho, unde de illo canit *Virgilius* Lib. XI. *Æneid.* versu 247.

Victor Gargani condebat Iapygis arva.

Neque solius Episcopi S. *Laurentii*, verum & aliorum Episcoporum successorumque sedes fuit;
B ita ut, quum antiqua Urbs *Sipontum* destructa esset a *Sclavis*, populo *Sarmatiæ*, sub Imperio *Caroli Magni*, absoluta remanserit Sedes Episcopi *Sipontini*, quoniam & ipsa illa Ecclesia Montis *Gargani* dicta quoque *Sipontina* fuit. A Pontifice autem *Pasquale* II. Ecclesia dicti Montis *Gargani* ejus Provinciæ *Metropolitana* facta fuit, Archiepiscopus vero dictus ejus Episcopus antea fuit *Sipontinus* vel *Montis Gargani*, usque ad *Normannorum* atque *Suevorum* tempora. Tunc enim (ut diximus) in honorem S. Archangeli dicta fuit *Provincia del honore del Monte di* S. *Angelo*, & *di Capitanata*, prout legere est in libris *Normanno-*
C *rum*, atque Registris *Frederici* II. ubi cognoscitur *Archiepiscopus Montis* S. *Angeli*. Suffraganeos habet *Trojæ* & *Vestæ* Episcopos, cui postremæ unitus est Episcopatus Urbis *di Marino*, jam olim destructæ, ut & illæ *Monopoli*, *Rapollæ*, & *Melphi*, quæ Urbes Episcopali dignitate pariter istis temporibus exornatæ fuerunt, sicut patet ex libris Cancellariæ Apostolicæ. Tanto autem in pretio nomen hujus Urbis penes antiquos *Apuliæ* Reges fuit, ut honoris ejus gratia appellaverint sese Dominos & Duces per gratiam *(dell' honore) Montis S. Angeli*, nolentes absolute sese Dominos nuncupare, propter reverentiam gloriosi *Michaëlis*,
D Patroni ejusdem Urbis, atque Protectoris; quo modo egerunt quoque postea Filii Regis majores natu, aliique Regii sanguinis, imo vel ipse Rex, sicut ex Archivis Regiis variisque auctoribus constare potest.

In hac Urbe atque Antiqua *Siponto*, a qua hæc Urbs dependebat, Sancti multi floruerunt, ut S. *Eusamius*, S. *Diodorus*. S. *Domitianus* Martyres. SS. *Gratula*, *Justa*, *Florentitius*, *Justinus*, *Felix*, 212
Joël, *Jordanus*, Abbates. S. *Joannes Pulsanensis*, & S. *Joannes Discipulus*, qui Abbas *Milettæ* in dicto Monte fuit.

E Mortuus ibidem est S. *Pascasius* Abbas, cujus Corpus servatur *Neapoli* in S. *Annunciatæ* Ecclesia, a *Lesina*, quorsum transvecta erat a Monte *Gargano* atque Monasterio suo) deducta. Obiit quoque diem ibi supremum B. *Iodacus Plamerius*, Monachus Ordinis S. *Guilelmi*, ut & S. *Henricus*, cujus Corpus est extra muros in Ecclesia S. *Jacobi*. Natus est ibidem B. *Illuminatus*, Discipulus *Seraphici* S. *Francisci*, aliique Beati, qui ibidem ut specula Sanctitatis floruerunt.

Sunt etiam in circuitu multa devotionis loca, ubi servi Dei vitam inculpatam duxerunt, præsertim extra portam dictam *del Lago*, non longe
F extra Urbem, Oratorium scilicet S. *Anelli* Abbatis Protectoris *Neapolis*, qui per septem annos pœnitentiam egit, atque inde revocatus fuit *Neapolim* ad regendum Hospitale S. *Gaudiosi Matris Dei cum visione Miraculosa*. Jacet & in eadem Civitate Corpus *Rothari Longobardi*, Regis *Italorum*, supra Portam scilicet Regii Mausolei S. *Joannis*, quæ adhæret Ecclesiæ S. *Petri*; atque in Ecclesia S. *Francisci* jacet Corpus Reginæ *Joannæ* Primæ, ut docuimus in *Historia* nostra *Neapolitana*.

Civitas hæc Sanctumque ejus Templum a multis

tis Imperatoribus atque Regibus fuit frequenta-
tum, præsertim vero ab Imperatore *Othone* III.
qui cum tota Aula Imperatoria, *Roma* usque nu-
dis venit pedibus. Pedes etiam bis visitavit Rex
Catholicus, Montemque ipsum nudipes supera-
vit. Miracula aliquot hoc in loco fecit S. *Franci-
scus*, illuminavit præsertim B. *Illuminatum* Disci-
pulum, inde nomen adeptum; unde idem San-
ctus, considerans majestatem Templi istius An-
gelici, extra idem in terram sese prostravit, inque
rei signum literam *Tau* fecit, quæ etiamnum cer-
nitur ubi intrare velis Portam Altaris S. *Luciæ*.

Præterire nolo, quod, quum controversia quæ-
dam nata esset inter Canonicos Antiqui *Siponti*,
& illos *Montis S. Angeli*, nollentque Canonici
Sipontini adunare sese in Ecclesia *Gargana* pro ele-
ctione novi Episcopi, Papa *Alexander* III. qui
per aliam quandam occasionem, præsens in Urbe
ista fuit, jusserit eosdem Canonicos *Sipontinos* con-
jungere sese istis *Montis Gargani*, seu S. *Angeli*,
213 atque concurrere simul pro electione & acquisi-
tione novi Episcopi a Rege; prout apparet ex
Bulla data in *Benevento*, cujus & ipsi Apographum
possidemus, cujusqus tenor supra Portam Majo-
rem ejusdem Ecclesiæ saxo inscripta est. Hinc
quidam putarunt dictos duos Archiepiscopatus, uni-
tos simul fuisse ab isto *Alexandro*, sed falso, quum
unus Archiepiscopatus, duæ vero essent Sedes, nu-
mero, non dignitate differentes, prout in Sede
antiquissima Marmorea (quæ in Archiepiscopali
Ecclesia *Gargana* est) sequens testatur Inscri-
ptio.

SEDES HÆC NUMERO DIFFERT A SEDE SIPONTI
JUS ET HONOR SEDIS, QUÆ SUNT SIBI, SUNT QUOQUE MONTI

Ab hac Civitate nomen universus Mons acce-
pit, *Garganus* non tantum, sed & S. *Angeli* dictus,
unde &, propter Sacra ejus, ut diximus, tota
Provincia idem nomen sortita est. Pro Insigni ipsa
Civitas duplicem habet S. *Michaëlem*, duasque
Cruces loculis suis distinctas, cum Corona in ver-
tice; Antequam vero Civitas hæc una cum reli-
quis possessionibus ad *Normannos*, Dominos *A-
puliæ*, & dein ad Regem perveniret; nullum agno-
scens Dominum, Reipublicæ formam habuit.
Unde & supersunt Monetæ ejusdem (quales vidi
apud Dominum *Colantinum Dentice*) argenteæ,
istis temporibus percussæ in ipsa Civitate, & ha-
bentes ab altera parte imaginem ipsius S. *Michaë-
lis* nomenque ejus, ab altera autem peculiare Ar-
cus insigne (ad denotandum scilicet arcum, a no-
bis exponendi mox Nobilis istius viri, qui mi-
nister Angelicæ fuit Apparitionis) ut & nomina
Magistratus.

Sedes hæc Archiepiscopalis multos Cardinales
& Pontifices dignitate Ecclesiæ suæ antea exorna-
tos vidit; inter quos patrum nostrorum memoria
fuit *Julius* III. qui inde Cardinalis factus & post-
ea Papa fuit, ut & nepos ejusdem Cardinalis
de' Monti; Cardinales item *Sebastianus Pighinus*,
Rebiba, *Bartholomæus della Cueva*, D. *Petrus Pa-
ceccus*, *Ptolemæus Gallus*, dictus *di Como*, & de-
nique Cardinalis *Dominicus Gymnasius*, a quo ho-
die habemus nepotem Dom. *Annibalem Gymnasium*,
Prælatum magnæ virtutis, dignumque Universi
hujus Regimine, tantoque patruo suo, uterque
enim optime meritus est atque meretur de hac Ec-
clesia atque Civitate.

Verum quum Civitatem hanc non sine Mira-
culosa Apparitione S. *Michaëlis* conditam dixeri-
214 mus, indeque celebrem toto Terrarum Orbe red-
ditam, nolo silentio involvere ipsam hujus Appa-
ritionis historiam, maxime, quoniam a quibus-
dam adeo male concepta fuerit, ut sæpe mirer il-
lorum incogitantiam in re tanti momenti, cujus

A grata memoria a civibus etiamnum duplici Festo
celebratur.

Veritas itaque rei ita sese habet; prout paucis
jam ostendam, quo pacto Gloriosissimus Princeps
S. *Michaël* Archangelus anno Domini CCCCXCI.
Indict. XIV. sedente Pontifice *Romano Gelasio*,
atque imperante *Zenone*, sese revelaverit. Dives
quidam erat incola, a Monte *Gargano* dictus *Gar-
ganus*, magnum armentorum possidens numerum,
vel ut alii volunt (qui pastorem fuisse negant)
Dux militum Urbis *Siponti*, ad radices istius
Montis excubans; Evenit autem temporibus istis
claris initio Christianismi per pietatem & zelum con-
B fitentium, ut taurus ex armento, qui solus oberrare
erat consuetus, non reverteretur ad solitum bu-
bile, frustraque quæreretur ab ejusdem famulis;
ipse itaque ultra modum, verum instigante Deo,
motus, comitatus ministris quibusdam equum ad-
scendit, frustra ubique per Montem quæsivit; do-
nec tandem in summo ejusdem cacumine antrum
illud (de quo superius locuti sumus) vidit, &
in ore ejusdem taurum suum; miratus vero, quo
pacto illuc bestia pervenisset, quo non sine sum-
mo labore homo pervenire posset, ira (seu Spiritu)
percitus, occidere statuit factum tam ferum, ut
C comprehendi non posset; emisit itaque nervo sa-
gittam, verum, mirabile dictu! sine vulnere tauri
reversa retro sagitta percussorem vulneravit; unde
attonitus bonus vir, atque a ministris suis in equum
repositus, *Sipontum* reversus est. Hoc ubi per-
crebuit, tota misceri Civitas cœpit, intelligens-
que Miraculum Episcopus *Laurentius*, vir San-
ctissimus & miraculis clarus, ex Deo esse depre-
hendit, atque rei significationem a Deo esse quo-
que petendam; indixit itaque jejunium per tri-
duum, quod ubi ipse per multas preces una cum
populo peregisset, nocte ultima diei mensis Maji
octavæ, apparuit illi gloriosus S. *Michaël*, dixit-
D que bene fecisse, qui a Deo quæreret, quod homi-
nibus esset absconditum, vulnusque illud viri sa-
gitta sua icti venisse ex voluntate ipsius Archangeli 215
(assistentis semper in Magni Dei conspectu) qui lo-
cum illum elegisset pro Regia sua sede, atque ha-
bitatione inter mortales, cujus ipse Archangelus
Protector, Inspector & Custos esse vellet. No-
tum id omnibus civibus Episcopus fecit, qui lo-
cum illum multis precibus atque votis frequenta-
runt, verum intrare haud ausi fuerunt, propter
præsentiam Angeli atque timorem Divinum, quem
sentiebant audientes choros Angelorum canentium,
E *Qui adorat Deum honorat eundem.* Verum *Luci-
fer*, inimicus humanæ salutis, ubi hæc audivit,
intravit in corda Magistratuum, qui pro Barbaris
Neapolim gubernabant, quique (secundum miseriam
istorum temporum) una cum multis paganis exi-
verunt, ut non solum Fideles debellarent, verum
Sipontum & ipsum Montem destruerent ignique
ac ferro omnia depopularentur. Cinctum itaque
obsidione *Beneventum* (quæ Urbs confœderata
Sipontinis erat) relinquentes, ad Montem *Garga-
num* accesserunt, cædem cladem que in *Sipontinos*
spirantes. Sanctus itaque Episcopus *Laurentius* nu-
merosum hostilem cernens exercitum, cui huma-
F nitus resisti haud diu poterat, Archangelo suo
confisus, convocavit populum prope Sedem An-
gelicam, omnibusque tridui jejunium indixit, at-
que ab hostibus per triduum inducias petiit, qui-
bus impetratis, ultima jejunii nocte XXIX. Se-
ptembris ejusdem anni, illi iterum Gloriosus ap-
paruit Archangelus, S. Episcopo victoriam polli-
citus, jubensque hora quarta impetum in hostes
facere. Fides illi adhibita fuit, Duxque creatus
ipse ille, qui jam ex vulnere convaluerat, *Gar-
ganus*, atque ubi jam ad hostilem exercitum copiæ
pervenissent, Episcopus cum multis aliis fideli-
bus

bus & Sacerdotibus ante sacratam Archangeli Sedem sese prostravit, divinumque imploravit auxilium; & ecce concussus magno terræ motu *Mons* est, circumvicinum Mare ingentem dedit mugitum, atque nebula sacrum Montis culmen tectum
216 fuit, atque inde Archangelus sagittas cœlestes contra hostes emisit, una cum tonitruis, fulguribusque, cœlestique manu fugavit hostilem exercitum, multa occidens millia (licet sexcentorum numerum non recte *Latina* intelligens vulgus celebret) ita ut insequentibus etiam *Sipontinis*, usque ad *Neapolis* mœnia occisi & vulnerati fuerint; imo ipsi hostes cœlestia intelligentes arma ad Fidem conversi fuerint, collum *Christiano* subdentes jugo, magno cum gaudio Fidelium, qui in illa Urbe erant, servarantque fidem & religionem illis traditam a glorioso Apostolo S. *Petro*, hoc Miraculo scandalum removentes Paganismi, qui una cum Christianismo in ista Civitate valebat, culpa Principum istius temporis atque impiorum Barbarorum.

Sipontini vero victores reversi, Archangelo opima obtulerunt spolia hostium, atque triumphantes eadem adduxerunt. Quum vero Religionis interesset, ut S. Episcopus provideret civibus, iisque qui concurrebantad Montem *Garganum*, Miracula visendi gratia; concepit animo ædificare ibidem Templum in honorem S. *Petri* Apostoli, qui Urbem *Siponti* ad Fidem converterat, ut & cives Montis *Gargani*, atque illic condere Civitatem in honorem S. Archangeli, prout fecit una cum præcipuis civibus, atque ex collectione inter eosdem facta ædificavit pariter Templum in honorem S. *Petri*, erigens ibi Altare in honorem Matris Dei & S. *Joannis Baptistæ*, consecransque una cum vicinis Episcopis; ibique Sacramenta communicavit novæ Urbis incolis atque peregrinis, qui undiquaque illuc concursum fecerant, sacram illam Speluncam nec intrare ausi neque valentes.

Denique, quum jam nihil restare existimaret Episcopus nisi in ipsam Speluncam penetrare, pro usu ibidem conversationis Angelicæ, ex voluntate suorum consuluit Papam S. *Gelasium*, missisque Legatis responsum a S. *Gelasio* fuit, oportere ut die ipsa Victoriæ istius consecraretur Ecclesia, verum instituta prius tridui jejunatione, atque precibus ad Archangelum, vellet ipsis revelare, ubinam deceret ingredi pro consecratione, & an omnino fas esset a mortali consecrari cœlestem
217 hanc Basilicam, precarique S. Trinitatem, dignaretur ad finem perducere dona illa, quæ inceperat communicare mortalibus per magnum Ministrum suum ex ejusdem Sede; ipsum quoque se una cum Clero & Populo *Romano* simili modo jejunia & preces celebraturum.

Quum itaque præstitutum a *S. Gelasio* tempus advenisset, S. Episcopus *Laurentius*, adunatis quibusdam Episcopis vicinis, atque denunciato jejunio, secundum Pontificis jussa tres continuos dies in jejuniis & precibus transegit; ecce autem ultima rursus nocte apparens gloriosus Archangelus, ita illum affatus est: *Non opus, o Laurenti est, ut tu consacres Basilicam hanc, Regiam meam, mea factam manu, quum ipse, qui eam cœlesti exstruxi manu, divino quoque nomini meo consecraverim, superest tibi modo, ut intres, atque me Patrono & Defensore assistente, frequentes eam cum orationibus, hæc enim Domus peculiaris est, ubi omnis culpa & peccatum removetur atque remittitur profundiusque ipso antro occultatur. Tute Missas ibi matutinas celebra, atque populo fac innotescere hanc meam consecrationis voluntatem.* Propalavit divinum Oraculum Antistes, atque sacro cum populi tremore jussa Angelica implevit; ubi vero in Spelun-
A cam ingressus est, invenit in ejusdem fundo ad partem dextram Altare vivo surgens saxo, inque illo vestigia duorum pedum nudi infantis tanquam in tenella nive, una cum rubro pallio, cœlesti opere, magnaque Cruce (ut & alii & ipsius loci Sacerdotes testati sunt) crystalli limpidissimi & cœlestis; donaque ista, ut signa Consecrationis agnoscens, laudavit Dominum, certioremque ea de re fecit Pontificem *Gelasium*, qui hoc Miraculum tanti fecit, ut non solum ipse locum istum visitaverit, verum etiam ordinaverit, ut in Sancta Dei Ecclesia celebraretur Apparitio, Inventio, & Dedicatio istius Ecclesiæ, subque istius nominis
B festivitate omnes Angeli honorarentur. Atque hac occasione variis in locis passim Templa erecta fuerunt in honorem dicti Archangeli, præsertim vero paucis post annis *Bonifacius* II. in ipsa quoque 218
Roma Urbe idem fecit, id quod statuerat S. *Gelasius*, confirmans. Quum tempore Imperatoris *Frederici* II. furto ablata hæc Crux esset crystallina, Imperiali Banno promulgato, repertum frustum ejusdem fuit in Urbe *Ariani*, ex quo fieri Imperator Crucem duorum palmorum jussit, in cujus inferiori parte inseri frustum jussit Sacratissimi ligni Crucis Domini Nostri, quæ adhucdum in Eccle-
C sia nostra conservatur, estque revera res admirabilis & miraculosa, prout celebratur etiam in Memoriis Ecclesiæ hujus antiquis.

Cernitur in Ecclesia hac sanctissima Archangeli Statua, una cum basi sua, altitudinis palmorum quatuor, quæ inter pulcherrimas Orbis *Christiani* æstimatur, *Catholici* Regis jussu per Magnum Capitaneum excitata. Visitavit enim ipse hanc Ecclesiam; Statuamque, Cleri rogatu, ex Marmore erexit, quum illa ex auro pelvis seu baptisterii quondam Regis *Caroli* III. qui in ista Civitate natus est, ut & argentea dein, furto essent ablatæ. Utilius enim judicatum propterea fuit, ut ex Mar-
D more fieret. Reposita Statua hæc est supra Altare Cœleste Sancti *Michaëlis*. Stillavit & adhuc stillat cœlestis quoque muneris aqua ab una parte prædictæ Ecclesiæ, quæ ægris salubris est, aliaque virtute S. *Michaëlis* & Dei gratia efficit Miracula; facit idem saxum ejus contritum atque ita ægrotis datum, ut ita in specie & corporaliter appareat verum esse de S. *Michaële*, quod in genere de Angelis dicit S. Apostolus: *Angeli sunt administratorii Spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Pietas mea in Archangelum S. *Michaëlem* ita extra oleas vagari me coëgit.

Atque hæc sufficiant pro instituta brevitate,
E dicta de Urbe hac atque Apparitione S. *Michaëlis*; omnia cognoscere qui cupit curiosius, consulere potest Historiam *Colantonii Denticis*, Nobilis *Neapolitani*, in libris suis de Historia Angelorum, quorum alter agit de Situ, Antiquitate & Urbe *Montis Gargani*, alter de Apparitione S. *Michaëlis* Archangeli, in *Monte Gargano*, ejusque 219
Miraculis; Opus revera dignum tanti ingenii & meriti viro, qui quidem (occasione ista, quod majores ejus dominati in isto Monte fuerint, & præcipue *Antonius Dentice*, & *Joannes Dentice*, dictus *Carestia*, prout vocatur in Capitulis *Nea-*
F *politanis* in juramento Fidelis Hommagii Regi *Alphonso* atque *Ferdinando* proavo suo præstito) peculiari studio res Montis istius regionisque collegit.

Cernitur etiam supra Ecclesiam S. Archangelo consecratum Nemus ex Ilicibus valde antiquis & proceris, quæ muro incinctæ, atque inter lapides radicatæ amœnum prospectum dant, quasi vivo saxo emergerent, ex quibus etiam multi religiosi aliique homines in honorem S. Archangeli Cruces fabricare soliti sunt. Solent etiam (pariter ut de saxo diximus) multi pulverem contrito-

torum hinc foliorum potui ægrotorum immiscere; gloriosus etiam S. *Franciscus* sibi inde baculum fecit, quo duce usus est, tandem vero eundem in sede sua proprio loco plantavit viridem jam arborem, unde similiter Cruces fieri solent.

Montem hunc egregie exornarunt Nobiles *Neapolitani*, ut Domini ex Familia *Marra*, quæ ibi Dominium habet, *Cagnani* & *Capriles*. Domini *Dentici*, quorum feuda sint *Ischitella*, *Pescici*, *Varanum* atque alia; *Caraccioli*, quorum *Vico* est, deinde Marchionatus possessum titulo; Præterea *Mormili*, Domini S. *Joannis Rotundi*, ut & *Sanfelices Rhodi*; *Pulcherici* quoque, qui aliquando Gubernatores ibi atque Castellani fuerunt, aliique, quos brevitatis gratia transeo, quorumque ibi reliquiæ & memoriæ inveniuntur.

Multa adhuc dicenda supersunt; verum ne videamur contexere Chronicon peculiare, sufficiet dicere, fuisse multos Viros Illustres ex eadem Civitate ortos, atque inter alios *Gregorium de Galanis*, Cardinalem S. Ecclesiæ, qui Gubernator fuit utriusque *Siciliæ*; *Rainaldum de Garganis*, Archiepiscopum *Cosentinum*, magnumque numerum aliorum Prælatorum, Doctorum, Nobiliumque.

C. d'Engenio.

Sunt in Urbe hac sequentes Familiæ Nobiles.

220 *Geliberti*	*Vischi*, & alii.
Giorgi della Scala	
Del Raso	Extinctæ.
Sereni	
Mutii	*Galgani*
Morelli	*Corradi*
Palombi del Doctor Federico.	*Fidi*
	Iacobuzzi
Perutii	*Malatesta*
Toni	*Henrichelli*, & alii.
Tontoli	

MANFREDONIA.

Ædificata a Rege *Manfredo* fuit, anno MCCLVI. prout cognosci potest ex Inscriptione in vivo saxo ad radices *Montis S. Angeli*, ad partem Meridionalem, isto proprie in loco, ubi dictæ Urbis *Montis* Portus olim fuit una cum Turre, quæ adhuc integra cernitur in ejusdem Urbis Arce, atque nomine ejusdem Regis *Manfredonia* appellata Civitas est, structa ex ruinis antiqui *Siponti*, quæ milliare circiter inde distant; ut vero incolis eadem frequentaretur, omnis generis immunitates per decem continuos annos concessæ fuerunt omnibus qui illuc sese conferrent, ut apparet ex Privilegio, dato anno MCCLXIII. *Ortonæ*, quod est in Regio Archivio.

Verum quum ipse *Manfredus* victus esset a *Carolo*, & simul vita & Regno spoliatus (illud enim tyrannice anno MCCCLXXVIII. occupaverat) publico & pœnali edicto vetuit idem *Carolus* Urbem *Manfredoniam* appellari, *Novi Siponti* nomen illi dans, prout ex Registrationibus ejusdem *Caroli* clare apparere potest, vicinitate scilicet *Siponti*, atque odio *Manfredi*. Unde factum postea est, ut cives ejusdem posterioribus temporibus controversiam de nomine moverint incolis *Montis S. Angeli*, sese *Sipontinos* omni modo facere studentes. Verum invaluit postea conditoris nomen, ut (sicut & nunc) *Manfredonia* appellaretur. Fuit-
221 que hæc Civitas a Papis *Gregorio* XI. *Joanne* XXIII. & *Benedicto* XIII. *di Luna* (omnes enim uno eodemque tempore de Summa Sede disceptarunt, magno illo Scismate Ecclesiastico, quod notum est apud Scriptores) decorata Privilegio Ecclesiæ *Sipontinæ*, adjuta ope *Ladislai* Regis, qui Pontificum istorum Bullas exsecutioni mandavit. Unde postea Archiepiscopus *Sipontinus* & *Montis Gar-*
A *gani*, sub nomine licet *Sipontini*, solitus fuit (ut & hodie) Sedem suam ibidem habere, tanquam scilicet in *Siponto*, æque ut in *Monte S. Angeli*; eaque occasione translata fuit a Canonicis Antiqui *Siponti* Sedes, ædificatumque eadem in Urbe novum Templum pro residentia sua, sub titulo S. *Laurentii* Episcopi Protectoris olim *Sipontini*, fundatorisque Ecclesiæ *Montis* S. *Angeli*, licet Canonici atque Capitulum non relinquant nomen *Sipontinorum*, vocati inde Capitulum & Canonici *Sipontini*, atque inde transtulerint reliquias Ec-
B clesiæ suæ, præsertim vero S. istius Episcopi, in cujus honorem consecrata fuit Ecclesia, cujus Translationis hodieque Festum celebrant.

Pulcherrima longe atque optime divisa Urbis hujus est structura, figuram enim habet quadratam oblongam, rectas pulchrasque plateas, ita ut pulcritudine huic Urbi vix alia par sit; circuitus ejus est circiter unius milliari cum dimidio. Cladem a *Turcis* sensit die XVI. Augusti, anno MDCXX. subito capta ab *Ali*, Bassa Summo seu Generali, qui cum LII. Triremibus illuc appulerat, & ibidem per tres dies igni & rapinis omnia vastavit, quosdam civium occidit, multos vero in
C captivitatem abduxit. Qui vero in Castello seu Arce erant, una cum Monachis, de salute initis conditionibus, salvi eo pacto manserunt.

C. d'Engenio.

Multas habet Ecclesias & Monasteria; estque valde urbana, suntque in eadem Familiæ Nobiles hæ sequentes:

Aprile	*Metola*
Avantaggio	*Minadoi*
Beccarino	*Nicastri*
Celli	*Selvaggio*
Florio	*Tontoli*
D *Gentile*	*Veschi*, & alii.

NUCERA, ab aliis LUCERA dicta. 222

Superba Ædificia atque sumtuosa Palatia (quorum hodieque ruinæ apparent) extructæ quondam a *Diomede* Urbis, ostendunt, quantæ olim potentiæ atque magnitudinis fuerit, ut merito de ea *Gratianus*, Episcopus ejusdem dicat: *Dicta est Luceria, quia lucus in Apulia*, ut dicit *Frezza* de Subfeudis.

Capta Urbs hæc vi, atque a fundamentis diruta fuit ab impio illo *Constantio*, Imperatore *Con-*
E *stantinopolitano*. Imperator deinde *Fredericus* II. pulsis utraque *Sicilia Saracenis*, iisdem tamen hanc Civitatem, ut reædificarent, habitandam concessit. Verum *Carolus* I. quum obsessam vi expugnare nequiret, pactus cum incolis est, dederent sibi rebelles, qui illuc confugerant, atque gravius postea tributum solverent; atque ita abscessit. Verum filius ejusdem, *Carolus* II. impiam in Regno suo Gentem haud volens tolerare, misit illuc *Joannem Pipinum*, Magistrum Rationalem *della Zecca*, qui quum venisset ibidem, Edictum promulgavit, quo licebat quemcunque *Saracenum*, ni religionem mutaret, impune a *Christiano* occidi,
F ita ut eidem *Christiano* bona ejusdem invadere, ibique habitare liceret. Quod ubi audiverunt, subito inde moverunt, remanente parte quadam, quæ ad Fidem *Christianam* transiit; sicut legi hæc possunt in Regio Archivo *Neapolitano*, ut & Sepulcro dicti *Pipini*, quod *Neapoli* est, in Ecclesia S. *Petri a Majella*, ut peculiari libro nobis ostensum fuit.

Ædificavit ibidem *Carolus* II. celebre Templum Episcopale, sub titulo S. *Mariæ della Vittoria*, multas & opimas illi dotes tribuens. Servatur autem in Ecclesia S. *Dominici* Corpus S. *Augustini*, *Hungari*, fratris Patriarchæ *Dominici*, qui a *Be-*

a *Benedicto* XI. Summo Pontifice, primum creatus fuit Episcopus *Zazabrizensis*, deinde hujus Urbis, ubi summe colitur, multisque Miraculis inclaruit. In Ecclesia Patrum *Franciscanorum* sunt Corpora Fratris *Angeli da Specchio Hortulani*; So-
223 cii S. *Bernardini Sienensis*, vitæ sanctissimæ, qui maxime amatus atque cultus fuit a *Ferrante* I. Rege *Neapolis*. Fuit & alius Frater, cujus nomen incuria ejus loci periit, cujus lingua etiam viva atque integra permanet, unde creditur insignis fuisse Prædicator, ad cujus etiam Sepulcrum crebra eduntur Miracula, ut legi potest in Chronico istius Religionis. Magnam quoque Urbi famam conciliavit *Petrus Razzanus*, Monachus *Dominicani* Ordinis, & postea Episcopus Urbis, vir doctissimus, & multis editis operibus clarus.

Ager Civitatis hujus omnis generis fructum victumque profert, veniuntque ibidem duabus anni vicibus quicunque mercimonia exercent per *Italiam*, *Græciam*, *Sclavoniam* & *Siciliam*, aliaque loca, pro permutandis mercibus.

C. d'Engenio.

Urbs autem quæ Regia est, sequentes Familias habet Nobiles.

Auria
Campana
Corrado
Falcone
Gagliardi
Gallucci
Mangrelli
Mazzagrugni
Mobilia
Pagani
Prignani
Recchi
Severini
Spatafora
Scasso, & alias.

TROIA.

Urbs *Troja* sita est in Colle pulcro & divite, ab utroque latere circumdato muris ipsi impositis æquali altitudine atque terra aggestis repletisque, partem Orientem versus pedetentim complanantur campi, ita ut in amœnam spatiosamque dilatentur planitiem. sub Colle isto Fluvius est *Chilo*, qui fluit ex *Appenninis* Montibus.

Condita Urbs hæc fuit a *Bubagno Catapano*, *Græco*, non vero Capitaneo *Græcorum*, ut dicit Frater *Leander Alberti*; *Blondus* Historiarum suarum *Lib.* III. scribit Ducem fuisse *Michaëlis*, Im-
224 peratoris *Constantinopolitani*, temporibus *Stephani* VIII. idem dicit *Volaterranus*, verum ædificatam vult ætate Imperatoris *Henrici* II. Legitur *Lib.* II. Chronici *Cassinensis* Capitulo L. *Bolanus Catapanus*, *Græcus*, anno MXXII. non solum condidisse *Trojam*, verum etiam *Dragonaram*, *Frecentinum* & *Civitatem*, cum multis aliis in eadem Provincia locis, quæ ipsa Provincia ab eodem *Bolano Catapano*, dicta fuit *Catapanata*, & corrupte, sicut nunc, *Capitanata*.

Sunt ibi in Ecclesia Episcopali Corpora Sanctorum, *Pontiani* Papæ & Martyris, *Eleutherii* Episcopi & Martyris, *Secundi Epicopi*, S. *Anastasii* Confessoris.

Possessa aliquando *Troia* fuit titulo Comitatus a *Ludovico*, a *Petro de Jurea*, *Sabaudo*, a *Joanne Cavaniglia*, Nobilissimo Equite *Neapolitano*, & denique a *Ferrante Lombardo*, ejusdem Urbis Nobili, Hæc postea, persolvens pariter tributum ut aliæ, Regia facta est, suntque ibidem sequentes Familiæ Nobiles.

C. d'Engenio.

Afflitti
Baldi
De Claritiis
Eustachii, qui sunt etiam nobiles *Romani*.
Gioiosi
Girardi
Lombardi
De Rubeis
Saliceti
Salicei
Sassoni
Tancredi
De Tutiis
Del Vasto, & alii.

225

REGNI NEAPOLITANI 226
ARCHIEPISCOPATUS & EPISCOPATUS. 227

Sunt in Regno *Neapolitano* Civitates CXLVIII. quarum quidem XXI. Archiepiscopales factæ sunt, CXXVII. autem Episcopales, ex quibus jus præsentandi octo Archiepiscopatus & sexdecim Episcopatus Rex *Philippus*, Dominus Noster habet, concessum a Pontifice *Clemente* VII. Illustrissimo Imperatori *Carolo* V. die Julii XXIX. anni MDXXIX. Archiepiscopalas Urbes hæ sunt: *Brundusium*, *Lancianum*, *Matera*, *Otrantum*, *Rhegium*, *Salernum Tranum*, *Tarentum*, Episcopales vero: *Arianum*, *Acerra*, *Aquila*, *Croton*, *Cassanum*, *Castellum ad mare di Stabia*, *Cajeta*, *Gallipolis*, *Juvenatium*, *Motula*, *Monopolis*, *Puteoli*, *Potentia*, *Triventum*, *Tropæa*, *Ugentum*.

Archiepiscopus *Neapolis* habet suffraganeos:
Episcopum *di Nola*.
Episcopum *di Pozzuolo*, qui est Regius.
Episcopum *della Cerra*, qui est Regius.
Episcopum *d'Ischia*.
Episcopum *d'Aversa*, exemtus est.

Archiepiscopus *di Caeva* habet Suffraganeos
Episcopum *di Tiano*.
Episcopum *di Calvi*.
Episcopum *di Caserta*.
Episcopum *di Caiazza*.
Episcopum *di Carinola*.
Episcopum *di Sessa*.
Episcopum *di Venafri*.
Episcopum *d'Isernia*.
Episcopum *d'Aquino*.
Episcopum *di Montecasino*, qui Abbas ejusdem loci est, Ordinis S. *Benedicti*, ita ordinatus a Papa *Joanne* XXII. anno MCCCXXXIV. estque exemtus.
Episcopum *di Gaëta*, exemtus est, & Regius. 228
Episcopum *di Fondi*, exemptus est.

Archiepiscopus *di Salerno*, Regius est, & Suffraganeos habet:
Episcopum *di Campagna*.
Episcopum *di Capaccio*.
Episcopum *di Policastro*.
Episcopum *di Nusco*.
Episcopum *di Sarno*.
Episcopum *di Marsico* novo.
Episcopum *di Nocera de' Pagani*.
Episcopum *d'Acerno*.
Episcopum *della Cava* qui exemtus est.

Archiepiscopus *d'Amalfi* fuit factus Archiepiscopus temporibus *Sergii* Pontificis, & habet suffraganeos:
Episcopum *di Lettere*.
Episcopum *di Capri*.
Episcopum *di Minori*.
Episcopum *di Scala*, unitus est cum illo *di Ravello*, & exemtus est.
Episcopum *di Ravello*, est qui unitus cum *Scala*.

Archiepiscopus *di Sorrento*, ordinatus a *Sergio* III. habet suffraganeos
Episcopum *di Vico*.
Episcopum *di Massa*.
Episcopum *di Castell'* a mare *di Stabia*, hic est Regius.

Archiepiscopus *di Consa* habet suffraganeos:
Episcopum *di Muro*.
Episcopum *di Cangiano*.
Episcopum *di Sarriano*, qui unitus est cum illo *di Campagna*.
Episcopum *di Monteverde*.
Episcopum *della Cedonia*.
Episcopum *di Sant' Angelo de Lombardi*.

Epi-

Episcopum *di Bisaccia*, qui unitus cum illo *di S. Angelo*. A
Archiepiscopus *dell' Acerenza*, habet suffraganeos:
Episcopum *di Matera*, qui nunc unitus cum illo, est factus Archiepiscopus, & est Regius.
Episcopum *di Venosa*.
Episcopum *d' Anglona*, qui translatus est *Tursum*.
229 Episcopum *di Potenza*, qui est Regius.
Episcopum *di Gravina*.
Episcopum *di Tricarico*.
Archiepiscopus *di Taranto* est Regius, & habet Suffraganeos: B
Episcopum *di Motolo*, qui plane est Regius.
Episcopum *di Castellaneta*.
Archiepiscopus *di Brindisi*, erat unitus cum illo *d' Oria*, at hodie *Oria* habet Episcopum suum peculiarem, est Regius, & habet suffraganeum:
Episcopum *d' Ostuni* plane Regium.
Archiepiscopus *d' Otranto* est Regius, & habet suffraganeos:
Episcopum *di Castro*
Episcopum *di Gallipoli*, Regium.
Episcopum *d' Ugento*, Regium. C
Episcopum *di Lecce*.
Episcopum *di Capodileuco*, unitum cum illo *d' Alessano*.
Episcopum *di Nardo*, qui exemtus est.
Archiepiscopus *di Bari*, habet Suffraganeos:
Episcopum *di Bitonto*.
Episcopum *di Molfetta*.
Episcopum *di Giovenazzo*, qui est Regius.
Episcopum *di Ruvo*.
Episcopum *di Salpe*.
Episcopum *di Pulignano*.
Episcopum *di Mandornino*.
Episcopum *di Lavello*. D
Episcopum *di Conservano*.
Episcopum *di Bitetto*.
Episcopum *d' Andria*.
Episcopum *di Besceglia*.
Episcopum *di Buda* in *Slavonia*.
Archiepiscopus *di Trani* Regius est, & Suffraganeos habet:
Episcopum *di Monte peluso*, qui exemtus est.
Episcopum *d' Alessano*, qui unitus est cum illo *di Capo di Leuco*.
Archiepiscopus *Siponti*, seu *Montis Gargani*, nunc *Montis S. Angeli*, & *Manfredoniæ*, Metropolitanus *Apuliæ*, Suffraganeos habet: E
230 Episcopum *di Vieste*, nunc quidem Suffraganeum olim vero exemtum.
Episcopum *di Rappolla*, unitum cum illo *di Melfi*, & exemtum.
Episcopum *di Monopoli*, qui Regius est & exemtus.
Episcopum *di Troja*, qui exemtus est.
Episcopum *di S. Severo*, qui exemtus est.
Archiepiscopus *di Benvento* Suffraganeos habet:
Episcopum *di Nocera di Puglia*, qui (secundum *Frezzam*) Suffraganeus *Trani* est.
Episcopum *d' Ascoli*. F
Episcopum *di Fiorenzuola*.
Episcopum *di Telese*.
Episcopum *di S. Agata de' Goti*.
Episcopum *di Monteverde*.
Episcopum *di Montemarano*.
Episcopum *d' Avellino*, qui unitum habet Episcopatum *di Frecenti*.
Episcopum *di Vico della Baronia*.
Episcopum *d' Ariano*, qui est Regius.
Episcopum *di Boiano*.
Episcopum *di Bovino*.

Episcopum *Turribolensem*.
Episcopum *della Cragonara*.
Episcopum *della Volturara*.
Episcopum *di Larino*.
Episcopum *di Canne*.
Episcopum *di Termoli*.
Episcopum *di Lesina*.
Episcopum *di Trivento*, qui est Regius, & exemtus, ut per Bullam.
Episcopum *della Guardia Alferez*.
Archiepiscopus *di Rossano* non habet Episcopos Suffraganeos.
Episcopus *di Bisignano* exemtus est.
Archiepiscopus *di Cosenza* habet suffraganeos:
Episcopum *di Martirano*.
Episcopum *di San Marco* qui exemtus est, sicut & exemtum
Episcopum *di Mileto*, qui unitus est cum illo *di Monteleone*.
Archiepiscopus *di Reggio*, est Regius, nominat se Comitem *di Bona*, & habet Suffraganeos:
Episcopum *di Nicastro*.
Episcopum *di Taverna*, qui unitus est cum illo *di Catanzaro*. 231
Episcopum *dell' Amantea*, qui unitus est cum illo *di Tropea*.
Episcopum *di Cotrone*, qui est Regius.
Episcopum *d' Oppido*.
Episcopum *di Castell' a mare della Bruca*.
Episcopum *di Cassano*, qui exemtus est.
Episcopum *di Catanzaro*.
Episcopum *di Tropea*.
Episcopum *di Geraci*.
Episcopum *di Squillace*.
Episcopum *di Nicotera*.
Episcopum *di Bova*.
Episcopum *dell' Isola di Lipari* unitum cum illo *di Parenza*, & sunt Suffraganei Archiepiscopi *di Messina*.
Archiepiscopus *di Santa Severina* habet Suffraganeos:
Episcopum *d' Umbriatico*.
Episcopum *di Belcastro*.
Episcopum *Sitomense*.
Episcopum *dell' Isola*.
Episcopum *di Cerenza* qui est unitus cum *Cariati*.
Episcopum *di Strongoli*.
Episcopum *di Cariati* qui est unitus cum *Cerenza*.
Episcopum *di Montelone*, qui unitus est cum illo *di Melito*.
Archiepiscopus *di Civita di Chieti* habet Suffraganeos:
Episcopum *dell' Aquila*, qui est Regius, & exemtus.
Episcopum *di Cività di Penna*, qui unitus est cum illo *d' Atri*.
Episcopum *di Sulmona* dictum etiam *di Valna*.
Episcopum *di Campli*.
Episcopum *d' Ottona* à mare.
Episcopum *di Sora*.
C. Episcopum *di Teramo*, exemtum, qui sese nuncupat Principem *di Teramo*, Comitem *di Bisennio*, & quando Pontificialibus vestibus exornatus est, armatur armis albis.
C. Episcopum *di Marsi* exemtum.
Archiepiscopus *di Lanciano* non habet Episcopos Suffraganeos, & Regius est.

NOMENCLATOR REGUM, *qui in* REGNO NEAPOLITANO *dominati sunt*. 232

NORMANNI.

Qui Regis titulo Imperium tenuerunt annos LXVI.

Rogerius Normannus, dictus *Primus*, qui ex Comite (ut in *Compendio* legitur) *Siciliæ* investitu-

ram Regni *Neapolis* accepit a Papa *Innocentio* II. liberos (secundum *Fazellum*) legitimos habuit quatuor, *Rogerium*, *Apuliæ* Ducem, *Alfonsum*, Ducem *Capuæ*, *Guilelmum*, Principem *Tarenti*, & *Constantiam* Monacham; mortuus autem est anno MCXLIX. ætatis suæ LIX. Regni autem XX. vel (ut alii volunt) XXIV.

Guilelmus, cognominatus *Malus*, reliquis fratribus mortuis, patri in Regno successit; vixit annos XLVI. regnavit XV. mortuus est anno MCLXIV.

Guilelmus, cognominatus *Bonus*, filius fuit *Mali*, atque fratre majore natu mortuo, patri in Regno successit, regnavitque annos XXV. neque enim plus XXXVI. vixit, & mortuus est anno MCLXXXIX.

Tancredus, filius *Rogerii*, Ducis *Apuliæ*, filii natu majoris Regis *Rogerii* (secundum *Summontem*) extincto sine prole *Guilelmo*, a *Siculis* Rex electus fuit, una cum filio suo natu majore *Rogerio*, qui paullo ante illum exstinctus est, ipse autem Regni sui anno sexto circiter exstinctus est a. MCXCIV.

233 *Guilelmus* III. quem alii (non sine errore) II. nuncupant, filius *Tancredi* fuit, atque cum *Alteria*, *Constantia*, atque *Midonia*, sororibus suis, captus ab *Henrico* Imperatore, longa captivitate detentus, misere diem suum obiit anno MCXCV.

SUEVI,

Qui regnarunt annos LXIX.

Henricus VI. Imperator, *Suevus* fuit, cui Papa *Cœlestinus* III. uxorem dedit *Constantiam* Monacham, ut modo diximus, ut ita (sicut fecit) per hasce nuptias *Tancredo* Regnum *Siciliæ* eriperet. Mortuus est anno MCXCVIII. imperavit VII. annis, regnavit ut *Neapolis* & *Siciliæ* Dominus tres annos.

Fredericus II. unicus *Henrici* fuit filius. Hic ex tribus, quas habuit Uxoribus, *Constantia* scilicet, Regis *Castiliæ* sorore, *Jolanta* filia Regis *Hierosolymitani*, & *Isabella*, sorore Regis *Angliæ*, triplicem suscepit prolem legitimam *Henricum*, *Conradum*, & alterum *Henricum*, ex concubinis autem pluribus *Enzium*, *Manfredum*, & *Fredericum* aliosque Nothos. Vixit annos LIV. & mortuus est anno MCCL. Imperator fuit annos XXXIV. Rex autem *Neapolis* LI.

Conradus, mortuo fratre majore *Henrico*, patri in Regno successit, verum vix expleto anno, juvenis admodum, veneno fublatus est, anno MCCLII. relicto filiolo, *Conradino* dicto, ex sorore Ducis *Bavariæ* genito.

Manfredus interim ille Nothus Regnum occupavit, superstite nihilominus vero successore *Conradino*. Genuit *Constantiam*, uxorem Regis *Petri Arragonensis*, aliam item fœminam Marchionissam *Saluzzi*, & masculum, quem excæcari fecit atque in vinculis mori Rex *Carolus*. Decem annos hic *Manfredus* Regnum tenuit, atque occisus a *Carolo*, periit anno MCCLXVI. licet apud *Collenucium* erroneë, ut patet, exstet annus MCCLXV.

234 ANDEGAVENSES,

Qui regnarunt annos CLXXVII.

Carolus I. *Andegavensis*, Comes antea *Provinciæ*, a Papa *Clemente* VI. investituram Regni *Neapolitani* accepit, atque *Manfredum* debellavit, & postea *Conradinum*, mortuus est anno MCCLXXXV. anno ætatis suæ LIV. Regni XIX.

Carolus II. *Primi* istius filius, ex *Maria*, Regis *Ungariæ* filia, hos liberos genuit: *Carolum Martellum*, Regem *Ungariæ*, *Ludovicum Sanctum*, Episcopum *Tolosæ*, *Robertum*, Ducem *Calabriæ* & postea Regem *Neapolis*, *Philippum*, Principem

A *Tarenti*, *Joannem* Principem *Moreæ* & Ducem *Durazzi*, *Tristanum*, *Raimundum*, *Bellingierum*, *Petrum* Comitem *Gravinæ*, *Clementiam* uxorem *Caroli*, *Galliarum* Delphini, *Blancam*, uxorem *Jacobi*, Regis *Arragoniæ*, *Leonoram*, uxorem *Frederici*, Regis *Siciliæ*, *Mariam*, uxorem Regis *Marjorcæ* & *Beatricem*, uxorem Marchionis *Estensis*. Ipse vero, quum sexaginta vixisset annos, diem suum obiit, anno MCCCIX. quum annos XXIV. regnasset.

Robertus Regis *Caroli* III. tertius fuit filius, ex quo & *D. Sancia Arragonensi* natus fuit *Carolus* B dictus *Sine Terra*, Dux *Calabriæ*, qui vivente patre extinctus fuit. Vixit autem *Robertus* hic annos LXIV. regnavit XXXIV. & obiit anno MCCCXLIII.

Joanna dicti *Caroli*, brevis ævi, filia, & *Roberti* neptis, quatuor habuit maritos: *Andream Ungarum*, *Ludovicum Tarentinum*, *Jacobum*, Infantem *Majorcæ*, & *Othonem*, Ducem *Brunsvicensem*, quorum duo priores Regis titulo gavisi sunt, verum ipsa nullam prolem habens, adoptavit *Ludovicum*, Ducem *Andegavensem*. Mortua est anno MCCCLXXXI. gula laqueo fracta jussu *Caroli* III. ætatis anno LV. quum regnasset annos C XXXVIII.

Andreas prædictus, quum duobus annis & octo mensibus Regis titulo gavisus fuisset, *Aversæ* per insidias periit, conspiratione Baronum quorundam, uxore haud inscia, filiolumque brevi superstitem reliquit, *Carolum* vocatum.

Ludovicus dictus *Tarentinus*, per quindecim an- 235 nos *Joannæ* maritus fuit, quinque videlicet ante coronationem, & decem post, annis. Mortuus est anno MCCCLXII. ætatis suæ XLII. ejusque corpus *Neapoli* translatum est ad *Montem-Virginis*.

Ludovicus, Rex *Ungariæ*, tempore, quo *Joanna* Regnum tenuit, cum exercitu suo Regnum D hoc invasit, pulsâque eâdem, per tres annos tenuit, verum postmodum ipsi fuit restitutum Dominium.

Carolus III. dictus *di Durazzo*, filius *Ludovici* fuit, qui ipse natus fuerat *Moreæ* Principe *Joanne*, adeoque *Caroli* II. nepos. Hic a Papa *Urbano* VI. investituram Regni accepit, atque ab *Ungariæ* Rege adjutus Regnum *Neapolitanum* occupavit, ubi occidi *Joannam* fecit in vindictam *Andreæ* mariti. Interfecit quoque *Ludovicum*, *Andegavensem*, a *Joanna* adoptatum, atque cum exercitu obviam illi factum. Uxorem habuit consanguineam E suam *Margaretam*, ex qua tres liberos suscepit, *Joannem*, *Ladislaum*, & *Mariam*, quæ virgo defuncta est. Ipse vero in *Ungariam* pro successione vocatus, ibidem occubuit anno MCCCLXXXVI. quum *Neapoli* regnasset annis quatuor, vixisset XXXII.

Ladislaus Caroli filius tres habuit uxores, *Constantiam de Chiaramonte*, *Siculam*; *Mariam*, sororem Regis *Cypri*, & *Mariam d'Engenio*, *Tarenti* Principem: sine liberis tamen obiit, ætatis anno XL. quum regnasset annos XXIX. acciditque ejus mors anno MCCCCXIV. quo tempore F *Ludovicus* II. *Andegavensis*, bis cum exercitu de Regno patri debito contendit, verum toties repulsus fuit.

Joanna II. vidua facta (vivente enim fratre maritum habuerat Archiducem *Austriæ*) in conjugium adscivit *Jacobum della Marca Provinciali*. Ipsa quoque primum pro filio adoptavit *Alfonsum* Regem *Arragoniæ*, & deinde *Ludovicum* III. *Andegavensem* filium *Secundi*. Vixit anno LXV. regnavit viginti, vel paullo plures, mortua autem est anno MCCCCXXXV.

Renatus Andegavensis, ut frater *Ludovici* adoptati, hæres (ut volunt) a *Joanna* institutus fuit.

A

A quibusdam itaque *Neapolim* evocatus, uxorem *Isabellam* misit, quæ ibidem pro Regina excepta fuit, quum ipse in *Burgundia* captivus detineretur. Venit autem postea, & Regnum non sine multa controversia per quatuor tenuit annos, tandemque a victore *Alfonso Arragonensi* ejectus fuit.

236 ARRAGONENSES,

Qui regnarunt annos LVIII.

Alfonsus I. *Arragonensis*, adoptatus a Regina *Joanna*, & postea ab eâdem adoptione rursus privatus, Regnum armis acquisivit. Uxorem habuit consobrinam suam *Mariam*, sed sterilem. Mortuus est anno MCCCCLVIII. ætatis LXVI. Regni XVI.

Ferrantes I. naturalis *Alfonsi* filius, verum ab eodem legitimatus, ex *Isabella di Chiaramonte*, atque *Joanna*, sorore Regis *Catholici*, septem habuit liberos. Ex priore *D. Alfonsum*, Ducem *Calabriæ*, *D. Fredericum*, Principem *Altamuræ*; *D. Joannem*, Cardinalem; *D. Franciscum*, Ducem S. *Angeli*; *D. Beatricem*, uxorem *Matthiæ*, *Ungariæ* Regis. Ex secunda autem *D. Joannam*, quæ postea uxor fuit Regis *Ferdinandi* II. Habuit præterea & Nothos aliquot. Regnavit autem annis XXXV. vixitque LXXI. mortuus in initio anni MCCCCXCIV.

Alfonsus II. *Ferrantis* filius, metu *Caroli* VIII. *Galliarum* Regis, filio Regnum tradidit; uxorem habuit *Hippolytam Mariam*, *Francisci Sforzæ*, Ducis *Mediolani*, filiam, quæ ipsi peperit *D. Ferrantem*, *D. Petrum*, & *D. Isabellam*, Ducem postea *Mediolani*. Habuit præterea Nothos aliquot, *D. Alfonsum*, Ducem *Bisceliæ*, *D. Cæsarem*, & D. *Sanciam*, uxorem *Godefridi Borgiæ*. Annum unum modo regnavit.

FRANCI seu GALLI,

Qui regnarunt annis X. *verum in lite assidua cum Arragonensibus atque Rege Catholico.*

Carolus VIII. *Galliarum* Rex, expulso *Ferrante* II. Regnum *Neapolitanum* acquisivit, atque per annum cum dimidio tenuit.

237 *Ferrantes* II. per renunciationem patris (ut diximus) *Alfonsi*, Regnum nactus est, adveniente *Carolo* VIII. Pulsus a *Gallis*, revocantibus *Neapolitanis*, cito recuperavit Regnum, adjuvante Magno Capitaneo, licet exiguo tempore gavisus eodem fuerit, eodem enim anno MCCCCXCV. in morbum incidens, vitam finivit, nullos relinquens liberos, quum paullo ante uxorem duxisset *D. Joannam* materteram suam.

Ferrantis I. filius *Fredericus*, & *Secundi Ferrantis* patruus, nepoti suo successit, atque anno MDI. Regno expulsus fuit per Regem Catholicum atque Regem *Galliarum* adunatis copiis. Ex uxore sua *Isabella da Balzo*, filia Principis *Altamuræ*, genuit *Ferrantem*, Ducem *Calabriæ*, aliosque, masculos scilicet duos, duasque fœmellas, regnavit circiter annis VI.

Ludovicus XII. inito cum Rege Catholico fœdere, pro sua parte *Neapolis* Regnum nactus est, pulso *Ferrantis* seu *Ferdinandi* successore *Frederico*, quod accidit anno MDI. tenuitque usque MDIV. quum & ipse eodem a dicto Rege Catholico spoliatus fuit.

HISPANI.

Ferdinandus itaque Rex Catholicus, Magni Capitanei ductu pulsis Regno *Gallis*, solus remansit Dominus. Ex uxore sua *Isabella* unum masculum, fœmellas quatuor genuit, *D. Joannem* scilicet, *D. Isabellam*, *D. Joannam*, *D. Mariam*, *Portugalliæ* Reginam, sicut & *Isabella* fuit, & *D. Catharinam*, Reginam *Angliæ*. Mortuus est anno MDXVI. ætatis LXIV. cum dimidio, Regni *Neapolitani* XV.

Joanna, tertia (ut diximus) *Ferdinandi* proles, verum morte *Joannis* atque *Isabellæ*, majorum natu, hæres patris, maritum habuit *Philippum*, Archiducem *Austriæ*, cui hosce peperit filios, *Carolum* & *Ferdinandum*, qui sibi invicem in Imperii dignitate successerunt, præterea *Eleonoram*, Reginam *Portugalliæ* & postea *Franciæ*, *Isabellam* Reginam *Daciæ*, *Mariam* Reginam *Ungariæ*, & *Catharinam*, Reginam & ipsam *Portugalliæ*.

AUSTRIACI, 238

Qui hodieque feliciter regnant.

Carolus V. Imperator, *Philippi* & *Joannæ* filius, jure materno in Regnum *Neapolitanum* successit. Uxorem habuit *Isabellam*, Regis *Portugalliæ* filiam, ex qua liberos suscepit *D. Philippum*, *D. Ferdinandum* (secundum *Jovium*) *D. Mariam*, quæ nupta fuit *Maximiliano*, Regi *Bohemiæ*, & *D. Joannam*, Reginam *Portugalliæ*; præter *D. Margaritam*, primo *Florentiæ*, dein *Parmæ* Ducem, & *D. Joannem*, utrosque nothos. Vixit annis LVII. & VII. menses, mortuus autem est anno MDLVIII. Imperii anno XXXVII. Regni vero *Neapolitani*, XXXIX.

Philippus II. *Caroli* filius, Regnum per XLIV. annos tenuit, vixit autem LXXI. Uxores quatuor habuit, *Mariam Portugallam*, *Mariam Anglicanam*, *Elisabetham Gallam*, & *Annam Austriacam*. Prima illi peperit *D. Carolum*, Secunda inprolis fuit, Tertia *D. Isabellam* & *D. Catherinam* ipsi peperit, atque cum tertia prole puerpera interiit, ultima autem *D. Diegum*, *D. Ernandum*, *D. Philippum*. Mortuus est XIII. Septembr. MDXCVIII.

Philippus III. qui hodieque regnat, ex *Secundo* natus est XXVII. April. MDLXXVIII. *Neapoli* exceptus fuit XI. Octobr. MDXCVIII. atque sequente mense Novembri uxorem duxit Reginam *Margaretam Austriacam*, Archiducis filiam, quæ illi fœmellas tres peperit, & filium majorem natu *D. Philippum*, Principem *Hispaniæ*, *D. Carolum*, *D. Ferrantem* Diaconum Cardinalem titulo S. *Mariæ in Porticu*. *D. Annam*, uxorem *Ludovici* XIII. Regis *Franciæ*, & *D. Margaretam* Infantem.

Mortuus est *Philippus* III. die XXXI. Martii MDCXXI. postquam regnasset annos XXII. menses V. dies XVIII. ætatis XLIV. tantaque cum Sanctitate & virtute vixit, ut similem sibi in *Hispaniæ* Regno nunquam habuerit.

Philippus IV. vivo patre, uxorem duxit *D. Isabellam Borboniam*, sororem *Ludovici* Galliarum Regis, a quo multam utilitatem omnis *Christianus* exspectat Orbis.

GUBERNATORES ATQUE VICEREGES, 239

Qui in NEAPOLI *seu* REGNO

Constituti fuerunt hodie usque, ab Imperatorum Græcorum temporibus incipiendo, quorum in Historiis, & præcipue in Compendio mentio facta invenitur.

Belisarius Viceregis, Locumtenens, & Capitaneus Generalis Imperatoris *Justiniani* (ut *Compendium* dicit) *Neapolim* cepit anno DXXXVIII.

Conon, profecto *Constantinopolim Belisario*, Gubernator *Neapolis* remansit, usque dum ejectus fuit ab *Gothorum* Rege *Totila*, quando iste (sicut *Blondus* asserit) Urbem cepit anno DXLV.

Narses Persa, Eunuchus, sed Dux fortissimus, *Neapolim* (juxta *Compendium*) gubernavit pro ipso Imperatore anno DLXVI.

Joannes Campsinus (secundum *Blondum*, *Compendium* aliosque) temporibus hic fuit *Mauritii*, *Phocæ*, & *Heraclii*, anno DCXII.

Sabarrus, Nobilis *Neapolitanus*, Urbem pro Imperatore *Constante* gubernavit anno DCLX. ut legere est in *Compendio Vitæ Imperatorum*.

Sergius, sub Ducis titulo, *Neapolim* tenuit pro Imperatore *Theophilo Græco*, anno CCCLXXXV. *Vita* S. *Athanasii*.

Gregorius frater *Sergio* defuncto in dignitate successit. *Ibid.*

Sergius alter, *Gregorii* filius, patri in Ducatu successit, atque *Neapolim* tenuit pro Imperatore *Michaële* filio *Theophili*, & postea pro *Basilio*, anno DCCCLXXVI. *Ibidem*.

Nicephorus Phocas, avus Imperatoris *Nicephori*, tenuit pro eodem *Basilio* atque ejusdem filio *Leone*. *Calabriam* a *Saracenis* liberavit, quietamque obtinuit usque annum circiter DCCCXCVI. *Fazellus*.

240 *Eustathius*, Aulicus atque Dux fortissimus, *Calabriam* rexit pro Imperatore *Constantino*, *Leonis* filio. *Fazellus*.

Joannes Mazzolone pro eodem *Constantino* post *Eustathium* gubernavit, verum propter tyrannidem suam a *Calabris* occisus fuit. *Idem*.

Crinitus Caldus, successor ejus, ob avaritiam remotus fuit. *Idem*.

Huic, pro eodem Imperatore, *Pasqualis* Dux successit, usque annum DCCCCXXXVII. *Idem*.

Molaccus, seu *Georgius Maniaces*, Viceregis & Dux pro Imperatore *Michaële Catalaico* fuit circa annum DCCCCXCVIII. *Compendium*, *Blondus*, *Platina* in *Sergio* IV. & *Fazellus*.

Melo idem fuit per eodem Imperatore circa annum MVIII. *Comp.*

Bubagnus circa eadem tempora *Melo* successit. *Ibidem*.

Cyriacus Dux, pro Imperatore *Diogene*, *Vestæ* in *Apulia* resedit circa annum MLX. *Compend. Blond. Mich. Riccius*.

Rogerius Guiscardus, *Siciliæ* Comes, Locumtenens *Roberti*, patris sui, Ducis *Apuliæ*, tempore isto, quo ipse iverat in *Græciam*, adjuturus *Michaëlem Diocrisium* Imperatorem, anno MLXXX. *Comp.* & *Blondus*.

Jordanus, qui Comitem sese *Capuæ* appellavit & *Aversæ*, nepos autem (secundum *Caraffam*) erat *Rogerii Normanni*, residentiam suam pro Imperatore *Græco* habuit *Neapoli*, cum titulo Principis, anno MXC.

Comes *Rainones*, seu *Rameones*, pro Imperatore *Lothario* tenuit circa annum MCXLV. *Comp.* & *Blondus*.

Simon Senescallus, Nepos *Majonis* Admiralii, & valde gratus Regi *Guilelmo Malo*, Regnum illud gubernavit pro Rege isto anno MCL. *Fazellus*.

C. *Romualdus Guarna*, Archiepiscopus *Salernitanus*, cum Regina *Margareta*, uxore Regis *Guilelmi Mali* aliisque, post mortem istius Regis, utrumque gubernavit Regnum *Siciliæ*, in pueritia Regis *Guilelmi Boni*, circa annum MCLXIV. *Chronicon Familiæ Guarnæ*; sicut autem scribit *Hugo Falcandus* in *Siciliæ* Historiis, *Gilbertus*, Comes *Gravinæ*, Viceregis *Napoli* fuit, non autem *Romualdus Guarna*.

Gilbertus, Comes *Gravinæ*, tenuit pro *Guilelmo Bono*, anno circiter MCLXVII. *Fazellus*.

Diepolitus Alemannus pro Imperatore *Henrico* IV. anno MCXCI. *Compendium*.

241 *Marquardus*, Marchio *Anconæ*, ut tutor *Frederici* II. intravit in Regnum anno MCXCVIII. *Compend.*

Girardus, Cardinalis S. *Adriani*, & post illum *Gregorius dal Galgano*, Cardinalis S. *Mariæ del Porticu*, Legati Papæ *Innocentii* III. gubernarunt Regnum hoc ut tutores *Frederici*, atque ad maturam ejus ætatem, post ejectum *Marquardum*. *Comp.*

Thomas d' Aquino, Comes *Cerræ*, per *Fredericum* prædictum Viceregis constitutus fuit anno MCCXX. ut referunt *Constantius* & *Ammiratus* in *Arboribus Geneal.*

Reginaldus Alemannus, filius Ducis *Spoleti*, Viceregis pro eodem *Frederico* fuit anno MCCXXVIII. *Comp. Blond. Fazell.* & *Vitæ Imperatorum*.

Angiolus della Marra Viceregis *Neapolim* pariter & *Siciliam* rexit, anno MCCXLIX. pro eodem Imperatore *Frederico*, prout patet ex quodam Registro ejusdem anni in Archivio Regio pag. 22. 36. a tergo. 40. 72. 88. a tergo. 100. & 116.

Henricus, filius *Frederici*, puer adhuc a patre pro Locumtenente in isto Regno relictus fuit, additis illi multis Baronibus pro consiliariis, anno MCCXLVI. *Compend.*

Manfredus, nothus *Frederici* filius, *Tarenti* Princeps, tutor & Gubernator Regni exstitit pro *Conrado* filio dicti *Frederici* majore natu, anno MCCL. *Compend.*

C. *Reginaldus d' Aquino*, Comes *Casertæ*, Regnum Viceregis titulo gubernavit temporibus *Manfredi*, ut *Summontes* dicit in Rebus Gestis istius *Manfredi*.

Henricus Major, Comes *Rivelli*, pro prædicto *Conrado Neapolim* tenuit anno MCCLIII. *Comp.*

Bartholinus Tavernarius Gubernator fuit pro Papa *Innocentio* IV. cujus erat cognatus, anno MCCLIV. *Comp.*

Octavianus Ubaldini Cardinalis, Legatus fuit *Neapolis*, pro Papa *Alexandro* IV. anno MCCLV. usque MCCLXI. *Comp.*

Carolus Princeps *Salerni*, a Rege *Carolo* I. relictus fuit Gubernator *Neapolis*, quum ipse iret in Regnum suum in *Vasconiam*, anno MCCLXXXII. *Comp.*

Girandus, Cardinalis *Parmæ*, Legatus Papæ *Martini* IV. & *Robertus* Comes *d' Artois*, cognatus Regis *Caroli* I. Gubernatores *Neapolis* fuerunt, *Carolo* II. capto ab *Arragonensibus*, anno MCCLXXXIV. *Comp. Blond. Jo. Villan.* 242

Carolus, Dux *Calabriæ*, & filius Regis *Roberti*, in Gubernatione Regni remansit, quum pater vocatus esset ad Dominium *Genuæ*, anno MCCCXVIII. illique a patre (prout *Constantius* dicit) jam ab adolescentia sua, propter prudentiam & bonitatem Regni administratio data fuit.

Post mortem Regis *Roberti* regimen *Neapolis Ungari* ceperunt, præcipuo illorum Fratre quodam *Roberto*, cujus tanto cum vituperio meminit *Petrarcha* in Epistolis suis, vixit autem anno MCCCXLIII.

Ludovicus Princeps *Tarenti*, secundus Reginæ *Joannæ* maritus, Vicarius Generalis fuit Regni anno MCCCXLVII. ut videri potest in quodam Privilegio suo, dato *Neapoli*, XX. Septembr. prædicti anni. Vide *Historiam Montis Virginis*.

Carolus, Dux *di Durazzo* præfectus *Neapoli* fuit a Regina *Joanna* I. quando cum marito suo *Ludovico*, prætimore Regis *Ungari*, fugit in *Provinciam*, quod accidit anno MCCCXLVIII. *Compend.* & *Blondus*.

Conradus Lupus Viceregis constitutus fuit ab *Ludovico*, Rege *Ungariæ*, pulsa Regina *Joanna*, anno MCCCXLVIII. *Comp.* aliique.

Frater *Morreale*, fuit idem jussu Regis ejusdem, qui propter Jubileum *Romam* ivit anno MCCCL. *Comp.*

Ro-

Robertus, Princeps *Tarenti*, & frater natu major Regis *Ludovici Tarentini*, Regnum gubernavit, dum Rex & Regina *Joanna* essent in *Sicilia*, anno MCCCLV. *Constantius*.

Galezzo Malatesta, Dominus *Arimini*, Viceregis ibidem fuit per omne tempus Regis ejusdem, anno MCCCLXII. *Annales Aquilæ*.

Otho, Dux *Brunsvicensis*, quartus maritus Reginæ *Joannæ*, pro uxore Regnum illud gubernavit tempore isto, quo invasit illud *Carolus* III. anno MCCCLXXXI. *Historiæ Corii*.

Regina *Magareta*, relicta pro Gubernatione *Neapolis* & Regni *Caroli* III. Mariti sui fuit, dum ipse proficisceretur in *Ungariam*, ubi interfectus fuit. anno MCCCLXXXV. *Comp*.

Thomas Sanseverinus, Comes *Montescagiosi*, Viceregis fuit pro *Ludovico* II. *Andegaviense*, anno MCCCLXXXVI. *Constantius* & *Ammiratus*.

243 *Cocco del Borgo*, seu *del Cosso*, Marchio *Pescaræ*, & Comes *Mondorvisii*, Viceregis fuit pro *Ladislao*, post coronationem ejusdem *Cajetæ*, atque obequitationem una cum Baronibus suis per Regnum illud, anno MCCCXC. *Liber Ducis Montis-Leonis*, atque *Ammiratus*.

Dominus *di Mongioia*, profectus e *Provincia Neapolim* una cum XIV. armatis navibus, appulit ibi cum titulo Viceregis pro *Ludovico* II. *Andegaviense*, eodem anno MCCCXC. *Compend*.

Floridassus Ladrus Viceregis *Neapolis* a Rege *Ladislao* constitutus est, quando ipse recepta Urbe a *Ludovico Cajetam* perrexit, anno MCCCC. *Liber D. Montis-Leonis*.

* C. *Franciscus Dentices* Magnus Regni Mareschallus cum *Amelio d' Alneti*, Archiepiscopo *Consæ*, *Leonardo d' Afflitto*, Magno Cancellario, *Gurrello Origlia*, Magno Protonotario, inque locum ejusdem postea *Bernardo Zurlo*, Comite *Montuori della Guardia* & *di Nusco* Senescallo Regis *Ladislai*, atque Mareschallo Regni, & Magno Protonotario (sicut legitur in Libro Familiæ *Capeciæ*). Regnum administrarunt pro *Ladislao*, vicarii ab eodem relicti, occasione belli *Italici*, ut legere est in Registris anni MCCCCVIII. XXVI. Martii, gubernaruntque usque annum MCCCCXIV.

Joanna, soror Regis *Ladislai*, quæ sese Ducem *Austriacam* appellavit, Regnum administravit eo tempore, quo frater ejus bellum foras gessit anno MCCCCXIII. *Constantius*.

Pandulfellus d' Alope, Reginæ *Joannæ* II. gratissimus, Comesque Camerlingus, pro eadem Regnum hoc administravit universum, anno MCCCCXIV. *Compend. Cotius*, aliique.

Comes *Jacobus della Merce*, prædictæ *Joannæ* maritus, postquam mori fecisset *Pandulfellum* istum, ipse universum Regni regimen invasit, iisdem temporibus, Vicarii titulo. *Compend. Cotius*, aliique.

Braccius de' Ferrebraccio, *Perusinus*, magnæ existimationis Dux; conductus ab Rege *Alfonso* atque Regina *Joanna* fuit, titulo Magni *Connestabilis*
244 atque Regni Viceregis, data illi insuper Urbe *Capua*, anno MCCCCXXI. *Compendium* & Annales Urbis *Aquilæ*.

Petrus Arragonensis, Infans dictus, remansit in *Neapolis* Gubernatione, loco Regis *Alfonsi*, fratris sui, quum ipse pro adjuvando altero fratre D. *Henrico* proficisceretur in *Hispanias*, anno MCCCCXXIII. *Comp*. aliique.

C. *Ægidius Sasitera*, Viceregis *Alfonsi* (prout legitur in Sepulcro *Mariellæ Minutolæ*, uxoris suæ, quod est in Capella Regia Castelli Novi in *Neapoli*) fuit.

* Quoties in initio litera illa C. occurrit, Additamentum esse puto *Cæsaris d' Engenio*.

A *Georgius d' Alamagna*, Comes *Buccini*, Viceregis tenuit Regnum pro *Joanna* atque *Ludovico* III. *Andegaviense*, ab anno MCCCCXXIII. usque MCCCCXXV. *Ammiratus* & Liber *D. Montisleonis*.

Sergianus Caracciolus Magnus Senescallus, & acceptissimus *Joannæ*, pro ipsa Regnum gubernavit anno MCCCCXXIII usque MCCCCXXV. quando nocte quadam mensis Augusti ejusdem Reginæ mandato occisus fuit. *Compendium Historiæ Familiæ Caracciolæ Francisci di Pietri*.

Post mortem *Joannæ* creati *Neapoli* fuerunt XVI. Gubernatores, quorum præcipui fuerunt
B *Ramundus*, *Ursinus*, Comes *Nolæ*, *Georgius d' Alamagna*; Comes *Casertæ della Ratta*; item *Mondorisii di Casa Barrile*; *Ortimas Caracciolus*, Comes *Nicastri*, & Magnus Cancellarius; *Innicoletta Caracciolus*, *Joannes Cicinellus*; *Marinus Bossa* aliique, anno MCCCCXXXV. *Compend. Constant. Lib. Duc. Histor. Famil. Caracciolæ*.

Regina *Isabella*, uxor *Renati Andegavensis* pro marito suo Regni habenas cepit atque gubernavit anno MCCCCXXXVII. *Compend. Add.* ad *Matron. Illustr. Boccacii*, dictusque Liber.

C. *Jacobus del Fiesco*, Viceregis relictus fuit a *Renato Andegavensi*, quando anno MCCCCXXXVIII.
C *Sulmonam* aggressus fuit, ut dicit *Summontes* Lib. IV. Histor. suarum, & *Costa* in Vita *Hadriani* V. Pater hic fuit B. *Catharinæ Fiescæ*, uxoris *Juliani Adorni*.

C. *Arnoldus Sanz*, ex *Catalonia* Castellanus Castelli Novi, pro Rege *Alfonso* tenuit istam *Neapolis* partem, quæ ipsi obediebat, quando capta fuit a Rege *Renato*, anno MCCCCXXXVIII. *Constantius*.

Antonius Calora post patris sui *Jacobi* mortem 245
a *Renato* privilegium obtinuit Viceregis totius partis Regni, quæ quidem isti obediebat, anno
D MCCCCXXXIX. *Constant. Lib. Duc*.

Aron, seu *Aranus Cibus*, *Genuensis*, pater *Innocentii* VIII. Viceregis *Renati* fuit, anno MCCCCXXXVIII. atque ad vota *Neapolitanorum*, qui valde ejus delectabantur imperio, confirmatus postea fuit a Rege *Alfonso*, anno MCCCCXLII. *Bartholomæus Facius*.

D. Fernandus Arragonensis, Dux *Calabriæ*, remansit in Regni Gubernatione, quum pater ejus, Rex *Alfonsus* bellum movit *Florentinis*, ivitque pro defendenda libertate *Mediolani*, mortuo Duce *Philippo*, anno MCCCCXLVII. *Facius*.

Regina *Isabella*, Regis *Ferrantis* I. uxor, *Nea-*
E *polim* rexit tempore isto, quo maritus ejusdem contra Barbaros rebelles exivit, ab anno MCCCCLIX. usque ad MCCCCLXIII. *Compend. Costa*, *Add. ad Matron. Ill. Boccacii*.

Dominus *de Mompensiero*, Viceregis *Caroli* VIII. fuit, quum *Neapolim* occupasset, atque in *Galliam* reversus esset, anno MCCCCXCIV. *Compend*. & alii.

D. Fredericus Arragonensis rexit *Neapolim* pro nepote suo *Fernando*, qui bellum gessit in *Apulia* cum *Gallis*, anno MCCCCXCVII. *Guicciardinus*.

Ludovicus d' Ormignacca Dux *Nemausiensis*, Viceregis *Neapoli* fuit tempore *Ludovici* XII. Regis
F *Galliarum*, in divisione Regni hujus inter dictum *Ludovicum* atque Regem Catholicum, anno MDII. *Guicciard*.

Gonsalvus Fernandus di Cordena, Dux *Terræ Novæ*, *Magnus Capitaneus* passim dictus, ejectis Regno *Gallis*, remansit ibi Vice-Regis Catholici, anno MDV. *Comp*. & *Privilegia Neapolitana*.

D. Joannes Arragonensis, Comes *Ripacorsæ* idem munus eodem Rege functus est, quum venisset ibidem atque una cum *Gonsalvo* discessisset, anno MDVII. *Compend.* & *Adnotat. ad idem*.

C. *D. Antonius Guevara*, Comes *Potentiæ*, Vice-Regis relictus fuit ab eodem Comite *Ripacorsæ*, quum ipse evocatus in *Hispanias* esset a Rege Catholico, VIII. Octobr. MDVIII. *Passaris in Annalib. suis.*

D. Ramundus di Cardona, Comes *d'Alberto*, Vice-Regis *Neapolim* venit pro eodem, anno MDIX. *Adnot. ad Compend.*

246 *D. Franciscus Remoliens*, Cardinalis *Surrentinus*, Locum-tenens fuit, quum *Cardona* idem cum exercitu ivisset in *Lombardiam*, insecuta mox clade *Ravennate*, anno MDXII. *Ibidem.*

D. Carolus di Lanoia, Vice-Regis fuit tempore Imperatoris *Caroli* V. anno MDXXIII. *Compend.* & *Adnot.*

Andreas Carrafa, Comes *Sanseverinæ*, profecto *Minalum* isto *Lanoia* (quod accidit eo tempore, quo, accepta clade exercitus, captus fuit ipse *Galliarum* Rex *Franciscus* prope *Paviam*) Locumtenens exstitit anno MDXXVI. *Adnot.* ad *Comp.*

D. Hugo di Moncada Vice-Regis munere functus est per mortem *Lanoiæ* MDXXVII. *Compend.*

Philibertus Chalonius, Princeps *Auriacus*, Vice-Regis fuit anno MDXXVIII. *Adnot. ad Comp.*

Cardinalis *Pompejus Columna* idem fuit anno MDXXX. *Ibid.*

D. Petrus di Toledo, Marchio *Villafrancæ*, anno MDXXXII. *Ibid.*

D. Ludovicus di Toledo, filius ejusdem, Locumtenens fuit, profecto patre *Senam*, ubi & mortuus fuit, MDLIII. *Comp.*

D. Petrus Paseccus, Cardinalis, *Saguntinus*, Vice-Regis anno MDLIV. *Caroli* V. exstitit, atque a Rege *Philippo* fuit confirmatus, quum a patre *Carolo* investituram Regni *Neapolis* accepisset, & *Piscaræ* Marchio venisset, ut possessionem ejusdem pro Rege adiret anno MDLIV. Novembri die XXV. *Adnot. ad Comp.*

D. Bernardus di Mendozza, discedente eodem Cardinali, Locum-tenens fuit usque ad adventum Ducis *Albæ*, per totum annum MDLV. *Ibid.*

D. Fernandus Alvarez di Toledo, Dux *Albæ*, Vice-Regis *Neapolim* intravit eodem anno MDLV. *Ibid.*

Filius ejusdem *D. Fredericus di Toledo*, Locumtenens remansit, profecto patre in *Hispanias*, vere anni MDLVIII. *Ibid.*

Venit postea Locumtenens *D. Joannes Manriche* die VI. Junii ejusdem anni MDLVIII. *Ibid.*

Cardinalis *Bartholomæus della Cueva* Viceregis venit XXI. Octobris ejusdem anni. *Comp.* & *Adn.*

D. Peraphan di Riviera, Dux *Alcalæ*, Vice-Regis venit XII. Junii MDLIX. *Ibid.*

D. Antonius Perenottus Cardinalis *Granvellanus*, Vice-Regis fuit XIX. Aprilis MDLXXI. *Addenda ad Comp.*

D. *Diegus Simanca*, Episcopus *Badassi*, Consi-
247 liarius *Philippi* II. Locum-tenens in *Neapoli* fuit discedente *Granvellano*, qui *Romam* profectus est I. Maji MDLXXII. ut adesset in Conclavi pro creando Novo Pontifice, ubi alii itidem Purpurati congregati subito Pontificem crearunt *Hugonem Boncompagnum*, *Bononiensem*, dictum *Gregorium* XIII. Cardinalis postea *Neapolim* est reversus diebus post XIX.

D. Indicus di Mendozza, Marchio *Mondegiari*, Vice-Regis fuit X. Julii MDLXXV.

D. Gio di Zunina, dictus Commendator Magnus *Castiliæ* & Princeps *Petrapertiæ*, Vice-Regis intravit XI. Novemb. MDLXXIX.

D. Petrus Giron, Dux *Ossunæ*, Vice-Regis fuit XXIX. Novemb. MDLXXXII.

A *D. Joannes Zunica*, Comes *Mirandæ*, supradicti *Zunicæ* nepos, Vice-Regis fuit XVIII. Novemb. MDLXXXVI.

Henricus di Cosman, Comes *Olivaresii*, Vice-Regis intravit XXVII. Novemb. MDXCV.

D. Ferrantes Rui di Castro, Comes *di Lemos*, Vice-Regis fuit XVI. Julii MDXCIX.

D. *Franciscus di Castro*, dicti Comitis filius, Locum-tenens remansit, quum pater *Romam* profectus esset mense Martio MDC. præstaturus Papæ obedientiam pro novo *Hispaniæ* Rege.

Mansit idem in eadem dignitate XX. Octob. MDCI. morte patris, quæ pridie acciderat.

B *D. Gio Alfonso Pimentel*, Comes *Beneventi*, Vice-Regis intravit anno MDCIII.

D. Petrus Fernandus di Castro, dicti *D. Ferrantis* filius natu major, Vice-Regis fuit anno MDCX. die Julii XII.

D. Franciscus di Castro, Comes *Castri*, Locumtenens fuit, discedente fratre suo *Petro*, MDCXVI.

D. Petrus Girone, Dux *Ossunæ*, Vice-Regis venit XXVII. Julii MDCXVI.

C. *D. Gaspar Borgia e Velasco*, ex *Cretæ* Ducibus, Cardinalis titulo S. *Crucis in Hierusalem*, Vice-Regis advenit III. Junii MDCXX.

C C. *Antonius Zapatta*, Archiepiscopus *di Burgos*,
Cardinalis Presbyter, titulo S. *Balbinæ*, Vice- 248
Regis venit XII. Decemb. MDCXX. qui ultima die Januarii MDCXXI. *Romam* profectus est pro creatione Pontificis *Gregorii* XV. atque ad paucos dies in locum suum reliquit *D. Petrum di Leva* Archithalassum Triremium *Neapolitanarum*.

D. Antonius Alvarez di Toledo, Dux *Albanus* Eques Velleris Aurei, & *Ferdinandi Albani*, qui etiam Vice-Regis (ut dictum est) fuit, nepos, feliciter Regni Gubernationem auspicatus est XXIV. Decemb. Vigilia Sanctissimi Natalis Dom. MDCXXII.

D D. *Fernandus Henriques de Rivera*, Dux *Alcalæ*, ex supremo Consilio Majestatis Catholicæ, recens Vice-Regis advenit *Pansilypum* XXVI. Julii MDCXXIX. atque mox *Neapolim* ingressus est.

PRAECIPUA SEPTEM REGNI NEA- 249
POLITANI MUNERA.

Sunt in Regno hoc suprema Septem Munera, quæ aliquando valde fuêre insignia & jurisdictione & dignitate, nunc vero dignitate sola, jurisdictio enim passim ut & omnis potestas, pro majori
E parte, in alia translata est Munera, nihilominus non dantur nisi Viris Illustrissimis atque Titulatis in Regno *Neapolitano*.

Munus MAGNI CONTESTABILIS.

C. Primum ex præcipuis Regni hujus Muneribus illud *Magni* est *Contestabilis*, quo nunc fungitur *Philippus Columna*, Princeps *Sonnini* & *Manupelli*, Dom. *Tagliacozzi* & *Paliani*, Marchio *Atessæ*, Comes *Albi*, Eques Aurei Velleris Majestatis suæ, Consiliarius Status, Grandis *Hispaniensis*, Dux Militiæ Nobilis, primusque Generalis Regius in rebus bellicis. Stipendio annuo gaudet
F ducatorum MMCXC. Jurisdictio ejus translata jam est in Viceregis, Locum-tenentem & Capitaneum Generalem Majestatis suæ; licet in Parlamentis Regiis atque aliis publicis solemnitatibus ad dextram Regis assidere sit solitus.

Munus MAGNI JUSTITIARII.

Secundum ex iisdem *Magni Justitiarii* est, qua dignitate nunc fungitur *D. Ferrantes Gonzaga*, Princeps *Molfettæ*, *Montis Guastallæ*, *Juvenatii* & *Campobassi*, Eques Velleris Aurei M. S. habet-

que

que annuam pensionem ducatorum MMCLXXX. A Locumtenens ejus est Rector Vicariæ, deputatus a Viceregis, qui cum Judicibus Civilibus & Criminalibus jurisdictionem exercet Muneris ejusdem, quod olim majoris erat momenti; ipsi autem Judices illi eliguntur a Vicario Generali. *Justitiarius* hic *Magnus* ad sinistram Regis manum sedere solet.

250 *Munus* MAGNI AMMIRATI.

Munus tertium *Magni Ammirati* seu *Ammirantis* est, translatum nunc in *Julium Cæsarem Capuanum*, Principem *Conchæ* & *Montesarchiæ*, Comitem *Palenæ*, qui annuum habet stipendium ducatorum MMCXC. B est autem *Archithalassus* Regni, licet restricta hodie ejus sit jurisdictio causasque tantum recognoscat per Locum-tenentem suum & Judicem causarum maritimarum, in tales homines qui ad rem nauticam pertinent, exceptis tamen qui ad Triremes *Neapolitanas* pertinent, illi enim subsunt imperio Generalis seu Præfecti Triremium. Potestatem habet deputandi Viceammirantis in fidelissima hac Civitate *Neapolitana*, aliosque Viceammirantis in alia Regni loca; Deputare etiam potest Judices dictis Viceammirantibus intervenientes pro administratione justitiæ in dicta Urbe *Neapoli*, C tam in Civilibus rebus, quam in Criminalibus; Deputat insuper Magistrum Actorum pro causis agendis ante Tribunal suum; Carceri præterea præfectum, qui Tribunalis sui custodiis præest. Deputare denique L. potest homines, qui nocte dieque armati (quod alias prohibitum Regis Bannis est) pro defendendo atque nocendo, incedant. Ad dextram sedet Regis, ad *Contestabilis Magni* latus.

Munus MAGNI CAMERLINGI.

C. Quartum Munus illud *Magni Camerlingi* est, D quo nunc fungitur *D. Indicus Davolus*, Princeps *Francavillæ*, Marchio *Pescaræ* & *del Vasto*, Comes *Monteodorisii*, Consiliarius Status M. S. Eques Velleris Aurei & Capitaneus equitum minorum. Annuam pensionem habet ducatorum MMCXC. munusque ejus præcipuum est, ut curet Regiam Cameram pecuniariam totumque M. S. patrimonium, sicut hodie administratur illud per Locum-tenentem suum, electum ab Rege cum aliis Præsidentibus dictæ Cameræ Regiæ. Emolumenta etiam habet, quæ vocantur *jus tapeti*, & *delle Capitanei*, hæc enim ille procurat munera E in terris Dominii Regii pro admistratione justitiæ; exigit insuper a Baronibus *per li relevi*, qui Regiæ Aulæ quæ est a Rationibus Carolinorum sol-
251 vunt octo per unciam, quæ uncia sex facit ducatos, & rotulam zacchari habet XXXVI. tumulos salis XXIV. ut reditus ex illis annuus sit MMCL. ducatorum. Sedet ad sinistram Regis manum, ad latus *Magni Justitiarii*.

Munus MAGNI PROTONOTARII.

Magnus Protonotarius (quod quintum est Munus) nunc *Andreas d'Oria* est, Princeps *di Melfi*, F Marchio *Toriglia*, Comes *Lovani* & *Consæ*. Eques Velleris Aurei. Annuum stipendium habet ducatorum MMCXC. Munus ejus erat, ut Regi prælegeret conservaretque Scripturas & Registrationes; quæ cura jam translata est ad Cancellariam Regiam, & Locum-tenentem *Magni Pronotarii*, qui a Rege eligi solet. Neque aliquid illi remansit, nisi ut *Logotheta* dicatur, quoniam in Regiis Parlamentis loqui & respondere primus post Regem solet; atque sedet ipse ad dextram Regis prope *Magnum Ammirantem*.

Munus MAGNI CANCELLARII.

Sextum Munus illud *Magni Cancellarii* est, quo fungitur *Marinus Caracciolus*, Princeps *Avellini*, Dux *Atripaldæ*, Comes *Torellæ*, Dominus *Vallis* S. *Severini*. Stipendium ejus annuum MMCXC. ducatorum est. Ad hunc Sigillum & Diplomata Regis spectabant, omnia enim hæc per illum peragi solebant; verum nunc potestas ejus, pro majori parte, translata est ad Regni Secretarium atque Cancellariam, neque aliud illi remansit, nisi quod Princeps sit Collegii, pro quo ipse facit Doctores & eligit Vice-Cancellarii suum, atque Actorum Magistrum, qui informationem simul, atque privilegia scribit illis qui doctorantur, deputat etiam Vice-Cancellarii ad Collegium ibi Magistrorum Theologiæ, Capellanum insuper pro celebranda Missa Sp. S. antequam Theses dent Studiosis ordinarias pro doctorandis iisdem, cui pro singulis Doctoribus datur tiara, seu vice ejus par chirothecarum & tæda; Deputat insuper Pedellos duos pro studiorum servitio, quorum singuli stipendia ab Regia Aula accipiunt ducatorum XII. Sedet hic Magnus Cancellarius ad sinistrum Regis latus prope *Magnum Camerlingum*.

Munus MAGNI SENESCALCI. 252

C. Septimum Munus *Magni Senescalci* est, quo nunc fungitur *D. Jo. di Guevara*, Dux *Bovini*, Consiliarius Status M.S. atque Dux militiæ Nobilis. Annuum stipendium habet ducatorum MMCXC. Erat olim velut Magister Domus Regiæ seu Major-Domus, providebatque Regno de Castellanis Præfectisque Arcium, adeoque omne jus ad ipsum pertinebat (quod nunc possidet Præfectus venationi) super creatos ab Aula Regia. Ad pedes Regis sedere solet.

Alii EQUITES AUREI VELLERIS, *qui non sunt ex septem istis Magnis Regni Beneficiariis, Status tamen suos in Regno habent.*

1. *Marinus Caracciolus*, Princeps *Avellini*, Dux *Atripaldæ*, Magnus Cancellarius Regni, atque Eques Aurei Velleris.
2. *Rainutius Farnesius*, Dux *Parmæ* & *Placentiæ*, *Civitatis Pennæ* & *di Castro*, Confalonierius S. Ecclesiæ, & Eques Velleris Aurei.
3. *Ludovicus Carrafa*, Dux *Sabionetæ* & *Mondragonis*, ut & *Traetti*, Princeps Sacri *Romani* Imperii ut & *Stigliani*, Marchio *di Rogedo*, Comes *Fundi*, *Ailani*, *Piadanæ*, *Carinolæ*, & Eques Aurei Velleris.
4. *D. Antonius di Moncada & Arragona*, Dux *Montalti* & *Bivonæ*, Princeps *Paterni*, Comes *Colifani d'Aterni*, *Belcastri* etiam, Eques Velleris Aurei, & Grandis *Hispaniensis*.
5. *Andreas Matthæus Aquaviva*, Princeps *Casertæ*, Marchio *di Bellante*, Consiliarius Status M.S. Eques Velleris Aurei, & Dux militiæ nobilis.
6. *Petrus Franciscus Columna*, Dux *Sagarolæ*, Comes Status *di Mareri* & *Sarni*, Eques Velleris Aurei.
7. *Paulus di Sangro*, Princeps *Sanseveri*, Dux *Turrismajoris*, Marchio *Castelli-Novi*, Eques Velleris Aurei, & Consiliarius Status M.S. 253
8. *Carrafa*, Princeps *Roccellæ*, Marchio *Castri Veteris*, & Eques Velleris Aurei.

DOMINI TITULATI, *qui in Regno Neap. sunt.*
Ordine Alphabetico digesti.

Princeps *Ascoli* ex Domo *di Leva*.

Prin-

Princeps *d' Avella*, *d' Oria* A
Princeps *d' Avellino*, *Caracciolo.*
Princeps *di Belmonte*, *Ravaſchiero.*
Princeps *di Biſignano*, *Sanſeverino.*
Princeps *di Capiſtrano*, Magnus *Hetruriæ* Dux.
Princeps *di Caſerta*, *Acquaviva.*
Princeps *di Caſſano*, *Pallavicino.*
Princeps *di Caſtellaneta*, *Bartirotti.*
Princeps *di Caſalmaggiore*, *Brancia.*
Princeps *di Caſtiglione*, *d' Aquino.*
Princeps *di Caſpoli*, *Capua.*
Princeps *di Carriati*, *Spinello.* B
Princeps *di Colle d' Anchiſe*, *Coſtanzo.*
Princeps *del Colle*, *di Somma.*
Princeps *di Colombrano*, *Carrafa.*
Princeps *di Conca*, *di Capua.*
Princeps *di Forino*, *Caracciolo.*
Princeps *di Francavilla*, eſt Marchio *di Peſcara.*
Princeps *di Heraci*, *Grimaldo.*
Princeps *di Leporano*, *Moſcettola.*
Princeps *di Maida*, *Loffredo.*
Princeps *di Melfi*, *d' Oria.*
Princeps *di Melito*, *di Silva.*
Princeps *di Molfetta*, *Gonzaga.*
Princeps *di Montalbano*, *di Toledo.* C
Princeps *di Montemileto*, *di Tocco.*
Princeps *di Montesarchio*, & Princeps *di Conca.*
Princeps *di Montescagioſo*, *Orſino.*
Princeps *di Morcone*, *di Capua.*
Princeps *di Noia*, *Pignatello.*
254 Princeps *dell' Oliveto*, *Spinello.*
Princeps *d'Ottaviano*, *de Medici.*
Princeps *di Pietra pulcina*, *Aquino.*
Princeps *della Riccia*, *di Capua.*
Princeps *della Rocca dell' Aſpro*, *Filomarino.*
Princeps *della Rocca Romana*, *di Capua.* D
Princeps *della Roccella*, *Carrafa.*
Princeps *di Roſſano*, *Aldobrandino.*
Princeps *di Sans*, *Orefice.*
Princeps *di Sant' Agata*, *Ferrao.*
Princeps *di Sanſeverino*, *di Sangro.*
Princeps *di Santo Buono*, *Caracciolo.*
Princeps *di Scalea*, *Spinello.*
Princeps *di S. Mango*, *Aquino.*
Princeps *di Scilla*, *Ruffo.*
Princeps *di Sarriano*, *Ravaſchiero.*
Princeps *del Sorbo*, *Orſino.*
Princeps *di Squillaci*, *Borgia d' Aragona.*
Princeps *di Stigliano*, *Carrafa.* E
Princeps *di Strongoli*, *Campitello.*
Princeps *di Sulmona*, *Borgheſe.*
Princeps *di Tarſia*, *Spinello.*
Princeps *di Teramo* & Epiſcopus.
Princeps *di Venafri*, *Peretti.*
Princeps *di Venoſa*, *Ludoviſio.*
Princeps *di Vetrana*, *Albricio.*

DUCES.

Dux *dell' Acerenza*, *Pinello.*
Dux *d' Ajello*, Princeps *di Maſſa*, *Cibo Malaſpina.*
Dux *d' Airola*, *Caracciolo.* F
Dux *d' Atella*, *Caracciolo.*
Dux *d' Avito Goagli*, *Comaſco.*
Dux *d' Andri*, *Carrafa.*
Dux *d' Aquara*, Princeps *dell' Oliveto.*
Dux *d' Arce*, & idem *di Sora.*
Dux *d' Atri*, *Acquaviva.*
Dux *dell' Atripalda*, eſt major natu Principis *d' Avellino*
Dux *di Bagnara*, *Ruffo.*
255 Dux *di Bagnoli*, *Majorga.*
Dux *di Barrea*, *d' Afflitto.*

Dux *di Bernauda*, *Bernaudo.*
Dux *di Ierlisguardo*, *Pignatello.*
Dux *di Biſaccia*, *Pignatello.*
Dux *di Bivona*, eſt Dux *di Montalto.*
Dux *di Boiano*, *Caracciolo.*
Dux *di Bovino*, *Guevara.*
Dux *di Caiuano*, *Barrile.*
Dux *di Campo chiaro*, *Mormile.*
Dux *di Calopizzato*, *Mandato Rizzo.*
Dux *di Campo lieto Carrafa.*
Dux *del Cardinale*, *Ravaſchiero.*
Dux *di Carpignano*, *Kanario.*
Dux *di Caſacalenda*, *Sangro.*
Dux *della Caſtelluccia*, *David.*
Dux *di Caſtrovillari*, Princeps *di Carriati.*
Dux *di Ceriſano*, *Serſale.*
Dux *di Celenza*, *Caracciolo.*
Dux *di Civita di Penna* eſt Dux *di Parma.*
Dux *d' Evoli*, *Grimaldo.*
Dux *di Ferolito*, Princeps *di Santo Buono.*
Dux *di Ferrandina*, Princeps *di Montealbano.*
Dux *di Fragnito*, *Montalto.*
Dux *di Fuoroli*, *Carrafa.*
Dux *di Girifalco*, *Caracciolo.*
Dux *di Gravina*, *Orſino*, Princeps *di Monteſcaglioſo.*
Dux *di Grumo*, *della Tolfa.*
Dux *di Laurenzana*, *Gaëtano.*
Dux *di Laurino*, *Carrafa.*
Dux *di Lizzano*, *Clodinio.*
Dux *di Macchia*, *della Marra.*
Dux *di Martina*, *Caracciolo.*
Dux *di Madaloni*, *Carrafa.*
Dux *di Miranda*, *di Somma.*
Dux *di Mondragone*, major natu Principis *di Stigliano.*
Dux *di Monaſteraci*, *Galeota.*
Dux *di Montalto*, *Moncada d' Aragona.* 256
Dux *di Montecalvi*, *Gagliardo.*
Dux *di Monteleone*, *Pignatello.*
Dux *di Montenegro*, *Greco.*
Dux *di Nardo*, *Acquaviva.*
Dux *della Nucara*, *Loffredo.*
Dux *di Nocera*, *Carrafa.*
Dux *delle Noci*, eſt Dux *di Nardo.*
Dux *Pierdiſumo*, *Filomarino.*
Dux *di Noia*, *Carrafa.*
Dux *di Popoli*, *Cantelmo.*
Dux *di Rapolla* eſt Secundus filius Principis *della Rocella.*
Dux *di Rodi*, *Capece.*
Dux *della Salandra*, *Revertera.*
Dux *della Rocca*, *Caracciolo.*
Dux *di Salicito*, *Spina.*
Dux *di Sant' Agata*, *Coſcia.*
Dux *di San Ceſario*, *Mormile.*
Dux *di Santo Donato*, *Sanſeverino.*
Dux *di Saracena*, *Peſcara di Diano.*
Dux *delle Serre*, *de Roſſi.*
Dux *di Seminara*, eſt Princeps *di Carriati.*
Dux *di Seſſa*, *di Cordua.*
Dux *di Sicignano*, *Caracciolo.*
Dux *di Sora*, *Buoncompagno.*
Dux *di Tagliacozzo*, *Colonna.*
Dux *di Tauriſane*, *de Caſtro.*
Dux *di Teleſa ceva Grimaldo.*
Dux *di Termoli*, *di Capua.*
Dux *di Terranova*, eſt Princeps *di Gieraci.*
Dux *di Terranova*, *Pagano.*
Dux *di Torremaggiore*, major natu Principis *di Sanſevero.*
Dux *di Traetto*, eſt Princeps *di Stigliano.*
Dux *di Turſi*, major natu Principis *dell' Avella.*
Dux *di Vieteri*, *de Sangro.*

MAR-

257 MARCHIONES.

Marchio *d' Acata delli Monti.*
Marchio *d' Acquaviva*, major natu Ducis *d' Atri.*
Marchio *d' Agropoli*, *Mendozza.*
Marchio *d' Aiera*, *Consentino.*
Marchio *d' Alfidena*, *Lucca d' Aragona.*
Marchio *Alvignano*, *Capece.*
Marchio *d' Ansi*, *Carrafa.*
Marchio *d' Apici*, *Galluccio.*
Marchio *d' Arena Concubletti.*
Marchio *d' Arienzo*, major natu Ducis *di Madaloni.*
Marchio *d' Arpaia*, *Guevara.*
Marchio *d' Atezza*, est Dux *di Tagliacozzo.*
Marchio *di Baselice*, *Ridolfi.*
Marchio *di Bonito*, *Pisanello.*
Marchio *di Bovalina*, Princeps *di Montescagioso.*
Marchio *della Bella*, *Caracciolo.*
Marchio *di Belante*, major natu Principis *di Caserta.*
Marchio *di Belmonte*, *Tapia.*
Marchio *di Binetto*, *Caracciolo.*
Marchio *di Bitetto*, *Carrafa.*
Marchio *di Bracigliano*, *Mirobalho.*
Marchio *di Brancaleone*, *Staiti.*
Marchio *di Brienza*, *Caracciolo.*
Marchio *di Bucchianico*, major natu Principis *di Santo Buono.*
Marchio *di Buon'albergo*, *Spinello.*
Marchio *di Camerota*, *Marchese.*
Marchio *di Caiazzo*, *Corso.*
Marchio *di Campolattaro*, major natu Principis *di Morcone.*
Marchio *di Capriglia*, *Caracciolo.*
Marchio *di Capurso*, *Pappacoda.*
Marchio *di Casadarbore*, *Caracciolo.*
Marchio *di Casobuono*, *Pisciotta.*
Marchio *di Castelnovo*, major natu Ducis *di Torre maggiore.*
258 Marchio *di Castelvetere*, major natu Principis *della Roccella.*
Marchio *di Cerchiaro*, major natu Principis *di Noia.*
Marchio *di Cerchiello*, major natu Principis *del Colle.*
Marchio *di Chiusano*, *Tomacello.*
Marchio *della Cilenza*, *Gambacorta.*
Marchio *di Cinquefrondi*, *Giffoni.*
Marchio *di Civita Sant' Angelo*, *Pinello.*
Marchio *di Colellongo*, *Sanesio.*
Marchio *di Corigliano*, *delli Monti.*
Marchio *di Corleto*, *Costanzo.*
Marchio *di Corata*, *Carrafa.*
Marchio *di Crispano*, *Strata.*
Marchio *di Cusano*, *Barrionovo.*
Marchio *di Diano*, *Grimaldo.*
Marchio *di Fuscaldo*, *Spinello.*
Marchio *di Galatola*, Dux *dell' Acerenza*, *Pinello.*
Marchio *di Genzano*, *del Tufo.*
Marchio *della Grotteria*, *Aragona d' Aierbo.*
Marchio *di Grottola*, *Sances.*
Marchio *d' Iscito*, *Miraballo.*
Marchio *di Laino*, *Cardines.*
Marchio *di Larino*, *Brancia.*
Marchio *di Lavello*, *del Tufo.*
Marchio *di Lauro*, *Pignatello.*
Marchio *di Longobuco*, *Jodice.*
Marchio *di Macchiadena*, *Caracciolo.*
Marchio *di Marigliano*, *Montenegro.*
Marchio *di Missaniello*, *Coppola.*
Marchio *di Misuraca*, major natu Principis *della Scalea.*
Marchio *di Montagano*, *Vespolo.*

A Marchio *di Montefalcone*, *Gallo.*
Marchio *di Montefalcione*, *Puderico.*
Marchio *di Monteforte*, *Loffredo.*
Marchio *di Montepeloso*, *Grimaldo.*
Marchio *di Montesilvano*, *Brancaccio.*
Marchio *di Montorio Castelletti.* 259
Marchio *di Mettagiosa*, *Caracciolo.*
Marchio *di Morcono*, *Baglione.*
Marchio *di Motola*, *Caracciolo.*
Marchio *d' Oria*, *Imperiale.*
Marchio *di Padolo*, *Brancia.*
B Marchio *di Padula*, *d' Aponte.*
Marchio *di Paglieta*, *Pignatello.*
Marchio *di Pescara*, *d' Avalos.*
Marchio *della Petrella*, *Caputo.*
Marchio *della Pietra Variana*, *Grimaldo.*
Marchio *di Petracatiello*, *Ceva Grimaldo.*
Marchio *di Pisciotta*, *Pappacoda.*
Marchio *della Polla*, *Villano.*
Marchio *di Pulignano*, *Radulovich.*
Marchio *di Rapolla*, *Braida.*
Marchio *di Renda*, est Marchio *della Valle.*
Marchio *di Rivolo*, *Pignone.*
Marchio *della Ripa*, *Riccardo.*
C Marchio *di Rosita*, *Lombardo.*
Marchio *di Salice*, est Princeps *della Vetrana.*
Marchio S. *Angeli*, Vincentius *d' Aponte*, Eques Ordinis Calatravæ (major natu filius *Marci Antonii*, Præsidis nunc in Consilio, Rectorisque Cancellariæ) qui anno MDCXX. Syndicus factus est pro Sede *Portæ-Novæ* in introitu, quem fecit XII. Decembr. Cardinalis & Viceregis D. *Antonius Zapata.*
Marchio *di Salceto*, *Spina.*
Marchio *di Sant' Agata*, *Loffredo.*
Marchio *di Sant' Angelo*, *Salvo.*
D Marchio *di Sant' Eramo*, *Caracciolo.*
Marchio *di San Giorgio*, *Milano.*
Marchio *di San Giuliano*, *Ramires di Montalvo.*
Marchio *di San Giuliano*, *Longo.*
Marchio *di Santo Mango*, *Mastrogiodice.*
Marchio *di Santo Marco*, *Cavaniglia.*
Marchio *di Santo Marzano*, *Mastrillo.*
Marchio *di Santo Mauro*, *Brancia.*
Marchio *di Sorito*, *Arduino.*
Marchio *di Specchio*, *Trani.* 260
Marchio *di Spennazzola*, overo *Spinadoro*, *Pignatello.*
E Marchio *di Spineto*, *Imperato.*
Marchio *di Taivano*, *de Franchis.*
Marchio *di Terracuso*, *Caracciolo.*
Marchio *della Terza*, *Azzia.*
Marchio *della Torrefrancolile*, filius major natu *della Rocca Romana.*
Marchio *di Tortora*, *Macedonio.*
Marchio *di Trevico*, *Loffredo.*
Marchio *di Turano*, *Cafarelli.*
Marchio *della Tufora*, *Loffredo.*
Marchio *della Valle*, *Mendozza.*
Marchio *del Vasto*, major natu filius Marchionis *di Pescara*
F Marchio *di Vico*, est Princeps *dell' Oliveto.*
Marchio *di Villa*, *Manso.*
Marchio *della Volturara*, *Caracciolo.*
Marchio *del Zito*, filius major natu Principis *di Tarsia.*
Marchio *di Montefalcone*, *de Mrtino.*

COMITES

Comes *dell' Acerra*, est Marchio *di Laino.*
Comes *d' Albi*, est Dux *di Tagliacozzo.*
Comes *d' Altano*, est Principis *di Stigliano.*
Comes *d' Altavilla*, filius major natu Principis *della Riccia.*
Comes *d' Aversa*, est Princeps *della Rocca Romana*

Comes *di Belcastro*, est Dux *di Montalto.*
Comes *di Biccari*, est Dux d'*Airola.*
Comes *di Buccino*, est Dux *di Martina.*
Comes *di Borrello*, est Dux *di Monteleone.*
Comes *di Bova*, est Archiepiscopus *Rhegii.*
Comes *di Cajazzo*, *de' Rossi.*
Comes *di Campobasso*, est Princeps *di Molfetta.*
Comes *di Canosa*, est Princeps *di Melfi.*
Comes *di Capaccio*, est Dux d'*Evoli.*
Comes *di Carifi*, *Braida.*
Comes *di Carinola*, Princeps *di Stigliano.*
Comes *di Casalduini*, *Sarriano.*
Comes *del Castello dell' Abade*, est Princeps *della Rocca dell' Aspro.*
261 Comes *di Castiglione*, *Brancaccio.*
Comes *di Castro*, major natu Ducis *di Taurisano.*
Comes *di Celano*, *Piccolomini.*
Comes *di Cerreto*, est filius Marchionis *d' Arienzo.*
Comes *di Conudianni*, *Matullo.*
Comes *di Consa*, major natu Principis *di Venosa*,
Comes *di Corvaro*, *Mareri.*
Comes *di Conversano*, major natu Ducis delle Noci.
Comes *di Ferrezzano*, de *Cortis.*
Comes *di Fondi*, est Princeps *di Stigliano.*
Comitis *di Gambatesa*, *Mendozza.*
Comes *di Gioia*, est Dux *d' Atri.*
Comes *di Giovenazzo*, est Princeps *di Molfetta.*
Comes *di Giulianova*, est Dux d'*Atri.*
Comes *del Guasto*, *Tapia.*
Comes *di Loreto*, *Afflitto.*
Comes *di Macchia*, *di Regina.*
Comes *di Manupello*, est Dux *di Tagliacozzo.*
Comes *di Materi*, *Colonna.*
Comes *di Martorano*, major natu Principis *di Castiglione.*
Comes *di Melissa*, *Campitello.*
Comes *di Mugnano*, *Ferramosca.*
Comes *di Mesagni*, *Beltrano.*
Comes *di Mola*, *Vaez.*
Comes *di Mont' Agano*, major natu filius Ducis *di Bisaccia.*
Comes *di Monteaperto*, major natu Principis *di Montemileto.*
Comes *di Monteodorisi*, est Marchio *di Pescara.*
Comes *di Montuoro*, est Princeps *della Riccia.*
Comes *di Muro*, est Princeps *del Sorbo.*
Comes *di Nicastro*, est Princeps *di Santo Buono.*
Comes *di Nicotera*, est Princeps *di Scilla.*
Comes *di Oppido*, est Princeps *di Santo Buono.*
Comes *di Pacento*, *Orsino.*
Comes *di Palena*, major natu Principis *di Conca.*
Comes *di Palmerici*, de *Mattheis.*
Comes *di Picitono*, *Caracciolo.*
262 Comes *di Policastro*, *Carrafa.*
Comes *di Potenza*, major natu Marchionis *di Sant' Agata*, *Loffredo.*
Comes *della Rocca*, major natu filius Ducis *della Castelluccia.*
Comes *di Ruvo Rainola*, major natu Ducis *d'Andria.*
Comes *di Sant' Angelo*, major natu filius Ducis *di Monteleone.*
Comes *di San Valentino*, Marchio *di Lauro.*
Comes *di Santa Christina*, major natu Principis *di Cariati.*
Comes *di Santa Maria in Grisone*, *Venato.*
Comes *della Saponara*, *Sanseverino.*
Comes *di Sarno*, est Comes *di Mareri.*
Comes *della Scala*, *Spinello.*
Comes *di Serino*, est Princeps *di Santo Buono.*
Comes *di Simari*, major natu Principis *di Squillaci.*
Comes *di Sinopoli*, est Princeps *di Scilla.*

A Comes *di Soriano*, major natu Ducis *di Nocera.*
Comes *di Spoltore*, est Dux *di Nocera.*
Comes *della Torella*, est Princeps *d'Avellino.*
Comes *di Trivento*, major natu Ducis *di Barrea.*
Comes d'*Ungento*, *Pandone.*

MILITIA REGNI NEAPOLITANI. 263

Perpetuâ Militiâ pro custodiâ sua gaudet Regnum *Neapolitanum*, in sexdecim divisâ Turmas equitum Cataphractorum, seu gravis armaturæ, & quinque levis armaturæ.

B Triginta sex præterea turmas habet Equitum *della Sacchetta* dictorum, ex quibus singulæ turmæ centum constant equitibus.

Turmam præterea Equitum habet *Espressi* dictorum, numero LX.

Qui Viceregis est centum equites armatos habet, *Coutinuos* dictis, pro corporis sui custodia, & centum præterea *Germanos.*

Præter dictum Equitatum Pedites suos habet divisos in centum & duodecim turmas, *Battaglione* dictas, singula autem turma ducentos triginta habet milites.

C Ex peditatu *Hispano* milites DCCCC. *Neapoli* sunt.

Ex iisdem in reliquo Regno MMMM.

In tribus Castellis *Neapolis* atque Turri S. *Vincentii* nongenti & triginta milites *Hispani* sunt.

Castella autem & Turres Regni milites *Hispanos* habent mille sexcentos decem.

Habet insuper armatas Triremes plures triginta, in quibus quatuor millia militum inveniuntur.

QUATUORDECIM CAPITANEI *di Gente d'Arme hi sunt:* 264

D Qui Viceregis in Regno est, Dux nunc *Alcalæ*, habet turmam suam centum equitum in fronte.

Magnus Regni Conneſtabilis, nunc Princeps *Columna*, post principia turmam suam habet LXXX. equitum; reliqui vero sexcentos habent equites, suntque sequentes:

Princeps d'*Avellino*, *Caracciolo.*
Dux *di Zagarola*, *Colonna.*
Princeps *di Caserta*, *Aquaviva.*
Marchio *del Vasto*, *Avalo.*
E Princeps *di Bisignano*, *Carafa.*
Princeps *di Squillace*, *Borgia.*
Princeps *di Conca*, *Capua.*
Dux *di Bovino*, *Ghevara.*
Princeps *di Cariati*, *Spinello.*
Princeps *d'Ascoli*, *Leva.*
Comes *di Sessa*, *Corduba.*
Marchio *Malvezzi.*
Dux *di Santo Donato*, *Sanseverino.*
Don Diego di Mendozza.

QUINQUE CAPITANEI *Equitum levis armaturæ, qui singuli turmam* XC. *equitum habent, hi sunt:*

F Marchio *di Pescara*, *Avalo.*
Princeps *di Montercole*, *Avola.*
Dux d'*Andria*, *Carafa.*
Marchio *Castelli Veteris*, *Carafa.*
Marchio *di Trivico*, *Loffredo.*

TRIBUNALIA FIDELISSIMÆ URBIS NEAPOLIS, 265

Tam Ecclesiastica, quam Regia, aliaque Munera

ra dependentia a Regia Jurisdictione, de quibus breviter acturi sumus, & primo quidem; Tribunalia Regia aliaque, ut quæ majora sunt numero.

Primum Tribunal illud est, quod appellatur *Consilium Status*, seu *Belli*, quod consistit ex multis Dominis a Rege electis, quibus interveniunt Domini Rectores Regiæ Cancellariæ, quorum, ut & totius Regni, supremus est qui Vice-Regis præëst, Excell. & Illustr. nunc Dominus Don *Ferdinandus de Afan de Rivera & Enriquez*, Dux *Alcalæ*.

Secundum Tribunal *Consilium Collaterale* est, quod consistit ex tribus Rectoribus Regiæ Cancellariæ, duobus *Hispanis* & uno *Italo*, atque Secretario, dicto Regio, & nunc regitur a Dom. *Carolo Tapia*, Marchione *Belmontis*, istius Tribunalis Decani, & Illustr. Dom. Rectore D. *Jo. Enriquez*, Marchione *Campi*, atque spectabili Dom. Rectore *Diego Lopez*; Secretarius autem est Dominus *Angelus Barrile*, Dux *Caivani*, qui Jurisdictionem in subditos suos habet in Cancellaria Regia.

Tertium Tribunal *Consilium* est *Capuanum*, dictum antea S. *Claræ*, quod consistit in Præside, qui nunc est Spectabilis D. *Petrus Jordanus Ursinus*, & viginti duobus Consiliariis, qui in quatuor *Rotis* jus dicunt quatuor locis, inque singulis *Rotis* Princeps seu Caput adest, quod nunc est in prima Ill. Dom. *Felix di Gennaro*, Mar-
266 chio *Sancti Maximi*, in secunda Dom. *Ferrantes Brancia*, Eques Sedis *Capuanæ*, in tertia Dom. *Petrus Antonius Caravita*, in quarta Dom. *Jo. Franc. Sanfelice*, Eques Sedis *di Montagna*, duoque eorumdem Consiliariorum jus passim dicunt in Vicaria Criminali.

Quartum *Regiæ Cameræ Summariæ* est, quod consistit in Locumtenente (qui ibi præsidet, & repræsentat Illustriss. Dom. Don *Berardinum Montalvum*, Marchionem S. *Juliani*) & sex Præsidentibus Doctoribus, tribus *Italis*, tribusque *Hispanis*, tribusque Præsidentibus *Idiotis* dictis, quorum duo solent esse *Itali*, unus *Hispanus*, habetque Advocatum suum, atque Fisci Procuratorem, ut & Secretarium, cum viginti quatuor Rationalibus.

Quintum Tribunal est *Magnæ Aulæ Vicariæ Criminalis & Civilis*, cujus Caput est Regens *Vicarii* dictus, nunc quidem Ill. Dom. D. *Alfonso di Cardine Pacecco*, inque sex judices civiles dividitur, qui in duabus *Rotis* consistere solent, duobus locis; ut & sex aliis Criminalibus, qui etiam octo esse solent pluresve, secundum voluntatem Dominorum Viceregum, qui pro tempore Regnum gubernant, habetque Vicaria Criminalis Advocatum & Procuratorem Fisci, cum Perceptore, qui curat exactionem proventuum Civilium & Criminalium.

Sextum Tribunal est *Magni Ammirantis*, vulgo dictum *lo Smiragliato*, quod regitur a judice, quem eligit Magnus Ammirantes. In causis autem criminalibus intervenit Advocatus Fisci Vicariæ.

Septimum Tribunal illud S. *Laurentii* est, quod regitur ab Electis, qui gubernant fidelissimam hanc Civitatem, qui causas committere solent Consultoribus Doctoribus suis, qui decidunt easdem.

Octavum illud est, quod *delle Piazze* dicitur, ubi controversias cognoscunt quinque vel sex Nobiles, a quibus gubernatur, suntque propriæ illæ controversiæ, quæ de cædibus & sanguinis effusione inter Nobiles præsertim accidere solent.

Nonum ejusdem Civitatis *de i Conti* est, communiter *della Revisione*; de viis stratis, de aquis, & de munitionibus agit.

A Decimum Tribunal est *Almi Collegii Neapolitani*, quod consistit in uno Vicecancellarii & 267
quatuordecim Doctoribus ordinariis, dictis *Collegiatis*, cum jurisdictione civili & criminali, quantum ad Doctores Legum pertinet: Medicorum vero respectu interveni tidem Vicecancellarii cum Doctoribus Medicis.

Undecimum Tribunal *Capellani Majoris* est, qui jurisdictionem exercet in Capella Regia cum suis Capellanis, atque eodem modo supra studia reliqua a Domino Vice-Regis constituti sunt Consultores, qui solent esse Ministri Regii, quorum votis & consiliis istius Tribunalis causæ dijudi-
B cantur.

Duodecimum Tribunal *Protonotarii* est, qui jurisdictionem exercet super omnes Notarios & Judices, qui sunt in Regno ejusque Provinciis, quorum habet Visitatores.

Decimumtertium Tribunal *della Regia Zecca* dicitur, ibique mensuræ & pondera recognoscuntur, habetque suum Judicem, a quo appellari potest ad Sacrum Consilium, & viginti quatuor Magistros Rationales, qui eliguntur a Dominio Vice-Regis, qui ibi pro tempore est.

Decimumquartum Tribunal *del Baglivo* est,
C dicto *di San Paolo*, quod de damnis & minutiis cognoscit, secundum Privilegia sua, atque ab hoc appellari solet ad illud *della Regia Zecca*.

Decimumquintum Tribunal *Artis Sericeæ* est, quod suum Consultorem seu Judicem habet cum tribus Consulibus.

Decimumsextum Tribunal *Artis Lanæ* est, cum suis Judicibus & Consulibus.

Decimumseptimum Tribunal est *Justitiarii*, quod de mutuis contractibus cognoscit, atque habet Judicem suum Fisco præfectum, atque Acto-
D rum magistrum.

Decimumoctavum Tribunal est *Magistri Portulani*, cum jurisdictione civili contra illos, qui publicum occupant. Habet Consultorum suum, seu Judicem, & Magistrum Actorum.

Decimumnonum Tribunal est *del Maggior Fundico*, seu *Regia Dogana di Neapoli*, quod extendit sese supra totum Regnum, cum Jurisdictione, quæ pertinet ad Regium *Doganierum*.

Vigesimum Tribunal est *Meretricum*, cum 268
judice suo, Advocato Fisci, & Magistro Actorum.

Vigesimumprimum Tribunal est *Protomedici*, cujus Jurisdictio sese extendit supra omnes Re-
E gni sui subditos.

Vigesimumsecundum Tribunal *Magistri Tabellariorum* est super omnes suos cursores seu *Tabellarios*.

Respectu autem Tribunalium Militarium

Vigesimumtertium Tribunal est Regiorum Triremium, cum suo Auditore Generale Doctore, qui cognoscit causas illorum, qui ipsi subjecti sunt.

Vigesimumquartum Tribunal est *Scribæ Ra-*
F *tionariii*, qui Catalogum habet omnium militum, in quo illi adsistunt multi Officiales & Scribæ.

Vigesimumquintum Tribunal *Regii Thesaurarii* est, quod itidem jurisdictionem in subditos sibi habet.

Vigesimumsextum Tribunal est *Auditoris Generalis del Campo*, qui Doctor est, & jurisdictionem exercet super omnes Regni milites, *Hispanos* atque *Italos*, stipendiarios, ut & novæ Militiæ, quæ vulgo *Bataglione* dicitur.

Vigesimumseptimum Tribunal est *del Terzo de gli Spagnuoli*, quod recognoscit causas *Hispanorum* in eadem Civitate *Neapoli*.

Vigesimumoctavum sunt Tribunalia Regio-



rum Castellorum novorum *del Ovo* & *di S. Eramo*, in quorum singulis Judex est Auditoris nomine.

Vigesimumnonum Tribunal *della Razza* dicitur, seu *Regiæ Rei Equestris*.

Trigesimum jurisdictionem comprehendit Venationis.

Trigesimumprimum Regii Armamentarii.

Trigesimumsecundum Secretarii Regii supra subditos sibi in Cancellaria Regia.

Trigesimumtertium Telonii Vini, quod *Arrendatorii* sui regunt.

269 Trigesimumquartum jurisdictionem comprehendit Telonii quod ex variis Ludorum generibus provenit.

Trigesimumquintum Consulum, super Aurifices sive Argentarios.

Trigesimumsextum *Judaicum*, quod ad quatuor Consules pertinet, qui pro judice delegato Consiliarium habent.

Trigesimumseptimum Consulum est Nationum exterarum, ut *Venetorum*, *Genuensium*, *Florentinorum*, *Ragusanorum*, aliorumque.

Respectu Rerum Ecclesiasticarum multa sunt Tribunalia, quarum videlicet

Primum est Tribunal Ordinarium Archiepiscopalis Ecclesiæ seu Majoris Fidelissimæ hujus Civitatis, in quo præsidet nunc summa cum sanctitatis laude Illustriss. & Reverendiss. Dom. Cardinalis *Franciscus Buoncompagnus*, qui suum Reverendiss. habet Vicarium cum Advocato & Procuratore Fisci, Magistro Actorum Scribisque.

Secundum duo habet Tribunalia, suntque Sanctiss. Inquisitionis, seu S. Officii, unum pro Urbe *Neapoli*, quod residet in ipso Archiepiscopali, alterum pro toto Regno, quod est extra portam S. *Januarii*; pro Præside autem ibidem nunc residet Illustriss. & Reverendiss. Dom. *Hyacinthus* A *Petronius*, *Romanus*, Episcopus *Molfettæ*, cum suis Conjudicibus, Consultoribus, Fisci Præfecto & Actorum Magistro.

Tertium Tribunal est Illustrissimi & Reverendiss. Domini *Nuncii*, nunc Dom. *Alexandri Bichi Senensis*, Episcopi *Isolæ*, qui Auditores suos habet, Advocatum, Procuratorem Fisci, Actorum Magistrum & Scribas.

Quartum est *Reverendæ Fabricæ S. Petri*, quod supra totum Regnum extenditur, recognoscitque causas legatorum piorum, habetque judices suos primæ, secundæ, tertiæ causæ, qui sunt Ministri Regii, qui eliguntur a Dominis Vice-Regis, qui pro tempore hic sunt, habetque Secretarium, Fisci Procuratorem, Magistrum Actorum & Scribas.

Quintum Tribunal est S. *Joannis Hierosolymitani*, dictum *Equitum Melitensium*, quod etiam suum Judicem habet, Procuratorem Fisci, & Magistrum Actorum.

Sunt & ibidem plures Jurisdictiones super Ecclesias exemtas seu immunes, 270

Talis est Venerabilis Ecclesia S. *Mariæ del Incoronata*, ubi Reverendus Pater Prior Conventus C S. *Martini* jurisdictionem habet Civilem & criminalem super Presbyteros qui ibidem sunt.

Ut & Venerabilis Ecclesia S. *Antonii*, similiter immunis ab jurisdictione ordinaria Archiepiscopatus.

Venerabilis insuper Ecclesiæ S. *Jacobi Hispanorum*, cujus Presbyteri subsunt Capellano Majori.

Omnium horum Tribunalium Doctor *Jo. Dominicus Tassoni*, Advocatus Primarius, Descriptionem Amplissimam magno conscripsit volumine, in quo comprehendit Originem eorundem, potestatem, & jurisdictionem, quæ quidem (ut spero) brevi lucem videbit publicam.

INDEX
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

A.

D.

E.

F.

Fa-

S. Paris

F I N I S.



ANTONIUS SANFELICIUS,

Neapolitanus,

DE

SITU AC ORIGINE CAMPANIÆ,

Comprehendens

HUJUS FELICISSIMÆ REGIONIS

Perfectissimam

DESCRIPTIONEM,

Nec non

Accuratissimam Chorographiam Oppidorum, Fluminum, Montium, Vallium, Lacuum, Camporum, cæterorumque notabilium.

Editio novissima, præcedentibus nitidior & emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER AA;

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

D. JOSEPHO SANFELICIO,

ARCHIEPISCOPO CONSENTINO,

SUB


ALEXANDRO VII.

PONT. MAX.

Inferioris Germaniæ

NUNTIO APOSTOLICO, &c.

Illustrissime ac Reverendissime DOMINE,



Enit tandem Campania vestra; non quidem illa squalida ut modò, inter tot suorum funera languens; sed ut eam videre tempora priora; venit inquam delitiis affluens; tum agri amœnitate, tum ingeniorum sublimitate conspicua: ornata aut potius depicta nativis Sanfeliciorum penicillis. Ostendit illam suis ac exteris magnus ille, magnorum virorum testimonio celebris, ANTONIUS SANFELICIUS, propatruus vester; quem non immeritò Pliniis, Higinis, & Porciis Catonibus non blandientia, sed vera coæquarunt Majorum indicia. Subsecutus est Nobilissimus JOANNES FRANCISCUS SANFELICIUS, supremi in regno Neapolitano Concilii Regens; eamque distracto priori prælo novis denuò Italicis typis ab obliviosa temporum lue vindicavit. Sed, heu! alia modò depasta est, & depascitur illas Orbis delitias, Campaniam, inquam, vestram inaudita, & omnia consumens lues, squalent agri, sola sedet Civitas Regina sine Populo; funera funeribus cumulantur, nec flumina, nec tabido sinu terra ipsa sparsa passim cadavera valet abscondere; quam nec Anelliorum insana rabies, nec hostium valuerunt arma pessumdare; hanc una sternit lues. O Campania! periisses, nisi iterum SANFELICIANA cura te orbi nostro renascentem reddidisset. Placuit enim, Illustrissime ac Reverendissime Domine, benignitati vestræ illam Typis meis recusam Belgio nostro iterum ostentare; accipe igitur conatus meos, tenues illos quidem, sed sinceri obsequii veros indices; meque Illustrissimæ Dignitati vestræ in perpetuum devotum habe. Amstelædami, 31. Augusti, 1656.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ,

Gratiæ Vestræ.

Devotissimus

J. G. F. B.

PLAUSUS
ILLUSTRIUM SCRIPTORUM
IN
ANT. SANFELICIUM.

AGNELLUS DE ROGERIO,

In Oratione cui titulus,

Neapolitanæ literaturæ Theatrum.

L*Oquor* ANTONIUM SANFELICIUM, *insignem illum ætatis suæ Chorographum, qui ob doctrinæ præstantiam alter Plinius dictus est, quem in oras Campaniæ amœnissimas, intento videas defixum obtutu, metiri omnia graphice, altitudines montium, recessus vallium, amplitudines fluminum, camporum æquora, adjacentium undique locorum situm adeo culte venusteque describere, ut felicissimam dicas Campaniam, quod ita pulchram Natura finxit, feliciorem fortasse quod Sanfelicium habuerit descriptorem.*

JULIUS CÆSAR CAPACIUS,

In Elogiis virorum literis illustrium.

A*mœnissima Italiæ pars Campania inter illustres scriptores Plinio & L. Floro veriorem (ut qui patrium solum optime noverat)* ANTONIUM SANFELICIUM *Chorographum habuit. A puero mirifice terrarum cognitione fuisse delectatum, ipsemet testatur. Sed satis fecisse arbitratus est, si Italicas urbes cum Higino & M. Porcio Catone, quorum labores periere, descripturus, unius modo Campaniæ imaginem tota Europa exquisitam repræsentaret, quæ licet exigua in hac Orbis parte cernatur, maxima tamen cultis, doctisque coloribus effecta, eo felicior prædicatur, quod Sanfelicium habuit, quem nec videas*

Fingentem immanes Lestrygonas, atque Cyclopas.

Sed amœna littorum, sinuumque placidos recessus, salubres aquas, vitium arborumque luxuriem, camporum felicitatem, oppidorum numerum nobilitatemque ita describentem, ut suæ Campaniæ præconio apud exteros celeberrimus evaserit, & cum de illustrandis regionibus agitur, primus in literarum consessum advocetur. Ad Plinii secundi uberem, sed brevem, facundiam accessit, qui Latinæ orationis copiam profundens, nunquam à rerum proprietate digreditur, unico versu historiarum volumina complexus. Epigrammatum scriptor elegantissimus, quorum uno in D. Agnelli Neapolitanorum templo pro Andrea Alexio elatus est, quantum suis potuisset Catullus gloriari;

Quæ miser imposui lugubria saxa sepulchro,
Mi pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod si marmoream licuisset sumere formam,
Te natus tegeret non alio lapide;
Incisæque notæ legerentur; Gratus Alexis
Reddidit ossa patri, fitque patri tumulus.

CAROLI PINTI *Dialogus.*

Felix, qui potuit patriamque genusque togatum,
Et jactare animi munera magna sui;
Felix, qui valuit causas exponere rerum,
Et qui dives erat sat pietatis opum;
Felix, qui Phœbi meruit gestare corymbos,
Atque suum lauro ter redimire caput;
Felix Campanæ scriptorum gloria terræ,
Omine felici sub requiescit humo.
Nomine, flos niger est, Felix cognomine: felix
Ex meritis (spes est) incolit ille forum.

AN-

ANTONIUS SANFELICIUS,
MONACHUS
PRÆCLARISSIMO SENATUI POPULOQUE CAMPANO
S. P. D.


Umanis animis rerum Divinarum atque humanarum ſcientiæ cupiditatem a natura inſitam eſſe conſtat. Id nobis Ampliſſimi cives ea ratione ingenuit, quo bruta animantia, quæ viribus, velocitate, vitæ diuturnitate, cæteriſque corporis bonis nobis præeunt, uno intellectus cœleſti dono antecellamus. Verum quum non ſit omnibus eadem vis mentis, diverſa doctrinarum genera homines pro animi captu ſecuti ſunt. Theologorum diſciplina ſuper æthera evolans Divina ſcrutata eſt myſteria, eaque mortalibus reſeravit, ut ſummi boni cognita bonitate, illius deſiderio, & amore accenderemur. Qui non tam alte explicuerunt alas, mundi ſphæram, inferioreſque ſiderum globos ſcrutati ſunt. Infra hos quidam elementorum, ignis, & aëris effectus varios ſubtili inveſtigatione perquiſiverunt, aliique alia. Ego vero, qui meæ *Minervæ* parum credens in ſublimia abire non ſum auſus, terrarum ſequi cognitionem, quæ me à puero mirificè delectavit, operæ precium exiſtimavi. Quumque in ea diu verſatus intelligerem, quicquid ibi profeciſſem, ponendum eſſe in medium, humanæque impertiendum ſocietati, cœpi cogitare de *Italicarum* urbium deſcriptione, præſertim quod ab *Hyginio* eodem argumento confecti libri periiſſent, admodumque pauca de *M. Porcii Catonis* originibus fragmenta ſuperſint. Ea de re mihi deliberanti ſubiit præceptum illud:

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus.

Itaque mei vires ingenii metitus, videns me oneri imparem, ad faciliora verti ſtylum, unamque *Italiæ* partem *Campaniam* mihi tractandam delegi. Opus ipſum Dei æterni omnipotentis numine abſolvimus, quod muneri vobis mittimus. Inclytæ *Capuæ* noſtra merito debetur *Campania*, quam & *Latini* & *Græci* ſcriptores *Campaniæ* dixere Principem: quin propter amplitudinem, opumque potentiam poſſe omnibus in terris imperii nomen ac dignitatem ſuſtinere. Huc accedit, quod Illuſtriſſimus *Julius Paleniorum* Comes nobiliſſimæ *Capuæ* nobiliſſima proles, me, ut hanc ederem Chorographiam, vehementer accendit, Muſarum & pietatis cultor. Valete.

AUTHORIS EPIGRAMMA
DE CAMPANO AMPHITHEATRO.

Immanem quisnam molem, quis grandia ſaxa
Æquavit cœli nubibus aligeris?
Montibus impoſitos montes quæ deinde ruina
Dejicit è cœli nubibus aligeris?
Celſa giganteis manibus fabricata ſuperba eſt
Machina, forma tamen Dædaleo ingenio.
Mirati ſunt Græci impoſitum Pelio Oſſam,
Impia gens ſuperis quum fera bella ciet.
Hoc opus egregium miretur Græcia, ſummo.
Quod vicit rupes vertice Theſſalicas.
Non par auricomus Phœbus ſpectavit Eoo
A Gange ad Gades, Herculeumque mare.
Campani heic plauſere olim juveneſque, ſeneſque,
Et feſto reſonant alta Tifata ſono.

INTERPRETATIO NOMINUM
HUJUS CHOROGRAPHIÆ.

A.

Abella — *Avella.*
Acerræ — *Acerra.*
Acherusia palus — *La Coluccia.*
Amyclanus sinus — *Il mar de Sperlonga.*
Amphitheatrum Capuæ — *Li Borlasci de Capua.*
Ampsanti vallis — *La valle de Frecento.*
Atella — *doue e hoggi Santo Arpino.*
Avernus lacus — *il lago di tre pergole.*
Ausona — *gia desolata nel piano di Sessa.*

B.

Bajanus sinus — *il mar di Baja.*
Bajuli — *Bacola loco nel lido de Baja.*

C.

Calatia — *Gajazzo.*
Cales — *Calvi.*
Campana via — *Campanola nel territorio de Pezzuli.*
Campania — *terra di Lavore.*
Capua — *Capua.*
Caselinum — *Castelluccio un certo territorio tra Capua, e la foce del Voltorno.*
Casinum — *San Germano.*
Cisterna Miseni — *grotte Dragonara.*
Cisterna Averni — *piscina mirabile.*
Cryptoporticus Capuæ — *le tre grotte che sono vicini a li Borlasci.*
Cumæ — *Cuma, si vedeno le rouine.*

F.

Falernus ager — *il territorio, che e da la Roccha di Mondragone sino al Voltorno.*
Fibrenus fluvius — *il fiume de la Posta.*
Fossa Neronis — *Licola.*
Fucinus lacus — *il lago de Fucino, o di Celano.*
Furcæ Caudinæ — *ove hoggi e Arpaja.*

G.

Gallinaria Sylva. — *la peneta di patria.*

H.

Herculanum — *fu, doue e hoggi la torre del Greco.*

I.

Irpini — *li popoli, che sono mezi tra la valle Beneventana, e la Basilicata.*

L.

Laboriæ — *il territorio del Gaudo, si dice anche per altro nome Latino, Laborini campi.*
Leucogæi colles — *la Lumera.*
Liris fluvius — *il fiume de Patria.*
Liternum — *Citta desolata, il loco si dice Patria.*
Liternus Lacus — *il lago de Patria.*
Lucania — *Basilicata*, unde Lucani.
Lucrinus lacus — *fu, doue e hoggi il monte novo appresso il lago Averno.*

M.

Magna Græcia — *la Calabria soprana.*
Minturnæ — *fu, doue è hoggi la scava del Garigliano, de la qual se ne vedeno le reliquie.*
Misenus mons — *Miseno.*

N.

Neapolis — *Napoli.*
Nola — *Nola.*

P.

Pausilypus mons — *Posilipo.*
Picentini — *La costa d' Amalfi.*
Pompeji — *la torre del Annuntiata.*
Portus Julius — *era esso lago Lucrino.*
Puteoli — *Pozzuoli.*
Puteolana crypta — *la grotte passante, che è tra Pozzuoli e Napoli.*

S.

Samnium — *Apruzzo*, unde Samnites.
Sarnus fluvius — *il fiume di Scafati.*
Savo fluvius — *il Saone.*
Sebethus fluviolus — *il fiume de la Madalena.*
Sinuessa — *la roccha di Mondragone.*
Stellatis ager. — *il territorio di Carinola. il qual confina con il territorio de Thiano, e la Rocca di Mondragone.*
Suessa — *Sessa.*
Suessula — *fu, doue e la torre detta di Sessola.*

T

Theanum — *Thiano.*
Tholus Bajanus — *il Truglio di Baja.*
Tifata montes — *li monti sopre l'antiqua Capua.*
Trebula — *fu tra Capua, è Sessola, ove appajono li vestigii del theatro.*

V.

Venafrani campi — *il piano di Venafro.*
Venafrum — *Venafro.*
Vestina — *fu nel piano di Sessa.*
Vinius fluviolus — *il fiume de San Germano.*
Vulcanium forum — *la Solfatara.*
Vulturnus fluvius — *il Voltorno.*
Vulturnum — *Castello a mare del Voltorno.*



AN-

ANTONIUS SANFELICIUS DE CAMPANIÆ, ORIGINE ET SITU.



Ampaniam scribimus, situm, dimensionem, agri naturam, & antiquos in ea populos. Contexere cum his placet insignia illius ævi ædificiorum monumenta, quæ licet semidiruta, aspectu tamen cum oculis, tum animo grata sunt. Gratificandum duximus doctis, curiosisque viris, quos horum operum pervulgatum tota *Europa* nomen è longinquis allicit terris, quibus nostra hæc scripta quasi dux erunt ad ea pernoscenda. Neque vero nobis vitio vertendum est, quod geographica eruditis tractata ingeniis scribere aggressi sumus. Non enim ego in orbis terrarum descriptione versor, sed in exigua ejus parte mihi nota, qui patrium sedulo peragravi agrum, ne incognita pro cognitis, neve pro veris falsa traderem. Id potissimum me *Campanum* hominem ad hoc suscipiendum munus excitavit, atque impulit, quod dum è Geographis quidam dimetiendis cœli circulis, geometricæque incumbunt subtilitati, dum alii ad enarranda rerum miracula se occupant, & alii ad honestandam patriam sunt nimis intenti, ornandæ *Campaniæ* parum studiosi fuerunt. Pudebat seminudam intueri parentem, meque illam oportere velare percepi, quod si elegantiore purpura (ut decet) non operietur, qualicunque poterimus stola contegemus. Verum enimvero non est ardui operis, quod pulchrum, quod bonum est, ornare laudibus. Quisquis enim ejus amœnitatem, cœli clementiam, soli ubertatem, maris, fluviorum, & lacuum norit commoda, *Campaniam* naturæ delicias non negaverit.

Heic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas,
Bis gravidæ segetes, bis pomis utilis arbos.

Quod præconium, quamvis universæ *Italiæ* tributum videatur: non injuria tamen sibi illa vendicat, ubi nullo non tempore flores floribus, pomis poma, & fruges frugibus, vernante semper, vel autumnante temperie succedunt. Bona pars ejus secundo seritur semine, fert biferas arbores, fert vel trifero proventu vites, in quibus mira varietate pars uvarum floret, pars defloruit, sunt turgescentes, sunt acerbæ aliis maturescentibus, aliis jam maturis. Suggerit succiplena nutrix alimenti plurimum, neque modo suos fœtus, verum etiam alienos inexhausta alit ubere. Voco autem alienos alumnas arbores, tum pecudes, quæ tametsi aliis atque aliis è terris ad nos transmigrarint, non alienam heic vitam vivunt, ac in genitali solo, de quibus suo loco. Consulto autem in superiori carmine pro pecudes substituimus segetes, quum nobis non duplex ovium partus, ut *Samnio*, *Lucanis*que pastoribus pascua mutantibus, sed duplex volvente anno contingat sementis. Hæc in universum, nunc singula attingenda, eo servato ordine, ut primum maritima, deinde persequamur mediterranea.

Terræ *Italiæ* mediam longitudinem transgressa *Campania* ad inferi maris oram recubat. E cœli positione temperamentum habet, quæ tantundem pro- [A] pe ab Austrino recessit æstu, quantum ad hyemes septentrionis accessit, quod ad salubritatem facit, bonumque humani corporis constituendum habitum. A *Lire* fluvio ad *Sarni* ostium pertinet, sexaginta passuum millibus excurrente planicie, quæ ab ipsa camporum laxitate facta est *Campania*. Hi amnes, ejus duo latera constituunt, hic ab ortu, ille ab occasu. Boream versus montibus cingitur *Samnites*, & *Irpinos* excludentibus, quartum vero latus mare possidet. Latitudo ejus varia, ut tamen, qua maxime panditur, triginta non excedat milliaria, quod si totius ambitus subducatur ratio, colliget ad cen- [B] tum, & sexaginta passuum millia. *Liris Apennino* monte decurrens (Geographorum ritu ab occidentali plaga narrationis facimus initium) in *Soranum* primo se fundit agrum, tenuis ante, quam *Fibreni* fluminis ebibat aquas. Hunc multi existimant è *Fucino* superiore *Marsorum* lacu per emissarium, quod *Claudius* Cæsar fecit, occultis huc delabi venis, falsa opinione, quando *M. Tullius* longe ante ejus imperium de *Fibreno* meminit. Ab utriusque confluente *Liris* torrentior ad cataractam properat, præcepsque ruit. Præcipitatus impetum premit, sedatoque cursu abiens tanquam duarum arbiter gentium [C] *Latio* fines præscribit, & *Campanis*. *Minturnas Romanorum* coloniam is olim dividebat, *Glanicus* antea vocatus, dimidiatique corporis alteram nobis tribuebat partem, *Latinis* alteram. Ponte utraque ejus ripa jungebatur eo loco, ubi fluviali scapha trajiciuntur viatores. *Minturnarum*, quæ jam corruerunt, stat adhuc putre amphitheatrum, a quo non procul ductus aquæ conspicitur arcuatim procurrens. Post *Minturnas Sinuessa* est hoc nomine dicta, quod sit in *Suessæ* oppidi sinu. *Sinope* hæc prius vocabatur a *Sinopensibus Ponticis* colonis, quorum opus fuit. Emanant ejus in agro balneæ, quas me- [D] moriæ proditum est mulierum sterilitati succurrere. Per *Campaniæ* littus vulgo prorumpunt adversum morbos aquæ salutares, non tamen omnes eadem facultate sed aliæ alia pro soli ingenio. Plurimi enim refert, per quos terræ meatus fluant, quæve metalla in cursu alluant, unde exsuctas qualitates in affecta constat transfundi corpora. *Plinius*, qui in *Latinorum* numero populorum *Sinuessanos* reponit, audiendus non est, quippe magis a vero aberrans, quam a *Latinorum* finibus absit *Sinuessa*. *Latium* enim vetus a *Tyberi* ad *Circæos* servatum est, indeque ad *Lirem* novum, quod adjectum quoque appellabatur. A *Sinuessa* est amnis *Savo*, qui ex *Au-* [E] *runcorum* profusus montibus *Sidicinum*, *Stellatem*, & *Falernum* agros modicus interluit, nullis brevi in curriculo auctus rivis. Sequitur *Vulturnus* triremium capax æque, atque *Liris*, quum utrique longius evagantes comites aquas, abolitis earum nominibus, secum ad mare ducant. *Vulturni* fons in *Samnio* est, qui dum confragosa *Samnitium* percurrit loca rapido fertur lapsu *Venafrano* tenus campo, unde vi repressa placidus continuat iter mediam secans *Campaniam*. Piscium copiosus est, vere in primis propter clupearum multitudinem, quæ huc ad tutum partum subeunt, gignitque formosos Lupos, sed in *Samnio*

tantum. Deinceps *Gallinaria* est *sylva* mari præcincta, & *Literno* lacu, quæ civilibus bellis materiem fabricandæ *Sexti Pompeji* classi suppeditavit. Hanc latrociniis infestam consecuta tempora spoliarunt arboribus, quæ nunc iligna glande, & arbuscularum cæterarum fœtu hybernam venatoribus, pariterque aucupibus inescat prædam. *Liternum* lacum quæstuosum facit mugilum assidua captura, sub dies præcipue Halcyones, quod id temporis ejus fauces occlusæ arena fluctibus aggesta, piscatorum opera recluduntur prætentis prius retibus. Juxta lacum stetit oppidum *Liternum*, cujus vel ruinæ perierunt, locus tamen ob majoris *Africani* memoriam in omne sæculum celebrabitur. Hoc sibi domicilium relicta ingrata patria delegit *Scipio*, quod ante *obscurum* illustravit vir ipse illustris non tam genere, dignitate, laureatisque fascibus, quam modestiæ, fortitudinis, patientiæque titulis. Heic ille cum philosophia reliquo vitæ tempore negotium habuit, & cum re rustica, triumphalique dextera laboriosum sæpe rexit aratrum. Huic adjacet *Cumanus* ager *Phlegræus* Græce a *Phlegra Thessaliæ* valle, quum utrobique gigantum pugnam poetæ vulgarint, illic contra *Jovem*, heic cum *Hercule* ejus filio ex *Hispaniis* redeunte utriusque gentis ferociam hoc commento demonstrantes. Hæc latifundia *Latini* appellarunt *Laborias*, quæ duabus intercluduntur milliaribus, viis, altera *Cumis*, *Puteolis* altera *Capuam* ferentibus. Sunt *Laboriæ* ea fœcunditate, ut vel cupidi agricolæ labori respondeant fructu, restibilesque nec stercorationem desiderent, nec intermissionem. A *Cumæis* & *Chalcidensibus* conditi sunt *Cumani*, qui ducibus *Hippocle*, atque *Megasthene* ad quærendas sedes profecti, huc appulerunt. Felicium fertilitati prædiorum aucti cives eo progressi sunt opum, ut *Hetruscis Italiæ* fere imperitantibus parere recusantes obviam ierint, eorumque fregerint impetum. *Italiæ*, *Siciliæ*que urbes *Cumæ* antiquitate præstiterunt, quarum miserandum (ut ita dicam) cadaver quisquis aspexerit, non poterit non graviter affici. In rerum vicissitudine urbs tanta, versa est in caprilia, in cujus loci tepore alsiosum id pecus hyeme commode stabulatur. In pelagus illa prominebat, dextra *Neronis* fossam, læva *Acherusiam* spectans paludem. Vasto, effrenique animo matricida fossam ipsam instituerat *Ostiam* usque perducturus, quo sibi magiæ addicto, ad *Avernales* magicas vanitates, expedita, tutaque semper pateret navigatio. Accedebat eo quod *Canopicæ Alexandrinorum* fossæ cupiebat modulantes imitari choros, ut eorum exemplo inter fidicinum cantica iste citharœdus, interque psaltrias ultro, citroque per derivatum vectaretur *Tyberim*. Irritæ temeritatis fossa, quæ nunc lacus marinus est, remansit testis, quod nobis piscandi commoditate prospere cessit. Altera rursus *Amyclano* in sinu ab eodem inchoata fisci exhaustis thesauris destituta est, maximo *Amyclensium* detrimento: fuit enim in causa quamobrem vinum *Cæcubum* disperierit, cui principatum multi dederunt. *Acherusia* palus est inter *Cumas*, & *Misenum* cui ferrugineo colore squalenti nomen a *Stygio Acheronte* indiderunt. *Misenus* promontorium de sepulchro *Miseni Trojanæ* classis tubicinis appellatur, cujus ossa hoc in monte insignium more virorum *Æneas* condi jussit id honoris ejus tubæ deferens. Hinc mare velut in æstuarium se fundens *Bajanum* efficit sinum *Romanis* civibus magnopere expetitum. Etenim qui diutinis militiæ laboribus jactati fuissent, sive quem urbanæ ambitionis cœperat satietas, quive forum, plurimasque alias urbis molestias ferre amplius noluissent, in hunc otii portum confugiebant, ubi animus post curarum fluctus subductis superbiæ velis, & pacatæ vitæ jactis anchoris, seipsum colligeret, atque recrearet. Ægritudines hac via ef-

A fugiebant, ægraque curabant corpora, edocti, quæ balneæ; quibus mederentur morbis. Multis in terris medicamentosi exiliunt fontes, qui in *Liguria Statiellas*, & in *Narbonensi* provincia *Sextias aquas* condiderunt oppida: nusquam tamen largius, quam heic, propinquisque locis: nec tam variis auxiliis adversæ valetudinis. Sunt his fontibus privata remedia, generatim vero senes fovent, & stomacho imbecillos, quartanaque febre laborantibus adsunt. His præterea in collibus sunt excavati cuniculi, quorum fervidus vapor noxios è corpore eliciens humores non mediocres efficit utilitates. Va-
B letudinis igitur gratia, & ob mercaturæ negotationem *Puteolis* frequentissimo in emporio, loca hæc innumera hominum celebrat multitudo, Regna *Puteolana* eam ob causam a *M. Tullio* dicta. *Strabo* hunc sinum continuis ædibus ita excultum scribit, ut unius urbis offerrent aspectum: quod ex earum reliquiis facile perspicitur. Illiciebant etiam piscandi oblectamenta, tum è mari, maritimisque piscinis, tum è lacubus *Lucrino*, atque *Averno*. *Lucrinenses* voluptates erant præcipuæ, ubi ganeæ studiosi, non modo altilium, piscium, sed etiam ostrearum construxerunt vivaria, non contenti iis, quas copiose gignebat *Lucrinus* ob id ostreosus cognominatus.
C His de causis non minoris heic publice, & privatim ædificabatur, quam in urbe: utque ad *Tyberim* superba erat *Roma*, ita heic deliciosa. Una in tot opportunitatibus gelida ad potum desiderabatur aqua calidis duntaxat fontibus heic erumpentibus. Grandem idcirco pecuniam *Romano* ex ærario erogare necesse fuit, tum in rivos fornicato opere, perque actos in montibus cuniculos a quinto & tricesimo milliario deducendos, tum in receptacula aquarum facienda, non tantum ad *Romanorum* civium usum, sed etiam classiariorum militum. Namque senatus imperii consulens securitati, super omnia *Italiæ* classem hoc in sinu in piratarum excursiones,
D & ad omnem navalis belli eventum habebat instructam inter orientis, occidentisque regna mediam. E cisternis illis duæ impensa magnificentissima incorruptæ ad nostram pervenerunt ætatem. Harum altera in vivo *Miseni* lapide excisa frigidas intra montis viscera servabat aquas, altera vero multiplici structilium pilarum versu, integro adhuc tectorio concamerationes sustinet. Infra hanc ad littus lateritius tholus egregio assurgit opere, qui (quantum conjectura licet assequi) intus considentibus æstivos defendebat ardores, quoniam ad captandas auras latis patet fenestrarum & ostiorum luminibus. Prope est
E *Avernus Lacus*, Græce *Aornos*:

Quod super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris,
Faucibus effundens supra ad convexa ferebat.

Exhalabat quondam diram mephitim, sed succisis postea, quæ lacum ambiebant, densis sylvis, ea pestis evanuit. Is nostra memoria piscibus affluebat, qui nuper pluvii cineris amarore ad unum necati sunt. Eruperunt superioribus annis è vastissimo terræ hiatu immensæ flammæ, flammisque commixti ingentes, innumerique lapides, qui postridie ejus diei in montem visu horribilem congesti visi sunt. In ca
F ignium tempestate aliquot balneæ obrutæ, planities *Puteolis* subjecta magna ex parte monte occupata, *Avernus* præter piscium cladem ad dimidium angustatus est, quod in mare retrocedere fuit coactum; ut novam loci faciem, qui antea viderant, demirentur. *Averni* accolæ fuerunt *Cimmerii*, gens rapto vivens, grassans in eos, qui ad *Avernalia Plutonis* sacra contendebant. Ad hæc sacra, id est ad exercendam magiam huc ibatur, & ab inferis manes (ita prisci impii corpore exutas animas vocabant) ad vaticinationem exciendos. Magicæ artis professores spectris quibusdam ita oculorum aciem perstringebant,

bant, ut ad cadavera sua manes evocari viderentur. Hujus necromantiæ studio *Homericus Ulysses* è *Circæa* solvens insula ad hos *Cimmerios* venit. Hos dico, ne quis in *Homeri* carmine intelligat *Cimmerios*, qui alio in orbe *Mæotim* accolunt paludem, quam opinionem id excludit, quod ea navigatio unius fuit diei. Heic ergo *Ulysses* umbrarum fecit evocationem humato prius *Baja* socio, unde *Bajanus* sinus, non ab urbe *Bajis*, quæ nulla fuit. Quod vero *Avernales Cimmerii Scytharum Cimmeriorum* cognomines fuerint, congruens inter eos vitæ ratio fecit. Efferatis erant utrique animis, utque illis a signiferi plaga longissime sepositis crassior aëris caligo offunditur: ita hi obscuras inter *Averni* sylvas, tenebricosisque in specubus ad latrocinandum delitescebant. Medius inter *Avernum*, & mare *Lucrinus* fuit, *Romanæ* reipublicæ ob maximam piscium capturam maxime vectigalis, qui supervenientibus undis, piscesque excludentibus a *C. Cæsare* objectis in mare molibus munitus est:

Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor.

Hinc, atque illinc firmissimo septus muro *Lucrinus* & imperturbatos continebat pisces, & tutum subeuntibus velis præstabat portum. Hunc sequens ætas, oppressa republica, *Augusto* adulans, falso portum *Julium* appellavit:

Julia, qua ponto longè sonat unda refuso.

Non enim *Julius* de suo id opus fecit, sed a patribus missus faciundum curavit. Arcto spatio hi lacus sejungebantur, quod ex eo conjici potest: nam utrumque *Augustus* parvo negotio media effossa tellure in unum confudit, ibique tota hyeme, pugnaturus vere cum *Sex. Pompejo*, remiges, classiariosque exercuit milites, pugnam meditantes. Stante *Romana* libertate *Lucrinus* munitionibus tutus oppugnanti obstitit mari: qua eversa, quum nulli essent rerum publicarum curatores, cessit pertinacibus undis. Hujus tyrannidis vindex fuit novus mons, quem memoravimus, qui mari ab injusta possessione repulso, factus est alter loci tyrannus. E regione montis surgit collis, in quo truncum apparet ædificium, quod *Puteolani* pro certo habent *Ciceronis* fuisse Academiam. Huic opinioni fidem esse adhibendam, ea mihi persuasit ratio, quod locus antiqui domini servat nomen: tum quod respondet topographiæ a *Plinio* factæ, quando scribit: *Dignum memoratu, villa est ab Averno Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu, & nemore, quam vocabat Academiam M. Cicero.* Hæc *Plinius*, *Platonis* æmulator non modo tractanda philosophia *Arpinas* ille esse voluit, sed *Platonici* gymnasii nomen, in suam villam, Musarum domicilium, traduxit. Hinc factum est, ut gloriosis *Græcis Atticam* Academiam jactantibus, *Latini Puteolanam* opponerent, & *Tusculanum Lyceo Aristotelico*, quibus è fontibus moralis philosophiæ manarunt rivi. *Puteoli* urbs a *Samiis* posita *Dicæarchia* prius dicta fuit, de regiminis æquitate, quod in ea republica cives sine ullo census ordinisve delectu, ambitionis continuoque discordiæ fomite, ad regendam, servandamque patriam concordi charitate, parique inter se administrationis jure conjuncti essent. A *Romanis* dehinc colonis, de parvis balnearum puteis *Latinum* impositum est nomen, quod est *Puteoli*. Hucusque *Campani* cives per *Laborinos* campos viam muniverunt ad comportandos agrorum fructus, utque hinc peregrinas exportarent merces, quandoquidem celeberrimum (ut diximus) *Puteoli* emporium erat. Ipsa in via, quæ adhuc *Campana* vocatur, utrinque latericiæ, reticulatæque structuræ se offerunt spectandas, quæ viatores tenent, pascentes specie oculos eruditos. Spectatu quoque dignum est antiquum *Puteolanorum* amphitheatrum, circaque

A ipsum innumera ruinosa concamerato opere ædificia, quorum quædam subterranea sunt, perviaque inter se, tam perplexa tamen ostiorum ambage, ut absque duce, circumductove fixoque funiculo, negetur exitus. Quare nos hujusmodi Labyrintheos anfractus *Dædalis* relinquentes ingeniis, inceptum peragemus iter. *Neapolim* hinc proficiscentibus subeundus est clivus, cujus ad lævam situs est campus, undique montibus sulphureum exhalantibus vaporem circundatus, angustis adeundus faucibus. Intra eum aliquot in locis scaturigines, altius uti fornaces calcariæ, subditis ignibus ebulliunt, aspectu
B non minus horrido, quam quæ in *Ampsancti* effervescunt *Irpinorum* valle. *Vulcanium* forum id fuit antiquis, ubi sulphurea conflantur potoria vascula, quorum usum lienosis prodesse compertum est. Post hos montes albicant *Leucogæi* alumniosi colles, a candore nomen adepti, apud quos teste *Plinio*, scatebant balneæ oculis opem ferentes, & vulneribus. Subjacet parvus lacus sterilibus omnino aquis, præditis tamen vi naturæ mira. Est in proximo, terræ spiraculum afflatu intus tabifico signum habens juxta fauces, quod non sine vitæ periculo præterire licet. Quodcunque animal id transgrediatur, procumbit illico semianime, quod si prius, quam exa-
C nimetur, his tingatur aquis, ad salutem redit, facto in canibus sæpe periculo. Ea lacus parte, quæ spectat in meridiem, passim rimis fatiscit humus, alibi minoribus, alibi majoribus, è quibus jugiter evaporantes fumi podagricis auxiliantur, præsentique remedio contractos remittentes nervos pristinis restituunt vitæ muneribus, *Puteolani*, atque *Neapolitani* agri terminus est *Pausilypus*, mons & promontorium, qui *Græca* voce, bonum præ se ferens ingenium, rem nomini non habet disparem. Is præter liberum *Campaniæ*, *Picentinorum*, maris, & insularum prospectum, præterque vini laudem, pomorum omne genus dives est, beatior tamen in ci-
D treis, magnitudine, & odore præcellentibus, cibariisque uvis, apiana, & duracina. Loci hujus cum amœnitatem, tum salubritatem adamasse antiquos, sumptuoso villæ cultu sunt testes, quarum in ruinis multæ effossæ inventæ sunt mutilatæ columnæ, tum quædam integræ, pretioso è marmore maculis pulchre distincto, quæ in sacrarum ædium ornamenta translatæ spectantur. Laboriosius olim ejus dorsum transcendebatur: quapropter ne a viatoribus superandum esset, ad ejus imum ferro milliaria crypta fuit aperta, pervio transitu ea laxitate, quæ adversa admittit plaustra. Vulgaris est opinio
E authorem operis fuisse *Lucullum*, male fundata super *M. Varronis* verbis, non recte intellectis, qui *tertio de re rustica lib.* ait, *Lucullum* ad *Neapolim* perfodisse montem. Quod si, qui ita sentiunt, subnexæ orationis expendissent contextum, hanc impensam ei non ascripsissent, ex *Strabone* attribuendam *M. Coccejo*. Quod sequitur hoc est: *At maritima flumina immisit in piscinas, quæ reciproce fluerent.* Hæc plane docent non spectare præcedentia verba ad transitum per cryptam patefactum, sed ad specus parvos oblongiores, quos ad *Pausilypi* caput cernere est, latere vergente ad orientem solem. Per eos
F enim cuniculos, æstuante sole, reciprocantes maris Euripi, conclusos intra vivaria refrigerabant pisces. *Asiaticam* prædam iis in sumptibus consumsit *Lucullus*, de qua gaza profusa *Xerxes* togatus a *Pompejo* dictus. *Neapolis* ex *Plinii* historia *Chalcidenses* habuit conditores, quod vero scriptum *Strabo* reliquerit, primos colonos fuisse *Cumanos*, non continuo dissentit ab eo, quum a *Chalcidensibus* fuerint propagati *Cumani*. Primum hæc *Parthenope a Sirenis* tumulo fuit, mox (quæ loci est opportunitas) novæ coloniæ accepit incrementum. Novis civibus non placuit cum veteribus tecta conjungere, sed in pro-

pinquo loco consederunt, hæcque fuit *Neapolis*: rursus *Parthenope* versa est in *Palæpolim*. Ignota hæc *Solino* fuerunt, qui ab *Augusto* cæpisse dici *Neapolim* scribit, quasi vero *Augustus* fuerit ante *Ciceronis* ætatem, apud quem sæpe *Neapolim* legas. Hæ duæ urbes unis claudebantur mœnibus, quæ postea utrinque auctis tectis in unum coaluere corpus. Per *Sirenum* vero fabulam, loci hujus deliciosæ notantur illecebræ, ad otia invitantes, ad quæ nata fertur *Neapolis*. Molli sane otio animum corrumpi, dubium non est, contraque literarum, & studiorum perfici exercitatione. Id noscentes docti modestique viri *Sirenum* cantibus occlusis auribus, otio non abutentes, & suæ famæ consuluerunt, & posteritati. Quam debet humana vita agricolarum magistro, a quo docti sumus.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere conveniat?

A quo præterea didicimus:

——— *Ulmis adjungere vites.*

Neapolim vero illum hæc canentem coluisse, quis dubitet?

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope.

Palladius quoque heic agens de eadem re rustica præcepit, deque citreorum cultu, quæ primus ipse demonstravit *Italiæ*. Non sunt prætereundæ Sylvæ *Neapolitani* vatis, quæ perpetuo comarum honore adhuc virent sæcula vincentes. Ager hic fœcundatur *Cerere Baccho* circumpositi colles, hortis vero exornantur suburbana directis in quincuncem pomorum ordinibus. *Græcorum* carmina *Alcinoi Phæacum* regis pomaria, & in *Africa Hesperidum* aurea mala magnifice cantarunt. Quod si poetæ illi tantas arborum *Medicarum* heic vidissent sylvas? Has tamen nostri & versibus, & soluta oratione laudibus sunt prosecuti, quippe quæ malum ferant præsens venenis antidotum.

——— *Quo non præstantius ullum,*
Pocula si quando sævæ infecere novercæ
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, & membris agit atra venena.

Multiplicis hæc mala generis colore ad aurum inclinato, sed his verbis, si *Macrobio* credimus, commendatur Citreum, cujus potissimum mali comesa semina, tum interior acida caro haustis adversantur venenis, simul & oris emendant graveolentiam,

——— *Animas, & olentia Medi,*
Ora fovent illo, & senibus medicantur anhelis.

Huc nos, quo hæc remedia manifesta fierent, digressi sumus, nunc ad id, quod restat, itineris. Suburbium, quod secundum littus est, *Sebethus* alluit fluviolus, ne Lintrium quidem patiens, non tamen inglorius sub nomine *Sebethidis* nymphæ decantatus. Sunt qui malint per nympham *Sebethida* significari aquam, quæ pensili rivo influebat *Neapolim*, quod geminatus indicat ductus ad *Januariam portam*. *Sebethum* duo sequebantur, memoria *Herculis* insignia oppida, *Herculanium*, & *Pompeji*; quæ incendiorum injuria versa sunt in vicos. Literis proditum est *Herculem*, debellatis *Hispaniis*, *Gerionis* regis pulcherrima boum armenta in *Bajanum* sinum exposuisse, ibique inter *Misenum*, & *Avernum* ipsus caula vallasse. Lacus is de boum caula fuit primum *Boaula*, mox, ut vox ipsa dulcius sonaret auribus, facta est *Bauli*. Deliciarum hic erat locus, quo paulo ante *Romanæ* reipublicæ excidium, multi navigabant adspectandas insanas in mari substructiones, atque loculatas (*Varronis* utor verbo) maritimas piscinas. Inde dux *Græcus* in patriam rediturus, *Picentinos* versus discedens, castra ad montem *Vesuvium* locavit, ibique constructis tectis & agro, quem occuparat, viritim diviso, copiarum partem mancos, belloque invalidos reliquit. Hæc fuit *Heraclea*

A *Græcis* colonis, post *Herculanium Latinis*. Posito oppido castra ad octavum lapidem promovit, quo in itinere triumphalibus vectus est insignibus, bobus ipsis in morem capitivorum bello ducum præeuntibus. Quumque ad flumen *Sarnum* ventum esset, consedit, alteraque ibi mœnia veteranis militibus exstruxit, quæ de triumphali illa pompa fuerunt *Pompeji*. *Heracleensis* ergo, *Pompejanique* populi idem fuit ortus, eorundemque par fuit vitæ occasus. *T. Vespasiani* principatu *Vesuvium* montem utrique oppido imminentem conflagrasse constat, eque media ejus voragine tantas erupisse flammas, ut ad
B *Ægyptum* cineres pervenerint. Late vagantes ignes, sylvas, arbusta, casas, ædes, & quicquid fuit obvium absumpserunt, liquatis quoque saxis, quæ instar ferreæ spumæ miserabilem illam testificantur calamitatem. Haustum eo incendio *Herculanium*, *Pompejanos* vero in scenicorum ludorum spectaculo confidentes, repentinus lapidum sepelivit casus, uniusque theatri cavea facta est totius civitatis urna. Cæterum mons ipse, quem tanta vastitas invisum antiquis fecerat rependens fructu illata damna, invenit apud posteros gratiam. Cineris quippe calore hæc affecta plaga magnam nobilitandis vinis vim accepit, è quibus id, quod *Græcum* cognominatur,
C reliquis *Italicis* præfertur. Hoc meracum in patria sumptum caput tentat, veruntamen si navigio transvehatur fluctibus jactatum vi domita mitescit, sitque suavius, quod utinam homini usu veniret. Amplissima arbusta, quibus cingitur, escarias uvas, præter vini copiam ferunt, quæ ad multam hyemem de arboribus pendent. Idem trilibria cotonea, pauloque minora pira, sorba, mespila, sylvestria arbuta, cæteraque serotina mittit munera, in quibus excellit juxta, ac *Puteolanus* ager in præcocibus pomis. Hæc est maritima *Campaniæ* ora gemino definita littore *Sinuessano* scilicet, quod a *Lire* tendit ad *Misenum*, & *Neapolitano*, quod a forma *Græci* ap-
D pellarunt *Cratera*, *Miseno*, & *Atheneo* promontoriis circumscriptum. Ea sinus hujus est apricitas, ut vernæ insitiones semestri spatio autumni dona proferant lætissime Nulla est pomiferarum arborum (de notis terris loquor) quæ heic non proveniat, & quidem feliciter præter unam, & alteram *Syriæ* peculiares.

Littore perlustrato exquiremus interna ab occidentali exordientes latere, ut priore factum est volumine. Principium *Vestinæ* damus quippe primo in hac serie oppido. Ejus ager erat *Minturnensibus* affinis, cujus extremus saltus *Falernum* contingebat agrum, quo in confinio a *Ponticis* colonis fuit posi-
E ta *Sinope*, de qua meminimus. Hi *Vestini* (est & *Vestinorum* regio ad mare superum) civium proditione ab *Romano* hoste capti funditus deleti sunt. Cum *Vestinis* stetit pariter vicina urbs *Ausona*, & cum ea pariter decubuit. *Ausoniæ* tamen non exolevit duraturum in omne *Italiæ* ævum, quæ ab illa est cognominata *Ausonia*. *Magnæ Græciæ* oram antea tenuerant *Ausones*, cui rei argumento est mare illud cognomine *Ausonium*. Inde sive armis pulsi, sive ea sedes huic fuerit posthabita, in hanc *Campaniæ* partem commigrarunt, omnemque subegerunt regionem, quæ a *Lire* pertinet ad *Campanum* pontem.
F *Ausonum* stirpis est vicina huic agro *Suessa* cognomento *Aurunca*, ab *Auruncis*, qui invadentibus finitimis *Sidicinis*, huc, destituta patria confugerunt. Fuit altera *Suessa Pometia Volscorum*, quam *Pontina* palude ferunt haustam. Nostra *Suessa* vivit arduo eminens in colle, quem plurimi inferiores circundant vicis frequentes, vitibus amicti, atque oleis, quarum baccæ conditæ maxime probantur hodie, antiqui tamen *Sidicinas*, & *Picenas* prætulerunt cunctis. Qui magis editi sunt montes, habent castaneta, ubi rei pecuariæ periti, suilli pecoris greges hyeme ante glandium pastionem saginare instituunt,

ad succidias longe iis meliores, quas solæ glandariæ mittunt sylvæ. Sunt nunc *Suessanorum* a *Vestinis* quondam, & *Ausonibus* possessi fundi, quos limus montanis è locis in imbribus defluens feraciores reddit ea ratione, qua pro inundantis *Nili* incremento frugibus cumulatur *Ægyptus*. *Theanum* quoque cognomine *Sidicinum* (habent & *Apuli* suum *Theanum*) *Ausonum* est gentis, cujus ager eximiæ est fertilitatis, longe, lateque patens, veruntamen qui prius unam locupletabat civitatem, hodie & *Theanensibus*, & multis circumpositis castellis rerum suppeditat copiam. Antiquis *Theanensium* eversis monimentis structilis superat canalis, cujus jugi rivo oppidi plateæ tum portæ salientibus ornantur, & lacubus. Eadem aqua ad irrigandos olitorum hortos derivatur, singulari donatos a natura munere, apio capitato, quod fovendo stomacho, halituque oris commendando cunctis antecellit oleribus. Hinc ad quartum lapidem recesserunt *Caleni*, sed de via, quæ *Cales* ducit, divertendum est, ne *Casinates*, & *Venafrani* seorsum positi prætermittantur. *Casinum* ad *Latina* appositum viam *M. Varro Samnites* tenuisse prodidit, quod ad possessionem vi partam, non ad progeniem referemus: quum verisimile sit *Casinates*, aut *Ausonum*, aut *Latinorum* (sunt enim inter utrosque medii) prolem esse. Est ager *Casinas* olei feracior: quam frumenti; magnumque vectigal ex eo capiunt comportantes in *Latium*, oppidaque *Samnitica*. Labitur per hunc agrum flumen *Vinium* ad cujus ripam *M. Varronis* fuit *Musæum*, cujus rarissimæ villæ elegans, artificiosaque forma, in ejusdem authoris contemplanda scriptis, legentis animum non parum oblectat. Quod vero tradit *Strabo* novissimum hoc esse *Latii* oppidum, occupantium vim armorum intelligimus, non publicam, juridicamque possessionem, alioqui *Latinorum* fines confunderentur, atque *Campaniæ*. Ad *Casinatium* arva adjunguntur *Venafrana*, quæ in *Campaniæ* angulo ad *Samnites* se proferunt, a quibus interfluente *Vulturno* separantur. E montis clivo, *Venafrani* suas prius despiciebant spatiosas possessiones, ad quas postea commodioris culturæ gratia descenderunt, largo insuper invitante fonte, jam collapso vetere ductu, qui a *Vulturni* capite ibat. Hæc æquora ad sexaginta amplius stadia explicantur, aratoribus bona, bona pastoribus, quæ montibus in theatri propemodum figuram inflexis cinguntur. Montium imæ partes, appositique tumuli, olivis conveltiuntur, glareosa terra gaudentibus, & meridiano sole, quarum oleo ob purum succum, palmam, ut ait *Plinius*, unguenta dederunt. Sed jam, unde deflexit, regrediatur oratio. *Cales Ausonum* oppidum, *Latinæ* adjacet viæ, cujus nobilitatis indicio sunt marmoreæ ibi reliquiæ. *Caleni* antiquitus in aurea *Italicarum* urbium libertate, habebantur in populorum nobilium numero, de quo dignitatis gradu *Romanorum* armis dejecti sunt, actusque de iis in urbe triumphus ingenti comportata præda. *Stellatis* ager *Calenum* attingit, atque *Falernum*, qui est a saltu *Vestino* ad *Vulturnum*. Celeberrimus hic tractus duo præcipua vitæ bona possidet, in collibus vina, frumenta in campestribus, ut non minus vere, quam lepide sit dictum: In *Campania Liberi*, & *Cereris* esse certamen. Per *Falernas* segetes cursum *Appia* inflectebat via, quæ sexto, & decimo stadio a *Campano* ponte *Latinam* viam excipiens, pergebat *Brundisium*. Hæc est *Ausonia* occiduæ *Campaniæ* regio, cujus ex adverso trans *Vulturnum* sunt *Osci*, duas in partes divisa *Campania*, *Cisvulturnanam*, & *Transvulturnanam*. *Oscorum*, quæ vetustissima est *Italiæ* gens, caput erat *Capua*, cujus nomen ad *Trojanorum* ducem *Capym* quidam revocant:

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

A Non urbis conditor *Capys* (legimus enim & *Oscam*, & *Vulturnum* prius vocatam) sed amplificator fuit. *M. Varro* ad campestrem retulit sedem, *Strabo* ad rem ipsam, quod caput esset *Campaniæ*. Is quinto geographiæ libro sic ait: *Quum autem urbes duodecim in Campania forent, Capuam perinde, ac illarum caput nominarunt.* Huic concors *M. Tullius* quum in *Rullum* oraret causam, hæc de hujus excellentia urbis verba fecit: *Romam in montibus positam, & convallibus, cœnaculis sublatam, atque suspensam, non optimis viis, angustis semitis præ sua Capua planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt, atque*
B *contemnent. Agros vero Vaticanum, & Pupiniam cum suis optimis atque uberibus campis conferendos scilicet putabunt. Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum, ac per jocum contendent, Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum Hercle, Lanuvium, Aritiam, Tusculum cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompejis, Nuceria comparabunt.* Hæc ille. Ad id fastigium per fructuum magnitudinem, rerumque omnium affluentiam ascenderat. *Campanus* quippe ager opimus, orbisque terræ pulcherrimus ab omnibus celebratus est, de quo poëta, quum felicis terræ signa indicasset:

Talem dives arat Capua.

C Opulenta erat, quum ille georgica canebat, nihil tamen ad illam *Capuam*, quæ ad immortalem sui memoriam publicorum operum erexit spectacula. Extant ex iis duæ amphitheatri moles, opere *Dorico* tam vasta, eaque architectura, ut nemo sit, qui primo ejus aspectu non obstupescat, nam quamvis immanium barbarorum ferro, incendiisque lacera, & corrupta, triumphantis tamen urbis repræsentat imaginem. Non longo hinc intervallo non tam effuso sumptu, sed absoluta itidem arte visitur tribus porticibus amplissima crypto porticus, quæ tam longo ævo contra vim temporis resistit. Adscripsissem integra, ni rimis fatiscerent parietes, nive
D testitudines stillicidiis essent obnoxiæ, dignum profecto opus, quod sartum tectum locetur. Animi causa huc *Campani* patricii ad ante meridianam inambulationem conveniebant, pomeridianasque sessiones, ubi otiosas diei horas quavis cœli exclusa injuria transigebant. Circa hæc loca aratro passim eruuntur prisci æris, argenti, auri pulcherrima numismata, tum doctissimorum manu artificum sculptæ gemmæ, Parioque è marmore elegantissima signa præstantissimæ civitatis deliciæ. *Oscorum* quoque gentis sunt confines *Calatini*, atque *Acerrani*. *Trebula* quoque *Osca* fuit, *Suessula*, *Atella*, & cla-
E rum historiis *Casilinum*, de quo primum agemus. Id secundo bello *Punico Italicæ* virtutis fuit specimen, ubi exigua militum manus post *Cannensem* cladem, non territa calamitosa *Romanorum* fortuna, insolentioribus *Pœnorum* copiis, tanta animorum constantia obstitit, ut in summa cibariorum inopia, lora, detractasque scutis pelles, fervida mollitas aqua, mandere cogerentur, multis inedia enectis. *Vulturnus Falernum* agrum a *Campano* disjungens *Casilinum* intermeabat, quod ad sulcos redactum est. Post *Tifata* montes, qui non procul aberant a veteri *Capua*, quique *Samnium* versus *Campanis* fines
F statuunt, & *Calatinis*, montana est *Calatia*: supra quam, seorsum tamen, ingens quadrato saxo surgit opus, quod rupis faciem oculis offert, ferruminato nexu lapidibus apte inter se cohærentibus. Hæc fuisse antiqui oppidi mœnia sunt qui dicant, quos ego non sequor, opinorque cives per ea tempora habitasse, ubi adhuc habitant. Argumento mihi est, perennis aqua influens subterraneo rivo in cisternam veterem, quæ in oppidi est umbilico, ipsaque aqua per æstivos menses ob innoxium frigus civibus gratissima est. Addo etiam testimonium superpositæ ibi marmoreæ tabellæ, in qua hoc incisum est epigramma.

M GAVIVSTF
QVISELLIVSQF
GALLVS
DVOVIR QVINQ
CREPIDINES CIRC
FORVMSPF.

Si ergo heic erat forum, continuo & oppidum, nunquam foro mœnibus excluso. Habent hi colles oleta distincta oleastris, quorum baccæ non carne, sed liquoris dulcedine commendantur. Citra *Tifata* apertis in campis stetit *Trebula*, pari inter *Capuam*, & *Suessulam* intervallo, quæ jam æquata solo. Ejus desertam sedem quum perscrutarer, inveni ab humo modice extantia theatri vestigia. Duce opus fuit ad locum inquirendum, quem Livius *tertio*, *& vicesimo historiarum libro* nobis ostendit: *M. Marcellus* (inquit) *a Canusio Calatiam petit, atque inde Vulturno amne trajecto per agrum Satriculanum, Trebulanumque super Suessulam per montes Nolam pervenit.* In *Livianis* autem codicibus, quos mihi videre contigit, *Trebianum* pro *Trebulanum* scriptum legi, quod mendum correximus eadem ex historia: nam idem author alibi juxta *Capuam Trebulam* nominat, non *Trebiam* Hoc etiam confirmant geographicæ *Ptolemæi* tabellæ, quæ arihtmeticis notis, mensuræque ratione propius *Capuam* monstrant *Trebulam*. Fundi, ubi ea stetit, ut loco, ita messium fœcunditate sunt *Campano* agro proximi. *Atella*, quæ in vicos abiit, non venit in dubium, ubi ceciderit: nam oppidi situs eminet, quem depressa ambit fossa, vivitque ibi ejus nomen. *Romani* propositis præmiis, arte pollentes scenica hinc accersebant, eorum facetis delectati fabulis, ut tamen solutiores jocos *Latii* severitate temperarent. Tanti autem *Atellanos* fecere mimos, ut *Ennium* ferant gratiam a *Romanis* inire cupientem *Oscam* didicisse Linguam gloriarique solitum se tria habere corda, quod *Latine*, *Græceque* sciret, simul & *Osce*. Adhuc his in locis histrionia viget, quasi per manus tradita, quæ in sacris fere usurpatur exodiis. *Atellana* quoque prædia rerum affluunt copia, quippe vicina *Campanis*. *Acerræ*, palustris gravitate cœli, jam a priscis sæculis sunt infrequentes, infestante *Clanio* flumine, qui,

Vacuis non æquus Acerris.

Agri bonitas invitos retinet cives. Est enim tum frumentarius, tum pascuus, gramina majori pecori *Ægyptiis* maxime bobus abunde suppeditans. Hæ boves secundo ab hinc tertiove sæculo novæ incolæ fuerunt *Italiæ*, hodie nostrates habentur, quibus nos a patria excogitavimus nomen. In *Ægypto* siquidem hæ pecudes rem pecuariam plurimum augent, herbido semper solo ad multivaga *Nili* flumina, in quæ impatientes æstus subinde se mergunt capite duntaxat extantes. Quis vero non miretur hoc tam grande animal è cicurum genere, tamque fructuosum (quavis enim anni parte ad mulctram hæ boves veniunt) antiquis scriptoribus & nostris, & *Græcis* fuisse ignotum, iis potissimum qui in profundo pisciculorum naturam curiosius conquisiverunt? Quod vero dicunt aliqui hoc *Plinio* esse bubalum, quam recte hi sentiant, facile apparebit, si utriusque animantis descriptio animadvertatur. Finitimæ *Suessulæ* pascua eadem armenta invitant simili ratione, gramine semper vestitis campis. Oppidum ipsum

A interiit relictum a civibus, qui eadem cœli intemperie circumfusis *Clanii* aquis, obsidente palude, patriis coacti sunt excedere laribus. Portentoso hæ aquæ sunt auctu, quæ æstivo in calore præter cæterarum morem redundantes, decrescunt per hyemem. Fuit *Suessulanorum* ea vallis, quæ ad *Caudinas* protenditur furcas, Persicis arboribus tota consita, tum cerasis, quarum poma adeo proba sunt, ut *Persæ* & *Cerasuntii* a nobis potius petiisse, quam ad nos misisse videantur. *Suessulanum* agrum excipiunt *Nolanorum* populeta, multiplicis generis amicta vitibus, quæ vina fundunt tum hybernis poculis lenia, tum æstivis excitando stomacho subaustera. B At hi cives non eum fructum è frumentis capiunt, quem è generoso palmite ad æstiva semina magis idoneo loco, quam ad hyberna: quocirca arbustis potius, quam arvo student. A *Vesuvii* conflagratione, de sparso cinere, pumiceisque lapillis id accidisse existimandum est: alioqui ager hic cum *Capuæ* latifundiis non conferretur, neque audire meruisset,

Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo
Ora jugo.

Nemo loci gnarus non videt, hoc carmen spectare ad universum tractum circa *Vesuvium*. Nota erant loca hæc poëtæ, qui *Campaniam* diu incoluerat, incolebatque, quum georgica mandaret literis. De *Nolanorum* vero origine varia est opinio, quos alii *Tyriorum* sobolem; alii *Chalcidensium* prodiderunt. *Ptolemæus* id oppidum nobis ereptum in *Picentinos* retulit, idque non modo præter jus, verum etiam præter definitos a se *Campaniæ* terminos. Quasi vero Geographis positos a se regionum limites & contrahere liceat, & proferre, regum exemplo, qui ad suum arbitrium leges figunt, atque refigunt. *Nolanis* contermini sunt *Abellani* non obscuri quondam nominis, quippe conscripti in catalogo populorum, qui cum *Turno* adversus *Latinum*, & *Æneam* conspiraverant,

D *Et quos maliferæ despectant mœnia Bellæ.*


Quo in nomine, ad vitandum ex vocalium concursu hiatum poëta primam detraxit literam, & pro *Abellæ*, dictum est *Bellæ*. Quod si nominis inspiciatur vis, *Bella* non *Abella* dicetur, id est, bona. Ager enim *Abellanus* multis est accumulatus bonis, oleo in primis, cujus maxima laus est, quod ei vetustas tædium non affert, tum vino, pomisque omne genus suavissimis, frumento non item, ut tamen minutas fruges ferre non recuset. Habet glandiferas sylvas, copiosus est castanearum arborum, quæ suas nuces ad transmarinas mittunt provincias, E quæstuosa permutatione palmularum, & piperis. Addantur ad venationem, corporisque exercitationem, caprearum, & aprorum repleti saltus, tum gelidi passim, salubresque fontes, & quod his omnibus majus est, viget in hac temperie longæva senecta. Hæc est orientalis Campania *Sarno* terminata flumine, cujus aquæ nos a *Picentinis* dirimunt, tam pigro labentes motu, ut utro fluant, nescias.

TIBI DEUS ÆTERNE ATQUE OMNIPOTENS IMMORTALES AGO GRATIAS, CUJUS NUMINE, ET OPE CAMPANIAM SCRIPSI.

FINIS.

INDEX
NOTABILIUM RERUM.

A.



B.

C.

D.

F.

G.

H.

I.

L.

FINIS.





CAMILLI PEREGRINII,
Alexandri Filii, Campani,

HISTORIA PRINCIPUM LANGOBARDORUM;

QUÆ PARTIM

Aliquot Opuſcula antiqua de rebus LANGOBARDORUM BENEVENTANÆ olim Provinciæ, quæ modò Regnum ferè eſt NEAPOLITANUM, continet:

PARTIM

Generis ejuſdem alia nunc primum adjuncta; una cum Notis, Caſtigationibus & Variis Lectionibus

CAMILLI PEREGRINII,

Et


ANTONII CARACCIOLI.

Editio Noviſſima, priori multo auctior & emendatior.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa;
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.



ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DOMINO COMITI

DE BOTHMER

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

MAGNÆ BRITANNIÆ

CONSILIARIO INTIMO

VIRTUTIS SAPIENTIÆ ET MERITORUM GLORIA INCLYTO

HANC

SUB INCUDEM DE NOVO REVOCATAM

CAMILLI PEREGRINII

PRINCIPUM LANGOBARDORUM

HISTORIAM

QUÆ PARTIM

ALIQUOT OPUSCULA ANTIQUA

DE REBUS LANGOBARDORUM

BENEVENTANÆ OLIM PROVINCIÆ

QUÆ MODO

REGNUM FERE EST NEAPOLITANUM

PARTIM

GENERIS EJUSDEM ALIA NUNC PRIMUM ADJUNCTA

UNA

CUM NOTIS CASTIGATIONIBUS ET VARIIS LECTIONIBUS

EJUSDEM

CAMILLI PEREGRINII

ET


ANTONII CARACCIOLI

CONTINET

IN SPECIMEN ADMIRATIONIS ET OBSERVANTIÆ DEBITÆ

SACRAM FACIT ET INSCRIBIT

PETRUS VANDER AA.



*

PRÆFATIO
EDITIONIS NOVISSIMÆ.
LECTORI SALUTEM.

Edimus in præſenti HISTORIAM PRINCIPUM LONGOBARDORUM, quam Cl. CAMILLUS PEREGRINIUS olim *Neapoli* Anno Sal. MDXCLIII. ex Typographia *Franciſci Savii* inceperat, verum hodie adeo raram, adeo confuſam, ut nec facile poſſet acquiri, nec acquiſita ſatisfacere; quod ubi quondam ſentiret animadverteretque Editor primus, aggreſſus fuit, Editione ad umbilicum vix ducta, animo meditari ſecundam: etſi ut ante obitum ſola relicta eſt, ſic votum implere nequivit altera. Quamobrem lacunam ut expleremus indicatam, Rerumque *Longobardicarum* curioſo accuratius enodaremus omnia, repetere non ſolùm ſcripta collecta atque edita inſtituimus, verùm etiam alia de integro ſubjungere; documento erunt: *Deſcriptio Montis Caſſini* è Chronico ſacri Monaſterii *Caſſinens. Pariſiis* 1668. edita.

FLAVII ALEXII UGONII Nobiliſſimi civis *Brixiani de Dignitate atque Præſtantia Reipublicæ Caſſinenſis* Opuſculum. *Venet.* 1559.

PETRI DIACONI Monachi ac Biblioth. S. Caſſinenſis Archiſterii *de Viris illuſtribus Caſſinenſibus* Opuſculum; unà cum *Supplemento Virorum illuſtrium Monaſterii Caſſinenſis* per *PLACIDUM ROMANUM*, Monachum & Diaconum *Caſſinenſem*. In 8vo *Romæ*, ex Typographia Rev. Cam. Apoſt. MDCLV.

Ut plenius docebit Elenchus. Nec hîc ſubſtitimus; qui Notas Caſtigationeſque Scriptoris in varios Auctores non modò ſeparatas diſperſaſque non reliquimus,

ſed etiam Auctoribus ipſis ab Cl. ANTONIO CARACCIOLO (cujus Elogium hic infra) *Neapoli ann.* 1626. editis, jamque correctis & repetitis, ut par erat, ſubjunximus, easdemque, variis Lectionibus Notisque ejusdem ipſius adjectis, quasque ſuis applicuimus locis. Præſtò nobis ſunt: LUPI PROTOSPATÆ *Rerum in Regno Neapolitano geſtarum ab anno Sal.* 860. *uſque ad* 1102. *Breve Chronicon*; cui Variæ Lectiones & Notæ *Antonii Caraccioli*, ut & *Camilli Peregrinii* Notæ & Caſtigationes adjectæ fuerunt.

Appendix incerti Auctoris RUBEI Cod. papyr. cui Notæ & Caſtigationes *Camilli Peregrinii* acceſſerunt.

Anonymi Monachi Caſſinenſis *Rerum in Regno Neapolitano geſtarum*, *Breve Chronicon ab anno Chriſti* M. *uſque ad* MCCXII. cui Variæ Lectiones & Notæ *Antonii Caraccioli* ut & Notæ & Caſtigationes *Camilli Peregrinii* fuere ſubjunctæ.

Continuatio Brevis Chronici Anonymi Monachi *Caſſinenſis*, cui Notæ & Caſtigationes *Camilli Peregrinii* additæ ſunt.

Præterea *Appendiculæ* e *Codd. Bibliothec.* Caſſinenſ. habentur excerptæ.

Item *Excerpta ex Indicibus Emortualibus Cœnobii* Caſſinenſis, quibus Variæ Lectiones & Notæ *Antonii Caraccioli*, Notæque & Caſtigationes *Camilli Peregrinii* ſubditæ ſunt.

Anonymi, ſed antiqui & fide digni Scriptoris *Narratio celeberrimæ Conſecrationis & Dedicationis Eccleſiæ Caſſinenſis* ab Alexandro II. *P. M.* factæ.

Nec non FALCONIS BENEVENTANI *Chronicon*, quod Notas & Caſtigationes *Camilli Peregrinii* accepit.

Et tandem ignoti Civis Barenſis ſive Lupi Protoſpatæ

tæ *Chronicon ab Anonymo Auctore* Barensi *quà auctum, quà decurtatum*, e *Camillo Peregrinio*, cujus Notæ & Castigationes applicatæ fuerunt.

Adhæc, ubi e re erat, plenum invenies libri marginem, & nomenclatorem, Propylæa, vocabulaque ab *Antonio Caracciolo* Barbara præmissa: quin immo Judicia de *Erchemperto*, *Petro Diacono*, *Lupo Protospata* & *Falcone Beneventano* lata a *Vossio* aliisque, produximus, Tabulamque Geographicam Veteris Ducatus *Beneventani* a CAMILLO PEREGRINIO additam, quæ recens forma paullo decentiori majorique depicta est. Præterea ex Italico *Elogii d'Huomini Letterati di* LORENZO CRASSO accuratam ipsius *Camilli Peregrinii* fieri fecimus effigiem, cujus Elogia a *Capacio*, *Hor. Crasso* & *Nic. Toppio* excerpta hic repetere noluimus, utpote jam edita a nobis in ejus *Campania Felice*.

Promisit quidem in veteri editione Auctor (prout & nos expressimus *pag.* 268. *&* 269.) sese in secunda & tertia parte XIII. alias Dissertationes editurum; verum (ut videtur) morte sive aliis incommodis præventus, promissis nunquam stetisse comperimus. Ediderat jam ante aliquot annos idem auctor tres Tractatus, quos inscripserat his titulis. *Origo vetustæ Familiæ di Colimenta: De Antiquo usu vocis Portæ*: ut & *Antiquus Capuæ Situs*.

Posteriorem ex hisce verbotenus *Campaniæ* suæ *Felici* ipse Auctor cum secundis suis curis inseruit, priores nunc primum *Latinè* damus ex *Itala* Editione *Campaniæ Felicis*, cui adjuncti erant. Ubivis autem, erratis sphalmatisque sublatis, nomina Gentilia & Propria diverso, quem *Italicum* vocat vulgus characterem, expressimus, Indicibusque necessariis & Elencho opusculorum, quæ in

hoc Opere continentur, additis, ea, quæ incommode essent locata, in meliorem redegimus ordinem. Quæ si tuum Lector Benevole, merentur favorem, opusque candido notabis calculo, non dubitabimus in posterum ejusmodi plura præstare officia. Vale; & hisce nobiscum utere.

ELOGIUM ANTONII CARACCIOLI

E Nicolai Toppii Bibliotheca Neapolitana. pag. 25.



NTONIO CARACCIOLO Cavaliere Napolitano, Chierico Regolare, Teologo, & eruditissimo nelle cose antiche, nato nella Villa di Santa Maria, *in* Abruzzo, *luogo posseduto da questa nobilissima Famiglia, fin dall' anno* 1382. *dato alla luce:*

Biga Illustrium Controversiarum. 1. De S. Jacobi Apostoli accessu ad Hispaniam. 2. De funere S. Martini a S. Ambrosio procurato S. Basilius Magnus Orat. de Jejunio. Neap. 1618. apud Tarquinium Longum in 8.

Notæ in Constitutiones Cleric. Regular. Apologia pro Psalmonia in Choro. Collectanea vitæ Pauli IV. & B. Cajetani, & sociorum ordinis. Vita S. Antonini: Chronologi quatuor, nempè Herempertus Longobardus, Lupus Protospata. Anonymus Cassinensis, & Falco Beneventanus. De sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis, liber singularis, opus posthumum, Francisci Bolviti Neapol. Cler. Regul. studio editum, Neap. ex Typ. Octavii Beltrani 1645. in fol.

Alia multa, videnda apud Silos Par. III. in Syll. fol. 140. *Laudatur ab Hippolito Maraccio* in Biblioth. Mariana fol. 115. *à Jo. Baptista Lauro* in Theatri Romani Orchestra fol. 54. *& ab aliis communiter.*

TESTIMONIA
DOCTORUM VIRORUM
QUORUNDAM SCRIPTORUM HUJUS OPERIS.

Gerardi Joannis Vossii de Historicis Latinis Lib. III. *Cap.* IV.



Udovici II. Imp. ætate claruit *Herembertus*, seu *Herempertus*, vel *Erempertus.* Scripsit *Longobardicam Historiam Principum Beneventanorum*: cujus M. S. codicem se habere, alterumque etiam in *Columnensi* Bibliotheca extare, ait *Baronius* ad annum IↃ CCCLXXI. Qui & alibi ejus meminit, ac interdum *Rembertum*, vel *Rempertum*, vocat: Uti ad annum IↃ CCCLXIII. Atque idem ad annum IↃ CCCLXXIV. ex eo se depromere ait, quæ ad annales Ecclesiasticos pertinerent. *Wolfgangus Lazius* etiam meminit Heimberti operis *de Rebus a Carolo Magno gestis*, atque illud reponit inter ea, unde profecit in commentariis suis *de Rep. Romana.* Lazium hac parte sequitur Simlerus in Bibliotheca, & Popelinierus *Historiæ Historicorum lib.* VIII. Videndum, idem ne an

an alius sit Rembertus seu Rimbertus ille, qui vitam S. Ansgarii tradidit; ut diximus lib. II. cap. XXXVII.

Ibid. Lib. III. *Cap.* II.

Erchempertus, Monachus & Diaconus montis Cassini, *Historiam* reliquit *de eversione monasterii* sui a Saracenis, & *de instauratione* ejusdem. Auctor Possevinus. Sed ætatem præterit. Fortasse idem est ac Erempertus, sive Herembertus, Historiæ Longobardicæ conditor: quod si est, vixerit anno IↃ CCCLXXI. ut superius diximus. Sed in re parùm explorata nihil certi spondemus.

Ibid. Lib. II. *Cap.* 49.

Petrus Diaconus, Ægidii Filius, Romanus, Monachus Casinensis (cui ordini quinquennis fuit consecratus, anno CIↃ CXV.) multa prodidit, quæ Historiam Ecclesiæ illustrent. Ut sunt ista; De ortu, & vita Justorum Monasterii Casinensis: De viris illustribus monasterii Casinensis: Miracula Casinensium Monachorum: De locis Sanctis: Supplementum Historiæ Anastasii Monachi, & Bibliothecarii, de raptu corporis S. S. Benedicti, & Scholasticæ: Passio S. Placidi Abbatis, & sociorum: Passio S. Marci, & sociorum, ad Oderisium Abbatem: Miracula S. S. martyrum, Marci, Nicandri, & Martiniani; Inventio S. Marci Martyris: Vita S. Dariæ, uxoris S. Nicandri Martyris: Vita S. Juliani confessoris: Vita S. Apollinaris Abbatis ad Rainaldum Abbatem: Vita S. S. Guinizonis, & Januarii, Monachorum, ad Richardum Monachum: Vita S. Constantii Episcopi, & confessoris ad Guarinum, Aquini Episcopum: Vita S. Severi, Episcopi Casinensis ad Seniorem Abbatem: Vita S. Leonis Papæ: Vita S. Mauri Abbatis, ad Rainaldum, subdiaconum Casinensem: Historia de eversione, & restauratione cœnobii S. Mauri: Translatio S. Stephani Protomart. Constantinopoli ad Urbem Romam: Destructio, & restauratio Atinæ Urbis: De Consulibus, Dictatoribus, & Imperatoribus Romanorum: Historia Trojanæ gentis ab exordio ad sua tempora: De prodigiis, & portentis, ad Ptolomæum, Consulem Romanum: Abbreviatio Solini de mirabilibus mundi. Atque hæc omnia, & multo plura ejusdem MSa adservantur in Bibliotheca Casini: Ut auctor est Possevinus in Apparatu Sacro. Alius autem ab hoc Petro Casinensi Diacono, est Petrus ille, itidem Casinensis Diaconus, qui vitam S. Athanasii Neapolitani descripsit: ut libro proximo dicemus.

Hofmanni Lexicon. Pag. 925. B.

PROTOSPATHARIUS, apud Leonem Ostiensem, Lib. I. cap. 51. de Symbaticio, *Imperialis* Protospatharius & *Stratigo Macedoniæ*, &c. est *primus* & Princeps *Spathariorum*, h. e. σωματοφυλάκων seu Imperatorii corporis custodum. *Protospatha*, in *vetere Epitapiho* in Basilica S. Basilii, *Brundusii*,

— ILLUSTRIS, PIUS ACTIBUS ATQUE REFULGENS,
PROTOSPATHA LUPUS URBEM HANC CONTRAXIT AB IMO.

Apud Car. du Fresne, *in Glossar.* Vide quoque *Glossarium* Joann. Meursii, & Cl. Suicerum, *Thesaur. Eccles.* ubi inter *Magnificos* censitos addit

Toppi Biblioteca Napoletana, in additione. pag. 74.

FALCONE BENEVENTANO si aggiunga, e si registri a carte 80. dopo Falamiscia de' Monti. Fu egli di Benevento, e fu Notajo, e Scrivano del Sacro Beneventano Palazzo, e finalmente in detta città sua Patria fu Giudice. Scrisse egli rozzamente, e quasi barbaramente la Cronica, la quale primieramente fu pubblicata in Napoli dal P. Antonio Caracciolo nell' anno 1626. sì come apparisce da quello, che scrive Gio: Battista Maro nell' annotazioni sopra Pietro Diacono, il che si riferì in Erchemperto. Detta Cronica si legge mancante, e mozza di principio, e fine; e si suppone che cominciasse

ciasse dal tempo di Pascale Secondo, che succedette ad Urbano Secondo, che fu nell' anno 1099., o appena tra di essi fu differenza di anni due, secondo la conghiettura di Camillo Pellegrino il giovane. Scrive di Falcone nel modo, che siegue l'istesso Pellegrino nelle Castigazioni della Cronica del medesimo Falcone Beneventano, che vanno unite con la serie degli Abati Casinensi, che va in un volume legata della Storia de Longobarbi a carte 145. *Incultus, & semi quamvis barbarus, qui nunc recensendus mihi superest antiquus Chronologus Falco, nostratium nihilominus Historicorum mediæ ætatis ob fidelem, nec prorsus ineptam diligentiam facile Princeps, munere ut ipse de se tradit ad an.* 1133. *&* 1137. *Notarius & Scriba Sacri Beneventani Palatii, tandemque in sua eadem Patria urbe Judex, Chronicon, quod nunc principio, & fine mutilum habetur, exorsus ab anno mihi quandoque est visus* 1077. *&c.* Ma a carte 147. poi mostra di conghietturare, che cominciasse detta Cronica al tempo di Pascale Secondo, come si è detto di sopra. Ecco le sue parole. *Illa autem, nisi mea me iterum destituit conjectura, ea ipsa arbitror, quæ Pontificatus Paschalis* II. *primordia etiam fuere, præsentemque Falconis textum uno, aut altero anno vix antecedunt; electus namque fuit Paschalis Urbani* II. *successor, mense Augusti anno* 1099. *&c.* Di modo che il testo, che s'ha di Falcone è dall' anno 1100., o, 1101.

Stimò il Baronio, secondo riferisce il Pellegrino a carte 148., che Falcone fosse stato Chierico, il che viene improvato dal Pellegrino a carte 149. in quelle parole. *Ipse autem Falco cur reputatus à Baronio fuerit clericali militiæ mancipatus, non equidem assequor; quem constat, ex laicali munere Notarii, & Scribæ sacri Beneventani Palatii, ut initio dixi, in Judicem Beneventanum adscitum: namque desitis Principibus, Curia Beneventana adhuc dici perseveravit Sacrum Palatium, ut ante annos tercentum Princeps Arichis instituerat*, &c.

Siegue poi il Pellegrino a dimostrare, che sorte di Giudicato fosse stato quello, che occupò Falcone, e fa conoscere, ch' ei fosse stato tra'l numero de' Decurioni, i quali Giudici ancora anticamente si appellavano; e con questa occasione dichiara perchè una piazza di Capova sua patria si chiama *li Judici*, cioè perchè in detta piazza è una casa pubblica della Città, in cui suol congregarsi il Governo. Ecco le parole del Pellegrino à dette carte 149. *Cùm autem ille se Civitatis Judicem in anno* 1133. *ex consilio Rectoris, & Cardinalis Girardi, Rolpotonis Comestabuli, aliorumque sapientum civium factum, electumque prodit, perque Apostolicum Innocentii* II. *Privilegium deinde confirmatum dicit, haud Prætorem definiendis litibus constitutum: sed in Decurionum, sive dicas Senatorum album credas relatum, qui per ea tempora plerisque in locis Judices appellabantur, unde etiamnum nobile Capuæ Forum servat antiquum ab ejusmodi judicibus acceptum nomen.*

Tanto basti aver detto di Falcone Beneventano; e chi avesse curiosità di saper altre cose intorno a questo Scrittore, potrà leggere il Pellegrino nelle citate Castigazioni nella Cronica di esso Falcone.

ELENCHUS OPUSCULORUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

ELENCHUS OPUSCULORUM,

QUÆ

IN PARTE PRIMA

LIBRI SECUNDI

HABENTUR.

NOMENCLATOR PROPRIORUM NOMINUM,

Quæ in his CHRONICIS memorantur.



Balautius Patritius, *pag.* 422. Patritiatus, antiquissima, & præstantissima in *Romana* Rep. atque Imperio dignitas, usque ad postremos ferè Augustos (quamquam ea haud tantæ ut olim existimationis) ab Imperatoribus maxime *Orientis* præclaris quibusdam viris collata fuisse legitur. Itaque, ut domestica proferamus exempla, *Guaimarius* Salerni Princeps, apud *Herempertum pag.* 43. B. & *Joannes* Dux *Cajetæ*, atque *Gregorius* Dux *Neapolis* apud *Leonem*; Leone Ost. *lib.* I. *cap.* 51. Patritii renuntiati sunt. Sed liberaliores in suos *Græcos*, Imperatores *Constantinopolis* extiterunt. Quo factum, ut Patritiorum numerus excreverit adeò, ut proinde complures Patritii, in *Italiam* ab *Oriente* missi cum potestate, legantur. In his *Abalautius* Alphabeti serie primus occurrit, anno 1018. in *Apuliam* ablegatus, unà cum *Basilio Catapano.* Horum ego occasione, omnes ejusmodi *Apuliæ*, *Calabriæque* Præfectos, quocunque ii titulo insigniti fuerint, è variis scriptoribus, atque ex his præcipuè, quæ nunc edimus, Chronicis, colligam, & hoc loco studiosorum commodo consulens, repræsentabo breviter.

Ex HEREMPERTO.

Chasanus, sive *Chassanus*, Dux *Græcorum* militum. *pag.* 40. F. 41. A.
Constantinus, Augustorum Aulicus, & Patritius. 46. F.
Gregorius *Bajulus* Imperialis. 34. C. 35. C.
Joannitius *Candidatus*. 41. A.

Ex LUPO PROTOSPATA.

Abalautius Patritius. 422.
Argyrus Patritius, & Dux *Italiæ*. 428. Puto *Romanum* intelligi cognomento *Argyrum*, qui & Imperator *Orientis* factus est.
Basilius Catapanus. 422.
Calochyrus Patritius, qui & *Delphina*. 420.
Constantinus Protospatarius, Catapanus *Italiæ*. 424. qui & *Opo* dictus.
Christophorus Catapanus. 424.
Curcua Patritius. 422.
N. Dudiani filius, Catapanus. 424.
Eustachius Despotus. 424. 428.
Gregorius Bajulus Imp. (*de quo supra* ex *Heremperto*) 412.
Gregorius Catapanus, qui & *Tratamorus*. 420.
Joannitius Candidatus (*de quo supra*) 422.
Imogalaptus Strategus. 416.
Joannes Patritius, qui & Ammiropolus. 420.
Leo Patianus Excubitus. 422.
Mabrica Ductor *Græcorum* militum. 430.
Malisianus Strategus. 412. Hic idem fuisse videtur, ac Malachianus, (*de quo supra*).
Maniaces, sive *Manuyci* Patritius. 418. 424. 426.
Mesardonites Catapanus. 422.
Michael Patritius, & Dux, qui & *Sfrondiles*. 424.
Michael Protospatarius, qui & *Dulchianus*. 426. A.
N. Myriarcha. 430.
Nicephorus Catapanus. 424.
Nicus Despotus. 422.
Orestes Chetonites. 424.
Pardus Patritius. 428.
Passarus Protospatarius. 418. C.
Porphyrius Protospatarius. 418.
Potho Catapanus. 424.
Romulantes Protospatarius. 424. Hic an. 1035. Episcopus *Barensis* factus est.
Sabbatichi Strategus. 412.
Sergius Protospatarius. 420.
Sico Protospatarius. 428.
Theodorus Conus, Magister, & Catapanus. 428.
Theodorus Exubitus, *lege* Excubitus. 420.
Trapezi, Strategus. 412.
Trachamotus, de quo supra. 420.
Trombi Patritius. 428.
Turnichius Catapanus. 422.
Ursileo Strategus. 412.
Xyphea Catapanus. 420.

Ex FALCONE BENEVENTANO.

Sergius *Græci* Imp. Dux, qui *Neapolim* an. 1032. ut ex *Cassin. Chron.* tradit *Gordonus*, occupavit, arbitror, progenitor fuit *junioris Sergii* Nea-

Alexander de Claromonte. 474.

Alo *Barii* Princeps. 412. creatus est an. 884. Obiit 890. succedente sibi *Urso* fratre, ut tradit *Protospata*. Antequam *Nortmanni* Apulia potirentur, *Barium* primaria *Apuliæ* Civitas Principibus regebatur, qui modò *Beneventi* Dynastis, modò *Græcorum* Augustis tributarii erant. Immo etiam post *Nortmannos* Duces, *Jaquintus* Barii Princeps apud *Falc.* legitur.

Aloara, sive *Arvara*, Principissa *Capuæ*. De ea L. Ostiens. *lib.* II. *cap.* 9. & 10. Anonymus auctor *vitæ S. Nili junioris*, & Baronius *ad ann.* 991. quo *Aloaram* obiisse *L. Ostiensis* memorat. Ambitiosa fuit mulier, & ampliandæ ditionis adeò cupida, ut affinem Comitem filiis occidendum obtulerit, *dominii zelo*, ut ait Auctor jam dictæ *vitæ S. Nili*, nuper a Reverendissimo, & doctissimo *Cariophylo* Archiepiscopo e *Græco* in *Latinum* translatæ.

Alphanus Beneventanus, vir illustris. 24. D. à *Sicardo* B. Pr. suspendio necatur, de quo fusius *Heremperti Historia*.

——— Archiepiscopus *Capuanus*. Cassinum ascendit post captam *S. Germani* Civitatem ab *Andriæ* Comite an. 1158. Vivebat an. 1176. quo occurrit *Joannæ* Henrici II. *Angliæ Regis* filiæ *Gulielmo* Siciliæ Regi desponsatæ. Romuald. *in Chron.*

——— Archiepiscopus *Salernitanus* obiit ann. 1121. succedente sibi *Romualdo* Chronici scriptore. *Falco* 556. Fuit Auctor *Poematum*, quæ servat *Bibliotheca Vaticana*, ut testatur Baronius *Tom.* 12. *ad an.* 4. Diversus est ab *Alphano* illo seniori, qui consecratus est Archiepiscus anno 1058. de quo L. Ostiens. *lib.* II. *cap.* 99. 100.

Alzopardus Consul *Pisanus*. 606. cum mille *Pisanis* militibus fert suppetias *Roberto* Capuæ Principi ann. 1134.

Amalphia, Civitas *Picentinorum*. in Antiq. Chronol. Quatuor *A. Caraccioli*. 88. à *Langobardis*, Sicardo Principe capitur, & diripitur, ablato etiam *S. Tryphomenes* corpore. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccoli*. 89.

Amantheum *Calabriæ* Civitas à *Græcis* capitur an. 884. Heremp. *pag.* 38. E. olim, *Strabone* teste, dicta est *Nepetia*, à qua, mare *Nepetinum* tractus ille appellatus est.

Ambrosius Episcopus *Tarracinensis* interfuit Ecclesiæ *Cassin.* consecrationi ab *Alexandro II.* celebratæ. 508.

Amira an. 1020. obiit. 422. *Conjicio* ex vocabulo, hunc fuisse Ducem sive Regulum *Saracenorum*: nam ii Ammiratos vocant suos Duces. Vid. *p.* 506.

Ammiratus magnus, sive major. 484. 506. *Sarraceni* quatuor magnos Ammiratos sibi præfecisse leguntur apud Fazellum *de reb. Sicul. Dec.* II. *lib.* VI. *pag.* 374. Recenset aliquot Ammiratos L. Ost. *lib.* III. *cap.* 44.

Ammiropolus, qui est *Joannes* Patritius anno 989. in *Apuliam* missus, primarios aliquot viros occidit. 420.

Anacletus Antipapa. 468. 576. & deinceps. De eo Pet. Cluniac. *lib.* III. *ep.* 64. S. Bernardus *ep.* 127. 242. *& sæpè aliàs.*

Andreas Episcopus *Oretanus* occiditur, à *Porphyrio Protospata* an. 979. mense Augusto. 418.

Angelarius Abb. *Cassinen.* 41. D. 43. D. reparator Monasterii *Cassinensis* à *Sarracenis* diruti an. 884. *ibid.*

Anglenum Opp. 41. E. Videtur fuisse inter *Theanum*, & *Capuam*: Ortelio, Ferrario, aliisque Topographi ignotum.

Anphusus, sive *Alphusus*, filius *Rogerii* Silivi Regis, Princeps Capuæ. 504. 636. De eo Fazellus: *De rebus Sic. Dec.* II. *lib.* III. *cap.* 3. & Abbas Celes. *lib.* III.

Apice opp. 628. L. Ostiens. *lib.* I. *cap.* 17. significat situm prope fluv. *Arbim*.

Apuliæ Ducatus regiones quasdam etiam extra *Apuliam* olim complectebatur: nempe *Lucanos Salentinos*, & quosdam quoque *Samnii*, & *Campaniæ* tractus. Ideo nonnulla Martyrologia *Ortonam Frentanorum*, in *Apulia* ponunt, quæ tamen *Samnio* est proculdubio deputanda: & Berchorius denique *in suo Reductorio Morali*: In *Apulia*, inquit, circa *Neapolim*.

Archirizes, vir illustris. 432. Vid. Ostiens. *lib.* III. *cap.* 16.

Arduinus Lombardus. 426. Hic ille *Arduinus*, quem Fazellus *Dec.* II. *lib.* VI. *fol.* 386. memorat: deque eodem cum magna laude canit Gulielmus Apul. *lib.* 1. *Rerum in Regno Neapolit. Normannicarum*. Injurias à *Græcis* sibi illatas ultus est. Vide etiam L. Ostiens. *lib.* II. *cap.* 67. Vivebat an. 1041. & quod excurrit.

Arechis *Ben.* Princ. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccioli*. 85. 89. 90. De ejus magnificentia, & Regio fastu fusiùs Herempert. *in Historia*, & L. Ostiens. *lib.* I. *cap.* 9. & 12.

——— Rex. *Vid.* Ratheis.

Argyrus *Barensis* Civis an. 1117. trucidat *Risonem* Barensem Archiepiscopum. 538.

——— *Meli* Principis *Barensis* filius. 428. De eo L. Ostiens. *lib.* II. *cap.* 37. & 67. Hunc Gulielmus Apul. *lib.* I. *de gest. Norman. fol.* 8. vocat *Argiroum*, Normannorum militum Ducem: moxque is *Græcis* favens, ex intimo Consiliario *Constantini Monomachi*, exul in ærumnis miser obiit. *Gul. Apul.* lib. II. *L. Ostiens.* vocat Candidatum *Apuliæ*. Fuit & *Romano* Imperatori *Orientis* cognomen *Argyrus*.

Arianum in *Samnio* Civitas, olim *Ara Jani* dicta, teste *Fl. Blondo*. Vid. 628. & alibi sæpè ejus meminere hæc Chronica.

Arnaldus Archiepiscopus *Acherontinus*. 432. & *Materanus*. 432. 442.

Arranes Dux *Sarracenorum*. 46. E.

Arsenius *Nonantulæ* Abbas, affinis *Aistulpho* Regi. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccioli*. 83.

Ascalon, *Palæstinæ* Civitas, proxima *Gazæ*. 480.

Ascelentinus Cancellarius. 480. Alius est hic ab illo quem L. Ostiens. *Asclittinum* vocat *lib.* II. *cap.* 37. Ille enim longè est antiquior, & cum *Gisilberto* fratre è *Normannia* in has regiones venit.

Asculum Civitas. 432.

Asto filius *Transamundi* Marchisii. 418. 420. Marchiseos multos habet Histor. Eccles. *Orderici Vi-*

ficere potuerit, ut *Lupus* Protospata eo loco narrat. Anne iste est *Eustachius* sive *Eustachius* ille, *Calabriæ* Præses sub *Basilio* Imperatore? Certè tempora congruunt. Vid. Cedreni *Annales*.

Beneventum obsidetur à *Carolo Magno*. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccioli*. De ea Urbe sæpè deinceps.

Beneventana Synodus provincialis. 544. celebrata est sub *Calixto II.* an. Domini 1119. Aliam Provincialem Synodum m. s. sed non adeò antiquam, ostendit mihi aliquando *Pompejus Card. Arrigonius*, Illustriss. Præsul, & cum laude memorandus.

S. Bernardus Abbas *Clarevallensis*. 620. Quanta gesserit eximius iste Sanctus, ut *Rogerium* ab *Anacleto* Antipapa averteret, & *Innocentio II.* legitimo Pontifici conciliaret, narrat Vita ejus.

Bernardus de Fraineta. 596. Subditus hic erat *Rao de Fraineta* potenti & bellicoso per ea tempora Viro, ut paulò post *Falco* significat. Ea stirps postea excidit.

Berrealis, sive *Berelasis*, locus prope *Capuam*. 35. A. Idem, ut puto, ac Virilassium, sive Amphiteatrum Capuanum: nam pag. 35. C. Herempertus ait, *Berelesis*, hoc est, ad Amphiteatrum, vulgus nunc vocat, *Varlasci*. De eo memorabili opere eleganter Sanfelicius *in sua Campania*, ubi & de *Cryptoporticu*.

Bertheraimus, filius *Giberti* Comitis, expulsus de *Apuliæ* Regno unà cum patre in *Palæstinam* abiit, anno Sal. 1168.

Bertholdus Comes V. C. 490. 494. Hunc Pontificiis partibus faventem, arbitror è Germanorum genere extitisse. nam apud Baron. ad an. 1111. lego *Bertholdum Bertholdi* Ducis filium una cum multis aliis *Germaniæ* Principibus jurasse pro *Henrico* Rege *Paschali II.* Papæ. Ex ea ego stirpe hunc *Bertholdum* puto. Nondum reperire potui, cujus Oppidi, sive Urbis Comes fuerit.

Besubius mons. *Vid.* Vesuvius.

Boemundus Comes, & Dux. 434. 438. 464. 504. De eo infra in Schemate *Nortmannorum* Principum.

Bubalus viri nomen. 420.

Brundusium Civitas in *Salentinis* notissima. 434. 584.

Brunchi populi, à *Brongo* Mœsiæ fluvio. 422.

Bruno Episcopus *Signiensis*. 464. De eo Petr. Diac. *lib.* IV. *cap.* 28. & 31.

Bucea, Urbs *Africæ*. 480. sive potius Urbs *Phocidis*, de qua *Suidas*. Sed certè hoc loco in *Africa* fuisse significat *Anonymus*.

Bucobulus, Dux *Sarracenorum*. 418. sive, ut ipsorum lingua suos Præfectos vocabant, *Caytus Sarracenorum* iste *Bucobolus* fuit. Sic paulò inferius *Busitus Caytus*.

Bulcassimus Rex *Sarracenorum*. 418. Duos hic dignosco *Bulcassimos* Reges: alterum ab *Othone* occisum an. 967. alterum item occisum an. 981.

Burdinus Antipapa. 466. Vocabatur *Henricus Burdinus*. Is ex Archiepiscopo *Bracarensi* evasit Antipapa, nomine *Gregorius*, opera *Henrici IV.* Imp. intrusus, quem *Burdinus* antea *Romæ* coronaverat. Sic mutuò muli scabunt. Vid. Baron. *Tom.* 12.

Busitus Coytus, sive *Caytus*. 420. In Cod. *Andr.* vocatur *Busichius*. Vid. superius in *Bucobolo*.

Buteria opp. 484. Principatus titulo nunc gaudet hoc Oppidum.

Byzantius Archiepiscopus *Bariensis*. 424. Sedit optimus iste Præsul. ann. 7. Fuitque primus Archiepiscopus *Barii*. Nam *Joannes* ejus prædecessor à *Protospata* vocatur Episcopus: nisi sit librarii error.

Byzantius Archiepiscopus *Tranensis*. 508. Interfuit Dedicationi Ecclesiæ *Cassin.* an. 1071.

C.

Cajacia. 30. B. 35. C. *Campaniæ* Civitas, cujus descriptionem sanè luculentam habet *Theatrum Civitatum*, auctore Georgio Braun. Sed ibi vocatur *Calatia*. De ea item *Leander*, & *Sanfelicius*, ut antiquos prætercam, *Cæsarem*, *Livium*, *Silium*, *Frontinum*.

Calatabilotta, opp. *Siciliæ*. 496. Vox est *Sarracenica*. Multa quidem habet *Sicilia* vocabula à *Sarracenis* indita, ut indigenis constat.

Calenolum opp. 41. C. puto illud esse, quod hodie vocamus, Cajanello.

Calenum sive *Calinium* opp. 41. C. 540. De hoc Vid. *Ortelium*, qui tamen cum *Cale*, non rectè, confundit.

Callistus Antipapa. 488. Fuit hic natione *Hungarus*. Creatus est tertius Antipapa contra *Alexandrum III.* Sedit in schismate an. 7. men. 5. Onuphr. *in Chron.*

Calpho Rex *Sarracenorum*. 26. A. fugatur à *Siconolpho Sicardi* Principis *Benev.* fratre, profligato, & trucidato ejus exercitu ad Cavam *Picentinorum*.

Calvum Civitas in *Campania*. 36. D. *Ciceroni*, *Plinio*, *Livio*, dicta est *Cales*. Vid. *Ferrarium*, qui à *Caleno* doctè discriminat.

Campo Episcopus *Draconariensis*. 508. interfuit Dedicationi Ecclesiæ *Cassin.* an. 1071. celebratæ.

Campogattari Opp. 626. Extat hoc oppidum, & vocabulum pene retinet, Principatus pronuper titulo auctum.

S. Canionis corpus, *Acheronitiæ*. 432. Legi hujus Divi gesta in antiquo Cod. m. s. Deque eodem vetusta Martyrologia, & Ecclesiæ *Beneventanæ*, ad quam translatum est, Tabulæ faciunt mentionem. Plura Ferrarius *in Sanctorum Catalogo*, & ego in *Centone Martyrologico*: quem prope consutum meditor σὺν θεῷ typis tradere.

Canes Consul *Pisanus*. 606. Ducit *Neapolim* milites *Pisanos* in auxilium *Pandulphi Capuæ* Principis.

Cannæ Civitas *Apuliæ*, Romani exercitus clade celebris, extabat an. 1083. quo eam *Rob. Guiscardus* obsedit. 434. isque idem *Robertus Cannas* funditus delevit, ut tradit Gul. Apul. *lib.* IV.

Caphares de Crito. 422. Alter m. s. Cod. vocat *Saffarem*. Sarracenum fuisse conjicio, obscurum alioqui virum.

Capua Civitas *Campaniæ* primaria. 25. C. 27. F. 31. B. & deinceps. Ea à *Sicone* Beneventi Principe dicta est *Sicopolis*. Sicque aliquando vocat *Herempertus*, & ex eo *Sigonius*, atque *Ortelius*. Magnitudinem, gloriamque ejus demi-

Chri-

Christianus Cancellarius *Federici I.* Imp. 488. fuit Archiepiscopus *Moguntinus* sed schismaticus, & à *Federico* intrusus. Sed postea resipuit. Vid. Conradum *in Chron. Mogunt.*

Clerius sive *Lanius* fluv. prope *Suessulam*. 40. B.

Clemens Antipapa. 434. Hic ex Episcopo *Ravennæ* creatus est Antipapa an. 1184. ab *Henrico III.* Imperatore schismatico, obiitque an. 1101. Vid. *Onuphrium*.

Colossus Capuanus. 36. C. Puto hunc Colossum extitisse in Amphitheatro. Sed nihil certi affirmo, donec eruditum opus *Camilli Peregrinii* in lucem prodeat.

Cominum opp. 496. De eo L. Ostiens. *lib.* IV. *cap.* 66.

Concilia à Romanis Pontificibus congregata, quorum *in his* Chronicis *fit mentio.*

Concilium *Melphitanum* sub *Urbano II.* celebratum an. 1089. 434.

Concilium *Cepperani* sub *Callixto II.* an. 1115. celebratum. 430.

Concilium *Trojanum*, sub eodem Pontifice anno eodem. 534.

Concilium *Romanum* an. 1116. ab eodem coactum. 536.

Concilium *Beneventanum* an. 1117. ab eodem coactum. 536.

Concilium *Romanum* sub *Callixto. II.* an. 1123. 560.

Concilium *Romanum* sub *Innocentio II.* an. 1139. 628. De his omnibus vide Baronium *in Annalib. Eccles.* & Binium *Notis ad Concilia*, atque Onuphrium *in Chron.*

Conradus Imp. 454. Vid. *Conus.*

Conradus II. Imp. 474. 478.

Conradus de Marley. 500. sceleribus, & infanda impietate perditissimus bipedum, *Henrici V.* Imp. administer, *Campaniam* devastavit.

Conradus Musca in cervello. 492. *Henrici V.* Imp. Primipilus, mortuo *Bertoldo* Comite, ipse Dux exercitus eligitur. 496. Huic *Henricus* Imperator *Sicilia* potitus, captam *Tancredi* Regis uxorem cum filio ejus tradidit custodiendam, uti scribit Richardus Sangermanensis *in Chronico.*

Constantia Augusta, uxor *Henrici V.* 490. 504. & sæpè alias. *Rogerii* Siciliæ Regis filia fuit, & amita *Gulielmi*, a quo *Henrico* in conjugem data est. Vid. *pag.* 590.

Constantina, Civitas *Africæ*. 480.

Contracti, populi. 426. Puto, iidem ac Contragi, & errore fortasse librarii scriptum est. *Contracti* pro *Contragi.* Hi autem *Bulgari* sunt Theophani *lib.* 19.

Conus Rex *Aleman.* idem ac *Conradus I.* Imp. 422. 428. Vid. L. Ostiens. *lib.* II. *cap.* 57. ubi sic ait: *Defuncto igitur Augustæ memoriæ Imp.* Henrico *an. Domini* 1025. *&* Conrado *Duce, qui &* Cono *dictus est, in regem levato, &c.*

Corbachia, *Pannoniæ* regio. 422. *Colapia* Plinio. Vid. *Ortelium.*

Corise, hodie vulgò *Corfù*, Insula. 432.

Cornitum opp. 492. non illud in *Faliscis*, sed in *Apulis.*

Cosmicus, sive Cisignus *Corbachiæ* Princeps. 422.

Crescentius Anacleti Antipapæ Cardinalis, Rector *Beneventi* à *Jaquinto* captus ad *Innocentium II.* Papam transmittitur. 614. De eo sæpè *Falco*, & Baron. *To.* 12.

Cucculum opp. 610. Vicus prope *Aversam Campanorum* fuisse videtur. nescio an hodie supersit, adeò obscuri est nominis.

D.

Daiferius cognomento *Balbus*, *Pandenolphi* Capuæ Comitis cognatus. 29. C. 31. A.

Datto Episcopus *Ostunensis*. 588. Interfuit Dedicationi Ecclesiæ *Cassinensis.*

Dattus Barensis, *Melo* Principi affinis, captus est à *Græcis* in Turri *Larii* fluv. ut tradit Anonymus an. 1021. captivusque ductus est super asinam, ad urbem *Barium* anno eodem, ut habet *L. Protospata.* Vide *pag.* 422. 452. & De eo L. Ostiens. *lib. II. cap.* 37. plura habet, & Sigonius *de Regno Italiæ lib.* VIII. narrat *Dattum* insutum culleo in mare fuisse projectum.

Dauferius Diac. Cassin. ab *Adenolpho* Capuæ Comite ad Regiam *Constantinopolis* urbem legatus. 47. A.

Dauferius Beneventanus, fortassis idem ac *Daiferius* suprascriptus, conjurat cum nonnullis, adversus *Grimoaldum* Beneventi Ducem 22. D. Re non succedente, fugit *Neapolim. ibid.* Charus evadit *Sicardo* Benev. Principi, filius ejus *Roffridus.* 24. B. à quo tamen, vel ab ipsomet *Dauferio* Sicardus occiditur. 24. F.

Desiderius Abb. Cassinensis. 434. *Idem* ac *Victor III.* P. M. creatus est an. 1186. IX. Kal. Junii Consecratus autem sequenti anno *Capuæ* VII. Id. Maji. Obiit an. 1187.

Desiderius Rex *Langobardorum* ultimus. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor. *A. Caraccioli.* 2. Plura de eo *Annales* Anonymi Angli, *Paulus Diac.* & alii.

S. Deusdedit Abbas Cassinen. 24. E. Occisus est à *Sicardo* ærumnis confectus tetri carceris, anno 834. Vid. *Martyrol. Rom. VII. Id. Octob.* & L. Ostiens. *lib.* I. *cap.* 21.

Diopultus, Imperialis Castellanus, vixit & viguit Imp. *Henrico VI.* 494. & deinceps. Fit demum ab eodem Dux *Spoleti.* 500. De eo Baronius etiam, *ad ann.* 1191. ex *Chron. M. S. Fossænovæ*, & Richardus Sangerman. *in Chron. an.* 1196.

Docibilis Dux *Cajetæ* 39. E. ab *Heremperto* proscinditur, ut *Sarracenis* fœderatus, atque amicus. Rem breviter narrat Leo Ostiens. *lib.* I. *cap.* 42. quem adi, vel si mavis Fl. Blondum *in Descript. Campaniæ*, & *in Historiis*, quas satis nè diserto, & copiosè composuit. Laudat is & *Neapolitanos*, *Salernitanos*, *Amalphitanos*, & *Cajetanos*, qui hortatore & auspice *Joanne X.* P. M. *Sarracenos* fugarunt, & egregiè profligarunt. Erat tunc hic ipse *Docibilis* Dux *Cajetæ.* Sed inconstans is fuit in pietate tuenda. Porro Docibilis nomen familiare extitit *Cajetæ* Dynastis. Quin etiam *S. Docibilem* Episcopum, quem in lacero *M. S. Cod. Monasterii S. Marcellini Neapoli* legi, *Cajetæ* Episcopum, è stirpe eorundem Ducum existimo.

S. Dominicus cognomento *Loricatus*, Eremita, obiit

Leander in *Campania*, non admodum longe à *Venafro* collocavit. Annum quo *Innocentius* captus est, Anonymus tradit fuisse 1138. Sed *Baronius Falconi* adhæret figenti ad annum 1139. & merito; nam *Falco* tunc vivebat, eaque gesta pæne videbat.

Gammara, sive *Gambara*, ut emendati Codd. habent. Vide in *Antiq. Chronolog. Quatuor* A. Caraccioli. 28. Iboris, & *Ajonis* Langobardorum Principum mater fuit, ut tradit Paul. Diac. *lib.* I. *de Gest. Langobard. cap.* 3.

Garst, sive *Ganst.* 34. C. Videtur fuisse aliquis ex primoribus *Bariensibus*, quippe quem *Gregorius* Imperialis Bajulus *Barii* captivum fecit.

Gentilis Archiepiscopus *Neapolitanus.* 504. *Cassinas* Monachus fuit. Plura de eo, aliisque *Neap.* Præsulibus, à *Bartholomæo Chiocarello* J. C. narranda expectamus in Opere de Episcopis *Neapolitanis* propediem in lucem edendo.

S. Georgii Castrum. 628. prope *Morconem* oppidum in. . . .

Giffredus *Materæ* Comes, *Giffredi* item Comitis filius, à *Rogerio Siciliæ* Rege capitur an. 1133. capta prius *Matera.* 600. Inde patet non esse, ut *Leandro* visum, eandem Urbem, *Acherontiam*, ac *Materam.* Hæc quippe floruit, & suos Comites habuit diu, antequam *Acherontia* destrueretur. Vid. inf. in *Matera.* Meminit ejusdem *Giffredi Robertus* Cap. Pr. Orat. ad mil. pag. 586.

Gilbertus Comes, & *Bertheraimus* filius in Palæstinam abeunt. 486. Meminit *Fazellus lib.* VII. *Gilberti Gravinæ* Comitis, qui floruit circa an. 1190. Sed in *Palæstinam* abiisse non tradit. De hoc igitur nihil certi habeo.

Girardus S. R. E. Cardin. *Beneventi* Rector. 576. à Sum. Pont. *Honorio II. Beneventum* mittitur an. 1128. Idem *Innocentium II.* comitatus, *Beneventum* introducitur an. 1132. & Rector *Beneventi* iterum creatur. 596. tueturque deinceps *Innocentii* partes adversus *Anacletum* Antipapam, & *Rogerium Siciliæ* Regem. Fuit is ex Cardinali *S. Crucis* in *Hierusalem*, electus in Summum Pontificem, *Lucius*que II. vocatus, post mortem *Celestini* II. an. 1144. Alii *Gerardum* vocant. Ego, ut jam initio Operis dixi, depravata horum Chronicorum vocabula emendare neglexi. Libet aliquando πρὸς χάρα χαρίζειν.

——— Abbas *Cassinensis* creatur an. 1110. & quarto post anno oppidum *Suivum* acquisivit. 464. De eo Vid. Arnold. Uvion. Lign. Vit.

——— *de la Marra* an. 1114. una cum *Roberto* Comite, aliisque primariis viris, pacem *Beneventanis* juramento firmat. 528. Ejusdem nobilis prosapiæ fuit *Robertus de la Marra* oppidi *Pleschi* Dominus, de quo infra suo loco. Viget etiamnum floretque ea generosa stirps *Neapoli* in illustri Porticu *Capuana*.

——— de *Lanzolino*, vir nobilis, privilegia *Beneventanorum* se non violaturum, una cum aliis nobilibus viris, juramento promittit, coram *Lothario* Imp. an. 1136. *pag.* 618.

——— Archiepiscopus *Sipontinus* interfuit solemnissimæ Dedicationi Ecclesiæ *Cassinensis* an. 1071. ab *Alexandro II.* P. M. celebratæ. 508. De ea L. Ost. *lib.* III. *cap.* 30.

Goffridus Episcopus Adversanus eidem jam dictæ Dedicationi interfuit. 508.

——— Comes obiit. 442. Fuit is *Montis Scabiosi* Comes; Nam habetur ex Orderici Historia Eccles. *lib.* IX. *Goffridum M. Scabiosi* Comitem obiisse una cum *Guillelmo* Marchiso in celebri illo ad *Nicæam* prælio, quod cum insigni Christianorum victoria contigit an. 1097. Ejus fortasse filius, aut nepos fuit iste *Goffridus.* Meminit etiam eo loco *Ordericus Conani*, *Gaufredi*, sive *Goffridi* Comitis filii. Sed de his infra in *Loffredo*, rursus sermo erit.

——— Dux, qui ab Anonymo memoratur ad an. 1066. pag. 458. mihi quidem prorsus obscurus est: cum ea ætate Ducis nomine simpliciter prolato, non alius, nisi Dux *Apuliæ* intelligeretur. Porro ad illum annum, non *Gotfridus*, sed *Robertus Guiscardus* Dux erat *Apuliæ*. Vid. infra in *Rob. Guisc.*

——— Episcopus *Perusinus* interfuit consecrationi Ecclesiæ *Cassinensis.* 508.

Gotofredus Rex *Hierusalem* occisus est ab *Urso*, quem antea ipse ferierat. 442. Hujus Principis gloriosissima gesta adeo sunt, & prosa, & carmine celebrata, ut pigeat, vel sola scriptorum nomina hic recensere.

Gravina Civitas frustra à *Sarracenis* an. 976. obsidetur. 418. *Gravinæ* Comitatus, & *Joannis* ejus Domini, meminit Auctor Indicis rerum gestarum ab *Arrag.* Regibus *Tomo* III. *Hisp. illustr. pag.* 157.

Gregorius Archiepiscopus *Beneventi*, jam antea electus, ab *Innocentio II.* P. M. consecratur an. 1137. Dominica prima Septembris. 616. & an. 1139. expulso *Rossemanno* pseudoepiscopo, iterum *Beneventum* adit. 634.

——— Antipapa, qui se *Sutri* abdiderat, à *Calisto* II. Pontif. Max. capta ea Civitate, captivus *Romam* trahitur, & postea in *Cavense* Monasterium detruditur. 554.

Grimoaldus Arechis B. Principis filius, obses *Carolo* Magno datur an. 786. una cum *Adelchisa* sorore. 21. A. De eo in serie Principum *Benev.* paulo post nonnulla dicemus. Vid. etiam pag. 22. B.

——— *Barensis* an. 1128. ab *Honorio II.* P. M. in *Rogerium* Comitem *Siciliæ Apuliam* invadentem incitatur. 574. Videtur fuisse *Barensis* Princeps, subditus tamen *Apuliæ* Duci, ut dixi supra in *Alone.*

Gaiferius, *Gaideris Benev.* Pr. gener, & Baylus. 34. E.

Guaiferius Proconsul, & Præfectus *Arenarum*, hoc est, nisi fallor Præfectus, & Ἐπιστάτης Amphitheatri *Capuani.* 45. B.

Guaimarius Princeps *Salerni* obiit an. 1029. De eo Lup. Protosp. *pag.* 414. & 424. & *Herempertus.* 43. C. Occisus est à *Melphitanis.* Fazell. *lib.* VI. Anonym. *pag.* 456.

——— alter, *Salerni* Princeps, cum *Gulielmo Nortmanno Castellum* extruit in *Calabria.* 428. De eo vide in serie Principum *Capuæ*; & *Salerni.* Laudatur à L. Ost. *lib.* I. *cap.* 39. quod

dem designatus ab *Henrico* Imp. in vincula conjicitur. 496.

H.

Helbiria Regina *Siciliæ*, *Rogerii* uxor, de qua *Alexander* Abbas *Celestinus*, *Fazellus*, & alii, obiit VI. Id. Febr. 506.

Helias Archiepiscopus *Barensis* an. 1089. succedit *Urso*. Excipit *Barii Urbascum II.* Papam, à quo ipse consecratus Archiepiscopus. 436. De eo jam dictus *Urbanus* in Diplomate de Episcopis *Bariensis* Metropoleos Suffraganeis, apud Baronium *an.* 1059. *Tom.* 11.

Henricus Princeps *Capuæ* obiit 16. Junii. *p.* 504.

—— Testa Dux copiarum Imperialium, missus ab *Henrico VI.* Imp. oppida quædam Regni *Neapolitani* diripit. 492.

—— Lotharii Imp. gener, ad *Innocentium II.* P. M. subsidio mittitur, cum tribus equitum millibus. 612.

Hierax Civitas *Calabriæ*. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccioli*. 89. lege *Barium*.

Hipponeregium Urbs *Africæ* à *Rogerio* Rege capitur. 480.

Honestus Episcopus *Verulanus* interfuit consecrationi Ecclesiæ *Cassinensis*. 508.

I.

S. Januarii Episcopi corpus *Beneventi* inventum, transfertur. 546. Id contigit *Landulpho* Archiepiscopo an. 1119.

Janula oppidum, sive Arx. 466. destruitur. 466. De ea L. Ostiens. *lib.* II. *cap.* 1. & Pet. Diac. *lib.* IV. *cap.* 56. 88.

Jaquintus Barii Princeps unà cum suis Consiliariis laqueo suspenditur jussu *Rogerii* Regis. 636. De capitali pœna ob effossum alicui oculum, vid. *Forcatulum*.

Ildebrandus Archiepiscopus *Capuæ* adest cum aliis Præsulibus consecrationi Ecclesiæ *Cassinensis*. 508.

—— S. R. E. Diac. Cardinalis interfuit consecrationi Ecclesiæ *Cassinensis*. 508.

Innacius Episcopus *Monorbinensis* interfuit jam dictæ consecrationi. 508.

Innocentius Antipapa, qui *Lando* vocabatur, apud *Palumbariam* an. 1180. cum sociis capitur, & ad *Cavas* relegatur. 488.

Joannes *Barensis* Archiepiscopus obiit. 424.

—— *Beneventanus* Abbas obiit. 452.

B. Joannes *Beneventi* Archiepiscopus solemniter transfertur, & tumulatur. 548.

Joannes *Calenensis* Episcopus.
—— *Cannensis* Episcopus.
—— *Juvenatensis* Episcopus.
—— *Neapolitanus* Archiepiscopus.
—— *Picænus* Episcopus.
—— *Portuensis* Episcopus. S. R. E. Card.
—— Archiepiscopus *Surrentinus*.
—— *Tuscul.* Episcopus S. R. E. Card.
—— *Vigiliensis* Episcopus.
} Interfuerunt consecrationi Ecclesiæ *Cassinensis*. 508.

—— *Soranus* Episcopus consecrat Ecclesiam S. *Bartholomæi* Apost. in *Monte Cassino*. 510.

—— *Grammaticus* Abbas *S. Sophiæ* eligitur, & à *Callisto II.* P. M. *Beneventi* consecratur. 552.

—— S. R. E. Subdiaconus, Rector *Beneventi* rejicit adulterinas monetas *Rogerii* Regis *Siciliæ*. 640.

Jordanus Comes *Ariani* malè sibi conscius non audet adesse Concilio *Cepperani* indicto. 530. Cum *Paschali II.* inducias init in Concilio *Trojano*. 536. Excurrit populabundus *Campaniæ* regionem. 544. A *Guillelmo* Duce *Apuliæ* debellatur, & subjicitur. 558.

—— Princeps *Capuæ* obiit. 460. 504. De ejus munificentia in *Cassinensem* Ecclesiam, L. Ost. *lib.* III. *cap.* 17. Deque pietate in *Gregorium VII.* *cap.* 44.

—— alter *Capuæ* Princeps obiit. 466.

—— *Petri Leonis* filius *Lucio II.* *Papæ rebellis*. 476.

Irriantia, sive *Irenia Grimoaldi* Ducis *Beneventi uxor*. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccioli*. 30.

Itatachel, sive *Michael* Rex *Sclavorum*, *Sipontum* capit. 414. A. Miror nihil de hoc Rege scripsisse Orbinium in *Historia Slavorum*.

Julius *de Syndicis Beneventanus* præfatur in *Chron. Falconis*. 512.

K.

Kuraza Magni *Sarracenorum* Ammirati mater obiit. 506.

L.

Labinia Abbatissa *Beneventani* Monasterii S. *Mariæ*. 552.

Lambertus Comes *Spoletanus*, *Capuanos*, qui se sibi dediderant recipit, & malè habet. 32. B. Ipse, & alter *Lambertus* similiter Comes, *Ludovici II.* Imperatoris iram metuentes, *Beneventum* ad *Aldegisium* Principem confugiunt, eique adversus *Sarracenos* militant. 33. A. Obiit alter *Lambertus Guidonis* senioris filius. 46. D. Hunc puto *Lambertum* illum, quem *Guido*, seu, ut *Sigonio* placet, *Vido* pater, qui *Italiæ* Regnum capessiverat, consortem Regni effecit anno Christi 891. His verò occisus est ab *Hugone Mangifredi* filio anno, uti *Sigonius* figit. 898. Summopere laudatus a *Luitprando Ticinensi*, apud Sigonium *lib.* VI. *de Regno Italiæ*. Porrò sicuti plures fuere *Guidones Spoletani Dynastæ*, ita & plures *Lamberti*, antea Comites, postea Duces. Vario enim titulo usi, ut observare est in Schemate Ducum *Spoletanorum* apud Lazium *lib.* XII. *de migrat. gent.* apud quem tamen horum *Lambertorum* Comitum, nulla est mentio in ea serie. Sed, uti comperi, non est admodum diligens in his *Lazius*. Porrò de duobus *Lambertis Spoleti* Dynastis fusé *Baronius* ex Regesto *Joannis VIII.* ex Annalibus *Francorum*, & ex Frodoardo Vid. *Tom.* 10. *Annal. Eccl.* Tu vide præterea L. Ost. *lib.* I. *cap.* 34. 46. & 70.

—— Episcopus *Alatrinensis* interfuit solemni Dedicationi Ecclesiæ S. *Martini* in Monte *Cassino*. 510.

Landenulphus *de Spinio* Castellum novum occupat. 466.

Lan-

Achajam, ſive, ut vulgò *Romaniam*, invadere parantem *Abrica Græcorum* Ductor, infeſta claſſe, repreſſit; Alter verò *Roberto* prognatus, qui an. 1080. poſt patris obitum ejectis *Matera* civitate *Normannis* hoſtibus, ea potitus eſt. Inter *Normannos* enim Proceres, non diu poſtquam in *Italiam* venerunt, cupiditas dominandi ſeditionem, & diſcordiam ſevit. Magna autem ditione ac dignitate jam dictos fuiſſe præditos arguunt verba illa Protoſpatæ, quibus *Robertum* eximium vocat Comitem, & *Loffredum*, *Materæ* eo anno regnare cœpiſſe. Comitibus enim illius temporis, aliisque Dynaſtis, ampla admodum erat ditio.
Loffredum item *Sueſſæ* Comitem, Petrus Diac. Caſſin. in *Appendice ad librum tertium cap.* 41. tradit circa hæc tempora floruiſſe. Hic appellatus eſt *Monius*, quod non univerſæ ſtirpis, ſed ejus proprium cognomen exiſtimo. Nam alii nonnulli *Sueſſæ* Comites à *L. Oſtienſi*, ſine hoc cognomine, memorantur.
Huic verò *Loffredo Sueſſæ* Comiti jungendus eſt *Loffredus* alter *Montis Scabioſi* Comes, longe iſto clarior, ac potentior; quippe qui, ut Ordericus *lib.* VII. & IX. *Hiſt. Eccleſ.* & Petrus Diac. *lib.* IV. *Chron. Caſſin. cap.* 11. tradunt, in Sacra *Paleſtinæ* expeditione Ductor exercitus *Apulorum*, in ſtatario illo, & celebri ad *Niceam* prælio, quo *Sarracenorum*, *Turcorum*, aliorumque infidelium maxima multitudo profligata & cæſa eſt, unà cum *Gulielmo* Marchiſio, *Tancredi* Principis fratre viriliter pugnans ſanguinem, & vitam ipſam pro Chriſto profudit. Id prælium, ad an. 1097. ab *Orderico* figitur: qui licet *Godefredum*, non autem *Loffredum* nominet, ea tamen vocabuli varietas non librarii vitio, ſed ætatis illius uſui loquendi tribui debet, idem viri nomen aliter enuntiantis. Patet enim, quod eadem geſta, quæ *Ordericus* de *Godefredo* narrat, Petrus Diacon. *lib.* IV. *cap.* 11. *Loffredo*, & Archivi *Caſſin.* M.S. Codex *Loffredo* attribuit. Ut proinde appareat, *Normannis* illius temporis nomen, *Godefredus*, *Giffredus*, *Joffredus*, & *Loffredus* unum, eundemque virum ſignificaſſe: uti eadem pæne ætate (quod L. Oſtienſ. *lib.* II. *cap.* 57. obſervat) idem nomen erat *Conradus*, & *Conus*, & apud veteres Hiſtoricos idem Oppidum intelligitur *Mons Calloſus*, *Mons Scabioſus*, *Mons Caveoſus*, &, niſi typographi error ſit, apud *Fazellum*, *Mons Canoſus*.
Duos præterea *Loffredos Cajetæ* Duces reperio. Alterum *Athenolphi*, ultimi è *Langobardis Cajetæ* Ducis ſucceſſorem, quem *Gregorio VII.* Rom. Pont. & *Richardo II. Capuæ* Principe, circa an. 1078. Monaſterio *Caſſinenſi* Eccleſias, & prædia aliquot donaſſe, tradit Petr. Diac. *Append. ad Chron. Caſſin. lib.* III. *cap.* 41. Alterum autem multò poſt, hoc eſt, *Alexio Auguſto*, qui an. 1195. imperabat, floruiſſe teſtantur publicæ Tabulæ apud libellum de *Regni Neapolitani Deſcriptione*, qui *Italica* lingua editus circumfertur. Credibile itaque eſt aliquot etiam inſequentes *Cajetæ* Duces, ex eadem *Loffredorum* ſtirpe prodiiſſe. *Loffredorum* inquam ſtirpe: nam *Loffredus*, quod aliquibus olim proprium nomen fuit, cœpit deinceps totius ſtirpis cognomen eſſe. Idque ne lector miretur, multis aliis oſtendam accidiſſe familiis. Siquidem ſtirps illa nobiliſſima *Perleonum*, è qua graves nonnulli Hiſtorici, *Auſtriadum* proſapiam proveniſſe opinantur, è nomine proprio, *Petri*, & *Leonis* vocabulum ſortita eſt. Vid. Baron. *Tom.* XII. *ad an.* IIII. *Creſcentiorum* etiam nobilem, & antiquam *Romanam* ſtirpem, à *Creſcentio* Conſule nomen accepiſſe docet Baronius *Tom.* X. *an.* 996. Et ne longius abeamus, à *Melo Barii* Principe, quem Protoſpata noſter memorat, derivata eſt *Melorum* familia, nam lego apud L. Oſt. *lib.* II. *cap.* 42. à Baronio citatum *Tom.* XI. *an.* 1022. *Petrum Melum*, ejusque fratrem ab *Henrico* Imp. Comitis titulo decoratos. Hi ſiquidem à Patre *Melo*, Viro illo celeberrimo, & Imperatoribus Occidentis chariſſimo, cognomen ſibi, & poſteris condiderunt. Cum tot igitur extiterint Viri clariſſimi, *Loffredi* proprio nomine nuncupati, quid mirum eſt, id poſtea vocabulum, cognomen ſtirpis evaſiſſe, & ad hæc uſque tempora floruiſſe, hodieque florere? Itaque *Paulus de Loffredo Neapolitani* Regni Vicarius Generalis, & multorum Oppidorum dominus, an. 1125. excelluiſſe legitur in authenticis, publicisque tabulis, quæ extant apud *Nucariæ* Ducem, & an. 1147. *Ludovico VII. Galliæ* Rege, *Camillus de Loffredo*, *Franciæ* Mareſcallus in Archivo *Cavenſis* Monaſterii memoratur. Fuerunt deinceps alii atque alii, qui ad hanc uſque ætatem *Loffredorum* proſapiam, præclaris geſtis, & variis dignitatum titulis magis, magisque illuſtrarunt. Sed mihi de *Loffredo Materæ* Comite, quem Protoſpata habet, aliqua dicere inſtituenti, *Normannica* illa antiqua tempora calamo excedere non eſt viſum.

Lucaria, uti *Herempertus* deſcribit. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor. *A. Caraccioli. pag.* 29. in *Picentinis* videtur eſſe. Ponit quippe eam non longe à *Nuceria*, & *Salerni* Caſtro ab *Arechi* Principe circa an. 786. ædificato. Itaque alia proculdubio eſt à *Luceria Dauniæ Apuliæ* Civitate, quamquam & illa dicta eſt *Lucaria* à *Stephano* ex Polybio. *lib.* III.

Ludovicus VIII. Rex *Francorum Eugenium III.* Papam honorificè excipit. *pag.* 478.

Luitprandus *Beneventi* Princeps S. *Stephani* ædem *Capuanam* unà cum *Arechi* ejus alumno init. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccioli.* 86. De eo in ſerie D. *Beneventi.*

—— Rex *Langobardorum* per annos 32. feliciter regnat. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor. *A. Caraccioli. pag.* 25.

M.

Madelmus Abbas *Sanctæ Sophiæ* an. 1107. moritur. 518.

Madius, Ammiratus Ammiratorum, hoc eſt ſupremus in *Sicilia Sarracenorum* Princeps, moritur. 506.

Magiſpertus *Sueſſæ* Dominus *Pandenolphum Capuæ* Comitem vinculis ab *Athanaſio Neapolis* Epiſcopo ſolutum recipit. 41. B.

Majo

Min-

Minlanum, oppidum (ipsum puto, quod *Leander* appellat *Miliano.*) 474.

Monsapertus, oppidum in *Hirpinis*. 544.

Mons *Caveosus*, sive, ut alii vocant, *Scaviosus*, *Sarracenorum* obsidionem invictè sustinet. 420.

Monsmilitis opp. arce exuitur. 544. Puto illud esse, quod vulgò vocant *Montemileto.*

Mons *Ilari*, opp. *Drogonis* Principis nece clarum. 428.

Monsmaranus, oppidum, sive Civitatula prope *Beneventum* à *Rogerio* Rege cum aliis Castellis occupatur, & comburitur. 624.

Monspilosus, oppidum à *Roberto Guiscardo* capitur. 430. L. Ostiens. idem oppidum memorat *lib.* II. *cap.* 67.

Monsarculus ab *Honorio II.* aliquandiu incolitur. 574. Est celebre oppidum *Irpinorum.* Ab Alexandro Abbate Celestino *lib.* III. vocatur *Monsartius:* idque cum aliis circumquaque oppidis *Caudinæ Vallis* fuisse scribit dotem *Mathildæ* Comitissæ, *Rogerii* Regis sororis, & *Rainulphi* præclarissimi Comitis conjugis.

N.

Naassamonites, gens *Mauritaniæ*, duos *Africæ* Reges anno 1151. laqueo suspendunt. 478. De his lege Ortelium, *in dictione Nasamones*, *Nasamonitim* regionem memorat Ptolemæus *lib.* II. *Quadripertiti.*

Natalitæ, populi, unà cum aliis barbaris gentibus apud *Aufidum* amnem occiduntur. 426. B. Lego *Natolitæ*, gens, eam partem *Asiæ* minoris incolens, quam vulgò *Natoliam* vocant.

Neapolis *Campanorum*, Urbs Regia, ab amœnitate, civium, incolarumque maxima frequentia, aliisque naturæ industriæque dotibus celeberrima, initur a *Rogerio* Rege. 638. qui & mæniorum ejus circumductum noctu dimetitur. 640.

Neapolis campus, sic olim dictus extra portam *Capuanam.* 638.

Nicolaus *Barensis* Archiepiscopus, anno 1035. succedit *Romulanti.* 424.

S. Nicolaus *Mirensis* Episcopus an. 1087. transfertur *Barium.* 434. Anno autem 1089. ejusdem Sanctissimi Episcopi *Hypogæum*, sive Confessio ab *Urbano II.* P. M. consecratur. 117. Lege Baron. *ad an.* 1087.

Nicolaus Episcopus *Thermulensis* interfuit Consecrationi Ecclesiæ *Cassinensis.* 508.

Novantula, insigne Monasterium in *Aemilia* ab *Aistulpho Langobardorum* Rege fundatum. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor *A. Caraccioli.* 83. De eo fusè Sigonius *de Regno Ital. lib.* III. & VI. Item Alexander Caprara in *Appendice ad Sigonium lib.* XVIII.

Nortmanni. 452. & sæpè aliàs in his Chronicis memorantur: *Armorici* olim *Cæsari* in Commentariis appellati. Dicti postea lingua Germanica *Nortmanni*, hoc est, Septentrionales viri. Ad *Salerni* littus, aliquot eorum, dum ea Urbs obsideretur advenisse, tradit Leo Ostiens. *lib.* II. *cap.* 38. & ex eo Baronius *Annalium Eccles. Tom.* XI. Quod intellige de *Roberti Guiscardi*, & fratrum ejus ad has regiones adventu, non autem de primis simpliciter *Nortmannis* huc accedentibus. Constat enim ex antiquis Historicis, Orderico scilicet *lib.* III. *Eccles. Hist.* & Vvillelmo Gemmeticensi *Hist. Norman. lib.* VII. aliquanto ante hos advenisse *Osmundum* cum filiis & nepotibus. *Primus Normannorum*, ait Ordericus, *Osmundus sedem in Apulia sibi delegit, & à Principe Beneventanorum oppidum ad manendum sibi, suisque hæredibus accepit.* Ego verò brevitatis studio, his relictis, ad duodecim illos fratres, quorum *Robertus Guiscardus* celeberrimus fuit, hic seriatim recensendos accedo.

Series Normannorum *Principum ex Gaufredo Malaterra.*

I. Gulielmus *Ferreabrachia* primus *Apuliæ* Cómes.
II. Drogo, secundus *Apuliæ* Comes.
III. Umfridus, tertius *Apuliæ* Comes, *Abagelardi* pater *Montolii* occiditur, L. Protospat. *p.* 110.
IV. Gaufredus *Capitinatæ* Comes Malater. *lib.* I.
V. Serlo, hujus nepos, *Serlo* item dictus, dimidia *Siciliæ* parte donatus est à *Roberto*, & *Rogerio* patruis. Malater. *lib.* III.

Tancredus *Altavillæ* in *Normannia* Dominus, Vir è nobilissima stirpe Ducum *Normanniæ*, si *Martino Polono* credimus, ortus, ex *Moriella* prima uxore genuit quinque filios. Hi fuere.

VI. Robertus *Guiscardus*, quartus Comes, & deinde Dux *Apuliæ*, & *Calabriæ*.
VII. Malgerius, Comes *Capitinatæ*. Malater. *lib.* I.
VIII. Gulielmus, II. Comes in Principatu. Malater. *lib.* I.
IX. Alveredus.
X. Humbertus.
XI. Tancredus.
XII. Rogerius primus Comes *Calabriæ*. Malater. *lib.* II. *cap.* I. & postea *Siciliæ*. Idem *lib.* II. *cap. ult.*

Ex secunda autem uxore *Frensende* geniti sunt VII. filii, videlicet. Non me latet *Gulielmum Gemmeticensem*, & *Fazellum* à *Gaufredo Malaterra* tum in vocabulis, tum etiam in coordinatione discrepare. Sed his *Malaterram* merito prætuli.

Sciendum præterea est ex Falconis Chronico, *pag.* 572. ex Gul. Gemmetic. *lib* VII. *cap.* 30. Malaterra *lib.* II. *cap.* 38. & 39. & Edinero in *vita S. Anselmi Episcopi lib.* II. omnes Comites, aliosque Dynastas, uni *Apuliæ* Duci fuisse subditos; & ut Baronius *Tom.* XI. *ad an.* 1085. observat, ipsum etiam *Siciliæ* Comitem *Rogerium Roberto Guiscardo* Duci *Apuliæ* homagium fecisse, atque adeò ipsius *Rogerii* posteros *Roberti* homagium, & fidelitatem jurasse Romualdus Salernitanus in *suo Chronico* tradit, ut proinde mirum non sit, Regnum, quod nunc *Neapolitanum* dicimus, Regnum *Apuliæ* dictum fuisse. Vide quæ dixi supra in dictione, *Barium.* Distributionem verò Civitatum *Apuliæ* inter *Normannos* proceres tradit L. Ostiens. *lib.* II. *cap.* 67.

Nucerium (sic enim *Falco* vocat) Urbs *Campaniæ* in *Picentinis*, propugnatur à *Rogerio* de *Surrento*: oppugnatur, & tandem capitur à *Rogerio* Rege *Siciliæ*. 608.

Obir-

—— Rex *Galliæ*, pater *Caroli Magni*. *Vide in* Antiq. Chronol. Quatuor. *A. Caraccioli.* 26. De eo L. Ostienſ. *lib.* I. *cap.* 7.

Pipinus junior, Rex, gerit bellum contra *Grimoaldum Beneventi* Principem. *Vide in* Antiq. Chronolog. Quatuor. *A. Caraccioli.* 31.

Pons curvus, oppidum in *Latii* penè confinio, ubi quondam *Fregellæ* Urbs erat, ædificatum, *Rogerio* Regi reſtituitur. 474.

Pons *Theodemundi* videtur extitiſſe ultra *Garilianum*, hoc eſt, *Lirim* fluvium. Ad eum caſtrametatur *Guido* Dux *Spoletanus Sarracenos* perſequens. 40. E.

S. Potiti corpus *Beneventi* reperitur, colitur, tumulatur. 546. Verùm aut hic alius *Potitus* eſt ab eo, quem in *Sardiniam* tranſlatum ſcimus, aut reliquiæ aliquot, non autem integrum corpus *Beneventi* inventæ ſunt. Alioqui etiam *Tricaricenſes* exiſtimant ſe habere S. *Potiti* oſſa. Sed de hac re pluribus agam in *Faſtis Neap. Eccl.* ſi Deus cœptis favebit.

Poto *Spitameta Beneventi* primarius civis pellitur in exilium. 576. Alius ab hoc *Potone*, eſt ille *Poto* Caſtaldeus *Potonis* filius, de quo L. Oſtienſ. *lib.* I. *cap.* 38. Eſt enim ille iſto multo antiquior.

Præſentianum *Campaniæ* oppidum *Rogerio* Regi deditur. 626. Meminit *Leander* hujus oppidi. Non admodum ab Civitate *Venafro*.

S. Proſperi reliquiæ *Beneventi* deteguntur. 546. Non puto hunc eſſe *Proſperum Rhegienſem*, ſed ejuſdem nominis alium.

R.

Rachiſius Abbas S. *Modeſti Benevent.* 554.

—— Archidiaconus *Beneventanus* ſanctarum Reliquiarum cultum eximiè exequitur. 546.

—— ſive *Racheis Aiſtulphi* Regis frater, fit Monachus *Caſſinenſis*. *Vide in* Antiq. Chronol. Quatuor. *A. Caraccioli.* 26. 84. De eo Oſtienſ. *lib.* I. *cap.* 8. Eadem ferè ac *Herempertus* narrat.

Radelchis poſtquam occidit *Grimoaldum Beneventi* Principem, ſceleris pœnitens, fit Monachus. 23. A.

Radelgarius *Radelchiſii* filius, Princeps *Beneventi*. 27. C. Vid. *ſeriem in Propylæis.*

Radelgiſius, filius *Adelgiſii*, Princeps *Beneventi*, unà cum fratre *Aione Pandenulphi* Comitis hortatu *Capuam* expugnat. 38. C. Tenuit Principatum vix annos tres, ait *Herempertus* hic. Quod mihi argumento eſt, Catalogum *Beneventanorum* Principum præfixum Hiſtoriæ *Heremperti* eſſe alterius auctoris. Nam ibi habetur *Radelgiſium* hunc fuiſſe Principem annos tres, menſes octo, & dies vigintiunum.

Raino Comes, idem ac *Rainulphus*, de quo infrà. Nam ea, quæ Anonymus *pag.* 470. *Rainoni* contigiſſe tradit, *Falco* ad an. 1132. de *Rainulpho* narrat.

Rao de Fraineta Dominus oppidi *Ceppaluni*. 528. De eodem fit mentio. *pag.* 590. Hunc Abbas *Celeſinus lib.* II. *de Geſt. Roger.* Radulphum vocat, aitque fuiſſe Dominum trium Caſtellorum, ſubditum tamen *Rainulpho* Comiti.

—— *Pinella* Caſtelli *Farniti* dominus, capitur à *Beneventanis*, & direpto *Farnito*, *Beneventum* captivus ducitur. 596.

Rao *de lo Tufo*, Baro, *Rogerio* ſubditus. 618. Unà cum *Raone de Fraineta*, & *Orrico de Sarno* ad Comitem *Rainulphum* confugit. 624.

Rapolla oppidum à *Malſenſibus* deſtructum. 490.

Rayca Dux *Sarracenorum*, unà cum *Sapphari*, obſidet *Barium*, expugnat *Corilianum* oppidum, Caſtellum *Obbianum* obſidione capit. 422. Adverſum eum *Potho* Catapanus prælium committit prope *Barium*. 424.

Raynaldus Archiepiſcopus *Barenſis*, & Monachus moritur. 504.

—— Abbas *Caſſinenſis* vocatur, & mox deponitur. 472. unà cum *Alphano Capuæ* Archiepiſcopo conſcendit *Caſſinum*. 484. moritur. 486.

—— Epiſcopus *Cajetanus* dedicat Eccleſiam S. *Andreæ* in *Caſſino* monte. 460. 510.

Raynulphus *Federici* Imp. Cancellarius *Romanos* magna afficit clade. 486.

Rainulphus Comes ab Anonymo *Caſſinenſi* ad ann. 1133. vocatur *Rayno*, & mox ad an. 1136. vocatur *Rainulphus*. Fuerunt autem duo *Rainulphi* Comites, ſenior, & junior, uterque ſanè valdè celebris. De ſeniore, cujus exercitus condidit *Adverſam* Civitatem inter *Capuam*, & *Neapolim*, agit Gul. Apulienſis *lib.* I. *De geſt. Normann.* & de eodem ejuſque in Comitatu *Adverſæ* ſucceſſoribus. L. Oſtienſ. *lib.* II. *cap.* 57. 64. & 67. ad finem. Idem *Rainulphus* ſenior, erat Princeps *Siponti*, & *Garganicæ* regionis. L. Oſtienſ. *lib.* II. *cap.* 67. Junior verò *Rainulphus*, quem *Baronius* vocat *Abellini* Comitem (id quippe elicuit ex hoc Falconis *Chronico ad an.* 1132.) vixit, octogeſimo circiter anno poſt *Rainulphum* ſeniorem, & videtur etiam fuiſſe Comes *Adverſæ*. Certè multarum *Campaniæ* Civitatum, & ampliſſimæ ditionis dominus fuit. Hic *Romanorum* Pontificum adverſus *Rogerium Siciliæ* Comitem, tutatus eſt partes, *Roberto Capuæ* Principi, & aliis Regni *Neapolitani* Proceribus fœdere junctus. Quocirca uxore filiis, & Civitate *Abellina* per fraudem ſpoliatur à *Rogerio*. 534. Uxorem *Mathildem Rogerii* ſororem ipſe dotaverat, traditis illi in dotem univerſis *Caudinæ vallis* oppidis. Alex. Abb. Celeſ. Prolog. ad *Hiſt. de Geſt. Rog. Regis*. Ab *Innocentio* autem II. fit Dux *Apuliæ*, & *Calabriæ*. 616. Ejus geſta latè deſcribit *Falco* per totum ferè Chronicon. Obitum denique an. 1139. *pag.* 628. & cadaveris juſſu *Rogerii* Regis infandam refoſſionem. *pag.* 634. De ejuſdem præterea pietate, & in Deum, Sanctoſque ejus religione, vide, ſi lubet, Abbatem Bonævallis *lib.* II. *de vita S. Bernardi Abbatis.*

Richardus de *Aquila*, vel ejus filius, (ambigua quippe ſunt Anonymi verba, *pag.* 466.) occupat Caſtellum *Sulu*, quod, niſi fallor, videtur in *Latii*, ſive *Samnii* confinibus ſitum. Occupat item anno 1155. *Sueſſam*, & *Theanum*. 482. 498. De eo Pandulphus S. R. E. Subdiac. *lib. de Geſt. Rom. Pontif.* apud Baronium *Tom.* XII. *ad an.* 1118. Ea ſtirps, olim nobilis valdè, atque armis, & ditione potens, exciſa eſt. Hunc verò *Richardum* fuiſſe Comitem *Fundanum*

ſtrage edita, *Panormum* obſidione ſolvit, *ibid.* Inde reverſus, *Montempiloſum*, *Obbianum*, *Brunduſium*, & *Barium* victricibus armis adeptus eſt. 430. Iterum in *Siciliam* migrat, & an. 1072. *Panormum* capit, atque ſolemni cum triumpho init. *ibid.* De qua re fuſius Malaterra *lib.* II. & Fazellus *lib.* VII. Deinde à *Michaele Græcorum* Imp. contra *Botoniatam* incitatus, conjunctis claſſibus, mox ubi *Corcyram* Inſulam adeptus eſt, *Dyrrachium Macedoniæ* urbem obſidione vallavit. 432. Eaque capta evocatur *Romam*, ut *Gregorio VII.* Summo Pontifici adverſus *Henricianos* ſchiſmaticos opem ferret. 432. Coacto itaque magno *Normannorum Langobardorum*, aliarumque nationum exercitu, illico *Romam* adit, hoſtes fugat, cæditque, & Urbe aliqua parte incenſa, atque direpta, Pontificem Sanctiſſimum inde abſtrahens ſecum *Salernum* honorificè ducit. 434. Mox iterum in *Græciam* claſſe profectus, eo ipſo anno 1085. quo Beatiſſimus *Gregorius Salerni* mortalitatem exuit, Dux *Robertus* tot victoriis, tantaque Religione æternum memorandus, in eo loco, qui à *Venetis* ſuperatis, *Veneti victi*, dictus eſt, profluvio ventris extinguitur, *Rogerio* filio ſibi in Ducatu *Apuliæ*, & *Calabriæ* ſuccedente. 434. Quia verò nihil habet Protoſpata de *Salerni* Principatu, quod idem *Robertus Guiſcardus* obtinuit, ex Anonymo hæc ſupplebimus. Anno 1075. *Salernum* obſedit, & cepit. Anonym. *pag.* 458. Rem Pet. Diac. Caſſin. in *ſupplemento Chron. Caſſin. cap.* 44. copiosè deſcribit. *Salerno* autem potitus, urbe per id maximè tempus longe clariſſima, atque amœniſſima, ſedem ibi fixit, & *D. Matthæo* Apoſtolo inſignem Baſilicam, qua corpus ejus ſacratiſſimum conderet, ædificavit. *Pet. Diac.* ibid. *Caſſinum* venerabundus adit, ac *B. Benedicto* munera obtulit quamplurima, tantoque Principe digna. Ea deſcribit L. Oſtienſ. *lib.* III. *cap.* 56. Succeſſores *Roberti* in Principatu *Salernitano* recenſet *Rogerius II. Siciliæ* Comes in Oratione ad *Salernitanos* proceres habita apud *Falconem pag.* 566. Ex iis aliquot nos omiſimus in ſerie *Salern.* Principum, nempe *Rogerium Roberti* filium, & *Gulielmum Roberti* nepotem. Hos Lector interſeres, & mihi jam ſeni Μνημονικὸν ἁμάρτημα condonabis.

Roccha Arcis, *Campaniæ* opp. ab *Henrico VI.* Imp. obſidetur, & capitur. 492.

—— de Bantra à *Caſſinatibus* Monachis *Rogerio* Regi reſtituitur. 474.

—— *Gulielmi* ab aulicis *Rogerii* Regis recipitur. 486. *Henrici VI.* Imperatoris exercitui reſiſtit. 496.

—— Montisdraconis à *Diopulto* Cæſaris legato capitur. 446.

Roccharomana *Rogerio* Regi cedit. 626.

Rodulphus *Pipinus*, Comes *Beneventum* ab *Roberti Guiſcardi* obſidione liberat. 430. Miror apud Scriptores illius temporis de tanto viro, & tam pio atque Catholico, ſilentium. An de ea *Pipinorum* gente fuerit, cujus in Aede S. *Petri* ad *Magellam* ſepulchra extant. De hoc equidem nihil ſtatuo.

Roffridus Archiep. *Benev.* moritur. 518. De eo *Falco* in Chron. 571. 624. 634.

—— Abbas *Caſſinenſis* cum *Campaniæ* Baronibus fœdus icit. 490. Abit *Panormum*, obtinetque ab *Henrico VI.* Imp. oppida quædam. 496.

—— Epiſcopus *Soranus* cum aliis Epiſcopis celebrat Dedicationem Altarium Eccleſiæ *Caſſin.* 510.

Rogerius Comes *Andriæ* cum aliis Comitibus obſiſtit exercitui *Federici* Imp. invadentis Campaniam. 488. jungit ſe *Henrici* Regis copiis. 492. De eo *Chron. Rich. Sangerm. ad an.* 1199. & *Diploma pacis Venetiis initæ inter Alexandrum III. & Federicum I. Imp.* cui ex parte *Guillelmi Siciliæ* Regis ſubſcribit, apud Baron. ad an. 1177.

—— Comes *Ariani* impetitur à Rege *Rogerio.* 626. *Arianum* ſe recipit, & à *Rainulpho Apuliæ* Duce defenditur. 628. Denique in manus Regis incidit, à quo cum uxore captivus *Panormum* mittitur. 636. De hoc, puto, loqui Abbatem Celeſinum *lib.* I. *de Geſt. Rogerii Regis*, quem, errore fortaſſe librarii, Comitem *Orionenſem* vocat.

—— Epiſcopus *Civitatenſis* interfuit Dedicationi Eccleſiæ *Caſſin.* 508.

—— *de Foreſta* Caſtellanus *Atini*, an. 1192. oppidum *Sancti Eliæ* capit. 494.

—— *Rob. Guiſcardi* filius fit Dux *Apuliæ.* 434. *Salerni* Princeps. 568. moritur.

—— frater *Roberti* Ducis *Apuliæ*, capit nepotem *Africani* Regis. 430. De eo latè Baron. *Tom.* XI. *an.* 1079. & deinceps.

—— Comes *Moliſii* obſidetur *Venafri* à *Richardo Caleni* Comite. 492. Erat vir iſte ſummæ nobilitatis, & *Henrici Alemanniæ* Regis, ut *Richardus Sangermanenſis* loquitur, ſororius, hoc eſt, conſobrinus. Comitatu tamen dejectus eſt, tradito ab *Henrico* jam imperante, *Conrado* illi *Moſcancervello*, de quo ſupra mentio facta eſt, *Rich. Sangerm. ad an.* 1196.

—— junior *Siciliæ* Comes, mox Dux *Apuliæ*, & *Siciliæ*, & Rex denique utriusque *Siciliæ*, *Rogerii* ſenioris *Siciliae* Comitis filius, *Roberti Guiſc.* ex fratre nepos. 468. 480. 506. 558. 568. & ſæpe aliàs. Hic ſchiſma *Anacleti*, ſive *Petrileonis* pertinaci ſtudio fovit; ab eoque Regiæ dignitatis, quam uſurpaverat, diploma obtinuit. Pet. Diac. *lib.* IV. *cap.* 49. Ob id à S. *Bernardo* Abb. *Claraevall.* non Rex, ſed Tyrannus *Siculus* appellatus. *ep.* 130. 139. 140. Quicquid verò in laudem ejus ſcripſerit *Alexander Celeſinus Rogerii* aulicus, atque adeò paraſitus, impietatis, & immanis crudelitatis accuſatur, atque perſtringitur à *Falcone Beneventano*, Petro Diac. Caſſin. *lib.* IV. *cap.* 100. & *ſeq.* à *Romualdo* item *Salernitano*, aliiſque ejus ævi ſinceris Hiſtoricis. Summa eſt; non recta perrexiſſe illum ad Regni gloriam, ſed per religionis contemptum, perfidiam, cædes, incendia, rapinas, aliasque ejuſmodi pſeudopoliticas artes. Quòd ſi eum aliquando laudavit vir ille Sanctus *Petrus Cluniacenſis*, id non fecit, niſi poſtquam *Innocentio II.* Papæ colla ſub-

P R O P Y L Æ A.

Cum in his Chronicis, & maximè in Heremperti Epitome, *sæpe fiat mentio* Beneventi, Salerni, & Capuæ *Principum, necessarium duxi, horum seriem, veluti Propylæa quædam, præfigere Operi: nimirum, ut Lectores, hac qualicumque luce prædití, liberiùs in Historiæ cognitione possint excurrere.*

SERIES DUCUM, ET PRINCIPUM BENEVENTI,

Ex Paulo Diac. Heremperto, *aliisque nonnullis.*

Gothorum *Regibus, qui per centum quadraginta circiter annos* Italiam *presserant*, Bellisarii, & Narsetis *virtute devictis, extinctisque*, Langobardorum *examina è* Scandinavia *Insula ad Italas regiones, evocante* Narsete, *anno Christi* 568. *convolarunt. Igitur* Alboinus *cum innumera barbarorum gentium multitudine* Italiam *prædabundus ingressus est, magnamque ejus partem armis occupavit, reliqua à* Græcis *vix retenta. Post tres verò Regni* Langobardici *annos, successit* Alboino Clephon: *quo post decimum octavum mensem à servo necato*, Langobardi, *ut odiosum Regis nomen evitarent, triginta Duces, qui eam* Italiæ *partem, quam armis ceperant, per Dynastias moderarentur, summo omnium consensu creaverunt: tametsi post decem annos, rursus ad Regem sibi eligendum, constituendumque redierint. In iis autem Dynastis, primus* Beneventi *Dux.*

I. Zoto *fuit, qui Dynastiam tenuit an.* 20. *Paul. Diac.* de Gest. Langob. lib. III. cap. 34. *Is vivebat Guntrammo Rege Francorum, & Authari Rege Langobardorum, uti elicitur ex Cap.* 35. *quo Paulus tradit, Autharim nonnullas Provincias* Beneventano *Ducatui subjecisse.*

II. Aro-

II. Aroges, *ſive ut alii vocant* Arechis, *ex nutricio Giſulphi Ducis Forolivii, factus eſt Dux Beneventi ab Agilulpho Rege Langobardorum. Paul. Diac.* Lib. IV. cap. 19. *Præfuitque an.* 50. *Paul. Diac.* lib. IV. cap. 46. & *Herempertus in* Catalogo Ducum Beneventi. *Meminit hujus Ducis S. Gregorius* lib. II. Regeſt. 32. *vocatque Arogem.*

III. Ajo *Arogis filius an.* 1. *menſ.* 5. *Paul. Diac.* lib. IV. cap. 46.

IV. Rodoaldus *Giſulphi jam dicti filius an.* 5. *Paul. Diac.* lib. IV. cap. 47.

V. Grimoaldus *frater Rodoaldi an.* 25. *Paul. Diac.* lib. IV. cap. 47. *Quod intelligi debet de* 15. *annis Ducatus,* & 10. *Regni ſimul junctis. Nam ex Duce Beneventi factus eſt Rex Langobardorum poſt mortem Ariperti, dum Bertaritus, & Godebertus filii, ſtultè inter ſe de Regno dimicarent. Idem ibidem.*

VI. Romoaldus *Grimoaldi Regis filius, à Patre, ad Regni acquiſitionem abeunte, relictus eſt Dux Beneventi data ei uxore Theodorada Lupi Forolivienſis Ducis filia, ex qua tres filios genuit, Grimoaldum, Giſulphum, & Arechim. Idem* lib. IV. cap. 53. & lib. V. Cap. 25. *Ducatum Romoaldus tenuit an.* 16. *Idem* lib. VI. cap. 2.

VII. Grimoaldus II. *jam dicti Romoaldi primogenitus Ducatum rexit an.* 3. *Uxorem habuit Wigilindam Cuniberti ſororem, Berthariti Regis filiam. Idem* lib. VI. cap. 2.

VIII. Giſulphus *Grimoaldo fratri ſucceſſit, præfuitque an.* 17. *Hic ex Winiberta uxore genuit Romoaldum II. Idem ibidem. Campaniam dirè populatus, Joannis VI. P. M. precibus vix placatur. Idem* lib. VI. cap. 27. *Platina in* Joanne VI. *Colennut.* Hiſt. Neap. lib. II.

IX. Romoaldus II. *Ducatum geſſit an.* 26. *Paul. Diac.* lib. VI. cap. 55. *Hic ex priore conjuge Guntberga Luitprandi Regis ſorore genuit Giſulphum II. eaque mortua duxit Ravigandam Gaidoaldi Brixiæ Ducis filiam. Idem* lib. VI. cap. 50. *Giſulpho autem ob pueritiam inepto regimini, Luitprandus Rex ſubſtituit nepotem ſuum, cui nomen*

X. Gregorius, *eique uxorem dedit Giſelbergam. Hic Giſulphum puerum educavit, educatoque Conibergam conjugem junxit. Idem* lib. VI. cap. 55. *Vixit autem in Ducatu Gregorius an.* 7. *Idem* cap. 56. *eique, nondum adulto Giſulpho, ſucceſſit.*

XI. Godeſcalcus, *qui poſt tres Ducatus annos occiditur à Giſulphi ſequacibus, ejusque uxor Anna Conſtantinopolim, unde venerat, rediit. Idem* lib. VI. cap. 57. *Itaque*

XII. Giſulphus II. *jam ætate idoneus rectioni, Luitprandi patrui opera Ducatum capeſſit. Idem* lib. VI. cap. 58. *tenuitque per an.* 14. ut tradit Herempertus: qui & ſequentium Beneventi Principem ſeriem ſic habet.

XIII. Luitprandus *an.* 8. *men.* 3. *Hunc puto Giſulphi filium.*

XIV. Arechis *an.* 28. *men.* 6.

XV. Grimoaldus *Arechis filius, an.* 18.

XVI. Grimoaldus *alter, cognomento Storeſayg, an.* 11. *men.* 1.

XVII. Sico *exul de Civitate Spoletana, an.* 12. *menſ.* 2.

XVIII. Sicardus *Siconis filius, an.* 6. *men.* 10.

XIX. Radelchis *an.* 11. *Iſte Radelchis* (verba ſunt Heremperti in Cod. Bolvit.) *incepit principari anno Domini* 840. & *tunc Civitas Capuana de novo conſtructa eſt, juxta pontem in quo nunc eſt. Et tertio anno Principatus diviſit Principatum Beneventanum à Principatu Salerni cum Sichinolfo filio Siconis Principis, & fratris Sicardi prædicti.*

XX. Radelgarius *filius ejus ſedit an.* 3. *men.* 3. *dies....*

XXI. Adelchis *frater ejus ſedit an.* 24. *men.* 6. Hic à quibusdam vocatur Adelgiſius.

XXII. Gaideris *filius prædicti Radelgarii an.* 2. *men.* 6. *dies* 19.

XXIII. Radelchis *filius ſupradicti Adelchis an.* 3. *men.* 8. *dies* 21.

XXIV. Ajo, *Radelchis frater an.* 6.

XXV. Urſus *Ajonis filius an.* 1. *Poſtea dominati ſunt in Principatu Beneventi per annos quatuor.*

XXVI. Sabbaticus, *ſive, ut alii appellant, Symbaticius, Stratigò, &*

XXVII. Georgius *Patritius, Græci, qui tunc temporis præerant in Apulia pro parte Imperat. Conſtantinopolitani.*

XXVIII. Guido *Marcheſius poſtea tenuit Principatum an.* 1. *men.* 8.

XXIX. Radelchis *Princeps ſedit an.* 1.

Hactenus Heremperti verbis. Reliquos Principes ex Platina, Colennutio, Sigonio, & Ammirato collegi.

XXX. Athenolphus *Beneventi, & Capuæ Princeps, an.* 15. *Cujus ſucceſſores Capuæ ſimiliter Principes extiterunt.*

XXXI. Athenolphus, & *Landolphus filii an.* 32.

XXXII. Landolphus *ſolus, mortuo patre Athenolpho, an.* 4.

XXXIII. Pandolphus *cognomento Capoferreus circa annos* 15.

XXXIV. Landolphus II. *Pandolphi filius, an.* 17.

XXXV. Landenolphus *an.* 9. *Hic in Eccleſia S. Marcelli à Capuanis occiditur.*

XXXVI. Laidolphus *Landenolphi frater an.* 2. *Eique ab Othone III. Imp. dejecto, ſufficitur quidam*

XXXVII. Ademarius: *quo ob generis vilitatem à Capuanis pulſo,*

XXXVIII. Pandulphus II. *à S. Agatha dictus, Landolphi II. filius capeſſit Dynaſtiam, tenuitque an.* 28. *Eoque ab Henrico I. Imp. quòd ad Græcos defeciſſet, in Germaniam relegato, ſufficitur*

XXXIX. Pandolphus III. *Theani Comes, qui Princeps fuit an.* 3. *donec videlicet*

XL. Pandolphus à S. Agatha *è Germania reverſus, Dynaſtiam recuperavit, quam ſceleratè preſſit per annos circiter* 12. *Tandem à Conrado Imp. dejectus eſt, eique ſucceſſit Salerni Princeps*

XLI. Guaimarius. *Hic Principatum Beneventanum, & Capuanum tenuit an.* 9.

XLII. Pandolphus III. *jam dictus ab Henrico II. Principatui reſtitutus. Sed non diu poſt Pandolphus iſte obiit.*

XLIII. Pandolphus *Pandolphi III. filius. Hujus Principis tempore Leo IX. P. M. Beneventum Rodulpho concedit.*

XLIV. Rodulphus *igitur iſte inter Beneventi Principes numeretur, donec certiora comperiam. Poſt hunc*

XLV. Humfridus *Apuliæ Comes Beneventum occupat, cui ſucceſſiſſe videtur*

XLVI. Landolphus, *Rodulphi jam dicti fortaſſe filius, aut frater. Hic cum aliis Ducibus, & Dynaſtis interfuit celeberrimæ illi Caſſinenſis Eccleſiæ Conſecrationi, quam Alexander II. P. M. magnificentiſſimè exequutus eſt an. Sal.* 1071. *uti Acta ipſa Conſecrationis, à nobis inferius ponenda, diſertè tradunt.*

PRIMORDIA DUCUM BENEVENTI.

Enumeratis jam, quotquot reperire potui, Beneventi Dynaſtis, expedienda mihi, Lector, hoc loco eſt, haud ſanè levis difficultas de illorum Epoche; quo ſcilicet anno Dux primus Zoto regere cœperit Beneventi Dynaſtiam. Video enim varias de hac re Chronologorum, Hiſtoricorumque ſententias. Herempertus in *Catalogo Ducum Beneventi*, quem Hiſtoriæ ſuæ præfixit, apertè tradit, ab ipſo anno 568. quo Langobardi, teſte Paulo Diacono *lib.* II. *de Geſt. Langob. c* 7. Italiam cum Alboino Rege ingreſſi ſunt, Zotonis Ducatum initium habuiſſe. Leo autem Oſtienſis *lib.* I. *Chron. Caſſin. c.* 48. figit Beneventani Ducatus primordia ad an. Chriſti 571. ſcribit enim Ducatum Beneventanum perduraſſe annis 320. ſi numerentur anni à primo Duce Zotone uſque ad 891. Chriſti annum, quo Urbs Beneventi capta eſt à Symbaticio Græcorum Patritio. Si itaque ab annis 891. detrahantur anni jam dicti 320. reliqui erunt anni ſolidi

solidi 571. quo cæperit Zotonis Ducatus. Longè verò ab horum sententiis recedit Wolphangus Lazius *lib.* XII. *de Migrat. Gent.* asserens ab Rege Authario, quem alii vocant Autharim, constitutum fuisse Zotonem Ducem Beneventi: citatque Paul. Diac. *lib.* III. *cap.* 16. Sed, ut mox ostendam, illi Paul. Diac. probè perceptus, minimè suffragatur. Sequi tamen voluit Lazium Sigonius, & hunc Lauretus, arbitrantes non ante Autharis Regis ad Samnites, Lucanos, Calabrosque accessum, atque horum provincias ab eo debellatas, & Zotoni Duci subjectas, Beneventanam Dynastiam incepisse. Quocirca Lauretus statuit exordium Zotonis Ducis circa annum 587. secundo videlicet, aut tertio anno à Regni Autharis initio; quem cum Baronio, & Sigonio ait factum fuisse Regem Langobardorum an. 585. Denique Tursellinus in *sua Historiarum Epitome* opinatur non ab Authari, sed ab Agilulpho Rege creatum esse primum Beneventi Ducem, idque factum an. 591. videlicet anno primo Agilulphi Regis.

Ego verò post diligentem ejus rei considerationem, Ostiensis quidem tueri me posse sententiam confido, alias autem facilè mecum confutabit quisquis Historiam Langobardicam vel mediocriter noverit. Quocirca statuamus hic theses aliquot certas, & exploratas, è quibus rei gestæ veritas innotescat. In primis compertum, certumque est apud omnes, Zotonem viginti annis rexisse Ducatum. Ita habent Paul. Diac. *lib.* III. *de Gest. Langob. c.* 34. Herempertus *in Catalogo Ducum Beneventi*, Leo Ostiens. Pandulphus Colenn. Sigonius, & alii recentiores. Præterea certum quoque est, Arechim, sive, ut eum D. Gregorius vocat, Arogem, Zotonis successorem, an. Christi 592. creatum esse Ducem Beneventanorum. Id constat auctoritate S. Greg. Papæ, qui *Epist.* 32. *lib.* II. *Regist.* scribens Joanni Episcopo Ravennati, dolet Arogem se junxisse cum Arnulpho, hosque duos Duces Langobardorum multas tetendisse insidias nostræ Neapoli. Scripta est autem ea *Epist. Indict.* 10. quæ proculdubio designat annum 592. uti rectè Illustriss. Baronius ad eum annum observat. Hoc ipsum solidissimè firmatur ex Paulo Diac. scribente *lib.* III. *c. ult.* Agilulphum designatum esse Langobardorum Regem mense Novembri ejusdem anni, quo Autharis mortuus est; post Pascha verò sequentis anni eundem in Regno solemniter confirmatum. Quæ certè verba, veluti digito, indicant annum Christi 591. quo etiam baptizatus est Agilulphus. Nam Autharim, quem constat factum esse Regem an. 585. sex solos annos regnasse, ex eodem Paul. Diac. *lib.* III. *c. pen.* certum est. Porrò cùm etiam certum sit, Arechim, sive Arogem factum esse Beneventi Ducem à Rege Agilulpho non multo post quàm ille Regnum iniit, videlicet eodem an. 591. vel summum, anno seq. 592. tum quia Paulus Diaconus inter prima gesta Agilulphi Regis, Arogem Ducem creatum narrat, tum etiam quia ex auctoritate S. Gregorii jam dicta, ad illum annum Ducem Arogem Baronius collocat, liquidò ex his consequitur non posse dari, uti sanè dandi sunt Duci Zotoni an. 20. nisi ab anno 592. retrocedendo deveniamus ad annum 571. quo illum iniisse Beneventi Ducatum Leo Ostiensis tradit. Atque eadem ratiocinii, & argumenti vi necesse est omnes alias jam supra recitatas opiniones, simul corruere. Quomodo enim dabunt Zotoni viginti Ducatus annos ii, qui eum vel ab Authari Rege anno 587. vel ab Agilulpho anno 591. factum esse Ducem arbitrantur, cum à 587. Ad Arogem, non nisi quinque anni, & à 591. ad eundem Arogem, sive Arechim, pauci tantummodò menses, aut ad summum, vix unus annus intersit?

Herempertus similiter (si tamen Heremperti est ille Ducum Catalogus, qui pagellis ante initium ejus Historiæ scriptus habetur) aberrat à jam statuto numero 20. annorum Zotonis Ducis. Nam ab anno Christi 568. quo ejus Ducatum Herempertus exorditur, usque ad expletum annum 591. quo Arechis ab Agilulpho Rege factus est Dux, sunt anni solidi 23. vel fortasse 24. non autem 20. solummodò. Præterea videtur prorsus incredibile Langobardos, eo ipso anno 568. quo Italiam ingressi sunt, tantum terrarum acquisivisse, ut non solùm Insubriæ, Istriæ, Venetiæque Civitates, quas primas citra Alpes invenerunt, sed etiam Beneventum, quod in 14. Italiæ regione à Paul. Diac. collocatur, dicto penè citiùs occupaverint, quasi tunc Itali omnes fuissent.

——— *imbelles lepores, timidique cunicli.*

Quòd verò Herempertus in eo Catalogo asserit Radelchim, qui Sicardo successit, iniisse Beneventanum Principatum anno Christi 840. id aliud profectò non est, nisi errorem errore cumulare. Constat enim ex Annalibus Gestorum Caroli Magni, & Ludovici Pii, auctore Britanno quodam Anonymo *Histor. German.* Tom. IV. cui quod magister Caroli Magni, & eorum, quæ scripsit, fere omnium oculatus testis extiterit, longè magis quàm Heremperto, aut cuivis alii credere debemus; constat, inquam ex hoc tam certo, gravique Chronographo, Siconem creatum esse Beneventi Principem anno 818. Huic verò, ipso Heremperto teste, post 12. annos, & menses duos, Sicardus filius hæres extitit Principatus, quem 6. annis, & mensib. 10. moderatus, Radelchim habuit successorem. Ini nunc mecum Lector has ratiunculas, & porrò invenies, à Zotone Duce usque ad Radelchim non 840. sed vix 837. annos intercurrisse. Sed ejusce Catalogi mendorum in notis arithmeticis, quis unquam finis, si ea diligentiùs quis velit excutere? Quamobrem Catalogum Ducum Beneventi usque ad Gisulphum II. non ex Heremperto, sed ex Paul. Diac. qui Herempertum plusquàm centum annis præcessit, hic ego posui: ratus antiquiorem illum scriptorem, eumque nuper Lugduni Batavorum ex veterum collatione Codicum, quantum fieri potuit, emendatè procusum, nobis utcumque certiora suggerere. Et quidem, periculo facto, comperi, optimè convenire Pauli Diac. numeros cum numeris tum Leonis Ostiensis, qui statuit, ut videmus, Zotonem Ducem ad annum Christi 571. tum etiam Codicis legum Langobardicarum, in quo legitur Constitutio quædam Grimoaldi, qui ex Duce Beneventi, factus est Rex Langobardorum, lata ab eo anno sexto Regni ejus, currente Indict. undecima. Colligitur quippe illum cæpisse regnare Indict. prima, hoc est anno Christi 663. & anno præterito 662. reliquisse Ducatum Beneventi Romualdo filio. Si igitur ex annis 662. eximantur anni 91. quot videlicet ponit Paul. Diac. à Zotone Duce, ad Regnum abeunti successit, reliqui erunt 571. totidem nimirum, quot ex Leone Ostiensi colliguntur. Eodem igitur anno 571. statuenda est Epoche Ducum Beneventi. Huic autem sententiæ Paul. Diac. quem Lazius pro se laudat, minimè refragatur. Nusquam enim Paul. Diac. asserit, ut Lazius putat, Zotonem non extitisse Ducem, nisi postquam Rex Autharis Beneventum venisset, & eum Ducem constituisset, sed id tantum Paul. Diac. scribit, Autharim, facta excursione cum suo exercitu à Samnio usque ad Rhegium, hoc est ad extremam usque Calabriam, eas provincias, quas debellaverat, & occupaverat, Zotoni tradidisse regendas. Quocirca cum scribit Autharim Beneventum accessisse, non debet, aut potest inde elici, Beneventum ab Authari fuisse primò expugnatum, & Zotoni traditum, sed postquam in eam urbem receptus à Zotone est, reliquam Samnitium regionem, & Lucaniam, atque Calabriam occupasse. Verùm Paul. ipse Diac. audiatur, & satis erit. Is *lib.* III. *cap.* 33. sic ait: *Circa hæc tempora* (profligati videlicet Francorum exercitus à Childerico Rege in Italiam missi) *putatur esse factum, quod de Authari Rege refertur. Fama est enim tunc eundem Regem per Spoletium Beneventum pervenisse, eandemque regionem cepisse, & usque etiam Rhegium, extremam Italiæ Civitatem, vicinam Siciliæ, perambulasse.* Non dicit cepisse Beneventum, sed Beneventanam Regionem: alioquin si ex eo, quod Beneventum venisse dicitur, colligi debet, eam Civitatem expugnasse, & occupasse, profectò & Spoletium expugnasse, & cepisse intelligere oporteret, quia Spoletium

letium Autharis venit, & per Spoletium Beneventum. Atqui Spoletium diu antea à Langobardis fuerat occupatum, & Ducis sedes factum. Lege Lazium de *Migrat. Gent. lib.* XII. Zotonem igitur ab Alboino Rege an. 571. creatum Ducem existimo. Is quippe & alios quosdam creasse legitur, videlicet Giselbertum Veronæ, Brixiæ Walrim, Tridenti Comum, & Forojulii Gisulphum, uti Paul. Diac. & ex eo Lazius tradunt.

SERIES COMITUM
ET
PRINCIPUM CAPUÆ.

Ex M. S. Cod. 353. Bibliothecæ Cassinensis.

I. Landolphus *senior tenuit Capuam veterem annis 25. mens.* 4. *& fecit Civitatem novam in monte Trifisco, quam dominatus est anno* 1. *mensibus* 8. *Quo deficiente successit*

II. Lando *filius ejus; & dominavit jam dictam Civitatem an.* 13. *men.* 9. *qui nono mense, antequàm moreretur, ad Pontem Theudæ multos virili certamine Neapolites interfecit, cepitque nongentos. Cum autem cremata esset Civitas Capuæ ab igne, venit cum fratribus suis, id est, Landone, Pandone, Landolpho Episcopo, & Landenolpho ad pontem Casulini, & condiderunt ibi Civitatem, quæ nunc est Capua: in qua jam dictus Lando vixit an.* 4. *men.* 9. *& defunctus est: cui successit*

III. Lando *filius ejus: & tenuit Capuam men.* 6. *& projectus est de eadem Civitate à Pandone thio suo, qui*

IV. Pando *tenuit Comitatum Capuanæ Civitatis an.* 1. *men.* 4. *cui successit in regimine jam fatæ Civitatis*

V. Landolphus *Episcopus frater ejus, quam dominavit an.* 3. *& men.* 9. *Quibus expletis venit Ludovicus Imperator iterum in Capuam mense nono, & abiit Barium, super quam Civitatem sedit an.* 4. *& cepit eam, simulque & Seodam Regem Sarracenorum cum aliis plurimis. Qui Beneventum reversus, captus est à Beneventanis mense Augusto: sed dimissus ab eis, districtus Sacramentis, recessit à Benevento: & intra tres dies ac noctes habuit * Berole, in qua deguit men.* 11. *Inter quos postulatus à Landolpho Episcopo iterum venit: & per quosdam Comites suos, antequam ille Capuam adveniret, multi interfecti sunt Sarraceni, ita ut de duodecim millibus pauci remanerent: qui à magno exercitu Sarracenorum super Salernum residente venerant: sed audientes mortem proximorum, rursum paululum supra eandem Civitatem commorantes reversi sunt in terram suam. Ludovicus Imperator hoc audiens, quia volebat ire super eos, reversus est Capuam, in qua uno anno commoratus, reversus est in Franciam, in qua eodem anno defunctus est. Landolphus autem Comes & Præsul ante adventum jamfati Imperatoris, & post decessum ejus tenuit Capuam an.* 12. *Quo recedente*

VI. Pandenolphus *nepos ejus factus est Comes Capuæ, & Landolphus filius Landonis factus est Episcopus. Eodem tempore, sed suggerente Adversario Christianæ fidei, facta est eodem anno divisio ejusdem Episcopatus à jam dicto Pandenolpho: qui odii, & invidiæ accensus ardore, Landenolphum fratrem suum laicum inordinatè tondens direxit Romam: eumque à Joanne Papa multa prece deposcens, Episcopum fecit. Qua de re non parva inter parentes utrorumque Episcoporum discordia nata est, ita ut odium fieret, plurimo valens tempore. Denique Joannes Papa, tali comperto flagitio, advenit Capuam: & ut discordes ad concordiam revocaret, divisione facta, utrumque constituit: id est Civitate Capua Landenolphum Episcopum, Landolphum verò Episcopum in Sancta Maria, cognomento Suricorum; & facta pace inter eos (sed paululum perdurante) Romam reversus est ad sedem propriam: iterumque facta est inter eos divisio, quam non post longum tempus pax sequuta est. Denique jam fatus Pandenolphus, completis in Comitatu an.* 3. *& men.* 8. *fecit convivium cunctis parentibus suis, plurimis eos sacramentis alligans, ut non ei quolibet modo nocerent. Sed illi statim perjurantes ceperunt eum, & diviserunt inter se Comitatum Capuanum: & Landolphus Episcopus adeptus est totum Episcopatum.*

* *Forte* abiit Berolam.

VII. Lando *autem pater Landolphi Episcopi fuit Comes Capuæ an.* 2. *men.* 10. *Cui successit*

VIII Landenolphus *frater ejus, vicem illius tenens an.* 1. *men.* 4. *Quo vivo decedente mense Januario, cepit Cupuam*

IX. † Athenolphus *Comes, quam annis tredecim mirificè regens, postea factus est Princeps Beneventi: complensque in Principatu an.* 10. *& men.* 6. *vita privatus reliquit eum filiis suis Domino Landolpho, & Domino Athenolpho Christianissimis Principibus. Secundo autem anno, quo factus est Comes Capuæ Dominus Athenolphus, factum est prælium inter Capuanos, & Neapolites in Liburia ad Sanctum Carsium: sed ita interfecti sunt Neapolites à Capuanis, ut valde pauci remanerent ex eis: inter quos Neapolites, Græci & Sarraceni fuerunt pro adjutorio eorum. Ind. VI. post dies undecim capitur Berelais à Domino Athenolpho. Eadem hebdomada Ajo Princeps cum quodam Patritio Constantinopolitano, ex utraque parte certatim pugnantes, ad postremum ille Patritius victor effectus est.* . . . .

Hoc loco erat semilacera pagella in Exemplari m. s. Cassinen. . . . .

Concilium fecerunt Capuani, qualiter interficerent Landenolphum Principem filium Pandolphi eximii Principis: quod & fecerunt. Nam dum procederent ad Sanctum Marcellum, peractis Missarum solemniis à Præsule ejusdem Civitatis Ajo nomine, egressus prædictus Princeps foras Ecclesiam, insurrexerunt in eum, (proh dolor) cum gladiis & fustibus, & interfecerunt eum, atque exutum vestibus, nudum in platea eum reliquerunt. Quem rapientes Monachi ex Monasterio S. Benedicti, in eodem Monasterio ante Secretarium, eum sepelierunt. Archiepiscopus verò supradictus fugit in jam dicto Monasterio: quem etiam postea ibidem jam dicti Capuanites veneno peremerunt: sepultusque est ante Regia Secretarii. Sed Omnipotens Deus illis, qui hunc innocentem peremerunt Principem, ostendere est dignatus, quia in suo eum Regno recepit. Nam quadam die claudus quidam ad ejus sepulchrum veniens, obnixè Christum rogare cæpit, atque intercess. . . . *Dominum Landenolphum Principem, cujus corpus illic requiescebat, qui etiam sine causa à suis occisus fuerat, ei pristinam sanitatem reddere dignaretur. Mira res: statim super eodem sepulchro soporatus, totam quietavit noctem. Mane autem facto ita sanus surrexit, ac si nullam debilitatem membrorum umquam habuisset. Sed & hoc nobis* . . . .

Cætera desunt in Cassinensi Codice.

Ea verò supplere ex aliis scriptoribus, & sequentium Capuæ Principum seriem texere, nobis planè neque libet, neque festinantibus nunc Typographicis operis, propemodum licet. Porrò non deerunt alii, quibus otium, & volupe erit hæc excutere diligentiùs, & amplissimos hos Principes in lucem producere seriatim: ii verò præcipuè, quibus Capuana Historia tum sacra, tum profana jam est in manu, Michaël videlicet Monachus, & Camillus Peregrinus, viri apprimè solertes, & in rebus patriis, cæteraque literatura doctè versati.

† Hunc Leo Ostiens. *lib.* V. *cap.* 44. & ex eo Baronius ad ann. Christi 879. vocant Randenulphum, isque modo Capuæ Princeps, modo Dux, modo Judex appellatus legitur, ut ibidem Baronius observat.

PRIMORDIA COMITUM,
ET
PRINCIPUM CAPUÆ.

Leo Ostiensis *lib.* V. *cap.* 43. & ex eo Illustriss. Baronius *Tom.* IX. scribunt advenisse Capuam Joannem Papam eo nomine Octavum, & divisisse Episcopatum

C. Peregrinius. *** ** Ca-

Capuæ inter diſſidentes Landolphum, & Landenolphum, anno Chriſti 879. Atqui, uti ſuperius ex m. s. Cod. Caſſinen. ſcripſimus, ejuſmodi diſſenſio inter Landolphum, & Landenolphum contigit anno primo Pandenolphi Comitis. Adventus igitur Papæ Joannis figi debet ad annum ſecundum jam dicti Pandenolphi: nam multæ interceſſerunt calamitates atque ærumnæ ex illa inter Epiſcopos diſcordia, ut neceſſe fuerit Leonem Epiſcopum Theanenſem, & Bertharium Abbatem Caſſinenſem Romam proficiſci, qui denunciatione turbarum, cladiumque maximarum, quibus & ipſe Summus Pontifex involvendus eſſet, eum à conſecratione Landenolphi deterrerent. Ergo primus annus Pandenolphi Comitis, fuit Chriſti 878. E quibus ſi detrahantur quinquaginta octo propemodum anni (hoc eſt 57. & menſes decem) qui colliguntur ex ſupraſcripta annorum ſerie, quibus Capuæ Comites, Pandenolphi prædeceſſores dominati ſunt, remanebunt anni 820. Hoc igitur anno juxta Anonymum hunc ſcriptorem, qui à Landolpho ſeriem Comitum ducit, Comitatus Capuæ exortus eſt. quamquam negare non poſſum aliquot reperiri in Hiſtoriis; multò antiquiores Landolpho iſto. Leguntur enim apud Paul. Diac. *lib.* IV. *cap.* 3. Tranſamundus, & *lib.* V. *cap.* 9. Mittola Capuæ Comites, qui proculdubio ante annum 820. vixerunt.

Principatus autem Capuæ diu poſtea initium habuit, nempe Athenolpho, qui Radenolphus à quibusdam appellatur, imperante: de quo ſuperius jam dictum eſt numero IX.

SALERNI PRINCIPES,
EX
HEREMPERTO, LEONE OSTIENS.
Aliiſque recentioribus.

Lotharius *Auguſtus Beneventanam ampliſſimam ditionem (ea quippe per Samnium, Lucaniam, Calabriam, & magnam Apuliæ partem latè protendebatur) ita diviſit, ut Aldegiſius Beneventi, Siconolphus Salerni eſſent Principes. Quod an. Chriſti* 851. *factum Hiſtorici memorant. Igitur primus Salerni Princeps fuit*

I. Siconolphus *Sicardi Beneventani Principis frater.*
II. Sico *Siconolphi filius.*
III. Radelchis, *Siconolphi filius, Siconis frater.*
IV. Adelchis, *Siconolphi item filius.*
V. Ademarius *Petri filius à Lothario Imp. fit Salerni Princeps.*
VI. Dauferius *Majonis filius, Siconolphi affinis.*
VII. Guaiferius, *Dauferii patruelis: Eoque Monacho facto.*
VIII. Guaimarius *filius ſuccedit.*
IX. Giſulphus *Guaimarii filius.*
X. Guaimarius II. *Guaimarii ſenioris filius.*
XI. Joannes *Giſulphi filius.*
XII. Guaimarius III. *cognomento Balbus, Joannis filius.*
XIII. Giſulphus II. *ultimus è Langobardis.*
XIV. Robertus Guiſcardus *Nortmannus, Dux Apuliæ.*
XV. Rogerius *Comes Siciliæ, Rex Neapolis.*
XVI. Gulielmus I. *cognomento Bonus, Rex utriusque Siciliæ.*
XVII. Gulielmus, *re & cognomine Malus, Rex utriusque Siciliæ.*

Item alii, atque alii inſequentes Reges Neapolis, ſive Regum filii, eo Principatus Salerni titulo honorificè inſigniti leguntur: quos non eſt opus recenſere.

DE HEREMPERTO.

Editurus è manuſcriptis Codd. Chronicorum noſtratium quaternionem, ea equidem ad frontem cujusque Chronici exponere tui gratia, ſincere Lector, debeo, quæ ad cujusque notitiam, quantulacunque per me tibi præberi queat, ſpectare videantur.

Primus autem ſeſe offert Herempertus. De cujus *Nomine, Genere, Vitæ inſtituto, Ætate, Scriptis, Elogiisque,* quæ hactenus reperi, hæc ſunt.

Nomen variè effertur. Nonnulli, Herembertum: Leo Oſtienſis nunc Herehempertum, nunc cum Petro Diacono Herkempertum: Nobis ex Vatic. Cod. unà cum Illuſtriſſ. Baronio appellare libet Herempertum.

Genus habuit è Langobardorum illuſtri ſtirpe: quippe quem Epigraphe huic Chronico præfixa in Vatic. Cod. aſſerat genus duxiſſe è Beneventanis Ducibus. Pater dictus eſt Radelgarius, de quo paulò inferiùs dicam. Abavus Rodoalt: patruus maximus, Radolphus vocabatur: quorum ipſemet in hac Epitome meminit.

Vitæ inſtitutum Monaſticum profeſſus eſt in Monaſterio Theanenſi, ut Leo Oſtienſis tradit *lib.* I. *cap.* 46. Et ipſemet Herempertus ſe Monachum prodit pag. 75. cum narrat ſe miſſum ab Angelmario Abbate ad Stephanum Papam (is fuit Stephanus VI.) ut bona Monaſterii Capuani, quæ Athenolphus Capuæ Caſtaldeus rapuerat, reſtituerentur. Denique Codex Vaticanus in fronte hujus Epitomæ Monachum Caſſinenſem palam indigetat.

Ætatem produxit Herempertus aliquot annis poſt nonum Chriſti ſæculum. Nam pag. 80 memorat obitum Lamberti Principis, filii Guidonis, Ducis Spoletani. Lambertus autem, Sigonio, & Gordono ſupputantibus, defunctus eſt anno Chriſti 910. Quoto autem ſignatè anno Herempertus mortuus ſit, reperire non potui.

Scripta ejus hæc ſunt: Chronicon, ſive Hiſtoria Langobardorum fuſior, cujus prototypon in Cod. membranaceo ſcriptum, è Tabulario Salernitanæ Eccleſiæ ſublatum eſt, uti audivimus, & trans Alpes evectum, relictis nobis aliquot Exemplaribus adeò mendoſis, ut pleriſque locis nulla planè exculpi ſententia poſſit. Putant verò nonnulli, Herempertum hujus etiam Epitomæ, quam nunc edimus fuiſſe auctorem. Argumento ſunt, idem ſtylus rudis, ſolœcus, mixobarbarus, ut profectò illius temporis craſſam inſcitiam, & Langobardicum ſtridorem potius quàm latinam dictionem referre videatur. Accedit, quòd ſi quis alius hujus Epitomæ auctor extitiſſet, is ſanè ſua verba, non autem, ut hic factum eſt, primi ſcriptoris perpetuò ſtylum, dictionemque uſurpaſſet. Legimus quippe Juſtini, & Flori de Trogi, & Livii amplis Hiſtoriis Compendia: nihil tamen propemodum de illorum verbis hi mutuati ſunt: ſed diverſo ſtylo res ab illis fusè narratas ad brevem Epitomen redegerunt. Fecit igitur & hanc ſuæ longioris Hiſtoriæ Epitomen Herempertus. Scripſit præterea Carmen de Vita Landulphi Epiſcopi Capuani, ut ipſe ſignificat in hac Epitome pag. 51. Et ejusdem Heremperti exiſtimo Hiſtoriam de Caſſinenſis Monaſterii everſione, & reſtitutione, quam ex Petro Diacono Caſſinenſi Wionius memorat *lib.* II. Ligni vitæ lit. E. Idem verò pollicetur ſe ſcripturum Acta Translationis Sancti Matthæi Apoſtoli, ut ſignificat pag. 89. An verò ea ſcripſerit, equidem ignoro. Fortaſſis ea ſunt, quæ edidit Columna Salerni Archiepiſcopus.

Elogia denique, ſive *Teſtimonia*, de Heremperto, hæc fermè ſunt. In primis Leo Oſtienſis *in Chronico Caſſinenſi* ſæpè meminit Heremperti hujus, è quo etiam plurima deſumpſiſſe videtur. Citabo loca *lib.* I. *cap.* 9. *De Arechi*, inquit (Beneventi Principe) *Dominus Herkempertus, in Hiſtoria, quam de Langobardorum gente, poſt Paulum Diaconum compoſuit, ita refert, &c.* Idem lib. eodem cap. 19. *Iſte Sico* (Beneventi Princeps) *cùm diu Neapolim obſediſſet, & afflixiſſet, tandem S. Januarii corpus auferens, Beneventum detulit, & cum Sanctis Feſto, & Deſiderio in ipſo Epiſcopio honorabiliter condidit, ſicut in Hiſtoria Herkemperti refertur.* Et lib. eod. cap. 46. *Ragemprandus primo & vigeſimo loco Abbas electus in eodem Monaſterio Theanenſi, ſedit annis novem, menſibus decem. Hoc præſidente Adalgerius quidam nobilis obtulit*

B. Benedicto apud Theanum cum oblationibus Herkempertum filium suum, docilis ingenii puerum. Quo tempore Græcis, ac Neapolitanis Capuam obsidentibus, idem Herkempertus cum aliis fratribus, à Theano Capuam tendens, juxta Anglenam, omnes à Græcis exequitati, & spoliati pariter sunt, & famuli eorum capti. Et famulis quidem argento redemptis, & quinque equis recollectis, ipse solus, sicut idem de se refert, cum magistro suo pedes remansit, sicque Civitatem intravit. Post hæc cum Athenolphus Castaldatum adeptus, omnia, quæ juris nostri Monasterii erant in terra Capuana fratribus abstulisset, præfatus Herkempertus Romam hac de re ad venerabilem Papam Stephanum transmissus, & Apostolicam benedictionem detulit, & privilegium Sancto Cœnobio obtinuit, ac supradicto Castaldeo commonitorias literas, ut universa, quæ abstulerat protinus redderet, nisi excommunicationis vellet subire sententiam, attulit. Quas ille suscipiens, paruit, & omnia, quæ nobis abstulerat ex integro restitui jussit. Petrus Diaconus lib. de Vir. Illustr. Cassin. *Herkempertus*, inquit, *Diaconus parvulus, & ipse B. Benedicto oblatus, de Destructione, & renovatione Cassinensis Cœnobii, nec non de Ismaëlitarum incursione Historiam satis necessariam composuit. Fuit autem tempore Ludovici Imperatoris.* Hæc eadem pene verba mutuatus est Arnoldus Wion. *Ligni Vitæ lib.* II. Marin. autem Freccia J. C. Neapolitanus, & Regius Consiliarius *lib.* I. *de subfeudis Cap. De Provinc. & Civit. Regni pag.* 82. post narratam S. Tryphomenes transslationem Amalphia Salernum factam, subdit, se eam excepisse è Chronico Heremperti Langobardi in vetustissimo Codice scripto. Petrus Pogianus, *Histor. Monast. Par.* 3. *Cap. de Gariberga*, eorum quæ in laudem Garibergæ, Beneventani Ducis sanctissimæ sororis narrat, Herkempertum citat auctorem. Denique Illustrissimus Cardin. Baronius ex Heremperti Historia multa desumpsit, atque inseruit in suos Annalium Ecclesiast. Tomos. Lege ipsum ad annum Christi 871. 872. 874. & 912. Verba ipsa hoc loco recitare superfluum duxi, quandoquidem Baroniani Annales præsto sunt, & omnium pæne manibus deteruntur. Prudenter autem Baronius non nisi, ut ipse ait, *cum magno delectu*, excepit aliqua ex Heremperto, & aliqua omisit. Nam in sua illa fusiore Historia, præter fabellas, quas identidem affert, est nonnunquam in Græcos, & Gallos amarulentior, eorumque gesta invidiosissimè criminatur. Porrò claruit eodem sæculo in Italia Vir Illustris Herempertus, de quo extat insignis Inscriptio apud Gruterum pag. MCLXII. num. 2. Sed ille est ab hoc nostro Heremperto diversus, ut eruditi Lectores facilè animadvertent.

Cæterùm tum de his Chronologis, tum etiam de aliis Regni Neapolitani Scriptoribus utilem librum, quem propè affectum habet, in lucem proferet Vir diligentissimus, & rei hujus Regni antiquariæ peritissimus, Bartholomæus Chiocarellus J. C. Neapolitanus. In eo Catalogo plura fortassis de Heremperto, Protospata, Anonymo, & Falcone legentur.

Postremo Lectorem meum monendum hoc loco, existimo, me Exemplaria è quibus Nomenclatorem horum quatuor Chronicorum feci, valde corrupta deprehendisse, ut proinde primo hoc conatu, suæ puritati non potuerint usque quaque restitui vocabula pleraque Græcobarbara, & inscitia vulgi, ac illorum fœditate temporum miserè depravata. Itaque ut ea in Codicibus scripta, aut luxata reperi, sic ferè excepi. Ne igitur mirere, Lector, si aliquando loca aliquot offendes, è quibus sententiam aliquam vix, aut ne vix quidem percipere poteris.

BARBARA
Aliquot, & SOLOECA, quæ hoc Opere occurrent.

Alboun. Alboinus, primus Rex Langob. in Italia.
Argumenta. Fallaciæ, strophæ.
Auxilior. Passivè.
Baris. Barium, Apuliæ Civitas.
Berolæ. Verulæ. Urbs Hernicorum.
Besubius. Vesuvius, mons prope Neapolim.
Capuanites. Capuani.
Castaldeus. Prætor, sive, ut Lazio placet, Castellanus, Præfectus Arcis.
Calochyri. Vox græcobarbara, significat *Bona manus.*
Coclerium. Campanaria Turris: nam Cocla, Campana est in Constitutionibus Caroli Magni num. 18.
Commorandus. Passivè, hoc est, inhabitandus.
Deprædo as. activè.
Disfœderati. fœdere soluti.
Domino as. activè.
Domitialis. domesticus.
Dum. pro, cùm.
Durachium, & Duracium. Dyrrachium, urbs Macedoniæ.
Exubitus. lege Excubitus. Officii nomen. Hinc Priscus Comes Excubitorum: de quo Theophanes, & Nicephorus Episcopus.
Exequitati. equis dejecti, & privati.
Fatigium. Labor. inde Italis, *fatiga.*
Fugio. quartæ conjugationis: hinc fugiit.
Gajeta. Cajeta, urbs Campaniæ.
Infrà pro *intrà.* Sic alibi infrà urbem, infrà Canonem.
Innotesco. activè, notum facio.
Juvenaties. inflexione gr. Juvenatia, urbs Apuliæ.
Longobardi, pro *Langobardi.* Sic ferè Herempertus secutus fortè Etymon à longis barbis: quod sanè falsum. Lege Lazium de migrat. gent.
Migratus. passivè. Sic & Cic. 1. Off. & 3. de Fin. adnotante Victorio.
Neapolites. Neapolitani.
Nichiphorus. Nicephorus.
Ovus. masc. gen.
Parentes. consanguinei, affines.
Patulò. palàm.
Pereo. perimor. *Perierunt a Rege.* i. interfecti sunt.
Reptivida. reptans.
Senior. dominus. Sic alibi apud Baron. Tom. XII.
Sicco. passivè. *siccant olivæ.* i. arefiunt.
Stratigò. Στρατηγός. Strategus.
Trapezi. viri cognomen. idem ac conviva, sive nummularius. τραπεζεύς, sive τραπεζίτης.
Thius. patruus. Hinc *thio* Hispan. & *Zio* Ital.
Tueor. passivè. defendor.

Pauca hæc è plurimis raptim collegi, nam piguit me sanè, & puduit adeò maculosi, & saniosi corporis omnes inspicere, & adnotare verrucas.

Illud tamen oscitantis Typographi sphalma te advertere velim, Lector, quòd ea verba: *Item ex alio Cod. Chronici Cassin.* &c. quæ habentur pag. 164. retrahenda sunt ad pag. 163. & præfigenda illis verbis: *Anno Domini 1500. die 7. Januarii, hora diei tertia*, &c.

EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO BARBERINO
S. R. E. CARDINALI ET VICECANCELLARIO.

Rerum antiquarum studiis per Te, *Eminentissime Princeps Cardinalis*, honorem maximum accessisse, ipsa quisquis amat, hoc est universus benè literatorum Ordo, & novit, & gaudet. Quem immensis totius Reipublicæ *Christianæ* curis, scientiarumque omnium, & liberalium Artium oblectamentis distentum, penitiores etiam Historias attentè rimari, deque iis præclaros disserentes audire viros, ac multipli-

ci, indefinentique favore eandem facultatem exaltare, eximiè delectat. Quique ingentem librorum, nec nisi optimorum, Bibliothecam condens, aggregandos disertissimis omnigenæ doctrinæ Auctoribus impolitissimos quoque, modò antiqua tractarent, tum alios undique conquisitos, tum Scriptores duxisti Historiæ *Langobardorum Beneventanæ* Provinciæ, e vetusto membranaceo Codice *Vaticanæ* Bibliothecæ optima fide, & accurata diligentia depromptos: sic nempe summum animi Tui in omnem antiquitatem benemerendi amorem, quo dignam eam censes, præsenti, & futuro eruditorum Orbi quam solidissime contestatus. Hæc eadem exercitia & ipse, sed juxta tenues mei ingenii, fortunarumque vires, cum per otium, quo a D. O. M. sum donatus, sectarer, magno meorum studiorum emolumento (mihi inquam magno) doctissimum, atque ut omnem viri laudem sane præclaram unico verbo complectar, quà excultissimis moribus, quà omnigenis literis Tibi acceptissimum, *Lucam Holstenium* suscepto priùs beneficio, quàm præsentia, vel obsequio novi. Qui faciente *Petro La Sena*, æque Tibi, dum in vivis agebat, noto, paribusque artibus caro, & sibi, & mihi amicissimo, complures *Langobardorum*, quos dixi, Auctorum locos in Papyraceis manu exaratis apud nos Codicibus, & in Editis quoque depravatissimos ad fidem *Vaticani* exemplaris, ut petieram, recensuit, recensitosque mecum perhumanè communicavit; quo tempore Tuo ille parens imperio, Antigraphum inde exscribendum curabat. Hoc ego præsidio subfultus, virique longè peritissimi consilio etiam animatus, nostratium, quam exponere meditabar, & ad manus habebam, impensiùs excolere cœpi Historiam *Langobardorum*; sed Deo non sinente, ad conceptam animo maturitatem minimè in hanc usque diem eam perducere est datum. De qua perficienda cum desperarem, videremque literatos perplures viros talium depravatorum Codicum lectione deceptos assiduè de eadem pessimè mereri, Opuscula saltem isthæc, quantum inpræsentiarum facultas fuit expolita, atque illustrata, foras dare non inutile futurum duxi; quibus, ni fallor, profligatæ cessabunt tandem quammultæ inter doctos receptissimæ, altiusque subnatæ, sed malæ sane de ejusmodi Historia opiniones, deque harum rerum *Langobardicarum* ordine (ni admodum fallor) incipiet notitia luculentior haberi. Nec fallò incipiet; nam licet pauca adhuc alia ab antiquis de hujuscemodi argumento descripta Commentaria edenda supersint, in his tamen adeo obscurus, atque implexus, & jejunus observatus reperitur character, ut possint planè, debeantque altiori cum profectu in multis suppleri, plusquam in multis per annos dirigi, & in omnibus dilucidiùs explicari. Hæc præstare, magna sanè ausus, olim deliberaveram, manetque etiamnum valida invalido quamvis in corpore mens, quæ omnia non fuissent nisi Tuo Amplissimo nomini, ambitiosè quidem, sed justissime consecranda: quoniam ipsa per se Tibi non injucunda, & deberi cognoveram, qui occasionem a Te, Tuoque ab homine acceperam, in hæc studia intentiùs incumbendi. Interim autem debiles, ac rudes hos meos conatus præ Tuo in omnes literas amore, devotionemque unà meam præ insigni Tua humanitate, deprecor, ne dedigneris; apud quem noster *Campanus* Archiepiscopus *Camillus Melzius* a Patruo Tuo, summo, optimoque Pontifice URBANO VIII. & a Te ob incomparabiles ejus animi dotes meritissimè in dies ad majora evectus, Legatusque nunc nuper ad *Cæsaream* Majestatem designatus, benevolentia in me usus singulari, fecit benè notum. Diu felix vivas, *Eminentissime Princeps*, sub quo boni omnes felices se esse gaudent.

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ

Humillimus, & Deditissimus Servus
CAMILLUS PEREGRINIUS, ALEX. F.

AUTHORIS PRÆFATIO.

Lectori *Langobardarum* rerum studioso.

Te, *Amice Lector*, *qui penitissimis nostratium* Langobardorum *Historiis delectaris, illarumque ruditatem, ac barbariem non fastidis, jure merito adloquor: quid namque modò mihi, & non hujus, sive nullius omnino antiquitatis, sed sublimioris, politiorisve literaturæ sectatoribus, ac philomusis, quos omnes cæteroqui veneror, & colo; illos tamen abstinere ab hoc Libro* (a) *vehementer cupio, & exhortor? Verùm & Tu non iniquus sis judex, rogo, conatui huic meo, quo gentis & magnitudine gestorum, & imperii diuturnitate, atque amplitudine nobilissimæ memorias obscuritate pene obsitas promere adgredior, moremque tuis studiis gerere vehementer affecto. Jam enim scrupulus aliquis mentem subiit meam, ne Te harum notitiarum amore flagrantem frustrâsse videar, qui siccos Chronologos, ac tenebricosos, cæteraque Opuscula præsenti comprehensa Libro in vulgus emittam nec spissis, nec plenis illustrata Notis, quas res ipsa, nec diffiteor, exposcit, affectasque habeo nonnullis abhinc annis. At siqua apud mortales adhuc viget fides, cur etiamnum ab illarum editione abstineam, accipe.* (b) *Valetudo enim est in causa, qua utor septennio jam integro minus firma, quæque adeo est labefactata, ut omnes prorsus vires diminutas valde, exilesque, ad angorem usque animi, reliquas habeam; quas nec satis validas a rerum omnium parente acceperam natura. Qui igitur possem Commentaria primo impetu mentis ad multiplicem observationem congesta secundis per otium recensere curis, quibus parcere nec vellem, nec deberem; quando exiguo hoc ficcioris anni tempore, quo meliùs habere soleo, vix disjectam mentem colligere potis sum? Cujus opportunitas ne mihi vel nunc depereat, pariterque depereant antiqua isthæc non levi cura* (c) *conquisita, & expolita Opuscula, satiùs esse duxi, Typis ea committere properantiùs, Notisque spoliata suis, quam sub frustrata hactenus spe convalituræ valetudinis lectionem tuis studiis non inutilem de die in diem, ægre quidem ferens, præripere. Ipsa itaque omni remota fallacia, magnaque adhibita diligentia, tum ex suis Archetypis, tum ex melioris notæ exemplaribus deprompta, libenti excipito animo; de quibus meum simul iudicium feram, ac variantes Lectiones, annosque ad oram describam: ut scilicet priorem hanc editionem, quatenus per morbum licet, reddam uberiorem; atque agnoscere hinc quoque, & expectare valeas, me in secundam, si Deus vitam restituet hilariorem, integras distulisse Notas; quibus nihilominus præsens præcessisse opus, non erit omnino infructuosum. At hæc pauca præfatus, ne Te consueta salutatione non compellans, despexisse viderer, prolixiorem nunc non addam vel de Libro admonitionem vel de me excusationem; siquidem apud verè amicum, & peritum Lectorem* (d) *neutra esse opus reor: simulque nec ambitiosum, inutilemque Auctorum, quos citatum ibo, præferam Indicem; qui tamen ignores nolim, quotiens* Leonem Hostiensem, *vel* Petrum *Diac.* Cassinensem *absque ulla distinctionis nota laudatos videris, totiens Chronici* Cassinensis Neapolitanam *editionem, quæ usu communior est, demonstrari. Vale.*


(a) Abstine à Libro, qui abstinere nolis à maledictis. (b) In me valetudinarium. (c) Inque opus festinatum sed sincera fide, & attenta cura elucubratum. (d) De quo amicum, peritumque Lectorem paucis, sed satis monui.

IMPRIMATUR. Gregorius Peccerillus Vicarius Generalis. Alexander Ruffus Canon. Deput.
Registr. fol 5.
Fr. Joseph de Rubeis Ord. Min. Conv. S. T. D. Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Philamarini Theol.
Vidit Ferdinandus Arias de Mesa Regius Consiliarius deleg. per S. E. pro revis. libb.
IMPRIMATUR.
Tapia Reg. Zufia Reg. Sanfelic. Reg. Azcon. Reg. Cap. Latr. Proreg.
GRIMALDUS.

INDICIUM CAMILLI PEREGRINII.

Sequentem brevem descriptionem postremorum quinque Regum Langobardorum Italiæ *præmitto opusculis ipsis, nam iis non adnumero, quia à proposito aliena, & peculiari quadam alia causa adtexitur, statim adnotanda.*




CAMILLUS PEREGRINIUS,
Eques Neapolitanus &
Scriptor insignis.

DE POSTREMORUM LANGOBARDORUM REGUM DESCRIPTIONE.

Descriptio hac Regum inutilis ad rem nostram.



NUllo Historiæ nostratium *Langobardorum* damno præterire potuissem hanc Regum *Langobardorum* Descriptionem, qua *Beneventanæ* Dynastiæ res enarrantur nullæ. Ea vero cum sit hactenus existimata pars Historiæ *Erchemperti*, cui in scriptis Codicibus, pariterque in jam olim edito præfixa habetur, huic uni bono eam recudendam curavi; ut scilicet quæ inter utramque manifesta distinctio intercedit, agnosci valeat, nulla superstite ambiguitate. Et sane multa licet occurrant mihi in edito illo *Erchemperto*, quæ mirer, atque recenseam, quod jactantia omni declinata præstabo, hoc tamen unum primo se offert loco non sine aliqua exprobratione castigandum; quandoquidem in scriptis Codicibus vestigium etsi nullum hujus insit discriminis, res tamen ipsa manifesto se prodit, si paulo intentius *Erchemperti* Historiæ incumbimus; quæ licet barbarie referta sit pluriformi, auctoris, & sæculi vitio, non tamen credendum eò pervenisse hominis imperitiam, ut ille ex abrupto Historiam orsus suam, congeminato postmodum errore, præfatus fuerit loco non suo, quod editus olim Codex repræsentat. In quo est quoque magis peccatum, inductis eo loci nonnullis, quæ ab scriptis exemplaribus longe absunt; idque factum est, ut quæ alioqui adparebat scissura, & pro indiculo esse poterat disjunctorum operum, continenti oratione consolidaretur. Habe igitur a me de- A scriptionem hanc postremorum Regum *Langobardorum*, quam *Paulus Diaconus* suæ *Langobardorum* Historiæ subnectere noluit, callido usus consilio, ne videlicet lugubre *Langobardici* Regni excidium, propriæque gentis ignominiam literis consignaret; hanc, inquam, ab eodem plane *Erchemperto* ex *Romano* Pontificali, hoc est ex *Anastasii Bibliothecarii* libro de Vitis *Romanorum* Pontificum, quem is recenter exaraverat, excerptam fuisse, & ex parte ad verbum exscriptam; at non eo animo, ut a se institutæ Historiæ prior eadem, ac continens esset pars: sed ut disjuncto isto centunculo, compendiosaque ista B narratione integra haberetur Regum *Langobardorum* a *Paulo* producta series ad *Desiderii* captivitatem, & Regni usque excidium, a quo eadem, ac ille usus fuerat calliditate, suam conceperat scriptionem exordiri, pariterque renuebat par ad res Dynastarum *Beneventi* præstare supplementum, licet ex professo eas enarrandas suscepisset, quas nec *Paulus* quoad valuerat produxerat; namque nullam sibi nectendam esse moram in his, quæ ad Regni casum attinebant, consilio perviderat suo; cujus plane scriptiunculæ claro indicio auctorem se prodit num. 2. suæmet Historiæ, inquiens, Regis C *Desiderii* pridem meminisse, quod non alibi, nisi hoc fecerat loco. Cæterum semel moneo Epigraphas fere omnes quas Opusculis istis præfixi, meo arbitrio me efformasse, quia scripta exemplaria nullas exhibebant.

Recuditur tamen.

Ut Erchempertus à calumnia vindicetur.

Qui ejus fuit Auctor.

Callido quodam usus consilio.

ERCHEMPERTI BREVIS DESCRIPTIO DE POSTREMIS QUINQUE REGIBUS LANGOBARDORUM ITALIÆ,

Excerpta ex Romano *Pontificali.*

I. LUitprandus Rex XVI. cum per XXXII. annos feliciter [1] regnaret in *Italia*, inter cætera, quæ gessit magnifica, [2] etiam omnes urbes, & oppida juxta maris ora *Tyrrheni* sita a *Tuscia*, & usque ad [3] *Arelatensem* urbem præliis cepit, & [4] suo Regno copulavit.

II. Post cujus obitum *Hilpran* nepos *Luitprandi* Regis præfuit *Langobardis* mensibus [5] septem, qui jam cum *Luitprando* octo regnaverat annos.

III. Post hunc [6] *Ratchis* [7] regnavit annos A quatuor, & menses novem. Hujus [8] temporibus *Karlomannus* filius *Karli Francorum* Regis pro amore cælestis Regni terrenum relinquens Regnum, *Romam* adiit, & a *Zacharia* Papa factus est Monachus. Et post aliquantum temporis ad B. *Benedicti*, quod *Aquinensium* finibus situm est, profectus est Monasterium: *Ratchis* vero ad capiendam *Perusinam* urbem, sicut cætera *Pentapoleos* oppida, vehementi profectus est cum indignatione; quam & circumdans, fortiter expugnabat. Cui occurrit *Zacharias* Papa, & datis multis muneribus, multaque cum B prece ab obsidione ipsius Civitatis amovit. Cum non

[1] Usque ad mensem Julium anni 743.
[2] &
[3] Arletensem.
[4] *in suo.*
[5] ad annum 744. ineuntem.
[6] *Rachis. Rathis.*
[7] ad 750.
[8] Vide Baron. ad ann. 748.

non multum post idem *Ratchis* Divino instinctu Regalem relinquens dignitatem, devote cum uxore, & filiis ad B. *Petri* Principis Apostolorum [1] perrexit limina, clericusque effectus, Monachico indutus est schemate cum uxore, & filiis. Et ille quidem cum filiis ad B. *Benedicti* Cœnobium profectus est, ubi sub arctissima vitæ districtione vitam finivit. Uxor vero ejus, *K Tasia* nomine, cum [2] *Raptruda* prole sua similiter mutato habitu ex propriis sumptibus Monasterium Puellarum in *Plumbariola* construxerunt, multisque ditarunt opibus, ibique sub magna districtione vitam ducentes, diem clauserunt extremum.

IV. *Astulfus* frater *Ratchis* superioris Regis [3] regnavit annos septem, & menses quinque. Hic multas, & gravissimas persecutiones Populo excitavit *Romano*, ita ut urbem niteretur invadere, obsidione [4] circumdatam; & ex omni Populo per unumquemque singulos aureos expetebat. Pro qua scilicet persecutione *Stephanus Secundus* Papa Abbates Sanctorum *Benedicti*, & *Vincentii* ad eundem Regem destinavit, [5] ut obsecrando a cepta persecutione cessaret. Qui nihil proficientes per aliud iter ad propria reversi sunt Monasteria. Hic autem Papa, & Missos *Pipini* Regis *Francorum*, & Legatos Imperiales misit ad eundem Regem pro ablatis [6] urbibus; & dum nihil proficerent, ipse cum supradictis *Francorum* Missis per *Papiam* ad *Galliam* [7] profectus est, & in S. *Dionysii* Monasterio *Pipinus* cum duobus filiis suis Reges sunt [8] ab eo uncti. *Pipinus* autem cum exercitu super [9] *Papiam* advenit, & obsedit; ac sacramentis a *Langobardis* acceptis pro reddendis urbibus ablatis, *Galliam* repedavit. Post hæc *Astulfus* sacramento dirupto, nihil de rebus, & statutis adimplere voluit. Cum enim supradictus Papa in *Galliam* degeret, *Astulfus Carolomannum* germanum *Pipini*, quem superius Monachum memoratus sum, ad *Galliam* misit, adversari parti Reipublicæ; qui retentus illuc a fratre, [10] vitam finivit. Cujus in locello aureo gemmato corpus ab eodem germano cum aliis muneribus ad dictum Monasterium in *K Cassino* remissum est. *Astulfus* autem deinde omnes urbes *Ravennatium* undique circumdans, fortiter obsedit. Tunc marino itinere id nunciatum est *Pipino* Regi *Francorum*, qui sine mora *Ticinum* obsedit, donec daret idem *Astulfus* Missos suos cum Missis *Pipini*, qui redderent universas urbes *Petri* Beati Vicario; quod & factum est. *Pipinus* vero via, qua venerat, rediit. *Astulfus* autem post hæc in venatione sagitta percussus [11] mortuus est.

V. *Desiderius* autem cum [12] *Adelgiso* filio regnavit [13] annis XIX. Hic cum diversas persecutiones faceret Reipublicæ, & nollet *Romano* [14] Pontifici ablatas urbes reddere, & justitiam facere; vel quia filios *Karlimanni* fratris *Karli* cum matre illorum [15] a se fugientes suscepit, super *Papiam Carolus* Rex advenit tempore *Adriani* Papæ. Si quis autem hoc nosse desiderat, legat Episcopale [16] *Romanum*, [17] illic discere poterit.

[1] *conjunxit.* K Taxia. Tassia. [2] Rattruda, Reptruda. [3] Ad ann. 756. [4] *Circumdata.* [5] deest *ut.* [6] *urbis.* [7] ann. 753. [8] deest *ab eo.* [9] ann. 754. [10] ann. 755. *K Casino* [11] ann. 756. [12] Ardechiso. [13] ad ann. 774. [14] *Populo.* [15] *ad se.* [16] Romanorum. [17] *illinc.*

DE ERCHEMPERTO,

Et ejus Historia.

Ejus pater, & genus.

SOla ad humanæ vitæ incommoda natus est noster hic *Erchempertus*, quem vel viventem, vel demortuum nunquam non perpetua exagitarunt mala. Is patre genitus *Langobardo*, sicut insitus illi amor gentis planius præ aliis indiculis declarat, perindeque viro Patricio, quod

A *Leo* Ostiensis lib. I. cap. 46. confirmat, nomine adpellans *Adelgarium*, cæterum ignota est eductus patria. Nec suæ primordia vitæ clariora nobis remansere, quæ nec sine ærumnis transegit, ipse enim hac in Historia num. 44. enarrat bonorum se amissionem anno 881. captivitatemque perpessum, quæ, nisi idem me fallit, & fallitur *Ostiensis*, sibi adhuc puerulo infortunia contigerunt, ut mox planius constabit. Illud interim non est dissimulandum, videri cuivis posse *Pilanum* illud Castrum (non admodum certæ mihi positionis nomen) ad quod captus est, natale eidem, vel pronioris incolatus extitisse solum, qui exinde dicat exulem se *Capuam*

B advectum, bonisque tunc omnibus a pueritia adquisitis exutum. Verum hoc utcunque se habeat, quinquennio post ista transacto: anno nempe 886. in alterum ille, dum *Capuam* adiret, incidit damnum, quod legere est in hac pariter Historia num. 61. idemque apud *Ostiensem* loco jam producto. Sed cum hoc illi novum evenit malum, cœtui jam aggregatus erat B. *Benedicti*, quod ex temporum collatione, quibus paulo post in alias idem ille impegit adversitates, sat constat, & ex ejusdem assertione elicitur, cum dicit, quod tunc una cum præceptore suo *Capuam*

C repetebat digressus ab *Angelario* Abb. *Cassinensi*, qui tunc temporis Monasterii a *Saracenis* anno 884. diruti (tempora nunc non examino) restitutioni incumbebat. Et sane de hoc nullus superesse videtur locus dubitandi, quandoquidem laudatus auctor *Ostiensis* diserte rem firmat, paraphrasi quadam *Erchemperti* enarrationem explanans, ac dicens præcedenti temporis momento illum a Patre *Adelgario* fuisse oblatum B. *Benedicto*, puerum adhuc, docilique ingenio præditum; ut jam illud quoque, quod prædixeram, verum esse pernoscas, ex *Ostiensis* scilicet adsertione in *Pilano Castro* captum agentem tunc

D non firmam valde ætatem; cui subscribit, quoad hoc de impubere *Erchemperto* Monachis tradito, Petrus Diac. Cass. libro nondum edito * de Illustribus viris ejusdem Cœnobii ibidem in Bibliotheca adservato, signatoque numero 361. Illi autem memoria utique lapso, ac dicenti Monachatum contigisse sub Abb. *Ragemprando*, qui post *Angelarium* sedit per tempora, ad quæ *Erchempertus* nec vita, ut reor, nec certe Historia pervenit, deneganda cæteroqui est fides. Et plane Monachum se sub *Angelario* docet ille hac in Historia nu. 69. sed lapsus utique talis condonandus est *Ostiensi*. Eundem tamen nol-

E lem in alterum impegisse scopulum, naufragioque suo nobis sinceram actorum *Erchemperti* historiam deperiisse, sive in perpetua incertitudine fluctuabundam remansisse; namque videri alicui posset, quod sub primo illo ad *Pilanum* infortunio, nedum sub hoc posteriori, *Erchempertus* pueritiæ annos jam transegerat, qui *omnibus bonis a pueritia acquisitis* se tunc exutum adfirmat. Nec plane pueri vocabulo *Erchempertum* ætate provectiorem demonstratum quis dixerit, acceptione alioqui non infrequenti, qua est quoque in vetusto lapide in meo suburbano *Casapullæ*

F sic: res namque, de qua modo agitur, talem non videtur admittere interpretationem; siquidem valde illi opponuntur ista: a patre nempe fuisse oblatum, quod de vere puerulis contigit tunc ex communi usu fieri; & traditionis tempore indolem præsagivisse commendandam, utpote qui ætate tener, ex sæculi pariter more, in Monasterii scholis primo erudiendus traditus fuerit, & mox inter Monachos

HIC EST POSI-
TVS SECVN-
DVS PVER Q.
VIXIT AN-
NOS XXII.

Sed Patria haud nota. *Pueritia ærumnosa.* Non firme dixerim illud esse de quo Ostiensis lib. III. cap. 19. *Monachatus non felicior.* *Qui sub* Angelario *Abb.* Cassinensi *certe contigit.* * Editus est e Biblioth. *Barberina, Romæ 1655.* 8°. studiô *Joann. Bapt. Mari* Rom. *At non adeo clarum, qua viri ætate.*

chos cooptandus: quæ, ni fallor, apud antiquitatis peritos antiquorum contestatione non egent. Verumtamen de anno Monachatus *Erchemperti* adhuc aliquis superesse poterit in assertione *Ostiensis* scrupulus, licet sub Abb. *Angelario* id actum ultro concederetur. Sed de hoc priusquam dicam, nonnihil de reliquis ejusdem, vel actis, vel passis præloqui me oportet. *Capuam* igitur ille postquam exul fuit ductus anno 881. in eadem pariter urbe nonnullos transegit annos, quod tria nos docere possunt indicia. Primum, quia *Capuam* repetebat, quando quinquennio post in novum incidit malum. Secundum, quia ibidem, jam B. *Benedicto* militans, Cellam ab Abb. *Angelario* sibi traditam, hoc est Ecclesiam, Monasteriumque, sive Casam juris Cœnobii *Cassinensis* cum adtributis prædiis regebat in anno 887. sicut ipse de se dicit num. 69. Tertium, quia *Campanorum* res adeo affatim, ac minutim describit, reliquorum nostratium *Langobardorum* quasi per transcursum tantummodo libatis, ut eas novisse, nisi præsentem credere nullo valeam modo. Quartum quoque adderem, quod nempe *Campanis* ex longo incolatu animo jam factus propensior, istorum damnis sæpe sæpius videatur tristari: & eorundem victoriis assurgere; sed jam initio subindicavi motum illum in hos animi affectus fuisse amore potius universæ *Langobardorum* gentis, quam *Campanorum*; quod in ipso suæ Historiæ vestibulo, & num. 74. manifesto demonstrat. Sed attende, quæ tunc quoque virum novæ exagitarunt ærumnæ. Missus a suo Abb. *Angelario* fuerat ad *Romanum* Pontificem *Stephanum*, a quo plena obtinuerat postulata; sed quia legatione illa animum offenderat *Atenolfi Campani* tunc Comitis, is commissam *Erchemperto* Cellam vi abstulit, sicut videre est in præcitato num. 69. idque eodem signato anno 887. indubitata res est contigisse. Qualis vero vis illata illi fuerit, non ibi adscribitur; sed ærumnosis illis temporibus viri sæculo potentes indiscrete religiosos exagitare consuevisse viros, resque eorum, innumera docent nos exempla, satque sit tibi, quod idem Erchempertus suppeditat num. 13. scribens de *Cassinense* Abbate *Deusdedit* nomine, quem Princeps *Beneventi Sicardus a Pastorali Monasterio Monachorum, sæculari magis potentia, quam congrua ratione, deposuit, ac custodiæ mancipavit. Atenolfo* autem non obstitit *Angelarius*, etsi favore fretus Summi Pontificis valuisset; sed majora, ut opinor, meditans, obsecundare maluit, vel imperanti, vel expetenti; sicque munere suo exutus est *Erchempertus*. At de illo quid postmodum actum sit, firmiter satis, nec rei gestæ descriptio, nec suggerit conjectura. Hoc unum tamen opinari haud displicet, illum æquo animo tunc ista ferentem, vel *Capuæ* remansisse. vel *Teanum* ad confratres ibidem degentes commigrasse; alterutroque in loco anno 889. occubuisse, qui exeuntem annum 888. viderat, descripseratque, nec ulterius Historiam produxerat suam; quam se producturum promiserat, sicuti altera jam vice ad num 79. deposuerat, sed tribus postremis numeris resumpserat. Alii alio ista, fortasse, ducent, conjecturamque, hanc meam aspernabuntur; & sane non latet me potuisse *Erchempertum* non hac producta causa a scribendo abstinere; sed promptior ista visa est occasio, quam dedi, & ab omni divinatione remotior. Verum quod ad hunc distuli locum modo resumam: tempus scilicet Monachatus *Erchemperti* ætate tenelli non videri contigisse sub Abb. *Angelario*, qui non ante annum 884. Abbatiam fuit indeptus, sed ante sane quam multo. Nam esto primo illius præsulatus anno oblatus a patre fuisset, sat cito, ne dum sacrorum librorum lectione decursa, earumdem phrasim, ac sententias, ut præ se fert, percalluisset; verum ad apices munerum sui ordinis convolasset, ætateque tenera iis impar; hoc est anno 887. curam Cellæ administrans, ac Legatum ad Summum agens Pontificem, qui anno jam præcedenti fuerat sub Grammatices, Monasticæque regulæ Præceptore. Quocirca proclive magis esset credere Monachum induisse *Erchempertum* sub Abb. *Berthario*, qui ante 28. prope annos fuerat Abbas renunciatus, puerum tunc plane illum, ac ad *Pilanum* rebus a pueritia adquisitis nondum exutum; Cum cæteroqui videri possit *Ostiensem* in hoc pariter memoria excidisse, quod Monachatum, & damnum prope *Capuam* acceptum sub uno, eodemque Abbate contigisse affirmet, perindeque sub *Angelario*; quoniam semel de hoc damni illati tempore, deque Monachatu sub *Ragemprando* manifesti sit convictus erroris. Monachus igitur non inepte reputabitur factus sub *Berthario*, & annis aliquot antequam 881. evolutus esset, omni de reliquo cessante repugnantia, maximaque accedente rerum, quæ postea sunt secutæ, concordia; in anno enim 887. processisse potuerat ad maturiorem ætatem, congeminatisque muneribus congruam sane, magisque consentaneam. Nec producta modo castigatio contrarietate impeditur ulla: quinimmo ipsiusmet *Erchemperti* testimonio videtur posse consolidari, qui num. 21. præsentem se conspexisse mala affirmat, quæ *Campani* Episcopi, & Comitis *Landulfi* factiosis operibus provenere, illeque diem obierat suum mense *Martio* anni 879. Ita ut inde colligi clare possit *Erchempertum* satis sibi constare, vereque biennio post, in anno videlicet 881. cum ad *Pilanum* est captus, pueritiæ annos jam excessisse; eademque de causa Historiam suam a novæ *Capuæ* reparatione dedisse pinguiorem, hoc est ab anno 856. utpote vere sibi *Historiam*, hoc est, *Spectaculum* atque præsentem: Quibus omnibus mire, & clare favet Petrus Diac. in præcitato libro de Viris Illustribus dicens, *Erchempertum* vixisse sub Imp. *Ludovico*, hoc est, *Lotharii* filio, qui obiit anno 874. Verum enimvero, qui meus in illum de *Capua* optime meritum amor voluit, ut non perfunctorie acta, scriptaque ejus, qua elucidatum, quave expurgatum irem, idem impellit ille, ut *Leonis Ostiensis* Cardinalis amplissimi patrocinium suscipiam, licet ponderosius, quam vires ferant meæ, dum utriusque merita in patriam imparia non sunt meam. Et plane illius assertio ab inflicta censura vindicari posse arbitror, si germana quadam explanatione excipiatur, qua *Erchempertum* puerum dictum fuisse opinemur, non quod quinquennis, sexennisque fuerit tunc puer, sed quod non se ipso, nec *per capillos capiti sui* (ut cum eodem loquar Ostiense lib. 1. cap. 45.) tradiderit se B. *Benedicto*; verum ætate aliquantò provectior fuerit traditus a patre *Adelgario*, ut cæteri tenelli tradi consueverunt. Qui ingenii, qua pollebat, acritate exiguo temporis spatio, & præ rudi illo sæculo ad miraculum usque Grammaticam, Poëticam, Rhetoricamque utcumque assecutus, Cellam continuo administravit, legationisque munus exercuit, ut hoc quoque supra ætatem miraculum mundus ille admiratus fuerit; & eopse miraculo legatus electus, legatioque ejus carior, acceptiorque *Romano* fuerit Pontifici. Nec tamen ob id crediderim illum, ut summum attigisse tunc annum vicesimum quintum, quem nec excessisse

De quo nil modo diffinitur. — *Is tamen Capuæ tunc mansit.* — *Cellam Monast. Cassinensis administrans.* — *Legatione ad Roman. Pontificem quoque functus.* — *Rerum de tempore Monachatus, deque ætate viri.* — Ostiensis *infirmum testimonium.* — *Suidas* hoc verbo. — *Consolidatur.*

oportet opinari, si vera sunt, quæ de ejus dixi excessu mox a deposita Historia secuto in anno 889. quod verissimum esse confirmat eadem ignea illius mentis vis; quæ nullatenus, si advixisset, silentio conclusa valuisset contineri. Vitam igitur *Erchempertus* (natura sic semper exuberando deficiente) præpropere maturavit, qui præcoci fuerat præditus ingenio. At quod de ejusdem tempestiva sacrarum literarum scientia præposueram mirum esse non debet, cui novum quoque non sit, olim in scholis sacros potissimum admissos fuisse libros, & apud plerosque alios nullos. Nec pariter demiremur, quod is dicat præsentia se vidisse mala, quæ *Landulfi* Episcopi opera contigere; namque damna significare voluit ea, quorum ipse pars quoque fuit, & quæ Episcopi mortem fuerunt subsecuta, ut, si locus extremi num. 31. cum dicto num. 21. conferatur, palam faciet. Testimonium verò *Petri Diac.* quanti in hoc sit faciendum ex infra notandis manifestabitur; qui si *Erchemperti* Historiam libasset, non sub *Ludovico*, sed sub *Carolo* III. illum vixisse agnovisset: imperavit enim *Carolus* ab anno 881. ad annum 888. quo planè annorum decursu tota *Erchemperti*, quatenus innotuit, vita fuerat peracta. Sed de his hactenus.

Erchemperti Historia male habita a librariis.

Quæ vero eidem post mortem, ut præmonebam alia nova accesserint infortunia, illaque, quod in defunctum illata, numero, damnoque majora, ac tempore diuturniora, non erit qui nesciat, dummodo ejus Historiæ facies, vel in scriptis Codicibus, qui in Chartis plures habentur, vel in Edito inspiciatur. Nec mihi majore improprietate *Erchemperti Historia* absolute dicitur *Erchempertus*, quam si cadaver illius eodem appellarem nomine. In illam, inquam, tot, tamque alta Chartaceis in Codicibus a librariis fuere inflicta vulnera, ut *Antonius Caracciolus* Clericus Regularis, clarissimi, eruditissimique viri nomen, integræ sanitati multa licet reddiderit, plurima tamen sua in editione incurata reliquit, præ tædio, ut puto, ad majora conversus studia, quæ sectabatur magno literariæ Reipublicæ emolumento. Sed vulnera ista curatum modo, non deploratum imus; sique frustra ierimus, attentus peritusque judicabit Lector: omnis alius præjudicabit. Tempus idcirco in his non absumam, & quæ de *Erchemperti* modo Historia sunt congrue ad hunc locum adnotanda paucis absolvam.

Primum recensita ab Anton. Caracc. *V. C.*

Cur, & quando illam aggressus noster.

Aggressus illam est, ut opinor, noster post partam insignem ab *Atenolfo Campano* Comite de *Neapolitanis* victoriam, quæ contigit æstate nondum transgressa anni 888. nec suo solius arbitrio, sed, ut ipse præfatur, hortatu *Algelgisi* nobilis, sapientisque viri, quem *Campanum*, vel *Campanis* animo propensum ex petitione eadem sua, reque ab *Erchemperto* præstita agnosco; totus enim in *Campanorum* rebus laborat. Non ausim tamen satis firmiter affirmare, an iste ille idem fuerit *Alcisus*, de quo habetur num. 63. quique idem *Atenolfo Capuam* fratribus præripienti non adstitit, sed contra *Neapolitanum* Episcopum, ac Ducem belligeranti adstitisse arduum non est divinare. Et sane quod *Erchempertus* se tunc dederit huic Historiæ, inferri ex hoc posse persuadeor, quod in Præfatione consuetudinem illam ab Historiographis retineri imposuit, *ut ea tantummodo retexere soleant, quæ ad laudem gentis pertinere noscuntur*; in quo *Pauli Diaconi* consilium laudat, & se dicit descripturum *Langobardorum* damna, & improperia. Cur igitur non abstinuit, immo prudens, idemque nobilis vir *Algelgisus* cupide id expetivit? Scies, si quæ olim

A longo ævo inter *Campanos Neapolitanos*que intercessere bella, ad mentem revoces, quibus utrorumque invicem odia sic efferbuere, ut videre mihi videar illos partam tunc victoriam tanti fecisse, qua *Neapolitani* mœnibus conclusi suis palantes sinebant omnia pervadere hostes, ut unam illam omnibus præteritis damnis, vel illatis, vel passis maxime præferrent. Quibus pariter *Algelgisus* rebus elatus prosperis *Erchemperto* instituit, ut occasione continuandæ Historiæ *Pauli Diaconi*, quod nullus hactenus attigerat, suum institueret Auctarium, quod fine adeo memorando, ac *Campanæ* genti decoro concluderet.
B Illeque haud plane invitus, immo privato etiam odio *Neapolitanis* infensus, ut ex num. 44. & 61. colligi potest, petenti ultro obsecundavit; proindeque ingenti de victoria illa tripudians exultatione conspicitur num. 74. Hac ergo occasione *Erchempertum*, credam, Historiam adgressum, quam absolvisse opus est paucis decursis mensibus; namque ut constat ex Num. 79. & 82. finem eidem imposuit eodem anno 888. nondum exacto. Nec improbabile cuiquam sit tam cito Avorum memorias ex centum retroactis annis pervestigare potuisse; etenim illas non ex libris excerpere necesse habuit, quippe, qui
C *visa se*, *& audita* descripturum præloquatur, non autem scripta, quæ iis de rebus adhuc nulla exarata fuisse ob id ipsum opinor, sed ex facili cum familiaribus collocutione hausit; certeque *Langobardi* res, & Genealogias suas, immo leges omnes prompta memoria retinere consueverunt; præterquam quod *Erchempertus* summatim adnotavit, quæ Principem *Radelchim* præcessere, hoc est annum 839. utpote ætate remotiora, & viventibus tunc senioribus minus nota, qui reliqua ab illius Principis ævo potuerunt omnia probe nosse.

Qua diligentia, ac sinceritate in ea usus. Vide infra ubi de Anonymo Salern. Num. 6.

Cæterum hæc Historia ab *Ostiensis* fere tem-
D pore, qui in primo sui Chronici libro ea fuerat usus, hoc est ab anno circiter 1100. diu neglecta, obscuraque manserat; ejusdemque exemplar nullum nobis nisi unum in membranis scriptum remanserat, quod apud *Salernitanos* delitescebat, operaque tandem *Marini Frecciæ J. C.* innotuit, qui *Stabiis* Autumnalibus Feriis commorans, exemplum inde sua exscripsit manu, operi insistens a die 29. Augusti anni 1560. ad diem 16. Octobris ejusdem anni, ut ipse de se fatetur in libro de Subfeudis I. cap. de Provin. & Civit. Regni num. 36. & ad finem novi a se exarati Codicis, ex quo in dies plurimi, qui
E modo Papyracei habentur, effluxere, eisque plerique recentiores literati viri utiliter in operibus sunt usi suis, licet corruptissimis. Exemplar autem illud in *Vaticanam* postmodum inductum fuit Bibliothecam, ut indicium, quo est præsignatum, commonstrat; siquidem habet ad oram nonnullas Glossas, sive Adnotamenta ex eadem Historia excepta, eaque non admodum novitia manu conscripta, quæ prorsus eadem ex *Frecciano* oborti Codd. retinent multi, ac vulgo ab eodem *Freccia* exarata creduntur; sed ipsamet illa, me judice, *Salernitanum* civem probant habuisse auctorem, *Freccia* sane integro
F ad minus sæculo antiquiorem, ut opportuniori loco de hoc, & de cæteris, quæ ad notitiam spectant horum Codicum, qui circumferuntur, fuse dicam, & alibi quoque in Notis quo pariter loco reddetur mihi ratio Epigraphes, quam huic Historiæ adfixi, ibidemque complurium Scriptorum testimonia de *Erchemperto* prolata seriatim dabo; namque satis longum, & alienum esse duxi diutius hic immorari. Unum tamen non differam, mirari scilicet me, quod Petrus Diac.

Eademque quando iterum innotuit, & qui auctores.

Ubi de Anonymo Salernit.

Nec aliis profa ore

tione conscripta, illi asserenda. Diac. libr. de Vir. Illustr. alias laudato, duo alia, quæ non extant opera adnotarit a nostro *Erchemperto* fuisse scripta, sic dicens: *De Destructione, & Renovatione Cassinensis Cœnobii: Nec non de Ismaelitarum incursione Historiam satis necessariam composuit.* Nisi una in Historia significare ille voluerit utramque descriptam fuisse cladem, quam utique Historiam alteram ab hac credere nullus recusabit; qui recusare quoque velit *Petrum* oscitanter ista adnotasse. Sed eum ab hac culpa defendat, qui volet: ego plane, eodem consentiente *Erchemperto* num. 31. novi a se non modo præsentem exaratam Historiam, sed Carmina quoque de *Landolfo Campano* Episcopo, & Comite, deque aliis alia, quorum fragmenta reputo versus, qui habentur num. 6. 9. & 21. nec tamen illa *Petrus* adnumeravit; quod plane fecisset, si præsentem saltem percurrisset Historiam, sicut paulo ante monebam. *Sed metro quidem, ejusdemque argumenti.* Ni, forte, prætereunda censuerit, quod tam his metris, quam prosa illa eadem, fere, haberentur descripta *Langobardorum* gesta; quam equidem de utrisque nec sine divinatione, opinionem habeo, sed suffragantibus mihi indicatis fragmentis, & sæculi more non reclamante, cujus exemplum habeo in Tumulo filiorum Principis *Landulfi Capuæ* positi infra una cum aliis adscribendo.

Recensionis meæ ratio. De mea vero recensione hoc addo, quod cum operi me primum dederam, puræ innitens conjecturæ, & collatione utens Auctorum, qui editi, ineditique eadem tradiderant, uno adjuvabar scripto Chartaceo Codice, quem *Hieronymus de Barone* Patricius *Campanus*, & Dux *Frisæ* exscribi curaverat e *Frecciano* exemplari manu librarii conductitii, ac plane inerudití, quibus adjutus adminiculis graviora plurima reformaveram errata, nonnullis exceptis diligentiorem curam exquirenibus. Postmodum illuxit mihi amor *Lucæ Holstenii* V. C. qui & ipse amor literatorum, ac delicium: an dicam quoque norma? favorem conciliante *Petro La Sena*, eheu, viri nomen eruditissimi, sanctissimi, ac mei amantissimi, nec unquam sine luctu recordandum. Magnusque vir ille meis precibus, jam enim diem obierat *La Sena*, editum Codicem *Erchemperti* cum scripto Membranaceo, qui in *Vaticana* Bibliotheca adservatur, numero signatus 5001. contulit, variantesque lectiones sua manu ad oram editi libri adnotavit, conjectura, ut monuit, & ipse quandoque usus; mihique librum notulis, hoc est margaritis, exornatum transmisit perhumanissime. Quo adjumento omnis propemodum mea

A in *Erchempertum* castigatio consolidata remansit, desperataque illa fere omnia medicinam accepere, & sanitatem. Tandem nactus sum alterum Codicem, & ipsum Papyraceum, qui est *Andreæ Marchesii*, *Campani* quoque Patricii, Principis *Montis Marani*, & in hoc Regno Regii Consiliarii, ejusque lectione imposita est mihi ultima labori manus. Nam iste in iis, in quibus primus ille Codex a *Vaticano* discrepat, ut plurimum eidem, multoties huic concordans, quandoque autem utroque melior, pejor quandoque, ut in Notis manifestabitur, omnem sedavit meam anxietatem alios perquirendi; quos B plane multos Chartaceos, tum *Neapoli* haberi, tum alibi certo scio. Remansit tamen, nec celaverim, locus unus, vel alter, aut mancus, aut suspectus, & ob id asterisco signatus; quibus nec mea conjectura quidquam firmi auxilii suppeditavit, nec excerptæ ex *Vaticano* lectiones ulli fuere subsidio: nihil enim inibi exhibebant; quandoquidem minutiora multa postea, ut reputo, daturus erat a majoribus, tunc studiis, curisque revocatus *Holstenius*, & graviora nonnulla festinantem prætererant. Quocirca nil mihi fidens, integrum Lectori servare volui judicium, cui integrum pariter ex me erit de ceC teris omnibus judicare; modo & ipse Papyraceos inspiciat, excutiatque Codices, & cum vocibus luctetur, qua mutilis, qua depravatis, qua scissis, qua commissis, qua denique omnigena fœditate refertissimis. Quarum nihilominus specimen ad libri oram multoties repræsentavi, ut qui Antigrapha talia adire abhorruerit, ex pauculis illis argumentari valeat, an admodum plana, expeditaque hæc mihi cesserit recensio. Et quidem non alio consilio eam suscepi, nisi ut Historia, qua postremorum *Campanorum* Comitum res ex proposito enarrantur, aliis haud haberetur, quam innatis impedita tricis; longeD que a me abfuit mens priorem insectandi editionem; quinimmo ne talis unquam exoriretur opinio, non semel ejus lectiones malui retinere, contentus variantes indicasse, hæ licet ad *Erchemperti* stylum, & ætatem accederent magis. Verumtamen, Lector, si scriptos Codd. ipsemet experiri volueris (idque facias iterum rogo) comperies me in uno tantummodo fallum, quod non ex exemplarium fide, sed meo arbitratu continentem Historiæ textum in sectiones diviE serim, quibus numerales adscripserim Notas: id autem an tuæ cessurum sit fraudi, ipse dijudices, qui scias pariter volo, idem me commisisse in his fere omnibus Opusculis. *Et consilium.*

EPITOME
HISTORIÆ ERCHEMPERTI

Sive Fax ad illius partem quæ spectat ad Comites Capuæ.



NOn integram *Erchemperti* Historiam hac Epitome explanandam suscipio, sed eam dumtaxat partem, quæ præ omni opere est maxime implexa, tum Auctoris culpa, tum adfinitate nominum virorum, qui in ea enarrantur. Utrique autem incommodo hoc Breviario, & adjecto stemmate Comi-

A tum *Capuæ* occurro, dum id præstare haud morbus finit integro, & pleno Commentariolo. Tu confer invicem pares prænotatos numeros ad Epitomen, & ad Genealogiam, unaque subnotatas Notatiunculas; quod cedet, ni fallor, hujus tricosæ Historiæ facilori explanationi.

I. *Landulfus* nobilissimi hujus generis [1] caput, & origo. N. 21. stirpe *Langobardus*. N. 53. vir ad bella promptissimus *Neapolitanos* vexat; [1] suis-

[1] *Ign. Cass.* N. 16.

[1] suisque peremptis adfinibus rebellat a Principe *Beneventi*, & *Capuam*, *ejusque ditionem*[2] *solus* obtinet; seque *Sicopoli* (munitissima in urbe N. 24.) tuetur N. 15. Somnium [3] uxoris interpretans dira vaticinatur de filio *Landulfo* Episc. N. 21. liberos suos pessime monens obiit. N. 22.

II. *Pando* [4] *Marepahis* fil. *Landulfi Suram*, *hoc est Soram*, administrat. N. 21. qui, & ejus fratres *Pandulfo* consanguineo *Suessulam* callide adimunt. N. 23. In *Ademarium* Pr. *Salerni* indesinenter bella movet ob vindicandum cognatum, filium *Marini Amalfitani* [5] *Comitis*, qui ab illo captus, & traditus fuerat *Sergio* Magistro Mil. *& Duci Neapolis*: idemque *Marinus* ab eodem *Sergio* in vinculis detinebatur. N. 26. Sed parta a nepote *Landone* clara de *Neapolitanis* victoria, captivos *Amalfitanos* libertati restituit N. 27. & *Ademarium* Pr. [6] carceri curat mancipandum, *Guaiferiumque* [7] *virum Landelaichæ neptis suæ ex fratre Landone*, sponte, *& proprio arbitrio Salerni* Principem constituit: his in omnibus germano *Landulfo Capuæ* Episcopo sibi consentiente, & opitulante, quo pariter sociatus a *Guaiferio* non multo post rebellat. N. 26. unaque ambo *Capua* exturbant nepotes, *Landonem* & fratres ejus, filios præmortui senioris *Landonis*, sola [8] Gastaldatus cupiditate accensi, *hoc est administrationis* Campanæ *Dynastiæ*. *Pando* autem invasas a nepotibus *Casamirtam*, & *Cajatiam* recipit, atque hanc vastat. N. 30. eosdemque una cum fratre Episcopo, ac trium suorum filiorum præsidio bello insequitur. N. 28. In prælio tandem confossus [9] occubuit. N. 28. & 30. Ejus filios habes N. 28. 30. 36. & 40.

III. *Lando* filius [10] *Landulfi* N. 21. munere, & ætate Senior. N. 28. vir singularis, & præstantissimus. N. 53. *Capuam* post patris obitum [11] obtinet, & administrat: *hoc est*, *loca ad Dynastiam* Campanam *spectantia*: [12] *urbs namque in cinerem a* Saracenis *versa fuerat*, *&* Campani Sicopolim *confugerant*, *quam incolebant*. Idem curat ordinandum Episcopum *Landulfum* fratrem. N. 22. *Ludovicum Lotharii* fil. advocat in *Saracenos*. N. 19. Novam urbem a fratribus ædificari cœptam inridet N. 24. Sed mox mire [13] perficit. [14] *Quam legibus instruit*, atque tum primum habitatam tuetur [15] adversus *Guidonem* Ducem *Spoletii*, cui nolebat subjici. N. 25: Paralysi laborat anno integro. quo temporis decursu *Lando* filius ejus in *Neapolitanos* insigni victoria potitur. N. 27. Fratres quoque, se inscio, conjurant in *Ademarium* Pr. *Salerni*. N. 26. quibus, fato decedens, filium commendat. N. 28. ejus filios [16] habes N. 28. 30. 40. 41. 42. 44. 45. 47. 49. 53. & 64.

IV. *Landonulfus* filius *Landulfi* N. 21. ob ætatem dictus senior. N. 40. *Teanum* [17] administrat. N. 21. perpetuo [18] refragatur *Siconulfo* Pr. *Salerni*, & ejus filio, cui invitus dat filiam obsidem. N. 22. *Capuam* ad *Pontem Casulini* una cum fratre *Landulfo* Episcopo [19] cœpit ædificare. N. 24. quam recusat subjici [20] *Guidoni* Duci *Spoletii*, ideoque *Suram*, & confinia oppida (*quæ a fratre* Pandone *quo pacto ad se transierint ignotum*) amittit, atque ex animi mœrore obiit. N. 25. ejus filios [21] habes. N. 40. 41. 47. 49. & 53.

V. *Landulfus* postremus [22] filius *Landulfi*, cujus futura dira opera præmonstrantur symbolica matris ejus visione patre orbatus, atque ætate tener domi manet nullo insignitus munere. N. 21. *Landonis* fratris favore ordinatur Episco-

[1] *Ign.* Cass. *N.* 8.
[2] *Id* Athanasius *indicabat* Atenulfo. *N.* 53.
[3] Filiæ Rofrit *Anon. Sal. par.* 3. *nu.* 1. *quem vide* P. 2. *n.* 2.
[4] *Ign.* Cass. *N.* 16.
[5] *Præsides* Amalfitanos *sic primo adpellatos Anon.* Sal. *ineditus auctor est.*
[6] *Qui & oculis tunc orbatus. Ign.* Cass. *N.* 23. *& Anon.* Sal. *ineditus.*
[7] *Anon.* Sal. *ineditus.*
[8] *Chr. Com.* Cap. *N.* 3. *&* 4.
[9] *Ign.* Cass. *N.* 31.
[10] *Ign.* Cass. *N.* 16.
[11] *Ch. Com.* Cap. *N.* 2.
[12] *Ostien. l.* 1. *c.* 24. *&* 30.
[13] *Ign.* Cass. *N.* 16. Ost. *lib.* 1. *c.* 30.
[14] *Disco ex mensura Passus ab eo definita, qua* Campanos *usos in agrorum modis metiendis antiquæ Char. docent.*
[15] *Anon.* Sal. *inedit. dicit.* adversus Pr. Sal. *utrumque verum. Ign.* Cass. *N.* 23.
[16] *Uxorem apud Ign.* Cass. *N.* 21.

[17] Gastald. *dicit Ign.* Cass. *N.* 16. [18] *Sed vide an de illo* Ost. *l.* 1. *c.* 25. [19] Ost. *l.* 1. *c.* 30. *tacet de* Landonulfo. [20] *Ign.* Cass. *N.* 23. [21] *Uxorem. An. Sal. P.* 5. *n.* 3. *eum vide P.* 2. *n.* 2. [22] *Ign.* Cass. *N.* 16.

pus *Capuæ* post decessum *Paulini* Sanctitate clari. N. 22. sistit se vice fratrum coram *Ludovico Lotharii* fil. N. 20. urbem construit ad *Pontem Casulini* cum fratre *Landonulfo*, N. 24. quam renuit subjici *Guidoni* Duci *Spoletii*. N. 25. ex ea nepotem *Landonem*, *Landonis* fratris filium, quem ab illo commendatum susceperat, post ejus obitum ejicit, consentiente sibi germano *Pandone*, belloque insequitur. N. 28. *Pandone* fratre in dimicatione perempto, ejusque filiis *Capua* secedentibus, urbem, [1] *ut subindicatur*, administrat: homo versutus, elatus, petulans, & inreligiosus. N. 30. & 31. ejus calliditatem frustratur *Ludovicus* Imp. qui *Capuam* obsidet, & obtinet, suisque Judicibus, *seu Primatibus* singulis fere mensibus regendam, atque in prædam [2] tradit N. 32. *Sed is nil animo destitutus*, in amicitiam Imperatoris se insinuat, a quo auxilia in *Saracenos* petit, & obtinet, eosque bello delet: [3] bonum hoc unum in vita operatus. N. 35. constituitur in ejus Regno tertius, ac temporis opportunitate usus, se Primatem fieri, & *Campanam* Ecclesiam super omnes *Cis-Tyberinas* exaltari, *Guaiferium* Pr. *Saler*. dejici studet: nil adsequitur mortuo Imperatore, & a suis nepotibus bello fatigatus, rerum vicissitudini deservit, ejusdemque Principis in eos advocat auxilia, quibus mox concordat. N. 36. Obiit tandem pænè impœnitens. N. 40. injusta, sive imprudenti divisione oppida *Campanæ* ditionis nepotibus dispertitus N. 31.

VI. *Landulfus* filius *Pandonis* mortuo patre secedit *Capua* una cum fratribus, & *Casamirtam*, *Campanæ* Dynastiæ oppidum, se recipit. &c. N. 30. *Hujus proles ignota*.

VII. *Pandonulfus* fil. *Pandonis*, mortuo patre suffectus est Comes *Capuæ* a patruo *Landulfo* Episcopo, a quo mox discrepat, ac volens urbe abit: [4] *Suessulam* intrat, adjacentia *Capuæ* loca cum fratribus vastat; patruelibus, filiis *Landonis*, & *Landulfo* patruo concordat, ab utrisque discedit, deque hoc apud Imperatorem conquestus, *Capuam* redire recusat. N. 30. Patruo *Landulfo* vita functo, & *Campana* ditione concordi omnium patruelium voluntate trifariam dispertita (*ad instar. s. trium filiorum senioris* Landulfi, *ex quibus filii remanserant*) ipsi, & fratribus obtigit urbs *Teanensis*, & *Casairta*. N. 40. [5] Capua *communi omnium juri*, *& domicilio adjudicata*, *cujus Gastaldatum*, *sive administrationem unus obtinet*, *isque idem* Pandonulfus, *sicut ex* [6] *subsequentibus constat*. Ille vero ejusque fratres cupiditate accensi, & *Calvi* oppidi constructione offensi, duos filios senioris *Landonulfi* captivos faciunt, quibus *Cajatiam* quoque adimunt. N. 40. & 45. ablata pariter *Suessa* filiis *Landonis* senioris. N. 45. eodemque tempore patruelem *Landulfum* Electum *Capuæ* Episcopum *Pandonulfus* e Claustro, *hoc est ex ædibus*, *& domicilio Episcopo*, *& Canonicis communi*, ejicit, & *Landonulfum* fratrem loco ejus instituit. &c. N. 46. quem consecrari obtinet [7] a *Joanne* Papa 8; [8] quia *Capuam* eidem subjecerat. N. 47. sæva inde civilia exorta bella. N. 41. 42. 43. 46. & 47. quæ *Pandonulfus Athanasio* Episcopo *Neapolis*, & Magistro Militum sociatus dire in utrosque patrueles exercet. N. 44. & 45. Nobilissimam veteris *Capuæ* Ecclesiam *a* [9] *Constantino Magno Apostolis extructam* exuri per *Saracenos* mandat. N. 47. Ei sociatur *Gaideris* Pr. *Beneventi*. N. 48. quem *Athanasius* deserit, ac intra *Capuæ* mœnia obsidet. Advocat ille cognatum *Radelgisum* noviter institutum Principem *Beneventi*. N. 49. sed tandem concordat patruelibus, quos [10] intra urbem recipit (de hoc enim diffidebant

N. 42.

N. 42. & 43.) sed fraude ab illis captus *Neapolim* cum filiis relegatur. N. 50. Ab *Athanasio* dein solutus *Suessam* se transfert, & *Capuæ* agros populatur. N. 60. *Nec de illo, deque ejus filiis alia tradita habentur.*

IIX. *Landonulfus* fil. *Pandonis*, mortuo patre secedit *Capua* una cum fratribus, atque *Cajatiam Campanæ* Dynastiæ oppidum se recipit, &c. N. 30. [1] Licet conjugatus, & recenter clericali ordine initiatus *Pandonulfi* fratris factione ordinatur Episcopus *Capuæ*, cujus Episcopatum dimidium obtinet, sic schismate componente [2] *Joanne* Papa 8. N. 46. & 47. Fraude captus a patruelibus, *Neapolim* relegatur. N. 50. *Hujus proles ignota; nescioque an idem sit ille, de quo* Formosus *Papa in Epist. ad* Stilianum, *obtinueritque iterum Episcopatum, sive nudum nomen servaverit.*

IX. N. N. feminini sexus filiæ *Landonis* senioris, quarum [3] una conjux *Guaiferii*; qui factione patruorum uxoris factus est Princeps *Sal.* N. 26. & adstitit cognatis contra *Landonulfum* Episc. N. 28. & contra *Pandonulfum* Comitem *Capuæ*. N. 41. 42. & 43. Ex his duos dat ille pro se obsides Imperatori. N. 36.

X. *Landulfus* fil. *Landonis* senioris gener *Sergii* Magistri Mil. cujus ope *Suessulam e fratrum, & patruelium indivisa ditione, atque e* Campani *Comitatus Dynastia divulsam*, sibi soli *præter morem* vendicat, quam nunquam dimisit. N. 23. eidem *Sergio* adstat contra patrem, & fratrem *Landones*. N. 26. Fratres a patruis *Capua* expulsos commiseratus *Suessulæ* recipit. N. 28. *Verum hic* Landulfus *fit ne idem ille, qui* Casamirtam *cepit. N.* 28. *& a* Guaiferio *Pr. datus est obses Imperat. N.* 36. *an frater alter cognominis: sive secundus hic* Landulfus *sit* [4] Landonulfus, *ita ut textus* [5] *vel uterque vel alter censendus sit depravatus, non dijudico. Ab eodem tamen Principe, ut reor, obtinuit prior ille* Landulfus *Castrum* Abellanum, in quo obsessus ab *Athanasio* Episc. *Neap.* & Mag. Mil. [6] etsi nepote uxoris suæ, proditus ab oppidanis capitur. N. 67. ejus filii. Ibid.

XI. *Lando* [7] fil. *Landonis* senioris ob ætatem dictus junior. N. 27. qua procedente adpellatus senior. N. 56. ingentem victoriam obtinet de *Neapolitanis*. N. 27. *Sed ibi* Pando *dicitur ejus Avunculus minus proprie, qui dicendus erat* Patruus, *ni de altero ignoto* Pandone *est sermo.* A patre vita decedente commendatur patruis, a quibus [8] Gastaldatu exutus, *Capua* extruditur una cum fratribus. *Cajatiam* occupat: mox amittit, & ad fratrem *Landulfum Suessulanum* se recipit; cui *Guaiferius* Pr. (ejus cognatus. N. 36.) armis favet. N. 28. illumque & fratrem dat per se obsides *Angelbergæ* Augustæ *uxori Imp. Ludovici*. Illi vero paulo post dimissi conjurant cum patruelibus, fil. *Pandonis*, in damna patrui *Landulfi* Episc. Sed tandem omnes eidem *Landulfo* concordant opera *Guaiferii*. N. 36. Episcopo defuncto & *Campana* Dynastia in tres partes dissecta, *Landoni* huic, & fratribus cessit [9] *Berelais*, atque *Suessa*. N. 40. quibus *Pandonulfus Suessam* adimit. N. 45. illique sociantur patruelibus aliis, fil. *Landonulfi* senioris, & in illum advocant *Guaiferium* Pr. unde damna utrinque inlata, & excepta. N. 41. 42. & 43. conveniunt pro componendo *Campano* schismate. N. 47. Commorantes, *ac tuentes se* in Colosso, *tanquam in munitissima Arce, hoc est in lapideo Amphitheatro antiquæ urbis* a *Pandonulf.* obsidentur, & devicti pacem obtinent. N. 44. ab eodem *Capuæ* suo damno recepti. N. 50. At *Lando annis gravis, & altero advivente* Landone *ætate* senior sero nubit [1] nepti *Athanasii* Episc. *Neap.* N. 53. Apoplexiæ morbo *a patre sibi hæreditario* obiit N. 56. *Hujus proles ignota.*

[1] *Chr. Com. Cap. N. 6. Ost. l. 1. c. 40.* [2] *Illum vide Ep.* 248. 270. *Chr. Com. Cap. N. 6. & Ost. l. 1. c. 40.* [3] *Dicitur.* Landelaicha *Anonymo* Sal. *inedito, quam oculo glaucosam describit, sed ob præstantes mores a* Guaiferio *expetitam, & sorori prælatam.* [4] *De quo hic inf. N. 12.* [5] *Et apud Anon. Sal. Par. 5. N. 2.* [6] *Vide* Stemma Ducum Neap. [7] Joannes 8. *Epist.* 205. [8] *Chr. Com. Cap. N. 2.* [9] *Nomine hujus loci certe nobilioris loca veniunt veteris* Capuæ *tunc non prorsus deserta, in qua urbs abierat jam olim a* Vandalis *incensa.*

XII. *Landonulfus* fil. *Landonis* senioris *Capua* digressis patruelibus solus ibi relinquitur. N. 63. quo tempore *Atenulfus* patruelis Gastaldatum invadit, eumque & fratrem, & [2] *Guaiferium* nepotem ejus inde expellit, qui *Teanum* ad patruelem *Landonem* se recipiunt. N. 64. *Hic an sit* Landulfus, *qui* Casamirtam *cepit. N.* 28. *& obses datus est Imperatrici. N.* 36. *indefinitum mansit sup. N.* 10. *Si vero idem est ille, certe* [3]. *exul obiit* Salerni, *ubi genus mansisse oportet suum.*

XIII. *Pando* fil. *Landonis* senioris cum fratre *Landonulfo*, & nepote *Guaiferio Teanum Capua* expulsus secedit. N. 64. [4] *cum fratre exul manet Salerni.* &c.

XIV. *Lando* fil. *Landonulfi* senioris una cum fratribus obtinet *Calinium*, & *Cajatiam*. natura segnis, [5] filium electum Episc. *Capuæ* haud urget mox consecrari. captis fratribus *Atenulfo*, & *Landonulfo*, itemque Castro *Cajatiæ* a patruele *Pandonulfo*. N. 40. sociatur patruelibus, filiis *Landonis* senioris, & *Guaiferium* Pr. advocat. N. 41. *Calvum* oppidum a fratre *Atenulfo* construi ceptum *intra fines ditionis* Calinii *incurrentes in fines* Capuæ N. 40. perficit. N. 45. Recusat *Pandonulfum* subdi *Gaideri* Pr. *Ben.* suo cognato *conditionibus pacis* offensus. N. 42. a quo Principe desertus, illum in ordinem redigi curat. N. 48. *Calvum* contra *Pandonulfum* tuetur, & incensum reparat. N. 45. copulatur *Athanasio* Episc. *Neap.* cum fratribus, & patruelibus, filiis *Landonis* senioris. N. 49. *Pandonulfo* patrueli concordat eodem *Athanasio* auctore, eumque *Capua* ejicit. N. 50. constituitur [6] Gastald. a fratribus. N. 62. *Saracenos* conterit. N. 55. *Spoletium* adit; indeque regressus *Neapolitanis* occurrit &c. N. 60. contradicit fratri *Atenulfo*. N. 62. infirmus *Teanum* secedit, & conspirationem ejusdem *Atenulfi* parvipendit. N. 63. *Teani* manens, creditur a patruelibus, fil. *Landonis* senioris, adstare *Capuæ* in discidio excitato ab *Atenulfo*. quos amicabiliter excipit. N. 64. *Capuam* conatur, sed frustra, recuperare, & ad [7] propria redit. N. 68. *ejus proles obscura.*

XV. *Landonulfus*, [8] sive *Landulfus* fil. *Landonulfi* senioris carceri mancipatur una cum fratre *Atenulfo* a patruele *Pandonulfo*, N. 40. unitus fratribus, & patruelibus, filiis *Landonis* senioris, auxilia petit *Guaiferii* Pr. *Saler.* N. 41. liber redditur. &c. N. 42. Iisdem sociatus fœderatur cum *Athanasio* Episc. *Neap.* & *Pandonulfum Capuæ* obsidet, secumque habet *Amalfitanos*. N. 49. *Landone* fratre ægrotante, & *Teanum* recedente, *Capuæ* manet, [9] *ejusque vice Gastaldatum administrat.* *Atenulfum* una cum fratribus adloquitur. *Teanum* pergit ad invisendum fratrem *Landonem*. [10] N. 63. *ejus proles ignota.*

XVI. [11] *Atenulfus* fil. *Landonulfi* senioris cœpit ædificare Castrum in *Calvo intra fines Calinii*, quod oppidum sibi, & fratribus in partem obvenerat, *sed in confinio* Capuæ. De quo offensi patrueles, filii *Pandonis*, illum, & fratrem ejus carceri tradunt. N. 40. & 45. liber redditur. N. 42. cum fratribus, & patruelibus sociatur *Athanasio* contra patruelem *Pandonulfum*. N. 49. cui concordat, sed fraude. N. 50. Ab

[1] *Quam dicit* Lactentem *ob annorum imparitatem.* [2] *Sic dictum e nomine* Guaiferii *Pr. qui cognatus erat* Landonulfi: *sed obscurum, cujus ille filius.* [3] *Anon. Sal. P. 5. n. 2.* [4] *Anon.* Sal. *Par. 5. n. 2.* [5] Joannes 8. *epist.* 289. *Chr. Com.* Cap. *N.* 7. [6] *Chr. Com.* Cap. *N.* 7. [7] *An* Teanum? *non negaverim: licet urbs illa, &* Casairta *cessissent* Pandonulfo, *qui ab* Athan. *dimissus, neutrobi se recepit; amiserat enim illas. Sed* Teanum *& hic* Lando *postea amisit, ut alibi dicam.* [8] *Vide me in Chronol. Com.* Cap. *N.* 8. [9] *Chr. Com.* Cap. *N.* 8. *vide me ibi.* [10] *Varians lectio hunc appellat* Landulfum. *Sicut Auctarium ad Ign.* Cass. *N.* 32. *Sed &* Joannes 8. *epist.* 205. *meminit* Landufi filii Landonulfi. [11] *De hoc* Joannes 8. *Epist.* 289.

Ab eodem *Athanasio* ad conloquium invitatur. N. 53. adit *Guidonem* Ducem *Spoletii*, eumque *Capuam* venientem comitatur. N. 59. & 79. vult Gastaldatum *Capuæ* sibi adserere, sed repellitur. *Athanasii* opem implorat. N. 62. redarguitur a fratribus. N. 63. occupat tandem. N. 64. [1] *Cætera de hoc* Atenulfo *clara sunt*, *ipseque clarissimus. Cujus posteri* Beneventi *Principat.* [2] *tenuere perpetuis annis* 177.

[1] *Mater in Anon.* Sal. *Par.* 5. *n.* 3.

[2] Ost. *l.* 1. *c.* 50. *primæ Edit. & ipsum auto.* Cass.

XVII. N. feminini sexus fil. *Landonulfi* senioris, a patre obses data filio *Siconulfi* Pr. *Sal.* N. 22.

XVIII. XIX. XX. Filii, & filiæ, *Pandonulfi* Com. & *Landonulfi* Episc. exules cum patribus *Neapolim* missi. N. 50. Ex filiis *Pandonulfi* una uxor filii *Gaideris* Princ. *Ben.* N. 48.

XXI. *Lando* fil. *Landulfi Suessulani.* N. 67.

XXII. N. fil. junior *Landulfi Suessulani.* N. 67.

XXIII. *Landulfus* [3] fil. *Landonis* segnis, ætate adolescens, electus Episc. *Capuæ.* N. 40. A *Pandonulfo* patruele sibi timens, urbe fecedit &c. [4] N. 46. concordat cum *Landonulfo* Episc. contra se instituto. N. 47. obtinet [5] integrum Episcopatum. N. 50. pergit *Spoletium.* N. 60. carceri traditus ab *Atenulfo* patruo. N. 68. & 78.

XXIV. *Landulfus* } fil. *Atenulfi.* De his ite-
XXV. *Atenulfus* } rum alibi.

ERCHEMPERTI
HISTORIA
LANGOBARDORUM
BENEVENTI,
POST PAULUM DIACONUM;
HOC EST:
DOMNI ERCHEMPERTI
MONACHI CASSINENSIS
AUCTARIUM

Ad Historiam Pauli Diaconi *de gestis* Langobardorum *usque ad Annum* DCCCLXXXVIII.

I. 

Langobardorum seriem, egressum, situmque Regni, hoc est originem eorum, vel quomodo de *Scandavia* Insula egressi ad *Pannoniam*, & iterum a *Pannonia* ad *Italiam* transmigraverunt, Regnumque susceperunt, *Paulus* vir valde peritus, compendiosa licet brevitate, sed prudenti composuit ratione, extendens nihilominus a *Gammara*, & duobus liberis ejus Historiam *Ratchis* pæne usque Regnum. [1] In his autem non frustra exclusit ætas loquendi, quoniam in eis *Langobardorum* defecit Regnum: mos etenim Historiographi Doctoris est, maxime de sua stirpe disputantis, ea tantummodo retexere, quæ ad laudis cumulum pertinere noscuntur. Ultimo autem compulsus a compluribus ego [2] *Erchempertus* quasi ab ortu, præcipueque ab *Algelgiso* insigni, sagacique viro Historiolam condere *Langobardorum Beneventi* degentium, de quibus a [3] nostris diebus nihil dignum, ac laudabile reperitur, quod veraci valeat stylo exarari, idcirco non Regnum eorum, sed excidium; non felicitatem, sed miseriam; non triumphum, sed perniciem; non quemadmodum [4] profecerunt, sed qualiter defecerunt; non quomodo alios superaverint, sed quomodo superati ab aliis, ac devicti fuerint, ex intimo corde ducens suspiria ad posteritatis exemplum, succincto licet, & inerti, prosequar calamo. Hac quoque flagitatione devictus, non tantum ea quæ oculis, sed magis, quæ auribus hausi, narrare me fateor, imitatus ex parte dumtaxat *Marci*, *Lucæ*que Evangelistarum præconia, qui auditu potius, quam visu Evangelia descripserunt.

[1] al. add. *sive Arichis* copulative pro. &.

[2] *Herempertus.*

[3] *a nis diebus.*

[4] *præfecerunt.*

II. Igitur capta, ac [5] subjugata [6] *Carolus Italia*, *Pipinum* filium suum illic Regem [7] constituit. Tunc ille stipatus innumerabili exercituum agmine, crebrius *Beneventum* adiit capessendum. Quo tempore [8] *Arichis* gener jam fati *Desiderii*, vir Christianissimus, & valde [9] illustrissimus, atque in rebus bellicis strenuissimus *Beneventi* Ducatum regebat, qui audiens eos super se adventare, *Neapolitibus*, qui a *Langobardis* diutina oppressione fatigati erant, pacem cessit, eisque diaria in [10] *Liburia*, & Cemiterio per incolas sancita dispensione misericordiæ vice distribuit; titubans, ut conjici valet, ne ab eorum versutiis *Franci* aditum introëundi *Beneventum* reperirent. Super *Beneventum* autem *Gallico* exercitu perveniente, prædictus *Arichis* viribus, quibus valuit, primo fortiter restitit, [11] postremo autem acriter præliantibus, universa, [12] ad locustarum morem, radice tenus corrodentibus, magis civium [13] saluti, quam *K* liberorum affectibus consulens, geminam sobolem,

[*Admonitio:* Stemmata *ad Epitom.* Erchempert. *col.* 16 *pertinent.*]


STEMMA POSTREMORVM COMITVM CAPVÆ, EX ERCHEMPERTO.



Stemmata isthæc alia ex eodem deprompta Erchemperto *opportunum hic repræsentare est visum, quod ad ejus quoque præluceant Historiam.*


STEMMA DVCVM SPOLETII;

Quorum mentio in *Erchemperto.*



STEMMA DVCVM NEAPOLIS;

Quorum mentio in *Erchemperto.*



STEMMA PRINCIPUM ALIQUOT BENEVENTI;
Quorum mentio in *Erchemperto*.

N. vir filiæ *Pandonulfi* Comitis *Capuæ. Erch.* N.48. *de quo in Stemm.* N. 7.

VRSUS
Princ. *Benev.* post patrem. sub hoc *Græci Beneventum* recepere, post *Langobardorum* perpetuam Dynastiam annorum 330. *Fragm. Anon.* Benev. N. 1. 2. *Anon.* Sal. *P.* 4. N. 1. Ostien. *l.* 1. *c.* 48. Frater est *Ajonis* Princ. *Lupo Protosp. ad ann.* 890. *corrupte.*

N. femina, *quam reputo uxorem* Landonis Campani; *de quo in Stem. N.* 14.

GAIDERIS
Princ. *Ben.* post patruum *Adelchim.* ejectus e Principatu obtinet *Oriam* a *Græco* Imper. *Erch. N.* 39. 41. 42. 47. 48. *Frag. Anon.* Benev. *N.* 2.

AIO
Subdiaconus. *Chron.* Cavense *inedit.* Princ. *Benev.* post fratrem. *Erch. N.* 48. 49. 59. 66. 71. 72. 76. 80. *Fragm. Anon.* Ben. *N.* 2. Gener Regis *Franciæ*; *Cedrenus. N.* 232. *ubi male* Angæus.

RADELCHIS
Erch. N. 28. vir simplex. *Anon.* Sal. *P.* 4. *N.* 7. *P.* 5. *N.* 1. 2. Princ. *Benev.* post *Gaiderim.* ejectus. *Erch.* N. 48. 49. 50. *Fragm. Anon. Ben.* N. 2. iterum Princ. post *Ursum* Nep. ejectis *Græcis. Idem* N. 10. *Anon.* Sal. *P.* 4. *N.* 7. Ost. *l.* 1. *c.* 48. iterum ejectus ab *Atenulfo Campano* Comite, *de quo in Stemm.* N. 16.

AGELTRUDA
Uxor *Guidonis Ducis Spoletii*, & Imp. *Frag. Anon. Bene.* N. 10. Ostien. *l.* 1. *c.* 46. *Dicitur* Ageltruda *Anon.* Salern. *P.* 4. *N.*

LADELGISUS
datus obses *Siconulfo* Princ. *Sal. Capitul. Princip.* Radelch. *N.* 28.

VRSUS
Tumulus 9. *Erch. N.* 16.

RADELGARIUS
Princeps *Beneventi* post patrem. *Erch. N.* 19. 20. 39. *Tumul.* 8.

AIO
Episcopus Benevent. *Joann. PP.* 8. *epist.* 33. 157. *Tumul.* 7.

ADELCHIS
Datus obses *Siconulfo* Princ. Salern. *Capitul. Princ.* Radelch. *N.* 28. vir mitissimus Princ. *Benev.* post fratrem. *Erch. N.* 20. 29. 32. 34. 35. 38. 39. *Ignot.* Caff. *N.* 22. ab eo captus est *Ludovicus* Imp.

N. femina data *Seodano* Regi *Saracenorum* apud *Barium*. *Anon.* Salern.

RADELCHIS
Vir blandis, & bonis moribus pollens: ex Thesaurario Principis *Sicardi. Erch. N.* 14. sive ex Secretario. *Ignot.* Caff. *N.* 8. *quod idem valet.* post eundem *Sicardum* Princeps *Beneventi.* sub quo Principatus primum est divisus. *Erch. N.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Ign.* Caff. *N.* 8. 12. *Anon.* Sal. *Par.* 3. *N.* 1. 2. Ostien. *lib.* 1. *cap.* 23, Uxor *Caretruda*, ex qua suscepit 12. filios *Tumul.* 6. *&* 7.

LECTOR.

Vitio ne mihi vertas, quod in his Stemmatibus, atque etiam alibi virorum nomina multoties haud inflexa eadem forma repræsentaverim, qua indicati a me Auctorum loci illa exhibent; id namque natum est ex eorundem inconstantia, qui Langobardica *in consonantes literas exeuntia: ut* Landulf, Radelgar, Adelchis, *&c.* Latine *cum efferrent, non eodem, consimilive inflexerunt semper modo; siquidem* Landulf, *& huic similia, dixere:* Landulfus, Landulfi, *nec secius unquam,* Radelgar *vero, aliaque hujuscemodi, aliquando nil a recto immutantes enunciavere:* Radelgar, Radelgaris; *aliquando in recto addentes* I, *fecere;* Radelgari, Radelgaris, *atque ex hoc, ad normam scilicet gentilium nominum, dixere etiam:* Radelgarius, Radelgarii, *&c.* Adelchis *autem, & talia, tum pari ratione enunciavere;* Adelchi, Adelchis, *&* Adelchisi, Adelchisis, *atque* Adelchisius, Adelchisi, Adelchisus, Adelchisi, *sicut* Landulfus. *&c. Ab hac igitur varietate varia mihi aliquando ab indicatis auctoribus nominum inflexio, mihique met ipsi semel varius. Verumtamen, ut dixi, tantundem valent in recto, & ad eandem normam in cæteris:* Adelchis, Adelchisi, Adelchisius, Adelchisus, Radelgar, Radelgari, Radelgarius, *&c. de quibus planius aptiori loco; ibique pariter constabit, tum alios; tum* Langobardos *plerisque in vocabulis promiscue usurpasse literas,* D, *&* T. Ch, *vel simplex* C, *&* G. O, *&* V. P, *&* B. V. *&* G. B. *&* V. *aliasque, in quibus nec mihi fere satis constans tenor, eadem scriptorum seductus inconstantia; quandoquidem nil interesse comperi inter* Landulfus, *&* Landolfus*:* Adelchis, *&* Adelgisus, Atenulfus, *&* Adenulfus*:* Lampert, *&* Lambert, *sive* Lambertus*:* Guido, *&* Vvido *:* Ubo, *&* Uvo. *&c.*

STEMMA PRINCIPUM ALIQUOT BENEVENTI;
Quorum mentio in *Erchemperto*.

SICO
E Princ. *Sal.* post patrem a *Ludovico* Imp. abductus ob teneram ætatem, suffecto *Ademario. Erch. N.* 19. 20. 23. *Ign.* Caff. *N.* 13. Adolescens obiit *Capuæ* veneno potatus ab eodem Pr. *Adem. Anon.* Sal. *ined.*

N. femina, *ex qua pater, vel mater* Gemmæ *Princ.* Sal. *de qua* Ost. *lib.* 2. *cap.* 6.

SICO
nothus, cognomento *Albus*, qui patris mortem est ultus. *Erch. N.* 13.

N. femina a Dracone ... nio ... sa. ... Antonio ... Surrentini.

SICONULFUS.
Ex vi sibi facta a fratre, Clericus, & Diaconus *Anon.* Sal. *ined.* Primus Princeps *Saler. Erch. N.* 12. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Ign.* Caff. *N.* 8. Statura procerus. Uxor *Ytta. Anon.* Sal. *ined. De hac in Stemm.* Ducum Spoletii. Avia *Gemmæ. &c.*

NN. filiæ aliæ, *quarum nomina Anonymus* Salern. *inedit. memoria se non retinere dicit.*

SICHELENDA
uxor filii *Azonis* viri nobiliss. *Anon.* Sal. *ined. An iste est* Majo, *de quo Erch. N.* 12. *&* Ostien. *l.* 1. *c.* 25.

N. Uxor *Ursi* Comitis *Compsiæ Erch. N.* 14. *Anon.* Sal. *P.* 3. *N.* 2. Ostien. *lib.* 1. *cap.* 25. *Idem Anon. alio loco uxorem dicit filii* Ursi.

N. Uxor *Radelmundi* Comitis *Acherentiæ. Anon.* Sal. *P.* 3. *N.* 2.

SICARDUS.
quintus fil. *Siconis. Chron. de* Carpineto *ined.* Princeps *Ben.* post patre, & post. *Erch. N.* 10. 12. *Ostien. l.* 1. *c.* 21. statura pusillus. uxor *Adelchisa* filia *Dauferii Muti* Proc. *Benev. Anon.* Salern. *ined.*

SICO
Patria *Spoletinus*, genere *Langobardus* Princeps *Benev.* post *Grimoaldum Storesaiz Erch. N.* 8. *Tumul.* 5. *Chron. Episcopp.* Neap. *ineditum. Anon.* Salern. *ined. & Par.* 2. *N.* 1. 2. *&* 3. Ostiensis. *lib.* 1. *cap.* 18. 19.

lem, vice pignoris, jam dicto tradidit Cæsari, hoc est *Grimoaldum*, & [1] *Adelgisam*, simulque cunctum thesaurum suum; ex quibus *Adelgisa* multis cum [2] precibus proprio restituta fuit genitori: *Grimoald* vero secum remeans detulit *Aquis*, collata *Arichi* pace sub fœdere pensionis.

III. Nactus itaque hanc occasionem, & ut ita dicam, *Francorum* territus metu, inter *Lucaniam*, & *Nucceriam* urbem munitissimam, & [3] præcelsam in modum tutissimi Castri idem *Arichis* opere [4] mirifico munivit, & nova fabrica reparavit; quæ Civitas propter mare contiguum, quod *salum* appellatur, & ob rivum, qui dicitur *Lirinus*, ex duobus corruptis vocabulis *Salernum* appellatur; ut esset scilicet futurum præsidium Principibus, superveniente exercitu *Beneventum*, quam Civitatem [5] sic idem Princeps fortificavit. [6] *Hic* Arichis *primus* Beneventi *Principem se appellari jussit, cum usque ad istum, qui* Benevento *præfuerant*, Duces *appellarentur; nam, & ab Episcopis ungi se fecit, & coronam sibi imposuit; atque in suis chartis scriptum in Sacratissimo nostro Palatio in finem scribi præcepit.* Infra *Beneventi* autem mœnia Templum Domino opulentissimum, ac decentissimum condidit, quod *Græco* vocabulo [7] Ἁγίαν Σοφίαν. id est. *Sanctam Sapientiam*, nominavit, [8] ditatumque amplissimis prædiis, & variis opibus, sanctimoniale Cœnobium statuit, idque sub [9] jure D. *Benedicti* in perpetuum tradidit permanendum. Pari etiam modo in territorio prædicto *Alfano*, Dei amabili viro, in honorem Domini Salvatoris [10] construxit Ecclesiam, & Monasterium Puellarum instituit, atque ditioni Sanctissimi *Vincentii* Martyris subdidit.

IV. [11] Defuncto dehinc [12] *Arichi*, consilio habito *Beneventanorum* Magnates Legatos ad *Karolum* destinarunt, * multos eum flagitantes precibus, ut jam fatum *Grimoald*, quem a genitore obsidem jam priore susceperat, sibi præesse concedere dignaretur. Quorum petitionibus Rex annuens, illic continuo prædictum contulit virum, simulque jus regendi Principatum largitus est; sed prius [13] pactis hujusmodi [14] vinxit. *Ut* Langobardorum *mentum tonderi faceret.* [15] *Chartasque vero, nummosque sui nominis characteribus superscribi semper juberet.* [16] *Ac muros* Salerni, Acherentiæ, *& Consiæ funditus everteret.* Accepta denique licentia repedandi, a *Beneventi* civibus magno cum gaudio acceptus est. In suis aureis ejus nomen aliquandiu figurari placuit; schedas similiter aliquanto jussit tempore exarari, reliqua autem pro nihilo duxit observanda; mox rebellionis jurgium initiavit.

V. Hac etiam tempestate idem *Grimoalt* neptem *Augusti Argivorum* in conjugem sumpsit, nomine [17] *Wantiam*; sed nescitur quam ob rem ad fructum minime pervenit. In tantum enim odium primus eorum avidus prorupit amor, ut sumpta occasione [18] *Francorum* circumquaque se [19] impugnantium, more *Hebraico*, sponte eam a se [20] sequestrarit, & dato ei libello repudii, ad proprios lares eam vi transjecit. Hoc quidem licet callide egerit, feritatem tamen supradictarum [21] *Barbararum* gentium minime [22] quietavit; nam tellures *Theathensium*, & urbes a dominio *Beneventanorum* [23] tunc subtractæ sunt usque in præsens; nec non *Luceriæ* urbs tunc [24] capta est, sed celeriter a præfato *Grimoalt* acquisita, apprehenso in ea *Guinichiso* Duce *Spolitensium* cum omnibus bellatoribus inibi repertis.

VI. Frequenter autem *Karlus* cum cunctis liberis, quos jam Reges constituerat, & cum im-

[1] *Aldechisam. Adelchisam.* [2] *Procerib.* [3] *praexcelsam.* [4] *munifico.* [5] *hic.* [6] Deest in omnibus scriptis Codd. ex Ostiensis vero l. 1. c. 9. visum est huic reddere loco. [7] *Agian Sophian* literis Latinis. [8] *dotatumque.* [9] *nomine.* [10] *constituit.* [11] ann. 787. [12] *Arrichiso.* * *ie.* multis. [13] *cum salibus.* for. *cum Sacramentalibus.* [14] *junxit.* [15] *Schedas quoque.* [16] Ista non sunt in scriptis Codd. sed addidi ex Anon. Saler. eaque subsequens contextus expetebat. [17] *Irriantiam.* [18] ann. 793. [19] *repugnantium.* [20] *sequestravit.* [21] deest. *Barbararum.* [22] *quievit.* [23] ann. 800. & 801. [24] ann. 802.

A menso bellatorum agmine *Beneventum* præliaturus aggreditur. Sed Deo decertante pro nobis, sub cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de suis peste perditis, cum paucis nonnunquam inglorius revertebatur; unde factum est, ut *Pipino* regnante in *Ticino*, & *Grimoalt* in *Benevento* præsidente, frequentissimum bellum vexarit *Beneventanos*, ita ut nec ad momentum pax interfuerit, illis viventibus. Erant enim utrique juvenili ætate [1] nitentes, & ad conjunctiones, & bella declivi. *Pipinus* autem fultorum præsidio bellatorum jugi, continuoque prælio exagitabat eum: *Grimoalt* vero, &

B Civitatibus munitis, & primoribus quamplurimis constipatus, parvipendens, ac [2] despectius ducens illius persecutionem, in nullo cedebat ei. Agebat itaque per Legatos [3] suos *Pipinus*. *Volo quidem, & ita potenter disponere conor, ut* [4] *sicuti* Arichis *genitor illius subjectus fuit quondam* Desiderio *Regi* Italiæ, *ita sit mihi &* Grimoalt. Quibus e contrario *Grimoalt* asserebat:

Liber, & ingenuus sum natus utroque parente,
Semper ero liber, credo, tuente Deo.

VII. Et hoc quidem de hac luce [5] subtracto, *Grimoalt* alter suscepit *Beneventi* jura tuenda, Thesaurarius videlicet divæ memoriæ *Grimoalt*

C prioris: vir satis mitis, & adeo suavis; ut non solum [6] cum *Gallis*, verum etiam cum universis circumquaque gentibus constitutis inierit fœdus; & *Neapolitibus* supramemoratis gratiam, pacemque donarit. Sed quia antiquus hostis semper invidet pacatis, & piis viris, atque bella, & discordiæ semina in eis serere molitur, *Dauferium* quendam Virum Spectabilem suæ artis [7] malitia [8] irretivit, & cum nonnullis filiis Belial horrendum fecit inire consilium adversus Principem fatum hoc modo. Depositis quippe in itinere insidiis, ut dum per pontem proficisceretur veterrimæ urbis ad prædictam urbem [9] *Sa-*

D *lernum* properans, impulsus a membris Sathanæ in profundum fluctibus marinis immergeretur, & esset beluis in pastu. Sed revelante sibi [10] occultorum cognitore Deo, suis ad se accersitis, jam dictum incolumis pertransiit pontem. Eos autem, qui suæ salutis hostes fuerant, cepit, & & vinculis injecit; *Dauferius* vero, quia tunc non aderat illic, hoc cognito fugam arripuit, & a [11] *Neapolitis* susceptus est.

VIII. Quo comperto *Grimoalt*, non segniter egit, sed confestim iter *Neapolim* aggreditur, exercitumque post se accelerare jubet. At ubi juxta memoratam applicuit urbem, continuo

E multæ juventutis populus ejusdem Civitatis, armis evectus, obvius illi audaciter exivit in prælium. Quod ille ut intellexit, protinus itinera eorum revertendi prius [12] irretire molitus est, & ita demum in eos insurgere voluit; tantamque denique stragem hostium, cepto bello, mari, terraque fecit, ut fretum adjacens vix per septem, & eo amplius dies cruore occisorum purgaretur: in terra vero tumuli nunc usque interfectorum conspiciuntur cadaverum; &, ut ab eisdem incolis referentibus compertus sum, [13] quinque millia fere hominum eadem tunc in acie occubuere. Idem enim *Dauferius* una cum

F Magistro militum, qui tunc inibi regnabat, soli elapsi fugibundi mœnia illius urbis tandem ingressi nec ibi siquidem requiem capiunt; nam egressæ conjuges virorum peremptorum gladiis insequebantur illos, dicentes: *Reddite nobis, o caduci viri* [14] *proditores, quos nequiter interfecistis. Quare*, inquit, *adversus eos prælium insurgere conati estis, quam profecto injustum satis?* *Grimoalt* vero acrius eos [15] insecutus est usque ad Portam, quæ dicitur *Capuana*, ita ut proprio conto eam

[1] deest *nitentes.* [2] *despectum.* [3] deest *suos.* [4] *Sanniti.* [5] ann. 806. [6] ann. 812. & 814. [7] deest *malitia.* [8] *invit.* [9] *Salerni.* [10] *incognitorum occultore.* for. *occulatore:* verbo a se confi cto. [11] *Neapolitanis.* [12] *irretiri.* [13] M / V & sic semper. [14] *perpitori.* corrupte. [15] *insectus.*

percuteret, nec erat quisquam, qui resisteret. Clausis autem, obseratisque foribus, qui remanserant [1] infra muros se tutaverunt. Reverso igitur *Grimoalt* ad Castra cum suo exercitu incolumi, altero die pro fatigio sumpto, & pro interemptis affinibus dictus perfuga Dux dedit in exenium octomillia aureos supradicto Principi, & memoratum *Dauferium* ad pristinam reduxit gratiam. Statim denique ob solitam misericordiam prædicto viro donationem de rebus suis præcepto firmavit; gratiam vero, familiaritatemque primam non denegavit. Interea *Radechis* Comes *Consinus*, & *Sico* [2] *Agerentinus* Gastaldeus, quem [3] *Grimoalt* dudum proselytum receperat, honoribus plurimis deferens, sub dolo insurgentes in eum, cum jam extremum spiritum traheret, [4] gladio eum peremerunt.

IX. Interfecto eo innocenter, prædictus *Radechis Siconem* loco illius in Principem subrogavit. Ipse vero non multum post tempus cuncta viriliter mundana, metu gehennæ abdicans, ad Beati se contulit *Benedicti* suffragia, catenaque cervice tenus vinctus, ejus Cœnobium, Christo militaturus, adiit, se [5] reum quoque clamitans, & impium, maleque se gessisse, atque crudeliter vociferans; sicque Monachicum schema sumens, in tanta se districtione corporis, animique coram oculis interni arbitris in eodem Monasterio coërcuit, ut nulli scrupulum adsit omnium facinorum suorum veniam adipisci meruisse. Circuibat illo sæpe Diabolus girans septa [6] sacri Monasterii, & voce perspicua, multi audientibus, clamitabat, inquiens:

Heu Benedicte *mi, cur me undique rodis? inique,*
Me prius hinc pulso, nunc mea membra [7] *lucras.*

X. Suscepto itaque [8] *Sico* Principatu, fœdus cum *Francis* [9] innovavit, *Beneventanos* bestiali efferitate persequitur, atque se superstite filium suum *Sicardum*, virum satis lubricum, inquietum, & petulantem, animique elatione tumidum [10] heredem Principatus effecit. Per idem tempus *Neapolitis*, quorum superius mentionem fecimus, bellum a *Sicone* creberrimum motum est, & Civitate valide obsessa tellure, pontoque, & fortiter scorpionibus, & jaculis oppugnata, pœne capta esset, [11] si defuisset ingenium; nam juxta ora maris, muro arietibus, & machinis funditus eliso, jam cum catervatim *Siconis* populus urbem ingredi niteretur, Dux jam dictæ Civitatis, data mox obside genitrice sua, ac duobus propriis liberis, magnopere [12] eum callida arte efflagitans, per nuncios misit ita: *Tua est urbs cum universis, quæ infra se retinet; placeat ergo pietati tuæ jubere, ne interprædam detur; crastina* [13] *enim die cum trophæo victoriæ gloriosissime ingredere, possessurus nos, omniaque nostra.* His ergo suggestionibus fidem accommodans, diem sustinuit [14] venturum; subsequenti vero nocte interrupta urbs muro solidissime firmata est, & crepusculo, quo se, suamque tradere pollicitus est Civitatem, arma bellica suscipiens, contra eum se erexit ingenti certamine. Oppressi igitur durius a genitore, & filio per [15] sexdecim continuos annos cives præfatæ urbis, cum jam ad extremitatem maximam pervenissent, ad *Francorum* se [16] contulere præsidium. His denique diebus præerat K iis Cæsar *Lodoguicus* cognomento *Almus* filius *Caroli* superioris Augusti; qui dum *Lutharium* natum suum consortem Regni [17] adsciret, ab eo una cum socia sua [18] captus, & custodiæ mancipatus est; sed ab optimatibus suis [19] ereptus, ad pristinam sublimatus est gloriam; quibus an-

[1] intra.
[2] Agentinus.
[3] Vide Tumulum Pr. Siconis. infra.
[4] ann. 817.
[5] parricidam.
[6] deest sacri.
[7] luxas.
[8] a Sicone.
[9] ann. 818.
[10] deest hæred. Princ. eff.
[11] si non.
[12] deest eum.
[13] deest enim.
[14] subventurum.
[15] Usque ad ann. 836. Vide Capitul. Sicardi inf.
[16] ann. 826. & 836.
K illis.
[17] ann. 817.
[18] ann. 833.
[19] ann. 834.

A nitentibus obsidio *Neapolis* ab illis aliquandiu sublevata est.

XI. Circa hæc tempora gens *Agarenorum* a *Babylonia*, & *Africa*, ad instar [1] examinis apum, manu cum valida egrediens, [2] *Siciliam* properavit, omnia circumquaque devastans; tandem Civitatem insignem, *Panhormum* nomine, captam nunc usque commoratur, plurimasque in eadem Insula urbes, & oppida diruens, jam pæne tota illarum gentium ditioni [3] substrata congemiscit. Inter hæc [4] moritur *Lodoguicus*, qui secundus in *Gallia* Augustali præerat Imperio, *Lutharius*que supradictus illius Regni heres

B effectus est, atque [5] ob hoc [6] *Francorum* divisum est Regnum; quoniam *Lutharius Aquensem*, & *Italiam*, *Lodoguicus* autem *Bajoariam*, *Carolus* vero ex alia ortus genitrice *Aquitanum* regebat Imperium. Sed retrovertam sermonem.

XII. Mortuo [7] *Sicone*, *Sicardus* Monarchiam solus obtinuit, qui jam cum patre sæpius memorato per aliquot feliciter imperaverat annos, cœpitque populum sibi commissum ex levitate animi belluina voracitate insequi, ac crudeliter laniare. Inter hæc, [8] ut *Assuerus Aman*, ita iste prætulit cæteris *Roffridum* quendam, filium

C *Dauferii* cognomento *Prophetæ*; cujus consilii subversione multa sacrilegia, ac [9] blasphema patrabat. Fuit autem idem vir in mundanis rebus prudens, & nimium [10] versutus, & ultra quam credi potest callidus; adeo enim circumvenit præstigiis suis fallacibus supradictum virum, ut illo [11] absente, & dissentiente nil unquam exercere, vel ad momentum [12] efferre auderet. Sicque ab eo deceptus, & illaqueatus est, ut germanum suum, *Siconulfum* nomine, gratis perpetuo damnarit exilio, cunctosque *Beneventanæ* gentis Proceres, aut custodiis, aut morti indiderit: adhoc nimirum tendens, ut

D dum relictus, & destitutus esset solatio optimatum, citra [13] sui, suorumque sanguinis effusionem facillime interimeretur. Quamobrem & *Majonem* cognatum suum tonderi jussit, & in Monasterium [14] retrudi. *Alfanum* denique, quo nemo fidelior eo tempore fuit, Virum Illustrem, ac fortissimum, robore laqueo suspendi fecit. Tunc factum est ingens perjurium in *Benevento*, ex quo conjicitur iram Dei fuisse provocatam ad perdendam terram.

XIII. Talia eo tractante, Divina actum est [15] dispensatione; ut dum alium innocentem conaretur extinguere, præveniente interim lan-

E guore, ipse cœlitus spiritu pariter, & carne percussus [16] interierit. Prius enim quam obiret, ut cumulus suæ perditionis justius augeretur, pro amore pecuniæ Spectabilem, & Deo dignum virum Sanctitate conspicuum, *Deusdedit* nomine, Beatissimi *Benedicti* Vicarium Pastorali Monasterio Monachorum, seculari magis potentia, quam congrua ratione, deposuit, ac custodiæ mancipavit. Cujus nunc quoque cineres, qua recubat humatus, nonnullos febre [17] detentos, variisque languoribus oppressos ex fide poscentes [18] creberrime curare noscuntur.

F Quid autem dicam de hujus viri nequitiis, quandoquidem distractis Ecclesiarum, Cœnobiorumque prædiis [19] nobilium, ac mediocrium rebus violenter ablatis, secundum supputationem dierum [20] anni * embolismi cunctis opulentissimas aggregavit. Hoc quoque misero ita obeunte, [21] paulo post a filiis, vel [22] a *Dauferio* nomine *Sicardus* supradictus Princeps gladio perimitur, Deo justo retribuente, qui plerumque reddit iniquitatem patris in filios, carnemque solummodo feriens, ulciscitur; ut quia *Sico* genitor suus

[1] examinis.
[2] ann. 820.
[3] subdita.
[4] ann. 820.
[5] ab hoc.
[6] deest Francorum.
[7] ann. 833.
[8] Esther. cap. 3.
[9] blasphemia.
[10] versutus.
[11] absente.
[12] forte auferre.
[13] suam.
[14] detrudi.
[15] dispensatione.
[16] interiit.
[17] retentos.
[18] sæpe.
[19] nobilibus.
[20] an membolismicum.
[21] ann. 839.
[22] Adelferio.

suus *Grimoalt* Seniorem suum indebite occiderat, ulciscente Deo, filius illius a subditis interficeretur. Et isto hoc mundo decedente, percussor non diu lætatus est; nam parvo post tempore a *Sicone* notho, cognomento *Albo*, prædictus homicida extinctus est: scilicet, ut juxta verbum [1] Domini, qui corpus proximi gladio *K* transverberavit, justo valde judicio talionem, hoc est, similem ultionem in se ipso expertulit.

XIV. Decedente [2] itaque *Sicardo* ab hac luce corporea, [3] *Radelgisus* Principatus regimen suscepit, Thesaurarius prædicti viri, in cujus electione [4] omnis, ut ita dicam, *Beneventi* Provincia consensit, quod vir esset blandis, ac bonis moribus pollens, ac ubi idem primatum promeruit, *Siconolfus*, quem superius exulem præmisi, a [5] custodia carceris elapsus, [6] fugere latibulum cœpit, & ab *Urso* Comite *Consino*, cognatoque suo aliquandiu latuit occultatus. Quo etiam tempore liberi *Dauferii Balbi*, videlicet *Romoalt*, [7] *Arichis*, & *Grimoalt*, nec non & *Guaiferius Beneventi* mœnia relinquentes, *Salernum* invasere, & *Siconulfum*, quo latebram fovebat, repertum, Seniorem sibi unanimiter [8] constituerunt; factaque tunc talis dissensio est, qualis nunquam fuit in *Beneventum*, ex quo *Langobardi* in eam ingressi sunt. Ante adventum itaque *Siconolfi* in *Salernum* missus est *Adelmarius* a supradicto [9] *Radelgiso* Principe, ut filios *Dauferii* ad suam fidelitatem converteret, qui illuc adiens [10] astu doloso Principem deseruit, & se illis sociavit, eosque ignivit deterius.

XV. Eodem quoque tempore *Landulphus* * S. a *Capuæ* præerat Gastaldeus, vir quippe ad bella promptissimus. Hic autem [11] vetuste exercens inimicitiam cum quibusdam de genere *Saductorum*, animo, & gente [12] par crudelibus Viperis, interfici fecit [13] ex primis eorum septem viros, unius eorum manibus abscissis, reliqui præsidium [14] fugæ sumentes [15] *Benevento* adeunt *Radelgisum* affinem suum. *Landulphus* autem *Sicopolim* [16] ingressus a *Radelgisi* dominatione se subducens, *Siconolfo* sociatus est, ac primum cum *Neapolitis* [17] pacis conjunxit fœdera. Fretus itaque *Siconolfus* hujus, ac liberorum ejus auxilio, totam *Calabriam* suo subdidit famulatui, maximamque partem *Apuliæ*; deinde adversus *Beneventum* præliis insurgere nititur, plurimasque urbes, & nonnulla oppida ab ejus dominio auferens, suo juri subjecit. Et quia erat vir bellicosissimus [18] præ metu illius pæne cunctus Populus eum ambiens sequebatur. Prius enim quam *Siconolfus Salernum* obtineret a prædicto *Adelmario Radelgisus* invitatus, & a suis Stratoribus fraude suasus, *Salernum*, quasi capturus, adventavit; quo cum pervenisset, castrametari grandi cum audacia placuit, sed subito, velut turbo, e Civitate vir idem cum [19] fratis *Dauferii* filiis egressus, eos inaudita cæde mactaverunt, bonaque eorum cuncta diripientes, ditati sunt; & bona *Radelgisus* vix cum paucis inglorius fugiens evasit, nec ultra ausus est *Salerni* metas gressibus attingere.

XVI. His quoque diebus *Pando* quidam *Barim* regebat, qui jussis obtemperans *Radelgisi*, *Saracenorum* phalangas in adjutorium accitas juxta murum urbis, & ora maris locavit commorandas. Hi autem, ut sunt natura callidi, & prudentiores aliis in malum, subtilius contemplantes munitionem loci, intempesta noctis, Christicolis quiescentibus, per abdita loca [20] urbis penetrant, populumque insontem partim gladiis trucidarunt, partim captivos fecerunt. Supra-

[1] Matth. cap. 26. & alibi. *K trasverberat.*
[2] ann. 839.
[3] *Radelchisius.*
[4] deest *omnis.*
[5] *a custodia carceribus.*
[6] *fuge.*
[7] *Arrichis.*
[8] ann. 840.
[9] *Radelchiso.*
[10] *actu.*
[11] *vetustam. vetusto. vetusta.*
[12] deest *par.*
[13] *ex promis. ex premis.*
[14] *fugam.*
[15] *Beneventum.*
[16] ann. 840.
[17] deest *pacis.*
[18] *partim.*
[19] *fratris Gauferii.*
[20] *urbem.*

dictum vero [1] conditorem gentis, & patriæ variis, multisque suppliciis debacchantes, postremo, ut vere dignum fuit, marinis suggillarunt gurgitibus. Quo comperto *Radelgis*, quia eos urbe nullatenus evellere quibat, cœpit tamen quasi familiares amicos excolere, & ad suum adjutorium sensim provocare; ac primum Castrum [2] *Cananense* una cum *Urso* filio suo illis destinavit oppugnandum. Confestim igitur intimatur hoc *Siconolfo*, qui statim mora seposita eos debellaturus properavit, atque super eos audacter irruens, cunctos, qui fugere nequiverant, armis stravit; tantoque victoriæ potitus est trophæo, ut ex innumerabili acie Paganorum pauci elapsi essent, qui urbem residuis casum pereuntium explicarent. Res vero eorum [3] *Calfo* nomine solus cum dedecore fugiens, equo in itinere jam fesso amisso, tandem valde lassus plantis propriis urbem introgressus est.

XVII. Interea *Siconolfus Beneventum* crebris præliis graviter affligebat, atque, ut dici solet, malo arboris nodo malus insigendus est cuneus, contra *Agarenos Radelgisi Lybicos*, *Ismaelitas Hispanos* [4] accivit. iisque invicem [5] intestino, & extero alternantibus [6] bello, ultramarina loca captivis nostræ gentis diversi sexus, & ætatis fulciebantur. Quadam vero die convenere utræque acies in *Forculas Gaudinas*, [7] ibique commissum est belli certamen; ac primo impetu *Radelgisi* pars victrix existens, *Siconolfi* exercitum totum in fugam vertit. *Siconolfus* autem in loco tutissimo tunc constitutus, cum paucis suorum mox super *Beneventanos* triumphantes, ac suos insequentes irruens, virili [8] eos attrivit animo, & non minima cæde prostravit; patrataque victoria, plurimos eorum gladiis extinxit, nonnullos cepit, reliquos vero in fugam compulit. Fretus itaque frequentissimis victoriis, omnes urbes a *Radelgisi* abstrahens jure, excepto [9] *Siponto Beneventum* circumdedit expugnandum. Cumque telis, & lue famis non mediocriter [10] coarctaretur, mandatum illico est *Guidoni*, ut properaret urbem: erat autem idem *Guido* Dux *Spolitensium*, *Siconolfi* cognatus. Pro cupiditate tamen pecuniarum, quibus maxime *Francorum* subjicitur genus, postposito vinculo parentali, in adjutorium venit *Radelgisi*, atque per nuncios suggessit *Siconolfo* obsidenti urbem, ut obsessione relicta, ad propria remearet: adjiciens inter cætera: *Permitte me loqui* [11] *cum* Radelgiso, *quia tuæ magis parti favebo.* Recessit igitur *Siconolfus* a loco illo: *Guido* interim applicuit, & accepta a *Radelgiso* una sella pro septuaginta millibus nummis aureis, dirupit quodcunque pollicitus fuerat suo cognato, & alienatus ab eo, via qua venerat, rediit.

XVIII. Post hæc prædictus *Guido* suasit *Siconolfo*, ut datis quinquaginta millia nummis aureis pro adunatione Provinciæ *Beneventanæ*, *& obtinere te*, [12] inquit, *faciam eam hinc*, *& inde* [13] *ut quasi palmo eam* [14] *mensurabis.* Cujus tunc consilio consentiens [15] *Romam* adiit, aureos tribuit, sacramentum dedit, jusjurandum suscepit, nihil proficiens, inanis abscessit. Erat autem adhuc inter *Siconolfum*, & *Radelgisum* frequentissima pugnæ concertatio, & quotidiana litium seditio; unde ex diversa parte [16] ii, quibus via justitiæ displicebat, alternatim ab uno in alterum confugiebant, fiebantque crebræ rapinæ, [17] incestæque fornicationes: erant universi erronei, & ad malum prompti, quasi bestiæ sine pastore aberrantes in saltu. Sed cum jugiter civili bello invicem lacerarentur, [18] essetque omnium pernicies, & ut ita dicam, animæ, & cordis extrema perditio, maxime, quia *Saraceni*

[1] *Ironice.* al. *proditorem.*
[2] *Cariagnense. Canense. Cavense.*
[3] *Calpho.*
[4] ann. 843.
[5] *intestina & extera.*
[6] *bella.*
[7] deest *ibique.*
[8] deest *eos.*
[9] *Sipontum.*
[10] *arctaretur.*
[11] deest *cum.*
[12] *inquam.*
[13] deest *ut.*
[14] *menabis.*
[15] ann. 844. Vide *Anast. Bibl.* in *Sergio.* 2.
[16] deest *ii.*
[17] *& incesta.*
[18] *esset.*

ceni *Beneventi* degentes, quorum Rex erat [1] *Maſſari*, infra, extraque omnia funditus [2] denectarent, ita ut etiam optimates illius pro nihilo ducerent, atque, ut ineptos ſervulos, taureis duriter flagellarent.

XIX. His quoque diebus [3] mortuo jam dicto *Luthario* Regnum *Gallicum* pentifarie diviſum eſt; quoniam *Lodoguicus*, & *Carolus* germani ejus *Bajoariam* & *Aquitaniam* regebant, primogenitus [4] ejus filius, *Lodoguicus* nomine, *Italiam*; ſecundus *Lutharius Aquis*, tertius *Carlictus Provinciam* tuebatur. Huic ergo *Lodoguico* Auguſto [5] ſuppliciter [6] relatum eſt [7] per [8] *Landonem* Comitem [9] *Capuanum* filium *Landulfi* ſupradicti viri, & per *Adimarium* [10] jam fatum virum [11] *nec non per Venerabilem Abbatem* Baſſacium, *ut ad has partes venire, eoſque a nefandorum* Saracenorum *devaſtatione eripere, tantiſque calamitatibus finem dignaretur imponere.* Qui licet *K* erant admodum parvuli, pro Dei tamen zelo eorum humilibus precibus aures accommodans, etiam conſenſum præbuit, & celeriter veniens, univerſos profanæ gentis hoſtes ab urbe vi diſtrahi, ac framea necari fecit; ac præſentibus omnibus *Langobardis*, inter duos prædictos viros totam Provinciam *Beneventanam* æquitatis diſcrimine ſub jurejurando [12] diſpartivit. Hoc autem facto non diu ſupervixit *Siconolfus*, ſed debitum [13] mortis munus [14] exolvens, filium ſuum adhuc lactentem miniſterii ſui reliquit heredem; cui ſuperſtes parumqui [15] extitit *Radelgis*; quo [16] migrato *Radelgarius* filius ejus in principatum loco ejus electus eſt: vir plane fortis viribus, & animo pius, & corpore cunctis gratus.

XX. Per idem tempus *Agareni Barim* [17] inſidentes, cœperunt devaſtantes ſtirpitus deprædare totam *Apuliam*, *Calabriam*, & pedetentim *Salernum*, ac *Beneventum* depopulari initiarunt. Tunc iterum ſuggeſtum eſt lamentabili ſupplicatione jam [18] ſæpe dicto piiſſimo Auguſto per venerabilem virum *Baſſicium* B. *Benedicti* Vicarium, & per *Jacobum* S. *Vincentii* Abbatem, ut properare quantocyus dignaretur, & ſuo adventu eriperet quos ante jam miſericorditer redemerat. *Et ſimus*, inquiunt, *fideliſſimi famuli illius, conſtituatque nos ſubeſſe cuilibet ultimo ſuorum.* Qui ſine mora veniens [19] cum incredibili multitudine, *Barim* perrexit. Sed obliti *Capuani* ſuam ultroneam ſponſionem [20] urbibus ſe recondentes, *Landulfum* [21] tantum Antiſtitem vice ſua illuc deſtinarunt. Videns autem ſupradictus Cæſar, & illorum fallaciam, & ſe nihil proficere ſine emolumento, recedens abiit, conceſſo Principatu *Salernitano Ademario* fortiſſimo, & Illuſtri viro: & *Siconolfi* filium exulem fecit. Interea [22] obiit *Radelgarius Benevento*, cui ſucceſſit germanus ejus nomine *Adelchis*, vir quippe mitiſſimus, & amabilis cunctis, tantæque manſuetudinis, ut etiam ab exteris diligeretur. Sed, quod pejus eſt, Provincia [23] in multis diviſa ad exitium magis, quam ad ſalutem de die in diem a dominatoribus ducebatur.

XXI. Subtracto vero ex hac luce [24] *Landulfo Capuano* Comite, ut poſt tergum redeam, quatuor reliquit liberos; *Landonem* videlicet jam fatum virum, *Pandonem*, *Landonulfum*, & *Landulfum* futurum Pontificem: viros ſingularis prudentiæ. Ex quibus *Lando Capuam*, *Pando Marepahis Suram*, *Landonulfus Teanum* regebat; *Landulfus* vero adhuc [25] teneræ indolis *Palatinis* excubabat obſequiis. Hic autem noviſſimus, & poſtremus in patulo claruit. Cum adhuc viſceribus geſtaretur genitricis, eadem mater cum ſe quadam die ſopori juxta viri dorſum dediſſet, facem igneam peperiſſe [26] videbatur ſibi; quæ fax cum in humi ſolum cecidiſſet, in maximum ignis globum aucta eſt; viſaque eſt totius *Beneventi* confinium concremare, ſicque cum ſomno pariter [1] & viſio elapſa eſt. Quæ nimium perterrita, mox proprio conjugi mœſta curavit [2] indicare; cujus viſionis finem genitor ut audivit, infatis ſyllabarum dictionibus, futura ejus dira opera complexus eſt, dicens:

Heu me, dulcis amans, quæ nos tunc [3] *facta* [4] *ſequentur.*
Augurium ſævum monſtrat tua viſio dira.
Hac tuus hic [5] *ortus, tegitur, qui clauſus in alvo,*
Diliget haud ullum, ſpernet qui ſanguine claros,
[6] *Poſtremo cives viperino devoret ore,*
Ac, velut ignis edax, cunctorum pectora buret.

K Quod ille in extaſi mentis licet prædixerit, nos quoque propriis intuiti ſumus obtutibus; qui innumerabiles inſontes homines illius [7] facto conſpicimus per ignem gladiis corruiſſe. Ignis itaque ille ipſum humani generis ſanguinem, qui poſtea, eo operante, fundendus erat, ſub quadam imaginis ſpecie [8] portendebat; quod ne cui incredibile hoc, aut imaginarie forte confictum videatur, tot mihi teſtes ſunt, quot pæne homines verſantur in Urbe: hujus [9] etiam actio, finiſque exitus in ſubſequenti propalabitur.

XXII. Horum denique genitor cum jam diei ultimæ appropinquaret, ut a referentibus audivi, vocatis liberis ſuis hoc in Edictum illis tradidit. Ne unquam, quantum ad ſe pertineret, ſinerent *Beneventum* cum *Salerno* paciſci. *Quia non erit*, inquit, *vobis profuturum.* Cujus monitum filii audientes, opere pariter patrarunt, atque ſuis heredibus in jus perpetuum, ſicut a patre acceperant reliquerunt. Magnum ſane hereditatis ſcelus [10] ſuæ reliquit ſoboli adverſus Divinum præceptum gerentes, quia ait *Jeſus* diſcipulis ſuis: [11] *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Accepto itaque jure regnandi, nullo modo *Siconolfo* obſequuntur: parvipendunt imperium ejus; ſed præ omnibus *Landonulfus* contrarius illi ſemper, & ingratus extitit, adeo ut etiam filio illius natam ſuam neceſſitate ductus arrharet. Hoc autem tempore *Paulinus* Deo dignus, & carus vir *Capuæ* Præſul ab hac carnea ſubtractus eſt fæce, atque *Landone* ſupradicto viro viriliter decertante, *Landulfum* fratrem ſuum Epiſcopum ordinavit; ſed incongruam viciſſitudinem filiis ejus poſt patris intulit obitum, quos velut duriſſimos hoſtes vario, ac perpetuo mulctavit exilio.

XXIII. Mortuoque itaque *Siconolfo*, ut unuſquiſque quod ſibi habile videretur, ageret, filium ejus adhuc anno [12] carente loco ejus ſubrogarunt. Tunc cœperunt prædicti fratres concives ſuos partim ambitu, partim metu agitati, ferina perſequi ingluvie, & cuſtodiis mancipare; quamobrem & a *Pandulfo* conſanguineo ſuo *Sueſſulam* ingenio auferentes, ſuæ ambitioni nexuerunt; ipſum, & liberos ejus extorres fecerunt, de quibus dehinc unum gladio, alium igne perdiderunt; duoſque ſuperſtites jugi, continuoque damnarunt exilio: *Sueſſulam* autem poſtea a *Landulfo Landonis* filio captam, annectente ſibi *Sergio* Magiſtro Militum, quod ſocer erat illius, nunc uſque retinet eam.

XXIV. Hac [13] tempeſtate caſu, an judicio ſuperno actum ſit, tota urbs *Sicopolis* igne cremata eſt, ita ut ne una domus remaneret inuſta, præter Epiſcopalis Aula. Qua reperta occaſione *Landulfus* Præſul, & *Landonulfus* germanus ejus conſilio inierunt, ut deſerta anguſti montis cohabitatione, ad plana, & præclara campeſtria deſcenderent ad commanendum. *Non ſu-*

[1] *Maſſan. Maſſar, intra.* [2] *devaſtarent.* [3] ann. 855. [4] deeſt *ejus filius.* [5] de. *ſuppl.* [6] ann. circ. 850. [7] deeſt *per.* [8] *Pandonem.* In omn. ſcr. Cod. vide Ch. Com. [9] Capuanorum *filii.* [10] deeſt *jam.* [11] *nec non pervenerabilem.* &c. ſup. ex *Oſtien.* l. 1. c. 28. in ſcriptis tamen Codd. nulla eſt lacuna. *K eſſet admodum puerulus.* [12] ann. 850. ſive 851. [13] ann. 851. [14] *exoluit.* [15] *extitit.* Radelgis *migratus,* Radelgarius. [16] ann. 851. exeunte, vel 852. ineunte. [17] *incolentes. militantes.* [18] *ſæpe facto.* [19] ann. 852. [20] *urbi* [21] *tum.* [22] ann. 854. [23] *a multis.* [24] ann. 842. [25] deeſt *teneræ.* [26] *viſa experta eſt. quæ.*

[1] *deeſt & viſio.* [2] *indagare.* [3] *fata.* [4] *ſequuntur.* [5] *ovum.* [6] *poſtremos.* *K Hæc ille.* [7] *fato conſpeximus, ſed* in Pap. Codd. ſemper *factum* pro. *fatum, hoc* eſt, *pro fatum.* [8] *prætendebat.* [9] *videlicet.* [10] *reliquit ejus* [11] *Joan.* c. 14. [12] *tarenti* [13] ann. 856.

sumus, inquiunt, *Caprearum ovile*, *ut in saxorum cavernis tueamur: ad humilia denique descendamus*, *ut altos nos*, & *inhumiles circumspicientibus præbeamus*. Quibus tunc assensum *Lando* minimè præbuit, quia delirum, [1] ac frivolum erat inter tot procellas urbem munitissimam deserentes, ut suillo in cœno locarent.

XXV. His invicem ita altercantibus, duo prædicti viri cœperunt ædificare murum juxta Pontem, qui vulgo *Caselinum* dicitur. Quorum operá ut perspexit *Lando*, illico abiit, ac mirifice perfecit [2] ædificandam urbem. Ut autem munita est, & habitari cœpta, supervenit *Guido* jam dictus cum universis *Tuscis*, & obsedit eam hinc, & inde, graviterque angustiavit; quia nolebant subjici jam fato viro [3] ob improbitatem *Landulfi* Præsulis, & *Landonulfi*; quoniam illum præ cæteris affectu favebat fraterno, aliis, [4] quasi exteris, spretis. Dum enim validè intus affligerentur quotidiana pugna, & foris sata delerentur, tandem robore, & violentia devicti sua colla subdiderunt ejus famulatui, excepto *Landonulfus*; quamobrem *Sura*, cunctaque oppida confinia a *Landonulfo* domino subtracta, & *Guidoni* sunt tradita, sicut promissum fuerat; quo facto in tantam animi tristitiam corruit prædictus vir, ut in proximo spiritum [5] exhalaverit.

XXVI. Per idem tempus veterem inimicitiam vindicare volens *Ademarius*, filium *Marini Malfitani*, cognatum videlicet *Pandonis*, dolo cepit, & *Sergium* Magistrum Militum, quo cum fœdus inierat [6] exulem tradidit; pro qua causa ab eodem *Sergio* [7] etiam *Marinus* fraude captus est. Hinc etenim æternum jurgium inter *Ademarium*, & *Pandonem* ortum est, unde factum est, ut inscio *Landone*, *Landulfus* Episcopus, & *Pando* suaserint *Guaiferio*, filio *Dauferii Balbi*, & [8] fecerint apprehendere *Ademarium* Principem, *Guaiferium*que sponte sibi [9] Seniorem [10] elegerint, jurantes ei gravi sacramento. Sed ocyus ad consueta vitia defluentes, & huic statim sunt post [11] excessum *Landonis* soceri illius mentiti.

XXVII. Mortuo denique [12] *Landonulfo*, non multum post [13] *Lando* dira paralysi percutitur, lectum per annum integrum fessus detinebatur. Hoc agnito *Sergius* Magister Militum, præsidiis illectus *Ademarii*, ut priora replicem, dirupit juramentum, quod cum *Landone* [14] pactum fuerat, & adversus filium illius bellum excitavit. Nam [15] octavo Idus *Majas*, quo B. *Michaëlis* Archangeli solemnia nos solemniter celebramus, qua etiam die priscis temporibus a *Beneventanorum* populis *Neapolites* fortiter cæsos legimus: hac ergo die nullum honorem dans Deo, misit duos liberos suos, *Gregorium* Magistrum Militum, & *Cæsareum*, nec non & *Landulfum* generum suum [16] *Suessolanum*, cum quibus *Neapolitum*, & *Malfitanorum* exercitum, tam pedestrem, quam & Equitum pæne ad septem millia viros misit, dans [17] eis in præceptum, ut *Capuam* [18] obsiderent. Quibus audacter occurrit, ceu Leo, [19] fervidus *Lando* junior, reperitque eos transvadatos pontem *Teodemundi* suos acriter expugnantes, qui totis viribus super eos irruit, atque cuneum eorum scindens, gladiis ventilavit, captumque *Cæsareum*, & ferme octingentos alios, reliquos in fugam vertit; sicque triumphans reversus est. *Pando* autem illius avunculus *Ademarii* metuens adventum, ad monumentum [20] quondam *K Trasaraci* interius observabat excubias. Post hæc *Pando* erepto *Marino* a vinculis, *Cæsareum* cum universis libertati restituit.

[1] *aut.* [2] *ædificare.* [3] deest *viro.* [4] *quia.* [5] ann. 859. [6] *eundem.* [7] *&.* [8] *fecerant.* [9] ann. 861. [10] *elegerunt.* [11] *accessum. arressum.* [12] ann. 859. [13] *Landonem omnes scripti Codd.* [14] *peractum.* [15] ann. 860. [16] *Suessulanum.* [17] *ei præceptum. ei in præceptum.* [18] *obsideret.* [19] *prædictus.* [20] *quodam. K. Trasaracius.*

A XXVIII. His quoque diebus *Lando* senior, crescente interim languore, ad extrema perductus est, vocatisque duobus fratribus suis, [1] *Pando* scilicet, & *Landulfo* Antistite, *Landonem* filium suum eis supplici prece commendare studuit, atque in manibus eorum tradidit, dicens: *Deo teste*, *sanctaque ejus Ecclesia*, *vobis eum commendo*, *ut eodem Judicio futuro judicemini*, *quo eo in præsenti abusi fueritis*. Sicque [2] humanum faciens, obiit. Quo migrato, non diu ad juramentum præstere fraternum; nam subdole pro cupiditate Gastaldatus, & *Landonem*, & cæteros fratres urbe repulerunt, & a *Guaiferio* alienati sunt, cui sacramenta recentia dederant, præ- B cipueque *Landulfus* per Euangelia, Missarumque solemnia, nec non per manus sacratas suas ille non semel juravit. Hoc facto, *Lando* [3] *Cajaziæ* ingressus est, capto in ea *Ajoaldo*, qui a prædictis viris ad custodiendam eam fuerat directus. Eodem igitur tempore *Landulfus* frater *Landonis Casamirtam* cepit; sed superveniens *Pando*, cepit [4] eum cum quadraginta Primoribus; quibus redditis, Castrum *Cajaziæ* recepit, & receptis filiis *Landonis* a *Guaiferio*, & *Landulfo* eorum fratre in *Suessulam*. Quibus exterminatis, minime quievit eorum rabies; sed C cœperunt eos persequi jugiter, etiam terminos [5] *Suessulæ* expugnantes: Hos siquidem *Guaiferius* Princeps non segniter adjuvabat, & multotiens locum cedebat eis, nolens frustra Christicolum fundere cruorem. Sed *Landulfus* Præsul non hoc religionis gratia, sed imbecillitati [6] deputans, [7] vi suum germanum contra *Christum* Domini pugnare cogebat. Fretus ergo filiorum trium *Majonis*, & *Manjenolfi*, nec non & *Radelgisi*, filii [8] *Adelgisi Beneventani* Principis, eum adversus [9] jam dictum Principem suum misit. Sed justo Dei judicio, a quo omnis potestas, & ordinatio *K* consistit, ipse protinus D [10] occubuit, nonnullis ex eis captis, reliqui autem fugati sunt.

XXIX. Inter hæc [11] *Sangolan* nequissimus, ac sceleratissimus [12] Rex *Ismaelitarum* totam terram *Beneventanam* igne, gladiis, & captivitate crudeliter devastabat, ita ut non remaneret in ea aliquis; quamobrem, & *Gallorum* exercitus crebrius adveniens ad eorum efferitatem opprimendam, sed nihil proficiens, via, qua venerat, repedabat. Unde factum est, ut [13] *Adelgisus Beneventi* Princeps coarctata pensione, & obsidibus; pacem [14] eo firmaret. Quo tempore [15] *Majelpotus Telesinus*, & [16] *Guandelpertus Bovia-* E *nensis* Castaldei multa cum prece conduxerunt *Lambertum* Ducem *Spolitensium*, & *Garardum* Comitem, & obviantes eidem *Saugdan* cum de *Capuæ* depopulatione reverteretur in *Barium* tellure, irruerent super eum. Sed exurgens jam dictus vir, & super *Beneventanos*, & *Francos* fortiter se injecit, & [17] diruptis cuneis, plurimos eorum interemit, nonnullos cepit, & crudeliter [18] extinxit. *Garardus* vero Comes, *Majelpotus*, & *Guandelpertus* supradicti viri eadem in acie tunc occubuere. Qua de re audaciam ex illo die potiorem sumens, *Beneventum*, ejusque confinia funditus delevit; ita ut nullus lo- F cus, præter urbes præcipuas, illius efferitatem evaderet. Quibus diebus & Castrum *Benafranum* cepit, & Cœnobium *S. Vincentii* Martyris deprædavit; & pro ædificiis non combustis tria millia aureos accepit. [19] Hoc facto, & a Vicario *B. Benedicti* totidem nummos accepit.

XXX. Mortuo [20] denique *Pandone*, *Landulfus* Episcopus solus superstes remansit; qui *Pandonulfum* nepotem suum, vice patris sui *Pandonis*,

[1] *Pandone.* [2] ann. 861. [3] *Cajaciæ.* [4] deest *cum.* [5] *Suessulam.* [6] *deputatus.* [7] *in.* [8] *Aldegisi.* [9] deest *jam.* *K consistit.* [10] ann. 862. [11] *Saugolan Seodam Saugdan.* [12] deest *Rex.* [13] *Adelgisum.* [14] *confirmaret.* [15] *Marelpotus. Marepotus* [16] *Walderpertus.* [17] *diruptis. diversis.* [18] *extruxit.* [19] deest integra hæc clausula. [20] ann. 852.

nis, Comitem in *Capuam* conſtituit; qui vulneratus ex prælio, quo genitor occubuerat, ſemivivus evaſerat. Hic autem in familiaritate ſua habebat *Dauferium* cognatum *Majonis*. Cujus verſutias metuens *Landulfus* Præſul, monuit *Pandonulfum*, ut dato ei adjutorio, alibi eum ad [1] commanendum [2] deſtinaret; qui nolens ejus conſilio acquieſcere, clam egreſſi tres germani ex urbe [3], *Polenſiam* cum eodem *Dauferio* [4] Caſtellum invaſere. Nam *Pandonulfus Sueſſulam*, *Landulfus* autem *Caſamirtam*, *Landonulfus Cajaziæ* ab illius genitore Caſtrum jamdudum quaſſatum, intraverunt, & cœperunt deprædare omnia in circuitu. Quos *Landulfus* ingenio decepit, ſimulque *Guaiferium*, & *Adelgiſum* Principes deluſit, nec non & *Landonis* filios, nepotes ſuos, quos jam pridem extorres fecerat a ſolo proprio, dolo evocavit, fratrumque ſuorum confinia deprædari, fecitque ſuccendi. Dumque quotidie *Capuæ* ruina excreſceret, hortatus eſt idem vir filios *Pandonis* * cum [5] filios *Landonis*, nexo fœdere, utrique urbem [6] introirent ad commanendum. At illi ex adverſo in unum coëuntes, ſacramento juncti ſunt, adieruntque urbem, [7] quos ſtatim prædictus vir arte ſua fefellit, & perjurare fecit: illiſque diviſis, mentitus eſt. Pro qua cauſa etiam *Pandonulfus* ad Imperialem celſitudinem miſit: Epiſtolis, ac juſſionibus ablatis, in urbe memorata non eſt ingreſſus, quouſque veniret *Lodoguicus* piiſſimus Auguſtus a multis per varia tempora invitatus.

XXXI. Fuit autem idem *Landulfus*, ut pollicitus inſeram, ex natura prudens, ſed ex conſuetudine callidus, lubricus nimium, & petulans, ambitioſior omni homine, & elatus ſupra quam credi poteſt; Monachorum quoque infeſtor, & [8] prædo. De quibus in Tribunali tumidus ſedens ſolitus erat dicere circumſtantibus: *Quotiens Monachum viſu cerno, ſemper mihi futura dies auſpicia* [9] *triſtia ſubminiſtrat.* Juſto valde Dei judicio, ut ab eis incommoda tolerarет, quos veluti nefandiſſimos hoſtes [10] exercebat, & perſequebatur; a quibus etiam in futuro torquendus erat. Principis quoque ſui deriſor, & perjurus, nepotumque ſuorum peroſor; quippe qui neminem dilexit, præter ſuæ carnis incentiva; pacem nunquam, nec in die obitus ſui, amplexatus eſt, ſic ubi [11] fœdera facta ſenſit, totus [12] ſe ſtrenue injiciens, zizaniorum ſemina ſevit. Quod ſi cui incredibile videtur, animadvertat quot vicibus *Guaiferium* fefellit, cui [13] Prætor juravit, ipſumque ipſe ſibi Principem conſtituit. Multo enim libentius cupiebat captivari animas hominum innocentium, quam vel parem eum habere, non dico Seniorem: contra Apoſtoli præceptum agens, [14] qui ait: *Subditi eſtote omni Ditioni propter Deum, ſive Regi, tanquam* [15] *præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis.* Et alibi: [16] *Non eſt Poteſtas, niſi a Deo; quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt, itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* His igitur poſtpoſitis, Eccleſiaſtica dogmata, juraque Epiſcopalia *K* contempſit; ſemiviros ſolummodo dilexit, eoſque cunctis prætulit; implevitque nihilominus Prophetiam [17] *Iſaiæ: Effæminati dominabuntur eis.* Hujus ego facta [18] viri [19] minutatim explicare ſi voluero, facilius, ut reor, tempus abſumetur, quam fandi ſermo terminetur. Tamen ſi quis medullitus noſſe deſiderat, verſus a memet conſtructos requirat. Ante diem vero exitus ſui *Capuam* trium fratrum ſuorum filiis ita diviſit, ut omni tempore inter eos gladius rixæ nunquam [20] omnimodo abeſſet; & fateor ſi quis [21] corde non percepit, oculis videat.

[1] *commorandum.* [2] *deſtinaſſet.* [3] *Potentiam. Potenſi Potentia.* [4] *Caſtella.* * *cum filiis Pandonis.* Nulla eſt lacuna in ſcr. Codd. [6] *introierunt.* [7] *quo.* [8] *prædor.* [9] *mala.* [10] *execrabat.* [11] *fœderata ſenſit.* [12] *ſe extremuit, dicens.* [13] Hoc eſt: ut Comes, non ut Epiſcopus. [14] Petrus Epiſt. 1. c. 2. [15] *præexcellenti.* [16] Ad Rom. cap. 13. *K* deeſt *contempſit.* [17] Eſaias cap. 3. [18] deeſt *viri.* [19] *minuatim.* [20] deeſt *omni modo.* [21] *ex corde.*

A

XXXII. Invitatus itaque *Lodoguicus* Cæſar, ut prædixi, in commune a *Beneventanis*, *Capuanis*, cunctiſque [1] comarchanis ad [2] tuitionem perditæ patriæ (a *Guaiferio* minime hæc, quia eum *Lodoguicus* pro *Ademarii* captione execrabatur) *Beneventi* fines per *Suram* [3] ingreditur, atque pius Monaſterio *Benedicti* Beati applicuit; quo ad eum Legati de diverſis urbibus venerunt, inter quos *Landulfus* jam dictus, & nepotes ſui ex diverſo venerunt. Suſceptis igitur *Auguſtis*, hoc eſt, vir, & conjux a *Berthario* venerabili Abbate officioſiſſime, *Landulfus* ad ſolitam vergens fallaciam, *Capuanos*, quos Cæſari præſentaverat, fugere compulit; ipſe ſolus cum eo remanſit, quaſi ſatisfaciens ſe nil culpabile [4] penes eum geſſiſſe. Prædictus itaque Auguſtus *Landulfum* tunc pro nihilo ducens, *Capuam* adiit, obſeſſamque tribus hinc inde [5] menſibus funditus [6] circumcirca delevit; & cum civibus illius quodcunque Placitum dare nollet, *Lamberto* Comiti illius ſe tradiderunt; putantes ſe facere rectius, peſſime corruerunt. Unde poſtea pro nihilo ducti, omni fere menſe diverſis Judicibus dabantur in prædam. Hoc quoque ita pacto, a *Guaiferio* omni ſine ſponſione prius *Salernum*, & ſic demum ab [7] *Adelgiſo Beneventum* [8] exceptus eſt.

B

C

XXXIII. [9] Sequenti autem anno multis fultus auxiliatoribus *Barim* perrexit, atque cum ſæpe dicto *Saudagne* Auguſtalis exercitus pugnam commiſit, a quibus & ſuperatus aufugit, amiſſa non modica parte bellatorum. Dehinc omnia [10] eorum circumquaque ſata comburens, *Materam* adiit, quam & ſine mora igne cepit. Tunc venit *Venuſiam*, caſtrametatuſque in ea, cæpitque renovare; & *Barim* hinc, & inde graviter expugnans, demolitus eſt; poſitoque præſidio pugnatorum in *Canuſia*, viciſſim eos cornibus ventilabat. Quo terrore [11] perculſi multi: ad Auguſtalem confugientes clementiam, dari ſibi petebant dexteras; quibus tunc ſolitam miſericordiam denegat. Poſt hæc itum eſt ad *Oeriam* urbem; ſicque itidem [12] reverſus eſt *Beneventum*; atque [13] annitente ſibi dextera ſuperna, cum jam ad extremitatem maximam perveniſſent *Saraceni*, miſſo exercitu [14] *Barim* cepit, capto in ea *Saugdan* effero Rege cum aliis nonnullis ſatellitibus ſuis; deinde *Tarentum* obſideri juſſit.

D

E

XXXIV. Quibus ita [15] patratis, ut ſuperius promiſſa ponam, videns Diabolus ſuos eliminari, *Chriſto*que univerſa reſtaurari, principia recolens, & damna Inferni dolens, ſuo inſtinctu cœperunt *Galli* graviter *Beneventanos* perſequi, ac crudeliter vexare; qua de re & *Adelgiſus* Princeps adverſus *Lodoguicum Auguſtum* erectus cum ſuis, *Beneventi* [16] infra mœnia degentem, ac ſecure quieſcentem aſtu doloſo ſanctiſſimum virum, ſalvatorem ſcilicet *Beneventanæ* Provinciæ, cepit, & cuſtodiis [17] mancipavit; bonaque ejus diripiens, ditatus eſt, [18] cunctoſque viros exercitales expoliavit, & fugere compulit, & ex bonis eorum onuſtatus eſt; impletuſque eſt ſermo Domini ex Prophetia ſcriptus: [19] *Percute*, inquit, *paſtorem*, & *diſpergentur oves gregis.* Conſiſtente itaque Auguſto in cuſtodia, excitavit Deus ſpiritum *Iſmaelitum*, eoſque ab *Africa* regione protinus evexit, ut ulciſcerentur Auguſti opprobrium, ſicuti Filii Dei paſſionem *Veſpaſianus*, & *Titus* ulti ſunt. Sed defenſio Dei [20] dilata eſt in annos XLII. juxta Prophetiam [21] *Eliſæi*, qui XLII. pueros, a quibus illuſus eſt, duobus Urſis dedit in comeſtionem; hujus autem contemptum nec in XL. diſtulit dies; ex quo datur intelligi, qualis quantuſve vir iſte fuerit, qui tam cito defenſus eſt.

F

[1] *cujuſque cum Marianis.* corruptè. [2] *evictionem prædicta.* [3] ann. 866. [4] deeſt *penes.* [5] deeſt *menſibus.* [6] deeſt *circumcirca.* [7] *Aldechiſo.* [8] ann. 866. exeunte. [9] ann. 867. [10] deeſt *eorum.* [11] *perpulſi.* [12] ann. 867. menſe *Aug.* [13] *ammittete dextera.* [14] ann. 871. Vide Chr. Comit. Capuæ Num. [15] *peractis.* [16] *intra.* [17] ann. 871. men. *Aug.* [18] *certoſque.* [19] Zach. cap. 13. [20] *dilatata.* [21] Regum l. 4. c. 2.

XXXV. A ſolo autem Domino jubente, Cæſar inſciens, ſtatim *Saraceni Salernum* [1] applicuerunt, quaſi XXX. millia; quam graviter obſidentes, hinc, & inde cuncta forinſecus ſtirpitus deleverunt, occiſis in ea innumerabilibus colonis, & depopulati ſunt ex parte *Neapolim*, *Beneventum*, & *Capuam*. Quo tempore ambo *Lamberti* Comites Auguſti furorem metuentes, *Beneventum* receſſerunt, & ab *Adelgiſo* honorifice ſuſcepti ſunt; quorum auxilio fretus, ſuper *Saracenorum* [2] ſcaram irruit, & viriliter ſtravit, occiſis ex eis pæne tribus millibus viris. Quibus etiam diebus *Capuani* juxta *Sueſſulam* mille ex eis peremerunt. Cumque in hac obſidione prope [3] terminaretur annus, miſſo exercitu jam dictus Auguſtus per ſuggeſtionem *Landulfi* Præſulis (hoc enim ſolummodo memorabile bonum geſſit a die ortus ſui) [4] perdidit ex profanis in *Capua* ferme novem millia viros. Poſt hæc per ſemetipſum dignatus eſt [5] advenire *Capuam*; cujus adventu cognito *Saraceni*, *Salernum* relinquentes, *Calabriam* adeunt, eamque intra ſe diviſam reperientes, funditus depopularunt, ita ut deſerta ſit, velut in Diluvio. Prius enim quam fugam arriperet nefanda gens, hujuſmodi ſignum de Cælo Deus multis oſtendit: faculam igneam permaximam [6] præpete curſu, in medio navium jecit, quam mox ſecuta eſt tempeſtas, quæ cunctas Liburnas fruſtatim dirupit. *Guaiferius* vero pro ſua obſeſſione primum *Petrum* cognatum ſuum, & *Guaimarium* filium ſuum Legatos ad jam fatum *Auguſtum* miſit, quos ille conſilio *Landulfi* retinuit, & exilio deſtinavit. Hujus etiam poſtea duos filios obſides ſuſcepit, & *Langobardiam* miſit.

XXXVI. Per [7] idem tempus jam dictus Cæſar *Landulfum* in familiaritatem alliciens, tertium in Regno ſuo conſtituit. Qua electione indeptus, Archiepiſcopatum totius *Beneventi* omni aviditate, & ut *Capua* Metropolis fieret, quæſivit; ſed non Domino ſinente, ad perfectum minime pervenit. *Lodoguicus* autem volens *Beneventum* acquirere, ſed minime valuit, ad propria [8] receſſit, conjugem, natamque ſuam *Capuam* relinquens. Qua occaſione reperta idem *Landulfus Guaiferium* Principem, cui noviter juraverat, apprehendi fecit, & in cuſtodia detrudi; ſed quia non ea contigit illis, quæ putabat, dimiſſus eſt, & filios *Landonis*, *Landonem* ſcilicet, & * [9] *Landulfum* cognatos ſuos, pro ſe obſides dedit, quos ſecum remeans Auguſta detulit, & *Ravennam* exilio reliquit. [10] Proles autem ipſius Auguſtæ *Capuæ* remanſit; illaque abeunte, non multum poſt genitor illius divæ memoriæ *Lodoguicus* diem [11] clauſit extremum, ſicque filii *Guaiferii*, & *Landonis* abſoluti ſunt. Qui dum ad proprium ſolum repedaſſent, filios [12] *Pandonis* extra urbem ſuam exules invenerunt, ſociatique ſunt illis; quorum nexionem *Landulfus* ut intellexit, doluit *Guaiferium* Principem mox evocavit ad ſolatium ſuum; qui ſine mora veniens, utroſque fratres ſubdidit famulatui illius.

XXXVII. Cur autem jam dicto Auguſto ſupradictum opprobrium, Domino permittente, *Beneventani* inferre quiverunt, de multis duo inferam. [13] Primum, quia veniens quodam tempore *Romam*, ut duos Epiſcopos condemnatos ad priſtinam reduceret [14] dignitatem; & dum nollet ei conſentire [15] *Nicolaus* Papa, vir Domino plenus, ſecundum antiquum morem obviam ei venit candidatum Sacerdotale agmen; & ille, ſpreto timore Dei, fuſtibus Clerum cædi fecit: cruces vero, omniaque ſacra miniſteria pedibus calcari, [16] *Romam*que pæne milliari

[1] ann. 871 exeunte.
[2] *Sacram.* corrupte.
[3] ann. 872 exeunte
[4] *& perdidit.*
[5] ann. 873 ineunte.
[6] *iklent* corrupte.
[7] ann. 873.
[8] ann. 874.
[9] *Landonulfum.*
[10] *Plex.* Plebs.
[11] ann. 874. Sed aliis ann. ſeq.
[12] *Landonis.*
[13] *Primo.*
[14] *ſanitatem.*
[15] Annales Bertiniani fuſius hæc notant ad ann. 864.
[16] *Romaque.*

A ſpatio [1] deprædatus eſt, Vicariumque *Petri* Beati, quaſi vile mancipium, ab officio ſui miniſterii, niſi Dominus reſtitiſſet, privare voluit. [2] Secundum, quia capta *Bari*, & *Saugdan* omnium hominum flagitioſiſſimo, non juxta voluntatem Domini eum protinus, ut dignum erat, crudeliter [3] interfici fecerit: oblitus videlicet: quid *Samuel* [4] coram *Saule* de *Agath* pinguiſſimo Rege *Amalechitarum* egerit; quomodo eum in fruſta diſcerpi fecerit. Quemadmodum etiam quidam [5] Propheta *Samariæ* Regi de quodam ſcelerato viro dixerit. (*K*) *Quia dimiſiſti*, inquit, *virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius.*

B XXXVIII. Dimiſſo igitur *Adelgis* [6] *Lodoguico* Cæſare, theſaurum omnem retinuit, & *Saugdan*, & *Annoſum*, nec non & *Abadelbachi*. Reparatis etenim viribus *Saraceni* in *Tarento*, quos pæne captos reliquerat Auguſtus, cœperunt pedetentim *Barim*, & *Cannenſe* territorium deprædari: quibus ter occurrit *Adelgis* in finibus *Apuliæ*. Quibus nihil prævalens, [7] invictor ille, & intriumphator abſceſſit. Quo etiam tempore [8] *Atmagnus*, quia *Saugdan* exul fuerat ab *Africa* cum *Annoſo*, veniens, *Tarentum* intravit, [9] & Rex effectus eſt;] egreſſuſque, *Beneventum* graviter deprædavit, & *Teleſam*, & *Ali-*

C *pham*: [10] tantamque victoriam adeptus eſt, ut *Saugdanem* jam ſæpe dictum [11] in poteſtatem ab *Adelgiſo* recolligeret. Nam *Annoſum*, & *Abadelbach* ante [12] Apocriſarios illi miſerat. Hoc [13] audientes qui *Bari* reſidebant, *Gregorium* Bajulum Imperialem *Græcorum*, qui tunc in [14] *Odronto* degebat, cum multis exercitibus adſciverunt, & (*K*) *Barim* [15] introduxerunt ob *Saracenorum* metum. Qui ſtatim apprehenſum [16] *Ganſt*, illiuſque primores *Conſtantinopolim* miſit, ut quibus jurejurando fidem dederat.

D XXXIX. Interea ipſi *Græci* crebrius Legatos cum fœdis *Benevento*, *Salerno*, & *Capua* dirigebant, ut ab his auxiliarentur contra *Saracenos*. Sed in uno animo eorum ſpernebant flagitationes. Tunc *Salernum*, *Neapolis*, *Gajeta*, & *Amalphis* pacem habentes cum *Saracenis*, navalibus *Romam* graviter anguſtiabant depopulationibus; Sed cum *Carolus* filius *Judittæ* ſceptrum inſigne *Romam* [17] ſuſcepiſſet, *Lambertum* Ducem, & *Guidonem* germanum illius *Joannis* Papæ in adjutorium dedit, cum quibus *Capuam*, & *Neapolim* [18] profectus eſt, [19] & *Guaiferius* in cunctis contendens, fœdus dirupit, & multos ex eis peremit. *Sergius* vero Magiſter Militum

E conſilio *Adelgiſi*, & *Lamberti* deceptus, noluit ſe ab illis alienare; qui ſtatim anathematizatus eſt, & cum *Guaiferio* belligerare cæpit; unde contigit, ut ipſe octavo die anathematis XXII *Neapolites* [20] milites apprehenſos decollari fecit: ſic enim monuerat Papa. Quo etiam anathemate mulctatus idem *Sergius*, non multo poſt a proprio germano captus eſt, & *Romam* mittitur [21] ſuffoſſis oculis, ibique miſerabiliter vitam finivit. Ipſe autem frater ejus in loco illius ſe ipſum Principem [22] inſtituit: *Adelgis* vero dum Caſtrum [23] *Trebentenſe* [24] obſidens caperet, ad propriam remeans urbem, a ſuis [25] generis, ne-

F potibus, & amicis (*K*) extinctus eſt, & in loco ejus *Gaideris* filius *Radelgari* nepos extincti ordinatus eſt, ejectuſque [26] eſt [27] *Cailo*, [28] & *Duiferius* [29] generi illius. Hic etiam principare voluit, cujus cupiditate ſocerum ſuum peremit. Hic quoque ſuſceptus eſt ab *Athanaſio* Epiſcopo, & Magiſtro Militum.

XL. His quoque diebus *Landulfus* jam fatus Præſul percuſſus [30] interiit: qua die ſuæ correctionis ab omnibus Presbyteris Sancti *Benedicti*

[1] *deprædata.*
[2] *Secundò.*
[3] *interfecerit.*
[4] Reg. I. 1. c. 15.
[5] Reg. l. 3. c. 20.
(*K*) *Quare.*
[6] ann. 871. ſive 872.
[7] *invictus ille, & triumphator.*
[8] *ut magnus.*
[9] deeſt &.
[10] *tantaque victoria.*
[11] deeſt *in.*
[12] *Procryſarios miſerat.*
[13] *audiente.*
[14] *Ydronto. Hidrunto.*
(*K*) *Barum.*
[15] ann. 876.
[16] *Garſt.*
[17] ann. 875.
[18] ann. 876 & 877.
[19] deeſt &.
[20] deeſt *milites.*
[21] *& ſuffoſſis ocul. ibi miſer.*
[22] ann. 877.
[23] *Trebetenſe.*
[24] *obſeſſum.*
[25] *generibus, nepotis, & amicis.*
(*K*) ann. 878 ſive 879.
[26] deeſt *eſt.*
[27] *Bailo.*
[28] deeſt &.
[29] *gener.*
[30] ann. 879.

Cavallos exspectabat, ut in Barathrum non absque equis rueret. Videntes autem nepotes illius depositionem, in unum collati diviserunt inter se sub jurejurando *Capuam* æqua distributione. *Pandonulfus* urbem *Teanensem*, & [1] *Casamirtam*; *Lando* [2] *Berelais*, & *Suessam*; alter *Lando Calinium*, & *Cajazie*. *Atenulfus* cœpit ædificare Castrum in *Calvo*, *Landulfum* autem adolescentulum *Landonis* filium alii sacramento, [3] nonnulli assensu unanimiter Pontificem [4] constituerunt. Sed, segnitie proprii genitoris, qua naturaliter torpet, detentus, non est mox sacratus: sacramentum autem fraternum non diu extitit illæsum; nam a IV Idus *Martii* usque ad VII idus *Madii* vix perduravit. Cupiditate etenim extorti filii *Pandonis Landonulfum*, & *Atenulfum* fratres suos, filios videlicet *Landonulfi* senioris, dolo ceperunt, & custodiæ indiderunt, [5] rapto ab eis *Cajaziæ* Castro, quod eis sacramento sponte ipsi in sorte [6] concesserunt.

XLI. Sed ut cœpta breviter prosequar, filii *Landonulfi* juncti cum filiis *Landonis* ad auxilium *Guaiferii* Principis se contulerunt: a quo aliquando & tutati sunt. Similiter *Pandonulfus* ad eundem *Guaiferium* Legatos cum chirographis variis misit: sed ab eo minime receptus est, favens supradictis fratribus. Cernens autem prædictus vir omnino se destitutum, *Guaderisum* Principem & *Gregorium* Augustorum Bajulum, qui [7] tunc cum dicto *Guaiferio Nolam* ad colloquendum in unum convenerant, ad *Beneventum* [8] properanter Legatis [9] invitabat, ut [10] quivis primum [11] veniret eum ad adjuvandum, & esset [12] illi subditus. Quibus ex diverso sine mora per *Cajaziam*, *Sicopolim*que adventantibus, ab occasu juxta urbem *Capuanam* resederunt. *Guaiferius* autem [13] e contra ab ortu Solis adveniens *Berelais*, hoc est Amphitheatrum, [14] applicuit cum suis, & vallata est civitas hostibus.

XLII. Inter hæc *Pandonulfus* renuit subdi [15] *Gaiderifo*, sicut promiserat, renitente maxime *Landone* filio *Landonulfi*, cognato ejusdem *Gaideris*. Qua de re [16] & dictus Bajulus, & idem *Gaideris* alienati sunt ab eo. Mox alii per urbem *Capuanam*, nonnulli lintris fluvium transierunt partem ad alteram, [17] & *Guaiferio* sociati sunt: atque recollectis *Landonulfo*, & *Atenulfo*, fratribus [18] junctis, volentes *Pandonulfum* subdere *Guaiferio*, sed non [19] quiverunt; eo quod nolebat fratrueles suos recipere intra urbem, idcirco a *Guaiferio* respuebatur. Agnoscentes autem supradicti viri versutias *Pandonulfi*, reversi sunt ad propria. *Guaiferius* autem tunc remansit in urbe *Capua*. Hac quippe tempestate pæne omnes *Capuani* Illustres, & omne vulgus cum uxoribus, & liberis, omninoque cum omni [20] supellectili urbe egredientes, alii filiis *Landonis*, nonnulli autem ex eis filiis *Landonulfi* adhæserunt, factaque est inter eos valida concertatio, [21] & pessima desolatio; nam *Guaiferius* hostiliter juxta murum urbis residens, obsidebat eam; ultra fluvium vero cum *Francis Lamberti* Comitis *Landonem* constituit.

XLIII. Alio quoque anno superveniens [22] jam fatus *Guaiferius* Princeps cum *Amelphitanis* [23] tempore messionis, & obsedit dictam urbem undique; factaque pace inter se fratres sub sacramento, ita dumtaxat: *Ut neuter eorum triticum de agris prius recolligeret in urbibus suis, quam ab Apostolica auctoritate anathema mitteretur super eos. Ut ingressis dictam urbem nullus eorum super alios auderet insurgere.* *Guaiferio* igitur reverso ad solum proprium, illico *Pandonulfus* Sacramenti oblitus perjurus effectus est; nam *Romam*, ut spoponderat, minime [24] missos destinavit, & contra animam suam agens, triticum omne recepit, quem statim ultio Divina subsecuta est, nam cælitus ignis demissus est, & pæne [1] mediam funditus [2] consumpsit memoratam civitatem.

[1] *Casertam.* [2] *Berealis. Berelasis. & Berolassi.* [3] *nonnullorum.* [4] ann. 879. [5] *capto.* [6] *cessarunt.* [7] deest *tunc.* [8] *properabant legatos. properabat legatis.* [9] ann. 879. [10] *quam primum. qui via primum.* [11] *venirent.* [12] *ille.* [13] *e contrario.* [14] *perampliavit.* [15] *Guaidiriso.* [16] *edictus.* [17] deest *&c.* [18] *junctus.* [19] *quieverunt.* [20] *cupiditate.* [21] *& pessime desolabat eam. Ultra fluvium vero &c.* [22] deest *jam fatus.* [23] ann. 880. [24] *Misso.*

A B C D E F

XLIV. Per idem tempus *Athanasius* Præsul *Neapolis* Magister Militum præerat, qui ut præmisimus, exulato fratre proprio, cum *Saracenis* pacem [3] iniens, ac primum infra Portum æquoreum, & urbis murum [4] collocans, omnem terram *Beneventanam*, simulque *Romanam*, nec non partem *Spoletii* diruentes, cunctaque Monasteria, & Ecclesias, omnesque Urbes, & Oppida, Vicos, Montes, & Colles, Insulasque deprædarunt. A quibus etiam cœnobia Sanctissimi *Benedicti* decentissima, toto orbe veneranda, *S. Benedicti*, & *S. Vincentii* Martyris Monasteria igne exusta sunt, aliaque innumerabilia, excepta *Suessula*, quæ veraciter *Christianorum* fraude miserabiliter suffossa est. Huic igitur sociatus est *Pandonulfus*, cujus adminiculo fretus, acrius cœpit persequi fratrueles suos; ac primo tempore labores eorum hinc, & inde [5] abstulit, atque cum *Neapolitibus*, *Cajetanis*, ac *Saracenis* unitus, biduo super castrum [6] *Pilense* irruens expugnavit, nihilque proficiens, inanis abscessit. [7] Sequenti vero anno generaliter motionem faciens cum suis, *Neapolitibus*, & *Saracenis*, super *Colossum*, quo filii *Landonis* degebant, insedit: prius tamen illos, qui residebant in *Termis* [8] juxta *Arenam*, pecuniata deposuit, & *Capuam* remisit; illis vero, videlicet filiis *Landonis*, in *Amphitheatro* circumseptis, pacem cessit, accipiens ab eis *Liburiam* sub sacramento. Qua etiam vice memoratus *Pandonulfus* denuo super *Pilanum* Castrum cum *Neapolitibus*, improvisa irruens fraude, cepit, ab eis, qui [9] interius ibi morabantur, traditum; ubi & ego captus sum, & omnibus bonis a pueritia [10] acquisitis exutus. Ipse pedester ante equorum capita usque ad urbem *Capuanam* exul evectus sum x Kal. *Septembris* anno Domini DCCCLXXXI.

XLV. *Pandonulfus* autem confestim exercitaliter super *Calvum* profectus est, stipatus agmine *Neapolitum*; ibique munitionem extruens, residebat. Sed filii *Landonulfi* cum suis viriliter eis resistentes, subito idem recessit, a filiis *Landonis* jam pridem ablata *Suessa*, sacramento eis olim largita. Sed, ut ad priora nunc calamum vertam, [11] apprehensus *Atenulfus* a suprafato viro, *Lando* germanus ejus non segniter egit; nam mox *Calvense* Castrum, propter quod captus est idem *Atenulfus*, cum suis cœpit ædificare; pars autem nobilium parata erat ad prælium, & pars vulgi vallis, & parietibus construebat; sicque consumatus est. Post [12] biennium ferme [13] igne consumptum, ab eodem *Landone* reparatum est memoratum Castrum; quo abiens cum universis suis, & casis datis per singulos concives oppidi de ministerio suo, & vasis * [14] humatis victualium, quoque & vinum, omni vigilantia desudans, ad pristinum statum dictum oppidum erexit.

XLVI. Et hoc in superiori parte non est prætereundum annectere; quod in principio rixæ cum idem *Pandonulfus* fratrueles suos [15] persequebatur bestiali efferitate, *Landulfum* Electum filium *Landonis*, de quo supra mentionem fecimus, cui sedem *S. Stephani* Episcopalem ipse sub jurejurando tradiderat, a Claustro *Episcopii* expellens, & humili loco, in cella scilicet Ministeriorum, degere constituit; & sibi in *Zetula* Episcopali mansionem exhiberi jussit: quod & factum est. Hoc cernens fatus di Electus; me-

[1] deest *mediam.* [2] ann. 880. [3] ann. 879. [4] *conlocatus.* [5] ann. 880. [6] *Pileasi Pilinse. Pilecza. infra, Pilanum. an Polentia de quo Num. 30.* [7] ann. 881. [8] *super.* [9] *intus.* [10] *exquisitis.* [11] ann. 879. [12] ann. 881. [13] deest *igne.* [14] *umariis.* [15] ann. 879.

metuens dicti viri versutiam, egressus ex urbe, Episcopalem ad Sedem propriam B. Protomartyris properavit, quo possit quietam ducere vitam. Interea occasione reperta *Landonulfum* germanum suum conjugatum Clericum fecit, mittensque Romam *Joanni* Papæ, Episcopum fieri exposcit, in quo & exauditus est.

XLVII. Pro hac insania, & fraterna, civilique expugnatione nixius flagitati *Berthar* sagacissimus Abbas Monasterii supradicti Sanctissimi *Benedicti*, & *Leo* venerabilis Præsul *Teanensis* Urbem profecti sunt, adieruntque dictum Pontificem, obsecrantes eum suppliciter, ut tam grave piaculum non ageret, unde ruina terræ, & sanguinis effusio procul dubio fieret; cui etiam dictus Abbas expresse inquit: *Certe si hoc exercuerit tua Potestas, talem ignem illuc accendis ad te usque pertingentem.* Prævalens tamen voluntas Pontificis *Landonulfum* Episcopum ordinavit. Hoc [1] ideo factum est, quia *Pandonulfus* prius se subdiderat dicto Papæ, in cujus vocamine, & chartæ exaratæ, & nummi figurati sunt. Juxta præscientiam dicti Abbatis talis itaque ignis exortus est, ut omnis *Beneventana* tellus; & ipsa *Romana* a *Saracenis* [2] propemodum funditus depopulata sit. Pro qua causa dictus Papa [3] bis venit *Capuam*; & primo dum resedisset juxta urbem in loco, qui [4] *Antenianus* dicitur; omnes *Langobardi* hostiliter illum adeunt; nam ex una parte *Athanasius* Episcopus cum *Pandonulfo* aderant: ex alia vero parte [5] utrique fratueles cum *Gaideriso*, & [6] *Guaiferio* Principibus [7] habentibus *Græcos*, advenerant; & quotidie, præsente Papa, utræque acies in præcinctu [8] prosiliebant. Qua [9] oneratus intentione *Landulfum* pridem Electum (*K*) consecravit Episcopum in Ecclesia B. *Petri* [10] *Capuani*, cunctumque Episcopatum inter ambos æqua portione dividi præcepit: Ecclesia vero, in qua consecratio celebrata est, paulo post a *Saracenis* a *Pandonulfo* [11] advocatis, & ab *Athanasio* missis, igne media exusta est.

XLVIII. Circa hæc [12] tempora *Guaiferius* Princeps Monachus effectus est, languore depressus est gravi, diem clausit extremum. Et quia [13] ob incursionem *Ismaelitarum* corpus [14] ejus ad Cænobium [15] *B. Benedicti* patris ferri non valuit, *Teanensi* Castro in Ecclesia humatum est, donec cælitus requie præstita ad sanctum locum vehatur. Per idem tempus *Iserniam*, & *Suessulam* uno mense, Castrum etiam *Bovianum* eodem anno capta, & combusta sunt. Quo tempore [16] supradictus *Gaideris* a *Landone* cognato suo alienatus, *Pandonulfo* sociatus est, filiamque ipsius suo tradidit filio; sed [17] in proximo a [18] Tribulibus dicti *Landonis* captus, ac custodia mancipatus est; ejusque in loco *Radelgis* filius *Adelgisi* Princeps est constitutus; qui tribus vix annis imperans, a *Beneventanis* [19] ejectus, & *Ajo* frater ejus loco illius subrogatus est. *Gaideris* vero *Franchis* traditus in custodia, fuga lapsus, pervenit urbem *Barensem*, quo morabantur *Græci*; a quibus missus est ad Urbem *Regiam Basilio* Pio Augusto, a quo honoratus, ditatusque donis Imperialibus [20] *Oeriam* urbem accepit ad convivendum.

XLIX. Hac [21] tempestate *Pandonulfi* [22] nimietatem non ferens *Athanasius*, relinquens eum, filiis *Landonulfi*, & *Landonis* copulatus est in societatem. His diebus idem Præsul missis Apocrisariis *Siciliam*, *Saracenis* ad radicem montis *Besubii* residentibus [23] *Suchaymum* Regem exposcit, illisque veniens præfecit. Sed justo Dei judicio, primo omnium super eum insurgens, cœpit *Neapolim* graviter [24] affligere, & devora-

[1] deest *ideo.*
[2] deest *propemodum.*
[3] ann. 879. & 881.
[4] *Antinianus. Atinianus.*
[5] *utrisque.*
[6] *Gaimarrio.*
[7] *habentes.*
[8] *exiliebant.*
[9] *onoratus.*
(K) ann. 881.
[10] *Capuæ, totumque.*
[11] *vocatis.*
[12] ann. 880.
[13] *ab incursione.*
[14] *illius.*
[15] deest *B.*
[16] *suasus.*
[17] ann. 881.
[18] *Tribunalibus.*
[19] ann. 884.
[20] *Oriam.*
[21] ann. 881.
[22] *feriatim feritatem.*
[23] *Suthaymum.*
[24] *afficere.*

A re omnia exterius, ac puellas, equos, & arma [1] vi expetere. Hoc turbine exactus, & ut Apostolicum anathema, quo erat [2] innodatus; a se, & urbe sua expelleret, *Guaimarium* Principem, omnesque *Capuanos* ex urbibus, & oppidis, cunctosque maritimos in suum adjutorium advocavit, & *Saracenos* ab eodem loco vi pepulit: illi autem abeuntes, *Agropolim* castrametati sunt. Hoc facto, non multo post prædictus Præsul una cum filiis *Landonis*, & filiis *Landonulfi* super *Capuam* [3] *Pandonulfum* capturus advenit, dictamque urbem [4] hinc, & inde obsidens affligebat. Qua necessitate compulsus *Pan-*
B *donulfus Radelgisum* Principem, cognatumque suum in auxilium invitavit. Is autem segnitie seposita, mox *Ajonem* germanum suum advocans in comitatu suo, *Capuam*, qua residebat [5] expugnans, audacter ingressus est. Post hæc *Ajo* cum *Beneventanis*, & *Capuanis* egrediens, cum filiis *Landonulfi Amalphitanos* habentibus, certamen iniit, & aliquandiu pugnatum est juxta portam urbis; cumque neutra pars alteri cederet, utræque acies ad sua reversæ sunt.

L. [6] Repedante itaque *Radelgiso* ad propria, *Athanasius* ad solita recurrens arma, simulavit universos fratrueles pacisci, cohortatusque est
C eos, ut dato sacramento ad alterutrum, omnes ingrederentur urbem communiter habitaturi. Sed *Pandonulfus* ab eodem Præsule sacramentum accipiens, ne ullas contra eum moliretur insidias, tunc omnes fratres in unum adunati *Capuam* adierunt, dato prius Amphitheatro eidem *Athanasio*, & ille [7] *Guaiferio* ad cohabitandum tradidit ad perpetuum *Capuanorum* jurgium. Cum vero adessent universi, ut diximus, omnes juraverunt, ut pacifici, & sine ulla molestia dicti viri intrarent ad commorandum. *Pandonulfus* autem recepit eos ovans cum Clericis veste amictis candida; illi [8] autem mox [9] ingressi in-
D tro apprehenderunt *Pandonulfum*, & *Landonulfum* fratrem ejus, quem supra Episcopum descripsimus, cum omnibus consentaneis, sequacibus, & [10] fautoribus eorum, [11] & hi duo missi *Neapolim*; [12] post hæc, & uxores, filii, & filiæ missæ sunt illuc.

LI. Inter hæc *Saraceni* totam supradictam terram crudeliter laniabant, ita ut desolata terra cultoribus, [13] sterpibus, & vepribus repleta fatiscat. *Guaiferius* autem *Colosso* residens, suasus ab *Athanasio*, imo, & *Athanasius* ab illo coactus, bellum cœpit inferre dictis fratribus, atque cum *Saracenis* [14] nimium eos affligebat, &
E acrius insequebatur. Tunc nutu Dei; a quo omne procedit bonum, [15] quendam *Agarenum* ab *Africa* evocans, Regia de stirpe procreatum, *Agropolim*, inde *Garelianum*, in quo [16] residebant agmina *Ismaelitica*, misit, atque omnium illorum mentes accedens, ejus hortatu universi *Saraceni*, tam de *Gareliano*, quam de *Agropoli* communiter collecti, *Calabriam*, qua [17] residebat *Græcorum* exercitus, super *Saracenos* in *Sancta Severina* commorantes, properarunt; ubi & omnes *Grajorum* gladiis extincti sunt. Dehinc *Amanteum* Castrum captum est: deinde, & [18] dictæ Beatæ *Severinæ* oppidum apprehensum
F est.

LII. *Basilio* Serenissimo Augusto atque his diebus [19] defuncto, duo filii ejus in Imperio sunt electi; id est *Leo* primogenitus, & *Alexander* subsequens; tertius vero, *Stephanus* nomine, Archiepiscopatum ejusdem urbis (ejecto *Photio*, qui olim a *Nicolao* Primæ Sedis Pontifice ob invasionem Episcopatus *Ignatii* adhuc superstitis, perpetuo anathemate fuerat mulctatus, & a *Joanne* Papa, ut ita dicam, ignaro, ad

[1] deest *vi.*
[2] ann. 881. mense Aprilis.
[3] deest *Pandonulfum.*
[4] deest *hinc, & inde.*
[5] *expugnare.*
[6] *repetente.*
[7] *Gaiferio.*
[8] *mox autem egressi.*
[9] ann. 882.
[10] *factoribus.*
[11] *& omnes missi.*
[12] deest *post hæc.*
[13] *serpibus.*
[14] deest *nimium.*
[15] deest *quendam.*
[16] *præsidebant.*
[17] Adhuc vivente Imp. *Basilio.* Vide Cedrenum num. 229.
[18] *edictæ.*
[19] ann. 886.

pristinum gradum [1] resuscitatus) regendum suscepit.

LIII. Interea *Athanasius* solita fraude cupiens supradictos fratres sequestare ad invicem, hinc *Landoni* [2] seniori, filio [3] videlicet *Landonis* singularis, præstantissimi viri, neptem suam adhuc lactentem in conjugium [4] cessit; adhoc ut fila feminarum illaquearent eum; [5] adscitumque eum monuit serpentino ore, ut confratrueles suos caperet, &, quod magis ambiebat, occideret: scilicet ut inter se rixantes, aut omnino interirent, aut deficerent, & ille *Capuam* caperet. Et quoniam *Lando*, licet segnitie, ac [6] torpore naturaliter [7] frueretur, immobilis, & constans persistebat, re inchoata, [8] hoc advertens *Athanasius* doluit, & protinus consilium reperit sibi accommodatissimum tunc, sed non in longum perniciosius; competenti etenim festinatione inter ista *Atenulfum* adscivit, eique secretius [9] infidit: *Ex omni gente* Langobardorum, Capuam *elegi mihi habilem; & e* Capua, *gentem vestram; & ex omnibus fratribus tuis, te solummodo prætuli consentientem mihi, & in cunctis obtemperantem, virumque industrium: idcirco si meis verbis aures tuas accommodaveris, in cunctis prosperaveris.* At ille cuncta se patrare [10] velle respondit imperata; cui ille: *Cape filios* Landonis, *& esto tu solus imperans* Capuam, *sicut progenitor tuus singulariter imperasse dignoscitur.* Ille vero (*K*) hoc fratrum consilio distulit; qui reversus omnem venenosi *Athanasii* versutiam propriis innuit fratribus. At illi obstupefacti signo se crucis *Christi* munierunt, dicentes: *Ante moriamur, aut exulemus, quam super fratres nostros juste, aut injuste insurgamus unquam: donec enim erit in manibus nostris, non insidiabimur sanguini nostro.* Mox etenim [11] cuncti filii *Landonulfi* munierunt se horribili, & pæne inaudito sacramento cum filiis *Landonis* clanculo sub gravi anathematis interdictione; statimque *Atenulfus* abiens, *Athanasio* retulit voluntatem fratrum suorum ratam fore fratruelibus suis, & in nullo penitus [12] amoveri. At ille durius [13] hoc accipiens, hostis factus est illis.

LIV. [14] Eodem tempore *Guaimarius* supradictus Princeps, cum nimium affligeretur ab *Athanasio* Episcopo cum *Saracenis*, essetque ex toto depopulata tellus ipsius, ita ut capi [15] potuisset, nisi divina pietas restitisset, ad *Græcorum* se contulit suffragium, a quibus [16] nobiliter est adjutus; nam & auro, & frumento adjutus est, & auxiliatoribus stipatus, qui custodirent urbem, & populum ejus, quod hactenus servatur, ut dictum est. *Ajo* autem Princeps *Beneventi*, & ante Principatum, & [17] postea, partim imbecillis, partim roboreus extitit.

LV. Ut autem post tergum redeam, abeuntibus *Saracenis Calabriam*, [18] illucque [19] pereuntibus, *Decivilis* Dux *Cajetæ* centum pæne quinquaginta ex eis secum retinuit, ut sine Sacerdotali officio non remaneret: ad instar *Judaicorum* Regum, qui diviso inter se bifarie Regno, [20] ut fertur, *Levitæ* ex maxima parte *Hierosolymam*, quo inerat Templum toto orbe authenticum, congregati sunt. De quo numero ex parte fati fere ad centum viginti *Saraceni* urbem *Teanensem* [21] audenter adierunt, sicut prius agere conspexerant, quando [22] quippe [23] duo millia quingenti erant; super quos *Lando*, ceu Leo, audacter cum suis [24] irruens, usque ad ultimam internicionem protrivit eos, ita ut de tanto numero non amplius, quam quinque evaderent, cæteris [25] interfectis, ni fallor, centum quindecim.

LVI. *Athanasius* autem cernens se [26] delusum

[1] ann. 879.
[2] Sic scripti Codd. omnes.
[3] *ult. v3.*
[4] ann. 883.
[5] *adstitoque eum.*
[6] *corpore.*
[7] *premeretur.*
[8] *hoc audiens.*
[9] *insit.*
[10] deest *velle.*
(K) *hæc.*
[11] *Juncti.*
[12] *moveri.*
[13] *hæc.*
[14] ann. 886. & primo *Leonis*, & *Alex.* Imp.
[15] *possit.*
[16] deest *nobiliter.*
[17] ann. 884.
[18] *illuc.*
[19] Vivente *Basilio* Imp. ut sup. n. 51.
[20] Reg. l. 3. cap. 12. & Paralip. l. 2. c. 11.
[21] *Audacter.*
[22] *prope.*
[23] $\frac{M}{II}$ D. & sic semper.
[24] *veniens.*
[25] *infectis.*
[26] *derisum.*

A

ab utrorumque responsionibus fratrum, tristior effectus est solito; sed ocyus invenit consilium habile sibi; missis siquidem Legatis, trecentos *Græcos* [1] suum in auxilium adscivit, [2] *Chasano* eos præeunte. Tunc callide pace facta cum *Capuanis*, mox quando [3] vindemia legitur, cum esset *Capua* valide afflicta, & a foris depopulata, omnes [4] certatim egressi sunt, tam primores, quam & mediocres ad vindemiandum; ille vero, suggerente hoc vel maximo *Guaiferio Colossense*, ex abditis *Græcos*, *Neapolites*, una cum Theatralibus viris, & deprædavit totam *Capuam*, apprehensis in ea multis, & præstantissimis viris, peculiisque non modicis. [5] Ab illo igitur tempore omnia circumquaque devastans, *Liburiam* [6] vindicabat sibi; nam & *Saracenos Agropolitanos*, quos nuper de illius magnatibus, juxta rivulum *Lanii* non procul a *Suessula*, [7] qua ille nefandum perpetraverat scelus, ferme ducentos [8] peremerant viros, clam evocavit, & *Capuam* misit; ubi tunc egredientes *Capuani* valide restiterunt eis; ob hoc & absque præda ad Castra repedarunt: *Lando* autem senior tunc Apoplexia percussus (*K*) interiit.

B

LVII. Dictus itaque vir pro ut mente conceperat novis, & inauditis machinis insurgebat adversus *Capuanos*, adeo ut [9] tempore Quadragesimali cum omnis [10] plebs Christicola, & præterita defleret mala, & poscit a Deo, ut flenda minime committat, ipso mediante, festo Dominico, subsequente [11] crepusculo, collectis *Græcis Materensibus*, *Ægyptiis*, & *Neapolitibus*, conscio *Guaiferio* Duce, prætereunte [12] *Chasano*, urbem *Capuanam* tentavit invadere; atque ascensis murum ac si trecentis viris armatis diversorum generibus telorum; sed omnes in Domino adjuvante, alii sponte ex eo desilierunt, qui quidem cervice tenus imis jacti sunt, nonnulli verò gladio occubuerunt. De nostris unus solum [13] *Onericus* nomine, & ut fertur, a suis extinctus est. Bellum quippe [14] hoc narratum in muro arbiter judex non per belligerantes, & armipotentes egit viros, sed per quatuor impubes mirifice gessit ad laudem nominis sui. Ille autem confractis itaque viribus, quod conceperat minime [15] agere cessavit; nam & *Salernum* per *Saracenos* prius, & postea per *Græcos* multotiens capere molitus est, sed non est permissum a Domino.

C

D

LVIII. Eodem quoque tempore *Guido* filius *Guidonis* senioris super *Saracenos* in *Gariliano* castrametatos, ut retro redeam, hostiliter irruens, Castra eorum dirupta deprædavit, & aliquantos eorum gladiis interfecit; reliqui montis per opaca, ut aqua, diffusi sunt. Is autem *Capuam* approprians ultra transvadavit, & ad Pontem, qui *Theudemundi* vocatur, castrametatus resedit aliquandiu; & ablato ex *Liburia* frumento, aliisque victualiis, [16] *Capuani* refocillati sunt, cum eodem Duce non sunt fœderati. Sed cum [17] retroverteretur, urbemque transiret, metu coacti subdiderunt se illi: Ipso ad sua remeante erexit sæpefatus *Athanasius* viriliter contra eos, subito tulitque illis, adjutus auxilio *Græcorum*, omnia a foris, sataque quæque videbantur possidere a parte *Capuæ*, nec non & superius; illaque replicata sunt [18] post reditum supradicti Ducis per *Chasanum*. [19] Multipliciter patrata sunt, quæ a me strictim sunt dicta.

E

F

LIX. Post hæc suggestum est eidem Duci, ut veniret quantocyus, & liberaret confidentes ipsi: sin autem omnino perditionem subirent; qui mox veniens *Capuam*, *Ajonem* Principem a *Benevento* ad se venientem consilio *Capuanorum* [20] cepit, & sub custodia *Beneventum* duci fecit, in

[1] *sui.*
[2] *Chasanos.*
[3] ann. 883 sive 884.
[4] *certantes.*
[5] *At.*
[6] *vendicabat.*
[7] *quia.*
[8] *peremere.*
(K) ann. 884. vide tamen expansam tabulam Comitum *Capuæ* n. 7. & 8.
[9] ann. 885.
[10] *plus.*
[11] *crepusculoque.*
[12] *Cassano.*
[13] *Honericus.*
[14] deest *hoc.*
[15] deest *agere.*
[16] *Capuanis reconciliati sunt cum eodem Duce non desfoederati.*
[17] *retro reverteretur.*
[18] *post reditum.*
[19] *multipliciter.*
[20] ann. 884.

in quam introiens ordinavit eam. Inde proficiscens, *Sipontum* ingressus est: *Ajonem* foris reliquit in Castris. Cum autem cognovissent *Sipontini Ajonem* Seniorem suum captum, supra dictum Ducem, unanimiter irruentes, clausere in quodam Templo, captis [1] ejus optimatibus. Hac, [2] illacque tunc missum est, & abductus est *Ajo*, redditusque est suis. Alio vero die sacramento dato, vix [3] cum dedecore elapsus est.

LX. [4] Dehinc *Chasano Constantinopolim* abeunte, quidam *Stratigo* Augustalis *Joannem* Candidatum, quem lingua *Pelasgica Joannicio* vocant, cum trecentis belligeratoribus direxit *Athanasio* Episcopo, cum quo idem vir *Capuam* hinc, & inde prædavit; atque ob perfidiam istorum *Pandonulfum* ex vinculis ereptum, libertati [5] restituit, & a *Magiperto* receptus est *Suessam*, qui junctus est *Græcis*, atque universa animalia *Capuæ* ablata sunt. Qua de re *Lando* filius *Landonulfi*, & *Landulfus* Episcopus adierunt dictum Ducem in *Spoletum*, ab eo petentes auxilium. *Landulfus* Episcopus a *Spoletio* reversus est: *Lando* autem cum eodem Duce per *Sipontum Capuam* advenit; qui per aliquos dies *Atellæ* residens, *Capuam* frumento implevit. Accepto nuncio, repente [6] *Romam* profectus est, *Capuanos* relinquens in manibus dicti [7] Præsulis. Is autem statim super *Sanctum Heremum Græcos*, & *Neapolites* direxit, quem diu obsidentes, eos qui in sublimibus residebant, cepit, & deinde *Capuam* ex utraque parte graviter affligebant, ita ut quasi obsessa videretur; nam juxta *Sicopolim Græci* cum *Neapolitibus*, & *Pandonulfo* residentes omnia circumquaque stirpitus devorabant: unde contigit, ut octuaginta ex eis *Calinium* adhærentes, super *Teanum* latenter irruperunt; quibus ex [8] diverso *Lando* cum *Teanensibus*, & *Atenulfus* cum aliquantis *Capuanis* occurrerunt juxta *Sanctam Scholasticam* prope *Castrum Teani*, a quibus & victi sunt.

LXI. Per idem tempus Monasterium *B. Benedicti* a *Saracenis* prius dirutum anni Domini [9] DCCCLXXXIV. ab *Angelario* venerabili Abbate ceptum est reædificari anni Domini [10] DCCCLXXXVI. mense *Augusti*. A quo reversi, dum *Capuam* repeteremus, a *Græcis* capti, exutique sumus, & exequitati; ablatisque equis, & spoliis, & ministris cunctis, homines argento redempti sunt; equos recollegimus [11] quinque: Ego autem solus cum præceptore pedestre remansi; a *Capuanis* delati sumus in urbem; inde *Neapolim* pertranseuntes, nihilque proficientes, infructuosi remeavimus *Capuam*. Deinde tria plaustra onerata victualiis, multisque opulentiis juxta *Anglenam*, quo prius capti sumus nos, apprehensa, & deprædata sunt.

LXII. His [12] ita crudeliter gestis, *Atenulfus Spoletium* [13] pergens, dato pretio *Suabilum* Gastaldum *Marsorum* cum aliis sociis [14] *Bassis*, quasi ad trecentos armatos, secum advexit; cum quibus & consilium iniit, ut Gastaldatum *Capuanum* illi firmarent; sed, ingredientes *Capuam*, cum hoc adimplere [15] nequissent dicti *Franci*, resistente, ac contradicente præcipue *Landone* germano ejus, quem [16] dudum ipse cum cæteris fratribus Gastaldum in his, quæ ad eos pertinebant, instituerat, ab eodem *Atenulfo* absoluti, via, qua venerant, repedarunt. Tunc dictus *Atenulfus* consilio habito cum suis, *Sadi* cognatum suum ad *Athanasium* sæpius dictum subdole misit, poscens ab eo auxilium, ut adjuvaretur singulariter fieri Comes in *Capua*. Hæc audiens gavisus est, & spopondit se in omnibus illum auxiliaturum. Cumque hoc a plurimis, & maxime, terque, quaterque *Landoni* fuisset relatum, [1] illa solita segnitie, & torpore detentus parvipendens, pro nihilo ducebat hujusmodi nuncium.

[1] *suis.* [2] *illac.* [3] deest *cum.* [4] *deinde* Cassano. [5] ann. 884. [6] ann. 885. [7] *Præsidis.* [8] *adverso.* [9] ann. 884. [10] ann. 886. [11] V. [12] *itaque.* [13] ann. 886. [14] *Bassisque.* [15] *nequivissent.* [16] ann. 882.

A

LXIII. Exin memoratus *Lando* febris ardore succensus, *Teanum* [2] abiit [3] curandus a languore, quo detinebatur. *Atenulfus* interim a recepta, nec gressum, [4] neque mentem removit; sed [5] protinus effectivus existens parturire quod jamdudum corde conceperat, ob hoc *Neapolim* ire anxiabat festinus. Hoc ergo cum ad aures *Landonis* pervenisset, illico [6] *Alcisum*, & *Aldefridum Capuam* misit, ut dictum virum suo hortatu a cepto itinere deviarent, & adjecit: *Ego autem Missa audita, & comestione finita, subsequar vos.* Illi enim [7] abeuntes fatum virum invenientes, retinere nequiverunt; erat [8] autem dies Dominicus. Deinde *Lando* proficiscens, eum minime reperit, jam enim abierat. Quo facto substinuit *Lando* reditum ejus, illique revertenti dixit *Lando*, & cæteri fratres. *Quid egisti illuc, quo isti?* Quibus ille respondit verba bona, verbaque consolatoria, & deceptionibus plena. His auditis, & [9] nimirum creduli acquieverunt, credentes ei. Proinde *Lando* advertens fraternum dolum, sed somno sopitus & negligentia depressus non intelligens telum latens, quo jaculabatur, donec transfigerentur fibræ jecoris ejus, & *Teanum* rediit [10] sanandus, ad quem (*K*) *Landonulfus* frater suus invisere veniens [11] *Landonulfus* solus in urbe relictus est.

B

LXIV. Cernens autem hæc *Atenulfus*, & videns sibi tempus adesse congruum, prius simulavit se cum conjuge & liberis de civitate egredi, & [12] *Calvum*, quasi ad habitandum, adire. Inter ista cum juvenulis, & pecunia ambitiosis paciscens, dato sacramento, & [13] promissis multis muneribus, disrumpens jusjurandum, quod cum filiis *Landonis* ter juraverat, cum somni tempus advenisset [14] Sabbato post Epiphaniam, [15] hoc est VII Idus *Januarii*, advocatis sodalibus suis, super filios *Landonis* irruit bellaturus. Filii autem *Landonis* non segniter se præparaverunt adversus [16] hujuscemodi conamen; sed fugientibus eis, in quibus confidebant, concussi sunt valide. Maxime ex hoc turbabantur, quia putabant, quod *Lando* cum omnibus germanis suis in hoc adesset [17] discidio. Videntes autem hi, quod destituti essent ab omnibus, cesserunt *Atenulfo*, & egredientes noctu ex urbe, *Teanum* advenerunt, *Landonulfus*, *Pando*, & nepos eorum *Guaiferius*; clamantibus eis a tergo de civitate; *Nolite ire Teanum, quia certissime capiemini.* At illi *Teanum* [18] propinquantes hæsitare cœperunt, ne [19] forsan a *Landone* tenerentur adstricti; nunciato itaque adventu suo, officiosissime sunt suscepti.

C

D

E

LXV. *Atenulfus* Gastaldatum *Capuanum* singulariter suscipiens, continuo se Comitem appellari jussit; moxque filium suum *Athanasio* obsidem direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, [20] *Liburiam*, & *Capuam* sub jurejurando illi concessit; *Athanasius* vero retinuit illius sobolem, quousque factum illi a *Guidone* [21] Duce repromissum susciperet dictus *Atenulfus*, acceptoque fœdere *Gallico*, reddidit illi filium, & custodita est pax inter utrumque anno uno, & mensibus [22] tribus. Per idem tempus missis Legatis idem *Atenulfus Romam*, *Majone* venerabili Abbate, & *Dauferio* Diacono, ut subderetur *Stephano* pio Papæ, essetque illi proprius famulus; & promisit [23] quoque ei reddere *Cajetanos*, quos pridem callide ceperat, adjuvaretque eum contra *Saracenos Gareliano* residentes.

F

[1] *ille.* [2] ann. 886. [3] *curaturus.* [4] *nec admittens admo.* [5] *promptus, & fervidus, existimans parturire se posse.* [6] *Adelgisum, &* Adelfridum. An *Alcisus* est de quo n. I. & 68. [7] *abientes.* [8] *enim.* [9] *nimium.* [10] *sanaturus.* (K) Landulfus. [11] Vide expansam Tabulam Comitum *Capuæ*. Nu. 8. [12] Calinium, *quasi habitare.* [13] *præmissis.* [14] *Sabbatum.* [15] ann. 887. [16] *hujusmodi.* [17] *dissidio.* Vide *Dausqueum in* Orthogr. [18] *appropinquantes.* [19] *forte.* [20] *Licuriam cæterum semper Liguriam.* [21] deest *Duce.* [22] ad mensem *April.* ann. 888. [23] deest *quoque ei.*

Quæ poſtea cuncta oblitus, ex his, quæ promiſerat, nihil omnino adimplevit.

LXVI. His quoque diebus [1] *Theophylactus Stratigo* a *Bari Teanum* hoſtiliter advenit Hiemis tempore, *Saracenos* tentans [2] impugnare; nihilque proficiens, infructuoſus abſceſſit; abienſque *Neapolim*, *Marinum* Gaſtaldum Caſtri *Sanctæ Agathæ Ajoni* rebellem [3] accepit, & *Apuliam* rediens, nonnullas munitiones ejuſdem *Ajonis* vi apprehendit; unde occaſione accepta, idem *Ajo* adverſus Auguſtale dominium rebellionis jurgium [4] initiavit, quod ſuo in loco inſeretur.

LXVII. Ante hoc ſane tempus *Guaimarius* Princeps *Conſtantinopolim* ad Auguſtorum veſtigia confiſus, [5] abſceſſit; a quibus benigne ſuſceptus eſt; [6] Patritius ab eis factus, cum honore ad propria remiſſus eſt. Cum autem adhuc illic moraretur, *Athanaſius* dolorem conceptum in opus erumpens, *Græcos*, *Neapolites*, ſeu omnes *Capuanos* generaliter movens, ſuper [7] *Abellanum* miſit Caſtrum, quo tunc præerat *Landulfus Sueſſulanus*. Mox autem ut illic ſupervenit exercitus, fraude illorum, qui intro erant, captum eſt, apprehenſo in eo *Landulfo*, & filio ejus juniore, nuruque illius, uxore videlicet *Landonis*, qui cum *Guaimario* profectus fuerat.

LXVIII. His ita decurſis, ſuaſus *Lando* ab [8] *Algegiſo*, aliiſque *Capuanis* una cum *Guaiferio* [9] in quandam tractoriam plauſtro vehentem intromiſſus, *Capuanam* urbem ingreſſus eſt, atque ad Epiſcopalem abiit Aulam; ubi pauci ex vi congregati ſunt, *Atenulfo* accelerante. Tunc commiſſum eſt prælium, mortuoque *Valane*, Illuſtri viro, diſſolutum eſt cor eorum, qui in parte *Landonis* erant, & cœperunt illum relinquere, & *Atenulfo* [10] aſſociari. Tunc, licet [11] ficte, pacis oſculum ſibi mutuo fratres obtulerunt, quod in arca cordis minimè retinebant. *Lando* autem poſt illa cum *Guaiferio* ad propria remeantes, reliqui conſentanei illorum capti ſunt, & [12] vinculis innexi. Inter quos & *Landulfus* Præſul captus eſt, & cuſtodiæ [13] truſus. Poſt non multum tempus per ſingulos dies omnes abſoluti ſunt.

LXIX. In [14] diebus illis, quando *Atenulfus* Gaſtaldatus regendi jura adeptus eſt, omnia quæque Beatus *Benedictus* infra urbem *Capuanam* poſſedit, fratribus exulantibus auferri præcepit; qua de re miſſus ab *Angelario* venerabili Abbate, [15] & Epiſcopo ego ipſe veſtigia Apoſtolorum adii, *Stephanum* Summum Pontificem poſtulaturus pro rebus noſtris ablatis, a quo & benedictionem fratribus detuli, & Privilegium noſtri Cœnobii, & ſupradicto viro literas exhortatorias attuli: dominicalis res ablata reddita eſt, [16] mente autem ex toto ſubtracta, in proximo etiam Cellam mihi ab Abbate traditam, concepto dolore, vi abſtulit.

LXX. Interea cum *Atenulfus* jam memoratus *Capuanos* cepiſſet, advertens *Athanaſius Capuam* fortiter [17] concuſſam, cœpit occaſionem quærere adverſus *Atenulfum*, & obſides ab eo, ſeu & pacem [18] innovare, decurrentibus inter alterutros miſſis. *Majo* ſupradictus Abbas, & [19] *Auſencius Neapolim* profecti ſunt, quos *Athanaſius* ad *Amphitheatrum* ire præcepit, ſimulque *Atenulfum* illuc adeſſe voluit, quatenus firmato fœdere una cum *Guaiferio* Conſule filium ſuum cum aliquantis e *Capua* obſidem mitteret. Hoc autem faciens, inſidias tetendit latenter cum *Græcis*, & ſuis ad capiendum ſuos. Sed quia, ut conjicitur, adhuc non erat completa malitia, quæ poſt paululum divinitus [20] punita eſt, facta

[1] Theophylatus. [2] *in pugnam. in pugnas.* [3] *præcepit.* [4] ann. 887. [5] ann. 881. [6] *& Patritius.* [7] Abellarum. [8] Agelgiſo. [9] deeſt *in.* [10] *aſſociare.* [11] *ſinte.* [12] *in vinculis.* [13] *tentus.* [14] ann. 887. [15] deeſt *&.* [16] *me autem.* [17] *percuſſam.* [18] ann. 888. menſe Aprilis. [19] *Auſentius.* [20] *punienda eſt.*

A eſt morula; ſed *Atenulfus* & filium ſuum infra urbem clauſit, ſupradictos viros miſit *Arenam*, [1] egreſſuſque ſtatim *Græcorum* cuneus ſupradictos apprehendit viros cum aliis, & deprædavit totam *Capuam* graviter; moxque ſine dilatione cunctum equitatum, & pedeſtrem exercitum mittens, omnia ſata *Capuæ* ſuccidi, exterminarique fecit funditus.

LXXI. Præſciens autem Deus dicti viri malitiam, & volens præſtare *Capuanis* miſericordiam in tam crudeli, impiaque perſecutione, permiſit eundem *Athanaſium* in tantam elationem [2] prorumpere, ut etiam *Beneventi* fines

B bis, terque prædari faceret. *Ajo* autem tunc [3] *Bari* degens impugnabat *Græcos* impugnantes ſe. Qui [4] hoc audiens, illico, ſegnitie depoſita, ferme cum tribus millibus bellatoribus clanculo veniens Caſtrum in *Abellinum*. Ubi autem intellexit *Græcos* cum *Neapolitibus* reſidere ſuper *Capuam*, radicituſque eam devaſtare, illico recto itinere ſuper eos audacter adventare ſtuduit: ſed [5] quidam naturaliter zizaniorum ſator *Dauferius*, [6] *Dauferii* noſtri genitor, urbe *Beneventi* egreſſus, ſubdole, ac ſi ſecuturus Principem, ex diverſo *Capuam* curſu properavit, & dicto exercitui adventum indicavit *Ajo-*

C *nis*. At illi relicta *Capua* [7] præcipites *Neapolim* reverſi ſunt: *Ajo* autem iter, quod ceperat, peregit, illiſque minimè repertis, *Liburiam* ingreſſus eſt: cum quo & *Atenulfus* abiit, & exuſta tota pæne *Liburia*, ac deprædata, populiſque & beſtiis ablatis, puteiſque [8] ſaxis oppilatis, *Amphitheatrum* profectus eſt; quo reſidens per aliquot dies, machinis, & diverſis telis fortiter expugnavit. Ille, idemque abiens [9] Caſtrum *Sanctæ Agathæ* inſedit, atque *Marinum* Gaſtaldum ſibi rebellem in fide ad ſe remeantem ſuſcipiens, abſceſſit; aliquandiu [10] *Beneventi* commorans, per *Sipontum Barim* reverſus eſt.

D LXXII. *Atenulfus* autem [11] ab *Ajone*, ſe ſubdens per ſacramentum, in adjutorium ſui centum viginti ferme bellatores ſuſcepit; cum quibus graviter totam *Liburiam* deprædavit. Sed quia nonnunquam deſperatio periculum gignere ſolet, generaliter moti [12] *Materenenſes* e **Calvo*, & aliquanti *Capuani* cum [13] dictis *Apulienſibus* juncti, *Liburiam* circumeuntes, *Sueſſulam* deprædarunt, & reverti cœperunt; quibus occurrit *Græcorum*, *Neapolitum*que exercitus juxta rivolum *Lanii*, atque in unum miſti [14] ſupervalebat pars *Atenulfi* partem *Græcanicam*; ſed ſuperveniens ſcara *Theatralis* a tergo, & in medio

E circumſepti, devicti ſunt, partim capti, partimque gladiis extincti ſunt. Hac de cauſa audaciam ſumens *Athanaſius*, bellum cœpit expetere, unde *Atenulfus* non ſegnis redditus. continuo cum ſuis *Atellam* abiit; dumque prælium non inveniſſet, reverſus eſt ad ſua.

LXXIII. Cum non [15] multo poſt inſtigante inimico humano generi collecta *Athanaſius* multitudine, exercitu miſto *Græcorum*, *Neapolitenſium*, & *Iſmaëlitarum*, equitantium, & pedeſtrium, miſitque illos adverſus *Capuam* pugnaturos; quibus occurrit *Atenulfus* ultra rivolum *Lanii* juxta *Sanctum* [16] *Carſium*, habens in co-

F mitatu ſuo auxiliatores ab *Ajone* miſſos, nec non & *Saracenos*: *Saraceni* vero ex utraque parte juncti ſteterunt, nulli eorum præbentes auxilium. *Atenulfus* talia cernens, acrius ſuper inimicos [17] ſuos inſurgens, ac primo impetu potenti virtute ſuperans, pertrivit eos uſque ad ultimam perniciem, occiſis ex eis plurimis, multiſque captis, reliquos oppido fugere compulit, victorque triumphans ad caſtra onuſtatus, ac lætus cum ſuis omnibus repedavit: de ſuis autem

[1] *aggreſſuſque.* [2] *perrumpere.* [3] ann. 888. [4] *hac.* [5] *quidam.* [6] deeſt Dauferii. [7] *recipientes.* [8] *ſaxo.* [9] *ſuper Caſtrum.* [10] Benevento. [11] Ajonis. [12] Materenſes. [13] deeſt *dictis.* [14] *ſupervalebat* vel *ſupervalebat.* [15] ann. 888. Ind. 6. [16] Carcium vulgo, Santo Carzio in agro Averſano. [17] deeſt *ſuos.*

autem præter unum amisit, *Alderico* nomine, & ipsum a suis, ut fertur, occisum. Ab hoc sane die cœpit jam quasi potens esse *Atenulfus*, & *Athanasius* impotens. Hinc inchoavit omnia fata eorum, qui in *Colosso* morabantur, diripere, cunctaque bona eorum vehiculis diversis ad urbem trahere.

LXXIV. Hoc quoque quod narro omnes audient aures, prout Dominus sæpe parabolice sequacibus suis dicebat: [1] *Qui habet aures audiendi audiat.* Ut omnis pavescat homo, stupeat, & ad Deum revertatur. Vel vero ne quis obstinatus animo remanserit, contingat illi [2] quod *Dathan*, & *Abiron* superbientibus advenit, nec non & *Core* cum fautoribus suis evenisse dignoscitur. *Guaiferius* enim Præfectus *Arenarum*, qui pæne omnia mala, quæ facta sunt in diebus ejus, is opere suo gessit, fecitque patrare; cujus præstigio *Romana* tellus depopulata, *Beneventana* regio funditus desolata est, at hoc, & exitium, & finem accepit; idcirco, Dei judicio, hoc modo illius scelus facinorosus finis explevit. [3] Nam subito superna [4] inspirante gratia, a qua omne bonum procedit, in illum excitati illi, a quibus ipse putabatur salvari, mutata mente in eum surgentes, apprehenderunt, bonaque ipsius diripientes [5] vincxerunt, revertentes nihilominus ad solum, de quo [6] nunquam diabolice abscissi sunt; ipsumque Proconsulem despicabilem *Capuam*, *Atenulfo* [7] consentientes, remiserunt pane tribulationis, & aqua angustiæ [8] sustentatum. Hoc facto universi, qui a propria sede olim fuerant [9] exulati, superbè ad suam obedientiam reversi sunt; factumque gaudium magnum; pax, & securitas; cœperuntque præesse, qui subesse soliti erant; & qui per trecentos, & eo amplius annos imperaverant, ut legistis, præesse cœperunt iis, qui cum *Saracenis* vicerant per aliquot Soles. Tunc cœpit cohors *Bardica* triumphans, regnare super eos, quos semper armis subegerant.

LXXV. Interea videns *Athanasius* se in omnibus superatum, pudore abjecto, pacis expetiit fœdus, quod adeptus est; [10] præmissoque jurejurando, pacti sunt ad invicem. Primum tantum sacramentum sistebat roboreum ad mensem, aut tempus annotinum: istud autem nec ad diem duravit duodecimum. Denique *Ismaelitæ* hac, [11] illacque discurrentes, [12] invitantur ab omnibus, omnia devorant, universa consumunt, & contra *Neapolim* unanimiter consurgunt; æquo valde examine ipsum supernum jaculatus est solium, ut ab his procul dubio percelleretur, cum quibus *Christicolum* genus pæne omne protriverat; prout [13] Joannes dicit in Apocalypsi; immo & Dominus per *Joannem* de *Babylone*. *Quantumcumque ministraverunt vobis, ministrate: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.* Hæc autem audientes, nolite cor apponere, quod Deus [14] hoc meritis alicujus [15] Prælati fecerit, sed sua misericordia, & miseriis hominum egerit motus; ut ipse per [16] Psalmistam dicit. *Invoca me in die tribulationis,* [17] *& eruam te, & honorificabis me. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* &c. quousque ait. *Hæc fecisti, & tacui: existimasti, inique, quod ero* [18] *tui similis.* In una tantum re moveor, quod cum dicat (*K*) Apostolus. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Quid ergo erit de his, qui prædant proximos, & proximas, traduntque prostibulo? ita ne prædabuntur? Deinde sicuti enim *Neapolites* vastantur, qui vastarunt, ita & nos, forsan, devorabimur, [19] qui nunc devorantes sumus. Beati ergo, qui Domino custodiente, immunes ab hac sæculi procella existunt, ubi omne malum, & nullum sine Domino bonum regnat, & [1] in æterna nominantur vita, qua omnis felicitas, & beatitudo perennis floret in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. cap. 13.
[2] Numer. cap. 16.
[3] Diebus 11. a victoria ad S. Carpum.
[4] expirante. expiante.
[5] viguerunt. junxerunt.
[6] nunc.
[7] consentiente.
[8] suggillaturum.
[9] superbe exulati.
[10] prævicque.
[11] illac.
[12] invitabantur.
[13] Apocal. cap. 18.
[14] deest hoc.
[15] relati.
[16] Psal. 49.
[17] tue, eripiam te, & magnificabis me; nam peccatori dicit. Quare &c.
[18] tibi.
(K) Esaias. cap. 33. sic dictus. Vide Hieron. ep. 103. ad Paulin. & August. de Civit. l. 18. c. 29.
[19] quod.

LXXVI. *Ajo* [2] denique a *Benevento* per [3] *Sipontum Barim* profectus; super quam *Constantinum* Augustorum [4] Aulicum, & Patritium insidentem reperit, rebelles Imperatorum viriliter impugnantem; adversus quem dictus *Ajo* fultus auxilio *Ismaëlitarum*, & vallatus agmine pedestrium *Apuliensium* audacter [5] insurgens, primo impetu victor existens, de hostibus plures interfecit; deinde a *Constantino*, qui cum tribus millibus equis in tuto consistebat in loco, valide contritus, vix cum aliquantis urbem ingredi valuit *Barim*: reliquis aut gladiis, aut traditis captivitati. Is autem *Græcorum* obsitus vallo, infra urbem occultatur, sustinens suffragium *Atenulfi*, quem pridem protexerat, & non invenit; nam & *Gallos*, & *Agarenos*, promissis aureis, sæpius mistim invitans, obtinere [6] nequivit.

LXXVII. *Atenulfus* ergo cum *Athanasio* pace interim custodita fere [7] XI. diebus, scisso fœdere, utraque pars ad prædam prorupit. Sed *Capuani* prævalidiores effecti, per se, & cum *Saracenis* graviter *Neapolim* circumquaque vastantes, lacerant, [8] & igne consumentes omnia; æquo Dei judicio, ut qui *Saracenis* innumerabiles *Christicolas* gladiis, & captivitatibus tradidit, bonisque eorum ditatus est, non immerito ab his flagelletur, rodatur, & prædetur, ut Salomon ait: [9] *Quis* [10] *miserebitur incantatori a serpente* [11] *percusso?*

LXXVIII. Interea *Atenulfus* post Episcopi captionem, cunctumque Clerum sacramento revinctum, ad nova se contulit, & recentia jura [12] Legis. Nam Monachos B. *Benedicti* pro rebus perditis jurare compulit, quibus cessum fuerat ab omnibus [13] retro Principibus, cunctisque Augustis *Gallicis*, sacramentum per se nulli homini dandum, nisi per *Scariones*; se autem in hujusmodi negotio sapientiorem, ac potiorem ostendens prioribus.

LXXIX. [14] Defuncto autem *Lamberto* filio *Guidonis* senioris, filio suo [15] *Spoletium* reliquit; quo etiam decedente, *Guido* junior *Spoletium*, & *Camerinum* suscipiens, cum *Saracenis* in *Sepino* castrametatis pacem fecit, obsidibus datis, & acceptis. Cujus etiam tempore supradicta Cœnobia, Urbes, & Oppida omnia a *Saracenis* capta, & exusta sunt. Regiam ad urbem legationem dirigens, contra jus faciens, pecuniam accepit; quamobrem a *Carolo* III. Augusto captus est, & nisi fugam [16] arripuisset, capite plectendus erat. Unum quippe illius narro factum haud [17] dissimile, quod in *Gariliano* gestum est. Denique cum a *Seponto* idem Dux, *Atenulfo* comitante, *Capuam* pergeret, in loco, qui *Caudi* dicitur, *Arranem Ismaëlitam*, Tyrannum crudelissimum cum trecentis pæne sequacibus suis peremit. Cognoscens autem *Guido Carolum* Augustum [18] seminecem jacere, cupiditate regnandi devictus, deceptusque a contribulibus suis, [19] relinquens *Beneventanam* Provinciam sibi [20] subactam, [21] & *Spolitentium* Ducatum, abiit *Galliam* regnaturus; *Beneventi* quidem tellus a *Græcis* capitur; *Spoletium* deprædatur ab *Agarenis*: ipse autem manet invisus, & inauditus. Cum vero [22] pervenerit, & auditus fuerit, quid (*K*) dixerit, vel quid egerit, scire volentibus per ordinem narrabo.

LXXX. Interea *Ajone* [23] obsesso infra urbem *Barim* a *Græcis*, atque auxilium efflagitante a *Gallis*, & suis, *Atenulfus* titubans *Athanasii* minas, Legatos suos ad *Constantinum* Patritium de-

[1] *interna nominatur.*
[2] *autem.*
[3] Sepontum.
[4] *aulæ Patritium.*
[5] ann. 888. iisdem diebus, quibus *Amphitheatrum* receptum est ab *Atenulfo.*
[6] *nequit.*
[7] *bis binis.*
[8] *ut ipsi consumantes.*
[9] Ecclesiastici c. 12.
[10] *medebitur.*
[11] *semel percusso.*
[12] *Regis.*
[13] *vero.*
[14] ann. 880.
[15] Spoletum.
[16] *arriperet.*
[17] *indissimile.*
[18] 887. exeunte. qui obiit 888. men. *Jan.*
[19] *reliqua.*
[20] *subacta.* Vide Chronol. Pr. *Benev.*
[21] *e Spolitensium.*
[22] *pervenit.*
(*K*) *erit.*
[23] ann. 888.

destinavit, qui residebat super dictam urbem, & fœdus [1] cum ipso statuens pacis vires resistendi *Ajonis*, astu doloso, avertit. His, & [2] hujuscemodi argumentorum decipulis dictus *Ajo* cernens se delusum, doluit; tandem necessitate coarctatus cum memorato Patricio pacem faciens, urbem remisit, & ad propria remeavit: *Atenulfo*, & *Majoni* Abbati, [3] qui supra fata legatione functus fuerat, haud frustra minitans. Eadem tempestate dum idem *Atenulfus Dauferium* nostrum Diaconum [4] disponeret *Tarentum*, & inde *Regiam* ad urbem transmittere, ipse questus est adversus eum de inopia: oborta inter alterutrum contentione, ad invicem sequestrati sunt, & *Atenulfo* incubante *Capuam*, *Dauferius Teanum* commoraturus properavit. Paulo post concordia composita, ad eum, a quo se separaverat, regressus est.

LXXXI. Per idem tempus *Græci* navaliter a *Constantinopoli* ad *Rhegium* [5] tellurem adventantes, ex diverso & *Ismaëlitæ* ab *Africa*, & *Sicilia* properantes, utrique junxerunt se inter *Messanam* urbem *Siciliæ*, & *Rhegium*: & confringentes parumper [6] mortui cuncti sunt *Græci*; tantoque metu territi sunt reliqui *Achivi*, qui remanserunt, ut tam viri, quam feminæ, [7] & parvuli, relictis utriusque civitatibus cum omnibus, subsidium adepti sunt, nemine contrahens bella. Sed ut talia permiserit Divina æquitas A illi belluinæ genti e contra narrabo brevius. *Achivi* autem, ut habitudine similes sunt, ita animo æquales sunt bestiis; vocabulo *Christiani*, sed moribus tristiores *Agarenis*. Hi videlicet per se fidelium omnes prædabant, & [8] *Saracenos* emebant, & ex his alios venales Oceani litora farciebant, alios vero in famulos, & famulas reservabant. Talia, & his similia animadvertens Deus, tradidit illos in opprobrium, & in devorationem, ut pereant, & recogitent, & intelligant, quia in operibus suis diris Deum jaculati sunt. Acta sunt hæc in arcto spatio maris, quod dividit [9] Regnum a *Sicilia*, qui locus B olim tellus erat, sed moderno tempore a *Phari* æquore occupatus est. Hæc itaque gesta sunt anno Domini DCCCLXXXVIII Mense *Octobris*.

LXXXII. Hoc etiam anno [10] reversus est *Guido* ad *Italiam* [11] quam principare [12] cupit, sed obtinere [13] nequit. In *Italiam* juxta civitatem *Brescianam* cum *Berengario*, & ipso Duce conflictus, in quo nimirum conflictu utriusque partis acies crudeliter cæsa est. Spolia autem cæsorum a *Berengario* recollecta sunt. Pacti sunt [14] tantum ad invicem usque in Epiphania, [15] quæ celebratur VIII Idus [16] *Januarii*: Cum autem uterque se junxerint ad pactum, vel ad bellan- C dum, quod deinceps egerunt, præsenti Opusculo inseram.

[1] *cum statuens. cum statueret.*
[2] *hujusmodi.*
[3] *qui fata.*
[4] *recte disponeret.*
[5] Sic quoque *tellures.* Theathensium. Num. 5. *in* Barium *tellure.* N. 29. Benev. *tellus.* Nu. 47. & *Romana tellus* Num. 74.
[6] *victi sunt. mutuo juncti sunt.*
[7] deest *& parvuli.*
[8] *Saracenis an a Saracenis?*
[9] *Regnum.* abusive, ut etiam apud Ign. Cass. N. 4. Idemque *Erchemp.* pari ratione Ducem *Neap.* dixit *Principem* N. 39. Sed hic, *Regnum*, terra est continens opposita Insulæ.
[10] *revertens.*
[11] *quo.*
[12] *cupit.*
[13] *nequivit.*
[14] *tam.*
[15] *quod.*
[16] anno 889.

FINIS ERCHEMPERTI HISTORIÆ LANGOB. BENEVENTI.

DE CAPITULARI PRINCIPIS SICARDI.

Langobardi Neapolitanis *perpetui, infensique hostes.*

Omnibus ferme his in Opusculis bella resonant, quæ Langobardi, *ac* Neapolitani *perpetui, infensique hostes invicem commisere; illaque tum* Beneventani *Dynastæ intulere, tum vero* Campani; *qui prout res humanæ circumaguntur, multoties eadem excipere sunt coacti. Videreque mihi videor priscos illos, summosque* Beneventi *Duces intento animo* Capuam *deduxisse suos* Langobardos, *Comites eis, sive Gastaldos præficientes, ut in agro celeberrima ubertate præclaro incessantes, validosque in adversarios opponerent pugnatores, qui susceptas semel inimicitias multa postmodum ætate, privatis quoque, novisque odiis exercuere. Hæc autem etsi tunc mansit rerum conditio, non tamen semper pacis requiem utrique detrectarunt, nec uno semper usi consilio; nam modo ab his, modo ab illis mutuæ amicitiæ expetita fœdera, concordi animo, sed non eadem semper lege, sæpe sæpius pepigere, definito permansura tempore.* Siconis *autem* Beneventani *Principis ætate, atque* Sicardi *ejus filii* Neapolitanos *illa expetisse, favoremque immo imperium advocasse Impp.* Ludovici, *&* Lotharii; *qui* Langobardis *arma inhiberent, testem non dabo unicum* Erchempertum *ad Num.* 10. *sed Auctorem alterum nil minus eisdem rebus coævum,* Joannem *scilicet Diaconum* Neap. *in scripto Chronico Episcopp. ejusdem urbis, qui de* Joanne *agens Episc.* 43. *missum a* Lothario *scribit ad sedanda bella* Contardum *fidelem suum (sic eum adpellat* Joannes*) qui* Neapolim *pervenit* Sicardo *haud multo ante perempto. Idemque tradit, quod eodemmet Principe advivente, ac* Neapolitanos *innumerabilibus inruptionibus divexante, horum Dux* Andreas Saracenos *in eum advocavit: quapropter ab armis* Sicardus *abstinuit, atque fœdus cum Duce ad tempus iniit: sed illis mox a Duce dimissis, Princeps pacem fregit: tuncque contigit, ut exoratus* Lotharius Contardum *mitteret præmemoratum. Quæ autem, & qualia illa fuerint fœdera, ex Capitulari, quod subjicio, a Principe datum, antiquissimum sane, maximeque memorandum, multiplicique excusum bono, cognosces. Namque ex eodem ritus multos, multasque* Langobardorum *leges, nec non* Neapoli *adjacentia, & subjecta olim loca, aliaque pariter antiquitatis non injucunda rudimenta fient manifesta. Idque ex iisdem corruptissimis exemplaribus Papyraceis excepi, quibus* Erchemperti *Historia, aliaque exhibentur Opuscula: mutilum quidem, nec levi mei animi angore.*

Quibus, sed ad tempus, pacem donant nutu Impp. Ludovici, *&* Lotharii.

CA-

CAPITULARE
SICARDI PRINCIPIS BENEVENTI,

Quo pacem dedit *Joanni* Electo Ecclesiæ *Neapolitanæ*, *Andreæ* Magistro Militum, & Populo illis subjecto ab Anno DCCCXXXVI ad annos quinque.

INDEX CAPITULORUM

Ex Papyraceis Codicibus.

[1] *Patientem.* An *in Lacu* Patriense.

[2] for. *Lactari.* Vulgo *Lettere.*

[3] *Concesso.* for. *Draconcello*, qui *Procopio* de bello *Goth.* lib. ult. dicitur *Draco.*

[4] *Transpontanis.*

[5] for. *Amalfitanis.*

[6] *peragantur.*

CAPITULARE.



IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri *Jesu Christi*, & Beatæ, & Gloriosæ Dei Genitricis, semperque Virginis *Mariæ*. Dum ea, quæ Dei præcepta sunt partes obaudiunt, tunc ipsius adimplere probantur mandata, & ad pacis concordiam pro salute *Christianarum* animarum pervenisse monstrantur. Pro quo promittimus Nos Dominus vir Gloriosissimus *Sicardus Langobardorum* gentis Princeps vobis *Joanni* Electo Sanctæ Ecclesiæ *Neapolitanæ*, & *Andreæ* Magistro Militum, vel Populo vobis subjecto Ducatus *Nea-* A *politani*, & *Surrenti*, & *Amalfi*, & cæteris Castellis, vel locis in quibus dominium tenetis, terra, marique pacem veram, & gratiam nostram vobis daturos ab hac quarta die Mensis *Julii* Indictione XIV. usque ad annos quinque expletos. Unde pro stabilitate promissionis nostræ, ut nobis sine aliqua dubitatione credere possitis, & in nostra concordia firmius permanere, de istis Capitulis omnibus subscriptis de præsenti Judices nostros, qui subtus notati sunt, quales nobis quæsistis, jurare fecimus per nostram jussionem, quatenus si a parte vestra remissio, quam nobis voluntarie fecistis, in omnibus fuerit adimpleta, hæc, quæ a Nobis parti ve-

Ann. 836.



vestræ promissa, & scripta sunt, impleantur tam vobis, quam omnibus civitatibus, vel *Surrento*, vel *Amalfi*, & cæteris Castellis vobis subjectis terra, marique; & nullam læsionem, neque in hominibus vestris, neque in rebus eorum a nobis, vel ab his, qui nobiscum sunt, vel fuerint, gravabuntur. Neque per exercita, aut cursas, neque per Scammeras, neque per [1] pertradicios, qui partibus vestris nobiscum sunt, vel fuerint, nobis volentibus, aut consentientibus, aut per nostram voluntatem contra vos submissos. Et si contigerit, quod minime credimus, ut fiat hoc, repromittimus, quod secundum hujus Pacti continentiam, sicut subjicitur confirmatum paruit, justitiam vobis de omnibus Capitulis conservaturi per omnia sumus.

[1] *per Tradicios. Petradicios.*

I. Et hoc promittimus, ut si quis Hostis, aut Scamaras per nostros fines ad læsionem contra vos venire tentaverint, & ad nostram pervenerit notitiam, nos secundum possibilitatem nostram vobis eos lædere non permittimus. Et si cognoverimus alia die facta *Langobardorum* venire ad læsionem Ducatus vestri *Neapolitani*, vobis nunciamus, aut certe in tertio die usque ad virtutem, & possibilitatem nostram eis resistere. Hoc enim stetit, ut si aliqua clasma facta fuerit in finibus vestri Ducatus *Neapolitani* terra, marique a quacumque alia Provincia, ut nulla requisitio a nobis fiat in Ducatu vestro *Neapolitano*, sic tantum, ut in finibus Principatus nostri *Beneventani* nec panem, nec aquam a quopiam homine bonæ voluntatis accipiat: excepto si brachio forti, hostili more, tollere potuerit. Si autem ea suspicio fuerit, quia per loca Principatus nostri *Beneventani*, aut per consilium, & conscientiam nostram aliqua clasma a vestris hominibus facta fuerit, ut sacramenta perveniant a partibus purificantes vos per personas quantas, & quales volueritis, quia nec per consilium, nec panem, nec aquam cum nostra voluntate de nostris finibus susceperunt, & sit causa finita. Si autem approbatum fuerit, quia cum consilio Principatus nostri ipsa læsio facta est in Ducatu vestro *Neapolitano*, tunc subjaceat pars nostra parti vestræ *Romanorum* ipsum damnum in duplo reddere; postquam desiderantes concordia pacis, Domino permittente, a Nobis Dopno viro Gloriosissimo *Sicardo* Principe percipere meruistis digne, & voluntarie nullo contradicente ex nostris civibus.

II. Sed ad firmandam vobis libertatis, & pacis caritatem, per quam vos creditis illæso gubernari, spopondistis nobis, cui supradicto eximio Principi *Sicardo* a modo, id est quarta die Mensis *Julii* Indictione XIIII. per unumquemque annum dare Nobis Collatam & Pristinam, quam consueti fuistis dare. Si vero ante quinque annos expletos, sicut superius scriptum est, Pactum Nostræ gloriæ irritum feceritis, Nos licentiam habeamus omnibus modis pignorare infra civitatem. Et si antestare nostris hominibus præsumpseritis ante quam tanta pignora apud Nos habeamus per quæ ad nostram plenam justitiam pervenire possimus, tum de istius Pacti corruptione nostri ante quinque annos expletos, vel si ante pignus steteritis de istis supradictis Capitulis componere Nobis debeatis secundum vestram promissionem auri solidos *Beneventanos* numero tria millia. Et insuper per Scamaratores, seu Cursas, & publicum exercitum oppressionem facere usque ad nostram satisfactionem. Quod si, Domino juvante, & nostra gratia comitante, in his, quæ nobis pacti estis, immo- A biles steteritis usque ad prædictos quinque annos expletos, & hæc nobis supradicta singulos annos persolveritis, hoc repromittimus, ut securi, & illæsi a nostra parte in nostris finibus permaneatis.

III. Hoc stetit, ut *Langobardum* nullatenus comparetis, nec super mare venundetis. Quod si factum fuerit, ipsa persona Nobis tradatur, qui comparavit cum illo, quem comparavit; ut simul qui comparavit, quam etiam, qui venundavit, ambo Nobis tradantur. Et si non hæc dilatatio pervenerit, componat solidos centum, & supradictæ personæ tradantur; B & si super mare [1] venti fuerint, componat solidos ducentos, qui hoc malum perpatravit.

[1] *for. venditi.*

IV. Et hoc promittimus de Tertiatoribus; ut si a *Langobardo* venditi fuerint, comparentur, & nullatenus in Nave imponantur, aut trans mare venundentur: excepto si homicidium fecerit, aut facere voluerit, habeat sibi licentiam eum vendere; ita [2] tamen, ut quinque personæ præbeant sacramentum, quod ipse homicidium fecit, aut facere voluit, & si ipsa sacramenta deducere minime ausus fuerit, ipsa persona tradatur, & componat solidos cen- C tum.

[2] *tm̄ Et sic semper, quoties in altero Codice est tamen.*

V. De negotiatoribus vero ambarum partium stetit; ut liceat per fines nostros Principatus nostri *Beneventani* negotium suum peragere, & pro quovis accessu, quod inter partes pervenerit, non debeantur lædi, vel detineri, aut pignorare; sed illæsi absque aliquo damno ad propria revertantur. Si enim & pro qualibet occasione pignorati fuerint, ut ipsum pignus in integrum restituatur eis, & componat, qui hoc facere præsumpserit, cui injuriam fecerit, solidos viginti quatuor.

VI. De fugacibus ita stetit; ut si liberi, aut D liberæ fugient a partibus vestris, & vobis suaicentibus res alienas secum detulerint, res ipsæ in integrum restituantur, & illi sint, ubi voluerint. Servi vero, & ancillæ, si a partibus fugerint, a præsenti die reddantur dominis suis cum rebus suis in integrum, quæ secum detulerint: accipiente Judice loci per unamquamque personam auri solidum unum, juxta antiquam consuetudinem, nam non habeat Judex licentiam amplius accipere: si autem præsumpserit amplius accipere, reddat quod tulit in duplum. Si enim cognitus fuerit servus a suo domino, & venerit cum Epistola, & noluerit eum E reddere Judex loci, & effugerit, aut mortuus fuerit ipse servus, tunc ille Judex loci, qui noluit eum reddere, det pretium ejus solidos XXIV. Sic tamen, ut si quo tempore ubique in Principatu nostro *Beneventano* inventus fuerit ipse servus, ut ille Judex, vel alia persona, quæ ejus pretium dedit, recipiat quod dedit, & servus revertatur ad anteriorem dominum suum. Si enim & aliquis a partibus venerit servos, & ancillas quærendo, & Judex loci illius dixerit non ibidem fuisse, tunc tres personæ præbeant sacramenta, quia nec suscepit, nec in conscientia habet, ubi ipse servus est; & sit ipse solu- F tus.

VII. De homicida vero ita stetit, ut si quispiam exercitalem aut militem, vel quamlibet aliam personam simpliciter ambulantem præsumpserit occidere tempore pacis, ipsa persona modis omnibus tradatur, audita causa infra triginta dies non liceat pignorare.

VIII. De justitia autem ita stetit; ut si quiscumque homo causam habuerit pro qualibet re, ut vadat semel, & bis cum epistola Principis, vel

vel Judicis sui; & si minime ei justitia fuerit facta, [1] pignorare infra civitatem; & si sic ei justitia fiat minus, nec tunc habeat licentiam foris civitatem qualiter pignus facere, tam in *Langobardos*, quam etiam in inquilinos, vel qualibet persona prætendere potuerit, excepto negotiante, non habeat licentiam pignorandi: & si factum fuerit, componat, sicut superius affictum est. De aliis vero personis, vel rebus habeat sicut proprium suum menandum, & gubernandum usque ad menses tres. Et si neglexerit Judex loci justitiam facere, habeat iterum licentiam quæstor pignorare de loco, ubi causa quæritur. Et si contigerit ante justitiam factam, ut ipsum pignus moriatur, aut perierit; non calumnietur ille, apud quem ipsum pignus fuerit, sed reputet sibi ille, qui justitiam facere neglexit: tamen ille, apud quem pignus fuerit, præbeat sacramentum, quia eum nec donavit, nec venundavit, nec alienavit; sed tanquam suum proprium habere, & gubernare voluit, & quid factum est nescio; & sit causa finita. Si autem vivum, & sanum fuerit inventum ipsum pignus, in integrum reddatur domino suo; ita tamen, ut resideant Judices a partibus in loco, ubi ea causa quæritur; & si claruerit, quia juste pignoravit, accipiat justitiam suam, & componat ei debitos solidos sex, pro eo quod ante pignus justitiam ei minime fecit: si enim & claruerit, quia injuste pignoravit; componat solidos sex, & pignus salvum reddat.

[1] for. deest liceat.

IX. Si autem quispiam militem, vel quamlibet aliam personam simpliciter ambulantem ligare, aut battere præsumpserit, tempore pacis, componat, cui injuria facta fuerit, solidos centum. Si autem ad servi quispiam personam hoc facere præsumpserit, componat solidos XXIV.

X. Et si quispiam homo super furtum inventus fuerit, & non dederit manum ad prendendum se, & mortuus fuerit, non requirantur; tamen tres personæ bonæ de loco ubi factum fuerit, quales quæsierint parentes, aut patronus mortui, dent sacramentum, quia mortuus ille in furto inventus est, & non dedit manum ad ligandum, & amplius non quæratur, minus nec homicida ipse tradatur. Quod si vivus deprehensus fuerit ipse fur, in hoc modo, sicut superius legitur, tres personæ præbeant sacramentum, quia super furtum deprehensis est, & de præsenti tollantur ei oculi, & post datam sententiam recipiant eum parentes, aut dominus ejus.

XI. De furone vero, & homicida, ita stetit, ut si quiscumque homo homicidium, aut furtum in sua patria facere præsumpserit, & fuga lapsus fuerit, modo de præsenti a partibus reddantur.

XII. De Actionariis vero ambarum partium ita stetit; ut illæsi debeant ambulare per actiones suas, utilitates suas peragendo, & nullus præsumat ei injuriam, aut læsionem facere; si enim injuriatus fuerit verbo tantum, componat solidos duodecim. Quod si manum super eum miserit, componat solidos centum. Si autem aliquis præsumpserit Actorem occidere utilitatem suam peragentem, ipsa persona omnibus modis tradatur.

XIII. Item stetit de fluminibus, qui in fine *Capuana* sunt; hoc est *Patria*, *Volturnus*, atque *Minturnus*: ut in ipsa *Trajecta* sit licentia transeundi, tam negotiantibus, quam etiam responsalibus, vel militibus, seu aliis personis de Ducatu vestro *Neapolitano*, salva consuetudine nostra, illæsi debeant transire: Barcas enim,

A quæ ibidem ad oram advenerint, vel pro tempestate subduxerint, aut applicaverint per totam ipsam plagiam, vel ubicumque in fine Principatus nostri venerint, securæ, & illæsæ, sicut superius legitur, debeant esse; si autem voluerint negotiare ibidem, persolvant secundum antiquam consuetudinem tantum. Ut si, peccato faciente, navis rupta fuerit, res, quæ in ea inventæ fuerint, eis reddantur, cujus fuerint, & cujus sunt; homines autem sani, & illæsi ad propria sua revertantur. Et hoc stetit, ut deinceps pro quavis occasione navigia vestra in partibus *Lucaniæ*, vel ubicumque in finibus nostris
B non detineantur.

XIV. De Tertiatoribus vero hoc stetit, ut nulla nova [1] eis a parte Reipublicæ imponatur, excepto antiqua consuetudine, hoc responsaticum solum, & angarias & calcarias; simul & ad dominos suos angarias, & pensiones secundum antiquam consuetudinem; nec non & exenium ad invicem unum semel in anno; quod fuit prisca consuetudo; nam nulla alia nova [2] imponatur a parte Reipublice ad eos, qui se dividunt, nisi tantummodo responsaticum, & angarias suprascriptas; & si quis hoc præsumpserit facere Reipublicæ, ut ad Tertiatores amplius
C imponantur, nisi suprascripta Capitula, nam nulli alii homini. Et si quis insuper hoc facere præsumpserit, componat solidos XXIV, & quod tulit reddat.

[1] for. deest conjectio.

[2] deest conjectio.

XV. Item stetit, ut non habeat licentiam quispiam a partibus foris Civitatem Cavallum, aut Bovem comparare, nisi infra Civitatem, vel in Mercato in præsentia de Judicibus, & ab eis ipse venditor cognoscatur; & si venditor a Judicibus cognitus non fuerit, & nullatenus habeat licentiam comparandi; si autem & comparavit foris Civitatem, vel in Mercato, aut in Civitate simul in præsentia de Judicibus, sicut
D dictum est, & venditor non fuerit cognitus, sit ipse emptor fur, & reddat Cavallum, aut Bovem; si enim liber fuerit, abscindatur ei manus, aut certe, si voluerit, det pretium de ipsa manu solidos quinquaginta; de servo vero, ut ipsa persona tradatur, aut si voluerit ipse Dominus ejus, det pretium de ipso servo solidos viginti quatuor. Si autem venditor negaverit, ut non ipsum Cavallum, aut Bovem vendidisset, & illi, in quorum præsentia venditur, fuerint personæ utiles, quibus credatur absque crimine, non habeat licentiam venditor negandi; sed illæ tres si non fuerint fide dignæ personæ, præ-
E beant sacramenta, quia in nostra præsentia vendidistis, & tantum pretium tulistis; tunc reddat, quod tulit, & illi tradatur, cui Cavallus, aut Bos fuerit; sic tantum, ut non eum sanum apud se detineat; & si voluerint parentes, aut Domini ejus eum liberare, dent pretium ejus, sicut superius affictum est; & ille cujus Cavallus, aut Bos fuerit, res suas recipiat. Si vero contigerit ante justitiam factam ipsum Cavallum, aut Bovem mori, det pretium pro Cavallo solidos octo, & pro Bove solidos quatuor, & pro hoc Capitulo nihil accipiat Judex loci illius.

F XVI. Sed hoc promittimus, ut non pro quovis excessu Barbaricum facere, aut cursas mittere ante primam, secundam, tertiam, & quartam contestationem; & si homicidium a partibus pervenit, & minime justitia a partibus infra trigesimo die facta fuerit, sicut superius scriptum est, sit in hoc pactum solutum. De aliis vero Capitulis, quæ infra hoc pactum affictum est, minime dissolvatur; sed firmus, & stabilis usque in præfinitum tempus de-

debeat permanere, si ea, quæ in hunc pactum affićta sunt, inviolabiliter conservatum fuerit.

XVII. Sed hoc stetit, ut si quis a partibus pro pignore pignoraverit ante justitiam factam, reddat pignus, & componant solidos XII.

XVIII. Sed hoc placuit, atque convenit, ut nullus homo causam pro causa interponat; sed ubi prius causa quæritur faciat justitiam quæsitori sine ulla oppositione; nam non habeat licentiam dicendi, quia si non reddis hoc, non tibi faciam justitiam. Et si quis pro tali occasione justitiam facere distulerit, tunc districtus justitiam faciat, & componat negator justitiam quærentibus solidos sex.

XIX. Et hoc promittimus, ut ubi volueritis exercitare in alio Ducatu pertinenti Ducatui vestro *Neapolitano* per terram nobis subjectam, nullam læsionem a Principatu nostro *Beneventano* Ducatui vestro *Neapolitano*, vel in cunctis finibus, terra, marique pro quavis alia occasione ab hominibus. . . . .

Cætera desiderantur in scriptis Papyraceis Codicibus. At ad hujus oram sero Leges conferre volui Langobardorum; *jam enim Typographus operam suam festinaverat.*

DE CAPITULARI
PRINCIPIS RADELCHISI.

Principatus Beneventi *discissus impietate Pr.* Sicardi.

BElluina, *immanisque Principis* Sicardi *feritas, morte nihilo clementiori a Proceribus suis contusa, potuisset quidem* Beneventanæ *regioni tempora restituere tranquilliora; nisi impia debriatus ille vesania patrium Principatum germano fratri* Siconulfo, *vel exilio, quo vivens proscripserat innocentem, vel omniformi vitiositate, qua genus suum maxime invisum omnibus fecerat, præripuisset. Æqui enim, justique regiminis vindices, Tyranno sublato, in novum Principem* Radelchim *summum detulere imperium, a quo* Landulfus Campanus *Comes, aut una, aut altera causa sibi timens (nam Anonymus* Salernitanus Erchemperto, Ignoto*que* Cassinensi *non concordat) facile discessit; conquisitoque colore exulis* Siconulfi *partes promovit. Qua ille fultus factione, ut præ alis disertius testatur* Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 23. *Principatus dignitatem, maximamque regionis partem est indeptus, perpetuis interea duodecim annis, dum uterque Princeps, vel delatam, vel debitam tueri conabatur dignitatem, omni* Cis-Tyberina Italia *multiplicibus, infandisque jactata malis; quibus ipsa quoque* Capua

An dicam utraque? Hoc voluit *Ostiensis.* non autem monitum a *Land.* filiis datum.

„ Illa potens, opibusque valens, *Roma* altera quondam

Ausonius in Catal. Urbium. De *Capua.*

in cineres abiit: Afros *sibi, Divino consilio, semel hospites, bis hostes, semper exitio experta. Sed his tandem indesinentibus ærumnis finis utcumque datus fuit, imperio intercedente Regis* Ludovici, Lotharii *Imperatoris filii, quo* Radelchis, & Siconulfus, *voto unanimi, amplissimum* Beneventanum *Principatum in duas dissecuere partes; quarum quæ Borealior, &* Hadriatico *finitur mari, cessit* Radelchi; *oppositam vero regionem, ad Meridiem versam,* Tyrrheno*que adjacentem,* Siconulfus *obtinuit, quæ pari longitudine, ac illa ab Oriente in Occidentem extenta, infra se habebat* Salernum, *munitissimam tunc urbem,* Beneventi*que Principibus ab* Arichis *tempore super omnes exultam, quo se novus Princeps ab exilio receperat, ibidemque sedem fixerat suam:* Capua *per eosdem annos non adhuc ad* Volturni *fluenta ex cineribus renata suis,* Campanis*que nec firmo animo Castrum, sive urbem* Sicopolim *incolentibus, qui sub proprio tunc erant Comite* Landone, *viro sane viribus, opibusque præpotenti; a quo, & ab ejus genitore* Landulfo *satis habuit* Siconulfus *in Principatum se provectum suum. Hoc igitur pacto duplex ex uno factus est Principatus. Sed an mala sic tandem omnino cessarint,* Erchemperti *Historia Num.* 20. *te docebit. Præsens autem Capitulare initæ divisionis formam solummodo demonstrabit, quod ex scripto Membranaceo Codice Bibliothecæ præclarissimi Monasterii* Cassinensis *signato Num.* 353. *excepi: idemque habent Papyracei non semel mihi laudati Codices, qui modo dictam Historiam* Erchemperti *pariter continent.*

Salernum *novi Principatus sedes; & quare.*

CAPI-

CAPITULARE RADELCHISI PRINCIPIS BENEVENTI,

Quo pactum divisionis Principatus Beneventani *firmavit cum* Siconulfo *Principe* Salerni *Anno* DCCCLI.

I. EGo *Radelchisus* Princeps, concedo tibi *Siconulfo* Principi *Salernitano* firmissimam pacem de integra parte Principatus *Beneventanæ* Provinciæ, quæ tibi nominatim evenit per singularia integra Gastaldata, seu ministeria, quæ hic descripta sunt, & sicut hic fines locorum descripti sunt inter *Consiam*, & *Salernum*, & *Capuam* a parte *Beneventi*.

II. Ita quidem, ut a modo, & deinceps per nullum dolum, aut ingenium, vel qualemcumque occasionem exinde a tua potestate subtraham tibi, & illi, qui per tuam voluntatem fuerit Princeps electus, qui post vestrum decessum in tua portione principandi potestatem susceperit in Civitate *Salerni*.

III. Et neque cum populo mihi subjecto, neque *Francis*, neque cum *Saracenis*, neque cum alia quacumque generatione exinde de præsenti die subtraham, vel impugnabo, aut delebo, neque submittam, qui talia faciant; & talia facere volentibus, ac facientibus adjutorium nullum impendam, & per meam terram non permittam, neque dimittam aliam generationem venire ad contrarietatem terræ, ac populi vestræ partis, cui generationi ego cum populo, qui in mea terra habitat, vel habitaverit, resistere potero, sicut si in mea terra voluerit facere damnitatem, donec cum *Francis* fidem, & pactum, sicut promisistis, observaveritis; & vos, vestrumque populum liceat per terram meam transire contra illos hostiliter, & cum scara ad vindicandum absque homicidio, vel incendio, & deprædatione, seu zala de populo, & terra mea, & oppressione Castellorum portionis meæ, excepta herba, & ligna, & aqua, quas vobis non negabimus. Et si contigerit esse factum, pax exinde non disrumpatur, sed fit exinde justitia.

IV. Omnium rerum Sanctarum Ecclesiarum, Episcopatuum videlicet, vel Monasteriorum sub regula degentium, seu Xenodochiorum, ibi census rationes reddentur de suis singulis substantiis, ubi capita sunt earum: præter Monasteria Sancti *Benedicti*, & Sancti *Vincentii*, quæ sub defensione Domini Imperatoris *Lutharii*, ejusque filii Domini *Ludoguici* Regis sunt, ut singulæ Ecclesiæ suum primatum habeant integrum, sicut semper habuere in omni loco, quemadmodum decet causam Dei: exceptis Canonicis, Abbatibusque ad Palatium pertinentibus; nam Abbatum res, quæ ad Palatium pertinent, in cujus divisione res ipsæ venerint, ille eos habeat, in cujus fuerint parte.

Vide Ostiens. lib. 1. c. 28.

V. Et omnes Monachi, & Monachæ redeant ad sua Monasteria, ubi prius habitaverunt, ut habitent, & militent ibi Deo sub magisterio illic præordinatorum, sicut ratio, & consuetudo est: exceptis illis, qui per virtutem aliorum il-

A luc introierunt, aut in Palatio serviunt.

VI. Episcopi autem, & omnes Clerici de quocumque gradu clericatus, vel sine gradu, redeant ad suos Episcopatus, cujuscumque Diœcesis fuerint; & si redire noluerint, & nobis cognitum fuerit, absque omni injusta dilatione, faciemus eos redire invitos, ut sint sub potestate præordinatorum in ipsis Episcopatibus, & habitent, sicut illi eos juste constituerint: exceptis Clericis, qui in Palatio serviunt, & qui per vim clericati fuerint.

VII. Similiter fiat de Clericis, singulorum Abbatum; exceptis illis Clericis, qui in rebus

B Abbatum ad Palatium pertinentium morantur; qui Clerici in illius parte sint, in cujus sorte ipsæ res venerunt.

VIII. Et dimittam omnes homines vestræ potestatis ire ad venerabilem Ecclesiam Beati Archangeli *Michaëlis* recto itinere, quomodo temporibus antecessorum nostrorum illuc ibatur, sine omni contrarietate vel damnitate, atque contradictione mea, & omnium hominum, qui in mea [1] potestate habitant, vel habitaverint, me vivente, & salvi vadant, & redeant a nostra parte per meam voluntatem, excepto Divino judicio.

IX. In parte vestra, quorum supra *Siconulfo*

C [2] Principi, & qui prædicti estis, sint ista Gastaldata, & loca integra cum omnibus habitatoribus suis, exceptis servis, & ancillis, qui nobis, & nostris hominibus pertinent; & si in istis Gastaldatibus, ac locis subscriptis sunt aliqua Castella, ubi vestri homines habitant, ego vos ibi mittam sine irrationabili dilatione. [3] *Tarantum*, *Latinianum*, *Cassanum*, *Cusentia*, *Lainus*, *Lucania*, *Consia*, *Montella*, *Rota*, *Salernum*, *Sarnum*, *Cimiterium*, [4] *Furculum*, *Capua*, *Teanus*, *Sora* & medius Gastaldatus *Acerentinus*, qua parte conjunctus est cum *Latiniano*, & *Consia*.

X. Inter *Beneventum*, & *Capuam* sit finis ad

D *Sanctum Angelum ad Cerros*, perexiens per *Serram Montis Virginis* usque ad locum, qui dicitur [5] *Fenestrella*. Inter *Beneventum*, & *Salernum* sit finis in loco, qui dicitur ad [6] *Pelegrinos*, ubi ex antiquo xx. milliaria sunt per partes. Inter *Beneventum*, & *Consiam* sit finis ad ipsum *Staffilum* Ad *Frequentum*, ubi ex antiquo xx. milliaria sunt per partes. [7] De hominibus autem, qui inter partes sunt, si a vestra parte in nostra parte fugerint, si potuerimus eis gratiam rogare, rogabimus; & si non, reddemus eos absque omni injusta dilatione.

XI. Si vero vester homo in substantia in mea

E terra ad habitandum venerit, & plusquam vestra voluntas est, steterit; ubi cognitum mihi facietis, ego eum sine omni injusta dilatione transmittam ad vos.

XII. De waregnamgis nobilibus, mediocribus, & rusticis hominibus, qui usque nunc in terra vestra fugiti sunt, habeatis eos.

XIII. Similiter habeatis omnes homines, qui ha-

[1] *terra*. S. *Cass*. Cod. ex quo omnis hæc varia, & melior lectio.
[2] Deest *Principi*.
[3] *Tarantus*.
[4] *Furcule*.
[5] *Fenestella*.
[6] *Peregrinos*.
[7] *De omnibus autem hominibus*.

habitant in parte vestra, & [1] qui sunt sub tributo.

[1] Deest *qui.*

XIV. Omnes homines, qui in vestra portione sunt, habeant res suas integras in quocumque loco meæ partis pertinent de illorum substantiis cum servis, & ancillis, & Aldionibus, omnique pertinentia sua.

XV. Servi quoque, & ancillæ, atque Aldiones vestræ partis fugaces, & apprehensos ubicumque fuerint inventi in terra nostra, reddemus vobis absque omni dilatione, & nunquam per nostram voluntatem a quocumque homine nostræ partis contradicentur, aut retollentur; & si sine nostra voluntate fuerit factum, ubi nobis cognitum fuerit, faciemus exinde justitiam, & illos sine injusta dilatione reddere faciemus.

XVI. Et si suspicio fuerit, ut post sacramentum pacis direxerimus eos quocumque, vel infugaverimus, si quæsiti fuerint, cui hoc crimen imminetur, de his si non fuerit ausus satisfacere, reddat eos. Et si satisfecerit, & postea eos invenire potuerit, similiter reddat; & si post sacramentum pacis fugerint de terra vestra in vicinas Marchas, aut in terram nostræ potestatis, reddemus eum vobis, & si illi inveniri potuerint, & nos potuerimus sine damno; & si ego recolligere non potuero ad prædictos locos, liceat per terram meam ire illuc, ut aut per pignorationem, aut quomodocumque veniatis exinde ad plenam justitiam.

XVII. Similiter si potueritis, faciemus & de illis ante pacis sacramentum in prædicto loco fugerunt. Quod si suspicio fuerit, ut per consensum Marchanorum nostrorum per nostras Marchas extra terram nostram exierint, satisfiat ab his Marchanis. Et si non reddantur ab eis, aut si nullo modo inveniri potuerint, reddantur serquidi eorum. Præterea si aliquis eorum suam voluerit contemnere libertatem, habeat exinde judicium secundum legem.

XVIII. Et omnes homines, qui sub tua potestate sunt, ex quocumque habent prædicta munimina sua perdita, si contentio fuerit de rebus, aut servis, aut ancillis, seu Aldionibus eorum, si aut per consignationem, aut per pugnam approbare potuerint, quousque ad ipsum tempus quo Barbaricum exortum est inter nos, & vos in sua proprietate legaliter, juxtaque habuerint illa, sine cujuscumque injusta contradictione habeant ea in antea.

XIX. De nullo homicidio, vel præda, atque zala, seu incendiis retroactis fiat aliqua requisitio, vel vindicta per meam voluntatem; & si absque mea voluntate fuerit inde facta vindicta, dabimus illum hominem in potestate vestra, ut faciatis de eo quodcumque volueritis; & si suspicio fuerit, quod per meam voluntatem fuisset facta, satisfiat illud per tres personas, quales vos quæsieritis a mea parte, & tradant ipsos homicidas in potestate vestra ad faciendum de eis quodcumque volueritis.

XX. Si vero a modo quicumque homines homicidium fecerint a parte nostra in vestra, & si suspicio fuerit, quod per consilium, seu colludium fuerit factum per meam voluntatem ad vestram contrarietatem, vel damnietatem, de nobilibus satisfaciant illud tres personæ quales vos quæsieritis a parte mea; & de rusticis tres personæ de ipso loco, ubi homicidium fuerit perpetratum, quales vos quæsieritis, & illos homicidas dabimus, ut prædictum est, in potestate vestra; & si satisfacere non fuerint ausæ, de nobilibus componant vobis tria millia Visantos aureos, & de rusticis fiat compositio secundum (K) legem; & illos homicidas si habere potuerimus, trademus vobis ad faciendum de his quodcum-

(K) L. *Lang.* lib. 1. tit. 9. l. 21.

A que volueritis; & quamdiu eos habere non potuerimus, dabimus in potestate vestra integras substantias eorum, & illos homicidas quandocumque potuerimus habere, pariter dabimus. De homicidio subiti scandali sit, sicut in [1] lege nostra sancitum est.

[1] L. *Lang.* lib. 1. tit. 6. De subito furgente rixa.

XXI. Si ego *Radelchisus* aliquid donavi de causa Palatii infra vestros fines, sit in potestate vestra facere exinde quodcumque volueritis. Et si tu *Siconulfus* Princeps donasti aliquid de causa Palatii ad illos homines, qui prius fuerint in tua potestate, & modo sunt in mea, quantum exinde in tua portione fuerit sit in vestra potestate

B exinde facere, quod volueritis. Et si ego *Radelchisus* donavi aliquid per Breve, aut per Præceptum ad homines, qui fuerunt mecum, & modo sunt tecum; & illi iterum per quæcumque munimina exinde dederint cuicumque aliquid, non deinde faciant justitiam alicui, nisi tantummodo reddant, quod proinde acceperunt, & illum, quod ego donavi, redeat ad illos, quibus per legem debeat pertinere. Et de omni causa, quæ a modo surrexerit inter homines uriusque partis, judicabimus exinde secundum legem, & justitiam absque omni injusta dilatione. Sed & de causis anterioribus, quas

C habuerunt homines utriusque partis inter se judicabimus exinde secundum legem, & justitiam absque omni dilatione injusta, vel fraudis argumento; excepto homicidio, & incendio, deprædatione, ac zala, de quibus superius est definitum.

XXII. Omnibus hominibus vestræ partis habentibus uxores, vel sponsas suas in parte nostra, si eas quæsierint, & nos noverimus, reddemus eas absque detinentia cum filiis, & filiabus suis nullam læsionem membrorum habentes a modo factam a parte nostra, & cum omni causa sua, quam nunquam habentes [2] voluerint secum por-

D tare.

[2] for. voluerint.

XXIII. Et omnes apprehensos quo modo voluerint redire ad vos, dimittemus redire absque læsione membrorum.

XXIV. Et a modo nullum *Saracenum* in meum, vel populi, ac terræ meæ adjutorium, seu amicitiam habere quærimus, tam de his qui in omni Provincia *Beneventani* Principatus sunt, quam etiam de illis, qui extra omnem *Beneventanam* Provinciam sunt; & nunquam eos contra vos irritans irritare faciam, & nullum eis adjutorium, impendant, vel impendere faciam; & adjuvabo vos absque omni injusta dilatione

E usque ad summam virtutem, sicut melius potuero, cum populo meæ partis, ut pariter expellamus de ista Provincia nostra omnes *Saracenos* quomodocumque potuerimus: & a modo, ut dictum est, nullum *Saracenum* recipiam, vel recipere permittam, præter illos, qui temporibus DD. *Siconis*, & *Sicardi* fuerunt Christiani, [3] si magarizati non sunt; Et præsentaliter antequam Donnus *Ludoguicus* Rex cum suo exercitu exeat de ista terra, do in vestra potestate Gastaldatum *Montellam* cum omnibus Castellis ejus, & medium Gastaldatum *Acerentinum*, sicut supradictum est, si ullo valuerimus ingenio.

[3] si ma. zarizati.

F XXV. Ita & a modo nullam læsionem faciemus ego, & populus meus ad ipsum populum, & terram, omnemque facultatem eorum quantum exinde debet venire ad vestram portionem per meam voluntatem. Et a modo de Gastaldatu *Montellæ*, & medio Gastaldatu *Acerentino*, qua parte conjunctus cum *Latiniano*, & *Consia*, nunquam hominem recipio, neque illuc ego hominem pro suo damno dirigam, præter cum vestra voluntate pro vestra salvatione, ut ipsi re-

redeant ad fidem, & potestatem vestram, & si exinde habeo homines, reddo eos.

XXVI. Hæc omnia vobis, quibus supra *Siconulfo* Principi, & ei, qui per tuam voluntatem in *Salerni* civitate Princeps fuerit electus, observare faciam ego *Radelchisus* Princeps absque omni fraude, vel malo ingenio, vel quocumque argumento, occasione, seu diruptione.

XXVII. Si vero populus portionis meæ cum populo vestræ partis ierint per creventiam in exercitu quocumque; & quolibet modo occiderint, vel apprehenderint vestros honoratos, ac vassallos, & ausæ fuerint duodecim personæ, quales vos quæsieritis, jurare ad Sancta Dei Euangelia, ut neque per consensum meum, neque per contrarietatem talia vobis facta sint, faciam vobis tradere in vindictam quamcumque volueritis solummodo, qui perpetraverint, atque consenserint, si habere potuerint; & si ipsæ duodecim personæ non fuerint ausæ satisfacere de consensu meo, sicut prædictum est, tunc dabimus Donno nostro Imperatori x. millia Vizanteos aureos; eos, qui tale malum egerint, trademus ad vindictam, qualem volueritis.

XXVIII. Et cum pactum istud firmatum

A fuerit, reddam tibi *Siconulfo* præsentialiter *Petrum* filium *Landonis*, & *Poldefrit* filium *Paldulfi*, si tu mihi reddideris *Adelgisum*, & *Ladelgisum* filios meos, & *Potonem* nepotem meum.

HActenus *Capitulare Principis* Radelchisi. *De quo Anonymus* Saler. *in Hist.* Langobardorum *non edita sic habet:*

AB illo denique tempore *Salernitani* peculiarem obtinent Principatum, & ipsum fœderis Scriptum in hac *Salernitana* urbe adhuc hactenus manet, & sufficienter ab illustrissimis

B viris nimirum firmatum, & tantum nomina illorum non prætermittam. In primis *Radelchisi* Princeps propria manu scriptus inibi erat. Id ipsum *Majelpoto Rofrit. Bernardus. Toto. Joannes. Tassilo. Guala. Dauferi. Majenulfus. Poto. Petrus. Caide. Laitu.* [1] *Gualati. Ermengardus. Adelchisi Tassilo.* [2] *Rodelsci. Joannes. Archisi. Adelchisi. Aduim. Epo. Adelpertus. Guaiferi* Comes. *Radoalt. Radelgari. Radelfrit. Azzo. Adelricus. Adelverto. Saductus. Landemari. Pandenulfo. Jugobrandus.*

[1] *Gualaici.*
[2] *Rodersi.*

DE HISTORIOLA IGNOTI MONACHI CASSINENSIS.

Scriptus Codex hujus Histor. alicubi deficit librarii, & temporis culpa.

PErutilem *sane hanc Historiolam, quæ in celeberrimi* Cassinensis *Monasterii Bibliotheca, delitescebat, jam olim ex inibi adservato Membranaceo Scr. Cod. signato numero* 353. *deprompseram diligentia quidem laboriosa; etenim membranæ illæ præ antiquitate plerisque in locis adeo extritas repræsentabant literas, ut multoties eas interpretari magis, quam legere opus mihi fuerit, tandemque duas, tresve voculas, & majori plane jactura, nonnullas integras lineas prorsus obliteratas præterire sim coactus. Sed malum hoc non unum in illis insederat, quæ vel librarii culpa, vel auctoris defectu (rasuræ enim nullum aderat indicium) vacuas lacunas retinebant, quo loco numeri adscribendi fuerant annorum Epochæ ab Abb.* Petronace *ad Abb.* Bertharium, *quod sane nedum res ipsa, de qua ibidem agitur, sed titulus iisdem membranis præfixus, quem post dabo, summopere expetebat: operæque pretium fuisset ter maximum id nosse, quo implicatæ enodari facilius potuissent quæstiones eadem de re non satis hactenus explicatæ; illaque pariter adnotatione novissemus definitum annum, quo præsentem Historiolam ejus auctor exaraverit. At de hoc bene est, ex pluribus namque ejusdem locis clare liquet scriptioni illum incubuisse superstite adhuc jam dicto* Berthario, *proindeque rebus exstitisse coævum; quas, licet non continenti serie, sed saltuatim, video tamen produxisse ad annum fere* 875. *quando Imp.* Ludovicus Lotharii *fil. ex* Cis-Tyberina Italiæ *in* Galliam *ultimum se recepit, quod Num.* 22. & 26. *nec posteriora usquam adnotavit. Scriptionem vero suam, præmissis nonnullis velut Prolegomenis, exorsus ille fuerat a tempore, quo* Beneventanus *Principatus discessit, discerptusque est in partes, hoc est ab anno* 840. *Ejus igitur ætas nulla obscuritate obvelatur: secus autem nomen, quod omnino silent membranæ, simplicem præferentes Epigraphen his verbis conceptam:* Annorum supputatio de Monasterio Sanctissimi *Benedicti. Quam cum integræ Historiolæ minime quadrare comperissem, est mihi visum aliam, quam indidi, subrogare meo arbitrio efformatam. Nec forsan, de hujus auctoris nomine majorem adeptus fuerat notitiam* Leo Ostiensis, *qui eadem ista, consimilibusque usus, ut ipse in Prologo sui Chronici adpellat, scriptiunculis, gravi cæteroqui eandem suggillat censura,* lacinioso *adserens* stylo *descriptam. Quis vero illi laciniosus dictus sit stylus, nusquam prodit; sed facile disces re inspecta, cujus implexa, ac multiplex narratio modo currit recto ordine, modo recurrit nulla temporum norma custodita, sed sicut mentis impetus impellebat; non secus, ac in vestium laciniis, ut casus tulerit, prærupti, undosique implicantur, multiplicanturque sinus. Estque hac plane significatione id verbi apud* Petrum Diac. *in Additione ad eundem* Ostiensem *lib.* 3. *c.* 47. *eandemque multo ante videtur usurpasse* Tertullianus *adver-*

Cujus auctor rebus coævus.

Sed ignoti nominis.

Stylo in ta usus lacinioso.

versus Marcionem lib. 4. cap. 29. dicens expeditos nos esse debere ab impedimentis vitæ laciniosæ: eodemque figurato dicendi schemate quidquid continenti, ac firmo, imperturbatoque non procedit tenore, laciniosum dicitur; indeque Apulejo Met. lib. 1. convallis laciniosa. Et in Apolog. 1. imbecillitas laciniosa adpellatur. Etsi Apulejus priori loco convalles adpellare potuit laciniosas, quod illæ lateribus adjacentium montium in longum productæ, quosdam quasi fictiles tubos repræsentent, in quorum pariter formam laciniosæ vestes spissari, producique solent. Et plane hac ille usus est translatione alio loco lib. 6. cum fontes dixit proni foraminis laciniis editos. Sed Tertullianus iterum libro de velan. virgin. cap. 4. Sermonis compendium opposuit sermoni lacinioso. Et adversus Marcion. lib. 4. cap. 1. Compendiatum novum Testamentum laciniosis oneribus antiquæ legis. Iterumque de cultu feminarum cap. 9. faciei simplicitatem laciniosis pomparum ineptiis pariter opposuit. At de his satis. Præsentem vero Ignoti hujus auctoris Historiolam a Leone inibi fuisse indicatam, nulla ambiguitate adfirmo, e qua illum complura excerpsisse sat constabit, si modo utriusque loci, quod ad hujus Opusculi oram passim contuli, expendantur: idque majori quoque cedet bono, quoniam neglectum temporum ordinem hoc pacto addiscere valebis a Leone, qui eadem pænè omnia suo in Chronico seriatim digessit. Nemo autem idcirco operam arguat me lusisse, quod Ostiensi deflorata iterum recoxerim, nullo prorsus emolumento; namque ex incondita ista scriptiuncula, tum multa curiosis non ingrata, quæ ille omiserat, tanquam a suo instituto nimium aliena, modo innotescent; tum vero clariora fient, ut opinor, quæ habentur in Actis Adparitionis S. Michaëlis Archangeli in Gargano Monte de bello inter Sipontinos, ac Neapolitanos, qui eodem tempore Christi fidem susceperint, de quo viros magnos (non utique mihi succensendos) laborasse scio. Ad eadem namque noscere poterimus inibi Sipontinorum nomine Langobardos demonstrari, qui Sipontum, & adjacentia loca non ante multos annos pervaserant, Beneventanæque Dynastiæ adtribuerant; Neapolitanorum vero adpellatione indicari communes Græcos, qui sub ducatu Magistri Militum (Neapoli supremum id tunc erat militare munus) novos propellere hostes, sive præreptas sibi urbes reciperare satagebant; agnitaque ope ab Archangelo Langobardis præstita, relligiosiores devenere: male enim Græci apud Latinos sæpe sæpius audierunt de pluribus sacris dogmatibus: quod Actorum scriptor genere, ut reor, Langobardus Neapolitanis, ipsis utique Græcis, signate adtribuit; quia, ni fallor, eos propemodum indefessos, perpetuaque bellorum æmulatione maxime invisos suæ genti sentiebat remansisse hostes. Productam vero explanationem ab hac præmonstrari Historiola num. 3. & 25. nullus, ut puto, inficiabitur, quam aliquando altera ipse utens conjectura subodorabam; accepto scilicet indicio, tum ab iis, quæ Erchempertus num. 27 obiter quidem, adnotavit de victoria iterum a Langobardis de Neapolitanis relata recurrente anniversaria die Adparitionis S. Michaëlis Archangeli; tum vero ex iis, quæ habet Ignotus scriptor in Actis Dedicationis Sacræ Cryptæ in Monte Gargano, eaque legere est in Homiliario Doctorum; quo loco antiquus sane auctor ille, qui Caroli Magni ætatem præcessit, de Revelatione agens Archangeli in prædicto Monte, tradit bella a Sipontinis Angelica virtute propulsata, intercessisse illa non inter solos Neapolitanos, & Sipontinos, sed his adstitisse Beneventanos; ita ut aperte inde dignosci possit Sipontinorum, Beneventanorumque nomine Langobardos Beneventanæ regionis ab eo fuisse præmonstratos, acceptione per eadem tempora satis communi, ut alibi erit dicendum. Mihique valde favet non aliis explanatus adhuc locus Adonis Viennensis in Martyrol. ad diem 29. Septemb. ubi agens de eadem Archangeli revelatione, miram Sipontinæ urbis designationem tradit, eam locans in Campaniæ finibus inter sinum Hadriaticum, & montem Garganum; quandoquidem cum non satis explorata antiquiora illa gesta ad recentiora sæcula pervenissent, quibus tunc inter Langobardos, ac Neapolitanos per Campaniam frequentissimæ, perpetuæque incalescebant pugnæ, idcirco sua scriptores tempora contemplantes, res, loca, belligerantiumque gentium nomina commiscuere. At de his non plura, quæ nihilominus S. Romanæ Ecclesiæ, eruditorumque censuræ firmo proposito submitto. Adstitit autem Langobardis Cis-Tyberinam Italiam invadentibus B. Michaelis virtus eodem Dei consilio, quo S. Sabini Episcopi, & Martyris patrocinium adfuit Langobardis aliis, qui per eadem tempora in Spoletanam urbem, locosque conterminos irrupere, ut auctor est Paulus Diac. Historiæ lib. 4. cap. 5. Sed & reliquis quoque omnibus Sub-Alpinas urbes inhabitantibus Langobardis cœleste non defuit auxilium, qui Sancti Præcursoris Joannis Baptistæ protectione fulti, & Regiam, supremamque in cæteros alios retinentes dignitatem, eosdem ad sui Patroni cultum pariter allexere, quibus illum noverant æque adstare fautorem. Sed de his consule, si libet, eundem Paulum eodem lib. 4. cap. 22. Cæterum exemplar hujus Historiolæ, antiquum sane, ab auctoris usque ætate exaratum haud dubie opinor; namque suppletum illud: adnotatumque fuisse a Joanne Abbate Cassinensi, olim Capuæ Archidiacono, certissimo comperi indicio, sicut alibi constare faciam. At non idem Ignoti hujus Monachi extitit Autographum, quod intelligi facile poterit ex hoc ipso, quod librarii defectum suppleverit Joannes tum alibi, tum ad Num. 2. itemque quod nonnullis in locis mendosum habeatur, auctoris non credam vitio. Ex quibus

Qua lux datur Actis Adparitionis S. Michaëlis Archan. in M. Gargano.

Langobardos Græcis regionem ademisse, clarum est, proque ea retinenda perpetuo cum eisdem dimicasse; Confer Erchemp. num. 81.

Erch. N. 2. 8. 10. & 15. Tum. Pr. Grimoaldi. nu. 3.

Si modo calculo firmabunt suo Sacri, eruditique viri.

Hos autem iterum moneo, quoad fidem scripti exemplaris.

quibus quidem locis inobservatus non est mihi prætereundus unus, aut alter. Et primo qui ad num. 1. *signatus habetur asterisco, ad quem* Leo Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 4. *in scripto, & in* Venetæ *editionis Codice tradens* Petronacem *prælatum fuisse in* Cassinensi *Cœnobio anno* 720. *legisse videtur sic.* Ab anno Incarnationis Domini quingentesimo trigesimo nono sub *Justiniano* Imperatore sunt anni &c. *Alter vero locus mihi observandus initio est Num.* 6. *ubi Indictio.* 15. *adfixa* Constitutioni promotionis exercitus Ludovici *annum monstrat, ut citius, exeuntem* 866. *At ille* Cassinum *pervenerat in* Junio *ejusdem anni,* Capuam*que exercitu circumvallatam obtinuerat in* Septembri, *sicut constat ex Chronologia Comitum* Capuæ *suo inserenda loco, & ex eodem* Ostiense *lib.* 1. *cap.* 35. *Nec animadversione non eget tertius tandem locus ad num.* 7. *signatus litera* K; *etenim initio mensis* Decembris *modo dicti anni* 866. Ludovicus *decimum octavum adminus, non autem decimum septimum, ut ibi habetur, sui Imperii annum adnumerabat; quippe qui ex* Guilielmo *Bibliothecario in* Hadriano *primo annum Imperii obtinebat decimum nonum in die* 19. *Kal.* Januarii *Indictionis primæ, hoc est, exeunte anno* 867. *quam pariter annorum supputationem demonstrant Acta Concilii* Romani *sub* Leone 4. *quæ relata habentur* Hincmaro *Epist.* 9. *cap.* 23. *ad quem locum frustra est Adnotator, sed rite illa explicantur ab* Antonio Augustino *lib.* 2. *de Emend. Grat. Dial.* 3. *& a* Baronio *ad annum* 884. *num.* 17. *Tuque ad eandem formam interpretare* Anastasium *Bibliothecarium in* Leone 4. Cum consilio, *inquit*, Serenissimorum *Lotharii*, & *Ludovici* Imperatorum anno Imperii eorum quinto, & trigesimo, atque Pontificatus jam dicti Præsulis septimo mense *Decembris* die octava, Indictione secunda. *Ex quo disces adnumeratum fuisse* Ludovici *annum quintum in mensis* Decembris *die* 8. *Indictione* 2. *hoc est anno exeunte* 853.


Vel legit. *Quingent. quadrag.* ipso scilicet 40. adnumerato. Non obest Diploma in Chr. S. *Vic. de Volt.* l. 2. *Dat. an.* 17. *Imp.* Ludov. 3. *Id.* Jun. 14. *Ind. postquam* Capuam *cepit an.* 1. hoc est. an. 866. nam confictum adparet ex adjecto tempore captæ *Capua.*

HISTORIOLA RERUM A LANGOBARDIS GESTARUM

In Cis-Tyberina Italia *ab anno fere* DCCCXL;

Ad tempora *Landulfi Campani* Episcopi, & Comitis, atque S. *Berthárii* Abbatis *Cassinensis:* continens annos plus minus XXXV:

IGNOTO *MONACHO ejusdem Monasterii Auctore coævo.*

I. 
Uidam ex nostris scire volentes quot anni essent a tempore Sanctissimi *Benedicti* Patris usque nunc, nos quoque amore ducti, quantum potuimus sub calculandi æstimatione collegimus. Ab anno Incarnationis Domini quingentesimo * vigesimo anno sub *Justiniano* Imperatore sunt anni a diebus ejusdem Beatissimi *Benedicti* usque ad *Petronacem* Abb. centum octoginta, & unum. Et a *Petronace* Abbate usque HUNC annum Domini *Berthárii* Abbatis, qui est Deo præsule in Cœnobio tertius decimus Pastor, dinumerantur circiter anni quod est annus Dominicæ Incarnationis *Numeri annorum non aderant.*

Vide judicium meum de hac Historiola.

II. Paululum aliquid & de *Langobardorum* gente quomodo in *Italiam* properarit, commemorandum. [1] *Narsis* quoque Patritius pro expellenda *Gothorum* gente, quæ *Italiam* invaserat, *Langobardos* fœderatos elegit, & cum *Græcis* suis pariter, ac *Romanis* ab eisdem finibus, hoc est *Romanorum* terminis, repulit *Gothos.* Qui *Narsis Neapoli* residens, legatos ad *Langobardorum* gentem dirigit, mandans ut paupertina *Pannoniæ* rura desererent, & ad *Italiam* cun- A ctam refertam divitiis possidendam venirent, simulque multimodam pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum *Italia* ferax, emittit, quatenus eorum ad veniendum animos posset inlicere. *Langobardi* vero læta nuncia, & quæ ipsi præoptabant, gratanter suscipiunt, deque futuris commodis animos attollunt. Hinc *Langobardi* sedes proprias, hoc est *Pannoniam*, amicis suis *Hunnis* contribuunt; eo scilicet ordine, ut si quo tempore *Langobardis* necesse esset reverti, sua rursus arva repeterent. Igitur *Langobardi* relicta *Pannonia*, cum uxoribus, & cunctis omnibus, & supellectile *Italiam* properant possessuri. B Habitaverunt autem in *Pannonia* annis XLII. de qua egressi sunt mense *Aprilis* [1] [*per Indictionem primam, alio quidem die post Sanctum* Pascha, *cujus festivitas eo anno, juxta calculi rationem*] in ipsis Kalendis *Aprilibus*, cum jam a Domini Incarnatione anni quingenti sexaginta, & octo essent evoluti.

III. Post hoc dominantes *Italiam*, *Beneventum* [*properantes*] introeunt ad habitandum. Horum autem * Princeps militiæ cælestis exercitus *Michaël* extitit Archangelus. *Neapolites* ad fidem Christi perducti. [2] *Alzecus Vulgarius* cum hominibus ad habitandum suscipitur. *Græcorum*, *Romanorum*que *Langobardi* gentes superantes, C totam simul *Beneventi* possident patriam.

[1] Ad verbum ex Paulo Diac. l. 2. c. 5. & 6.

[1] Quæ hic, & infra his signis [ ] sunt inclusa, erant ad oram scripti Cod. sed aliena manu & atramento recentiori, quæ tribuo Auctori Chronici Com. *Cap.*

[2] Ex *Paulo Diac.* in Hist. *Lang.* lib. 5. c. 11.

¹ *Lucæ* c. 11. Ad *Galat.* cap. 6.

IV. ¹ *Omne quippe Regnum*, ut ait Dominus, *in se ipsum divisum desolabitur. Et quod quis serens seminaverit, hoc & metet.* Propterea divisus *Israeliticus* populus in omnem ventilatus est mundum; sic & hæc *Langobardorum* gens diffidentes mentibus, etiam suos interfecere Principes. Ob id patriæ facta divisio, *Beneventanorum* Principatus duabus equidem partibus effícit divisus; a quibus vicissim *Franci*, *Saracenique* unus contra alterum evocati, post tandem fraus *Saracenorum Barim* noctu capiens, post demum *Tarantum* obsidentes, introeunt, totumque pæne in integrum postmodum Regnum igne, ferroque vastantes, demoliti sunt, & ad solum usque perductum circiter per annos ferme ² triginta.

² An annos enumerat ab incursione in omnem *Beneventi* regionem, quæ contigit anno fere 853. Confer. *Erch.* num. 20.

³ *Ostien.* lib. 1. cap. 35.

⁴ Vide judicium meum de hac Historiola.

V. ³ *Langobardi* vero dum nimia suis pro factis pericula sustinerent, ob hoc nimium afflicti, necessitateque compulsi *Franciam* legatos dirigunt, atque gloriosi Imperatoris *Hludovici* implorant Augusti clementiam, ut patria sua cum gente veniens, eos omnino a *Saracenis* quantocyus eriperet. Qui veniens hoc decretum suæ reliquit patriæ.

VI. *CONSTITUTIO promotionis exercitus observationis partibus* Beneventi *sub Indictione* ⁴ *quinta decima.*

Quicumque de mobilibus Widrigid *suum habere potest, pergat in hoste. Qui vero medium* Widrigid *habet, duo juncti in unum qualitatem instruant, ut bene ire possint. Pauperes vero personæ ad custodiam maritimam, vel patriæ pergant; ita videlicet, ut qui plusquam decem solidos habet de mobilibus ad eandem custodiam vadant. Qui vero non plusquam decem solidos habet de mobilibus, nil ei requiratur. Si pater quoque unum filium habuerit, & ipse filius utilior patre est, instructus a patre pergat. Nam si pater utilior est, ipse pergat. Qui vero duos filios habuerit, quicumque ex eis utilior fuerit, ipse pergat: alius autem cum patre remaneat. Quod si plures filios habuerit, utiliores omnes pergant; tantum unus remaneat, qui inutilior fuerit. De fratribus indivisis juxta Capitularem Domini genitoris nostri, volumus ut si duo fuerint, ambo pergant. Si tres fuerint, unus qui inutilior apparuerit, remaneat: cæteri pergant. Si quoque plures omnes utiliores apparuerint, pergant: unus inutilior remaneat. De qua conditione volumus, ut neque per Præceptum, neque per Advocationem, aut quamcumque occasionem excusatus sit, aut Comes, aut Gastald, vel ministri eorum ullum excusatum habeant; præter quod Comes in unoquoque Comitatu unum relinquat, qui eundem locum custodiat, & duos cum uxore sua. Episcopi ergo nullum laicum relinquant. Quicumque enim contra hanc institutionem remanere præsumpserit, propriis ejus amissis, quod subter ordinatum habemus, præsentialiter ad nostrum opus recipere jussimus, & illum foras ejicere. Omnibus enim notum esse volumus, quia jam a prioribus nostris juxta hanc institutionem tultæ fuerunt, sed prima recuperare meruerunt: nunc autem certissime scitote, cujuscumque proprietas tulta fuerit, vix a nobis promerebitur recuperationem. A fluvio* Pado *usque* Trebia *sit Missus* Lotselmus. *Inter* Padum, *&* Ticinum Eriulfus. *Inter* Ticinum, *&* Adda Erembertus. *Inter* Adda, *&* Addiza Landebertus. *Ab* Addiza *usque ad* Forum Julii Theobaldus. Petrus, *&* Arthemius *Episcopi junctis secum Missis Episcoporum, & Comitum,* Pisa, Luca, Pistoris, *&* Lunis. Theutmundus, Florentia, Volterra, *&* Aristio, Rodselmus, Vlusid, *&* Sena, Andreas. *In ministerio* Witonis, Rimmo, *&* Joannes *Episcopus* de Forcona. *In ministerio* Verengari Hiselmundus *Episcopus. In littore* I-

A talico Ermefridus, Macedo, *&* Vulferius. *Hi volumus, ut populum ejiciant, & custodiam prævideant, & populum in Castella residere faciant, etiam & cum pace. Nam si Missus aliquis ausus fuerit prætermittere, qui nominibus remanserint, præsentaliter proprium tollant, & eum foris ejiciant; & si inventus fuerit ipse Missus, proprium suum perdat; & si Comes aliquem excusatum, aut bassallum suum, præter quod superius diximus, dimiserit, honorem suum, perdat; similiter eorum ministri, si aliquem dimiserint, & proprium, & ministerium perdant. Quod si Comes, aut Bassi nostri aliqua infirmitate* (detenti) *remanserint, aut aliquem excusatum*

B *retinuerint, aut Abbates, vel Abbatissæ si plenissime homines suos non direxerint, ipsi suos honores perdant, & eorum bassalli & proprium, & beneficium amittant. De Episcopis autem cujuscumque bassallus remanserit, & proprium, & beneficium perdant. Si quoque Episcopus absque manifesta infirmitate remanserit, pro tali negligentia ita emendetur, ut in ipsa* Marcha *resideat, quousque alia vice exercitus illuc pergat, in quantum Dominus largire dignatus fuerit. Et ut certissime sciatis, quia hanc expeditionem plenissime explere volumus, constituimus, ut Episcopus, Comes, aut Bassus noster si in infirmitate incerta detentus fuerit, E-*

C *piscopus quippe per suum Missum, quem meliorem habet, Comes vero, & Bassi nostri per se ipsos hoc sub sacramentum affirment, quod pro nulla occasione remansissent, nisi quod pro certissima infirmitate hoc agere non potuissent; omnes enim volumus, ut omnem hostilem apparatum secum deferant, ut cum nos hoc prospexerimus, & inbreviare fecerimus, non negligentes appareant, sed gratiam quoque nostram habere mereantur. Vestimento autem habeant ad annum unum, victualia vero quousque novum fructum ipsa patria habere poterit. Fragidis enim quicumque eundo, & redeundo commotionem fecerit, vitæ incurrat periculum. Et quia*

D *temporis congruentia imminet Quadragesimale, in quo studenda sunt præcepta Dei, constituimus, ut quicumque Ecclesiam fregerit, adulteria, & incendia fecerit, vitæ incurrat periculum. Quicumque Caballum, Bovem, Friscingas, vestes, arma, vel alia mobilia tollere ausus fuerit, triplici lege componat, & liberum armiscara, id est sella, ad suum dorsum ante nos a suis semotus bis dirigatur, & usque ad nostram indulgentiam sustineatur; servi vero flagellentur, & tundantur, & illorum domini, quæ ipsi tulerunt, restituant. Quod si clamor ad Seniores venerit, & ipsi talia non emendaverint, tunc horum Seniores ipsam compositionem*

E *faciant, & eadem armiscara quamdiu nobis placuerit sufficere compellantur. Et hoc constituimus, ut ex utraque parte justitia servetur, videlicet nostri sicut circa vicini, quæ necessaria sunt, emenda. Vicini autem nullatenus carius, quam suis circa vicinis, vendere præsumant. Qui vero homicidia indiscrete, & præsumptiose fecerit, vitæ incurrat periculum.* ¹ *Iter enim erit nostrum per* Ravennam, *& immediate mense* Martii *in* Piscariam, *& omnis exercitus* Italicus *nobiscum.* Tuscani *autem cum populo, qui de ultra veniunt, per* Romam *veniant ad* Pontem Curvum, *inde* Capuam, *& per* Beneventum *descendant nobis obviam*

F Luceria VIII. *Kalendas* Aprilis.

VII. ² His igitur prælibatis, & hac lege sancita, dictus Dominus Imperator *Hludovicus* Augustus cum uxore sua pariter gloriosa *Angelberga* Augusta *Benevento* properantes, *Junio* mense ad Monasterium veniunt Sanctissimi *Benedicti* Patris; ubi a venerabili *Berthario* Abbate cum sacerdotali officio, lampadibus, & thymiamatibus, nec non & Fratrum laudibus honorifice susceptus est. Ascendens autem montem, ubi dicti

¹ Sed postea non hoc [illegible] nere, sed [illegible]

² *Erch.* nu. [illegible] & 35. *Leo* [illegible] *Ostien.* I. c. [illegible]

dicti almi Patris pii *Benedicti* sacrum corpus humatum est, pari gloria ibidem susceptus, aliquid ibidem Sancto, & bene conferens munere, dictum omne Cœnobium conspiciens, laudabiliter admiratus descendit. Inibi *Capuanorum* frustrata calliditate, post dies aliquot obsidens, obtinuit *Capuam*, ingreditur *Salerno*, navigans *Malsim*, *Puteoli* utitur lavacris, & per *Neapolim Suessulanam* adiit urbem: dehinc castrametatur *Caudim*. Mense autem *Decembris* Dei omnipotentis opitulante gratia ingressus est *Beneventum*, anno quidem (*K*) septimodecimo Augustalis Imperii sui. Et ecce congreditur cum *Saracenis*: trophæum primitus bellicans sumpsit ex eis victoriæ, ac demum omnia illorum capiens castra, solæ tantum illius civitates remanserunt, *Barim* scilicet, nec non atque *Tarantum*; nam omnium quidem eorum gloria, munitissima capta est urbs *Materia*, quæque igne, ferroque ad nihilum redacta est; *Augusto* autem mense reversus *Beneventum*. In cujus obsequium cum esset ibidem *Berthარius* Abbas, nam illic in Sancta *Sophia* inchoatum fuerat Oratorium a prædecessore suo reverendissimo viro *Bassacio*, quod omni studio perfecit, & in honorem Sancti construxit *Benedicti*. Dedicatum autem a *Stephano Theanensis* Sedis Episcopo, & ab *Angelari Levitæ* studio opus perficitur.

(K) Vide judicium meum de hac Historiola.

VIII. Si forte nosse cupis, quis lector futurus eris, quam ob causam *Beneventanorum* regionem *Saraceni* dominassent, occasio videlicet extitit talis. [1] *Sicardus Beneventanorum* Princeps a suis interfectus, *Radelchis* Secretarius Palatii ei successit in Principatum. Tunc apud *Tarantum* morabatur *Siconolfus* armipotens, bonæ memoriæ *Siconis* magni Principis filius. [2] Interea his temporibus *Capuanites* plurima perpatrantes flagitia; etiam suos, majores sibi, occiderunt parentes, illorumque omnia diripientes, semetipsos sublime in spectaculum constituerunt mundi: ob hoc verebantur adire *Beneventum*, Principisque sui *Radelchis* obedire præceptis. Nam novis fraudum iniere machinis; seque *Tarantum* contulerunt ad *Siconolfum* prædicti Principis filium, & cum cæteris sibi socios & in flagitiis pariter consimiles dictum sibi constituerunt *Siconolfum* Principem; Qui nec multo post introiens *Salernum*, magnaque pars *Beneventi* regio secuta est eum. Contra quem *Radelchis* Principis libor exarsit, & eum disperdere nitebatur e terra. Quatenus alterutrum per tempora longa dimicaverunt; quanta per hos gesta fuerint vicissim mala, nulla sustinere valet pagina, nullus doctoris explanare sensus, sed neque scribentis potest esse omnino facultas. [3] Nam eo tempore dictus *Radelchis* Princeps per *Barensem Pandonem* Gastaldeum in auxilium sibi transmarinos invitabat *Saracenos*, qui divergebantur residentes. Intempesta videlicet noctis hora, more solito, nominatam rapuerunt civitatem, quæ urbs juxta *Græcorum* stylum, Βαρὴν Brachia, gravis, sive fortis interpretatur: vocabulum ex eo olim promeruit, ob delinquentium facinora. Ab hac gravis, vel fortis *Saracenorum* vastatio, ut in nos utique sic nimium sæviret. Horum iniquorum primus venientium vocabatur *Alfonses*, obsitis siquidem vestimentis, & calciamentis, saltem nec Tarabere succintis, sed solis arundinibus manu gestantes. Cum his quoque *Radelchis* totam devastavit *Siconolfi* regionem; *Capuam*que primariam redegit in cinerem, & inde hinc omnia corruunt pariter in pejus. Hoc [4] tempore bellum inter utrosque factus est in *Cannis*.

[1] Ostiensis lib. 1. cap. 24.

[2] Erch. n. 15. & 53.

[3] Erch. n. 16. Leo Ostiens. lib. 1. cap. 24.

[4] Erchem. num. 16.

A IX. [1] His diebus *Saraceni* ingressi *Romam*, Oratorium totum devastaverunt Beatissimorum Principis Apostolorum *Petri*, Beatique & Ecclesiam *Pauli*, multosque ibidem peremerunt *Saxones*, aliosque quamplurimos utriusque sexus, & ætatis; *Fundensem*que capientes urbem, vicinaque deprædantes loca, *Septembrio* quoque mense secus *Gajetam* castrametati sunt. Contra quos pervenit *Francorum* exercitus; sed superatus a *Saracenis* quarto *Novembris* Idus, iniit fugam; quos persequentes *Saraceni*, illorumque omnia capientes, tandemque ad Sanctum devenerunt *Andream*, cujusque Cellam igne cremaverunt;
B Quique dum pervenissent ad Cellam Præsulis Beatissimi *Apollinaris*, cognomento *Albianum*, e vicino Sanctum Beatissimi Confessoris Christi conspexerunt montem, quo illico pergere satagebant; sed tardior quippe eos transire hora vetabat. Igitur tanta tunc, & cæli serenitas, & terræ siccitas, ut fluvium pede quisque volens pertransire posset. Beatissimi vero *Benedicti* Patris Monachi tunc vicinam sibi mortem cernentes, protinus vicissim pacem dederunt, obsecrantes misericordem Dominum, ut illorum propitius in pace animas susciperet, quas in velocitatem mortis continuo expectabant migrare.
C Illico universi nudis plantis, & cinere sperso capite, cum Litaniis ad patronum suum se contulerunt *Benedictum* Beatum. Dum nimius esset pavor, & formidolosa expectatio, & copiosa fieret ad Omnipotentem Dominum exoratio, per visum *Bassacio* Patri paruit prædecessor, & *Apollinarius* Abbas. *Quid* inquiens, *habetis, quare mœrorem patimini?* & *Bassacius* ad hæc. *Imminet iniqua mors, Pater, & non verendum? Nolite*, inquit, ait; *timere:* Benedictus *pius Pater vestram obtinuit salutem; deprecamini igitur sedule Dominum cum Litaniis, & Missarum solemniis, Dominus cito exaudiet voces cla-*
D *mantium ad se: denique & nos vobiscum in Ecclesiis stantes cælorum cum civibus communiter pro vobis* Jesum Christum *Dominum exorare non desistimus.* Cumque a somno surrexisset *Bassacius* Pastor, & hoc fratribus indicasset, in commune omnes excelsa voce Dominum benedixerunt, qui salvat misericorditer sperantes in se. Tunc subito immanis facta est pluvia, corruscationes, & tonitrua tam vehementia, ita siquidem, ut etiam *Carnellus* fluvius ultra terminos excrescens, redundaret; & quem pridie adversarii transire poterant pede, sequenti videlicet die, Divina coërciti repulsione, neque ripam attingere valebant
E fluvii: nitebantur quolibet fluvium transire modo, sed dum nullus adesset eis ad Cœnobium transmeandi aditus, sicut est illorum dira barbaries, digitos corrodentes manuum, fremebant, qui stridebant dentibus, huc, illucque furibundi discurrentes. Et ut non abesset illorum assuetum facinus. Cellas Beatissimorum Martyrum *Stephani*, seu *Georgii* igne cremaverunt, & per duos [2] Leones ad castra remearunt. Post dies aliquot suos subnervantes equos, navigare cœperunt; qui dum propius suæ adessent Provinciæ, ita ut etiam jam vicinos cernerent montes, nautico plausu laudes suo mo-
F re dederunt: mox inter eos una paruit navicula, quæ duos ferebat homines, unius velut speciem Clerici, alterius velut Monachi habitum habentis. Qui dixerunt ad eos: *Unde venitis, vel quo itis?* At illi responderunt dicentes. *A* Petro *revertimur*, Roma; *omne illius devastavimus Oratorium, populum cum regione deprædata;* Francos *superavimus, Cellasque* Benedicti *igne cremavimus: Et vos*, inquiunt, *quinam estis?* Ajunt illi. *Qui nos quoque sumus, modo visuri*

[1] Leo Ost. lib. 1. cap. 26. Annal. Franc. a Pithœo editi ad annum 846. Anast. Bibl. in Leone 4.

[2] Locus est, ac finis ditionis Monasterii Cassin. Leo Ost. lib. 1. cap. 5. lib. 3. c. 12.

eritis. Illico facta est tempestas valida, & procella vehemens; omnes igitur naves confractæ sunt, cunctique adversarii perempti; nullus unquam ex eis penitus remansit, qui cæteris talia nunciaret. Sequenti itaque tempore *Leo* venerabilis Papa Oratorium ambiens Beati *Petri*, muris firmissimis, & excelsis, ne unquam talis *Romæ* ulterius aliquando eventus eveniret.

X. [1] Per idem tempus *Siconolfus* Princeps pro *Spanis* tribuendum de Beatissimi *Benedicti* Cœnobio thesaurum abstulit perplurimum. Siquidem vice prima Baziam argenteam unam. Vaucas par unum in gemmis, & smaragdis. Spara par unum, Sericamque sericam de *Filfori* cum auro, & gemmis. In alia igitur vice centum triginta in vasis auro libras. Tertia itaque vice trecenti sexaginta quinque argento libras, & tredecim millia solidos auro figuratos. Quarta videlicet vice Vacias duas pensantes libras triginta, & Fandatos duplices septem. Quinta nihilominus vice Matiatos solidos prædolatos quatuordecim abstulit millia. Et post hæc in *Agrifis* Baciam unam, & Scaptonem unum *Constantinopolitano* deaurata fabrefacta vasa opere. Porro in sequenti vice sexta per *Landonem* Comitem, & *Aldemarium* Gastaldeum vi ex Cœnobio sustulit isdem *Siconolfus* prædolati solidos duo millia, & sui Principis coronam *Siconis*, genitorisque de auro, ac gemmis smaragdinis ornatam. Ex hoc neque sibi profuit, animamque jugulavit suam; sed neque quod fallere Monachos promittendo nisus est, ei neque profuit nihilominus, seu patriæ; sed videlicet abhinc nullum ei amplius evenit triumphus victoriæ.

XI. His diebus inter utrosque Principes factum est in [2] Cancellis bellum perexecrabile.

XII. [3] Aliquantis interim elapsis temporibus, *Massar* Dux *Benevento* residens in auxilium *Radelchisi* Principis, Beatissimæ Dei Genitricis in *Cingla Mariæ* Monasterium devastavit. Castellumque postmodum Sancti, qui cognominatur *Viti*, cepit: *Telesinum* possidens Castrum humiliavit, totamque devastavit *Apuliam*, & cætera nihilominus loca; quandoque pervenit secus almi *Benedicti* Monasterium, cujus adeo ita divinitus mens immutata est, ut dum unus ei Canis vellet in pratis unam comprehendere Aucam, per semetipsum cum flagello cucurrit, & eandem de ore raptoris expulit avem; cumque ante januas assisteret Monasterii, protinus portas claudere jussit, ne subsequentes introire. . . . . præsumerent. His expositis, pertransit *Aquinum*, ac deprædavit Arcem, vicinaque loca. *Novembrio* autem mense post dies octo reversus est *Beneventum*.

XIII. [4] Mortuo itaque *Siconolfo* apud *Salernum*, *Sico* filius ejus specie tenus ei successit in Principatum. Isque post aliquantulum *Franciam* puerulus transducitur.

XIV. [5] Mense *Junio* generalis per totam *Beneventi* regionem terræmotus factus est magnus, ita ut *Isernienſem* funditus urbem obrueret, multumque perimeret populum: ad ultimum etiam & Præsulem extinxit ejusdem civitatis. Par ruina ædificiorum extitit apud *Sanctum Vincentium*; similisque vis fuit terræmotus ad *Benedicti* Beati Cœnobium, sed nec unus quidem lapis suo de loco lapsus est. Quod dum *Massario* renunciatum fuisset, ut ruinosam deprædaret *Iserniam*, ait: *Dominus omnium illuc iratus est, & ego peramplius desæviam? Non utique ibo.*

[1] *Ostiensis* lib. 1. cap. 25.

[2] An de hoc bello *Erchemp.* num. 17.

[3] *Ostiensis* lib. 1. c. 27.

[4] *Erchem.* num. 20. & 23.

[5] *Ostiens.* lib. 1. cap. 27.

A XV. *Telesis* nova secus primariam in planitie sui cognominis construitur.

XVI. [1] Inter hæc tempora, breviter ut superius dictum, intra *Capuanites* filii *Landolfi* Gastaldei, hoc est *Lando* Comes, *Landolfus* Episcopus, *Pando Marepahis*, *Pandenolfus* Gastaldeus hujus patriæ insignes habebantur. Sed ob scelera commorantium crebro eorum urbs incendio cremata est: non pœnitentiæ remedium, neque Divinam postulantes misericordiam, aut emendationem facinorum, sed quodam tandem reperto consilio, ad *Casolini* pontem construunt civitatem, quam ludo secundam vocitabant *Romam*.

B Nam sicut qui effugerit a facie Leonis, & incurrerit in Ursum, sic ab istis remota civitas ipsa ab igne, pari in ultione corruit in abyssum. Qua gloria sperabatur erigi, carmen indicat istud:

„ *Quæ primum senio marcebat tempore longo*
„ *Cernitur en amplis consurgere mœnibus urbem.*
„ *Illa Senatorum pollebat fulta catervis,*
„ *Nomine sed* Capua *vocitatur & ista secunda.*
„ *Providus in cunctis patriæ, populique juvamen*
C „ Lando *Comes studio solerti hanc condidit urbem.*
„ *Aurea Porta vocatur, fert quia lucis honorem.*
„ *Arma, salus, virtus perpetua* Christus *in urbe*
„ *Hac maneat populo tempus in omne suo.*
„ *Pellat & hinc hostem sævum, fraudemque malignum,*
„ *Civibus & præstet pacis honore frui.*

XVII. Hoc videlicet tempore *Tarantum* fame obsessa a *Saracenis* capitur.

XVIII. [2] Per idem tempus *Bassacius* Abbas rogatus a Primatibus patriæ adiit *Franciam*; qui

D obsecrans gloriosum Imperatorem *Hludovicum* veniens *Barim*, & in quantum possibilitas fuit, totis viribus cum *Saracenis* dimicavit. Post complures autem dies venit *Beneventum*: igitur Sabbato vigilia Sanctissimæ Pentecostis infra *Beneventanam* urbem interemptis *Saracenis*, *Radelchis* Principatum gerens, *Massarim* capit; ad Imperatorem adductus, capite plectitur. *Hludovicus* exinde repedavit in patriam.

XIX. [3] His temporibus *Bassacius* Abbas defunctus est, expletis in regimine annis decem, & novem; cujus quale, quantumque fuit sursum, deorsumque in Ecclesiis studium, & ipsi

E VIDIMUS, QUI SCRIBIMUS, & carmina illius nobis descripta resonant. Huic successit in regimine *Bertharius* Sacerdos, ejus discipulus, moribus, & vita strenuus, & omni bonitate conspicuus. Castelli sursum munitionem ipse ambiens, calicem ad honorem Dei officium operatus est, civitatem. . . . . . fieri voluit, & inchoavit. Et quomodo totis viribus contra *Saracenos* in *Gaëta* dimicavit, NOSTRA PLENISSIME COMPERIT ÆTAS. Quomodo autem suos dilexit commissos, & quatenus pro ipsis decertavit, Præcepta indicant Cœnobio facta Imperatorum.

F XX. Eo tempore *Ademarius* Princeps erat apud *Salernum*. *Teanensis* Ecclesiæ Præsul *Jupoaldus* obiit. [4] *Hilarius* Levita B. *Benedicti* Monachus ad Episcopale decus eligitur.

XXI. Bonæ memoriæ *Aloara Landonis* conjux Comitis una cum *Surano* medico, ejusque interventu tam benefactrix erat Monachorum, ut *Madium* totum mensem stipendia præberet, ac aleret Fratres.

XXII. [5] *Lampert* filius *Widonis*, & *Ildepert* Comi-

[1] *Erchem.* num. 21. & 24. *Leo Ostiens.* lib. 1. cap. 30.

[2] *Erchem.* num. 19. *Leo Ost.* lib. 1. c. 28.

[3] *Ostiensis* lib. 1. cap. 31. & 32.

[4] *Ostiensis* lib. 1. c. 32.

[5] *Erchem.* num. 35. *Ostiensis* lib. 1. c. 35. & Anonym. *Salern.* ineditus. Sed non sine aliqua discrepantia. Vide *Guilielm. Bibl.* in *Hadrian.* 2. pag. 334.

Comites nisi sunt manus erigere contra *Hludovicum* Imperatorem: sed relata illorum fraude, persecutus est eos *Hludovicus* usque *Marsim*. At illi demum ante faciem ejus fugerunt *Beneventum* apud *Adelchisum* Principem. *Ildepert* vero pertransiens abiit *Barim*, libentissime quidem a *Seodane* Rege susceptus est, & habitavit ibi tempore, quo voluit. *Hludovicus* ergo Imperator persequens eos devenit in *Iserniam*, quam cum infidelem sibi comperisset, bellando cepit, ac deinde pertransiens *Alifem*, post plura bella urbs capta est. Per *Telesiam* igitur devenit ad civitatem, quæ dicitur *Sanctæ Agathæ*, & urbem expugnare cœpit; quæ dum valde esset munita, multis diebus obsedit eam: erat etenim tunc æstivum tempus. *Nemo enim unquam*, ut [1] Apostolus ait, *carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam.* Tandem *Bertharius* Abbas condoluit super *Hisembardum* consanguineum sibi, & Gastaldeum obsessæ civitatis, & intervenit pro eo apud Imperatorem Augustum, cujus & promeruit gratiam, & pactum dedit civitati, ac illius juri protinus urbs mancipata est. *Adelchis* Princeps ad pedes prostratus clementissimi Imperatoris, & suam obtinuit veniam, & fugacibus Comitibus; abhinc tandem *Hludovicus* rediit *Franciam*. Hoc in tempore *Magenolfus* Clericus *Ingenam* neptem Imperatricis cepit conjugem.

[1] Ad Eph. cap. 5.

XXIII. [2] *Ademarius* junctus cum *Neapolitanis* nitebatur quiddam dolose erga suos; ob hoc oculi ejus evulsi, spernitur a Principatu, & *Warferius Salerni* factus est Princeps. Nam [3] dictus *Ademarius Suram*, *Arpinum*, *Vicum Album*, & *Atinum* tradidit *Francis*, id est *Widoni* Comiti. In his locis præerat *Landolfus* Gastaldius, quæ dum amisisset loca, præ nimia est tristitia defunctus.

[2] Erchem. num. 26.
[3] Erchem. num. 25.

XXIV. Juvamine *Landonis* Comitis, & fere Sacerdotis *Teano* Monasterium construitur famulabus Dei.

XXV. [4] Defuncto igitur apud *Capuanam* urbem *Lando* Comes, *Pando* germanus ejus ei successit in Comitatum; qui junctus cum *Landolfo* Episcopo venerabilem *Aloaram* cognatam suam de *Capua* excutientes, quæ exul cum natis, & facultatibus propriis apud *Salernum* habitatura devenit. [5] Per idem tempus *Neapolites* audaciter super *Capuanos* venire in bellum conati sunt: eo siquidem die, quo B. *Michaëlis* festivitas est. Hujus *Langobardi* auxilio freti exierunt adversus *Quirites*, & tanta in illis cæde bacchati sunt, ut plurimi ex eis gladio fuerint perempti, multique capti, nonnulli in fluvium se projicientes; residui vero perpauci vulnerati in urbem reversi sunt suam: *Cæsarius* autem Magistri Militum filius capitur, *Capuam*que adductus ferro in compedibus habetur. Secunda *Neapolitis* hæc ruina extitit similis, qua olim in *Gargano*, cum B. *Michaëli* Archangelo ageretur festivitas, corruerunt; quod ex utroque latere *Seodan* audiens, factum irrisit, dicens: *Stuppa cum tormentis pariter junctæ fecerunt bellum.*

[4] Erchem. num. 28.
[5] Erchem. num. 27.

XXVI. [6] Eo autem tempore in *Aquini* Villa *Rodoaldus* Gastaldius secus *Pontem Curvum* construxit Castellum: hoc facto subduxit se a jure *Capuanorum*, qui vehementer ob hoc affligebatur a *Capuanis*. His diebus *Magenolfus*, de quo supra, pergebat *Franciam*, ut sibi ab Imperatore glorioso peteret, quo vivere loco, seu & habitare posset; cui *Rodoaldus* legatarium quendam *Ursum* transmisit Presbyterum, ut reversus veniret, ac pariter commorarentur, suoque præsidio juvaret eum a persequentibus se. Reversus ergo *Magenolfus* de itinere cepto, & in

A *Pontem* introivit *Curvum*; nec multo post profectus est *Salernum*, sumptaque conjuge omni cum supellectili, ac familia rediit in Castrum. Neque diu latuit mysterium iniquitatis, nam quadam die cum suis cepit *Rodoaldum*, eumque in custodiam retrusit, duos quoque filios ejus in Turrim projecit, omnemque facultatem ipsius abstulit, thesaurum, peculia, mancipia, servos, populum, Castrum, Villam, & omnia subjugavit sibi: rudem, populumque indisciplinatum, quem invenit, docuit more Palatii esse prudentissimum; & qui prius non noverant, nisi cæpe, & allia, nunc ab eis centum principales
B exquiruntur solidi; etiam & in hostili armati proficiscuntur exercitu. *Rodoaldus* offertus dum Beato *Benedicto* fuisset, vix a venerabili viro *Berthario* Abbate, & Monachis liberatus est: ut Æsopus doctor fabularum ait: *Hoc patiatur, qui fortiorem sibi induxerit in domum suam.*

6 Ostiensis lib. 1. cap. 37.

XXVII. (*K*) Dum in *Eulogimenopolis* urbis mœnia struerentur, unus quidam tunc ibi erat cum suis sociis in constructione civitatis. Is quondam præ nimia infirmitate linguæ perdiderat officium, & per annos circiter septem nullum omnimodo valuit proferre sermonem. Qua-
C dam itaque nocte lassus ab opere manuum, dum Fratres in Oratorio Beatissimi *Benedicti* Deo laudes peragerent, idem mutus ad columnæ pedem cum aliis residens, obdormivit; quem B. *Benedictus* per visum baculo capite percutiens, increpans ait: *Huc properasti*, inquit, *ad dormiendum? Evigila ergo, & tribus vicibus expue in terram.* Qui cum hoc fecisset, surgens a somno, beneficium sibi collatum cæpit omnibus effari, & ita perfecte loqui, ut ante septennium nec minus solitus erat, & omnes Deo laudem pariter dederunt.

(K) Ostiensis lib. 1. c. 32.

XXVIII. [1] Interim gladius Dominicæ indi-
D gnationis huc, illucque discurrens in delinquentium cervicibus grassabatur; nam egressus de vagina sua, omnes terminos per circuitum devastabat. Ille impiissimus, atque crudelissimus latro, quem [2] *Dominus percutiat gladio oris sui, & destruat illustratione adventus sui*, ille pestifer *Seodan* quodam tempore egressus a *Bari*, totam devastabat *Capuam*, *Cancias*, *Leborem*, & suum nequissimum thronum posuit in campo de *Neapoli*. Nullus omnino præteribat dies quin ad quingentos, & eo amplius interficeret homines, & hoc * patri inesse dicebat, ut illud comple-
E retur [3] Evangelicum: *Omnis qui interficit vos, arbitratur se obsequium præstare Deo.* Nam stans ille Tyrannns super cadavera mortuorum, sedens edebat tanquam unus putridus canis. Tandem quasi e gravi somno evigilantes, sed gravate, atque præpediti nimis miseriis *Waldelpertus*, & *Majelpotus* Gastald, & *Garard* Comes cum plurimis aliis nobilibus, properaverunt *Beneventum*, ut communi consilio ulcisscerentur se de *Saracenis*: salubre quidem fuit consilium, sed inutilis ordo. Non uno agmine, non una eademque intentione per cohortes incedebant, sed divisi ab altero inordinate proficiscebantur. Igitur propinquaverant secus *Saracenos* a *Barium*, quod
F hic erigentes se protinus straverunt in terram, jamque Sol ad occasum tenebat; hi vero, qui a *Benevento* venerunt, sicut fuerant lassi, & nimium quidem faticati, sitientesque valde, continuo in aciem introierunt. Illico *Saraceni* subito erecti, ut erant in uno agmine conglobati, repente irruerunt sequi eos; hi vero terga vertentes fugere cæperunt; plurimi interempti a gladiis, nonnulli cadentes, in alterutrum impingentes præfocabantur; alii in fossatis, sepi-

[1] Ostiensis lib. 1. cap. 34.
[2] Paul. ad Thessal. 2. cap. 2.
[3] Joann. cap. 16.

pibus, & cavernis terræ, illæsi a gladiis, sed præ siti mortui inveniebantur: *Saraceni* autem victores effecti, ceptum peregerunt iter.

XXIX. Inter *Capuam*, *Teanum*, nec non *Alifam* AUDITUR esse mons quidam, in quo DICITUR adesse Angelica virtus, ad instar B. *Michaëlis* Archangeli in Monte *Gargano*, ubi distillari aquam, & jugiter effossam Cryptam, jacere Basilicam, atque ibidem nunc crebro fieri prodigia. Exhortatu autem *Landolfi* Præsulis *Ilarius Teanensis* Ecclesiæ Episcopus dedicavit illuc Sanctorum altaria, & peramplius ex tunc fiunt multorum sanitatum signa, & prodigia ad gloriam, & laudem nominis *Jesu Christi*.

[1] *Ostiensis* lib. 1. cap. 34.

XXX. [1] Mos etenim est apud Monachos utrorumque Cœnobiorum, videlicet Sanctorum *Vincentii* Martyris, & Beati Confessoris *Benedicti*, diebus Sanctæ Quadragesimæ vicissim sibi rogum exhiberi, caritatis gratia. Dum hoc quadam die apud Sanctum *Vincentium* Fratres spiritualiter agerent, & illic de Sancto AB HOC *Benedicto* fratres adessent die Veneris . . . .

Cætera legi nequiverunt, quæ facile supplebis ex Ostiense loco hic ad oram indicato.

[2] *Erchem.* num. 28.

XXXI. *Pando Capuanitis* Gast. . . . . in bellum . . . . . [2] quidem ipse prius corruit; dehinc qui fuerunt cum eo, victoriamque adeptus est . . . . . . *Desunt nonnulla* . . . .
. . . .

[3] Chron. Comitum *Capuæ* num. 6.
[4] *Erchem.* num. 30.
[5] *Erchem.* num. 30.

[3] *Pandenolfus Pandonis* dicti filius *Capuana* in urbe factus est Gast . . . . . . quem [4] non post multum *Landolfus* Episcopus sua reduxit ab urbe, & sua cum facultate veniente [5] habitavit in *Sessam*.

XXXII. *Landolfus* autem extitit suis civibus, non solum Episcopus, sed & Comes, & Judex; non solum Præsul, verum etiam Gastaldius; neque tantum Pontifex, quin & velut Miles super A cunctos præerat (*per* [1] *annos duodecim. Quo defuncto* Pandonolfus *nepos ejus factus est Gast; qui tribus annis, & octo mensibus in ea residens, a parentibus suis captus est, &* Lando *frater* Landolfi *Episcopi factus est Gast; residens annis duobus, & mensibus decem. Cui successit* Landonolfus *frater ejus Gast.* Capuæ *anno uno, mensibus quatuor. Per Indictionem quintam mense* Januario *cepit* Capuam Atenolfus *Comes, quam tenuit annis decem; quibus expletis Princeps* Beneventi *factus est, dominans cam annis decem, mensibus sex*)

XXXIII. [2] Ita benefactor noster, id est, omnium contrarius hostis *Seodan*, venit in *Vena-* B *frum*, postquam eorum ceperat civitatem, & postquam omnem devastavit Villam, & in circuitu ejus tamquam Rex potens in medio resedit terræ. Initium siquidem tunc erat Quadragesimæ Sanctæ. Eo autem die Sanctam Dominicam, more solito, *Bertharius* Abbas suum exhortabat divinis præceptis beatissimum gregem; cujus vicinitatem cum certo Fratres comperissent, concito gressu ad Sanctum conscenderunt *Benedictum*. Sequenti die *Mercoris* nefandus ipsius Regis exercitus secus Sancti *Benedicti* pervenit Monasterium, haud non longe quasi stadia dua. Hoc dum vellent *Saraceni* per montes C descendere *Atinem*, hic, qui eos deducebat, descendit cum eis in *Vallem Rotundam*, dehinc in *Rapidum*; cumque in planitiis devenissent, prædari cœperunt. In Sancti Ecclesiam dum introissent *Heliæ*, parum aliquod damnum ibidem facientes, per *Circlarios* in *Hortum Dominicum*, & per [3] *Pascatium* in *Fontanam Lucii*, ab hinc [4] *Pedem*, ibidemque senem ante *Cancellos* interfecerunt, qui eorum fallitus est vias. *Cesam Constantii*, *Olivetum*, *Matronolam* loca perscrutantes, omnes jumentas, & vaccas Monasterii auferentes, ad socios in *Venafrum* jam sero reversi sunt. Hic finis in his fuit, Deo D propellente, in partibus B. *Benedicti*, tam *Seodam* Regis, quam omnium Satellitum ejus.

FINIS HISTORIOLÆ IGNOTI MONACHI CASSINENSIS.

DE CHRONICO LANGOBARDORUM SEU MONACHORUM

De Monasterio Sanctissimi *Benedicti*.

Chronologia, & Topographia Historiæ pernecessaria.

SI exactam temporum cognitionem neglexerimus, haud certe verendum, ne cæca in caligine omnis non versetur Historia, eademque exinde ut minimum utilis reddita, humi non resideat inhonora, quæ jure Magistra reputatur vitæ. Ego plane, qui recte procedant gestarum rerum narrationes vellem, bipedes eas incedere debere pronuncio; ut dextero scilicet pede per annos suo ordine, seriatimque decurrant; sinistro autem, ut explorata notitia per loca vadant demonstrata. Et sane non ne clara res est complura vetusta, remotaque acta, quæ non admodum diligenti a majoribus tradita fuere observatione, ni duplici hac vigili pervestigentur indagine, nullam jucundam, utilemve præstare posse rerum notitiam? Quinimmo ab eis omnis necesse est, ut recedat, abstineatque studiosus lector, vel indigestam pertæsus lectionem, vel implexa fatigatus. Iterumque non

Ex quibus alteram hoc Opusculum utcumque præstat.

ne ex binis his facibus (quatenus opus exigat alterutra quandoque adhibita) multa contigit, vel prorsus obscura, vel ambiguitate obfuscata identidem illustrari, totidemque vicibus fieri clariora; Non igitur nisi congeminatam hanc Regiam viam ingrediendam censeo, perque eam attenta cura procedendum; quibus est animo res gestas exponere inoffenso pede. Istique sane bono, sed quoad partem dumtaxat, quæ Chronologiam spectat,

ctat, præsens Chronicon ab Anonymo auctore suo, Monacho certe Cassinensi, *elucubratum adparet, quo plures restitui poterunt annorum Epochæ a recentioribus, qui de rebus egerunt* Langobardorum, *perturbatæ, modo & ipsum cura adhibeatur non incauta. Exemplar vero, ex quo exscripsi, aderat in Bibliotheca* Cassinensi *in Membranaceo scripto Codice signato Nu.* 353. *illud plane antiquum, Epigraphen & ipsam a me inditam præ se ferens.*

INCIPIT CHRONICON LANGOBARDORUM, SEU MONACHORUM

De Monasterio Sanctiss. *Benedicti.*

Gregorius	*Petronax*	XXVIII.	VII.
II.	II.	XXIX.	VIII.
III.	III.	XXX. *Carolus*	IX.
IV.	IV.	ad Mon. Ind. XI.	X.
V.	V.	*Grimoald.*	XI.
VI.	VI.	II.	
VII.	VII.	III.	XII.
Godelscalcus	VIII.	IV.	XIII.
II.	IX.	V.	XIV.
III.	X.	VI.	XV.
IV.	XI.	VII.	XVI.
V.	XII.	VIII.	XVII.
VI.	XIII.	IX.	XVIII.
Gisulfus	XIV.	X.	XIX.
II.	XV.	XI.	*Gisulfus*
III.	XVI.	XII.	II.
IV.	XVII.	XIII.	III.
V.	XVIII.	XIV.	IV.
VI.	XIX.	XV.	V.
VII.	XX.	XVI.	VI.
VIII.	XXI.	XVII.	VII.
IX.	XXII.	XVIII.	VIII.
X.	XXIII.	XIX.	IX.
XI.	XXIV.	XX.	X.
XII.	XXV.	*Grimoald Sto-*	XI.
XIII.	XXVI.	II. *resaiz*	XII.
XIV.	XXVII.	III.	XIII.
XV.	XXVIII.	IV.	XIV.
XVI.	XXIX.	V.	XV.
XVII.	XXX.	VI.	XVI.
Luidprand.	XXXI.	VII.	XVII.
II.	XXXII.	VIII.	XVIII.
III.	*Optatus*	IX.	XIX.
IV.	II.	X.	XX.
V.	III.	XI.	XXI.
VI.	IV.	*Sito*	*Apoll.*
VII.	V.	II.	II.
VIII.	VI.	III.	III.
Arechis	VII.	IV.	IV.
II.	VIII.	V.	V.
III.	IX.	VI.	VI.
IV.	*Ermerich.*	VII.	VII.
V.	*Stephanus.*	VIII.	VIII.
VI.	II.	IX.	IX.
VII.	III.	X.	X.
VIII.	IV.	XI.	XI.
IX.	*Thomichis*	XII.	*Deusdedit*
X.	II.	XIII.	II.
XI.	III.	XIV.	III.
XII.	IV.	XV.	IV.
XIII.	V.	XVI.	V.
XIV.	VI.	*Sichard.*	VI.
XV.	*Poto*	II.	*Audpert.*
XVI.	II.	III.	II.
XVII.	III.	IV.	III.
XVIII.	IV.	V.	*Bassac.*
XIX.	V.	VI.	II.
XX.	VI.	VII.	III.
XXI.	VII.		
XXII.	*Theodemar.*		
XXIII.	II.		
XXIV.	III.		
XXV.	IV.		
XXVI.	V.		
XXVII.	VI.		

Reliquam partem hujus Chronici continuat columna sequens; namque hæc præ angustia non eam admisit.

A	*Radelch.*	*Siconol.*		IV.	
	II. Divisio	II. terræ.	Reges *Saraceno-*	V.	
	III.	III.	II. *rum Calfon*	VI.	
			de *Bari*		
	IV.	IV. *Siconulfus*	III. tulit aurum de	VII. Mon.	
	V.	V.	IV.	VIII.	
	VI.	VI.	V. & menses v.	IX.	
	VII.	VII.	Alii *Sarac.* in *Aquino*	X.	
	Saraceni				
	VIII.	VIII.	II.	XI.	
	IX.	IX.	III.	XII.	
	X.	X.	*Ferraci.*	XIII.	
	XI.	XI.	II.	XIV.	
B	XII.	*Sico*	III. & menses vi.	XV.	
	XIII.	II.	*Seodan* om̄.........	XVI.	
	Radelgar.	III.	II.	XVII.	
	II.	*Ademarius*	III.	XVIII.	
	III.	II.	IV.	XIX.	
	IV.	III.	V.	*Berthar.*	
	Adelchis.	IV.	VI.	II.	
	II.	V.	VII.	III.	
	III.	VI.	VIII.	IV.	
	IV.	VII.	IX.	V.	
	V.	VIII.	X.	VI.	
	VI.	IX.	XI.	VII.	
	VII.	*Dauferius*	XII.	VIII.	
C	VIII.	II.	XIII. *Hludovi-*	IX.	Vide me
			cus Imp.		in Chro-
	IX.	III.	XIV. II.	X.	nol. Com.
	X.	IV.	XV. III. ca-	XI.	*Cap.* N.
			piens om̄s civit.... a *Sarac.*		5.
	XI.	V.	XVI. IV.	XII.	
	XII.	VI.	XVII. V. & mens. II.	XIII.	
	XIII.	VII.	VI.	XIV.	
	XIV.	VIII.	VII.	XV.	
	XV.	IX.		XVI.	
	XVI.	X.		XVII.	
	XVII.	XI.		XVIII.	
	XVIII.	XII.		XIX.	
D					

Hujus Chron. explanationem habes in Chronol. Princip. Ben.

FINIS CHRONICI LANGOBARDORUM, SEU MONACH. S. BENEDICTI.

DE

DE CHRONICO

Postremorum Comitum *Capuæ.*

Hoc Chronicon in membranis scriptum mihique visum in Bibl. Cassinensi.

SEries, *sive dicam potius Chronicon postremorum Comitum* Capuæ *iterum Typis traditur, sed diligentiori cura restitutum ad membranarum exemplar, quas cum id generis una hic editis Opusculis adservatas olim inspexi in* Cassinensi *Bibliotheca scripto Codici insertas numero signato* 353. *Verum cum in omni hac* Langobardorum *Historia summa fide vel minima quæque præstiterim, maximum modo crederem me commissurum nefas, si de nomine Auctoris hujus Chronici Lectori imponerem dolo malo. Rem igitur edisseram, meque integram Epigraphen, qua Autographum penitus carebat, confinxisse, non dissimulo. Sed cur sic egerim, non multis explanare conabor. Vixit, quisquis hic fuerit Chronologus, eadem prorsus ætate, qua* Joannes *ille, qui, ut* Ostiensis *tradit lib.* 1. *cap.* 52. *ex Archidiacono* Capuæ *Monachus prius factus, paucisque mox interjectis diebus Abbas pronuntiatus fuit* Cassinensis, *nutu accedente Principum* Landulfi, *&* Atenulfi, *Monachorumque omnium unanimi consensu, quod opinione adfirmo, sed firmæ innixus conjecturæ. Is enim extremo nu.* 9. *scribens præfatos Principes patri* Atenulfo *in Principatu successisse, illis proculdubio viventibus, inibi blanditur, præter morem honorifico titulo appellans Dominos, &, magna extollens laude, Christianissimos; hoc est summa caritate concordes, quod subscribit* Leo *relato libro cap.* 51. *idque intente Scriptores adnotarunt, quia inter domestica exempla eorum majores concorditer aliquando egisse non illi repererant, ut ex Historia* Erchemperti *pluribus in locis satis constat. At cur modo eundem hunc Chronologum crediderim fuisse præscriptum Abbatem* Joannem, *unum illud persuasit argumentum, quod* Joannes *Historiæ incubuerit, ac, ut verbis dicam Petri Diaconi libro nondum edito de Vir. Illustr. Cassinensis Monasterii:* De persecutionibus ejusdem Cœnobii, & de Miraculis inibi factis Chronicam succinctam, sed valde necessariam loco descripsit. *Quæ, me arbitro, eadem fuit illa, qua in Prologo sui operis usum se dixit* Ostiensis. *Verum levis admodum, & jejuna isthæc mea reputabitur conjectura, ni validiori suffulciatur adminiculo; quod quidem ad præsens aliud non suppetit, quam credere me* Joannem *Abbatem ex eodem exortum fuisse genere Comitum* Capuæ, *qui hoc in Chronico descripti habentur, & idcirco is suam, hoc est generis, & patriæ suæ, causam agens, attenta cura Opusculum consummasse, nullas alias contentus admisisse narrationes. Etsi non ignoro videri id posse excerptum fuisse ex Historia* Erchemperti, *sive ad illius normam, vel utilitatem efformatum, cui nedum undecumque, fere, concordat, sed pari prorsus, ac illa procedit passu. De quo res utcumque se habeat, nullus certe inficiabitur* Campanum *civem habuisse Auctorem, quem adviventem Abbatem* Joannem *credere malo, quam alterum nominis ignorati. Negotium, forte, facessit idem ille* Petrus, *qui de eodem scribens, scriptaque ejus adnumerans, præsens præteriit Chronicon; sed* Petrus *non semel pari est lapsus negligentia, ut de* Erchemperto *cum disserui clare patuit; potuitque ille exiguam, facilemque scriptiunculam non injurioso premere silentio; quo nil remoratus obice V. C. Abbas* Constantinus Cajetanus *Monachus* Cassinensis *veritus non est calculo quoque suo meam subfulcire sententiam, qui recentissimis suis literis una mihi significavit alterum scriptum hujus Chronici exemplar penes se esse: at nec illud auctoris nomine prænotatum. His autem sic firmatis, enucleatius modo edisseram cur Archidiaconum, Abbatemque* Joannem *genus suum duxisse adfirmaverim ex* Campanis *ab se descriptis Comitibus, proindeque consanguinitate extitisse conjunctum Principibus* Landulfo, *&* Atenulfo, *quod nullus, nec antiquus, nec novitius auctor enunciavit; idque suscepti muneris exigit ordo, ut scilicet nil taceam, quod ad clariorem præsentium Opusculorum, eorundemque auctorum conducit notitiam. Me vero de Abbatis* Joannis *genere æquo satis jure sic opinari idem sæpius productus* Leo Ostiensis *non dubio suadet indicio; qui lib.* 1. *cap.* 52. *exortum illum adfirmat* e nobilium Capuanorum familia. *Sed quæ* Leoni *his verbis demonstrata fuerit familia, alter nullus, nisi idem planius aperire valebit auctor; ille enim c.* 40. *dicti lib.* 1. *tradit aliquando Capuanos (verba sunt* Leonis) expulso *Landulfo* quondam Canonice in Episcopatum electo, *Landenulfum* quendam de suis nobilibus conjugatum, atque neophytum sibi in Episcopum elegisse. *Atqui* Landenulfus *ille neophytus ex genere plane extitit Comitum, ut constat ex* Erchemperto *num.* 46. *Igitur quæ* Leoni *Capuanorum* nobilis familia *adpellatur, ea alia non est ulla, nisi quæ ex stipite processerat Comitum, lateque in plures diffusa, divisaque fuerat cognationes, quarum altera censebatur illa, ex qua ortus* Joannes, *altera vero, ex qua adviventes effluxerant Principes. Quam sanè interpretationem adeo germanam reputo, ut quoties* Ostiensis *de Nobilibus, ac Proceribus, sive Magnatibus* Campanis *viris verba fecit, toties illum hac eadem mente illa protulisse credam. Nec speciali sibi usurpatione sic est locutus* Leo, *quinimmo pro certo habeo priscis temporibus scriptores eam habuisse communem, causa non hoc loco producenda; satisque esse poterit exemplum præin-*

Auctorem habuit Joannem *Abbatem ejusdem Monasterii, &* Campanum *Patritium.*

Ortum ex genere eorundem Comitum Capuæ, *quorum seriem ille scripsit.*

Non enim alii olim Capuæ *Patritii, nisi ex ejus Dynastiis progeniti.*

præindicare, quod legi in Chronico vetusti, & nobilis Monasterii Monialium S. Mariæ Campanæ *urbis in membranis descripto, ubi de* Matthia *de* Petruro *verba habentur ista:* Fuit igitur Domina *Mathia* Monasterii *S. Mariæ* Monialium Abbatissa dignissima, natione nobilium de Castro *Petruri*, morum honestate præfulgens: *&c. Verum qui alii nobiles viri in parvo oppidulo, quod est supra urbem* Cales *in montibus, qui* Caliculæ *longo tractu olim dicti, esse potuerunt, nisi ejusdem Comites, sive dicas Barones, ac Dominos, quibus ex Castri possessione gentile nomen de* Petruro *accessit?* Ivo *certe* Carnotensis *Epist.* 211. *eadem mente, ut reor, Monachum quendam* Arvernensem, *nomine* Castum, progenitum *dixit* de nobilibus terræ illius. *Sed de his modo satis. Unum superest pro Epigraphes a me efformatæ explanatione, ut Lectorem moneam, tum ex ejusdem* Ostiensis *scripto membranaceo Antigrapho in Archivo* Cassinensi *adservato, & ex* Venetæ *editionis Codice lib.* 1. *cap.* 52. *constare postremos Principes, qui per annos* 177. Benevento *imperarunt, ex stirpe horum Comitum effluxisse; tum vero ex Chronico Ducum, & Principum ejusdem urbis, quod recentissime acceptum una cum his Opusculis in vulgus emittam.* Capuæ *autem perpetuis quoque annis* 158. *aliquandoque* Salerno *ex eodem genere progenitos Principes præfuisse, innumerosque alios, vel Ecclesiasticis dignitatibus claros, vel sæculari potestate illustres viros, ab eodem pariter germine egressos esse idem me docuit* Leo, *idemque Chronicon, aliique Chronologi, sive Historici auctores; nec non & ex pluribus antiquis Archivis, & Tabulariis hausi, de quibus alibi, nec prorsus jejune, est mihi dictum: itemque nec addam plura ad Chronici hujus Epigraphen, sive firmandam, sive interpretandam: cujus exemplar, ut prædixi, olim in* Cassinensi *Bibliotheca inspectum, duobus in locis, quos hac in editione asterisco signavi, recognitum, recensitumque fuisse ab aliquo neoterico agnovi. Ad numerum enim VII. dictio illa.* Pater. *recentius inducta adparebat, abrasa altera, cujus vestigia adhuc remanserant, iisque indicabatur, quod prius inibi scriptum fuerit.* Frater. *Et ad numerum IX. numerales notæ. XIII. rasura, & recenti pariter atramento novitatem præ se ferebant, priorque adscriptus numerus visus est mihi fuisse X. De quo quid sentiam in expansa Tabula Chronologica Comitum* Capuæ *dicam; tuque interim confer Ignotum* Cassinensem *ad num.* 32.

Qui temporum decursu innumeri, illustrissimique.

Sed redeo ad Chronicon, quod in Cassin. *membranis recensitum olim fuit.*

CHRONICON POSTREMORUM COMITUM CAPUÆ;

E quibus effluxerunt Principes, qui eidem urbi, ac Benevento *continenti serie præfuere ab anno* DCCCC; Capuæ *quidem ad annum* MLIIX; Benevento *vero ad annum* MLXXVII. Salerni *quoque nonnulli Principes ex eodem prodiere germine, innumerique Comites per omnem* Italiam *Cis-Tyberinam. Nec non plurimi Ecclesiasticis dignitatibus decori: Abbates Ordinum, Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales, & Summus Pontifex* Victor III.

Auctore

JOANNE *Abbate* CASSINENSI, Capuæ *Ex-Archidiacono.*

I. LAndolphus senior tenuit *Capuam* veterem annis XXV. mens. IV. & fecit Civitatem novam in monte *Trifisco*, quam dominatus est anno I. mensibus VIII.

II. Quo defuncto successit *Lando* filius ejus; & dominavit jam dictam Civitatem an. XIII. mens. IX. qui nono mense antequam moreretur ad Pontem *Theudemundi* multos virili certamine *Neapolites* interfecit, cepitque nongentos. Cum autem cremata esset Civitas *Capuæ* ab igne, venit cum fratribus suis, id est *Landone*, *Pandone*, *Landolpho* Episcopo, & *Landenolpho* ad Pontem *Casulini*; & condiderunt ibi Civitatem, quæ A nunc est *Capua*: in qua jam dictus *Lando* vixit an. IV. men. IX. & defunctus est.

III. Cui successit *Lando* filius ejus; & tenuit *Capuam* men. VI. & projectus est de eadem Civitate a *Pandone* thio suo.

IV. Qui *Pando* tenuit Comitatum *Capuanæ* Civitatis an. I. men. IV.

V. Cui successit in regimine jam fatæ Civitatis *Landolphus* Episcopus frater ejus, quam dominavit annis III. & mensib. IX. Quibus expletis venit *Ludovicus* Imperator, [1] stetitque in *Capuam* mens. IX. & abiit *Barium*, super quam Civitatem sedit an. IV. & cepit eam, simulque & B *Seodam* Regem *Saracenorum* cum aliis plurimis. Qui *Beneventum* reversus, captus est a *Beneventanis* mense *Augusto*: sed dimissus ab eis districtus

[1] Sic habet *Cassinensis* scrip. Cod. itemque alter apud V.C. *Constantinum Cajetanum*, a quo variæ istæ lectiones.

[1] *Verole.*

ctus sacramentis, recessit a *Benevento*: & intra tres dies, ac noctes abiit [1] *Berole*, in qua deguit men. XI. Inter quos postulatus a *Landolpho* Episcopo iterum venit: & per quosdam Comites suos, antequam ille *Capuam* adveniret, multi interfecti sunt *Saraceni*, ita ut de duodecim millibus pauci remanerent, qui a magno exercitu *Sarracenorum* super *Salernum* residente venerant. Sed audientes mortem proximorum, rursum, paululum supra eandem Civitatem commorantes, reversi sunt in terram suam. *Ludovicus* Imperator hoc audiens, quia volebat ire super eos, reversus est *Capuam*; in qua uno anno commoratus, reversus est in *Franciam*, in qua eodem anno defunctus est. *Landolphus* autem Comes, & Præsul ante adventum jam fati Imperatoris & post decessum ejus tenuit *Capuam* an. XII.

VI. Quo recedente *Pandonolphus* nepos ejus factus est Comes *Capuæ*, & *Landolphus* filius *Landonis* factus est Episcopus. Eodem tempore; sed suggerente adversario *Christianæ* fidei, facta est eodem anno divisio ejusdem Episcopatus a jam dicto *Pandenolpho*; qui odii, & invidiæ accensus ardore, *Landenolphum* fratrem suum laicum inordinate tondens, direxit *Romam*: eumque a *Joanne* Papa multa prece deposcens, Episcopum fecit. Qua de re non parva inter parentes utrorumque Episcoporum discordia nata est, ita ut odium fieret plurimo valens tempore. Denique *Joannes* Papa tali comperto flagitio, advenit *Capuam*; & ut discordes ad concordiam revocaret, divisione facta, utrumque constituit: id est in Civitate *Capua Landenolphum* Episcopum, *Landolphum* vero Episcopum in *Sancta Maria*, cognomento *Suricorum*; & facta [2] pace inter eos (sed paululum perdurante) *Romam* reversus est ad sedem propriam. Iterumque facta est inter eos divisio, quam non post longum tempus pax sequuta est. Denique jam fatus *Pandenolphus*, completis in Comitatu an. III. & men. VIII. fecit convivium cunctis parentibus suis, plurimis eos sacramentis alligans, ut non [3] ei quolibet modo nocerent. Sed illi statim perjurantes ceperunt eum, & diviserunt inter se Comitatum *Capuanum*: & *Landolphus* Episcopus adeptus est totum Episcopatum.

VII. *Lando* autem * pater *Landolphi* Episcopi [4] fuit Comes *Capuæ* an. II. men. X.

VIII. Cui successit *Landenolphus* frater ejus vicem illius retinens an. I. men. IV.

IX. Quo vivo decedente, mense *Januario* cepit *Capuam Athenolphus* Comes, quam annis * tredecim mirifice regens, postea factus est Princeps *Beneventi*: completisque in Principatu an. X. & men. VI. vita privatus reliquit [5] eum filiis suis [6] Domino *Landolpho*, & Domino *Atenolpho* Christianissimis Principibus. Secundo autem anno, quo factus est Comes *Capuæ* Dominus *Athenolphus*, [7] factum est prælium inter *Capuanos*, & *Neapolites* in *Liburia* ad *Sanctum Carsium*: sed ita interfecti sunt *Neapolites* a *Capuanis*, ut

[2] Alterum constituit in *nova Capua*, alterum in *veteri*; cujus locus novum nomen acceperat ex inibi sacra, & antiquiss. æde *D. Mariæ*, extructa ab anno circiter 430. ut peculiari in Historia aperui.

[3] *eum.*

[4] *Kal.* Novembris *Indict.* I. *fuit* &c.

[5] *eam.*

[6] *Domno.* sic semper.

[7] *Commissum est.*

A valde pauci remanerent ex eis, inter quos *Neapolites*, *Græci*, & *Saraceni* fuerunt pro adjutorio eorum. Ind. VI. post dies undecim capitur *Berelais* a Domno *Athenolpho*. Eadem hebdomada *Ajo* Princeps cum quodam Patritio *Constantinopolitano* ex utraque parte certatim pugnantes, ad postremum ille Patritius victor effectus est.

Hactenus hoc Chronicon JOANNIS *Abbatis* CASSINENSIS.

ADnotamentum vero de nece Principis *Landenulfi*, *quod altera Editio adfirmat esse ejusdem mutili Chronici fragmentum, illud quidem nil tale est; namque continenti in membrana, quæ alba superfuerat, eaque integra, exaratum habebatur, simulque aliena manu, & recentiori atramento depictum, duarum fere linearum interstitio relicto. Idemque iterum post Historiolam Ignoti* Cassinensis, *quam modo Typis dedi, in eodem exstabat membranaceo Codice. Credam igitur Parergon hoc fuisse sub ipsa Principis cæde a neoterico, coævoque altero Monacho adfixum vacuis utrisque membranis, ut operæ pretium faceret; quod de more aliis alibi factitatum, exempla tradunt innumera; & talia plane sunt (ne te ablegem ad remotiora) quæ ad finem editi Chronici Anonymi* Cassinensis, *pagina scilicet* 162. *& seqq. habentur. Verum his præmonitis, inconstantis modo essem animi, si centunculum illum non recuderem, qui propositum hoc meum, res dandi* Langobardorum Cis-Tyberinæ Italiæ, *maxime juvat. Habeas igitur etiam cum Auctario variantium lectionum, quæ insunt in aliis duobus jam præindicatis exemplaribus.*

Facies scrip. exemplaris Cassinensis.

Concilium fecerunt *Capuani*, qualiter interficerent *Landenolphum* Principem, filium *Pandolphi* [1] eximii Principis, quod & fecerunt. Nam [2] dum procederent ad *S. Marcellum*, peractis Missarum solemniis a Præsule ejusdem civitatis *Ajo* nomine, egressus prædictus Princeps [3] foras Ecclesiam, insurrexerunt in eum (proh dolor) cum gladiis, & fustibus, & interfecerunt eum, atque exutum vestibus, nudum in platea eum reliquerunt. Quem rapientes Monachi ex Monasterio *S. Benedicti*, in eodem Monasterio ante Secretarium eum sepelierunt. Archiepiscopus vero supradictus fugit in jam [4] dicto Monasterio; quem etiam postea ibidem jam dicti *Capuanites* veneno peremerunt, sepultusque est ante Regia Secretarii. Sed omnipotens [5] Deus illis, qui hunc innocentem peremerunt Principem, ostendere est dignatus, quia in suo eum Regno [6] recepit. Nam quadam die claudus quidam ad ejus sepulchrum veniens, obnixe *Christum* rogare cœpit [7] atque in intercess...... Dominum *Landenolphum* Principem, cujus corpus illic requiescebat, qui etiam sine causa a suis occisus fuerat, ei pristinam sanitatem reddere dignaretur. [8] Mira res; statim super eodem sepulchro soporatus, totam [9] quietavit noctem: mane autem facto ita sanus surrexit, ac si nullam debilitatem membrorum unquam habuisset.

[1] *deest eximii.*

[2] *quinta feria in Albis Paschæ dum,* &c.

[3] *foras Ecclesiæ.*

[4] *dictum Monasterium.*

[5] *Deus, quia hunc.*

[6] *recipere est dignatus.*

[7] *ut per intercessionem* Landenolphi *Principis.*

[8] *curaret, statim.*

[9] *qui...*

CHRONOLOGIA

Prædictorum Comitum Capuæ *expansa Tabula explicatur.*

I.

I. LANDULFUS senior tenuit *Capuam* veterem annis XXV. mensibus IV.

Primus annus numerandus est a mense Augusto *nondum exacto anni* 815. *Etsi* Ostiensis *lib.* I. A *cap.* 23. *inter hos annos meminit* Campani *cujusdam Gastaldi, nomine* Agenardi; *quod eget interpretatione. Vide Ignotum* Cassin. *num.* 8. *&* Erchempertum *num.* 15. *&* 53.

Ostiensis *locus difficilis.*

815

815	1	*Annus incipit ab* Augusto. *Finitur*			
816	2	824	10	832	18
817	3	825	11	833	19
818	4	826	12	834	20
819	5	827	13	835	21
820	6	828	14	836	22
821	7	829	15	837	23
822	8	830	16	838	24
823	9	831	17	839	25

Annus incipit. Finitur Augusto *anni sequentis* 840. *Menses vero quatuor sunt subsequentes.* Sept. Octob. Novemb. & Decemb. *non exactus ejusdem anni.*

B II. Et fecit Civitatem novam in Monte *Trifisco*, quam dominatus est anno I. mensibus VIII.

Huic Chronologo lux.

Ante hoc sane tempus, nempe sub Principe Sicone, *sicut hoc ipso nomine*, Sicopolis, *demonstratur, constructa fuerat urbs in* Trifisco, *extante adhuc* vetere Capua. *Vide Anonymum* Salernitanum *Parte* 2. *num.* 2. *Postmodum vero* Landulfus *iste, ut* Erchempertus *tradit num.* 15. a *Radelchisi* Principis dominatione se subducens, *Sicopolim* ingreditur, *hoc est, munitissima in urbe* (*sicut eam dicit idem* Erchempertus *num.* 24.) *se tuetur, quod eodem contigisse oportuit anno* 840. *exeunte.*

840. 1. *Annus incipit a* Decembri. *Finitur anno* 841. *Mense* Decembri *non exacto.*

C *Menses octo sunt.* Januarius. Febr. Mart. April. Majus. Junius. Julius, & Augustus *non exactus sequentis anni* 842.

II.

I. LANDO filius ejus dominavit jam dictam Civitatem annis XIII. mensibus IX.

842	1	*Annus incipit ab* Augusto. *Finitur anno*			
843	2	847	6	851	10
844	3	848	7	852	11
845	4	849	8	853	12
846	5	850	9	854	13

D *Annus incipit ab* Augusto *non exacto. Finitur anno* 855. *Mense* Augusto. *Menses novem sunt* Sept. Octob. Novemb. & Decemb. *ejusdem anni.* Januar. Febr. Mart. April. & Majus *non exactus anni* 856.

II. Cum autem cremata esset civitas *Capuæ* ab igne, venit cum fratribus suis ad Pontem *Casulini*, & condiderunt Civitatem, quæ nunc est *Capua.*

Campani duplici ex causa veterem urbem deseruerunt.

E *Condita est nova* Capua, *postquam exarserat* Sicopolis: *hoc vult; quam inhabitarunt* Campani, *antiquissima urbe a* Saracenis *in cinerem redacta, desertaque a* Landulfo *præcavente sibi a Principe* Radelchiso. *Vide Ignotum* Cassin. *num.* 8. & 16. Erchempertum *num.* 24. & Ostiensem *lib.* 1. *cap.* 24. & 30. *qui Palilia novæ urbis hoc quoque figit anno* 856. *Ex quo Græci Codicis corrupti numeri apud* Constantinum Porphyrogennetam *lib. de Admin. Imp. cap.* 27. *sunt restituendi, nam modo ibi habetur a condita* Capua *ad se scribentem* (*scripsit nupta jam* Berta *filia Regis* Hugonis *filio suo* Romano: *Idem cap.* 26. *hoc est post annum* 944. Sigon. *lib.* 6.) *annos intercessisse* 73. *qui fuerant, forte,* 93.

Constantini Porphyrogen. locus corruptus.

F III. In qua jam dictus LANDO vixit annis IV. mens. IX.

856	1	*Annus incipit a* Majo. *Finitur*
857	2	
858	3	
859	4	*Annus incipit a* Majo. *Finitur anno*
860		*Mense* Majo *non exacto.*

Hoc tempore, nono scilicet mense antequam moreretur, ad Pontem *Theudemundi* multos virili certamine *Neapolites* interfecit, cepitque nongentos.

A *Accinit* Erchempertus *num.* 27. *qui ista contigisse adfirmat* 8. *Idus* Majas. *Vide quoque Ignotum* Cass. *num.* 25.

Menses novem, quibus advixit Lando, *sunt* Junius. Julius. August. Septemb. Octob. Novemb. Decemb. *ejusdem anni* 860. & Januar. & Febr. *non exactus sequentis anni* 861.

III.

LANDO filius ejus tenuit *Capuam* mensibus VI.

Menses sex sunt: Mart. April. Majus Jun. Jul. & Aug. *non exactus ejusdem anni* 861.

B IV.

PANDO tenuit Comitatum *Capuanæ* Civitatis anno I. mensibus IV.

861 1 *Annus incipit ab* Augusto. *Finitur anno* 862 *Mense* Augusto *non axacto.*

Menses quatuor sunt. Septemb. Octob. Novemb. & December *non exactus ejusdem anni* 862.

V.

I. LANDULFUS Episcopus dominavit annis III. mensibus IX.

862 1 *Annus incipit a* Decembri. *Finitur anno*
863 2
864 3 *Annus incipit a* Decembri. *Finitur anno*
865 *Mense* Decembri *non exacto.*

C *Menses novem sunt:* Jan. Febr. Mart. April. Majus. Jun. Jul. Aug. & Septemb. *non exactus anni sequentis* 866.

II. Quibus expletis venit *Ludovicus* Imperator.

Concordat Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 35. *qui dicit* Ludovicum *pervenisse* Cassinum *in* Junio *prædicti anni; indeque digressum obsedisse* Capuam *tribus continuis mensibus, tandemque obtinuisse. Mense igitur* Septembri Landulfus *cessit* Ludovico. *Vide Ignotum* Cassin. *num.* 7. *Sed hanc* Capuæ *expugnationem, cujus murus ex quadrato erat lapide constructus,* Regino *lib.* 2. *fusius describit, & ad annum notat* 871. *qui de hoc, deque aliis dux fuit* Mariano Scoto, Sigeberto, & Othoni Frisingensi. *At* Regino *illam notat, ut dixi, non figit descripto anno; quo cum enarrasset obitum* Hadriani *Papæ* 2. & *electionem* Joannis 8. *subdit.* His diebus *Adelgisus* Dux *Beneventanus Græcorum* persuasionibus corruptus, adversus *Ludovicum* manum levavit. *Et cætera; quæ non utique uno, sed pluribus annis acta fuere, nosque seriatim ea digeremus; quocirca manifesta res est antiquum illum Scriptorem in unum locum non unius anni gesta, sed plurium summatim dedisse, quod pariter, tum prædicti ejus adseclæ commisere, tum* Ado *in Chron. in* 6. *Mun. ætate; qui ingressum dicit* Ludovicum *in* Beneventum, & Saracenos *devictos anno* 868. *Sin autem ille firmo proposito voluit præscripto anno* 871. *contigisse quæ inibi a se narrata fuerunt, quod sane ejusdem locus ad annum* 867 *infra adscribendus expetit, is certe* Ludovico *ante, & post captam* Barim *in* Cis-Tyberina Italia *gesta fœde miscuit, ac perturbavit; quæ omnia ex nostris ordinanda sunt, ut infra.*

Reginoni, aliisque lux, modo admittant.

III. Stetitque in *Capuam* mens. IX.

Ista sic interpretor. Stetitque in *Capuam* mense *Novembri. hoc est usque ad mensem* Novembrem; *Ignotus enim* Cassinensis *prædicto num.* 7. *tradit* Ludovicum *ingressum urbem* Beneventum *mense* Decembri, & *plane eodem, quo advenerat anno* 866. *cui* Lupus Protosp. *in Chron. adsentitur.* Landulfi *igitur Dynastia cessavit a* Septembri *modo dicti anni* 866. *quam, ut Chronologus hic noster est opinatus, non ante ille recepit, quam Imperator ultimum* Capua *abscessit, anno scilicet* 874. *de quo infra dicam hoc eod. num. par.* 16. *Intermedio autem tempore* Ludovicus, *ut* Erchempertus

Nostrates res nostras peritius tradidere.

habet num. 32. *Capuam* omni fere mense diversis Judicibus dedit in prædam.

IV. Et abiit *Barium.*

Anno sequenti ab adventu. Erchemp. *num.* 33. *hoc est anno* 867. *Concordat* Sigebertus. *Quo utique anno contra* Saracenos *primum dimicans victus est.* Erchemp. *num. eod. &* Ostiens. *lib.* 1. *cap.* 35. *idque plenius scripsit* Aimoinus *lib.* 5. *cap.* 22. *sed certe nonnihil perturbate his verbis:* Revertente *Hludovico* ab obsidione *Saracenorum* de partibus *Beneventanis*, iidem *Saraceni* de *Baira* egredientes, & hostem *Hludovici* post tergum sequentes, plusquam duo millia Caballorum ipsius hostis prædati sunt, & cum eisdem Caballis duos ex ipsis ordinantes cuneos, ad Ecclesiam S. *Michaëlis* in M. *Gargano* perrexerunt deprædantes multa. & Clericos: sed & multos, qui ad orationem illuc convenerant, deprædantes, cum multa præda ad sua redierunt; quod valde Imperatorem, atque Apostolicum, sed & *Romanos* turbavit. *Hactenus* Aimoinus. *Verum* Ludovicus *postmodum* Materam *munitissimam* Saracenorum *urbem incendit. Ignot.* Cassin. *num.* 7. Oriam *ivit.* Erchemp. *num.* 33. *&* Lupus Protosp. *hoc anno* 867. Beneventum*que rediit mense* Augusti. *Ignot.* Caff. *num. prædicto: quo utique anno* Barim *obsidione cinxit, sicut constabit ex modo dicendis. Interim vero non prætermittam* Reginonem, *& ejus perpetuos adseclas* Othonem, *&* Gotfridum *a* Pithœanis Francorum *Annalibus dissentire; ille enim tradit anno* 867. Ludovicum *ad exterminandos* Cis-Tyberinos Saracenos *advocasse fratrem* Lotharium, *ejusque adminiculo* plurima bella gesta fuisse, non solum fortiter, sed feliciter; *sed gravi postmodum peste ejus exercitu laborante, in* Franciam *illum rediisse, indeque* Romam *iterum adventasse anno* 869, *acturum cum novo Summo Pontifice* Hadriano II, *propriisque rebus consulturum. In Annalibus autem memoratis unicus adventus in* Italiam *describitur* Lotharii, *isque figitur ad annum* 868. *qui primus adnumerabatur Pontificatus* Hadriani; *ibidemque adseritur, quod eodem anno in* Beneventum *ad fratrem* Ludovicum *perrexit, ut* illum fautorem postularet apud *Hadrianum, cum jam* Nicolaum Hadriani *decessorem reperisset defunctum, sed nil a Pontifice consecutus, in* Julio *anni* 869. Placentiæ *clausit diem. Quas discrepantias alter conciliet, mihi enim sat est* Lotharii *adventum in has regiones indicasse, ac* Ludovicum *in* Beneventana *urbe per descriptos annos adstitisse: quod positæ a me consonat Chronologiæ.*

Exteri scriptores nec de rebus quidem suis concordes.

V. Super quam Civitatem sedit annis IV.

Concordat Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 35. *Hincque corruptum agnoscere licet Chronicon* Lupi Protospatæ, *quo loco habetur,* Barim *a* Ludovico *receptam* anno 868. tertia die intrante mensis *Februarii. Et si de mense non admodum repugno. Imperator igitur, qui obsidionem firmaverat antequam* Beneventum *regressus fuisset mense* Augusto *anni* 867. *urbem obtinuit anno* 871. *certeque ante* Augustum, *ut dicam infra. Interea vero,* Bari *nondum recepta, insurrexisse in* Ludovicum *duos ejus Comites, qui postmodum* Adelgiso *Principe intercedente, ad quem confugerant, in gratiam recepti fuere, credit* Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 35. *Sed memoria ille excidit; id namque contigit Imperatore commorante apud* Verulas, *sicut suo patebit loco.*

Lupi Protospatæ *locus corruptus.*

Ostiensis *memoria lapsus.*

VI. *Beneventum* reversus, captus est a *Beneventanis* mense *Augusto.*

Captus est eodem anno, quo Barim *receperat.* Lupus ad annum 868. Postquam per tres fere annos *Beneventanis* præfuisset. *Anonymus* Salern. *in Hist.* Langob. *non edita, qui utique fallitur, nam* Beneventum *Imperator ingressus est exeunte* A *anno* 866. *continuisque quatuor annis* Barim *obsedit, post quos est captus. Id igitur contigit anno* 871. *faventque mihi Annales* Francorum *editi a* Pithœo, *quibus in præscripto anno habetur,* falsum tunc exivisse rumorem *Hludovicum Italiæ* Imperatorem ab *Adelgiso* Duce *Beneventano* insidiose peremptum fuisse. *At annum, quem dico, immo & mensem* Augustum *nostro Chronologo adsertum, certe voluit subobscurus Auctor modo editi Chronici Principum* Langobardorum, *& Abb.* Cassinensium; *cum ad finem adnotatis* Ludovici *annis, quibus ille mansit in regione* Beneventana, *ad annum quintum signavit menses duos; scilicet, quod* B *completis ab ejus adventu annis* V. *& mens.* 11. *fuerit ille captus, quem advenisse anno* 866. *mense* Junio *satis constat. Ejus autem captivitatis tempus incuriose non discrevit* Luitprandus *in vita* Joannis *Papæ* 8. *ab anno absoluti sacramenti, quo illum obstrinxerat, priusquam dimitteret,* Adelgisus: *utramque adnotans sub modo dicto Pontifice, qui exeunte anno* 872 *successit* Hadriano 2. *Pessimeque* Cedrenus *num.* 226. *aniles quoque alias admiscens fabellas a* Constantino Porphyrogenneta *libro de Admin. Imper. cap.* 29. *pariter relatas, tradit* Ludovicum *recepta* Bari Capuam C *abduxisse captivum* Soldanum Saracenorum, *totoque biennio ibidem secum habuisse, quo peracto, Imperatorem fuisse captum.*

Cedreni & Constantini Porphyr. censura.

VII. Sed dimissus ab eis districtus Sacramentis.

Quibus vero sacramentis, nullus e nostratibus dixit, quæ data utique adsentitur Ostiensis *loco sæpe relato. Produxit tamen illa Regino lib.* 2. Nunquam *scilicet* Imperatorem se diebus vitæ suæ *Beneventi* fines intraturum, neque ex calumnia, quam tunc patiebatur, vindictam aliquam exacturum; *Idque adfirmant exteri quoque omnes; additque* Luitprandus *prolata illa fuisse a* Ludovico multis adjunctis execrationibus. *At quanto ille* D *fuerit tempore apud* Beneventanos *captivus, nullus protulit.* Erchempertus *vero num.* 34. *aliquid submurmuravit, cum scripsit, quod* illius contemptum Divina defensio, nec in XL. distulit dies; *cujus sententiam interpretatus videtur Ostiensis, dicens:* Sed non in longum Deus passus est innocentem hominem frustra affligi, moxque intra quadraginta dies innumerabili *Saracenorum* exercitu ab *Africa* adventante, *Ludovicus* e custodia dimissus est. *At ab utroque discedit Anonymus* Salern. *in ea, quam laudavi, scripta Historia, adventum* Saracenorum *super* Salernum *adfirmans contigisse aliquanto post, quam* Ludovicus E *a* Beneventanis *dimissus fuisset; cui nescio an credam potius, quam* Erchemperto, *adeo ille incautus comperitur sæpe sæpius exstitisse.* Salernum *igitur* Saraceni *advenerunt, qui Imperatoris injuriam, Dei judicio, ulti sunt, quadraginta nondum exactis diebus ab ejus captivitate, proindeque mense* Septembri *ejusdem anni* 871. *Quo anno* Ludovicum *dimissum credere oportet ex rerum serie, quæ postea subsecutæ fuere; mihique adsentitur* Hermannus Contractus *in Chronico, qui cæterum, vitio, ut prædixi, aliis communi, uno, continentique anno commiscuit gesta, quæ discretis tem-* F *poribus accidere; eodem namque anno tradit illum a sacramento solutum a Pontifice* Joanne 8. *qui Papa renunciatus fuerat anno exeunte* 872. *sicut iterum monui.*

Ni mente me fallit, unus e nostris dixit Anonymus Salern. qui modo non est ad manus.

Anonymus Salern. passim hallucinatur.

VIII. Decessit a *Benevento*, & intra tres dies, ac noctes abiit *Berole.*

Exeunte ad summum anno 871. *quo dimissus est, posteraque die ab ejus solutione, ut* Regino *habet lib.* 2. *citatissimoque cursu, quod Ostiensis firmat lib.* 1. *cap.* 35. Berole *autem urbs est in* Hernicis; *Priscis* Latinis Verulæ: *hodie* Veroli.

IX.

IX. In qua deguit menses XI.

Scilicet ad exitum usque anni 872. *Quo intermedio tempore non semper* Verulis *mansisse esset credere ex* Aimoino, *qui lib.* 5. *cap.* 28. *habet eum coronatum* Romæ *a Pont.* Hadriano 2. *in Pentecoste anni quidem ad summum* 872, *quo exeunte* Hadrianum *obiisse traditur. At* Ludovici *coronationem recentiores figunt ad annum* 871. *quo jam vidisti illum* (Bari *tunc recepta*) *commoratum fuisse* Beneventi *quousque captivus est factus*, *& dimissus. Quocirca velint oportet*, *eodem anno captæ* Baris Romam *petiisse*, *ibidemque coronatum*, *iterum* Beneventum *regressum esse*, *ubi in vinculis positus fuerit*; *idque subindicari videatur ab* Aimoino, *qui tradit illum*, *coronationis solemnitate peracta*, exercitu collecto iterum in partes *Beneventanas* perrexisse. *Quibus equidem non obsto*, *namque* Aimoinus *annum coronationis non prodit*, *sed actam illam dicit post missos ab* Hadriano *Legatos* Constantinopolim *ad Synodum ibidem celebratam anno* 869. *A cujus dicto discrepantem non audio Anonymum* Salernitanum, *qui* Ludovicum *coronatum dicit Imperatorem eodem*, *quo ad hanc* Cis-Tyberinam Italiam *advenerat anno*; *Ille vero* Verulis *degens*, *pergit noster*.

Aimoino lux.

X. Postulatus a *Landulfo* Episcopo.

Concordat Erchempertus *num.* 35. *jam enim* Landulfum *in familiaritatem allexerat* Ludovicus, *tertiumque in Regno suo constituerat*, *ut idem habet* Erchemp. *num.* 36. *Atqui cur illi* Capuam *tunc non restituit? Certe id negat noster*, *sed an jure*, *constabit infra. Anonymus vero* Salern. *tradit* Landulfum *adcessisse ad* Ludovicum Papiæ *commorantem*; *sed more suo*, *hoc est inepte. Acta enim S.* Athanasii *Episc.* Neap. *lect.* 8. *tum nostri Chronologi dictum*, *tum annum a me consignatum firmant*; *cum habeant eosdem* Landulfum, *&* Athanasium *junctim* ad Imp. in *Sabinis* morantem, & ad villam *Veruli* venisse 3. Kal. *Julii* Indict. 5. *hoc est anni* 872. *Ex quo ineditum Chron. Episcopp.* Neap. *mendi argue*, *trandens* Athanasium (*prætermisso nomine* Landulfi) *adcessisse ad* Ludovicum *ex* Beneventi *carcere* Ravennam *recedentem*, *ab eoque obtinuisse militares copias in* Saracenos. *Acta tamen illa eo loci nec sine mendo. Tu vide.*

Novus Anonymi Salen. error.

Alia Acta S. Athanasii inedita dant ei comites Landulfum Episc. Capuæ, Legatum Salerni (sic interpungendum) & Apocrysarios Sedis Apostolicæ.

XI. Iterum venit *Capuam*.

Sacramentis solutus a Joanne 8. *& idcirco*, *ut citius*, *ineunte anno* 873. *nam exeunte anno* 872. *in Papam electus fuerat. De absolutione autem* Ludovici, *& conventu super hoc* Romæ *habito loquitur* Regino *lib.* 2. Otho Frising. *lib.* 6. *c.* 4. Gotfridus Viterbiensis *par.* 17. *&* Hermannus Contractus *in Chronico. Etsi* Regino *id actum dicit anno* 872. *anno scilicet citius*, *sicut* Baronio *pariter est adnotatum. Imperator vero antequam* Capuam *advenisset*, *per quosdam Comites suos*, *quos* Beneventum *miserat*, Saracenos *pertrivit*, *ut habet Anonymus* Salernitanus, *qui Comites dictos ait*, *alterum* Ardingum (*an illum qui in Annalibus* Francorum *alias relatis*, *& apud* Baronium *ad annum* 876. *num.* 16. *legitur subscripsisse coronationi Imperatoris* Caroli Calvi?) *alterum* Remedium: *quos socios habuisse addit Comites alios duos*, Lambertos *adpellatos*, *qui in* Ludovicum *conspiraverant*, Beneventum*que secesserant*; *Certeque* Erchempertus *num.* 35. *ei ex parte favet*, Lambertos *enim Comites iram* Ludovici *declinasse*, *& ad* Adelgisum *se contulisse adfirmat*, *additque quod eidem Principi opem illi tulerint in* Saracenos, *idque contigerit Imperatore jam e* Beneventana *captivitate abducto*; *quod* Ostiensis, *ut supra adnotabam*, *non rite prodidit*: *proque Anonymo*, *&* Erchemperto *stat* Guillelmus Bibl. *in* Hadriano 2. *pag.* 334. *Hos vero duos Comites Ignotus* Cassinensis *N.* 22. *non* Lambertos, *sed alterum* Lampert

Reginonis censura.

Concordes nostrates uno excepto Ostiense.

A (*quod idem sonat*, *ac* Lambert, *& Latine* Lambertus) *alterum* Ildepert *adpellat*; *idemque habet*, *illos* Ludovicum *persecutum fuisse* usque Marsim, *hoc est*, *ut* Ostiensis *interpretatur*, Marsiam; *eorundemque unum* Beneventi *constitisse*, *alterum apud* Saracenum Seodanum *in circumjacentibus* Barii *locis insidentem*, *aliquantisper latitasse*; *quibus tandem* Adelgisus *Imperatoris gratiam conciliavit*, *de quo in sequentibus. At* Ludovicus *per alios suos Comites*, *quorum alter ejus nepos* Gunthar, *alter* Suavius *dicitur Anonymo* Salernitano, *prope* Capuam *multa millia* Saracenorum *interemit*, *quod adnotavit* Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 35. *ad finem*, *idem-*

B *que voluit* Erchempertus *num.* 35. hoc solummodo memorabile bonum *operatum dicens* Landulfum Capuæ *Comitem*, *& Episcopum* a die ortus sui; *qui ab Imperatore exercitum petierat. Quibus peractis*, Ludovicus *tandem Capuam advenit*, *nepotemque in bello peremptum reperit*, *nam constiterat ille in* Patenara (*vulgo hodie* Cajanello *prope* Teanum) *ut idem* Salernitanus *Anonymus auctor est*.

XII. In qua uno anno commoratus.

Adsentitur Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 37. *Quo pariter tempore voluit* Ludovicus Beneventum *adquirere*, *ut* Erchempertus *habet num.* 36. *sed non*

C *valuit. Eademque tradit* Aimoinus *lib.* 5. *cap.* 30. *dicens*, *quod ille* in *Capua* residens (mortuo jam *Lamberto Calvo*, & appulso *Patritio* Imperatoris *Græcorum* cum exercitu in civitatem, quæ *Hydruntum* dicitur, in auxilium *Beneventanorum*; qui censum, quem Imperatoribus *Franciæ* eatenus dabant, illi persoluturos promittebant) quoniam aliter *Adelgisum* obtinere non poterat, mandavit Apostolico *Joanni* compatri *Adelgisi*, ut ad eum apud *Capuam* veniret, & sibi *Adelgisum* reconciliaret, volens ostentare, quod tanquam intercedente B. *Petri* Vicario ipsum *Adelgisum* reciperet; de quo juraverat (*in conven-*

D *tu* Romæ, *ut puto*, *quando ab altero sacramento solutus fuerat*) quod nunquam de illis partibus rediturus esset, antequam illum caperet; cum re vera virtute sua illum obtinere non posset. *Hactenus* Aimoinus, *qui nullibi annum signate prodit*; *sed ista hoc anno* 873. *acta fuisse video placere magnis viris* Sigonio *&* Baronio, *aliisque. Concordatus tamen tunc est* Ludovicus *cum* Adelgiso, *cui*, *& Comitibus*, *qui ad eum confugerant*, *veniam dedit*; *quibus peractis* Franciam *tandem rediit*, *ut Ignotus* Cassinensis *tradit num.* 22. *ad finem. Verum alii aliter de irrito conatu* Ludovici *scriptum reliquere*, *quippe qui dicunt illum* ne a

E suis perjurus diceretur (*verba sunt* Reginonis *lib.* 2.) nequaquam contra Tyrannum (*sic adpellat* Adelgisum) processisse, sed Reginam cum exercitu direxisse. *Quod pariter habent* Otho, *&* Gotfridus *locis supra indicatis. Ipseque* Regino *tradit*, *quod Princeps in Insulam* Corsicam *secessit*, *ubi ad tempus latuit*; *cui subscribit* Otho, *&* Sigebertus, *itemque* Gotfridus; *sed iste in* Sardiniam *dicit illum commigrasse*.

Nostrates ab exteris scriptoribus discrepant.

XIII. Reversus est in *Franciam*.

Igitur Capua *discessit* Ludovicus *anno* 874. *idque placere video* Ostiensi *lib.* 1. *cap.* 37. *Ille enim habet*, *quod* Imperator cum per annum fere *Ca-*

F *puæ* remoratus fuisset, sublato corpore B. *Germani* ejusdem civitatis Episcopi, demum *Franciam* est reversus: moratus per diversa loca in partibus istis per annos circiter sex. *At eodem* Leone *adfirmante* Ludovicus *advenerat in* Junio *anni* 866. *integroque anno* 872. *tum* Verulis, *ut dictum est*, *tum* Romæ *mansit. Complentur igitur anni sex initio anni* 874. *mensibus aliquot superadditis*, *quos ille indicavit ea dicendi usus forma.* per annos circiter sex. *Pariterque indicavit*

Lux Chronico Principum Langobard. & *Abbatium* Cassin. *modo edito.*

Auctor Chronici Principum Langobardorum, & *Abb.* Cassinensium, *notans septem annis, incompletis scilicet*, Ludovicum *apud nos mansisse*; *cujus Chronologi de reliquo mentem eo loci haud capies, nisi interpreteris postremos duos annos ab eo immediate suppositos anno quinto* Ludovici, *ex parte esse adnumerandos intercalato prius anno uno, quo* Verulis *ille mansit*; *coactam enim omnium annorum summam, quibus Imperator* Cis-Tyberina *in* Italia *moratus fuerat, rotunde, ac more suo, non autem explicate Auctor ibi tradidit.* Capuæ *vero* Ludovicus *conjugem, natamque suam reliquit, ut* Erchempertus *auctor est num.* 36. *sed non hoc consilio, ut in Principem* Adelgisum *uxor irrueret, cui concordatus fuerat, ut ex Ignoto* Cassinense *est manifestum: sed alio, quod subodoro in* Aimoino *lib.* 5. *cap.* 28. *si ejus sententiam rite capio*; *quod scilicet seductus Imperator fuerat a suis Proceribus, qui Imperatricem* propter suam insolentiam habebant exosam; *illumque eo adegere, ut nuntio illam monuerit*; ne post se pergeret, sed in *Italiam* reversurum expectaret; At illa non obediens illius mandatum, post eum ire maturavit. Ludovicum *vero tunc in* Franciam *reversum, productus adfirmat* Ostiensis, *Ignotusque* Cassinensis *relato num.* 22.

Lux Aimoino.

XIV. In qua eodem anno defunctus est.

Pithœus *ad Annales* Francorum *a se editos quærebat de loco, quo* Ludovicus *obiisset*; *textus enim Annalium deficiebat. En igitur locus est* Francia. *Falsus igitur* Sigebertus, *qui in* Italia *decessisse illum dixit, maleque accepisse videtur verba Mariani Scoti sic habentis: Ludovicus* Imperator Cæsar *Italiæ* obiit. *iis namque tum Imperatoris ditio, tum mors declaratur, nil adserto de loco obitus, sicuti prædictorum Annalium utroque antiquior auctor indicat, immo proclamat dicens:* Interea *Hludovicus Italiæ* Imperator . . . . cujus corpus translatum, *Mediolani* in Basilica S. *Ambrosii* sepultum est. *At quo anno diem obierit ille, variant auctores.* Regino *lib.* 2. & *ejus perpetui assecla* Marianus Scotus *lib.* 3. & Otho Frising. *lib* 6. *cap.* 6. *obitum figunt ad ann.* 874. *quod placuisse video nostro Chronologo*; *uno enim, eodemque anno discessum ejus, & mortem dicit contigisse. Annales vero* Francorum *modo dicti, recentioresque omnes ad annum notant* 875. Sigebertus *ad annum* 876. *Qui autem mediam veriorem credidere sententiam, hanc pariter hujus Chronologi mentem fuisse credent*, Ludovicum *nempe vita functum non eodem, quo* Capua *abscessit anno, sed quo in* Galliam *pervenit*; *iisque plane non invitus adsenserim, licet priorem sententiam ad* Erchemperti *oram num.* 36. *sim secutus, quod* Regino *ejus auctor eadem fere vixit, scripsitque ætate, qua* Joannes *Abbas* Cassinensis, *cui hoc tribuo Chronicon*; *visum enim est mihi talem tunc viguisse apud auctores opinionem.*

Sigebertus *hallucinatur.*

Mens nostri Chronologi haud aperta.

XV. *Landulfus* autem Comes, & Præsul ante adventum Imperatoris.

Quousque Capuam *obtinuerat annis* III. & *mensibus* IX. *scilicet ad mensem usque* Septembrem *anni* 866.

XVI. Et post decessum ejus tenuit *Capuam* annis XII.

Integrum Dynastiæ Landulfi *tempus, qui interruptis vicibus bis* Capuæ *præfuit, annos non excessit duodecim, eique dimisit illam Imperator cum ultimum* Capua *discessit. Hoc vult noster, tum hoc loco, tum in Auctario, quod ad oram Historiolæ Ignoti* Caff. *adposuit ad num. scilicet* 32. *At decesserat* Ludovicus (*sive de obitu, sive de discessu id accipias*) *anno* 874. *Igitur Præsul, & Comes* Landulfus, *qui paulo ante* IV. *Idus* Martii *vita est functus, sicut ex* Erchemperto *constat num.* 40. *ad annum advixit* 882. *certeque ea fuit nostri Chronologi mens*; *ab hoc enim anno tempora subsequentium Comitum ille subduxit, qui ad* Atenulfum *cum pervenisset, decem ei annos in Comitatu dedit, ut alibi dixi*; *namque sat illi constabat* Atenulfum *Principatum adripuisse in anno nongentesimo, & ab falso credita Epocha receptæ Dynastiæ, & mortis* Landulfi, *decem solummodo eidem* Atenulfo *annos remansisse, adtributis reliquis, ut oportebat, tribus aliis interpositis Comitibus. Sed lapsus ille est, tum de receptæ Dynastiæ* Landulfi *anno*; *tum vero de aliis omnibus juxta eandem Epocham subductis ratiociniis:* Landulfus *enim Episcopus in* Aprili *anni* 879. *inter vivos esse desierat, ut constat ex Epist.* 168. Joannis *Papæ* 8. *nec non* Atenulfus *sub Comitis nomine integris annis tredecim* Capuæ *præfuit, quod nullo potest modo denegari*; *ejus enim Comitatum invasit Sabbato post Epiphaniam VII. Idus* Januarii, *hoc est anni* 887. *ut testis est omni exceptione major* Erchempertus *num.* 64. *quod nec ipse negabit Chronologus hic idem noster, tum in Auctario ad num.* 32. *Ignoti* Cassinensis, *tradens id contigisse in* Januario *Indictionis quintæ, hoc est prædicti anni* 887. *tum in hoc Chronico num.* 9. *quo loco habet in secundo anno Comitatus ejusdem* Atenulfi *Indictionem percurrisse sextam*, quando ad S. *Carsium* interfecti sunt *Neapolites* a *Capuanis eaque Indictio contigit anno* 888. *His igitur firmatis, singulisque tribus Comitibus, sive Gastaldis a* Landulfo *ad* Atenulfum *interjectis suæ Dynastiæ annis adtributis, idque juxta subductionem nostri utique auctoris, jam illud, quod mirabar, satis constabit, Episcopum scilicet* Landulfum *Comitis munus reciperasse jam olim, prius quam* Ludovicus *ultimum ad hæc loca rediisset, integroque anno* Capuæ *mansisset, immo ab anno* 870. *exeunte*; *a quo tempore ad ejus obitum, qui contigit initio mensis* Martii 879. *adnumeratis una annis tribus, & mensibus novem, quibus ante adventum Imperatoris* Capuam *obtinuerunt, duodecim integris præfuit annis, quod adseruit noster, idque in tabella sic explico.*

Chronologi nostri lapsus.

862	1	*Annus incipit a* Decembri. *Finitur anno*
863	2	
864	3	*Annus incipit a* Decembri. *Finitur anno*
865		*Mense* Decembri *non exacto.*

Menses novem, post quos advenit Ludovicus, & Landulfus *cessavit, decurrente interim anno quarto eius Dynastiæ sunt:* Januar. Februar. Mart. April. Majus. Jun. Jul. Aug. & Septem. *anni*

866 4 *Annus decurrens. Exeunte anno* 870. Capuam *recepit, ut dictum est, & reliqui tres menses, quibus quartus completur annus, sunt* Januar. Feb. & Martius *non exactus anni.*

871	5	*Annus incipit a* Martio. *Finitur anno.*			
872	6	873	7	874	8
875	9	876	10	877	11
878	12	*Annus incipit a* Martio. *Finitur anno*			
879		*Mense* Martio *non exacto.*			

VI.

PANDONULFUS nepos ejus factus est Comes *Capuæ*, qui completis in Comitatu annis III. & mensibus octo, expulsus est.

879	1	*Annus incipit a* Martio. *Finitur anno*
880	2	
881	3	*Annus incipit a* Martio. *Finitur anno*
882		*Mense* Martio *non exacto.*

Menses octo sunt: April. Majus. Jun. Jul. August. Septemb. Octob. & Nov. *non exactus ejusdem anni.*

VII.

LANDO pater *Landulfi* Episcopi fuit Comes *Capuæ* ann. II. mens. X.

882 1 *Annus incipit a* Novemb. *Finitur anno*
883 2 *Annus incipit a* Novemb. *Finitur anno*
884 *Mense* Novembri *non exacto.*

Menses decem sunt: Decemb. *ejusdem anni.* Jan. Feb. Mart. April. Majus. Jun. Jul. Aug. & Sept. *non exactus anni seq.*
885.

Chronologus noster bene olim recensius.

Concordat de tempore initæ Dynastiæ Landonis *Codex antiquus hujus Chronici, qui est apud Abb.* Constantinum Cajetanum, *habet enim* Landonem *Comitatum suscepisse Kal.* Novembris *Indict.* I. *hoc est anni* 882. *quod pariter exhibet* Cassinensis, *sed ad oram aliena manu, & sane antiqua adnotatum. At hic* Lando, *qui pater dicitur Episcopi* Landulfi, *ejus scilicet, qui schismate fuerat ejectus, & a* Joanne *Papa* 8. *in* Berolassi *fuerat constitutus, eidem nostro Chronologo in Auctario ad Ignot.* Cass. *num.* 32. *adpellatur frater, sicuti hoc ipso in Chronico hoc pariter loco exaratum olim habebatur, ut alibi monui, & recentior aliquis, priori voce abrasa hanc intulit, quam repræsentavi, eaque est plane retinenda; firmat enim illam idem* Joannes 8. *qui Epistolam signatam num.* 289. *scripsit: Leoni* Episcopo *Teanensi, Landulfo* Episcopo, & *Landoni* Gastaldeo patri ejus. *Certeque hic est ille* Lando, *qui, ut* Erchempertus *tradit num.* 62. ab *Atenulfo*, & ejus fratribus Gastaldus constitutus fuerat in his, quæ ad eos pertinebant. *Idemque segnis ille, de quo idem* Erchempertus *num.* 40. *germanusque exstitit* Atenulfi, *a quo nil sibi præcavens (eodem auctore* Erchemperto *num* 62. & 63.) Teanum abiit curandus a languore, quo detinebatur.

VIII.

LANDENULFUS frater ejus vicem illius tenens anno I. mens. IV.

885 1 *Annus incipit a* Septemb. *Finitur*
886 *Mense* Septemb. *non exacto.*

Menses quatuor sunt Octob. Novemb. Decemb. *ejusdem anni*, & Januar. *non exactus anni sequentis* 887.

Concordat, ut prædixi, idem Chronologus in Auctario ad Ignotum Cassin. *num.* 32. & Erchempertus *num.* 64. *qui pervasum ab* Atenulfo *Comitatum tradunt* Indictione quinta, Sabbato post Epiphaniam, hoc est VII. Idus *Januarii. Quæ utique dies Sabbati in septimum Idus prædicti mensis incidit anno* 887. *quo jam dicta percurrebat Indictio. At hujus* Landenulfi *nulla est mentio Dynastiæ in toto* Erchemperto, *eo quod, ut reor, non ille Comes, nec Gastaldus fuerit* Capuæ; *sed, ut noster habet*, vicem fratris Landonis *gesserit intermedio illo tempore ejus ægritudinis*, Teanensisque *secessus. Nec plane alio, quam vicario nomine* Landenulfum *præfuisse credam; siquidem ex* Erchemperti *adtextatione num.* 62. 63. 64. & 68. *novi, solicitudinem de pervaso ab* Atenulfo *Comitatu maxime* Landonem *segnem spectavisse, tunc utique Comitem, ejusdemque* Atenulfi *germanum fratrem; quos una simul in nocturno illo discidio ab eodem* Atenulfo *excitato crediderunt contra se adstitisse eorundem patrueles, filii scilicet illius* Landonis, *sub quo nova* Capua *est condita, quibuscum concorditer egerant abusque tempore ejecti* Pandonulfi. *Si qua vero vicariæ* Landonulfi *potestatis est in* Erchemperto *memoratio, non alia utique erit, nisi quæ illius habetur mentio ad extremum num.* 63. *quo loco traditur ob ejus discessum ab urbe* Atenulfum *opportu-*

Chronologo nostro, & Erchemperto lux.

A *nam nactum esse occasionem* Capuæ *invadendæ. Quo loci prior editio* Landulfum. *non.* Landenulfum *exhibet, contra fidem utriusque Papyracei Codicis, quos vidi, atque sequi est visum. Ancipiti autem sententia virum duplici nomine demonstravi in* Erchemperti *Face, & in Stemmate Comitum* Capuæ *num.* 15. *quoniam ille aptus non erat locus ista fusius admonendi.*

IX.

I. *ATENULFUS* Comes, quam annis XIII. MIRIFICE regens.

887 1 *Annus incipit a* Januario. *Finitur*

888	2	892	6	896	10		
B 889	3	893	7	897	11		
890	4	894	8	898	12		
891	5	895	9	899	13		

Anno Nongentesimo mense Januario
Finitur annus 13. *Comitatus* Atenulfi, *quo factus est Princ.*

II. Postea factus est Princeps *Beneventi.*

Epocha Principatus Atenulfi Magni Principis firma.

Membranæ omnes, quas pluribus in Archivis inspexi, in designatione annorum Principatus Atenulfi *indicant illum Principatum adeptum jam dicto anno, & mense: non post.*

III. Complensque in Principatu annis. X. & mensibus VI.

C 900 1 *Incipit a* Januario. *Finitur*

901	2	904	5	907	8
902	3	905	6	908	9
903	4	906	7	909	10

Incipit a Januario. *Finitur anno*
910 *Mense* Januario.

Menses sex sunt: Febr. Mart. April. Majus. Jun. & Julius *ejusdem anni.*

IV. Vita privatus reliquit eum filiis suis Domino *Landulfo*, & Domino *Atenulfo* Christianissimis Principibus.

Concordant membranæ, in quibus adseritur Landulfus *filius Princeps una cum patre* Atenulfo *ab* D *anno* 901. *ideoque annis Principatus inæqualibus, & post patrem una cum fratre* Atenulfo *juniore ab anno* 910. *post Mensem* Septembrem, & *ante* Decembrem: *regresso scilicet* Landulfo *e* Constantinopoli *post mortem patris, & communicato tunc Principatu fratri suo, sicut* Ostiensis *tradit lib.* I. *cap.* 51. *Cujus certe consilio partus a Patre Principatus, eo defuncto, fratreque illo temporis momento absente, servatus est; ni prior ille* Atenulfus, *qui* Magnus Princeps *dicitur in scripto Chronico antiqui, & nobilis Monasterii Sanctissimæ Trinitatis* Cavensis, *summa providentia sibi, posterisque præcaverat ab omni suæ novæ Dynastiæ periclitatione.* E *Quod esto fuerit, frater tamen fratri non eam præripuit, sed servavit, quem in Archivi* Cassinensis *chartula tunc, cum aderam, Sacculo inclusa* 165. *adpellatum reperi per antecedentes annos Comitem* Teani; *quæ plane urbs prima super cæteras omnes Comitatui, atque Principatui* Campano *subjectas semper fuit habita;* Campani *namque Comitatus Dynastæ, sicut ex* Erchemperto *pluribus in locis, ex Ignoto* Cassinense *num.* 23. & 26. & *ex Capitulari Principis* Sicardi *num.* 13. *constat, obtinuere quidquid a* Casertana, *ac* Suessulana *urbe in longum protendebatur adusque* Aquinensem, & *quandoque* Soranam; *inque latitudinem a* Calatia *ad maris* Tyrrheni *littus,* F *adque ostia* Literni, Volturni, & Liris, *ultra, citraque.*

Germani fratres Campani Principes summa caritate concordes.

Priscorum Campanorum Comitum ditio.



DE

DE FRAGMENTO HISTORIÆ
ANONYMI BENEVENTANI.

Historiam Erchemperti æmulati sunt Beneventanus, *&* Salernitanus, *viri Anonymi.*

POstquam Erchempertus *omnium primus Historiam* Pauli Diaconi, *ut alio est adnotatum loco, ad sua deduxit tempora, illius exemplo, sed annorum intervallo peracto, eandem provinciam suscepere ignoti modo nominis duo viri, patria alter* Beneventanus, Salernitanus *alter, de quibus ordine disseram, & prius de* Beneventano. *Is nulli hactenus, nec antiquo, nec novitio memoratus scriptori, nullius pariter Historiæ reputatus est auctor; ac si qua hujus Fragmenti olim habita est notitia, ea talis extitit, ut inde creditum illud fuerit pars Historiæ* Erchemperti, *in cujus scriptis Codicibus continenti habetur textu, nullo discriminis indice eidem præfixo. At idemmet ipsum prodit se integri alieni operis divisam remansisse portionem, si modo quæ inibi primo occurrunt loco, attente observentur verba; iis enim alteram præcessisse narrationem oportet, qua Principis* Ajonis *gesta fuerint descripta; ex quibus non utique credam ignotum hunc auctorem suam exorsum Historiam, hoc est a temporum, & Principis enarratione, quæ nullum peculiaris operis argumentum suppeditabat: quinimmo* Erchemperti *æmulatione Auctarium quoque suum* Paulo Diacono *illum superaddidisse non diffiteor, quod propositum pariter insedit Anonymo* Salernitano, *de quo suo loco nullus erit scrupulus; sed* Beneventanus *peritior utroque fuit: altero scilicet, temporum ordinem diligentius custodiendo, altero vero, prudentis scriptoris perpetuo normam servando. Cui haud leviter profuit patriam habuisse* Beneventum, *urbem perditissimis etiam sæculis numeroso literatorum virorum florentem choro, sicut Anonymus* Salern. *tradit in Historia* Langob. *non adhuc edita, dicens:* Tempore, quo Ludovicus, (*Imperator scilicet* Lotharii *filius,*) præerat *Samnitibus*, triginta duos Philosophos *Beneventum* habebat. *Quo vocabulo prisci illi adpellare consuevere artes sectantes humaniores. Sed hujus nostri Anonymi politior ruditas in illam me duxit, quam initio indicabam, opinionem, ut advixisse illum putem ætate aliqua post* Erchempertum, *proindeque sæculo aliquantulo excultiori, ultra quem suam perduxit Historiam; etsi adfirmare non ausim, Anonymo* Salernitano *æqualem fuisse, necne. Verum de his cum valde solicitus non sim, illud quidem pro comperto habendum puto, utilissimum hoc Fragmentum* Beneventano *auctori concedi debere, qui in ejusdem urbis præ cæteris immoratur rebus, notitia, & amore, tum adjuvante, tum impellente peculiari. Nec plane, nisi* Cis-Tyberinæ Italiæ *municipem opinari illum oportet, qui extremo num.* 4. *dicit,* Græcos *aliquando disposuisse* (*verba ejus dabo*) universos *Beneventi* Cives, & reliquos istius patriæ ferreis vinculis nectere, & eos de sua regione transferre. *Deque eo satis.*

Sed Beneventanus *utroque peritior.*

Certeque Beneventana *exortus urbe.*

FRAGMENTUM
HISTORIÆ LANGOBARDORUM
INCERTI AUCTORIS, sed patria BENEVENTANI.

I. VRsus filius prædicti *Ajonis*, puer decennis, sedit annum unum; cujus tempore *Symbaticius* Straticos cum valida manu *Græcorum* [1] venit *Beneventum* tertio Idus *Julii*, obseditque eam usque XV. Kalendas *Novembris* diem; quo benigne paciscens, in ea ipse ingressus eodem die, completis CCCXX. annis, & aliquot mensibus a *Zoto* primo Duce *Beneventi*, quibus *Langobardi* primatum tenuere *Beneventanæ* Provinciæ.

II. Prius tamen, quod ista contingerent, temporibus *Gaideris*, & *Radelchis*, seu *Ajonis* Principum, ingens Locustarum multitudo invasit *Calabriam*, *Apuliam*que, & *Samnium*, & quasdam partes *Italiæ*. Deinde postquam jam dictus *Ursus* puer principari cœperat, Stella Cometes terribiliter longis effulsit crinibus per dies aliquot; [2] Cui quidem *Symbaticio* successor extitit Geor-

A gius Patricius; quo *Beneventi* commorante non post multum tempus fax terribiliter a parte Meridiana longo tractu effulsit, deinde post dies octo similiter fax ab Oriente emicuit penes ad Occidentem, quæ postquam desinere cœperat, facta est velut species Draconis, aut Litteræ. Deinceps iverat ad obsidendum idem Patritius *Capuam*; eoque ibi consistente, denuo fax a Meridiana plaga cucurrit, & post modicum ab Aquilone, & post paululum ab Oriente, & post aliquot dies ab Oriente, & post aliquot dies ab Occidente; quater enim illis diebus effulserat.

B III. [3] Subsequenter vero *Arnolphus* Rex *Gallorum* intravit *Italiam* cum multa multitudine, veniens usque ad *Ticinum*, cupiens pertingere *Romam*. Sed idem fame, & intemperie aëris compulsus, reversus est ad propria. Eo autem tempore *Guido*, qui cum *Berengario Foro-Juliense* duo civilia [4] egerat bella, Rex erat *Italiæ*, qui tunc [1] aufu-

[1] anno 891. Vide me ad Chron. Ducum, & Princ. *Beneventi.*

[2] anno 893. ineunte.

[3] anno 894.

[4] anno 889.

[1] aufugerat in partibus *Spoletii:* qui post paululum vomitu sanguinis ab hac luce subtractus est. *Lambertus* denique ipsius *Guidonis* filius patri successit in Regno.

[1] anno 894. sequor *Reginonem*, a quo discrepat *Luitprandus*.

IV. Denique hinc factus est eisdem diebus fere per omnem *Samnium*, & *Apuliam* terræmotus ingens: Subsequta est inde sub præfato Patritio concrematio ferme mediæ Civitatis *Beneventanæ* ab Ecclesia Sancti *Renati* sursum usque ad *Portam Auream*, eodem die, jam [2] tertio anno completo postquam obsideri cepta fuerat civitas. Postea quidem multoties apparuere eadem signa facularum per diversa loca; sed terribilius illud non fuit, quam quod in *Apulia* apparuerat: flamma enim longa ardere visa est ab hora secunda pæne usque ad horam diei tertiam. Demum vero sequuta est plaga camparum, quæ cunctas teneras fruges, etiam & frondes arborum, in quibusdam locis funditus absumpserunt per *Beneventanam* Provinciam. Modico autem tempore elapso, *Georgius* Patritius molestia tactus est corporali: Paralysiæ enim subito dissolutus, diu jacuit mutus, & infeliciter diem clausit extremum. Iterum ab Oriente ad partem Meridianam fax solita emicuit, & denuo Cœlum scindi noctu visum est, & longo tractu eadem scissio mansit. [3] Successor vero eidem *Georgio* Patritius quoque *Barim* consistente, *Guido* Dux, & Marchio advenit *Apuliam*. His quidem diebus *Theodorus Turmaca Benevento* præerat, qui audiens adventum *Francorum*, nimio timore concutitur; tamen de custodia, & vigilibus Urbis plurimum manebat solicitus, & quia prædictus *Barsati* manum conferre cum *Gallis* non præsumebat, ipse *Theodorus* ad eum miserat, postulans, ut sibi *Santem* mitteret solacium ad *Beneventi* mœnia conservanda, seu *Langobardos* capiendos secum morantes, quos valde pavebat. Sed aliter hinc Divina providentia, quam humana malitia disposuerat; petitum namque adjutorium jam ei veniebat, sed & *Francorum* solertia istud præsenserat, & ad *Beneventanorum* auxilium valide festinabat, prius autem longe posuit Castra. Hoc præterea *Graja* turba cognoscens, noctu silenter volvit. *Beneventi* quidem ejus cives, veluti proprios servulos captabat, minis, verberibus, angariis diversis, terroribus assiduis, nulli honorem, reverentiamque servando, nulli unquam veritatem dicendo, nullique fidem custodiendo, perjuria quoque, seu adulteria publica, vel privata, & diversas fornicationes, & multimoda furta pro ludo habebat. Si quando vero aliquis violentatus ad eos proclamare præsumpserat, pugnis, alapis, taureis, fustibusque cæsus recedebat, probans, ut clarum fieret, nihil in eos esse boni, quos *Christus* odit, quos *Sathanas* diligit, cujus discipuli sermone & opere comprobantur. Ipsi autem ad ultimum certius disponebant universos *Beneventi* cives, & reliquos istius patriæ ferreis vinculis nectere, & eos de sua regione transferre, sicut olim nequissimus Rex eorum antiquus dolose agere voluit [4] *Geremitis*. Ideoque in eorum odium fere omnes cultores *Apuliæ*, *Samnii*, *Lucaniæ*, & *Campaniæ* conspiraverunt.

[2] anno 894.

[3] anno 896.

[4] Forte *Geronitis*, nam *Gerio* *Livio*. *Gerunium* *Polybio*. *Geronium* *Antiq. Itiner.* Oppidum *Apuliæ*.

Deest Græcorum *ejectio e* Benevento *per* Guidonem *Ducem*; *de qua* Leo Ostien. *lib.* 1. *cap.* 48. *sed fusius Anonymus* Salern. *infra part.* 4.

V. Paucis demum [5] elabentibus diebus, idem Marchensis suasus, immo impulsus a quibusdam maliloquis, & invidis viris cepit eundem Præsulem, qui ei *Beneventum* (K) iraliter præbuerat, extorremque eum *Salernum* fecit degere per quatuor menses; de quo ingens mœstitia erat *Beneventi*, quoniam quasi viduatum ipsius videbatur ovile, dolebantque plurimum ejus oves, quia

[5] anno 896.

(K) *hilariter*.

A ipse insons damnatus fuisset. Sed maxime mœstificabantur, quod hoc de illo contigerat, quod de nullo antecessorum. Præsulum nullæ literæ, nulla ætas meminerat *Beneventanum* Pontificem captum, & Cathedram ejus taliter viduatam. Postea vero idem Marchio agnoscens flammam invidentiæ adversus eundem ardentem, & doloso commento ivit *Salernum*, & satisfaciens jam dicto Præsuli, etiamque lachrymas largiter fundens, pœnituit se pro sua temeritate, eundemque revexit *Beneventum*, honorifice ipse suæ restituit Sedi. Quod autem gaudium, & quæ fuerint lachrymarum flumina fusa præ gaudio, B quis narrare valet, seu describere? cum, & pastor ovibus & oves pastori restituerentur. Deinceps quoque idem Marchensis miro illum semper coluit affectu, dignaque habuit veneratione, fidemque ei per omnia adhibens indubitabilem: compererat enim veraciter quantæ stabilitatis, & veritatis ille vir fuerit erga eum, & quia frustra adversum ipsum processerat susurrantium virulenta fallacia.

VI. Iisdem ferme diebus *Guaimarius Salerni* Princeps *Beneventum* properabat, cupiens, ut fama sparserat, utcumque etiam ipsam suæ subderet ditioni; cujus quidem cives eum oderant, & C pavebant plurimum propter infamiam suæ crudelitatis, atque instabilitatis. Veniebat tunc quasi simpliciter ad jam fatum Marchensem, veluti ad cognatum, cujus idem Princeps sororem habebat jugalem. Sed dum *Avellinum* Oppidum adesset, cujus Gastaldus tunc erat *Adelpherius* nepos magni *Rofrit*, eum ipse noctu cepit, ejusque die altero eruit oculos: fama namque vulgaverat, quia idem Princeps jam dictum *Adelpherium* prius capere machinaretur. Sed ille insidias anticipasset festinus. Quo acto, plurimi gratulabantur, maxime, quia rumor erat, quod ipse laqueos præfato Præsuli tetendisset, & foveam, D in quam cecidit, præparasset. Sed idem Præsul benigne de eo condoluit, nitebaturque, ut vel post damna luminum eriperetur, ne tam misere obiret. Marchensis autem hostiliter mox *Avellinum* perrexit, quod machinis, & diverso oppugnationum apparatu circumdans, tandem recolligit eum, & abunde lacrymans, ad propria abire concessit. [7] Interea prædictus Marchio *Spoletium* perrexit, Imperatorem *Lambertum*, ejusque matrem Imperatricem cernere cupiens, ibant enim *Romam* ad Apostolorum limina, cum quibus & idem ire gestiebat. [7] anno 896.

VII. Paucis quoque post hinc [8] diebus elapsis [8] anno 897.
E *Stephanus* Vicarius Apostolorum *Formosum* Papam prædecessorem suum ex sepulchro abjecerat, irritas faciens cunctas ipsius ordinationes; cujus corpus post menses XI inventum est integrum; quod dum huc, illucque crebrius jactaretur, etiam sanguis exiit, tanto jam tempore elapso.

VIII. *Beneventum* [9] interea regimine præfati [9] anno 896.
Petri Pontificis gubernabatur, cui eam ipse Marchio reliquerat, quam *Argiva* phalanx, seu latronum manus assidue incursabat; tamen prope *Beneventi* mœnia minime accedebant, quia solicita cura ipsius Præsulis undique plurimum insistebat, ne probis suis civibus damna inferrent; F ideoque etiam cursim [10] misit, ut dicta Augusta [10] anno 896.
Beneventum adveniret. Inter hæc graves, valdeque juges fuere imbres: proinde *Sabatum*, & *Calor* Flumina ultra solitum intumuere, ita ut etiam super Pontem *Caloris* Fluvii undæ influerent, quod nunquam fieri meminit ætas.

IX. Dehinc non prolixum tempus effluxit, & *Capuanenses* ivere *Parthenopem* prædatum, utpote quoniam crebro inter eos odium pullulabat, inter quos erat etiam jam nominatus *Adelpherius*.

Quos dum *Parthenopenses* * quærentur cum *Beneventanis*, & aliquos *Agarenses* peremerunt ex eis, & quosdam ceperunt, inter quos etiam captus est *Adelpherius*, quamvis viriliter egisset, & *Neapoli* in vinculis positus; prius enim *Avellino* evectus *Capuam* iverat. Sed quia supernam sententiam nemo valet effugere, en captus est, qui ne caperetur, providere satagebat; sed Deo tuente, evasit incolumis, quem superius nominatus

A *Guaimarius* suo ab amico *Athanasio* Episcopo ob vindictam omnimodo reposcebat.

X. Postea [1] vero præfata Imperatrix, anno uno, & octo mensibus expletis postquam *Graji Benevento* fuerant expulsi, in eadem ingressa est pridie Kal. *Aprilis* & paulo post longe superius nominatus *Radelchis* fratrem suum *Beneventano* Principatu restituit, qui fere XII annis ab eo fuerat expulsus.

[1] anno 898.

Nec plura in Scriptis Codicibus Papyraceis.

DE ANONYMO SALERNITANO,

Et ejus Historia.

Fusior Historia nostratium Langobardorum *nunquam integre evulgata, adsertaque hactenus eidem illi* Erchemperto, *a quo altera ejusdem argumenti edita habetur (brevior illa quidem, sed an jure Epitome fuerit adpellata videbitur infrà) Anonymum* Salernitanum *a me agnoscat auctorem. Cujus modo conditio clarior esse incipiet, quando obscuro, ignotoque, ac prorsus nullo nomine cœperit nuncupari. Sed, Lector, priusquam subnotata percurras, ne hariolare vanum me effutire somnium; nam constanter adsero:*

Anonymi Salern. vita, & scriptio.

I. *Fusioris Historiæ* Langobardorum *Principum.*

II. *Auctorem extitisse Ignotum civem* Salernitanum.

III. *Virum genere* Langobardum, *illustri loco natum.*

IV. *Vitæ instituto Monachum* Benedictinum.

V. *Ingenio, prudentia, & doctrina pucrili præditum, & excultum.*

VI. *Qui illam adgressus æmulatione Historiæ veri* Erchemperti.

VII. *Non uno in eam insudavit anno.*

VIII. *Quam perduxit ad tempora Principis* Capuæ Pandulfi Caputferrei.

IX. *Cui eam dono obtulit.*

X. *Eadem vivens ætate: integro sæculo posterior* Erchemperto.

Mihi non explicanda, priusquam scriptorum Codd. faciem enarrem, quibus ejus Historia habetur.

Sed rem attende an præstem, quam eodem hoc ordine edisseram, postquam scriptorum codicum, in quibus hujus auctori habetur Historia, imaginem descripsero, sive indiculum fecero Opusculorum, quæ in illis continentur; ex quo planiora haud dubie fient, quæ postmodum tradam; Scripti vero Codices sunt ipsimet illi duo Papyracei a me alio loco indicati, qui ex Frecciano *exemplo prodiere, unaque exhibent* Erchemperti *Historiam nunc iterum Typis commissam.* De Vaticano *autem nil pronuncio, etsi illum ex iisdem plane Opusculis compaginatum scio; namque oculis non inspexi, plenamque ejusdem non adhuc valui obtinere notitiam; quocirca malui de ipso tacere, quam vel incomplete dicere, vel de ignotis, aut temere, aut hæsitanter testificari. Extare vero in* Columnensi *Bibliotheca alterum antiquum scriptum Codicem numero signatum* 70. *testis est* Baronius *ad annum* 871. & 957. *Est quoque & alter in Bibliotheca* Aniciana; *sed utrumque mihi pariter non visum præterire cogor.*

Idque hoc Indice præsto.

In uno igitur ex Chartaceis mihi inspectis legitur primo loco Titulus libri his verbis conceptus: Historia *Heremperti* Viri Illustris ex prosapia Principum *Langobardorum. Cui subjicitur Index quidam*

B *rerum aliquot insigniorum, quæ toto libro continentur, coactarum ad universaliora quædam capita numero* 18. *Quo pariter Titulo prænotatum extitisse Scriptum Codicem, qui usui fuit* Baronio, *ipse clara adsertione ad annum* 787. *num.* 101. *quem dono se accepisse dicit ab* Antonio *de* Aquino *Episcopo* Sarnensi, *sicut testatus est ad annum* 871. *num.* 54. *Ille autem Membranaceusne fuerit, & antiquus, an vero Chartaceus, & ex* Frecciano *exemplo itidem exortus, haud certe novi; inferius tamen quid de hoc sentiam, non abscondam. Sed in altero Papyraceo, quod vidi, nil tale est, nec Titulus ille, nec Index, in quo similiter nec Glossæ, seu dicas*

C *Adnotamenta, insunt ad oram, quæ perpetuæ sunt in Codice præindicato. Quibus solummodo exceptis discrepantiis, ambo una consentiunt, & in utroque primo occurrit Admonitio quædam istiusmodi.* Incipit liber quarundam Historiarum, Dominorum, diversarum guerrarum Regni *Italiæ*, prout inventum fuit in quodam antiquo libro literarum *Langobardarum*; cujus libri principium non continebat, & propter hoc sicut incipiebat prædictus liber suas Historias recitare, ita nos incepimus in præsenti libro ipsius Historiæ scribere, & continuare. *Hactenus Admonitio; quam subsequitur Index nominum viginti Regum* Langobardorum Italiæ, *unicuique adscriptis sui Regni annis, sed librariorum vitio aliqua in numeris inducta*

Hoc et non alibi rat.

D *discrepantia. Post adnumerantur Reges* Franciæ *a* Pipino *seniore ad* Carolum Magnum, *a quo producitur series reliquorum Regum* Italiæ *ad* Othonem *usque tertium, cui in utroque Codice concorditer adscribuntur anni* XII. *Mox altera series subjicitur Ducum, & Principum* Beneventi *a* Zoto *ad* Radelchim: *illum nempe, qui ultimus Princeps fuit ex genere* Langobardorum, *qui* Beneventanam *urbem inhabitarunt. Post hæc, nullo interjecto, sive Titulo, sive notula, nec relicto interstitio, exhibetur Historia ista, de qua modo ago, quæ*

E *exorditur a monachatu* Carolomanni *Regis* Galliæ *his verbis:* Residente in Apostolica Sede *Zacharia* Papa, qui ob reverentiam Principis continuo inclinatus in universa *Italia* perpetuo viginti annorum spatio pacem, & concordiam ordinavit, *Karolomannus* filius *Karoli Francorum* Regis præsentis vitæ relinquens gloriam. *Et cætera ad verbum ex* Anastasio Bibliothecario *in* Zacharia *pag.* 113. *Deficit vero eadem Historia in enarratione obsidionis* Salerni, *quam Princeps* Capuæ Pandulfus Caputferreus *contra eam firmaverat, sicut erit videre in postrema illius parte, quam Typis modo committam. Infra in iisdem Codicibus subest exemplum Carminis olim positi in Sepulchro* Dauferandæ

al. per prio.

dæ *nobilis feminæ. Cui aliud est subscriptum Carmen ex Tumulo pariter exceptum* Rofrit *Illustris viri. Et huic subjicitur tertium Carmen, quod est post extremam partem hujus Historiæ a me adscribendum. His Carminibus, nullo distinctionis signo intercedente, adscritur brevis illis narratio postremorum quinque Regum* Langobardorum Italiæ, *quam initio hujus libri produxi. Post quam subsequitur Historia* Erchemperti *bis modo edita, nulla & ipsa Epigraphe præsignata. Subest postmodum brevis Epistola innominati* Romani *Pontificis ad Imperatorem* Constantinopolitanum *pariter innominatum, sive ad magnum virum ibidem degentem. Dehinc Capitulare est Principis* Sicardi, *quod in vulgus emisi. Infra adest Recordatio, quam dixere quoque Memoratorium de Curtibus, sive Fundis cujusdam viri* Potonis. *Mox additur Carmen* Arderici *scriptum ad* Rofrit *Illustrem virum. Inde est Glossariolum vocum* Langobardarum *numero fere* 120, *coactum, ut res ipsa indicat, ex libris Legum ejusdem gentis, & ex Historia* Pauli Diaconi. *Postea habentur aliquot collectiones annorum ad* Beneventi *Dynastas spectantes, quas ad calcem Chronici Ducum, & Principum* Beneventi *ejus Anonymus Auctor adtexuit, easque una cum eodem Chronico Typis suo loco tradam. Sequitur Fragmentum Historiæ* Langobardorum *Auctore Anonymo* Beneventano *una cum his Opusculis modo impressum. Infra adest Capitulare Principis* Radelchisi *Typis & ipsum a me traditum. Tandem librum claudit breve Carmen (ejusdem dicam versu)*

„ Ad *Landulfi* laudem sublimis Patritii.

cum adposita adtestatione innominati exscriptoris, qua adseritur extitisse in vetustissimo Codice, e quo is exemplum suscepit, Seriem quoque Summorum Pontificum, & Imperatorum Romanorum, *quam ille volens præterierat. Hisque subscribitur hujusmodi altera adtestatio.* Exemplata est hæc Historia *Heremperti* fideliter, & cum omni, qua potuit, correctione in hac dulcissima *Stabiensi* urbe. Die 16. *Octobris* 1560. *Mercodi. Quam* Marini Frecciæ *esse scio, etsi ille nomen ibi non adscripsit suum, quod libro* 1. *de Subfeudis Cap. de Prov. & Civit. Regni num.* 36. *exposuit, ut ad* Erchempertum *dixi. Hæc sunt igitur, quæ in præallegatis insunt Chartaceis Exemplaribus.*

Redeo modo ad rem; & primo. Anonymi Salern. Historia fusior est Historia Erchemperti.

I. *Quo præmisso Indiculo, ut tandem promissa persolvam quam brevissime potero, rem isthinc adgrediar. Et plane non ego inficior editam* Erchemperti *Historiam perplura nostratium* Langobardorum *gesta tradere, quæ in altera adhuc non edita pariter enarrantur stylo prolixiori; sed illam idcirco hujus Epitomen esse dicendam, nullus, ni fallor, qui locos conferat, adfirmabit unquam. Quis enim dicet Epitomen, quæ acta continet multa omissa in fusiori, istamque adfirmabit fuisse coactam in illam, quæ plurima versa vice exhibet, ne verbo quidem tenus ibi indicata? Tandemque quis credet Epitomes auctorem ætate potuisse præire integros annos centum, & supra, auctorem Historiæ prolixioris? Quæ omnia, tum ex inferius notandis, tum ex solis istis portionibus fusioris Historiæ, quas Typis tradam, facili conlatione erunt meridiana luce clariora. Inedita igitur Historia fusior plane est illa, quam scripserat jam olim* Erchempertus; *quippe quæ stylo, rebusque prolixior ab auctore fuerit efformata suo, qui, ut paulo post demonstrabo, etsi defectum præcedentis Historiographi aliquibus suppleverit in locis, ad decorem potissimum patriæ suæ scribendi onus suscepisse videtur.*

Ejusque auctoris nomen certe ignotum;

II. *At quod is, ut ulterius progrediar, sub ignoto nunc nomine sit demonstrandus auctor, res est communi doctiorum opinioni adversa, ipsaque multis abhinc annis male percepta; quare opus mihi e-*

A *rit paulo diutius in illa remorari. Et plane ex præfixo Scriptis Codicibus Papyraceis Titulo minime Historiam istam tribuendam esse* Heremperto, *iidem scripti libri verbis non dubiis proclamant; qui in Admonitione, quæ est post Titulum, ac post subnotata* 18 *Capita rerum memorabiliorum, testantur primum antiquissimum Codicem* Langobardicis *literis exaratum, ex quo ipsi exscripti fuerant, nulla prorsus Epigraphe præsignatum extitisse, sicut in præmisso Indiculo est dictum. Quocirca necesse est, ut non genuinus, sed superadditus credatur fuisse Titulus ille, illæque conlectiones ab aliquo neoterico, qui memoriæ consulens, illas adjecerit, illumque opinione seductus talem efformaverit.*

falsoque creditum: Erchempertus.

B *Nec contra est, quod* Baronianus *Cod. eodem habeatur prænotatus; namque, ut rem non dissimulem, non alter ille mihi censetur, quam vel Papyraceus aliquis e* Frecciano, *ut alii multi, exortus, vel idem ille Membranaceus, qui* Frecciæ *usui fuerat; quique mutuo, forte, acceptus e* Salernitana *Ecclesia, ubi adservabatur, ad polyhistorem Cardinalem transmissus, ab eodemque* Vaticanæ *Bibliothecæ, cujus summus erat curator, custodiendus traditus fuit; ibique modo habetur numero signatus* 5001. *E qua pariter Ecclesia idem ille acceperat alterum scriptum Chronicon,* Romualdo Guarna Salernitano *Archiepiscopo Auctore, a se postmodum ejusdem Bi-*

C *bliothecæ custodiæ pariter commissum. Verum quo ad nostræ Historiæ, de qua est sermo, autographum Codicem non divinare me, sed rem velut ob oculos præsentem describere, quisquis legeris adfirmabis, ultroque concedes Codicem, ex quo* Freccia *suum exscripsit, ipsum extitisse illum, qui* Vaticana *in Bibliotheca adest: si modo Glossas, sive Adnotamenta invicem conferes, quæ ad illius sunt oram, nec non ad oras Codicum, qui e* Frecciano *exemplo prodiere, quæ plane ad unguem concordant, sicut facto periculo comperi, beneficio usus, ut alias iterum dixi,* Lucæ Holstenii *V. C. Quibus sic*

D *stantibus satis, superque constare modo poterit non antiqua fide, nec pluribus in Codicibus* Heremperto *adtributam fuisse prolixiorem Historiam* Langobardorum, *sed in uno, eodemque* Salernitano: *idque recentioris alicujus actum arbitratu. Quem in eam ob id pervenisse opinionem censeo, quod is in mentem induxerit suam, unum illum Codicem unam unius auctoris Historiam conclusisse; viderit que in postrema, fere, ejusdem Codicis parte (in ea scilicet, qua veri* Erchemperti *continebatur Historia; ut ex producto Indiculo constat) auctorem nomen prodidisse suum, cui nil dubitarit opus omne contradere, adscribereque; necessario alioqui seductus pa-*

Cujus hallucinationis fuit occasio, quod utraque Historia uno eodemque haberetur in Codice.

E *ralogismo, illumque nomine adpellans* Herempertum, *ut suas demulceret aures nominis sono mollioris. Verum quis ille novitius, adeoque peritus fuerit Nomenclator, qui pluriformi* Langobardorum *Historiæ nomen imposuerit unius* Heremperti, *ego divinare non ausim; illud tamen silentio minime premam,* Frecciæ *eandem de Historiæ prædictæ unitate insedisse opinionem, quippe qui sit illam tripertitus, sicut in ejus libro de Subfeud.* 1. *Cap. de Prov. & Civit. Regni est videre; quo loco passim recitat nonnulla, quæ ex eodem apud* Salernum *a se reperto Membranaceo Codice adnotaverat, depromptaque illa adfirmat, tum ex pri-*

Explosa tamen opinio placuit Marino Frecciæ.

F *ma, tum ex secunda, tum ex tertia libri parte. Et quidem pro illis, quæ germana in Historia* Erchemperti *inerant, perpetuo laudat tertiam partem, quæ in postremum locum in scripto Codice rejecta habebatur; pro illis vero, quæ habebantur in hac, quam dico Anonymi* Salernitani, *partem laudat primam, & secundam; utpote loco priori positam, moleque duplo, fere, illa majorem; nisi quod alicubi, Typographi certe culpa, numeri, qui indicant hanc, vel illam partem, depravati habentur, quo vitio*

de reliquo pariter laborat Frecciani *illius operis* Veneta *editio. At semel inductam opinionem amplexati quoque sunt omnes, qui postea subsecuti fuere magni sane viri; illaque adeo invaluit, ut si qui tandem duplicem Historiam uno in illo Codice concludi agnovere, uni tamen, eidemque* Heremperto *utramque concesserint, alteram alterius Epitomen reputantes, de quo jam dixi. Atqui plurima illa, & varia Opuscula an ego, etsi omni alio argumento essem destitutus, consentirem unius auctoris nomini tradi rite, & recte posuisse? Quinimmo crediderim, quod si ipsamet illa priscis quoque temporibus uno similiter in Codice, communi usu conligari consueverunt, sicut in* Salernitano *actum fuit, talis plane Codex non alio nomine fuerit vulgo dictus, quam hoc:* Historia Langobardorum. *namque eorundem Opusculorum libro in uno adgregationem* Leo Ostiensis *in Prologo sui Chronici eadem demonstravit, ni fallor, nomenclatura; quæ mihi adeo adrisit opinio, ut ejusdem* Leonis *motus auctoritate Analectam hanc meam adpellare quoque elegerim consimili fere nomine, eo quod consimilibus, iisdemque fere Opusculis constet, quibus* Ostiensis *ille Codex, ut reor, compositus habebatur. Etsi, ut neque hoc taceam, non abnuerim eidem Codici, velut Parergon aliquod, adsutam extitisse Seriem illam* Romanorum *Pontificum, & Imperatorum, quam idemmet* Ostiensis *ibidem adserit in condendo suo Chronico sibi deservisse, eaque in* Frecciano *pariter aderat, ut superius est dictum; ita ut adfirmare, quis possit, prænomitata omnia Opuscula de more Librarios olim compaginare consuevisse, quod magis probo, quam eundem* Salernitanum *illum Codicem primum ab* Ostiense *fuisse possessum; qui utique alterum possedit, & notæ oppido melioris, sicut ex adnotatis ad oram Historiæ* Erchemperti *num.* 3. *observare valebis. At ego vel alia ducor conjectura, adfirmoque quod si compaginata isthæc Opuscula una unquam, simplicique demonstrata fuere Epigraphe, illa quoque sed alternatim fuerit:* Historia Erchemperti. *quo nomine non* Salernitanum *Auctorem indicatum dixerim, sed* Cassinensem *Monachum, cujus Historia, haud dubie antiquior altera, haberetur cæteris Opusculis præfixa, quibus nomen illa suum communicaverit vulgi consuetudine; quandoquidem consimilia Parerga multoties* τοῦ ἔργου *nomine demonstrari consuevisse, manifesta res est; & quidem non alia ductus ratione* Leo Ostien. *lib.* 1. *cap.* 19. *adpellatione Historiæ* Erchemperti *hanc Anonymi* Salernitani, *me arbitro, designavit, quod illum fecisse observabis ad oram partis secundæ ejusdem Anonymi. Sed nec valde alienum est credere Librarium Codicis* Salernitani, *qui patria, sicut paulo post dicam,* Salernitanus *pariter extitit, in eodem a se scripto Codice, ordine commutato Opusculorum, concivis sui Historiam cæteris aliis præposuisse; Quibus si meis non erit, qui subscribat adsertionibus, neutiquam molestus ero, modo adsurgat, qui dissolvat, non discindat hactenus productos implicatos nodos. Verumtamen si ista non displicebunt, consequens erit, ut Titulus ille Scriptis Codicibus præfixus:* Historia *Heremperti* Viri Illustris ex Prosapia Principum *Langobardorum. fuerit quoque germana Epigraphe Historiæ veri* Erchemperti; *quod non abnuerim, hac tamen adhibita censura, ut legi deberet:* Historia *Erchemperti* Viri Illustris de Prosapia Principum *Langobardorum.* *quod idem sonaret, ac:* De serie Principum *Langobardorum.* *namque hoc id verbi demonstrabat apud hosce* Langobardos *Auctores, sicut verbum quoque illud* Genealogia; *ut alibi dicam. Et re vera quamvis, vel Anonymus* Salernitanus, *vel* Erchempertus *e Principibus quibusvis* Langobardis *originem duxerit, quod non alio adhuc constat indicio, magis decuit Historiæ argumentum in libri fronte præsignari, quam hoc prætermisso, genus semel, & iterum explicari auctoris: immo non explicari, consanguineis Principibus non designatis, qui tum* Beneventum, *tum* Salernum *non uno, singularique exorti germine obtinuerant. Sed qui judicium hoc meum improbabunt, credent potius eundem* Frecciam *impositi libro nominis auctorem fuisse, qui passim nulla dubietate creditur etiam auctor Glossarum, sive Adnotationum, quas dixi ad oram unius Chartacei Codic. adscriptas haberi; quibus, nec non & superposito Titulo, alter Papyraceus, qui meo fuit usui, caret; talis nempe factus a Librario, qui nihil admiscuit, quod neotericus idem* Freccia, *ut ipse putavit, induxerat adnotator. Sed de Titulo res utcunque se habeat, de Glossis quidem aliter censendum opinor; Glossographus enim ille haud extitit* Freccia, *sed ignotus alter solido adminus sæculo antiquior, sicut ex Notula, sive Glossa, quæ non longe est ab initio Historiæ Anonymi* Salernitani, *eo loco, quo agitur de Rege* Aistulfo, *& de* Cominalio *Castro, ubi ad oram adpicta sunt hæc verba:* Hodie est Episcopalis Civitas in Valle prope *Ferrariam:* vocatur *Comaclum,* & gubernatur a Marchionibus *Estensibus. At Dynastæ illi* Estenses *eo desiere adpellari titulo usque ab anno* 1471. *quando advivens* Paulus *secundus Summus Pontifex Ducatus honore decoravit* Borsonem *primum* Ferrariæ *adpellatum Ducem, ut legere est in Historia* Joannis Baptistæ Pignæ *de Principibus* Ateſtinis *lib.* 8. *& apud* Abrahamum Bzovium *in Annal. Eccles. ad annum præscriptum. Adeoque remotam Adnotatoris ætatem cætera adfixa adnotamenta, etsi non adfirmant, certe non infirmant; unumque illud esset expendendum, cui scilicet congrue convenire possit tempori, quod legitur ad locum extremæ Historiæ ejusdem Anonymi, ubi agitur de Regibus* Italiæ Berengario, *&* Adelberto *ab* Othone Magno *e Regno dejectis, ut inde vera, certaque Glossographi hujus ætas agnosci valeret, quo loco insunt ista:* Vereor ne sic quoque contingat modernis temporibus de Regno *Siciliæ. Quæ sicut* Frecciæ *scripta nullus adfirmabit, ita non sat mihi liquet, quam definite temporum conditionem demonstrent, quæ annum præcesserit* 1471. *Et hæc de ætate Glossographi, qui innumeris in locis* Salernitanum *se prodit, dum enixe studet adnotatiunculis suis, laudibusque urbem illam extollere, cæterisque hujus Regni omnibus anteferre. Atqui eundem Membranaceum Codicem talibus Glossulis redimitum nec alia, nisi Glossographi ætate exaratum fuisse credam: immo nec ab alio librario, quam ab ipsomet illo, qui ex antiquiori, vereque* Langobardicis *literis scripto libro deprompserit, admonitionemque præfixerit initio excepti a se exempli de tituli defectu in exemplari reperto. Idque ut credam uno persuadeor argumento, quod acceperim* Vaticanum *pariter exemplar, nedum Papyraceos Codices, nonnullis scatere mendis, quæ in adfixis quoque Glossis inhæserunt, quod visum est non ab alio potuisse emanare fonte, nisi ab eodemmet Glossographo exceptore, qui* Langobardici *vetustissimi Codicis interpretationem fuerit quandoque haud bene assecutus, inque textum, & suas Glossas eadem intulerit sphalmata, sicuti, ut complures alios locos omittam, num.* 21. *Historiæ* Erchemperti *utrobique offenderat, commutans in mare* Pabrisa tum, *quod erat:* Marepahis Suram. *& adnotans ad oram hæc verba:* Locus prope *Amalfiam. At de his etsi satis, superque disserui; hoc tamen adjicere placet, quandoque esse me opinatum* Gasparem Muscam *in Catalogo Episcoporum, & Archiepiscoporum* Salerni *germanum hujus Anonymi tradidisse nomen, qui illum non* Herempertum, *ut cæteri omnes, sed* Edimbertum *adpellavit; namque repu-*

At nomen unum utrique Historiæ olim tributum aliud extitit.

Sique illud fuit Erchempertus; *non eo* Salernitanus *auctor indicabatur.*

Germanaque antiqui scr. Cod. Epigraphe nec illa erat, quam recentiores repræsentarunt.

Ad cujus Codicis oram pleraque adnotavit vir patria Salernitanus.

Illum... ex Langobardico auto... grapho excepit.

Sed tan... dem igno... to ... nu con... fundit Salernitanus noster.

putaveram, quod nisi secretiori aliquo indicio inductus, non deflexisset Musca *a vulgata, & communi nomenclatura; sed postmodum res aliter visa est, quando eundem illum expertus sum, suique concives consensere, non admodum diligentem, peritumque, ne in rebus quidem patriis, extitisse scriptorem. Quocirca in re prorsus obscura omnibus cum sim destitutus indiciis, ignoto necesse est, ut censeatur mihi nomine* Salernitanus *hic noster.*

Qui certe patria Salernitanus.

II. *At si damnosa isthæc mea reputabitur diligentia, qua notum Historiographi deperit nomen, nullo interim altero subrogato, levem sane jacturam majori utilitate rependam, aperiens Anonymum istum patriam habuisse* Salernum, *urbem amplissimam, aliaque ad ejusdem notitiam conducentia demonstrans, studiosisque antiquitatis non injucunda. Et quo ad patriam, nonne illum jure adfirmabo* Salernitanum, *qui pluries, sive de* Salerno *urbe, sive de ejusdem Cathedrali Ecclesia scribens, una semper, eademque utitur dicendi forma, qua ibi se incolatum habere demonstrat? Certe ejus per totam Historiam sunt verba:* Hanc civitatem undique communivit. De hac præclarissima civitate. In hac *Salernitana* urbe. Ad hanc urbem ad habitandum revertuntur. Res mira in hac Sancta Sede *Salernitana* Episcopus. In hac Sede *Salernitana* Præsulem constituit. Secundum eum in hac urbe constituit. *Quæ de se testimonia satis si non fecerint, addam hoc amplius; illum scilicet aperte semel, & iterum dixisse:* stylo proprio. *rei* Salerni *se scribere: tu alterum ex iis locum inspice in postrema Historiæ parte quam Typis tradam; ut interim aliud in opportuniorem, nec remotam valde, occasionem differam argumentum, quo ejus patria, & genus omni ablato velamine manifeste declarabitur. Quid autem id verbi:* stylo proprio *denotet, docent Acta Sancti* Germani *Episcopi* Capuæ *in antiquo ejusdem urbis Breviario; illo enim commonstratur rem stylo proprio describi, quæ ex peculiari proposito describenda fuerit suscepta; sed eadem Acta promptius suppeditat clari vir nominis* Michaël *Monaclus in suo jam olim edito Sanctuario, quo primum, maximumque historiale decus urbi, Ecclesiæque adcessit* Campanæ. *Et hæc de patria hujus Anonymi.*

Vir Langobardus, ideoque nobilis.

III. *Ejusdem vero genus e* Langobarda *gente fuisse exortum, jam clare liquet ex suscepto a se munere conscribendæ Historiæ Principum* Langobardorum, *quod nec pudendæ, nec infimæ sortis fuisse oportet, si rite ejus verba expendo, quo loco scripsit Abavum suum* Radoalt *una cum fratre* Radolfo, *& quadraginta aliis* Beneventanis Salernitanis*que sub Principe* Sicardo Neapolim *sponte exules commigrasse; quos omnes Patritios nobilesque extitisse viros, res tunc acta, ibidemque enarrata demonstrat. Etsi* Langobardi *omnes sordidis ab artibus semper abstinuere, dum rebus potiti sunt prosperis, ac primæva in dignitate permansere; nullusque in tota gente habebatur, qui Sublimis, & Illustris, hoc est Patritius, non censeretur; de quo alibi erit dicendum.*

Monachus Benedictinus.

IV. *Anonymus autem noster Ecclesiasticum quoque se non uno aperit indicio: ex usu scilicet Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quorum, vel dicta, vel phrasim passim usurpat, ut in sectionibus, quas evulgabo, maximeque in integra scripta Historia quisquis poterit observare. At definite Monachus demonstratur, ni fallor, quo loco agit de his, quæ gessit Rex* Galliæ Carolomannus *in Monasterio* Cassinensi *sub regulari Monachorum disciplina degens; ubi exprobratum dicit illum a suo Abbate sæpe sæpius fuisse,* sicut (*ejusdem Anonymi sunt verba*) mos est Abbatibus, ut per exprobrationem, quæ Monachis a foris infertur, de intus, quod animo gerant, cognoscere valeant. *Monachorum enim disciplinam Monachum quoque*

A *virum percalluisse oportuit. Sed in D.* Benedicti *familiam, quæ* Salerni *Cœnobia obtinuerat, lateque per omnes* Langobardorum, *externarumque gentium urbes miro populorum obsequio vigebat, potius quam in alteram alterius instituti, illum adscriptum consensero; namque is cum pluries dixisset se brevitati studere, ejusdem tamen* Carolomanni *in Monachatu res gestas prolixo: immo vaniloquo dicendi genere, sibi plane consueto, prosequi non est fatigatus.*

Sed pessimi sæculi culpa parum idoneus Historicus.

V. *Et sane hoc vaniloquentiæ vitio, adusque nauseam illum laborare, prompta experieris lectione, qua pariter comperies non meliori ingenio, pru-* B *dentiaque præditum, nec sapientiori doctrina excultum fuisse, quam puerili: adeo levissimis totus incumbit affaniis, seduloque studio Grammatistam agit, cum non est opus, præclaris interim rebus, memorandisque factis raptim, & quasi per transcursum leviter, ac quandoque ne leviter quidem libatis. Quam levis animi culpam referendam censuerim, tum ad sui sæculi morem, tum ad ejusdem inscitiam linguæ* Latinæ, *quibus ille, sicut alii plerique ejusdem ævi scriptores, vel inlectus blanditiis, vel abactus incommodis, non alia voluerit, valueritque adnotare. Sed ne me de viro, cui cæteroqui injurius nil sum, cujusque nobilissimam patriam haud sola Medicorum* C *antiquissima, ac celeberrima Schola in literis præsignem veneror, primum hanc asperam tulisse censuram credas, en cedo tibi, omissis* Angelo Constantio, Antonio Caracciolo, *aliisque multis, unum* Baronium, *qui ad annum* 787. *num.* 101. *de illa parte ejus Historiæ judicium ferens, quam priorem dabo, habet eandem sibi non in omnibus probari, quod & fabulosa inibi commista habeantur multa. Et quidem fabulosa quamvis illa non fuerint prorsus existimanda, ut ex inibi ad oram adnotatis ex parte constare poterit, indiligenter tamen, ut pleraque alia, descripta fuisse, ac aniles quandoque fabellas sermonibus suis illum immiscuisse, denegari nullo potest* D *modo. Ceterum vero imperitiæ vertendum non ipsi puto, quod integras* Anastasii Bibliothecarii *de rebus* Langobardorum *Regum* Ratchis, Aistulfi, & Desiderii *enarrationes ad verbum adposuerit initio suæ Historiæ; nec quod* Erchemperti *fere dimidiam ipsissimis verbis suæ pariter adtexuerit: namque id consueto tunc more,* Zonaræ, Cedreno, Theophani, Paulo Diacono, Aimoino, *aliisque scriptoribus notæ sane melioris usurpato, commisisse potuit; quocirca in his non amplius immorabor.*

Qui Erchempertum æmulatus Historiam conscripsit.

VI. *Tali igitur scientia, prudentiaque noster cum haberetur excultus, Historiæ se dedit, non alio consilio, ut opinor, nisi, ut decursum jam olim* Erchemperto *stadium recurreret, & certe non majori in-* E *tendens bono, quam ut res patrias, vel ab* Erchemperto *omissas, vel nondum illo superstite actas, describeret, quod æque ambitiose, ac negligenter est exequutus. Is (& hoc etiam accedat ad ejus prudentiæ experimentum)* Pauli Diac. *ejusdemque* Erchemperti *consilium, qui silentio obvelari voluere* Langobardici *Regni excidium, vel non adsecutus, vel despicatus, nihil pæne, quod ex* Anastasii *libro mutuari, & e seniorum relatione expiscari valuit (alios Historicos nusquam inibi agnoscitur adhibuisse) prætereundum sibi duxit; ut sic, forte,* Erchemperti *indiligentiam argueret, quem eandem Historiam re-* F *texendo æmulandum susceperat; magnumque operæ pretium facturum se crediderat, si pleniorem de iisdem Regibus tradidisset descriptionem, quam quæ ab* Erchemperto *suæ olim haberetur præfixa, e qua, haud dubie, agnoverat eorundem Regum gesta pleniora haberi in* Romano *Pontificali, hoc est in* Anastasii Bibliothecarii *libro de Vitis* Romanorum *Pontificum sibi, ut monui, ex parte exscripto. Propositum vero tale suum ipse non aperuit, qui initio operis nullo præloquio usus, postmodum cum longe aber-*

aberrantem ad se reduceret sermonem, loco præfatur non suo his verbis: Interim nunc generalis Historiæ revertamur ad tramitem, & omnimodo de Regibus obmittamus retexere; tantum de Principibus, qui fuerunt in nostris videlicet partibus, partim quæ in hoc mundo gesserunt, partim de eorum audaciis, quibusve temporibus perdurarunt, huic compendioso subnecto sermoni. *Ut scilicet in hoc quoque* Erchempertum *æmularetur, qui peracta pariter Regum descriptione, præfatus fuerat; verumtamen ille id commiserat certe peritius, namque suam Historiam ab descriptione sejunxerat, exordio quoque usus pleno, & probo, nilque antedictis commisto.*

Inque eam pluribus incubuit annis.

VII. *Anonymus igitur noster* Erchemperti *vestigia secutus, assecutus tamen neutiquam est parem qualemcumque laudem; qui & in hoc pariter longe ab eodem constitisse comperitur, quod sua in pangenda Historia non unius, alteriusque anni curriculum impendit, sicut conjicere me posse arbitror ex hoc, quod ille eidem insistens, primum* Græci, *postmodum* Latini *Imperatoris partibus adhæserit, sectatus scilicet post decursos aliquot annos* Salernitani *sui Principis, suæque Patriæ commutatos affectus; Princeps enim* Gisulfus *Orientis Imperatoribus, & signate* Nicephoro Phocæ, *certe favit, contraque* Othonem Magnum *stetit. Idque tum ex ejusdem Anonymi Historia agnosco, in cujus postrema par. num. 3. habetur* Othonem *in anno ibi ad oram adnotato* 968. millia damna, & oppressiones gessisse in Principatu Salernitano; *tum ex* Salernitanis *Tabulis illius ævi, in quibus* Græcorum *Impp. nomina præfigi consueverunt. Sed Principatus ille ad obsequia tandem conversus certe est* Othonis 2. *cum in anno* 974. *sicut ex Nota constabit ad eandem postremam hujus Historiæ, cessit Principi* Capuæ Pandulfo Caputferreo, *& ejus filio* Pandulfo *pariter nuncupato, qui, eodem Anonymo adfirmante,* Othoni *addictissimus fuit. Procul igitur dubio* Græcis *tunc favens ille, dedit se Historiæ, in cujus initio, ut comperies, a* Græcis *quidem seductus nullum esse Occidentale Imperium pronunciavit, quod postmodum medio in opere, factione abjurata, &* Othoni, Pandulfo*que obsecundans, refutasse videtur, Apologeticam de hoc producens Epistolam Imperatoris* Ludovici *ad Imper.* Basilium, *quam ex hocmetipso Auctore reproduxit* Baronius *ad annum* 871.

Hinc est, quod *Eugenius Græcus* Patritius *pacifice* Salernum *venit* &c. ut idem prodit Anon. *Salern.* P. 7. n. 4. Ibidemque *Basilius* Imperialis Protospatarius *fecit Chartulam* Cassinensibus, &c. *Ostiens.* lib. 1. c. 59.

Quæ, etsi mutila, perducta habetur ad tempora Principis Capuæ Pandulfi Caputferrei.

VIII. *Et quidem ille adusque tempora ejusdem Principis scriptione sua pervenit, quæ haud magna parte mutila obsidionis narratione clauditur a* Pandulfo *in urbem* Salernitanam *firmatæ; isque defectus, sive casu, sive consilio contigerit, non plane didici. Verumtamen hac opportunitate accepta* Campanos *omnes, unaque* Salernitanos, *ac* Beneventanos *monitos velim, si modo fas est mihi admonere, quos veneror, ac propenso animo colo, ut meminerint se maxima ex parte ex una, eademque* Langobardorum *gente fuisse progenitos, quæ pari virtute amplos Principatus, quos ipsamet instituerat, possederit; sique inter eos acciderit aliquando de primatu contendi, mente ipsi revolvant, animas vere magnas æmulatione non dissociari unquam, sed virtutem, quæ ab aliis possidetur, quamque adsequi student, seque in ea minus valere non adsentirent, libero, & veriloquo extollere semper consuevisse sermone. Nec vetustæ propriæ dignitatis præjudicio vertant vicissim, quod aliquando* Capua Benevento, *&* Salerno: Salernum Capuæ: *utrique* Beneventum *imperarit, quod negari nullo potest modo; etenim eorundem jura, quo ad hoc, inter se æquata exinde remansisse, explorata res est: oportuitque ut* Campanus *Principatus omnium novissimus priorum duorum obfuscaret gloriam, naturæ ordinem secutus, quæ recentius orta indesinenter facit validiora senescentibus. Sed redeo ad Anonymum.*

Cui Auctor illam nuncupavit.

A IX. *Qui peculiari obsequio novum Principem* Pandulfum *est veneratus, illi suam nuncupans Historiam; sicut indicat, quod adfixit ad finem ejus, Carmen eo loci exaratum in Scriptis Papp. Codicibus: idque non de altero Principe potest aptius interpretari, nec alteri, nisi eidem Anonymo deferri; siquidem ibi adseritur conscriptam Historiolam cuidam Principi ab Auctore donatam, quem* Aristarchi *immerito suggillabant; ii scilicet, a quibus idem Anonymus, tum alibi, tum par. 3. 5. & postrema sibi timet. Commonstrari autem eodem in Carmine Principem, quem dico* Pandulfum, *qui* Salerno *tunc potiretur, Distichon illud probat:*

B „ Tempore præterito tellus divisa maligno
„ Unitur tuo ecce, tuente Deo.

Nullus enim alius Langobardus *Princeps divisum olim in partes Principatum* Beneventanum *solus unquam possedit, nisi* Pandulfus, *qui dictus est* Caputferreus, *idemque* Capuæ *primum, mox, defuncto fratre* Landulfo, Beneventi *(quod noster Anonymus tradit postrema parte num. 3.) tandemque* Salerni *extitit Princeps, cujus Principatus titulo cœpit uti in Æstate anni* 978, *filio* Pandulfo *interim ab anno* 974. *non post* Octobrem *eodem titulo, sed adoptione Principis* Gisulfi *condecorato, ut constabit in ejusdem postremæ partis Nota. Sed horum*

C *trium Principatuum possessio ipso in Carmine satis est manifesta, tribus scilicet his urbibus inibi demonstratis; hoc est* Capua *proprio nomine:* Benevento, *&* Salerno, *quadam velut Periphrasi designatis, Mihi enim carmine illo:*

„ *Ticinum* geminum, eheu, viduata manes.

non aliud sonat, nisi Beneventum, *quod plane fuit alterum* Ticinum, *sicuti ejus ditio pariter dicta est* Langobardia, *tum aliis, tum* Græcis *præsertim scriptoribus,* Constantino Porphyrogennetæ *libro de Adm. Imp. cap. 29. &* Cedreno *pluribus in locis, eademque mente Auctor Historiæ Miscellæ lib. 23. Cis Alpinam Galliam* Langobardiam Majo-

D rem *dixit, ut scilicet ab hac Minori* Cis Tyberina *illam discriminaret.* Salerni *vero nomen eo continetur versu:*

„Gemmea nunc iterum exultas urbs cantibus—
quæ urbs Opulenta *dici consuevit in Bullis, sive sigillis suorum Principum, quod in idem recurrit.*

Ejusdem vivens ætate.

X. *At si ex dictis inferre quis velit, non ultra* Pandulfi Caputferrei *ævum Historiam ab Anonymo perductam fuisse, non ego certe agnovi cur sic quoque rite existimari non possit; ille enim non alio vixit tempore, quam nuper designato; quod tum dicendi quædam forma in extrema Historia sibi usurpata, qua de rebus agit, tanquam præsentibus, tum quod*

E *habet de nece* Beneventani *Principis* Adelchis, *qui tertius fuit a Principe* Sicardo, *manifesto declarat, e qua ad sua tempora centum decurrisse annos adfirmat. Atqui* Adelchis *ille a suis peremptus fuerat non post annum* 879. *Anno igitur advivebat, scriptionique incumbebat* 979. *Quibus adcedit, quod idemmet Anonymus meminit* Radoaldi *Abavi sui adviventis sub Principe* Sicardo, *a cujus morte ad obitum* Pandulfi Caputferrei *effluxere anni plus minus* 140. *quot, vel circiter effluxisse pariter oportuit, juxta Chronologorum ratiocinium supputando, a* Radoaldo *ad se decursas non plene quinque ætates: Abavi, Proavi, Avi, Patris, & ipsiusmet Ano-*

F *nymi filii. Eruntque, forte, qui huc pariter ducent, quod in Elencho Regum* Italiæ *præfixo Scriptis Codicibus hujus Historiæ, continens illorum series perducta habeatur ad Imperatorem usque* Othonem 3. *signateque ad illius annum* 12. *qui incidit in annum* Christi 995; *atque eousque existimabunt eundem Anonymum, vel vivendo, vel scribendo pervenisse; quippe qui idem vulgo reputetur illius Indicis auctor; Verum id ego non certo adfirmabo, qui magis credo, Indices illos omnes, velut quædam Prolego-*

legomena, *præfixos fuisse illis Opusculis in unam* Langobardorum *Historiam coagmentatis ab eodem illo librario*, *qui talem condiderat Analectam anno plane* 12. Othonis tertii *decurrente*; *& quidem multoties illis Indicibus non convenit*, *nec Historia* Erchemperti, *nec hujus Anonymi* Salernitani. *De quo satis.*

A *Si quis vero a me petet*, *cur subscriptas potius*, *quam alias ejusdem Historiæ partes evulgaverim*, *videat is*, *quæso*, *an petitioni tunc suæ satisfecissem*, *quando non has*, *sed alias*, *nec tamen integram Historiam*, *edidissem*; *quam sane provinciam ejusdem Anonymi civibus jure merito relinquendam putavi.*

EX HISTORIA PRINCIPUM LANGOBARDORUM, ANONYMI SALERNITANI DEFLORATÆ PARTES SEPTEM.

PARS I.

De expeditione *Karoli Magni* Regis *Galliæ*, ac postea Imperatoris in *Arichim* Principem *Beneventi*, & fœdere inito inter eos. Anno DCC LXXXVII ante Pascha, ut constat ex Annalibus Regum *Pipini*, *Caroli*, & *Ludovici*.

De quibus habent pariter Eginhardus *in Vita* Caroli Magni, *Annales editi a* Pithœo, Regino *lib.* 2. Aimoinus *lib.* 4. *cap.* 78. *aliique.*

Prædixerat de Paulo Diacono Notario olim Regis Italiæ Desiderii, qui post sui Regis captivitatem à Carolo Magno ad Insulas Diomedeas relegatus, custodes elusit, & ad Princ. Arichim Desiderii generum se recepit.

I.  Richis, de quo prædiximus, piissimus Princeps familiæ copiam, & equorum, varia indumenta, dapesque ei abundanter tribuit, atque in ejus Palatio commorari jussit, & crebrissime de liberalibus disciplinis cum eo sermonizabatur. Cumque de talibus, & Divinis Scripturis invicem colloquerentur, insatiabili pectore ipse Princeps quæque gerebat. Et dum de fato *Karolo* sermo fuisset exortus, ipse *Paulus* inter alia verba talem sermonem nempe protulit: *Idem*, *de quo nunc prædiximus* Karolus, *quantum illic conjicere valui*, *cum ingenti exercitu est super te venturus.* Quod ille quidem audiens, *Beneventum*, simulque & ejus filias muniens, secessit *Salernum*, quæ est valde munitissima, atque præclarissima, & opibus, dapibusque sufficienter abundat, & proinde eam ipse Princeps mirabiliter ampliavit, propter ejus tuitionem. Rex, de quo prædiximus, *Karolus Gallorum*, *Saxonum*, *Alemannorum*, simulque & *Langobardorum*, *Burgundionumque* validum movens exercitum, cum ingenti ira civitates *Arichis* subjectas invadere est conatus. Quod dudum *Arichis* audiens, nimis extremuit; in tantum ut muros jam dictæ Civitatis in altum mirabiliter elevaret; & per fines *Beneventanos* suos Missos mittit, quatenus ad eum accersirent omnes præclarissimos Antistites. Qui cum ad prædictum Principem Antistites properarent, eos in Sacro Palatio introduci jussit, & per semetipsum illuc gradiens, sicut mos erat ipsius, submisso vultu ab eis poposcit benedictionem. Qua peracta benedictione, ipse Princeps taliter prorupit in vocem: *Eja*, *Beatissimi Patres*, *ineamus consilium*, *qualiter e nostris finibus nefandum* Karolum *evellamus.* Et consilium fecerunt, quatenus iram suam sævissimam blandirentur. Tunc singuli Episcopi ciliciis sunt induti, humilibusque vehiculis, & Asellis sunt superpositi, profecti sunt obviam ei. Cumque simul carperent iter, nihil aliud, nisi orationibus vacabant. Dum *Capuam* properant ipsi jam fati

B Antistites, & statim *Volturnum* Flumen celeriter transmearent, quidam homo eis dixit: *Bene veniant Domini mei*, *ubi pergitis*? At illi responsum reddiderunt, dicentes: *Ad magnum Regem* Karolum *cupimus properare.* Ipse homo eis dixit: *Videte*, *quia ipse cum suo exercitu in locum*, *qui* Garilianus *dicitur*, *applicuerat.* Illi quippe cum ingenti cursu illuc pervenire malebant. Sed jam eum in hac parte fere XII milliaria cum suo exercitu applicantem repererant, & non procul ab ejus Castris de Asinis se ejecerunt, & singulis Clericis ante se, unusquisque cum ferulis, incedere jusserunt. Quod cum a longe ipse Rex talia

C cerneret, admiratus est valde. Cumque a suis relatum fuisset, quod *Beneventani* Episcopi essent, ipse Rex dixit: *Pro qua re adveniunt* Beneventani *Antistites*, *cum ipsi suo Principi Coronam in capite jam detulerint?* Inter dicta verba Præsules ei approximavere, atque in faciem super terram, se prostrarunt. Rex itaque, ut erat pius, bis, terque ut surgerent dixit. Cumque cum pavore surrexissent, Rex taliter eos est allocutus: *Video Pastores sine ovibus.* At illi accepta fiducia, talia verba prædixerunt: *Lupus venit*, *& dispersit oves.* Ipse Rex cum jurgio ait: *Quis est Lupus?* Illi nihil metuentes, responderunt, dicentes: *Tu es*

D *ipse.* Piissimus Rex ut eorum vidit audaciam, dulcia verba eis depromit: *Licet infelix*, *ex Sacra unda renatus sum*, *& a* Christi *nomine* Christianus *vocor*, *& signo Crucis sæpissime meum munio corpus*: *& vos pro qua re appellatis Lupum?* Unus ei ex dictis Episcopis *David* nomine, qui erat ex *Beneventana* urbe, sagaci relatione in hunc modum respondit: *Ne indigneris*, *Domine Imperator*, *si loquar. Non inferimus vestræ dignitati injuriam*, *si bestiæ vos comparemus*, *quia sicut Lupus discerpit prædam*, *quam arripit*, *sic nimirum si fores venturus Dominus noster in* Samnium, *similiter ad instar Lupi discerperes* Christianorum *corpora.*

E In quo Tractatu introduxit plane personam Domini loquentis Imperatori: *Ego te ex ultimis Imperatorem feci. ego tibi exercitum inimici tui tradidi: ego tibi copias*, *quas ille adversus te exercitu suo præpara-*

Ferulæ, sunt *Baculi Episcopales*, ut apud *Reginonem* lib. 2. ann. 964. aliosque.

al. *Davis*, *Dans*. corrupte. Vide ad finem Tumuli *Romualdi* filii Principis *Arichis*.

An Episcopi Tractatus, sive Sermo ad *Carolum* tunc

paraverat, *dedi : ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi : ego de semine tuo super solium Regni tui constitui : ego te triumphatorem sine labore feci : & tu de meis fidelibus, quos olim de meo sanguine acquisivi, triumphare cupis?*

extabat, ex quo ista Anonymus excerpsit?

II. Imperator interea, cum se sagaci ratione superatum cerneret, & aditum evadendi minime inveniret, excusationem ei inferre molitus est, annectens: *Ceptum iter linquere quomodo valeo, qui jusjurandum nuper asserui : Nisi sceptro, quod manu gesto*, Arichis *percutiam pectus, vivere nolo?* Quidam Episcopus *Salernitanus*, cui nomen *Rodopertus* fuit : *Audi me, benignissime Imperator : ipse Tetrarcha* Herodes, *qui tunc* Judaico *populo præerat, quando ad mensam ebriosus cum suis Satellitibus recumbebat, introducta sua privigna saltando ei complacuit. Die itaque illa per jusjurandum pollicitus fuerat* Herodes *dare eidem puellæ quidquid postulasset : numquid non fuerat melius juramentum spernere, quam ut caput Sancti* Joannis *abscinderet?* Adhæc Imperator: *Nempe melius.* Idem Episcopus: *Et si melius, quomodo eum imitari malis, Rex?* Imperator tranquillo animo: *Quid faciam exinde evidentius, seriatimque mihi celerius pande.* Cui omnes Episcopi dixerunt: *Faciemus, ut ipsum sacramentum perficias sine ulla damnificatione, &* Arichim *Vestræ Ditioni sistere faciemus, ut quæ Deo vovisti, in ipso perficias.* Nec dum verba ipsi Antistites adhuc expleverant, ipse Rex obvius quippe, & cum magna alacritate eis effatus est: *Ut dixistis perficiam; quia dum nunc ex ore vestro sermo processit, ita gaudio sum repletus, ut præsente me * subito renovatum.* His dictis, statim exinde sunt moti, atque simul gradientes pervenerunt ad quandam Ecclesiam, quæ non procul a *Capua* urbe sita erat. At ipsi Episcopi: *Hac quidem nocte, Domine Imperator, hic quiescamus, & crastina die quod diximus dudum Vestræ Ditioni, adimplebimus.* Tunc magis, magisque est lætatus, putans adipiscere, quod concupierat. His dictis diei jam fuerat cursus expletus. Postera namque die surgens idem Rex, ad se jussit Antistites vocari; cumque vocati venissent, benigne accipiens, blandis eos sermonibus alloquens, ait: *Quod usque nunc quippe spondistis, celerius ad finem usque perducite.* Statim illi dixerunt: *Sequetur nos Dominus noster, & nunc, quod desiderat, ostendemus.* Confidenter illico de Throno, in quo residebat, exiliens, cum ipsis pariter properabat. Ipsi denique jam sæpe fati Episcopi in quadam Ecclesia sub vocabulo Sancti Protomartyris *Stephani* eum perduxerunt, atque ut illuc introgrederetur, efflagitabant. Cumque Ecclesiam cum ipsis pariter ipse cum suis Proceribus aliquantis ingressi fuissent, veniam, ut mos erat, ei a Domino poposcebant: Oratione completa, conversus ad Episcopos dixit: *Quod jam plane prædictæ Eminentiæ nostræ promisistis, nunc demonstrate;* asserens, quod *Arichis*, de quo nuper diximus, *inter omnes meos Optimates Magnatem illum habebo, & honorem a parte nostræ potestatis obtinendum tribuo: Unum est quod quæro, ut armiger meus unus miliarius fiat.* Denique ipsi Episcopi cum magno pavore ingentem effigiem *Arichis* in angulo ipsius Ecclesiæ depictam ostenderunt. Itaque aversa facie Rex cum ingenti ira taliter prorupit in vocem: *Vos ne estis, qui usque nunc illusionem, simulque & ironiam de me gessistis? jam non sinam facere: tantum quod dixistis perficite; sin autem in exilium vos in* Galliam *mittam.* At illi perterriti, sed tamen fisi in Domino, dixerunt: *Quod Dignitati Vestræ nuper promisimus, simulque nimirum implevimus. Minas tuas non pavemus: fac quod facturus es. Non dicimus in* Galliam, *sed si velis, nos mitte in* Africam. Iisdem Rex dixit: A *Lutum mihi spondistis ostendere, aut formam hominis? aut colores varios?* Ad quod responderunt: *Ne irascaris, Domine Imperator;* nam sic eum vocitabant omnes, qui aderant & famuli sui, qui preciosam coronam in suo prorsus capite gerebat. Imperator quippe omni modo non dici potest, nisi qui in Regno *Romano* præest: hoc est *Constantinopolitano*: Reges *Gallorum* nunc usurparunt sibi tale nomen, nam antiquitus omnimodo sic non vocitabantur. Interim ad Historiæ ordinem redeamus: ad verbum, quod supra quippe inchoavimus. Arichis *non est lutum? Numquid non dicitur* B *in Genesi? Creavit Deus hominem de limo terræ. Numquid non est venturus post carnem vermis? post vermem pulvis? Tamen si placet, ut diximus, in formam ejus, hoc est in picturam ejus, quod Deo vovisti adimple; nam propriam ejus effigiem omnimodo non videbis, nisi in examinis die.* Cumque Rex ex omni parte se superatum cerneret, cum ingenti ira super illam imaginem venit, & sceptro, quod manu gerebat, illius imaginem percutiens, pectus, coronam, quam in capite depictam gerebat, disrumpere fecit; addens: *Hoc, hoc sic eveniat homini, qui super se ponit, quod ei licitum non est.* Tunc prostrati Episcopi in faciem super C terram, eum adoraverunt, adjicientes, ut pacem inibi pariter firmarent. Ipse Rex benignissimus audiens admonitionem tantorum Patrum firmavit, pacem iniens, atque in scripto fœderis Pactum affirmans inter *Beneventanos*, & *Francos*; & obsides *Beneventanorum*, simulque & *Grimoalt Arichis* filium idem Rex *Francorum* fecit auferri. Cumque talia patrassent, ad invicem sunt sequestrati. Episcopi arva repedaverunt sua, & ipse Rex cum suo exercitu reversus est itinere, quo venerat. Tamen unum eminentissimum ex suis Proceribus *Salernum* misit, quatenus fœdera pacis firmarent, & obsides, ut jam diximus, ab D ipso *Arichis* Principe acciperet.

Carolus coronatus est Imperator anno 800. Anachronismus est annorum 13. Salernitano tamen imposuit Erchemper. num. 2. qui hujus adventus tempore Carolum dixit Cesarem.

An ad Ecclesiam, quæ a nomine Pagi dicta est *S. Maria Suricorum?* Certe tunc erat, & dicebatur: *Capuæ corpus.* exigua pars antiquæ urbis ab Ecclesia seposita: post enim *Vandalorum* incendia haud continentibus domiciliis ejus amplitudo fuit frequentata. Cæterum confer. *Falcon. Benev.* extr. pag. 324.

Et post nonnulla :

III. Enodare autem fidelibus volo, qualiter omnipotens Deus antequam *Arichis* ad dignitatem perveniret Principalem, ei ostendit, qualiter honorem, vigoremque ei redderet; nam quadam die dum cum suo Principe *Luitprando* in Ecclesia B. Protomartyris *Stephani*, quæ sita est in veterrima urbe *Capuæ* ab Imperatore *Helenæ* filio *Constantino*, eamque (1) in honorem omnium Apostolorum (2) dedicari decrevit, licet

E (1) *Anonymus noster hoc postremo numero videtur adfirmare* Constantinum Magnum *dicare voluisse omnibus Apostolis Basilicam a se* Capuæ *constructam; sed propositum non perfecisse suum : illam vero* S. Germanum *ejusdem urbis Episcopum reliquiis consecrasse S. Protomartyris* Stephani, *conlatis sibi ab eodemmet Imperatore. Quas adsertiones a comperta horum gestorum veritate valde alienas brevissimis Notatiunculis, ac sub ipso festinante prælo refellere est visum; sciasque, Lector, Anonymi narrationem in scriptis Papp. Codd. haberi qualem repræsentavi : etsi aliter ab aliis edita fuerit.*

In honorem omnium Apostolorum) *Communis hac etiam ætate ea est opinio; sed magis placet (do verba* Anastasii *Bibl. in* Silvestro *primo) Constantinum* fecisse intra urbem *Capuam* Basilicam Apostolorum · *hoc est Apostolis* Petro, *&* Paulo *illam exstruxisse, quibus singulis* Romæ *amplissima exædificaverat idem Imperator templa.* F *Sane indefinito Apostolorum nomine non omnes semper venire consuevere duodecim* Christi *Salvatoris Principes ministri. Exemplum succurrit apud* Ennodium *Dictione 2. aliis Oratione 6. quæ recitata est, ut Titulus antiquus manifestat*, in Dedicatione Basilicæ Apostolorum, ubi Templum fuit Idolorum. *De cujus sanctificatione Auctor sic habet: Christus* ingressus est, respiciamus quibus fultus auxiliis. Venerunt cum eo Cælorum radii, Apostolorum diademata, *Petrus*, & *Paulus*, qui, *&c. En Basilica Apostolorum, consecrata non omnium est adventu. sed* Petri, *&* Pauli *dumtaxat.*

(2) Dedicari decrevit) *Ex te, mens fuit* Constantino *eam dicare Apostolis, qui re non complevit. At Ecclesiam Imperator a se denominavit* Constantinianam, *multiplicique supellectili ad usus sacros, ac* Massis, & Possessionibus, *hoc est Fundis, large*

cet postea a Beatissimo *Germano* ejusdem Episcopo urbis (3) * collatur ab Imperatore reliquias B. Protomartyris *Stephani*, nec non & B. *Agathæ* Virginis, (4) proinde eam in honorem Protomartyris *Stephani* vocari jussit; & ut diximus, dum in eadem Ecclesia, *Langobardorum* sicuti mos est, cum pugionibus accincti altrinsecus introissent, & unusquisque dum indesinenter oraret, sic ille adolescens *Arichis*: *Miserere mei Deus*, labiis impressis canere cœpit: dum venisset, ubi dicitur: *Spiritu principali confirma me.* Illico spata illius contremuit, ac si quilibet illam concuteret. Ille vero, oratione completa, cum pavore seriatim suis collectaneis enodavit. Unus ex his, qui erat sapientior cæteris, talem sermonem erupit. *De hac instabili vita minime es, quantum mihi videtur, processurus, antequam ad dignitatem Principalem Dominus te perducat.* Quod postea, annuente Deo, ad tutelam *Langobardorum* probavit eventus. Dum Dux nomine *Liviprandus* fuisset extinctus, una omnes *Arichisium* Principem acclamabant; quapropter Principalem dignitatem honorifice illum asciverunt; nam non, ut assolent plurimi, per pecuniam, & per pollicitationes opprimere in mirum honorem, sed cunctis uno agmine coacti, licet non a se, sed ab illo, qui dixit: *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio illorum*: illum Principem sublimarunt.

* al. *cellatas.*

Psalm. 50.

al. *concuteret.*

Sic habet. al. *Liutprandus.*

al. *nimirum.*

Matth. c. 18.

ge donavit, si prædicto est fides Anastasio. *Quid igitur dicatio mox non est secuta; quam differre nefas erat, more nedum Ethnicorum, quam observo apud* Plinium *lib. 4. Epist. 1. sed Christianorum, si rite verba* S. Paulini Nolani *capio?* Propterea (*ait ille Epist.* 12.) & horum versiculos adjiciendos putavi, quos illi in hoc oppido dedicandæ Basilicæ paravimus; nam adhuc in opere est; sed, propitio Deo, dedicationi propinqua. *Perfectionem operis, & dicationem una conjunxit vir Sanctus.*

(3) Collatur ab Imperatore reliquias] *Sic unus Papyraceus Codex notæ melioris. Alter.* Collatas ab Imperatore reliquias. *Selige quamvis lectionem, dicet ab Imperatore, quem prædixerat, donatas reliquias* S. Germano. *Hem quam fœdum, nec unum erratum. Sanctus ille Episcopus* D. Benedicto *notus, & coævus, duobus integris sæculis posterior fuit Mag.* Constantino; *quo vivente dispertitæ reliquiæ S. Protomartyris in* Italia *nullæ: immo nullibi, corpore nondum revelato. Accepit (consentiam)* Germanus *illas ab Imperatore, sed* Justino *seniore, ad quem missus fuit princeps claræ legationis a* Romano *Pontifice* Hormisda; *tuncque S. Protomartyris nomen, clarescentibus signis ex uno ejus passionis lapide apud* Anconitanos *exculto, religiosissime apud* Italos *venerabatur; quam reliquiarum donationem cum Anonymus noster ex minus proba vulgi relatione accepisset, vel mente sua perturbasset, nil curavit, sive alienam, sive suam desipientiam ad* Lydium *authenticorum scriptorum lapidem probare; qua negligentia pluries eum laborasse satis, superque constat. Sed esto voluerit ille non ab* Constantino, *sed ab innominato ibi Imperatore* S. Germanum *reliquiis donatum; ejus tamen dicto adsentiar ne ego, Ecclesiamque a* Magno *illo constructam, ac large donatam, indedicatam remansisse credam ad S. Episcopi tempora: hoc est ad integros annos biscentum? Certe mens Anonymi, nisi illa prior, haud alia ab hac fuit.*

Ac in Italia cultas reliquias S. Protomartyris multo post Constantinum M.

(4) Proinde eam in honorem Protomartyris *Stephani* vocari jussit.] *Idem jussit* Constantinus, *de quo dixerat.* Dedicari decrevit. *Sed his non amplius sisto. Verba illa observo.* Proinde eam, *&c. quæ indicant mihi priscum sacrum morem dicandi Ecclesias adhibitis eorundem Sanctorum reliquiis, quorum nominibus adpellandæ fuissent, iisdemque curatis ab eodem auctore constructionis, qui cætera quoque omnia solemnitatem condecentia suppeditabat; de quibus alibi est mihi dictum. Idque institutum, ut reor, sive Anonymum nostrum, sive enarratæ fabellæ impostorem in opinionem induxit, ut alteruter putaverit* Constantinianam Capuæ *Ecclesiam non adsecutam decretum nomen Apostolorum; quoniam scilicet Apostolorum omnium reliquias crediderit haud præsto fuisse* Constantino, *qui earum vice tradiderit alias* S. Protomartyris *Stephani*, & PROINDE eam in illius honorem vocari JUSSIT. *At Apostolorum indefinito nomine, jam dictum est solos quandoque venire Apostolorum Principes, quorum Sacris Lipsanis certe* Constantiniana *illa sub ipso* Constantino *est dicata. Anonymi igitur adsertiones ablegentur, qui anilibus fabellis fidem incautus præstans, veritus quoque non est adserere, desumptum fuisse vaticinium de Principatu* Arichis *ex verbis Psalmi* 50. *pessime interpretatis, tum quo ad Psaltæ mentem, tum quo ad dignitatem Dynastarum* Beneventanæ *Provinciæ; qui tunc Titulo Principatus non adhuc uti cœperant, cum* Luitprandus *imperabat. Verumtamen si me audis,* Constantiniana Capuæ *Ecclesia nulla fuit alia, nisi quam modo dicunt* Divi *Petri* ad Corpus, *in locis sitam vetustæ* Capuæ. *Sed de his alibi.*

In quæ impegit errata tritam indiscrete sectatus notionem nominis Apostoli.

Ac fabulas aniles.

A

PARS II.

In Qua adnotatur quid egerit Princeps Sico, *quando* Neapolim *obsedit. Quid cum* Campanis, *qui* Sicopolim *Castrum, sive Urbem construxerunt. Quid erga suos Optimates civili simultate inter se rixantes.*

I. Sico Princeps, de quo præmisimus, exercitus sui copias adunari jussit, atque magno apparatu *Neapolim* properavit, & eam undique constrinxit, & incendiis eam a foris scilicet denudavit; quam & obsidens aliquanto tempore, viriliter cum *Beneventanorum* exercitu constrinxit. Tunc *Ursus* Electus prædictum *Siconem* jam fatum Principem deprecatus est, ut etiam amplius malum non perveniret, neque sanguis effunderetur *Christianorum*. Ad hæc *Sico Langobardorum* Princeps admonitionem prædicti Electi audiens, destitit, & pacem inientes, atque in scripto Pactum affirmantes inter *Neapolitanos*, & *Langobardos*, & obsides *Neapolitanos* idem Princeps abstulit. Spopondit ipse *Neapolitanorum* Dux cum universis suis hominibus sub terribili, fortissimoque sacramento, atque in ejusdem Pacti fœdere perscriptam paginam affirmavit se daturum illico omni anno tributum, quod inter eos statutum fuit, atque suis numismatibus ad ipsam Civitatem pro mercimoniis graderent, [1] & ipse Princeps *Sico Januarii* Sancti Martyris corpus de Basilica, ubi per longa temporum spacia requievit, elevans, & cum magno tripudio *Beneventum* regreditur.

B

C

II. Hac denique tempestate [2] *Landus Capuanus* Comes una cum Episcopo *Landulfo* suo germano, cæterisque aliis *Capuanis* per jussionem jam dicti Principis Civitatem in Monte, qui [3] (1) *Trifiliscus* dicitur, construxerunt. Sed cum ad finem usque perducta fuisset, prædictus *Landus* Comes, & non pauci *Capuani* cum suo *Landulfo* Episcopo *Beneventum* venerunt, utque ipse Princeps cum non paucis suis Proceribus *Capuam* properarent, vehementer efflagitaverunt. Ipse Princeps eorum precibus annuit, atque cum suis pariter Proceribus, nec non & fidelibus [4] cuneatim *Capuam* gradierunt. Dum constructam, ut diximus, novam Civitatem adiissent, conversus ad suos hujusmodi verba depromit: *Dicite*, inquit, *mei fideles, meique optimates, quo nomine istam Civitatem nimirum vocamus?* Ad quod responderunt: *Hoc tuum est dicere, Domine*; Princeps

D

E

[1] *Ostiensis* lib. 1. cap. 19. ista produxit ex hac, quam ibi indicat Historia, & *Erchemperto* adtribuit. Vide me ad hunc Anonym. *Saler.* pag. 156.

[2] al. *Lando*. Sed vide hic ad finem.

[3] *Ost.* lib. 1. cap. 33. prior. edit. *Triflifcus.* c. 30. secundæ edit. *Triplifcus.*

[4] al. *unitim.*

(1) *Præsentem quoque Notam a servato mihi hactenus more alienam imperitus Anonymus iste extorquet, ne Lector offendas, qui hic leges a* Landone *Comite, &* Landulfo *Episcopo fratribus constructam* Sicopolim *in* Trifisco *Monte tempore Principis* Siconis, *quæ clara res est, ipseque adsentitur Anonymus in altera parte suæ Historiæ non adhuc edita,* Capuam *ad* Volturnum *tricesimum circiter post annum junctim exædificasse, defuncto* Landulfo *patre, sub quo* Sicopolis *oportet contigisse Encænia, sicut dixi in Chronologia Comitum* Capuæ *num* 1. *Sique Chronici illius Auctor, & ex eo* Ostiensis *lib. 1. cap.* 30. Sicopolim *constructam innuunt anno* 840. *id explanatione excipiendum est a me ibi indicata. Et sane idem Anonymus dictum modo* Landulfum *seniorem bene novit, inque ea parte suæ Historiæ huic immediate subnectenda congruo tempori ejus ætatem figit; ita ut manifeste inde agnosci possit, illum probe rem tradidisse, sed constructorum nomina male consignasse, imperitiæ culpa, qua laborat, tum alibi sæpe, tum de Monacho agens* Carolomanno, *quem a* Carolo Magno *non discrevit, istumque Monachum induisse pronunciavit. Cæterum quod ille hoc eodem tradit loco de initis invicem nuptiis inter* Campanos, *ac* Beneventanos, *congruit ejus dicto, quo adserit huic Comiti* Landulfo *filiam* Rofrit *magni Proceris* Beneventani *matrimonio extitisse conjunctam, matremque Principis* Atenulfi *filiam fuisse alterius Proceris ejusdem urbis, nomine* Potelfrit, *qui frater fuerat modo dicti* Rofrit.

F

Anonymus Salernit. *multotiens minus diligens scriptor.*

Filiam *Rofrit* conjugem statuo *Landulfi* cognatus qui fuit *Adelchisi*, filii ejusdem *Rofrit*. At si *Adelchisum* fuisse conve- dicas, uxorem duxisse sororem *Landulfi*, ac perinde ejus cognatum, libens etiam consentirem: quippe hoc pacto convenientius *Landulfi* filius *Landonulfus* filiæ postea nupsisset, *Potelfridi* fratris hujus *Rofrit.*

C. *Peregr.* H

ceps ait: *Sicopolim eam appellamus.* Quibus unus ex *Langobardis* taliter verba depromit; *Non* Sicopolim, *sed* [1] Rebellopolim *eam vocitemus.* At Princeps ira conversus ad illum, promit tunc talia verba: *Pro qua re talia ausus es promere?* Inquit. *Quia subditos habere minime illos jam valemus, nisi consanguinitates pariter cum illis ineamus.* At Princeps conversus ad suos, exinde qualiter ageret a suis fidelibus expiavit. Illi vero ore effarunt, adjicientes: *Nos pariter cum ipsis vicissim jungamus connubia, & sic obtinere erga nos illos prorsus valemus.* Ab illo denique tempore inter se *Capuani* videlicet, *Beneventani*que invicem consanguinitatem junxerunt.

[1] al. Revellopolim.

III. *Rofrit* unde mentionem superius fecimus, validum cum *Azone* conflictum habebat, & crebrissime inter se consurgebant, sicuti mos est Prælatis omnibus. Sed ipse Princeps a foris inter eos dulcia verba promebat, & de intus vero, ut rixam inter se reiterarent gratulabatur, ut ipse eos atterere nimirum valeret.

PARS III.

Qua describitur quo pacto Princeps Radelchis *perimi mandavit insidiantem sibi* Adelchim. *Quibusque fautoribus adversum se firmatus fuerit* Siconulfus *in honore Principatus.*

I. ADelchisi Rofrit filius apud *Beneventum* omni modo satagebat forsitan aliquo modo Principalem honorem invaderet, & suus cognatus *Landulfus* Comes *Capuanus* exinde eum omnimodo adjuvabat. Factum est una die ipse *Adelchisi* dum Balneum perrexisset, atque cum non paucis suis coætaneis juvenibus Palatium adiisset. Cum eos cuneatim per Palatium Princeps *Radelchisi* conspiceret, valde iratus est, atque cum sævitia talia fertur verba promisse, inquiens ad suos: *Protinus gradite, eumque citius comprehendite, moxque per fenestras Palatii foras dimittite, quatenus lapsus ex alto sine mora intereat.* Cum vero sui familiares talia fecissent, atque jam dictus *Landulfus* talia cernisset, excusationem mox intulit; inquit: *Subitaneus dolor præcordia mea nimirum invasit*; atque curvus per Palatium gradiens, quasi minime recte ambulare valeret, sic usque ad suam pervenit domum; moxque ascenso equo, cum non paucis suis fidelibus *Capuam* properavit: ajebat quippe: *Nequaquam sinat me Deus habitare in urbe, unde de alto homines præcipitantur.*

II. *Siconolfus* dum talia audisset, statim [2] *Landulfo* intimandum direxit, quatenus cum ipso pacem iniret. Ille vero, ut talia audivit, valde gavisus est, atque ei in responsis omnem voluntatem scilicet adimplevit. Idipsum *Acherentiam*, *Consam*que intimandum misit, quatenus suus Cognatus *Ursus*, qui præerat *Consanis*, nec non suus alius cognatus *Radelmundus*, qui & illo tempore *Atherentinis* præerat, venirent, & eum ad obtinendum *Salernitanum* Principatum omnimodo adjuvarent. Illi talia audientes, magno gaudio sunt exinde repleti; moxque cum suis *Salernum* venerunt, & Principi *Siconulfo* jusjurandum jurarunt. Ut talia *Radelchisi Beneventanus* Princeps comperit, nimium iratus est, omnesque *Beneventani* furore repleti sunt, nec non & ad bellum sunt præparati, annectentes. *Nituntur nobis jugum imponere, & cervicibus nostris: pugnemus, qualiter colla atterere valeamus: nostri denique incolæ adversus nos consurgere autumant.* [3] Vereor ne a quodam Sophista reprehensionem habeamus. Incolæ, sive advenæ utique adventicii perhibentur, quæ cuncta ex vocabulo *Græ*-

[2] Vide *Erchemp.* num. 15. Ignot. *Cassin.* num. 8. *Ostiens.* lib. 1. cap. 23. & 24. & sup. col. 55. seq.

[3] *Rigordus* in Præfat. de *Philippo* Rege pari modo elocutionis suæ formam tuetur.

A *co*, quod est [1] *henicon.* in Sacris literis habemus interpretata. Ex his derivantur nomina, incolatus, & inquilinatus. trahit autem inquilinus, sicut & peregrinus nonnunquam Dativum casum, ut [2] Augustinus de reprobis: *Sunt autem & ipsi peregrini, & inquilini, non huic terræ, sed Populo Dei, a quo sunt alienigenæ.* Hæc me dixisse sufficiat: nunc quæ obmisimus, delicatius perquiramus.

[1] Ita Papp. Codd.

[2] D. Aug. in Psalm. 118. concione 8. agens de Infidelibus.

PARS IV.

B *Qua describitur quo pacto* Sabbatitius Græci *Imp.* Leonis VI. *Patritius obtinuit* Beneventanum *Principatum anno* DCCCXCI. *Alterque* Georgius *Patritius voluit* Salernitanam *pariter urbem invadere, sed nequivit. Adeptam autem urbem, & regionem* Beneventanam *paulo post amisit*: Guidone *Duce* Spoletii *auctore. Qui* Guaimario *Principi* Salerni *contradere illam disposuerat, verumtamen* Radelchi *priori Principi restituit.*

I. AJo prædictus Princeps dum tenuisset Principatum *Beneventanum* annis VI, & *Urso* filio ejus una cum ipso anno uno, *Sabbatitius* C Stratigo per idem tempus cum valida manu *Beneventum* venit, & undique tentoria non procul a dicta urbe figere jussit, quia minime *Guidonis* adventum metuebat. Cumque præfatam urbem undique coarctarent, & diversis machinis omni conamine expugnarent, *Beneventani* deintus omni modo resistebant; & licet non in patulo, tamen furtim mœnia urbis exiebant, undique *Argivorum* prostrabant catervas; sed dum a III. Id. *Julii* prædictam urbem diversis telis expugnassent, & *Beneventani* fortiter restitissent, præsertim quod jam multos *Græcos* laniassent, callidus ille Stratigo cernens *Langobardorum* duram cer- D vicem, mollia verba promere est exorsus, quatenus per pacem urbem ingredi mereretur; *Beneventani* namque, qui semper nimirum fuerunt sagacissimi, & robustissimi, dum viderent tempus non esse, quatenus *Græcis* resisterent, & copias non haberent, unde exercitus coadunarent, ut palam cum *Græcis* certamen inirent, inter se consilio habito, *Græcorum* phalangem pacifice *Beneventum* introduxerunt, quia jam eam undique obsederant, ut diximus, a III. Id. *Julii* usque ad XV. Kal. *Novembris.* Sed dum prædictam urbem *Græci* dominarentur, & licet dona plurima *Langobardi* haberent, illi tamen valde etenim durum gerebant de moribus *Græcorum.*

Aliis dicitur *Simbaticius. Sabbatichi. Sabbaticius.*

anno 891.

E II. Factum est autem, ut Princeps *Salerni Guaimarius* duos suos subditos propter scelus, quod commiserant, acriter cædere jusserat; at illi confusionem ferre non valentes, propriam liquerunt urbem; *Beneventum* properarunt, atque diu ibidem morarunt. Cumque duobus annis *Sabbatitius* degeret *Beneventum* per subjectionem Augustorum, *Beneventum* deseruit, Regiamque adeptus est urbem; & quidam *Georgius Beneventum* directus est. Sed dum & ille *Langobardos* donis augeret, atque nimirum omni modo altrinsecus honoraret, illi vero omnia pro F nihilo ducebant.

Vide Chronol. Principum Beneventi par. 2.

III. Jam fati *Salernitani*, qui *Benevento* exiliati degebant, ad *Georgium* Patritium clanculo perrexerunt, & in hunc modum verba prompserunt: *Quid dabitis nobis, si nos munitam* Salernitanam *urbem sub vestra ditione committimus?* Ad hæc Patritius cum magno gaudio plurima, & præcipua dona promittebat. Illi vero subjunxerunt: *Statue diem, qua illuc cum magno exercitu pergamus, quia nos incunctanter promittimus illius*

lius civitatis fores esse patefacturos. Ille Patritius, ut auribus auxisset, valde gavisus est, atque ut id fieret omni modo gratulabatur, & sine mora per *Calabriæ*, *Apuliæque* fines misit, & exercitus coadunavit, faciens famam, ut super *Agarenos*, qui illo tempore in *Gareliano* degebant, ex improviso irrueret. Intempesta noctis quando fessi gravi sopore opprimuntur, dictus ille Patritius cum magno apparatu *Salernum* venit, licet *Beneventani* cum eo misti venerunt. Sed dum non procul mœnia properarunt, illi vero exiliati fores urbis properarunt, & arte, qua poterant, Portas patefecerunt, & ocyus Patritio *Georgio* promulgarunt; ille namque valde sese perturbavit, atque id ipsum unum ex suis ad explorandam urbem iterum misit; sed dum, & ille eadem verba retulisset, sagacissimus ille Præsul *Petrus*, qui in Sanctam *Beneventanam* Sedem illo tempore præerat, hujusmodi verba exorsus est: *Pro qua re nos fatigasti, & minime nobis, quæ clam in pectore gerebas, enodasti? Pro certo sc tote, quia si hanc urbem furtim ingredimur, omnes ibidem pariter periemus; & dum tripudiare satagis, veremur ne veniat detrimentum.* Dum hæc, & his similia Præsul prædictus verba repeteret, id ipsum & *Beneventani* exinde inter se susurrarent, Patritius ille nefandissimus ictu percussus, cæterique *Argivi* in fugam conversi sunt. De civitate vero omni modo nil quæ *Græci* gesserant, compererunt. Illi vero conductores malorum, qui fuerant orti ex Vico, cui *Sarranianus* nomen est, dum superati essent, per eundem Vicum perrexerunt, uxores, liberosque, supellectilemque secum gestantes, *Beneventi* fines abierunt. Sed dum *Græci*, *Beneventanique* cuneatim, ut diximus, graderent *Beneventum*, quotquot ex *Salernitanis* in itinere reperiebant, nimirum comprehendebant, secumque pariter conducebant; quia metuebant, ne civibus occultam rem panderent, ne forte *Salernitani*, illos subsequerentur. Igitur dum inter eos comprehendisset virum quendam, *Adelpertum* nomine, & *Joannem*, qui dicebatur *Andreæ* Abbate; & dum simul graderent, *Adelpertus* ille fugam iniit; Sed antequam ille civitatem fuisset ingressus, *Traselpoti* filius *Petrus* Diaconus ante Nocturnum Ecclesiam pergebat; sed dum valvas civitatis adiisset, patefactas conspexit, unde miratus est valde; quapropter veloci cursu domum *Rodoaldi Sculdais* perrexit, atque vocem magnam emisit: Inquit. *Tune es* Rodoalt, *qui fores patefacere intempesta noctis fieri jussisti?* At ille insolito clamore perturbatus est, annectens: *Claves penes me habeo: ocyus illuc pergamus.* Sed dum fores patulas, & seras confractas cernerent, prædicto Principi indicare studerunt. At ille furibundus indignari cœpit, sed nequibat certam rem exinde reperire. Cumque in tali re territi perdurarent, tandem illucescente Sole, *Adelpertus* urbem ingressus est; statimque Palatium adiit, & quæ viderat seriatim Principi aperuit, & adjecit: Joannem Andreæ *Abbatis inter eos conspexi.* At Princeps ait: *Fraude legatus ille* Græcos *huc adduxit.* Inter dicta verba *Joannes* jam fatus urbem & ipse ingressus est, quia dum *Græci* suos fines repetissent, quos comprehenderant, reliquerunt. Cumque acriter fuisset ipse *Joannes* injuriatus ab ipso Principe, ille quamvis territus, ordinatim omnia Principi promulgavit; quapropter exinde satisfactionem recepit. *Atenulfus* sæpe dictus ad instar arundinis se gerebat, nam pacem cum *Athanasio*, interdum cum *Guaimario*, plerumque cum *Græcis* iniebat, & qui prævalebat, illi fidem servabat.

Panici hi terrores frequentes, tum alibi, tum apud *Anastas.* Bibl. in *Hadriano* 1. pag. 153. & apud *Falc.* Ben. pag. 148. & 271.

A IV. *Beneventani* clam consilium inter se inierunt, quatenus se a nexione *Argivorum* eriperent; qui præesse cæteris gentibus soliti erant, ad tempus quasi subesse se videbantur, fremebant, eam *Guaimario* Principi Epistolam ibi in hunc modum miserunt: *Cum omni conamine, omnique nisu satagite, ut nos ab oppressione* Argivorum *eripiatis; quia dum nos sub illorum ditione degimus, vos, qui sanguineo * modo probaris, minime gloriosi persistitis. Tantum vos arctius exoramus, ut* Guidoni *cognato vestro legationem dirigatis, ut citius cum magno exercitu, quasi sororem suam, vestramque conjugem visitaturus veniat; & quomo-*
B *do vos scire faciemus, sic in antea peragite.* Statim ille Princeps strenuissimos aliquantos viros suos misit, ut quæ supra retulimus Marchioni *Guidoni* seriatim enodarent, & adjecit: *Quia si Divinitas abesset, me, meamque conjugem, vestramque sororem, meumque subjectum Populum a* Græcis *captos fuisse.* Dum hujuscemodi verba captasset, deposita omni sævitia, illico cum valido exercitu *Salernum* venit, gaudium patriæ, suæque sorori dicto nomine dedit. Cum vero a foris mœnia *Guido* jam dictus una cum Principe devenirent, altrinsecus inter se luxuriarent, *Guido* ille Marchio incredibilem causam peregit;
C nam sellam, super quam equitabat, staffamque * solitam ponebat, pedemque, super solitum firmabat, & huc, atque illuc discurrebat, equumque valide reventabat, & de suo pede minime diffidebat. Dictis finem demus, & quæ mirabiliter gesserunt omni modo indagemus.

V. Dictus *Guido* una cum suis cuneatim *Beneventum* gradierunt. At *Græci*, & *Beneventani*, licet ficte, omnimodo resistebant; mœnia civitatis minime *Beneventani* ascendere audebant, quia *Græci* Turres, Mœniaque possidebant. *Georgius* ille undique se arctatum cernens, eminentiores prædictæ urbis ad se fecit adscire, & tunc promit talia dicta: *Viriliter agite, atque hostes omnimodo expugnate, quia dum in gestis vestris agnovimus, patres vestri undique Imperatoris* Constantinopolitani *populo inferebant clades.* Ad hæc *Beneventani* dedere responsum: *Urbem hanc illo tempore patres nostri possidebant, & Turres, & Mœnia, aditumque civitatis ipsi observabant. Dum foras contra suos æmulos audaci animo properabant, adversos prosternebant; & ovanter propria revertebantur.* Idem *Georgius*: *Turrim unam, aditumque civitatis, qualem vobis comparet, eligite, vestrumque populum munite, & seras, & fo-*
E *res vos tenete, & æmulorum catervam, Deo prævio, vehementer atterite.* At illi una omnes dixerunt: *Collata nobis potestate, tunc videtis quomodo ab hostibus potenter denique, auctore Deo, liberamus.* His dictis, loricas unusquisque se induit, galeaque omnis se munivit, & contra æmulos, qui videbantur, alacri Marte exierunt. At *Guidonius* exercitus omni modo ad bellum sunt præparati: sed dum utraque acies approximassent, *Beneventani* clam verba dixerunt; ut dum illi civitatem abirent, cum immani stridore, & ipsi civitatem introirent; quod & factum est. Nefandissimus ille Patritius cernens se de-
F lusum, veniam poposcebat, quam adeptus est; nam quinque millia aureos dedit, confusus, & illæsus abscessit. Præfuit & ille *Beneventanis* anno uno, & mensibus novem, & diebus....

VI. *Guido* vero Principatum *Samnitum* obtinuit, & undique ab hostibus liberavit; sed dum, & ille feliciter *Beneventanis* anno uno, & mensibus novem præfuisset, venit nuncius, qui ei intimavit Augustum *Carolum* seminecem jacere: ille vero continuo *Guaimario* cognato suo le-

Historiam dicit *Pauli Diaconi* de Gestis *Langobardorum*.

Ostiens. l. 1. c. 48. tribuit *Georgio*, ann. 3. & mens. 9. vide Chronol. Principum *Ben.*

Fallitur hic auctor nam iste *Guido*, qui *Beneventum Græcis* eripuit, filius fuit alterius *Guidonis*, de quo *Erch.* ista tradit num. 79. Falsus quoque de legatione *Guidonis* &c. Vide Fragmen. Anon. *Benevent.* N. 6.

legationem direxit, ut citius una cum sua conjuge, partimque ex suo populo veniret ad obtinendam *Beneventanam* dignitatem. Ille ovanter una cum jam dicta conjuge, relicto adolescentulo filio, & ipse *Guaimarius* nomine, qui jam Principatum gerebat *Salernitanum*, illuc pergere cœpit. Dum properassent Castellum, cui *Montorium* nomen est, ibidem prandium habuerunt; sed cum alacriter comedissent, ingens pluvia erupit, ut extra limen egredi non auderent. Cumque paululum pluvia defuisset, sciscitaverunt incolæ loci illius, si serenitas adesset; unus illorum ait: *Comparet serenitas adfutura.* Continuo exinde sunt moti. *Avellinum* oppidum gradierunt; sed antequam prædictum oppidum adirent, *Joannem* Clericum, qui præ cæteris audacior erat, ante se incedere jussit, & dum *Adelferium*, qui oppido illius illo in tempore præerat, obviam exinde Principi veniret, iidem *Joannes* in eum audaci animo insurgeret, & protinus de hac luce extingueret; qui dum longe ante pergeret, *Adelferius* ille obviam Principi veniebat, illico prædictus Clericus *Joannes* super eum venit, lanceaque nisus est, ut eum percuteret, in ipsum irruens, ut ab aspectibus illius eriperet; sed non pleniter res ignota cognovit; sed ex cœpto itinere, quamvis territus, properavit. Dum autem ante obtutum Principis deveniret, mutuo osculum pacis sibi dederunt, quod in arca pectoris minime retinebant. At Princeps dulcia verba deprompsit. Ille vero *Adelferius* subjunxit: *Clericus ille, mi Princeps, aut fatuus est, aut Dæmonio detinetur: quia cum ingenti ira contra me venit, & nisi ab aspectu illius declinassem, forsitan de luce hac me extingueret.* Cui Princeps subridens, atque ait: *Solitus est nempe crebrissime nobiscum, cum nostrisque Optimatibus ludere.* At *Adelferius*, ut erat sagax, de se rem gestam cognovit, recepit exinde satisfactionem; quapropter gradierunt simul, atque utrique *Avellino* oppido introierunt. His itaque gestis, *Sol* suas umbras attraxit, & optata nimium noctis pervenit, unde omnes cœnam factam optata sumunt cum charitate. Dictus ille *Adelferius* hac, illac discurrebat, atque per se Principem ministrabat. Ille Princeps, licet finte, eum rogabat, ut Princeps fieret convivii, atque secum ad mensam resideret. Cui *Adelferius*: *Nequaquam talia facio*, [1] *quia domui huic hodie salus facta est*; [2] *& nostra nunc anima magnificata est præ omnibus diebus meis*, [*eo quod talem Dominum una cum sua conjuge, ejusque fidelibus dignum fuit domum meam obtinere.*] Et hæc dicens, vina optima, variaque potionum genera inferebat. At illi avide propinabant. Cœna sumpta, Princeps idem una cum sua conjuge thorum propriè requiescit; cæteri autem sui fideles per domos illius oppidi, quamvis non adunati, requiescere juberunt. Intempesta noctis cum ingenti audacia *Adelferius* prædictus unà cum suis fidelibus super Principem *Guaimarium* irruit, eumque comprehendit, [3] atque luce privavit. Dum vellet amputare testiculos, uxor illius memorata vota super eum ingenti fletu se collocavit, vocemque magnam emittebat, ut amplius malum non augmentarent. Unus ex *Beneventanis*, *Joannes* nomine, [4] per mamillam Principissam illam attraxisse fertur. Alia die mane facto *Salernitani* per domos ubi separati sunt, ibidem sunt detenti, nihilque scientes illud, quod Domino suo acciderat; cumque seriatim intimatum *Guidoni* fuisset, valide infremuit, sed nequibat *Beneventum* degere regnandi ductus cupiditate; & sine mora cum omnibus suis *Avellinum* properavit oppidum, & comminanter ab eis jam dictum Principem expetebant; at *Adelferius* quamvis fœdatum Principem, & suam conjugem, cunctumque populum abire permisit; at illi quamvis cum dedecore *Salernum* reversi sunt.

[1] *Lucæ* c. 19.
[2] *Judith.* cap. 12.
[3] Excæcatus est anno fere 896. Confer. Anon. *Ben.* N. 6.
[4] Sic locum hunc legit *Fræcia de* subf. lib. 1. pag. 91. col. 1. At Scripti Codd. *per tris millia*

Vide Fragm. Historiæ Anonymi *Beneven.* N. 6. fine.

VII. Prædictus *Guido* ocyus *Papiam* perrexit, & *Carolum* defunctum reperit; cursim, quam ambierat, adeptus est Regalem dignitatem. *Beneventum* namque Imperatrix *Racheltruda* nomine regendum suscepit, & præfuit *Beneventanis* anno uno, & octo mensibus. In eandem urbem ingressa est prid. Kal. *Aprilis*, & cum consensu *Beneventanorum Radelchis* germanus suus in Principatum restituitur; qui quippe fere duodecim annis ab eo fuerat expulsus, qui nihilominus simplex erat, & charitate præcipuus; in tantum, ut dicere suis optimatibus solebat: *Quia si mons, cui* Virginis *nomen est, argento purissimo fuisset, non sufficeret in tribus diebus; quia si quis ex vobis exinde tamen poposceret, statim partem tribuerem*; Et pro sua, ut diximus, simplicitate a *Beneventanis* terque, quaterque a prædicta urbe ferme fuerat expulsus, & iterum ad dignitatem pristinam illum videlicet revocabant.

anni 898.

DE SUBSEQUENTI PARTE V.

ANONYMI SALERNITANI.

Atenulfus I. Campanum *Principatum non instituit; qui Beneventanum non divisit.*

Nec ejus filii divisere, Landulfus, *&* Atenulfus:

Q*Uo definito tempore institutus fuerit* Capuæ *Principatus, nullibi manifesta legitur adnotatum narratione: res tamen est satis explorata*, Campanum *Comitem* Atenulfum *adripuisse Principatum* Beneventanum, *ex quo exortus est* Campanus, *anno nongentesimo: quod nobilium* Beneventanorum *exulum factione contigisse, ex solo nostro Anonymo scimus. At novissimi hujus Principatus Dynastiam tunc pariter a priori fuisse discretam, suumque habuisse exordium, peculiaresque* Capuam *obtinuisse Principes, haud facile consenserim; constat enim* Atenulfum, *quod idem adfirmat Anonymus, suscepto Principatu, adhuc* Capuæ *mansisse; certeque ille integrum, sicut acceperat, retinuit, filiisque transmisit*, Landulfo, *&* Atenulfo. *Sub quibus nec ulla videtur subsecuta discissio, quos* Ostiensis *lib.* 1. *cap.* 52. *tradit* Capuæ *pariter inhabitasse, eodemque loco, & cap* 51. *adpellat* Principes Capuanos, *ac utrobique indicat Dynastiam omnem concorditer, indivisеque administrasse, quod cap.* 53. *manifestiori firmat indicio, scribens illos* Præceptum *fecisse* Joanni *Abb.* Cass. *de Curte Petræ* Mellariæ; *& obtulisse*

lisse in S. Sophia Curtem de Pantano prope Beneventum. Quæ discriminata loca ad divisos postmodum Principatus divisim pertinentia, sed ab iis unica, indivisaque elargitione donata; indivisorum jurium testatissima sunt testimonia: Petra enim Mellaria Oppidum est in Comitatu Teanensi, Campanæ Dynastiæ antiquiori etiam designatione subjectum; Ecclesiaque S. Sophiæ posita est intra Beneventum, prope quam urbem describitur a Leone Curtis de Pantano. Non igitur sub his Principibus divisio contigit ulla; quibus adviventibus, duo filii ejusdem Landulfi una cum patre, & patruo Principatus insignia, & nomen suscepere; verumtamen haud illi alio usi, nisi communi, indivisoque jure, quod suadet Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, Chartulæ quoque illis temporibus datæ subindicant, junctim eorundem quatuor Principum nomina præ se ferentes. Nec quidem alia de causa ab Anonymo nostro in Historia non edita, & in postrema Par. num. 7. Atenulfum crediderim adpellatum modo Principem Beneventanum, modo Capuanum: illum scilicet, quem idem tradit de Principatu fuisse ejectum, filiusque reputandus videtur primi senioris Atenulfi; nisi quod Beneventana Dynastia, eo imperante, adhuc indivisa permanserat, nec magis Campanus, quam Beneventanus fuerat ille nuncupandus Princeps. Quod si Campani Principatus nomen comperiatur apud auctores, Ostiensem, & hunc Anonymum de rebus tractantes per tempora actis præscriptorum seniorum fratrum, Principumque, Landulfi, & Atenulfi, id interpretandum haud est, quod Campanus Principatus ex iisdem temporibus exortus, ac seorsim institutus fuerit; sed alia excipiendum est, ni fallor, interpretatione; quod nempe Scriptores præsentem sibi rerum conditionem respicientes, quando jam Principatuum divisio contigerat, unum illud, adhucque indivisum discretis nominibus, antiquo, & novo promiscue adpellarint. Qua pariter mente Luitprandus Diac. Ticinensis in Legatione scribens de primo Landulfo, sub quo, ut monui, nulla facta fuerat divisio, Principem illum dixit Beneventanorum, & Capuanorum, quem solum, præterito ejus conlega, fratreque Atenulfo, commemorat: quoniam, me arbitro, is vere Princeps, hoc est ex concordi fatris voluntate res universas moderabatur Principatus; idque consueto Langobardis more, si Erchemperti verba num. 62. ubi de Landone a fratribus facto Capuæ Gastaldo, rite capio; certeque Luitprandus ibi non alium, nisi seniorem Landulfum designavit, de re tradens acta ante annum 944. quo, vel circa, Princeps ille vita est functus, ut ex Chronologia erit manifestum. Verumtamen non ego abnuerim nomen Campanorum Principum sensim cœpisse audiri ex vulgi usu, etsi nondum Campanus Principatus seorsim institutus fuisset; siquidem Capuæ commorantes Principes novo nomini ansam dedere, quos versa vice Beneventani cives, aliique ex prima, genuinaque dignitate Beneventanos indesinenter, ut arbitror, adpellavere. Principibus igitur Landulfo, & Atenulfo adviventibus, nudum Campani Principatus nomen emersisse opinor. Quibus fato functis, soloque Landulfo juniore, filio senioris, quem dicere opus est secundum, integro Principatui præsidente ab prædicto circiter anno 944, nullam certe contigit fieri divisionem; cujus absolutum, singulareque mansisse imperium, probat idem Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, & Chartulæ proclamant omnes. Deque eodem Landulfo capiendus est Anonymus noster apud Baron. anno 957. num. 1. quo loco contra fidem Scriptorum Codd. non dicitur Landulfus, sed Pandulfus. Illum autem anno circiter 963. vita pariter obeuntem, duo subsecuti sunt filii Pandulfus, cognomine dictus apud Ostiensem lib. 2. cap. 1. Caputferreus, & Landulfus alter, tertius mihi adpellandus: quos pater vivens Principes instituerat, & quos, tum Chartulæ, tum memoratum Chronicon una, indivisèque præfuisse proclamant. Quocirca opinandum esset, nec divisionem adhuc contigisse Principatus. Rem tamen aliter actam subodoro: immo palam lego in Historia non edita nostri Anonymi, nisi is me fallit, qui tradit hos Principes Landulfi filios Beneventanum Principatum bifarie rexisse; Et in postrema par. num. 3. habet Pandulfum, Caputferreum videlicet, ob mortem fratris Landulfi, quæ contigit anno circiter 969, Beneventanum Principatum filio suo Landulfo, qui quartus fuit, adjudicasse, nullo, forsan, demortui tertii Landulfi filio superstite. Cujus Anonymi dicto consentit Diploma a Mario Vipera productum in Chronologia Episc. & Archiep. Beneventi lib. 2. quo iste Pandulfus adseritur Princeps Beneventanæ, & Capuanæ urbium in anno DCCCCLXIX. (Sic ibi restitui debet corruptus numerus DCCCLXIV. idemque pessime emendatus ad calcem operis) VII. Kal. Junii. Bifariam vero Beneventanum Principatum præscriptos fratres obtinuisse, innuit idem pariter Luitprandus, qui Campani, & Beneventani Principis disjunctim meminit, quorum propria tacet nomina, sed modo dictos demonstrat Caputferreum, & fratrem Landulfum; etenim de re agit annum contingente 968. Ergo qui Beneventanus Principatus sub Christianissimis fratribus Landulfo primo, & Atenulfo secundo adhuc divisus non fuerat, sub his Pandulfo, & Landulfo tertio est dispertitus, qui haud fuere Christianissimi, ut videre est in postrema parte hujus Anonymi, & in Nota ad eam ad finem. Idemque titulo tenus, in Chartulis scilicet, communem, indivisamque retinuere avitam Dynastiam, ne, forte, communem nominis dignitatem, neve supputationem annorum Principatus ab patris ævo receptam desererent, non absque legitimæ paternæ successionis præjudicio; ideoque pronunciarunt se non Capuæ, nec Beneven-

Etsi dicti fuerunt Campani Principes.

Ex vulgi usu.

Neque instituit, vel divisit Landulfus nepos.

Sed hujus filii id commisere: Pandulfus Caputferreus, & Landulfus tertius.

Qui tamen in Chartulis commune indivisumque nomen re

tinuere Principum gentis *Langobardorum.* neventi *divisim Principes*, *sed conjunctim ambos* Principes gentis Langobardorum; *quod cæteri quoque omnes*, *tam qui illos præivere*, *quam qui subsecuti sunt in utroque Principatu Dynastæ*, *commiserunt*: *Immo* Salernitani *pariter Principes in Chartulis idem usurparunt nomen*, *quamvis unusquisque communi sermone signanter adpellaretur Princeps possessi a se Principatus. Sique aliter in Chartulis factum aliquando adparet*, *id potissimum contigit*, *quoties in iis Principis nomen demonstratum est*, *qui duos obtineret Principatus*, *alterum hæreditarium*, *alterum vero recenter adquisitum*, *cujusmodi exempla habebis infra in eadem Adnotatione ad septimam postremam partem. Verumtamen cur tam* Campani, *quam* Salernitani, Beneventani*que Dynastæ dici voluerint Principes* gentis Langobardorum, *etsi eorum nemo omnem obtineret gentem*, *vel loca omnia a gente possessa*, & *inhabitata*, *Problema est haud facilis resolutionis*, *silentibus libris*, *nullaque firma opitulante conjectura. Quandoque putavi id factum ventosa quadam æmulatione*, *ne alter dignitate minor altero videretur. Opinatus quoque sum* Campanos, & Salernitanos *Principes*, *qui ex* Beneventano *Principatu*, *hoc est ex Præfectura super omnem gentem olim constituta*, *suas instituerant Dynastias*, *commonstrare voluisse specioso illo titulo eadem integra jura ad se pervenisse*, *quæ non alio*, *nisi ejusmodi tuebantur possessione*: *eademque* Beneventanos *e contra se indiminuta retinere contendisse*: *Tu autem crede quæ libet.*

Causa non satis aperta.

PARS V.

Qua enarratur, *quo pacto* Atenulfus Capuæ *Comes obtinuit* Beneventanum *Principatum anno* DCCCC. *Et* Guaimarius *junior adviventi patri* Guaimario *subrogatus fuit in Principatu* Salernitano. *Idemque* Atenulfus *composuit motus in se* Beneventi *excitatos.*

I. Radelchis memoratus Princeps, *Beneventi* acriter *Beneventanos* cruciabat, licet non per se, sed per subjectionem cujusdam *Virialdi*, qui illos sæpissime convexabat. Idem Princeps, ut erat simplex, eum pleniter auscultabat, in tantum ut illi, qui erant ex genere *Rofrit*, *Potelfrit*que, per quos *Beneventana* urbs illo in tempore, & usque nunc ita manebat, conprehenderet, & ex sua urbe ejiceret. Illi namque *Capuam* gradierunt, honorificeque ab *Atenulfo*, quem supra memoravimus, recepti sunt. Cumque ibidem diu morarent, & sæpe dictus *Atenulfus* tegumentum, dapes, vestimentaque, quemadmodum illis decebat, tribueret, atque alii ex *Beneventanis* ibidem abirent, *Beneventani Atenulfo* hujusmodi verba prompserunt: *Consilium inter nos ineamus*, *quatenus* Beneventanam *urbem capiamus*, *teque ibidem Principem sublevemus.* At ille audito verbo, visus est ei quasi ludens loqui.

II. Inter dicta verba crebrissime idem *Atenulfus* legationem *Salernum* mittebat, nimirum & obsecrabat, ut filiam *Waimarii* Principis senioris *Landulfo* suo filio copulasset, essetque illi subditus, sicut antecessores, & prædecessores illius fuerunt; sed omni modo efflagitationes ejus spernebant, quia *Landonulfus*, & *Pando*, qui fuerant a *Capuana* urbe una cum suis germanis ab ipso *Atenulfo* expulsi, dicebant: *Nolite*, *Domini nostri*, *pacem cum ipso habere*, *quia*, *si prosperum nobis* Christum *fore*, *in proximo illum vinctum ducimus.* Idem *Atenulfus* id ipsum crebrissime *Salernum* mittebat, eademque verba repetebat anxiabiliter; sed hi spernebant ejus flagitationem, maxime resistente *Yota* uxore præfati Principis senioris. Agebat namque: *Ego sum ex Regali stemmate orta*, & *cum subdito nostro consanguinitatem annecto*? *Atenulfus* cernens se delusum, doluit; præsertim cum crebrissime a *Salernitanis* tellus illius deprædaretur; necessitate coactus præfati *Athanasii* Episcopi, & Ducis *Neapolis* filiam suo filio in matrimonium tradidit: Magistri Militum filia *Gemma* nuncupabatur: *Atenulfi* filius dicebatur *Landulfus*,

Erchemp. num. 64.

A & omni modo pacem inter se inierunt sub jurejurando.

III. *Beneventani*que namque intestinum gladium inter se illo tempore habebant, quia, ut diximus, *Radelchis* Princeps simplicitate devinctus erat; quapropter non pauci propriam linquebant urbem, & exiliantibus, qui *Capuam* degebant, se sociabant, unde in unum sunt congregati, atque inter se consilium inierunt, quatenus *Beneventum* invaderent, *Atenulfum*que Principem sublimarent; & inter dicta verba sæpissime monendum suos affines mittebant, donaque plurima promittebant, tantum illorum

B animo consentirent. Quid multa dicam? Non pauci exinde consenserunt, atque dictis illorum jusjurandum adhæserunt, unde omnia seriatim *Atenulfo* studenter intimaverunt. Ille vero gavisus est exinde valde; sed agebat: *Vereor ne prædictum opus minime perveniat ad finem.* His ita gestis, dicti exiliati undique se armis muniunt; audaci animo clam *Beneventum* adeunt, & *Atenulfum* cum exiguis *Capuanis* pariter secum ferunt. Intempesta noctis vi portarum seras confringunt, urbemque *Beneventanam* cum magna virtute ingressi sunt; cæterique alii sui consanguinei sibi sociant. Palatium ascenderunt, &

C *Radelchisum* Principem comprehenderunt, & Ecclesiam, quam Perexcellentissimus Princeps *Arichis* in honorem Dei Filii construxit, eamque *Agiam Sophiam* vocavit, hoc est Sanctam Sapientiam, quia Dei filius est sapientia Patris, deducunt, quia podagrico dolore erat vehementer constrinctus: & undique, qui exiliati erant, urbem adeunt, omnesque in unum conveniunt, & omnis populus, nec non & Proceres una omnes *Atenulfum* Principem sublimarunt. Proceres idem Principes, vel majores: semper nimirum plurale est, antepenultima producta; anni 900.

D generis communis. Dicti a capitibus trabium, quæ extra ædificium procedunt; quia & Principes excedunt dignitatem plurimorum. *Atenulfus*, ut diximus, Principatum *Beneventanum* suscipiens, dona plurima condonabat omnibus hominibus, se humilem ostendebat. Factum est autem, ut quidam vir suæ genitrici *Potelfrit* filiæ nomine intimaret, ac promeret: *Tuus natus* Atenulfus *Principatum* Beneventanum *arripuit*, *ibique illum* Beneventani *sublimarunt Principem.* Audito verbo hoc, valde sese exterruit, atque sine sermone mutula stetit, & quasi in extasi verba effudit: *Ubi sunt illi sublimissimi* Beneventani? cœpitque nominare *Beneventanorum*

E Genealogiam. Illa vero, quæ debuerat de filio

al. mi interpretarique posset Mariæ.

ſio alacriter permanere, mœſta eſt, & de ſuo ſtegmate condolebat, quia ad hoc venerant, ut ab extero dominarentur.

IV. *Guaimarius* namque Princeps *Salerni* valde erga ſuos fremebat, quamvis lumen cæli minime cernebat, licet ſuo filio minime complacebat; in tantum, ut vir quidam nomine *Malchenolfus* poſt ſingulare certamen, quod geſſerat, & victor extiterat, pro infidelitate dictorum Principum publice capite cædi juſſerat, quod & factum eſt. Unde omnes *Salernitani* valde exinde ſunt exterriti, nam dira rabie efferati erant, & verba filii, conjugiſque minime recipiebat. Factum eſt autem una die, ut juxta morem veniret quidam Clericus *Odelpoti* filius, Palatiique Scriba, diſciplinisque liberalibus inſtructus, Palatium; ſed ut ſenſit veſtimentorum ſuorum fragrantiam, ad ſe ocyus illum vocavit; & cum ante obtutum ejus veniſſet, illico in eum manum injiciens, eumque comprehendit, famulisque ſuis præcipiens, ut illius teſticuli amputarent; qui ſine mora juſſa fecerunt, unde omnes *Salernitani* immanem temeritatem cernentes, in unum congregati, juniori Principi in hunc modum ſunt allocuti: *Incunctanter nobis credite, quia omni modo ſub ditione genitoris veſtri minime amplius jam perduramus: ſi committit vobis funditus Principatum, nos ſub veſtra ditione degimus; ſin autem, ſcire vos convenit, quia minime jam ſævitiam illius toleramus.* Princeps *Waimarius* non ſegniter geſſit, ſed conglobatus agmine *Bardorum* eum comprehendit, blandiſque ei eſt ſermonibus allocutus, adjiciens: *Mi pater*, Salernitani *erga me moliti ſunt inſurgere, eo quod minime ſævitiam tuam tolerare valent.* Et hæc dicens, Eccleſiam, quam in honorem Beati *Maximi*, quam Princeps ille *Waiferius* a novo fundamine conſtruxerat, deducunt, ibique illum habitare fecerunt, & ipſe *Waimarius* Principatum firmiſſime *Salernitanum* obtinuit, & omnis populus ſub ditione illius gaudebat, & exultabat.

Depoſitio Guaimarii non contigit ante annum 899. quo in Chartulis reperitur, adhuc dictus Prin. una cum filio.

V. *Atenulfus*, de quo præmiſimus, Princeps, dum aliquo tempore *Beneventum* degeret, *Capuam* rediit: *Beneventum Petro* Epiſcopo, quem ſupra memoravimus, commendavit. Sed ut illam Præſul ille terram gerendam accepiſſet, *Beneventani*, licet non omnes, jusjurandum illius juraverunt, quatenus illorum præeſſet; & quamvis non haberet ex genere ſuo laicam perſonam. * Saltem conjunctio eſt: ſignificat vel licet. Saltim adverbium eſt a ſaliendo dictum; ſicut a ſtringo, ſtrictim; a partior, partim, a curro, curſim; a furor, furtim. Eſt etiam, ſaltim, adverbium præſentis temporis ſicut, nunc, modo. Cumque præfato Principi cognitum fuiſſet, valde ſeſe perturbavit, extemploque clam legationem *Beneventum* miſit, ut fidem promiſſam omnimodo ſervarent. At illi, qui erant, ſicut ſuperius nominavimus, ex genere *Potelfrit*, una cum conſanguineo ſuo Principi *Atenulfo* intimandum miſerunt, ut citius incunctanter *Beneventum* veniret; qui ſine mora, audaci animo, fretus illorum præſidiis, *Beneventum* adiit, & ocyus Præſul jam dictus exinde expulit, & aliquantos ex *Beneventanis* apprehendit, & in carcerem retrudi juſſit. Ille vero Præſul quamvis cum rubore *Salernum* properavit, & aliquandiu ibidem moravit. *Waimarius* Princeps illum honorifice excepit, victum, dapeſque, & alia neceſſaria tribuit.

Confer Fragmentum Anonymi *Benevent.* numero 5. ſciesque vel alterutrum Anonymum hallucinatum; vel *Petrum* Epiſcop. duobus a Principibus bis *Benevento* pari cauſa expulſum, *Salernum*que bis commigraſſe.

DE SUBSEQUENTI PARTE VI.

ANONYMI SALERNITANI.

Q*Uæ hac ſexta parte tradit noſter Anonymus, habet pariter illa, ſed in minori verborum circuitu, pinguiora*, Leo Oſtienſis *lib. 5. cap. 1. & 2. qui nil tradit de expugnatione urbis* Aquini *a* Salernitano *Principe* Giſulfo *peracta: immo nec indicium ullum prodit, adſtitiſſe tunc illum Principi* Landulfo. *Verum ex hoc haud ego Anonymum arguam mendacii, quem novi cordi habuiſſe ſua in Hiſtoria cauſam non aliam, niſi ſuæ patriæ peragere, res ſcilicet ejus extollendo; de quibus nil curæ fuit* Oſtienſi, *& ipſi ad res ſui Monaſterii tantundem propenſo; quocirca nec pariter demirabor,* Leonem Atenulfi Aquinenſis *Gaſtaldi patriam non prodidiſſe, Anonymo quidem deſcriptam. Sed interim dum alter alteri vices rependunt, quidni & ego utriuſque exemplo rem non agam meam, immo literatorum virorum omnium, ſi modo, ut æquum eſt, illi ſuum eſſe putaverint, quod fulgentiſſimi Doctrinarum ſideris* D. Thomæ Aquinatis *illuſtretur vetuſtum genus, & origo? At dices, quid commodus eſt præſens locus talia differendi,* Atenulfus *cum iſte* Aquini *Gaſtaldus Anonymo, &* Oſtienſi *memoratus, & cognomine dictus* Megalus, *haud fuit* Aquinenſis *nobiliſſimi generis caput: ſed* Atenulfus *alter adpellatus* Summucula, *de quo* Oſtienſis *lib. 2. cap. 16.? Eſt tamen perquam acceptiſſimus, namque utriuſque unitas nominis, unitas Dynaſtiæ, & unitas patriæ perſuadet, ut eodem hoc loco non reticeam, vel urbis* Capuæ, *vel præſtantiſſimæ gentis maximum quidem decus.* Atenulfus *etenim* Summucula Campanus *extitit Patritius, ejuſque gens tota ad clariſſimi* Aquinatis *Doctoris tempora, & inferiora quoque, tum* Capuæ *manſit, tum* Campana *fuit exiſtimata; quod ſic ſtare pluribus firmabo.*

Et primo. Quidni Summuculam *illum non reputabo* Campanum, *immo* Campanorum *Principum* Langobardorum, *vel conſanguineum, vel adfinem, qui & ipſe* Langobardus, *ut ejus nomen declarat, urbis fuit Gaſtaldus ſubjectæ eidem Principatui? Certe quouſque* Langobardi *patrios ritus ſervarunt, iſta ſic contingere conſuevere; ni velimus, exterum fuiſſe* Summuculam, *ac confugiſſe ad* Campanum *Principem, a quo pari-*

Anonymus Salernit. *&* Leo Oſtien. *rebus propriis deſcribendis potiſſime incumbunt.*

Quorum exemplo agam hoc loco de gente D. Thomæ Aquinatis.

Qua certe Campana.

Quia primævam Dynaſtiam obtinuit in Campano *Principatu.*

Vide Stemma Principum.

pariter de more Gastaldatum obtinuerit, ut dicebant, ad convivendum. *Quod omni deficiente indicio, temere adfirmaretur. Verum hæc dissertationem quia expetunt prolixiorem, sat modo sit leviter rem præmonstrasse.*

Ejusque stirps; Atenulfus, *de eodem Principatu mansit solicitus.*

Secundo. Atenulfus *idem ille* Summucula, *qui gentis origo, ut* Ostiensis *tradit producto lib. 2. c.* 16. mox ut Abbatem Cassinensem, *nomine* Mansonem, *& Consobrinum* Pandulfi *Principis* Capuæ, Campanorum *factione* cæcatum agnovit, hilaris effectus, *Roccam* vocabulo *Siccam*, quam idem Abbas paulo ante construxerat, funditus evertit. *Atqui idem Auctor cum dicat, Abbatem illum* ob supradictæ Arcis constructionem maximum sibi invidiæ, atque odii fomitem in universo Principatu accendisse, quod quasi non solum Abbatiam, sed etiam Principatum sibi vindicare satageret, & ob ea valde *Capuanis* fuisse infestum, *aperte indicare videtur* Atenulfum *extitisse* Campanum *Procerem, eundemque non alia, quam hac, & priori loco prænotata causa, de Principatu solicitum permansisse, deque ejus excæcatione hilarem devenisse, quæ accidisse oportuit anno* 995. *exeunte.*

Alterque Atenulfus *primævo sæculo clarus haud dubie* Campanus.

Tertio. Ex Aquinensibus *Gastaldis, sive Comitibus non solus* Atenulfus *generis auctor* Campanus *fuit, sed ejus quoque sive filius, sive nepos,* Atenulfus *alter, qui anno* 1052. *sicut legere est in quodam Diplomate apud* Baronium, *Dux erat* Cajetæ; *proindeque gens* Aquina *omnis firma sede fuit* Campana. *En tibi* Alfani Salernitani *Archiepiscopi Epigramma mihi inspectum in scripto Membranaceo Codice Carminum ejusdem auctoris in Bibl.* Cass. *sign. N.* 280. *quod est tale:*

De hoc *Ostien.* lib. 2. cap. 68. & lib 3. cap. 12.

„ Dormit, *Aquine*, tuus Comes hic, *Cajeta* tuus Dux.
„ Magnus *Atenulfus*, *Capua* quem genuit.
„ Magnanimus, sapiens, fortis, pius, impiger, acer;
„ Urnam nam mediam Sole tenente ruit.
„ Ad patriam cæli lux est ubi vera diei
„ Dextra beata Dei tendere donet ei.

Pluresque alii ejusdem generis Proceres Principibus Capuæ *fuere consanguinei.*

Quarto. Comites Aquini, *qui post* Summuculam Atenulfum *eidem urbi præfuere, agnatos fuisse* Langobardorum *Principum* Capuæ, *quod initio adstruebam, satis liquet ex Tabulis Archivi Monasterii* Cassinensis, *quibus in refecto Registro* Petri *Diaconi pag.* 159. *a ter. habetur.* Principes, *Pandulfum* patrem anno sui Principatus 17. & *Pandulfum* filium anno sui Principatus 13. Prid. Idus *Aprilis* Indict. 15. *Capuæ* jurejurando firmasse Abbatiam *Cassinensem* Abbati *Theobaldo* ad preces, & interventu *Adenulfi* Comitis filii quondam *Adenulfi* Comitis; *Joannis* Comitis, filii quondam *Landulfi* Comitis; *Petri* Comitis filii quondam *Landonis* Comitis; *Adenulfi* Comitis filii quondam *Landonis* Comitis, qui clamabatur *Caputo*: dilectis nostris parentibus (*barbariem nil moveo*) & qui sunt *Aquinensis* Comitibus. *Quæ producta annorum Principatuum, & Mensis, & Indictionis consignatio annum monstrat* 1032. *Et hæc de generis origine.*

Sed & pater Divi ibidem fundos habuit gentilitios.

Quinto. Annorum decursu, desitisque Langobardis, & Nortmannis Capuæ *imperare, priscam* Aquinensem *gentem eadem in urbe permansisse, testis est gravis, & ab annis biscentum antiquus scriptor* Joannes Antonius Campanus *Episcopus* Aprutinus *in Oratione de S.* Thoma Aquinate *a se habita, qua de patre agens Angelici Doctoris, hæc habet verba: Landulfus* exorto in *Campania* bello, aliquamdiu adversus *Federicum* secundum quam sceleratissimæ impietatis virum, dimicavit; Ecclesiæ partes secutus. Quo bello & *Capua*, ubi fundos habebat gentilitios direpta est, & *Aquinum* a *Conrado Federici* ipsius filio expugnatum, atque incensum. *Hactenus* Campanus, *qui e regione* Campaniæ, *nam is natus est in Comitatu* Teani, *hoc nomine est dictus; Idemque cum direptionem* Capuæ *a* Federico *patratam adserit, nulli alii memoratam auctori, ne mireris; namque vel ille memoria lapsus, cladem cæteroqui a filio* Conrado Capuæ *inlatam animo designabat, a quo* Aquinum, & Neapolis *una direptæ fuere: vel* Capua *certe ab* Federico *extremis ejus vitæ diebus aliquid damni est passa*, Petro *a* Vineis Campano, *eximiæ eloquentiæ, & dexteritatis viro, Imperatorisque intimo familiari, & a secretis tunc proditionis insimulato, excæcationeque oculorum mulctato; quod novoantiquo exemplo accidit, vineam scilicet a cultore exoculatam suo. Qui igitur* Landulfus *D.* Thomæ *pater (utcumque res fuerit de urbis direptione) fundos* Capuæ *habuit gentilitios, & ille tum genere, tum incolatu haud dubie* Campanus *est reputandus.*

Ejusque soror Capuæ *reddita est Monialis.*

Sexto. Guglielmus *de* Tocho, *qui vitam ejusdem S. Doctoris conscripsit, eundemque visu novit, tradit cap.* 4. *illius sorores quatuor modos adhibuisse*, ut ipsum inducerent ad deferendum habitum Ordinis Prædicatorum: quæ e contra conversæ sunt ab eo; nam sororum majorem taliter convertit monitionibus, & exemplis, quod ipsa mundum reliquit, & intravit Monasterium Monialium *S. Mariæ* de *Capua* Ordinis *S. Benedicti*, ubi propter suam Sanctitatem statim fuit facta Abbatissa. *Ista* Guglielmus, *cui concordat idem* Campanus *ibidem his verbis de* D. Thoma *agens sorores adloquente.* Hæc Dei juvenis (*ait ille*) cum & diceret ex animo, & os, vultumque monentis accommodaret, factum est, ut altera soror natu major, reputans vera, quæ monuisset, dimissis opibus paternis, relicta carissima matre, cum abjecto fastu nobilitatis, Virgini Matri Dei sese initiarit, ingressaque Vestalium claustra, vitam *Capuæ* sanctam, illæsamque

que transfegerit. *Ista* Campanus. Capuæ *igitur* S. Thomæ *soror*, *hoc est patria in urbe*, *Deo virginitatem devovit*; *nescioque an alia excogitari possit ratio*, *cur post fundos gentilitios a patre deperditos*, *adhuc illa* Capuæ *mansit*, *ni sua*, *totiusque gentis fuit patria*. *Cæterum quam ex* Guglielmo *legisti factam Abbatissam in* Campano *Monasterio* S. Mariæ *Monialium*, *eandem credes adpellatam nomine* Marottam, *ac præsedisse haud multis annis*: Marotta *enim* de Aquino *inter alias continenti serie Abbatissas ejus Monasterii adnotatur nostro* Michaëli Monacho *in Recognitione sui Sanctuarii ad annum* 1255. *qui Abbatissam* Altrudam de Petruro *figit ad annum* 1253. & *Abbatissam* Mathiam. . . . *ad annum* 1257. *omnes eidem haud dubie cognitas ex ejusdem Monasterii Chartulis*, *quas summa diligentia*, *ac fide*, *qua solet*, *inspexit*, & *enarravit*.

Septimo. *Nil minus demonstrant* Campanam *inhabitationem non dimissam ab* Aquinensi *gente innumeræ Tabulæ*, *quæ in Archivo habentur Sacri* Campani *Thesauri*, *inque aliis ejusdem urbis*, *quarum barbariem*, & *prolixitatem pertæsus*, *en tibi illarum vice paucula ista*, *sed clarissima*, *firmissimaque documenta*, *quibus liquido agnosces*, Aquinenses Acerranos *Comites*, *hoc est totius generis Proceres clarissimos*, Capuæ *sepulcra sibi condidisse*, *ac ibidem Anniversaria Sacra solemnia iis acta*, *quæ nisi patria in urbe fieri non debuisse*, *omnis consentiet prudens Lector*. *Ubi Monumenta ejusdem gentis plura.*

Capuæ *in antiqua Ecclesia* S. Mariæ *Monialium*, *quæ intra septa modo est Monasterii*, *adest marmoreum sepulcrum hoc descriptum Epigrammate*:

Nobilis hæc mulier *Acerrarum* Comitis nata.
Fieri fceit hopus hoc *Gobitosa* vocata
Thomas secundi dicendo *de Aquino* facundi.
Anno Domini MCCLXXXXI.
Hoc hopus fecit fieri Domina *Gobitosa* filia quondam
Thomasii De Aquino Secundi Comitis *Acerrarum*.

In antiquo Emortuali Membranaceo ejusdem Monasterii habentur adnotata diebus infra descriptis nomina ista:

XII. Kal. *Febr*. *Margarita* Comitissa *Acerrarum*. Anno Dom. MCCCL.
Idib. Febr. *Rainaldus de Aquino*.
III Kal. Mart. Domn. *Thomasius* Comes *De la Cherra*.
Kal. Mart. Domina *Gubitosa De Laurito* Comitissa *Acherræ*.
Kal. *Maji* Dopna *Gobitosa De Aquino* filia Comiti *Acerrarum*.
VII. Kal. Julii. Domina *Juditta* Comitissa *Cerræ*.
Idib. *Jul*. *Gobitosa De Aquino* Monacha filia Comiti *Acerrani*.
XIII. Kal. *Aug*. Domina *Ysabella* filia Comitis *Acerrarum*.
II. Non. *Aug*. Domina *Johanna* filia Comitis *Acerrani*.
VI. Non. *Octobr*. *Thomasa de Aquino* M.
VIIII. Kal. *Januar*. Domini *Landulphi de Aquino*.

In Emortuali antiqui, & *nobilis* Campani *Monasterii Monialium* S. Joannis *Baptistæ*.

II. Idus *Febr*. *Rainaldus de Aquino*.
XII. Kal. *Septemb*. Domina *Joanna de Aquino* Abbatissa hujus Congregationis. *Hujus obitus contigit anno* 1348.

Capuæ *in Ecclesia Cathedrali*, *ut seniorum relatione didici*, Aquinenses *Aram habuere*, *quæ nunc est* Vitellorum, *juxtaque Aram* Marchesiorum; *Sed oculata fide novi in Tabulis Monasterii Fratrum Conventualium* S. Petri *Apostoli nuncupati annis abhinc* 300. *eandem gentem alteram Aram obtinuisse in ejus Ecclesia* Ammirato *quoque memoratam*.

Octavo. *Nil labantem veritatem communit idem gravis*, & *diligens auctor* Scipio Ammiratus, *qui*, *etsi volens nolens*, *eandem adstruit adsertionem*, *cum de* Aquinensi *gente* Italice *differens*, *sic habet*: *De' Conti* di Loreto speditomi, dirò alcune cose di certi *Aquini* di *Capua*, i quali par che vengano da' *Conti* dell' *Acerra*, & che perciò siano in stretto parentado congiunti co' Conti di *Loreto*. *Quibus utique verbis*, & Aquinensium *dignitati*, & Campanæ *urbis decori æque injurius*, *Primores* Aquinates *non reputavit* Campanos, *sed minores quosdam*; *Verum de Comitibus* Acerranis *jam*, *Lector*, *vidisti*, *de Comitibus* Lauretanis *scies modo*. *Meumque pronunciatum ex parte praivit vir magnus.*

Nono. Capuæ *in publico urbis Archivo Diploma autographum*, *membranaceum*, *Regio sigillo*, & *subscriptione communitum habetur*, *datum a Rege* Alfonso *Primo sub die* 4. Aprilis *anni* 1436. *in quo inter cætera dona*, *quæ ab Rege* Campana *urbs expetierat*, *obtinueratque*, *petitio est talis*. Item pro eo quod Excellentes, & Potentes Domini Dux *Suessæ*, Comes *Laureti*, & Dominus *Franciscus Pandonus*, tanquam ANTIQUI MAJORES CIVES, & benefactores dictæ Civitatis magnifica plurima gesserunt pro statu dictæ Civitatis, ac Majestatis prædictæ, dignetur dicta Vestra Regia Majestas gratiose concedere, & assentire, quod prænominati, quantum ad eorum personas tantum, & legitime descendentes ex eis, non obstante, quod non habitent in dicta Civitate *Capuæ*, possint gaudere, & frui omnibus gratiis concessis, & concedendis per ipsam *Et ex toto adseruere, & comprobavere viri maximi.*

psam Majestatem dictæ Civitatis, ac hominibus oriundis, & habitantibus in ea. Verum quod ipsi prænominati Domini non possint inter vassallos, quos habent, & habere contigerit in territorio dictæ Civitatis, exercere, & habere merum, & mixtum imperium; sed dicti eorum vassalli compellantur in criminalibus in Curia Capitanei creandi in dicta Civitate, & in civilibus in Curia Bajulorum Civitatis ejusdem. *Adest subscriptio.* Placet Regiæ Majestati. *Hactenus* Campanæ *urbis deliberata adtestatio, & petitio; nec certe illa absque* Lauretani *Comitis, Ducisque* Suessani, *ac* Francisci Pandonis *civitatem expetentium contestatione; quibus Rex indulgens, aperto commonstrat documento, nec temere* Campanos *sibi de prisca gentium origine imposuisse, nec se inexplorata notitia ejusmodi subscripsisse petitioni: cum cæteroqui manifesta res sit* Marezanos, *e qua gente Dux erat* Suessæ, & Pandonos *non aliam originis, multorumque annorum patriam obtinuisse, nisi urbem* Campanam.

De genere igitur D. Thomæ Aquinatis *hæc mihi satis erunt, quæ nil minus esse poterunt Lectori, qui de iis æquus velit esse judex,* Capuæ*que hanc, multiplicemque aliam vetustissimam, recentissimamque non invidere gloriam, quam patriæ dum tribuo, nulli, quod sciam,* Cis-Tyberinæ *urbi pari jure adsertam injustus præripio. Idque potissimum, quod illam, nedum amicus, & municeps meus* Michaël Monachus *in Sanctuario jam olim edito nonnullis ex his suasus argumentis propalam dedit, quem alia quoque mea pronunciata suo in illo opere, sive amplexatum, sive detestatum æque lætor; sed exteri plerique alii docti sane antiquitatis viri eandem calculo suo firmarunt, maximeque* Ferdinandus De Marra *Patritius* Neapolitanus *Dux* Guardiæ *in* Irpinis, *progenitorum merito, propriaque virtute clarissimus, idemque antiquiorum hujus Regni Stemmatum consultissimus; qui* Campano *huic decori plene, serioque congaudet, &* Aquinensem *gentem hac inductus Dissertatione* Campanam *adsentitur, idque suo in opere, quod his diebus typis tradit, acriori, elegantiorique dicendi charactere posterorum consignabit memoriæ.*

Eidemque subscripsit V. C. Ferdinandus De Marra *Dux Guardiæ* Lombardorum.

PARS VI.

Qua describitur Aquinense *Castrum expugnatum a Principibus* Capuæ, & Salerni, Landulfo, & Gisulfo.

I. ILlo namque tempore *Aquinense* Castrum suo Principi *Landulfo* se rebellavit, & nequibat suis viribus per vim illud nimirum subdere. Quidam *Capuanus Adenolfus* nomine illis præerat, atque cum ipsis suo Principi se rebellaverant. Sed dum certo certius *Landulfus* Princeps talia comperisset, statim *Salernum* misit, quatenus *Gisulfus* Princeps cum suo exercitu validissimo veniret, atque eum omni modo adjuvaret, ut prædictum Castrum suo juri attribueret. Dum autem clementissimo Principi *Gisulfo* intimatum fuisset, ille, ut erat audax, illico suum exercitum congregari jussit, & protinus cum suis iter arripuit, *Capuam*que properavit; deinde *Aquinensium* fines advenit, ipsumque Castrum illico expugnare cœpit. *Landulfus*, de quo supradiximus, Princeps una cum suis omnimodo satagebat, quatenus ipsum Castrum per vim juri suo subderet; sed a Deo non ei fuit concessum, quia diversis machinis illud jam expugnaverat, sed sine effectu permanserat. Sed dum uterque Populus omni nisu exinde decertaret, & illud Castrum illæsum perduraret, unus ex *Salernitanis Sikelmannus* nomine, qui erat ex *Acrimo* oppido ortus, strenuusque vir ad limpianda ligna, clam ad unum ex circumstantibus est locutus: *Volueram veritatem cognoscere, voluntatem Domini mei Principis, utrum ne placet ei, ut istud Castrum comprehendamus, an non?* At ille protinus ei respondit: *Veraciter scito, quia si illud capere potuerimus, magnum gaudium ipse Dominus noster habebit.* Exinde ille inquit: *Volueram, si dignus sum, ex ore ejus talia auribus audire.* At ille dixit: *Ego te illius Ditioni præsentabo.* Vocabatur autem ille, cum quo *Sikelmannus* loquebatur, nomine *Petrus*, eratque Clericus, præcipuusque Medicus, & ab ipso Principe valde dilectus, quem etiam

al Sichelmundus. Sichelmus. For. Acerno *oppido.*

An Episcopus ille hic est *Petrus*, de quo infra parte postrema num. 2.

A postmodum eum in hac Sede *Salernitana* Præsulem constituit; de quo, si vita comes fuerit, plenius disputabimus.

II. Cum vero Principi *Gisulfo Sikelmannus* præsentatus fuisset, in hunc modum promisit talia dicta: *Mi Princeps, velis, ut capiamus hoc Castellum?* At Princeps: *Proinde huc veni, quatenus eundem capiamus.* Et statim exinde exiit, & machinam, quam nos *Petrariam* nuncupamus, miræ magnitudinis construxit, moxque ipsum Castellum *Salernitani* totis viribus, omnique conamine expugnare cœperunt, atque muros illius Castelli fortiter confringebant. Dum
B talia *Adenulfus*, & qui cum eo erant conspicerent, atque aliquanti ex eis mortui essent, illico veniam ab ipso piissimo Principe poposcebat. Ipse præclarissimus Princeps annuit eorum precibus, atque Principem *Landulfum* exinde arctius exoravit, quatenus veniam illis tribueret. Ille vero voluntati ejus assensum præstitit, noxamque illis condonavit, quapropter *Adenulfus* cum sua uxore, suisque liberis, & suis famulis *Gaëtam* illæsum permisit ire; & sic cum magno tripudio *Capuam* catervatim venerunt, donaque plurima magno Principi *Gisulfo Lan-*
C *dulfus* Princeps dedit, suaque arva cum suis ovanter rediit.

Papyr. Codd. hoc un. loco habent *Pandulfus*, sed corrupte, ut Oste lib. 2. cap. 1.

PARS VII.

Quæ & postrema totius Historiæ.

Eaque describuntur gesta Imp. Othonis *Magni contra* Græcos *in* Cis-Tyberina Italia. Gisulfi *primi hujus nominis e Principatu* Salerni *ejectio, & captivitas. Et bellicus conatus Princ.* Pandulfi Caputferrei *pro eadem urbe, & Principatu, sive sibi obtinendo, sive captivo* Gisulfo *restituendo.*

D I. HAc tempestate *Italiæ* Rex præerat *Verengarius* una cum filio suo *Adelverto* nomine. Sed cum multa servitia erga Populum sibi subjectum ipse jam fatus Rex nimirum adnecteret, atque variis casibus eos cruciaret, clam [1] legationem *Langobardi*, *Romanique Ottoni*

[1] ann. 960.

toni Regi *Theutonicorum* miserunt, quatenus veniret, & Regnum *Italiæ* sub sua ditione obtineret: erat siquidem illo tempore *Saxonum*, *Alamannorum*que Rex. Ut talia Rex *Otto* audivisset, valde gavisus est, atque ut id fieret omnimodo gratulabatur, & sine mora cum valido exercitu *Italiam* properavit. At vero Rex *Langobardorum Adelvertus* cum magno apparatu, populoque nimis valido *Clusas* venit, quatenus cum *Ottone* certamen iniret: feruntque plurimi, ut sexaginta millia pugnatorum cum Rege *Adelverto* fuissent. Sed dum una die, unaque nocte ibidem moraretur, & *Ottonis* exercitus ibidem non appropinquaret, non pauci Comites *Adelverti* prompserunt: *Volueramus, Domine Rex, ut* Papiam *cum paucis pergas, & tuo genitori dicito, quatenus* Bardorum *Regnum sub vestra ditione committat, quia nos minime sub illius potestate amplius perduramus: Si vobis committit Regnum, totis viribus pugnamus; sin autem* Italiæ *Regnum extero Regi committimus; quia sævitiam illius, suæque conjugis omnimodo sustinere nequimus.* Sed dum talia patri, matrique intimasset, pater vero dictis ejus obtemperavit; mater namque dicto ejus nullo modo assensum dedit. Quapropter ad *Clusas* reversus est, & suis Comitibus omnia propalavit: At illi omnes irati sunt, protinusque illum reliquerunt, & unusquisque in suis urbibus remeavit. *Otto* Rex namque sine impedimento *Italiam* introivit, atque *Italiæ* Regnum obtinuit; ipsumque *Verengarium* in oppido, in quo cum sua uxore fugierat, quod vocatur Sancti *Leonis*, per vim [1] comprehendit, *Galliam*que vinctos illos direxit: *Adelvertus* cum suis germanis, paucisque fidelibus fugam inivit, atque in Insulam *Corsicam* venit; ipseque *Otto* cum sua conjuge, *Aidelgaza* nomine, *Romam* ingressus est, & a Papa prædicto *Joanne* oleo unctionis [2] est unctus, coronaque suo capite septus, & ab omnibus Imperator Augustus est nimirum vocatus, & multam incommoditatem *Romanis*, & Apostolicæ Sedi intulit, quæ nobis * dicenda sunt per singula.

II. [3] Deinde *Campaniæ* fines advenit, statimque & Princeps [4] *Beneventanus Pandulfus* in ejus venit occursum, & cum ipso, suaque conjuge cum magno tripudio *Capuam* properarunt, & statim legationem idem Imperator *Gisulfo* Principi misit, donaque Regalia, quatenus per semetipsum, si ei durum non est, *Capuam* veniret, & suam sororem, illius Imperatoris conjugem, videret. Sed dum hujusmodi dicta Principi delata fuissent, moxque cum non paucis suis fidelibus Ecclesiam Dei Genitricis introivit, atque nimis eam efflagitabat, quatenus pro suis delictis suum natum arctius rogaret, ut veniam illi tribueret. Et sic commeato accepto a Præsule Sanctissimo *Petro*, incunctanter illic properavit. Cum vero non procul a *Capuana* urbe cum suis venisset, illico *Pandulfus*, & *Landulfus* Principes ei obviam exierunt, atque cum debito honore ad Imperatorem *Ottonem* eum perduxerunt. Ille Imperator ut eum vidit, [5] illico de Throno, in quo residebat, exinde paulum ei obviam exiit, invicemque se osculaverunt. Deinde Imperatrix, ut vidit, atque lacteo vultu conspexit eum super collum ejus ruit, eumque osculavit, atque eum pariter secum sedere jussit, quia ex consanguinitate erat ei conjuncta: agebat plane: *Confrater meus* Gisulfe, *quare non venisti, tuamque sororem non requisisti?* Et inter dicta verba eum amplexabatur, & creberrime osculabat. Idem Princeps ei magnæ pulchritudinis equum cum aurea sella dedit, opesque plurimas, & ab eis

[1] ann. 963 & 964.
[2] ann. 962.
[3] Deinde. An ut inf. num. 3. ad Oram? Certe Otho, coronato filio Othone 2. Capuam petiit.
[4] Beneventanum dicit prisca adpellatione & sua respiciens tempora, quando Campanam, & Beneventanam regionem obtinebat Pandulfus. Vide N. 3. hic adfinem & Dissertationem meam supra ad Partem 5.
[5] ann. 963. Othonem Capuæ adfuisse ... Kal. Septemb. Ind. 6. notat Baronius ex scripto Chron. Vincentii De Vulturno; ... dissen... bus an... quis ... ro... al.

A dona dignissima accepit; & sic cum magno gaudio cum suis *Salernitanis* remeavit, & omnis populus gavisus est.

III. Ipse Imperator [1] deinde *Apuliæ* fines venit, & valide eam dimicavit, & civitatem *Bari* aliquantulum obsedit, & quantum valuit undique constrinxit. Idipsum iterum arva sua remeavit. [2] Iterum *Italiam* venit, *Romam*que properavit, & aliquantulos ex *Romanis* suspendere jussit; quia dum ipse Imperator abesset, valde dictus Papa a *Joanne Alberici* filio fœdatus, & afflictus fuit. Deinde [3] *Calabriæ* fines venit, incendiis, & deprædationibus eam vehementer afflixit, & millia damna, vel oppressiones gessit in Principatu *Salernitano*. Igitur dum *Pandulfus* cum ipso Imperatore in *Calabria* moraretur, ejus germanus *Landulfus* Princeps diem clausit extremum. Tenuit Principatum una cum suo germano jam dictus *Landulfus* annis [4] octo. Fuit denique avidus, & minime divinæ legis tramitem sequutus. Sed dum talia comperisset *Pandulfus*, *Calabriam* reliquit Imperatorem, *Beneventum* venit, suumque filium *Landulfum* Principem sublimavit. Iterum ipse *Otto Ravennam* properavit.

C IV. Dum hæc patrata fuissent, [5] ipse *Pandulfus Ottonem* rogavit, quatenus secum de suis aliquantos mitteret in suffragium, ut *Apuliam* cum ipsis graderent. Ille vero aliquantos ex suis illi dedit, & sic ipse *Pandulfus* cum paucis juvenibus *Beneventanis*, *Capuanis*que civitatem *Buinem* adiit. Dum miseri *Græci* cum hominibus ipsius *Græcis* egressi fuissent, & cum *Pandulfo* pauci fuissent, ad pugnam sunt protinus parati, *Pandulfus*que cum suis super eos irruit, ultimaque cæde eos vastavit; sicque pervenit usque ad Portam illius civitatis. Dum ei obviam quidam *Græcus* nomine. . . . venisset, cum magna virtute, fortique ictu percussit eum, in terram protinus stravit: denuo denique similia fecerunt. Sed cum iterum *Græci* aditum civitatis cum grandi strepitu exiissent, & *Pandulfus*, & qui cum eo erant ad pugnam se præparare maluissent, illico dum retro ipsimet conspexissent, catervatim venire cernerent multitudinem hostium; sed nequibant obtutum illorum discernere, utrum *Pandulfi* homines essent, quos expectabant, an e contrario *Græci*. Sed dum eis approximassent: cognoverunt, quod *Græci* essent, unusquisque omnimodo ad pugnam fuit præparatus. Sed dum bellum inchoassent, statim *Pandulfi* equus vulneratus est, & sine mora extinxit. Sed unus ex suis dum talia vidisset, moxque equum, in quo residebat, exiliens, ipsi Principi dedit: ille vero statim equum ascendit, ut cum *Græcis* certamen iniret; sed nihil ei profuit, quia jam sui dispersi erant, & huc, atque illuc vagabantur incerti. Dum vero *Pandulfus* plurimos ex *Græcis* sauciaret, & jam fessus esset, super eum quidam *Græcus* cum magna virtute venit, fortique ictu percussit, eumque de equo, in quo residebat, dejecit; quia jam arma confracta habebat; & sic super eum irruerunt, eumque comprehenderunt, atque ad suum Patritium perduxerunt, & non pauci ex suis vulnerati, aliquanti comprehensi, aliqui ex eis extincti, & reliqui, quamvis confusi, ad suos veniunt fines. Princeps sæpe dictus *Gisulfus* illuc *Landonem* Gastaldeum in suffragium misit, quatenus cum suis eum nullo modo relinquerent. Et dum illuc gradere festinaret, subito ei in itinere nuncius venit, qui ei omnia intimavit; at ille, quamvis cum mœrore, *Salernum* remeavit. Ille Patritius *Eugenius* nomine *Constantinopolim Pandulfum*

[1] Vere *deinde*, sed anno 969. Confer *Lupum Prot.* hoc anno *Otho* ad *Capuam* aderat 15. Kal. *Febr.* ann. 968. *Witichin.* l. 3. apud *Sigon.* & *Bar.*
[2] ann. 966.
[3] ann. 968. Confer *Lupum Prot.* ad ann. 967. qui eadem corrupte iterat ad ann. 981.
[4] Vide Chronol. Princ.
[5] ann. 969.

cum suis militibus misit, & ille cum multitudine hostium *Beneventi* fines invadit. *Avellinum* oppidum adeunt, & illorum Gastaldeum *Siconulfum* nomine, cum consensu illorum comprehendunt, *Capuam*que properarunt, multosque homines promiscui sexus inibi capiunt: ipsam urbem diversis machinis expugnare cœperunt, obsederuntque eam fere XL. diebus. *Marinus*, qui præerat illo tempore *Neapolitanis*, cum omnibus suis, accepta occasione, *Capuam* venit, incendiis, rapinis. & quidquid reperiri poterant, demoliunt. Sed iniquitas eorum in eorum verticem nimirum descendit; quia dum cerneret ipse Patritius sine effectu ibidem morari, & crebrissime *Langobardi* suos non paucos vulnerarent, atque necarent, & metueret ne forte *Francorum* exercitus super eos irrueret, præsertim cum plurima ope essent ditati, & promiscui sexus fere quingentos comprehendissent, *Capuam* liquit, & cum paucis pacifice *Salernum* venit: reliquum vulgus per *Beneventum* habuit iter, & multa oppida in dolo ceperunt: penes civitatem *Beneventanam* venerunt; ibidem virum unum, qui *Toto* nomine, comprehenderunt; quia germanus *Pandulfi Romoalt* inter *Græcos* a pueritia fuerat, & jam minime patriam suam repetere volebat propter suam superbiam; & sic *Apuliam* remearunt. Ille vero *Eugenius* dum apud *Salernum* per aliquos dies mansisset, & Princeps prædictus *Gisulfus* ei delicias, vinaque optima, diversaque potionum genera sæpissime suis famulis fecisset ministrare, *Apuliam* est reversus.

V. Dum patrata talia fuissent, non multos post dies exercitus *Alamannorum*, *Spoletinorum*, *Saxonum*que *Capuam* venit; sed *Græcorum* phalangem minime ibidem reperit. Deinde exinde sunt moti: territorium *Neapolitanorum* invadunt, undique inibi prædam capiunt, & vehementer una cum *Capuanis* civitatem *Neapolitanam* constrinxerunt: inde sunt moti. *Avellinum* oppidum adurunt, quia *Græcis* se, ut jam fati sumus, tradiderunt, perinde *Beneventani* una cum *Francis* eam expugnabant. Idemipsi *Beneventum* venerunt, Missamque ab [1] Archiepiscopo *Landulfo* audierunt, & corporis, & sanguinis Domini nostri *Iesu Christi* participati sunt. Et sic accepta benedictione a prædicto sanctissimo Pontifice, *Apuliam* venerunt. Ipse *Eugenius*, de quo prædiximus, propter suam crudelitatem comprehensus est a suis, atque *Constantinopolim* missus. Hac tempestate Imperator *Nicephorus* præerat, vir bonus, & justus, atque diversarum gentium præliator, de quo non est nostrum dicere, quia ad aliorum facta percurrimus, scilicet *Langobardorum*. Cum *Franci* catervatim graderentur *Esculum*, repente *Abdila* Patritius cum magna multitudine *Græcorum* exiit eis obviam, ut non procul ab ipsa civitate utraque acies se conjungeret. Sed cum in unum adiissent, & comes *Alamannorum*, *Saxonum*que cuncta gestasset, super eos subito irruit, multosque ex eis interemit: reliquos fugam compulit ire; ipsum autem Patricium occidere noluit, proinde eum secutus est, ut vivum illum apprehendere valeret, sed minime talia facere potuit, quia expeditum equum sedebat; quapropter hastam, quam manu gestabat, illi protinus misit, equumque percussit, atque sauciatus *Esculum* introivit. Ipse autem Comes vocabatur nomine *Cono*. Cuneus alius validus, qui fuerat ab ipso Patritio missus, quatenus ex alia parte clam super *Francos* irrueret, ultimaque cæde eos vastaret, dum talia perficere vellet, atque super *Spoletinos* irrueret, illico *Spoletinorum* Comes, *Sico* nomine, cum valida manu super eum venit, ultimaque cæde eos vastavit; ipsum-

A que *Romualt*, qui illorum præerat, cum non paucis comprehendit, & ne unus ex *Francis* est mortuus, nisi unus ex *Spoletinis* est sauciatus. De exercitu vero *Græcorum* fere ceciderunt mille quingenti viri; auferentesque spolia multa ditati sunt valde; & sic cum magno tripudio *Avellino* oppido adierunt, & sic pacifice *Beneventani* in eodem oppido introiere.

VI. Dum talia peracta fuissent, *Otto* jam sæpe dictus cum multitudine hostium *Neapolim* properavit, atque undique eam animalibus denudavit; statimque conjux prædicti Principis *Pandulfi*, *Aloara* nomine, una cum filio suo exiit
B obviam [2] Imperatori, & virum suum omnimodo commendavit. Ille vero statim *Apuliam* venit, & non procul ad civitatem *Bibinæ* applicuit, & totam *Apuliam* deprædare jussit, ipsamque *Bibinam* fortiter circumdedit. & undique suburbana ejus incendere jussit. Sed dum hæc agerentur, *Pandulfus*, de quo præmisimus, Princeps dum apud *Constantinopolim* vinctus moraretur, atque ipse jam fatus *Nicephorus* Imperator eum plus cruciare satageret, subitanea mors illi Imperatori evenit; nam cum esset justus, & jure legis servator, *Theophana* crudelissima sua uxor propter suæ cupiditatis ardorem una cum *Joan-*
C *ne Simulchi*, eo qui illo tempore Ducatum gerebat, crudeliter illum necaverunt, & Imperium ipse *Joannes* [3] accepit, statimque *Pandulfum* a vinculis, cum quibus nexus erat jussit absolvi, atque celeriter illum in *Apuliam* misit, quatenus *Ottonem* sua arva sine dilatione regredi faceret, & illi *Joanni* Imperatori omnimodo fidem servaret. Dum pervenisset ipse *Pandulfus Barim*, statim illuc *Otto* Imperator misit, ut eum sine mora illius ditioni ipse jam dictus *Abdila* honorifice transmitteret; quapropter illius ditioni miserunt, & per exorationem *Pandulfi* ipse Imperator *Apu-*
D *liam* deserit, & *Galliam* properavit. Ipse vero *Pandulfus* ad dignitatem pristinam est reversus. Hæc me dixisse sufficiat: nunc plane quid ipsi benignissimo jam fato *Gisulfo* Principi, ejusque Serenissimæ conjugi, *Gemmæ* nomine, accidit, quamvis cum mæstitia, seriatim districtius stylo proprio percurramus, atque fidelibus innotescamus.

VII. Factum est autem, ut ipse Princeps in gravi languore jaceret, ante obtutumque ejus sua benignissima mater staret, & dolenter fleret, atque immensas lachrymas funderet. Sciscitavitque eam ipse clementissimus Princeps, pro qua re sic acriter fleret. Illa vero dixit: *Dulcissime fili, proinde ploro, quia meis peccatis merentibus,*
E *derelicta sum a meo viro, & nunc te cerno infirmum, & non habeo consolatorem; quia uterinus meus germanus longe a me abest.* Cui Princeps: *Et quid tibi, mitissima mater, exinde comparet, mox meæ Eminentiæ illico pande.* Et illa dixit: *Volueram, dulcissime fili, quatenus illum cum sua domo huc profecto accersiamus.* Idem Princeps: *Fiat, ut comparet voluntati tuæ.* Cum autem Princeps ille ad pristinam valetudinem Dei nutu venisset, statim suum patruum *Landulfum* cum omni domo sua venire jussit, quia illo tempore *Neapoli* manebat. Fuerat idem *Landulfus* filius, ut fati sumus, *Atenulfi* Principis, & propter suam nequitiam, suam-
F que crudelitatem, & superbiam [4] a *Capuana* urbe, in qua natus fuerat, cum suis filiis fuit ejectus, *Neapolim*que exulaverat; deinde venit *Salernum*, cumque *Consam* a prædicto Principe *Salernitano* obtinuit; sed sua nequitia, suaque crudelitate *Consani* substinere, * celeriter eum exinde expulerunt. Iterum ex urbe *Salernitana* fuit ejectus, & *Neapolim* properavit: nunc vero, ut fati sumus, *Salernum* cum tota domo sua, relicto *Neapoli* filio suo viro callidissimo, & ipse *Landul-*

Pacifice quidem; nam *Gisulfus* ad *Græci* Imp. obsequium redierat, a quo invitus discesserat, *Græcis*que occulte cum faveret, sero suffragium miserat Princ. *Pandulfo*, ut col. præc. Vide etiam col. 107.

[1] Postquam *Campana* Ecclesia Metropolis reddita fuerat anno 968. primus *Beneventi* Archiepiscopus constitutus est hic *Landulfus* ann. 969. sub quo titulo memoratur quoque in Scripto Chr. Monast. *S. Barth. De Carpineto* lib. 1. Vide *Baron.* ad annum 968. N. 66. & *Marium Viperam* in Chronol. Episc. & Archiepisc. *Ben.* lib. 2.

[2] ann. 970. 8. Kal. Jun. Indict. 13. Otho aderat in *loco dicto Sillice Territorii Capuani* ut ex ejus Diplom. in Reg. Petri Diac. p. 72. in Arch. Cassinensi.

[3] ann. 970.

[4] In parte Historiæ non editæ expulsum dixit *Atenulfum Pr. Beneventanum sua urbe* eun-

demque recessisse *Salernum*, ac exulem obiisse, quem puto filium *Atenulfi* primi. Vide me in Stemmate Princip. & ad hujus Anonymi partem. 5.

dulfus nomine, ad habitandum pervenit. Sed dum *Salernum* adiissent, ipse mitissimus Princeps, licet non recte gessisset, ei victum, opesque varias, domosque dedit; prædiis, colonisque eum ditavit, *Consam*que eidem obtinendum tribuit. Quid multa referam; secundum eum in hac urbe constituit. Valde veremur, ne a quodam sagacissimo, qui liberalibus disciplinis a pueritia est eruditus, habeam reprehensionem: sæpe enim vir, qui est minime audax, hostium insidias pertimescit, plus nimirum, quam audax. Sic denique & nos, qui liberalibus disciplinis periti plenissime non sumus, crebrissime gnaros timemus; quapropter quantum valemus rationem illorum reddimus. Secundum, quando nomen est ordinis, in penultima acuitur; ut est illud [1] Beati Gregorii: *Joannes in spiritu, & virtute* Eliæ *præcessit ante Dominum, quia sicut* Elia *secundum Domini adventum præveniet, ita iste prævenit primum.* Quando verò præpositio est, omnibus syllabis gravatur, & duplicem habet intellectum modo propinquitatem; ut *secundum fores*; id est prope; vel juxta januas. Modo vero notat æmulationem, id est imitationem, seu similitudinem; ut, *secundum Apostolos vivo*, id est similiter, ut illi, quod *Græcè. Cata.* dicitur. unde & Euangelium. *Cata. secundum* Matthæum. Item, quando nomen est, similiter in penultima acutum, tunc significat prosperum, vel tranquillum, atque quietum, & placidum; ut illud Virgilii, [2] *Ventis secundis.* Unde & verbum derivativum est: Secundo, secundas, secundat. idem ac, tranquillo, tranquillas, seu prosperum facio, vel quietum, ac suave facio, mitigo, placo, propitium facio. Credo equidem quia peritis sufficit testimonium ab imperito prolatum: nunc vero, quæ obmisimus, iterum arctius indagemus.

[1] B. Gregor. Homil. 7. in Joannem. Sed ille verba dat parumper immutata.

[2] Æneid. lib. 3.

VIII. Habebat plane nefandus ipse *Landulfus* quatuor filios: *Landenulfus*, *Landulfus*, *Indulfus*, & *Guaimarius*. Ipse *Landenulfus* habuit unum glaucosum oculum: desponsavit puellam quandam [3] *Tassagaldi* filiam. Dum illuc civitatem *Tranam* cum non paucis nobilibus, ut eam *Salernum* cum magno tripudio perduceret, perrexisset, in itinere eum febris invasit; qua mox correptus, acrique cœpit ardore fatigari; Deique nutu in *Consana* civitate est extinctus. Gaudium plane est versum in luctum, ipsaque puella, quamvis corrupta, cum suis hominibus suos repedat fines, ejusque cadaver per jussionem dicti Principis *Salernum* deducunt. Dum iste *Landenulfus* obiisset, statim ipse Princeps ad se accersiri jussit callidum illum *Landulfum*, qui fuerat *Neapoli* derelictus, eique [4] *Laurini* Castellum ad obtinendum dedit, quod suus extinctus germanus tenuerat, atque cum domo sua & ipse *Salernum* venit. *Indulfi Sarnum*, *Guaimari Marsicum*, pæne omnia fiscalia suæ ditioni tradebat: omnis *Salernitanus* populus, nec non & sublimes exinde valde fremebant. At ille nefandus *Landulfus* una cum suis callidissimis filiis *Salernitanis*, quibus se credere poterant, pro Principis, suæque conjugis interitu copiosa præmia condonabat, & hac illac proinde clam pergebat, & sermonicia-bat, nec non sacramenta exinde recipiebant, quatenus *Salernitanum* Principatum invaderet, ipsumque *Indulfum* Principem constituerent; & si quislibet ipsi benignissimo Principi, suæque dilectissimæ conjugi prædictam rem intimasset, minime dictis illius credebat.

[3] al. Tassilgardi.

[4] al. Laurum.

IX. Factum est autem eo tempore, ut sæpe dictus *Pandulfus* cum multitudine *Spoletini*, nec non & suum populum *Neapolim* adiisset, & eam undique variis casibus cruciasset, & omnimodo nitebatur, quatenus prædicti Principi *Gisulfi* ter- A ram invaderet; sed dum ipsi sagacissimo Principi fuisset cognitum, repente multitudinem hostium congregare jussit, moxque locum, ubi *Flumicellus* dicitur, misit, cavæque sunt ibidem antiquitus factæ, & est tutissimus locus. Dum illuc validissimus suus exercitus pergeret, atque forti animo ad bellum esset paratus, audito hoc *Pandulfus*, & qui erant cum eo, minime *Salernitanorum* adiunt fines. Sed dum *Salernitani* non paucis diebus illic mansissent, consilium pessimum nefandus *Landulfi* filius una cum *Maraldi* filio *Riso*, & cum *Romoaldo* filio *Teurici* illuc inierunt, quatenus, ut prædiximus, *Salernitanum* Princi- B patum invaderent. Cumque omnes per jussionem jam dicti Principis in suis ædibus remeassent, atque funditus locum illum liquissent, in magna pace degerent, & ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent, surrexit contra eundem Principem filius iniquitatis cum omnibus suis filiis, ut prædiximus, *Landulfus* nomine, per quem in Principatum *Salernitanum*, perturbata pace, maximæ populorum factæ sunt strages; & *Risum*, & *Romoalt* una cum suis eos omnimodo adhortabantur, quatenus facinus adipiscere valerent; & non tantum ipsis, verum & aliis C infanda reannectebant. Cumque per multos dies exinde satagerent, atque cui se credere poterant, nunciabant, & promebant: *Numquid non scitis, quia vult Dominus noster* Gisulfus *vobis abstrahere oculos?* Id ipsum eorum jusjurandum jurabant, & omnimodo eos contestabant, ut dictum illorum minime proderent. Quid multa dicam? Quotquot ipse benignissimus Princeps diligebat, *Landulfus* cum suis filiis illos exosos habebant: cui Princeps minime credebat, clemens erat, & illos pleniter diligebat, atque sibimet sociabant: cui ille minas, illi vero dulcia verba referebant. Quid multa referam? Ille ignis, qui in eorum D corpora ardebat, jam foras illum per eos evomebant, atque non solum eorum animas, verum etiam corpora illum omni modo concremabant. *Landulfus* vero una cum suis filiis jam dudum conceptam iniquitatem pariturus, annitentibus *Risone*, & *Romoalt*, sed aliis ex *Salernitanis*, Principatum ejus, & Palatium hoc modo invaserunt. Intempesta noctis, quando sopore gravi fessa corpora premuntur, jam dicti *Landulfi* filii cum paucis Palatium, non per januam, sed per fenestram ingrediuntur, & quos ibidem dormire compeRiunt, comprehendunt, ibique [5] Ostiarium prædicti Principis, *Balsamum* nomine, vehementer E constringunt, & sic ad aulam, ubi ipse benignissimus Princeps cum suaque Serenissima conjuge quiescebat, audaci animo properarunt, atque ex more illius fores pulsarunt. Cumque talia Princeps ipse audisset, miratus est, suæque conjugi cuncta prædixit: *Quis est, qui nos insolita hora inquietat?* At illa ad januam per semetipsam venit, eosque sciscitatur, qui essent? At illi nomina sua dixerunt, statimque eis januam patefecit. At illi ingressi, Princeps eos perquisivit: *Quare intempesta nocte ad me, fratres, venistis?* At illi dixerunt: *Quia* Salernitani *arma tulerunt, & te propter tuam uxorem occidere volunt.* Et hoc F dicentes, eheu prædolor, in eum manus injecerunt, eumque comprehenderunt, suamque benignissimam conjugem foras dederunt, injuriis eam afficiunt, & in ipso Palatio eam includunt; ipsumque piissimum Principem in altissima Turri, quam olim Proavus ejus *Waimarius* construxerat, deposuerunt, & est sita juxta ipsius civitatis Portam, quæ ad mare deducit; omnemque ejus thesaurum diripuerunt. & sic per domos illorum, cum quibus illud peccatum consiliaverunt, pergunt. Et si quis eos interrogabat de re,

[5] al. *Vestiarium.*

Sic scripti Codd. sed Proavus *Gisulfi* certe fuit *Waiferius*, qui eam construxit Turrim, ut dicam alibi.

re, quæ acciderat, illi promebant: *quia ambo pariter mortui sunt:* & protinus *Alfanum* patrem Sereniſſimæ Principiſſæ vocari, quaſi a parte piiſſimi Principis, juſſerunt. Sed dum ille more ſolito illuc pergere maluiſſet, repente illum comprehenderunt, & *Petrum*, & *Pandonem* Archidiaconum ejus nepotes. Deinde eos Palatium adierunt, quia putabant Principem cum ſua conjuge extinctos, quemadmodum ipſi crudeliſſimi feciſſe juraverant, & ipſi *Landulfo* Tyranno jusjurandum juraverant: *Riſo*, & *Romoalt* una cum ſuis omnimodo decertarunt, & ſequenti nocte ipſum jam dictum Principem una cum ſua conjuge *Amalfiam* deducunt. [1] Illa vero, quæ antea purpurata, contextiſque ex auro veſtibus, ac gemmis ipſa per Palatium gradere conſueverat, poſt tecta vilibus veſtibus, ipſaque confuſa jacebat.

[1] Ejectus est *Gisulfus* e Principatu paulo ante annum 974. quo iterum illum obtinuit. Vide Adnotationem meam ad hanc 7. partem.

X. Cum talia peracta fuiſſent, *Marinus*, qui illo tempore præerat *Neapolitanis*, & *Manſo* Patritius *Amalfitanorum Salernum* cum nonnullis paucis venerunt, atque *Landulfum* nitebantur adjuvare, quatenus Principatum ipſe firmiter obtineret. Sed non valet ſuffragium humanum, ubi non adeſt Divinum. Ille *Neapolitanorum* Patritius *Marinus* oblitus beneficiorum tantorum, quæ in eum Princeps *Giſulfus* impenderat; oblitus etiam jusjurandi, quod juraverat, cum omni conamine, ſuiſque hominibus omnimodo eum videlicet adjuvabat. Facta eſt autem tribulatio omnibus, qui eum diligebant, maxime Sacerdotibus, & Clericis, nec non & Judicibus, quos *Giſulfus* ſolitus erat. * Sed dum omnis populus comperiſſet, quod ipſe cum ſua uxore adhuc viveret, licet non in patulo, & tamen clam exinde ſuſpiria traheret; & deintus fortiter de illuſione, quæ facta fuerat, fremebat. Facta eſt non minima diſſenſio inter germanos pro Principali [2] ambitione. *Indulfus* ſuo patri iniquiſſimo promebat: *Numquid non mihi jam nuper cum tuis natis juraſti, quatenus me Principem ſublimares?* At ejus pater in extaſi denique erat, & quid ageret penitus ignorabat. Ipſe vero *Indulfus* quidquid habere poterat, illud dabat, clam & ſacramenta recipiebat. Id ipſum [3] *Indulfus* omni niſu exinde ſatagebat, & prædictum *Marinum* acrius efflagitabat, ut eum omnimodo adjuvaret ad obtinendum Principalem honorem. Dum vero utrique omni niſu decertarent, conſilium inierunt, quatenus *Indulfum* comprehenderent, & clam illum *Amalfim* dirigerent; quod ſine mora talia fecerunt. Sed dum ipſe *Indulfus Amalfim* fuiſſet miſſus, ſtatim omnis *Salernitanus* Populus illi crudeliſſimo juniori *Landulfo* jurarunt: ſed dum aliquot dies *Indulfus* ipſe *Amalfim* degeret, iterum *Salernum* per juſſionem amborum iniquiſſimorum rediit. Cum vero *Salernum* reverſus fuiſſet, cœpit iterum plurimis dona largiri, conſilium inire, quatenus per Caſtella ſe communirent, & *Pandulfi* juri ſe traderent .... *Quia meus genitor una cum crudeliſſimo germano intendit vos lumine privare.* Illi vero erant ex genere jam fati Principis benigniſſimi. Statim per Caſtella ſe communivere; nam Domini ſuper illos dicta veniebant; qui dixit: [4] *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Et alibi: [5] *Omne Regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur.* Illi nefandiſſimi plantati erant a Deo, plantati fuerant ad bonum, & non ad malum. Illi vero contra ſuum Dominum ſurrexerunt juſto Dei judicio, ut filius adverſus patrem, & frater adverſus fratrem conſurgant, atque omnes ſimul depereant. *Riſo* jam dictus, & *Romoalt* pœnitudine ducti, & licet non in patulo, & tamen clam ſuſpiria trahebant, & quibus ſe credere poterant, hujuſmodi verba eorum promebant, ſcilicet: *Melius nobis fuerat, ſi nati non fuiſſemus, quando piiſſimum Dominum noſtrum tradiderunt una cum ſua conjuge.* Et inter dicta verba ululabant, & dolenter flebant; pro qua re neſcimus, utrum ipſe jam dictus *Landulfus* una cum ſuis filiis promiſſiones, quas illis promiſerunt, non adimpleverunt, aut de theſauro exiguo dederunt illis. Quapropter per juſſionem illorum nequiſſimorum *Amalfim* perrexerunt, & ante obtutum mitiſſimi Principis venerunt, ejuſque conjugis, & multum illic pariter fleverunt, & illi Principi, ejuſque conjugi, arte qua poterant, promiſſiones fecerunt, quatenus, ſi valerent, in proximo ad dignitatem priſtinam illos facerent remeare, tantum illis veniam tribuerent, Quid plura? Fleverunt, & inter ſe ſacramenta dederunt. De illo die ſtudenter *Riſo*, & *Romoalt* omnimodo exinde decertarunt.

[2] al. *habitatione.*

[3] Forte. *Landulfus.*

[4] Matth. cap. 15.

[5] Lucæ cap. 11.

XI. Dum Principi *Pandulfo* ab illis nobilibus, qui per Caſtella manebant, (1) nunciatum fuiſſet, qua-

Hiſtoria Anonymi Salernitani mutila.

(1) *Quod reliquum erat hujus Hiſtoriæ immani intercidit jactura: idque caſu, an conſilio acciderit: res eſt incerta. Principem vero* Pandulfum *obtinuiſſe urbem, ac Principatum* Salerni, *innuit idem Anonymus in Carmine, quod poſt illam adtexuit, & ipſe conſimili loco dabo, de quo dixi, cum de eodem egi Auctore num.* 9. *Idemque ſimiliter probant nonnullæ antiquæ Chartulæ, quæ adſervantur in Archivo antiqui, & nobilis Monaſterii* Sanctiſſimæ Trinitatis Cavenſis *urbis, & in Archivo antiqui, & pariter nobilis Monaſterii* S. Laurentii *urbis* Averſanæ, *at illas hoc loco producam, quod rem prorſus ignoratam mire illuſtrent. Verumtamen negotium faceſſere videtur, quod* Pandulfus *dici cœpit Princeps* Salerni *ab anno* 978, *quando ejus filius, pariter dictus* Pandulfus, *Dynaſtiam illam obtinuerat ab anno* 974. *adoptione Principis* Giſulfi, *& ejus uxoris* Gemmæ, *ſicut conſtabit ex Tabulis modo producendis. Sed nodum ſolvo.* Giſulfus, *qui Principatum obtinebat in* Decembri *anni* 971. *ut conſtabit ex Chartulis, carceri eſt mancipatus a* Landulfo *anno, certe, vel* 972. *vel ſequenti* 973. *Tuncque* Pandulfus *pater obſidione cinxit urbem ab* Indulfo, *& a conſanguineis invitatus captivi Principis,* qui per Caſtella manebant, *& eandem adeptus eſt, ejecto inde invaſore* Landulfo: *quam non ſibi adſeruit, ſed legitimo Principi* Giſulfo *reſtituit anno* 974. *non poſt* Junium. *Iſque ſive grati animi, ſive pacti lege obſtrictus, ejus filium adoptavit, Principemque* Salernitanum *inſtituit initio circiter* Septembris *ejuſdem anni, unaque ambo Principes advixere uſque ad annum* 978, *quo adoptans obiit, &* Pandulfus *pater dici voluit una cum filio Princeps* Salerni, *quo tempore Anonymus noſter Hiſtoriam ſuam clauſit, eidemque illam nuncupavit. Iſta ſic ego explano, alter plenius, & planius quod opto. Promiſſæ vero Tabulæ ſunt hæ:*

Suppletur non temere narratione.

I. *In Archivo* Cavenſi *in Arca ob feſtinationem cum ibi adfui haud mihi ſignata, nec erat tunc animus* Salernitanorum *Principum ſerio tractare Chronologiam, eſt Chartula ſcripta.* Anno 39. Principatus Dom. *Giſolfi.* Menſe *Julio* Indictione 14.

Faventibus antiquis Tabulis.

II. *In eodem Archivo eſt Chartula ſcripta.* Anno 39. Principatus Dom. *Giſolfi* Menſe *Septembri.* Indict. 15.

III. *In eodem Archivo eſt Chartula ſcripta.* Anno 42. Principat. Dom. *Giſolfi.* Menſe *Junio.* Indict. 2.

IV. *In eodem Archivo eſt Chartula ſcripta.* Anno 42. Principatus Domini *Giſolfi*, & primo anno Principatus Dominæ *Gemmæ* ejus uxoris, & Principatus *Paldolfi* optati filii eorum Menſe *Decembri.* Indictione 3.

V. *In eodem Archivo eſt Chartula ſcripta* Anno 45. Principatu *Giſolfi*, & 3. anno Principatus Dominæ *Gemmæ* ejus uxoris, & Principatus *Paldolfi* optati filii eorum. Menſe *Auguſto* Indictione 5.

VI. *In eodem Arch. In Arca* 88. *eſt Chart. ſign. num.* 13. *ſcripta.* Anno 36. Principatus *Paldolfi*, & 1. anno ejus *Salernitani* Principatus. Et 5. anno Principatus *D. Paldolfi* filii ejus. Indictione 7. *Menſis non fuerat adnotatus.*

VII. *In eodem Archivo. In Arca* 59. *eſt Chartula ſignata num.* 275. *ſcripta.* Anno 36. Princip. Dom. *Paldolfi.* & 2. anno ejus Princip. *Salernitani.* Et 5. anno Princ. Dom. *Paldolfi* ejus filii. Menſe *Julio.* Indict. 7.

VIII. *In Archivo* Sancti Laurentii, *quod tunc cum ibi aderam, non adhuc fuerat firma Chartularum inlocatione diſpoſitum, ideoque numerus Arcularum nullus eſt mihi adnotatus, aderat membrana ſcripta.* Anno 37. Princip. Dom. *Paldolfi*, & 2. anno Princ. ejus *Salernitani.* Et 6. anno Princ. Dom. *Paldolfi* ejus filii. Menſe *Octob.* Ind. 8.

IX. *In Archivo* Cavenſi. *In Arca* 88. *eſt Chartula ſignata num.* 22. *ſcripta.* Anno 37. Princip. Dom. *Paldolfi*, & 2. anno Princip. ejus *Salernit.* & 6. anno Princ. Dom. *Paldolfi* filii ejus. Menſe *December.* Indict. 8.

X. *In eodem Archivo. In Arca* 59. *eſt Chartula iterum producta, ac ſignata num.* 275. *quæ alteram annorum conſignationem exhibet ſic.* Anno 37. Princ. Dom. *Paldolfi*, & 2. anno Princip. ejus *Salernit.* Et 6. anno Princip. Dom. *Paldolfi* ejus filii, Menſe *Martio* Indict. 8.

XI. *In eodem Archivo* Cavenſi. *In Arca* 59. *eſt Chartula ſignata*

quatenus cum suis veniret, & una cum ipsis urbem *Salernitanam* expugnarent, magno gaudio est repletus, & sine mora *Salernum* venit. Illico *Indulfus* exiit obviam ei, & *Consam* ab eo exposcit. Sed dum a prædicto Principe responsum ei fuit, quod minime talia facere valeret, ab obtu-tu illius cum mæstitia exiit, *Salernum*que rediit, & omnimodo nitebatur, quatenus *Salernum* remearet; sed nil ei profuit, nam a suis comprehensus est; atque per jussionem jam dicti *Landulfi* est delata * Princeps idem *Pandulfus* cum suis, & cum *Salernitanis*, qui per Castella manebant,

signata num. 218, *scripta* Anno 37. Princ. Dom. *Paldolfi*, & 2. anno Princip. ejus *Salernit.* & 6. anno Princ. Dom. *Paldolfi* filii ejus, Mense *Aprili.* Indict. 8.

XII. *In eodem Archivo. In Arca* 101. *est Chartula signata num.* 297. *scripta* Anno 38. Princ. Dom. *Paldolfi*, & 3. anno Princip. ejus *Salernit.* & 7. anno Princ. Dom. *Paldolfi* filii ejus. Mense *Februar.* Indictione 9.

XIII. *In eodem Arch. In Arca mihi festinanti non adnotata, est Chartula scripta.* Anno 7. Princ. Dom. *Paldolfi.* Mense *Junio.* Indict. 9. *In qua adest infrascripta adtestatio.* Ante nos *Guidonem*, & *Aldemarium* Judices. Nos *Paldolfus* Princeps filius bonæ mem. D. *Paldolfi* Princ. declaro, quod *Gisolfus* & *Gemma* adoptaverunt me in filium; propterea *D. Jo.* Veneraii. Pontifex S. Sedis *Salern.* &c.

XIV. *In Archivo* S. Laurentii *erat Chartula, cujus Arcam non adnotavi eadem causa, qua supra; eaque scripta* Anno 4. Principatus Dom. *Landonolfi.* Mense *Martio.* Ind. 14. *Et infra.* Ego *Aloara* relicta Principis *Paldolfi*, filia *Petri* Comitis, cum consensu supradicti *Landonolfi* Principis, & *Gisolfi* germanis filiis meis pro redemptione animæ *Paldolfi* Principis viro meo, & *Paldolfi* Principis *Salernitanæ* civitatis filio meo, & *Landolfi* Principis, & *Atenolfi* Marchionis filiis meis, do, trado, &c.

Has autem Chartulas in Tabella per annos sic digero.

Quas expansa Tabula explico sed sobrie.

An Chr.		Princ. *Gisul.*			Mense	Indict.
971	I. *Chart.*	39			*Julio*	14
	II. *Chart.*	39			*Septem.*	15
972		40				1
973		41				2
974	III. *Chart.*	42			Junio.	2
			Gemmæ.	*Pald.*	optati.	
	IV. *Chart.*	42	1	1	Dec.	3
975		43	1	1		3
			2	2		4
976		44	2	2		4
			3	3		5
977	V. *Chart.*	45	3	3	Aug.	5
		45	4	4		6
978		46	4	4.		6.

Gisulfus, *ut reor, obiit decurrente anno* 46. *sui Princ. Mense circiter* Junio. *At* Pandulfus Caputferreus *dici cœpit Princeps* Salerni *non post* Octobrem *Indictionis* 7. *ut ex subsequentibus Chartulis probatur. Igitur anno percurrente* 978; *quo obiisse oportuit* Gisulfum. *Idem vero* Paldulfus *patrium Principatum iniit circa initia Mensis* Septembris *anni* 943, *de quo alibi; quocirca singulis annis enumeratis ab Incarnatione adscripsi duos incompletos annos ejus Principatuum; quod pariter eadem de causa factum est in annis* Paldulfi *ejus filii, fierique debet in omnibus consimilibus ratiociniis, & in numeris Indictionum. Ad* Gisulfi *autem annos non hac opus fuit distributione; qui Kal.* Januarii *anni* 933, *nisi mea me fallit supputatio, quam ex Chartulis deduxi, constitutus est Princeps a patre* Guaimario *juniore, ætateque triennis, ut Anonymus* Salern. *tradit in Historia non edita. Adnotetur igitur iterum annus* 978, *quo* Pandulfus Caputferreus *post* Gisulfum *dici cœpit Princeps* Salerni.

An. Chr.		*Pald.* Pat.	*Saler.*	*Pald.* fil.	Mense	Indict.
978		36	1	5		7
979	VI. VII. *Chr.*	36	1.2	5	.... & *Jul.*	7
	VIII. IX. *Chr.*	37	2	6	Oct. & *Dec.*	8
980	X. XI. *Chr.*	37	2	6	*Mar.* & *Apr.*	8
		38	3	7		9
981	XII. *Char.*	38	3	7	*Febr.*	9
	Pald. *pat. obiit Mense* Martio.					
	XIII. *Char.*			7	*Jun.*	9

XV. *Postrema Chartula tempore data est Principis* Capuæ Landonulfi, *anno* 986, *quando in fata jam concesserat Princeps* Pandulfus *pater in* Martio *anni* 981. *quod istæ consentiunt Tabulæ, ac adstruit Chronicon Ducum, & Principum* Beneventi *suo loco producendum. Pariterque obierat Princeps* Pandulfus *filius; cujus acta, & reliquorum* Salerni *Principum diligentiores investigent, quæso,* Salernitani *viri, antiquitatis studiosi, quibus facultas est* Cavense *Archivum, opportunis ad hanc rem Chartulis maxime refertum, sedulo perscrutari: mihi enim paucas per horas ibi morari contigit, hasque productas, ac nonnullas alias præpropere inspicere Chartulas a vigilantissimo, eodemque politissimo Archivario* Camillo *e* Capua *ejusdem Monasterii Monacho perhumane exhibitas.*

Pariterque cursim firmo testimonium Petri Damiani *de adventu* Othonis 2. *in* Ital. Cis-Tyber. *in anno* 981.

Verum qui nosti Pandulfum Caputferreum *advixisse ad annum* 981, *exinde comperies vera nobis tradidisse* Petrum Damiani *scriptorum integerrimum, qualem* Baronius *adpellat ad Martyrol.* 8. *Idus* Maji; *qui in Opusculo* 19. *De Abdicatione Episcopatus cap.* 9. *juxta Editionem* Lugdunensem *anni* 1623, *sed juxta alias in Epist.* 9. *lib.* 1. *adserit tempore obitus ejusdem Principis advenisse ad has regiones Imperatorem* Othonem *secundum, ac adversus* Saracenos *præliaturum festinasse. Namque* Imperator *ille* Otho, *teste* Lamberto Scafnaburgensi *in Chronico,* perrexit in *Italiam* anno 980. *Sique fides est* Hermanno Contracto, *Neapolim* venit anno 981. *Eodemque tempore procul dubio aderat in hac* Cis-Tyberina Italia, *quando Diplomata dedit Monasterio* S. Vincentii ad Fontes Volturni, *quæ refert idem* Baronius *prædicto anno* 981. *num.* 4.

Hermannus ex Editione Canisii Anno 981. Otto *Imper. peragrata* Italia, Campaniam, Calabrosque *fines cum exercitu ingreditur.*

A quibus non discedit Sigebertus Gemblacensis *ista adnotans ad eundem annum* 981. *Otho* Imperator (*ait ille de secundo loquens*) *Calabriam* Provincias ad jus Regni *Græcorum* appendentes transferre ad Imperium *Romanum* conatur, &c. *Quæ habet quoque, iisdemque verbis* Willelmus *de* Nangis *in Chronici parte, quæ extat apud priores Annales* Francorum *a* Pithœo *editos; sed ad annum notat* 980, *ideoque, sive corrupte, sive unico loco strictim adnotans, præter mentem* Sigeberti, *plurium annorum eventus. Et ille quidem* Willelmus *sub eodem prædicto, sibique designato anno cladem postmodum ab* Othone *in* Calabria *acceptam locat, quam* Sigebertus, *& reliqui laudati auctores ad annum figunt* 982; *qui pariter tradunt illum in tantam animi molestiam ex ea decidisse, ut* Romæ *morbo decesserit sequenti anno* 983. *Qua annorum designatione patenter commonstrant (contrarium certe non pronunciant) Imperatorem non recessisse ab* Italia, *postquam, ut dictum est, advesserat anno* 980.

Willelmum *de* Nangis *noto.*

Iis autem licet quo ad hoc repugnet ex nostratibus Leo Ostiensis *lib.* 2. *cap.* 9. *adfirmans* Othonem *post priorem adventum esse reversum ad sua, iterumque in anno* 983. *adregressum: de reliquo tamen plene adsentitur, ac in* Cis-Tyberina Italia *Imperatorem adstitisse in anno* 981. *non dubiis declarat verbis, modo ea rite interpretemur, quæ producam, sed Paraphrasi explanata brevi.* Sequenti anno (*ait* Leo) *a morte præindicati Archiepiscopi* Capuæ, *cujus Ecclesiam Pastore suo remansisse viduatam paulo ante obitum* Caputferrei, *anno scilicet* 980. *constat ex Vita S.* Nili, *idque nullus inficiabitur.* defuncto primo Ottone *ab anno* 973, *cujus Auctor meminerat lib.* 2. *cap.* 4. *mortuumque non adhuc adnotarat, Otto* secundus Imperator filius ejus, cognomento *Rufus*, *ante non alias memoratus, periteque ob id minutim descriptus*, venit *Capuam*, & Neapolim *quoque in anno* 981. *quo obiit* Caputferreus, & Joannes *Magister Militum*, & abiit *Tarentum*, *ibique adstitit* 17. *Kal. Aprilis anni* 982, *ut tradit* Sigonius *lib.* 7. *De Regno* Ital. *& quidem ex peculiari aliquo documento in Chartulis sibi viso;* ac *Metapontum*, & deinde *Calabriam.* Unde prospere ad sua reversus: *hoc tacent alii:* anno nongentesimo octogesimo tertio iterum, magno exercitu congregato, cum *Saracenis*, *quos in sui adjutorium* Græci *advocarant, idque habent præallegati scriptores*, in *Calabriam* dimicaturus descendit; sed Divina permissione superatus ab illis, vix ipse cum non multis evadere potuit, &c. *Hactenus* Ostiensis.

Leonem Ostiensem *adnoto, & explano.*

Nec dices: *sequenti anno ab adventu* Capuam Joannis *Papæ* 13. quem *Leo* ibi prædixerat; quia esto adventus ille, ut summum, contigerit anno 971. quod nego, tunc certe *Otho* I. adhuc inter vivos agebat.

Petri *igitur adsertio nil labat, quam adhuc firmare possem testimonio* Lupi Protospatæ, *sed abstineo: ille enim quamvis in Chronico ad annum* 981. *Othonem* tradat fecisse prælium cum *Saracenis* in *Calabria* in civitate *Cotruna*, ibique mortuos quadraginta millia *Pœnorum* cum Rege eorum *Bulcassimo*: *Verumtamen talis adnotatio videtur mihi e suo loco luxata, aut certe iterato producta ex anno* 967. *ad quem Editus Codex* Lupi *denuo illam exhibet. Tu vide; sique in hoc a me abis, non utique discedere potes a* Petri *pronunciato, cui* Lupus *quoque ex te favet: is namque est cæteroqui concors aliis Chronologis, nec falsæ supputationis insimulari poterit.*

Lupum Protospatam *luxatum indico.*

At si ex dictis constat modo Pandulfi Caputferrei *obitum vere contigisse adveniente* Capuam, *&* Neapolim Othone *secundo; verum pariter fuisse noverimus, quod idem* Petrus *ibidem enarrat* de Viso *cujusdam Anachoretæ, quo innotuit ei animam ejusdem Principis ad æternos cruciatus ruituram, deque eruptione* Vesuvii *Montis secuta post ejus, &* Jo. *Ducis mortem.* Ex quo Monte (*verba sunt ejusdem Auctoris*) quandocunque in illis partibus reprobus dives moritur, ignis erumpere videtur. *Et sane ditissimus, magnusque Dynasta fuerat* Caputferreus, *qui nedum Princeps* Capuæ, Beneventi, *&* Salerni, *sed Dux, & Marchio extitit* Spoletii, *&* Camerini, *sicut constat ex scripto Chron. prædicti Monast. S.* Vincentii *ad Fontes* Volturni *lib.* 3. *&* 4; *ac proinde dimidiam fere* Italiam *possederat. Nec opinio illa* Vesevum *Montem de more eructare flammas in obitu Proceris alicujus impœnitentis, ex altero, ni fallor, antiquiori inoleverat exemplo, quam ex ejusdem comper-*

Eundemque Petrum Damiani *adserentem damnationem animæ* Pandulfi Caputferrei *confirmo.*

ta

bant, omniaque oppida, quæ sub jure *Salernitanæ* civitatis fuerant, ipsamque civitatem expugnabant, & quidquid reperire poterant, deprædabant, atque funditus demoliebant, & deintus omnes tamen fortiter resistebant. Ipseque *Amalfitanorum* Patritius una cum suis deintus Palatium cum ambobus nequissimis manebat, atque *Amalfitani* per istius Civitatis mœnia pergebant, omnesque Turres ipsi possidebant, quia ipsi nefandissimi minime *Salernitanis* jam credebant.......

. . . .

ta damnatione Caputferrei, *quæ vulgi ore ferebatur communi, eademque postmodum novo experimento increbuerat, ætateque* Petri *ob id firmissime retinebatur. Etenim dum post aliquot annos a morte* Pandulfi *Mons ille iterum incendia evomeret, quod* Glaber Rodulfus *lib. 2. cap. 7. ad annum figit* 993, Salerni *Princeps, nomine* Joannes, *Avus scilicet* Guaimarii, *qui a suis peremptus est in anno* 1052, *incendia illa prospiciens, ac reminiscens, ut reor, haud antiquum* Caputferrei, *&* Joannis *casum, in eam prorupit vocem, eodem adtestante* Petro: Procul dubio sceleratus aliquis dives in proximo moriturus est, atque in Infernum descensurus. *Quæ de se ipso Principem prædixisse, qui proxima nocte, morte inopina cum scorto concumbens obiit, idem testatur Auctor.* Caputferreus *autem, ad quem redeo, quamvis nonnulla alioqui Sancta opera, ac præclara facinora pro* Romano *Pontifice* Joanne 13. *vivens ediderit, Monasteriumque* Cassinense *donis, & Privilegiis multis locupletarit, ex quibus ævum illud* acceptabile *quidem* fuerat *Monachis: sicut* Ostiensis *pronunciavit lib.* 2. *cap.* 2, *sed tempora respiciens patris* Pandulfi *hujus; haud tamen illum talia operatum ex sincera animi pietate, ac religione, visio declaravit Solitarii, quam* Petrus, *dum adhuc* Opusculum dictator exararet, *accepisse testatur* ab adveniente Desiderio *ejusdem Monast. Abbate, qui postmodum fuit* Victor *Papa III. eandemque legere est in Chronico præmemorati* Ostiensis, *etsi loco adfixa non suo: hoc est lib.* 2. *cap.* 82. *Quo situ positam interpretari illam oporteret de altero* Pandulfo Capuæ *similiter Principe, sed recentiori, qui e contra expilator fuit bonorum Monasterii modo dicti, ejusque animæ damnatio altera similiter innotuit visione, de qua habet idem* Leo *lib.* 2. *cap.* 60; *idemque* Desiderius *lib.* 1. *Dialogorum, qui inediti habentur. Verumtamen, ut dixi, visio illa eo loci male traducta habetur, quod duo probare possunt indicia. Est primum, quia* Desiderius *eam noverat, ac* Petro Damiani *enarraverat, suisque illis Dialogis scribere est professus signa, quæ Deus in contemptores* Cassinensis *Cænobii est operatus: eandem tamen ibidem præteriit, quod nullatenus fecisset, si de posteriori sacrilego* Pandulfo *accipiendam scivisset, de quo alteram exponere non est veritus. Secundum indicium: quia* Petri *narratio iisdem prorsus verbis habetur in Chronico* Leonis, *amputatis solummodo illis, quibus demonstrari poterat, eam de* Caputferreo, *nec de altero* Pandulfo, *esse interpretandam. Tu locos confer, qui ignorare non debes* Cassinensem *Historiam aliquanto post ætatem* Petri *elucubratam.*

De quo textus Ostiensis *est suspectus, ne dicam, ejus fides.*

FINIS Exerptarum Partium ex Anonymi *Salernitani* Historia Principum *Langobardorum*.

CARMEN ANONYMI SALERNITANI AD PANDULFUM PRINCIPEM

Capuæ, Beneventi, & Salerni.

De Historia *Langobardorum* Principum a se conscripta.

Vir bone, dulcis, amans, mitis, Serenissime Princeps,
Armis, ajo, Dei auxiliove potens, al. *auxilione.*
Hanc, quam misit iners, cape deprecor Historiolam;
Perlege cuncta libens, abdita corde tege, al. *super hunc.*
Hanc quia adhuc insontem lacerant quique supersunt,
Et rodunt fantis famina vero crebro.
Et si indigna tuli imprudens, prudentius en tu al. *ea tu.*
Ignosce ignaro, aut calamo reseca.
Aurea nam Capua *sine Principe desiit esse,*
Ticinum *geminum, Eheu, viduata manes.* Ticinum *geminum. Hoc est.* Beneventum *Vide supr. col. 107. & seq.*
Judicibus tumuit sive subjecta superbis,
Hostibus innumeris hinc spoliata gemit.
Sentibus, & ramnis, tabe factaque tota fatiscit,
Civibus exuta, atque referta feris.
Lux redit ecce nova altorem cum suscipit, illi
Te quoque magnanimum gaudet adesse patrem.
Gemmea nunc iterum exultans urbs cantibus: Odas *Gemmea urbs. Hoc est:* Salernum. *Ab an. 840. Anno 978.*
Principe sub tanto euge canendo boat
Lusibus exultat, gaudet, splendet, nitet omnis
Ætas, conditio, sexus uterque nimis.
Tempore præterito TELLUS DIVISA maligno
UNITUR TUO ecce, tuente Deo.
Aëra, Terra, Polum, Freta, Mundi climata tota
Alleluja canant laudis amore tuæ.
Tu fretus pietate Dei exime gente profana
Christicolum populum, oro, mucrone tuo.
Te Deus ipse regat, foveat Virgoque Maria.
Concio Apostolica, agmina sancta novem.
Det tibi lætitiam vitæ, Regnique triumphum,
Post funus tribuat Regna beata tibi.
Tu quoque belligerator, tuque fortissime Princeps
Salve, & ubique vale tempus in omne tuum
*Dein structore * blebe in Carminis hujus* al. *Dein structore.*
Commendo in sursum, vir pie, sive potens.

FINIS Carminis Anonymi *Salernitani.*

DE PRÆCEPTO PALDULFI PRINCIPIS CAPUÆ.

Plures utilitates ex hoc Præcepto. Terra. denotat collectionem plurium oppidorum. sicut alibi. *Terra citra* Pharum. & inf. *Terra filiorum.* &c. *Ex his illa: Cur pars agri* Campani *vulgo dicta.* Terra Capuana.

Autographum hujus Præcepti, quod penes me est, antiquum quidem, & membranaceum, ab interitu olim vindicaveram hac sola oblectatus curiositate, quod ex ipso intellexeram partem agri Campani, *quam vulgus adpellat* Terram Capuanam, *iisdem sexcentis adhinc annis circumscriptam extitisse finibus, quibus nostro hoc ævo concludi illa conspicitur. At postmodum re attentius contemplata, vidi ex eodem Præcepto accedere posse, tum* Campanæ *urbis juribus, tum antiquitatis studiosis non exiguam utilitatem; quare statui, ne utrorumque profectibus inviderem, ipsum publicis Typis committere. De quo nil aliud hoc addam loco, nisi credere me e nobilibus viris hic memoratis, &* Paldulfo *Principi consanguineis, qui exædificandi Castri* in Monte Malconi *potestatem a Principe acceperant, atque (verbo dicam proprio, & antiquo)* Domnicalia *Terræ adtributæ trifariam, ut reor, possedere, emersisse Patritiam in urbe* Capua *Gentem, olim dictam* Capuanam, *quam gravi adtestatione* Campani *item Patritii* Vincentii Fraperii Rath *certo scio ætatem perduxisse suam ad transactum prope sæculum, quo defecit vetustissimæ nobilitatis opinione decora. Eaque ob Terræ in Præcepto demonstratæ dominatum eidem, me arbitro, suum communicaverat nomen, adpellataque inde illa fuit* Terra Capuana, *& quandoque* Terra Capuanorum; *sicut adpellatam legi in antiquo Diplomate quod erat in Archivo Monasterii* S. Laurentii Aversanæ *urbis, datum a* Principe

cipe *Capuæ Jordano*, anno Principatus 29. Ducatus *Cajetæ* 24. Kal. *Martias*. Indict. 10. per manus *Canzolini* Judicis anno Incarnat. 1087. *In quo dicitur finem cujusdam Fundi esse* Terram *Capuanorum* in loco Campo *Galiano*. *Et in altero Privilegio sistente in antiquo Regist. Monast.* S. Michaelis *Arch. dicti ad* Formam, *extra* Capuam, *quod erat in Archivo Monast.* Cassin. *legi pag.* 24. *Ugonem* Comitem *Volturnensem* in anno 1097. Princip. *Richardi* II. anno 17. Mense *Febr.* Indict. 6. concessisse *Saxoni* Præposito prædicti Monasterii *S. Michaëlis* Ecclesiam vocabulo *S. Benedicti*, constructam intra fines Terræ *Canciæ*, una cum petia quadam terræ, *cujus finem ibidem adscrebatur esse* ab uno latere Rivum, ab altero Silvam, quæ dicitur *Peneta*, ab altero Terram *Capuanorum*, & ab altero Terram prædicti sui Comitatus. *Nec insolens est amplam* Campani *agri partem ab hoc fonte nomen accepisse, quandoquidem istius nomenclaturæ nulla alia reddi ratio, nec potest, nec solet aptior; situsque tam veteris, quam novæ* Capuæ *ab eadem longe distent, medio præterlabente* Volturno; *quæ utique nullo, nec naturæ, nec consuetudinis privilegio duabus aliis æque amplis, urbique circumpositis, & subjectis Terris*, Lanei *scilicet Terræ, & Terræ* Canciæ, *præcellit; ita ut quidquid potius aliud de ejusdem nuncupationis origine opinari valeamus, quam quod ab circumsepta a se urbe* Capua, *sive ab aliqua alia præcipua sui excellentia tale nomen inditum illi fuisse credamus, quod cæteroqui reliquos circumjacentes condecet urbis agros. Verum enimvero nonne conjuncta, & continentia loca a pluribus, vel communi jure, vel divisis sortibus possessa dominis, qui ex uno, eodemque genere ortum duxerunt, vulgus olim consuevit nuncupare, hodieque facit, e dominantium nomine, sive gentilitio, sive quavis alia ratione illis communi? Equidem apud* Falconem Beneventanum *ad annum* 1139. *adpellatas legimus* Terras Filiorum *Borrelli, aliis dictas* Burrelescas, Burrellenses, & Burrellensium; *hoc est Oppida prope quinquaginta continenti in regione contermina, quæ ab unius* Borrelli *posteris, de quo viro* Ostiensis *lib.* 2. *cap.* 6, *possidebantur. Atque in Chronico* Richardi *de* S. Germano, *quod in membranis scriptum adservabatur in Bibliotheca* Cassinensi *signatum num.* 203. *adpellatione* Terræ filiorum Pandulfi *omnis antiquus* Teanensis *Comitatus semel, & iterum designatur ad annum* 1229. *nomine plane exorto ab excessu* Pandulfi *olim* Teanensis *Comitis, &* Capuæ *postmodum Principis, qui stirps fuit, & origo gentium tum aliarum tum De* Cajanello, *De* Marczana, *De* Presenzano, & *De* Roccaromana, *in quas, ut puto, & in alias quoque progressu temporis Terra sui Comitatus dispertita fuit: illas quidem omnes inter cæteras* Campanæ *urbis Patritias olim adnumeratas, de quibus frequentes in antiquis Tabulariis exstant memoriæ.* Terra *igitur* Capuana, *sive dicas* Capuanorum, *qua plures adhuc concluduntur Pagi, haud dubie nomen obtinuit a Gente, a qua possidebatur, jam tunc exorto hoc gentili. Idque eadem Gens pariter communicavit uni ex publicis* Capuæ *Portis, ac Turri eidem Portæ adjacenti, quarum exstat memoria in pluribus tabulis præmemorati Monasterii* S. Laurentii, & *in tabulis Archivi Sacri Thesauri* Campanæ *Cathedralis Ecclesiæ ac in antiquo Membranaceo scripto libro Rituali ejusdem Ecclesiæ, qui est penes me. Hisque in monumentis* Porta Capuana, & Turris Capuanorum *adjacentes dicuntur Ecclesiæ* S. Laurentii *Martyris, eodem nunc loco, quo multis abhinc annis est Ecclesia* S. Eligii *a Clericis Regularibus decentissime ad præsens culta. Cur vero his ædificiis credam enatum quoque nomen e* Capuana *Gente, sciet qui novit priscorum morem, qui Portas, Turresque urbium firma cura custodiendas committere consueverunt inhabitantibus domus Portis, & Turribus propiores; ex quibus talia loca, non modo* Capuæ, *sed alibi nomina similiter quandoque accepere, quod indagantibus erit non uno exemplo manifestum, deque his peculiari in Dissertatione* Italice *mihi descripta, quæ* De Portis *inscribitur, fuse egi. Cæterum Terra hoc in Diplomate exacte repræsentata, montibusque clausa a Septemtrione, qui iisdem modo nominibus dicuntur, quibus ipso in Diplomate designantur: ab Occidente autem Rivulo definita, qui nunc appellatur*, il Rio delli Lanzi, *descenditque ut hic exponitur*, per Calvo, *olim* Cales, & *ab Oriente altero terminata amne, nuncupato etiamnum* Anglena, *sesquimilliari ab Occidentali* Capuæ *latere lenissime fluente, haud perpetuo aliquo, naturæque ceu limite ad Meridiem ab Terra* Canciæ, *quæ* Campani *agri alia est pars, discriminari cum perhibeatur, sed tantummodo sylva quadam a viri nomine, ut judicio, ejus aliquando possessoris, nuncupata.* De Saducti (*nescio an illum ipsum credam, ex quo clarum genus* Saductorum *effluxit*, Erchemperto *memoratum Num.* 15.) & *insuper distingui ab eadem Terra* Canciæ *imaginaria quadam linea, ducta ab præfata sylva usque ad* Anglenam *per loca Ecclesiæ* S. Nazarii *proxima, cujus exigua nunc rudera, sed notissimum manet nomen in campo appellato* Romagnano: *videre hinc mihi videor,* Capuanam *hanc Terram sub Terra illa* Canciæ *olim fuisse comprehensam, quæ latissimè tum ultra* Volturnum *flumen, tum citra, ut hac quoque ætate, protendebatur: in* Cancia *est enim* Ostiensi *l.* 1. *c.* 33. Roselle, *Pagus olim inter Pagum* Arnonem, & Castrum Maris, *cujus nomen tantum nunc servatur. Sed ipsum præterea* Canciæ *etymon attentius si pervestigetur, indubiè idem suadebit. Quippe quod non ut vulgus putat, ea dicta est* Cancia, & *variante dialecto* Cantia, & Canzia, *quasi Terra, per quam iter agentes necesse habeant, liceatque eis ob lutosissimas vias in proximos quamvis satos campos transilire, ac divertere, quod populari eloquio dicitur:*

Terra in Præcepto descripta ibi quoque adseritur contermina Campo *Galiano*; ibidemque concurrit cum Terra *Canciæ*, sive *Cantiæ*, juxta Ecclesiam S. Nazarii.

Falsus *Annius Viterbiensis* ad *Pseudo-Sempronium*, qui vetustam Capuam vult inter *Volturnum*, & *Lirim*. *Cujus nominis inducta origo exemplis firmatur.*

Eademque origine Porta, & Turris Capuæ *olim dicta, altera*: Capuana: *altera* Capuanorum.

Terra autem Capuana *sub alia* Campani *agri parte*, Cancia *nuncupata, primitus continebatur.*

Cujus etiam vocabuli occasio cursim aperitur.

citur Canzare: *sed ab* Plancis *hoc est ab tabulis planis, ut id verbi* Festus *exponit, & quadratis lapidibus, quibus plusculæ antiquitus viæ, & præcipue viarum Regina illa* Appia Capuam *inter,* & Sinuessam: *nunc* Rocca di Mondragone, *per* Canciam, *perque* Capuanam *Terram stratæ, & communitæ fuerant, earumque hinc inde dein disjectarum ingens tunc copia ipsa itinera reddebat multa incommoditate famosa. Verum quo pacto non* Plancarum, *sed* Canciarum Terra, *sive absoluto vocabulo, ac numero multitudinis,* Canciæ, *ut est apud antiquissimum Auctorem Ignotum* Cassin. *Num.* 28. *& tandem* Cancia, & Terra Canciæ, *numero unitatis ea fuerit dicta, erit sanè non injucundum breviter nunc explicare; namque ex* Plancis *inditum* Terræ *nomen, si de prædicta jam constare faciam vocabulorum commutatione, nemo erit mihi juste contradicturus. At enim sicuti pleraque* Latina *nomina literas.* pl. *in prima syllaba quæ habent, ad nos cum veniunt, efferuntur per.* ch. *ut* Plaga, Chiaja: Planctus, Chianto; Plumbum, Chiummo; Planus, Chiano; Plantæ, Chiante, *& sexcenta alia: ita ipsum* Latinum, *idemque primitivum vocabulum* Planca, & Plancæ *populari sermone enunciatum quandoque fuisse* Chianca, & Chianche, *fatendum est commutateque ore* Chiancia, & Chiancie, *& demum* Cancia, & Cancie. *Quod sanè adeo est verum, ut cum a* Cancia, *sive* Canciis: *id est a* Planca, *vel* Plancis *diminutivum formaretur,* Cancella, & Cancellæ, *atque mutato genere,* Cancellus, & Cancelli, *factum sit, ut loca, in quibus ejusmodi lapideæ tabulæ injuria temporum confractæ supererant, vulgo dicta communiter fuerint;* Cancelli, Latine *vero,* Plancellæ. *Quo pacto locus non longe ab antiqua* Suessula, *nunc deleta, Ignoto* Cassin. *fortasse demonstratus Num.* 11. *dictusque olim* Cancelli; *at nunc proprietate vocabuli ignorata,* Cancello, *nuncupatus reperitur* Plancellæ *in Bulla* Casertani *Episcopi* Rannulfi *de an.* 1113. *apud Sanctuarium nostri* Michaelis Monachi. *Et insuper locus alter, qua* Caudio Beneventum Appia *quondam ducebat via, a* Falcone Benevent. *ad an.* 1138. *nuncupatus* Plancella, *communiter nunc dicitur* Le Ciancelle. *Sed præter hæc, loca alia, in quibus quadratorum lapidum, &* Plancarum *antiqui operis pridem habebatur, vel adhuc habetur copia, facile occurrunt multa, passim appellata tum* Cancelli, & Cancello, *tum* Chiancie, & Chiancitelle, *sive* Chianche, & Chianchitelle, *licet vulgus admodum a vero alienas commentari soleat, ejusmodi vocabulorum occasiones. At de his præ hac opportunitate satis. Quod autem præsens Præceptum de anno sit* 1034. *adscribique debeat* Pandulfo 4. *qui ab an.* 1016. *ad an.* 1050. *quo obiit, ter fuit Princeps* Capuæ, *constabit in Principum Chronologia. Tu interim fidem præsta.*

Servant sanè adhuc loquendi hunc morem *Lucani*, gentesque finitimæ, quibus sermone patrio dicuntur *Chianche Latinis* quæ fuere *Plancæ*. Sed & Pagus in agro *Campano Cancellus*, in ipsa Terra *Canciæ* cur nam, nisi ob hoc tale sortitus est nomen?

PRÆCEPTUM
PALDULFI IV.
PRINCIPIS CAPUÆ.

Quod anno MXXXIV. fecit Adelmundo *parenti suo de tertia parte Montis* Malconi, *& de tertia parte Domnicalium per introscriptos fines. Et de aliis, ut infra.*

Verba usque ad hoc Signum] in Autographo explent primam lineam, literisque sunt picta pari forma qua illa ad finem *Signum* &c. Reliqua, ut illa, *Alfredus*, &c.

A

IN nomine Domini Salvatoris *Iesu Christi* Dei æterni. *Paldulfus*, & *Paldulfus* pater, & filius Divina favente clementia gentis *Langobardorum* Principes. Cum principalis excellentia dilecti petenti clementer digne tribuuntur.] Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet, hac fututorum sagacitas, quia *Agelmundus*, & *Adelmarius* germani, filii cujusdam *Nantari*, & *Agelmundus* filius cujusdam *Agelmundi*, & *Johanne* filius cujusdam *Landolfi*, qui dicitur *Manco*, dilectis nostris parentibus, obsecraverunt nostram excellentiam, quatenus concederemus *Adelmundo* dilecto parenti nostro, filio cujusdam *Adelmundi*, qui fuit Judex: hoc est integra ter. par. de ea omnia subscripta in omni ratione, qualiter hic supter leguntur. De quibus petierunt a nostris excellentiis firmitatis apices illi exinde fieri juberemus. Quorum petitiones benigne exaudientes, hos nostræ firmitatis apices illi exinde fieri jussimus, per quos omnino sancimus, & perpetualiter abendum nostris, & futuris temporibus per hoc nostrum roboreum Præceptum concedimus tibi jam nominato *Adelmundo* dilecto parenti nostro, filio cujusdam supradicti *Adelmundi*; id est integram tertiam partem de Monte, qui nominatur *Malconi*; que esse videtur propinquo æcclesia *S. Angeli*, que dicitur *ad Gutta*; In quo Monte olim *Castello* inchoato fuit faciendi. Simulque & concedimus tibi integram tertiam partem de omnibus territoriis exfundatis, & de omnibus rebus, quæ, & quantum sacri nostri Palatii, vel parti nostræ publicæ pertinentes invenitur infra has fines. Id est incipiente de ipsa Civitate vetere, qui fuit de *Trifisco*; & quomodo vadit per vertice de ipsi monti, qui dicitur *Palumbara*, & *Mercururu*, & *Aspaturu*. Et quomodo revolvit per vertice de ipsi monti, qui sunt super *Camilianu*, & super *Janu*, & quomodo vadit usque ad ipsu *Mon. Majore*, ubi ædificata est æcclesia *Sancti Archangeli*: & sicut descendit usque ad ipso Fonte, unde exit ipsa aqua, facit ipsu Rivu, qui descendit per *Calvo*. Et quomodo descendit ipsa aqua, & Rivo usque in *Cantie* ad ipsa Silva, qui dicitur de *Saducti*. Et quomodo revolbit, & vadit usque ad æcclesia Sancti *Nazari*, qui dicitur de *Cantie*, & vadit directe usque ad ipsu *Ponte vetere*, qui fuit fabrito super ipsa *Anglena*; & quomodo vadit per ipsa aqua de ipsa *Anglena* in sursum usque ad ipsa pratora, qui dicitur Campu *Caliani*, & *Pratutostu*; & revolvet se per ipsa aqua de sursum de eadem *Anglena*, & vadit usque ad ipsu Ponte fabrito est ipsa ..... & *Sala* Dominica, & abinde vadit in sursum per ipsa aqua, & Palud. usque in loco, ubi dicitur *Aquitine*. Et quomodo vadit in sursum per ipsa aqua, & Palud. usque ad æcclesia Sancti *Maximi*; qui ædificata est propinquu ipsa *Molina* de *Trifiscu*. Et quomodo revolbit, & directe descendit, & vadit usque in Fluvio, & quomodo vadit in sursum per ipsa aqua de ipsu Fluviu, & conjunget se cum prædicta civitate vetere. [1] Sive de illis hominibus, qui sine eredes

B

C

De hac Ostien. lib. 1. cap. 25. In qua Jo. 8. consecratus est Athanasius Episc. Neapol. ut in scripto Chr. Episcopp. Jo. Diaconi.

1. Confer loca

des decesserunt, aut decesserint in prædictas fines abitantes. [1] Sive de illis, qui de hac terra exierint; [2] Seu de illis, qui talem malum, aut culpam fecerint, unde rebus, aut personibus eorum ad sacrum nostrum Palatium, vel parti nostre publice evenire debuerint: Bidelicet homines; quibus modo ibidem residentes sunt, vel quibus aduc in antea ibidem residentes fuerint; ut faciant illi, suorumque eredum tibi, qui supra *Adelmundo*, tuisque eredibus omnem servitium, & imperationem, ed dationem, Hoste, & Data, quæ est pensio publica judica..... s, & scaditionibus, & reliqua omnia servitia, quæ at rem publicam pertineat, faciendum inde omnia, quod tibi, tuisque eredibus placuerit. [3] Et etiam concedimus tibi, qui supra *Adelmundo*, tuisque eredibus, ut si mulieres liberas feminas fornicationes fecerint cum liberis, vel cum servis ominibus quoquo tempore; vel viris ominibus culpas, vel malum fecerint, & exinde compositio expectat, quæ at rem publicam pertinet, tam residentibus quobis tempore intus Castro, qui dicitur Mon. *Malconi*, seu de foris eodem Castro, quibus abitantes sunt infra suprascriptas fines. [4] Insuper concedimus tibi jam dicto *Adelmundo* omnes mulieres liberas feminas, que sibi copulaverunt, vel copulaverint tuos servos maritos, una cum omnibus........... llorum quemadmodum nostro pertinent Palatio ad faciendum inde omnia........... cuerit. [5] Quam & concedimus tibi, qui supra *Adelmundo*, ut licentiam, & potestatem abeatis vos, & vestros eredes una cum ipsis, qui supra *Agelmundum*, & *Aidemarium*..... *Agelmundum*, & cum *Audoaldum*, & *Landolfum*; & *Nantari* nepotibus ipsorum, fili cujusdam *Landolfi*, qui fuit germanus eorum, & cum *Johanne* filio cujusdam *Landolfi*, qui dicitur *Manco*; & cum *Alfano* filio cujusdam *Nantari Guisand*......... in jam dictum Mon. qui dicitur *Malconi*, semper ibidem facere, & edificare Castru a presenti, & in antea, quando potueritis, & volueritis vos, & illis, & eorum, atque vestrorum eredibus cum mura, & Turres, qualiter stare possit. Simulque concedimus tibi, qui supra *Adelmundo*, tuisque eredibus, bidelicet aquis, & decursibus aquarum, padulis, &

hic ad oram adnotata Leg. *Lang.* lib. 3. tit. 13.

[1] Leg. *Lang.* lib. 3. tit. 12.

[2] Leg. *Lang.* lib. 1. tit. 7.

[3] Leg. *Lang.* lib. 1. tit. 31.

[4] Leg. *Lang.* lib. 1. tit. 12. *Ostien.* lib. 1. cap. 59.

[5] *Ost.* lib. 1. c. 59.


An credam, hos viros, qui Castri exædificandi facultatem accepere, tritaviam, & hæreditario jure Dominicalia Terræ possedisse, quæ Principes novo Præcepto illis firmavant, more scilicet consueto?

A pascuis, pratis, & silvis, montibus, & collibus, territoriis cultis, & incultis, biis, & anditis, & semitis, & omnia, quibus at rem publicam pertinere videntur tibi *Adelmundo* ipso, quæ, ut diximus, concessimus per hoc nostrum Præceptum at possessionem tuam, & de tuis eredibus abendi, possidendi, hac faciendi inde omnia, quod tibi, tuisque heredibus placuerit absque contrarietate Comitis, Castaldi, Judicis, vel Sculdahis, haut de cujuscumque persona hominis contradictionem, vel inquietudinem, nemine vobis exinde in aliquo molestiam ingerent. Quot si quispiam hanc nostram concessionem nostri B Præcepti in quomodocumque violari presumpserit, sciat se esse compositurum auri optimi libras centum, medietate sacro nostro Palatio, & medietate tibi, qui supra *Adelmundo*, tuisque heredibus; & hæc nostra concessio, de quibus continet, firma permaneat im perpetuum. Quot ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, hoc Præceptum nostre largitionis propria manu confirmantes, sigilli nostri impressione inferius insigniri jussimus.

Monogramma hoc in Autographo minio est ductum, et in eadem linea adsunt signa Bullæ olim Præcepto adfixæ.

Hoc est *Signum Domini* Paldulfi *Excellentissimi Principis.*

C



D

Datum IIII. Idus *Martii*. Anno nonodecimo Principatus Domini *Paldulfi*, & anno quintodecimo Principatus Domini *Paldulfi* ejus filii gloriosis Principibus. Indict. secunda. Actum in Civitate *Capuana*. Ego *Paldolfus* Princeps me subscripsi.

Princeps subscripsit in ima membrana literis minio ductis.

DE TUMULIS PRINCIPUM LANGOBARDORUM.

NEc *Principum aliquot* Langobardorum *posthumam in Tumulis gloriam, qui temporis ultima damna adhuc effugerunt, patiar deperire: nec* Cæsarem Paganum Neapolitanum *Patritium silentio premam, quem de illis, deque multiplici eruditione optime fuisse promeritum ex compluribus agnovi, tum Historicis, tum Militaribus, tum Philologicis ejus nondum editis Commentariis, acri ingenio, indefessoque labore elucubratis. Ex illius namque Promptuario hos Tumulos omnes, quos* Beneventi *exstare adfixi tituli indicabunt, humanissime communicavit mecum* Ugo Paganus *filius, Dux* Terræ Novæ, *qui adseruit se certo scire, illos fuisse a patre in anno* 1595. Beneventi *tunc commorante, ex marmoreis monumentis exceptos. At qualis, quantaque ex iis capi modo possit utilitas, is intelliget, cui æque, ac sapienti illi viro non fœtent putida, ac marcida isthæc remotioris ævi multiloquia, quibuscum haud quidem leviter oportuit* Cæsarem *fuisse luctatum, ut eadem ex detritis præ antiquitate tabulis exscriberet integra, & emendata. De iis vero non aliud occurrit modo notatu dignum, quod hoc moneam loco. Leviusculum sane est unum, quod addam tamen: hos nempe Tumulos literis sculptos fuisse, ut vocant, Majusculis, forma* Latinis *consueta, etsi aliquantulum detorta, & impolita, quam* Langobardos *ad impolitæ dictionis instar, velut ex norma, usurpasse, innumera probant exempla. Et quidem tale est Sepulcrum* Campani *Principis* Landulfi, *quod habes num.* 15. *in quo & illud animadvertendum, versus positos esse hoc ordine, ut Pentameter unusquisque non infra Hexametrum habeatur, sed ad eandem illius rectam lineam, qua similiter versuum*

Cæsaris Pagani Neapolit. *Patritii meritissima laus.*

Cujus sedulo labore plerique ex his Tumulis innotuere.

Iidemque omnes impolite sculpti, sed Latinis *majusculis literis.*



Eodem hoc ordine, ut nuper accepi, sunt versus in cæteris etiam Tumulis, præterquam in 4. & 14. nempe in 5. 6. 7. 8. 9. 12. 13. & 16. qui, me absente, in dirutis ædibus Ecclesiæ *S. Benedicti.* est *Capuæ* repertus.

suum distributione plerosque alios Langobardorum *Tumulos sculptos vidi, ac eos præcipue, qui in Acrostichis nomina demonstrant apud se humatorum, qualis inter hos est Tumulus* Godefrid *ordine quartus. Ista igitur cum præmonuerim, solutus modo videor culpa, quod* Landulfi *non eadem forma distributum repræsentaverim, qua est in lapide, angustia potissimum paginæ, velim nolim, coactus.*

TUMULI PRINCIPUM ALIQUOT *LANGOBARDORUM.*

TUMULUS *ROMOALD* FILII PRINCIPIS *ARICHIS,*

Qui obiit anno DCCLXXXVII. advivente patre.

Auctore *Davide* Episcopo *Beneventi.*

Excerptus est una cum subsequentibus duobus aliis Tumulis ex corruptissimis Codd. Histor. ineditæ Anonymi *Salernitani*, qui illos *Salerni* positos adfirmat.

I.

ALta ruit subito Beneventi *gloria tristis,*
Quam tenet hic Tumulus: ve tibi, Barda *Cohors:*
Hic Arichis *dormit* [1] *Magni pulcerrima proles,*
Unica spes patriæ, murus, & arma suis.
Cujus fessa patris bene jam virtute senectus
Tuta regebatur, tutio matris erat.
Hic novus a multis Arichis *vocabatur herilis.*
Moribus, & forma, consilioque vigens.
Gromati *pollens, mundana lege togatus,*
Divina instructus nec minus ille fuit.
Relligione patrem æquiparans, matremque pudore.
Illius, heu, tristes quos male flamma creat.
Subditus ad mortem, dulcisque parentibus usque,
Nullus plus voluit amplius, aut potuit.
Seu Abraham *genitor* Isaac, *sic iste peregit:*
Oblatus tacuit, jussa parentis agens.
Traditus ob patriæ, populi cunctique salutem,
Se opponens voluit pro pietate mori.
[2] *Obvius occurrit Regi, immunemque phalangi*
Munivit fines, o Benevente, *tuos.*
Tu placida Regis sedasti mente furorem,
Obruta Gallorum [3] *& ira loqui fecit.*
O Romoald *mitis Ductor, sine felle suavis,*
Terrea liquisti Regna, superna tenes.
Terreno [4] *verbo placuisti quam bene Regi,*
Cælesti melius nunc sine fine places.
Hoc lachrymans cecini [5] David *ego flebile carmen.*
Præsul, cui semper te sine velle mori est.

Vixit ann. XXV. Depositus est [6] XII. Kal. *Augusti* Principante patre Anno XXX. Indict. percurrente Decima.

[1] al. *magna.*
* Id quoque habent Auctores laudati initio par. 1. Anonym. *Sal.*
[2] al. *te.* Sed ad metri normam utroque modo inepte: vitio in his Tumulis frequenti.
[4] al. *verbis.*
[5] De hoc Anon. *Sal.* par. 1. nu. 1.
[6] al. Deest. *XII.*

TUMULUS. *ARICHIS* PRINCIPIS *BENEVENTI.*

Auctore *Paulo Diacono.*
Sicut testatur Anonymus *Salernitanus*, in Historia non edita.

II.

[1] LUgentum lachrymis Populorum roscida tellus
Principis hæc magni nobile corpus habet:
Hic namque in cunctis recubat celeberrimus Heros
Præpollens Arichis, *o decus, atque dolor.*
Tullius *ore potens cujus vix pangere laudes,*
Ut dignum est [2] *posset, vel tua lingua* Maro.
Stirpe Ducum, Regumque satus [3] *ascenderat ipse*
Nobilior gentis culmina celsa suæ.
Formosus, validus, suavis, moderator, & acer,
Facundus, sapiens, luxque, decorque fuit.
Quod Logos effinxit, moderansque quod Ethica [4] *pangit*
Omnia condiderat mitis in arce sua.
Strenuus eloquii Divini cultor, & index,
Pervigil in lachrymis tempora noctis agens.

[1] Scripti Codd. *Lugenti.* Cæteræ variantes lectiones sunt ex Edit. *Baronii* ad ann. 787.
[2] *possit.*
[3] *trascenderat.*
[4] *pandit.*

A *Anteibat juvenes venatu, viribus, armis,*
Flaminibusque ipsis flamina sancta dabat.
[5] *Ter binis lustris patriæ sic rexit habenas,*
Fluctibus ut [6] *Luntrem navita doctus agit.*
Solicite gratiam pacis servavit amator,
Consilio cautus, providus, atque sagax.
[7] *Cum natis proprium nil ducens tradere censum,*
Insuper & patriæ promptus amore mori.
[8] *Nestorum solamen erat, solamen egentum,*
Hos satagens verbis, hos relevare manu.
Ornasti patriam doctrinis, mœnibus altis,
Hinc in perpetuum laus tua semper erit.
Tu [9] *requiesque tuis, portusque, salusque fuisti,*
B *Gloria, deliciæ, tu generalis amor.*
Heu mihi quam subito perierunt omnia tecum,
Gaudia, prosperitas, paxque, quiesque simul.
Planctus ubique sonat: te luget sexus, & ætas.
Omnis, & ante omnes tu, Benevente, *doles.*
Nec minus excelsis, [10] *nuperque condite muris*
Structorem orbe tuum, clare Salerne, *gemis.*
Apulus, & Calaber, Vulgar, Campanus, & Afer,
Quosque [11] Siler *potat,* Romule *usque* [12] Tybris.
[13] *Quique bibunt* Ararim *te flent,* Istrum*que,* Padumque
Aestimet adfinis seu peregrina phalanx
Jam felix olim, nunc namque miserrima conjunx
C *Regali in thalamo, quam tibi junxit amor,*
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone,
Languida membra trahens, te moribunda dolet.
Viderat [14] *unius, heu, nuper funera nati,*
Ast alium [15] *extorrem* Gallia *dura* [16] *tenes.*
Huic geminæ natæ vernanti flore supersunt,
Solamenque mali, solicitusque timor.
Has cernens, reddi vultus sibi credit amatos,
Heu trepida fit, & fluctuabunda pavet.
Solatur tantos spes hæc utcumque dolores,
Quod te pro meritis nunc Paradisus habet.
O Regina potens, virgo, genitrixque creantis,
D *Prosit ei* [17] *huc sacro membra dedisse Lari.*

Vixit autem LIII. annos. obiit VII. Kal. *Septembris* Anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXVII. [18] Ex Donna *Adelperga* Principissa filios *Romoald*, & *Grimoald*, *Egisisum*, [19] *Theoradam*, & *Adelcisam* suscepit.

[5] Rotundo numero.
[6] *Lintrem.*
[7] Erch. num. 2.
[8] Sic nostrum for. *mæstorum.*
[9] *Turris quiesque.*
[10] *nuper circumdate.*
[11] *Silar.*
[12] *Tybe.*
[13] Deest hoc Distichon.
[14] *Romoald.*
[15] Erch. n. 2.
[16] *tenet.*
[17] *historice* for. *huc.*
[18] In uno Scr. Cod. additur: *Ind. IX.* sed falso.
[19] *Theoraldam.*

TUMULUS *GRIMOALD* PRINCIPIS *BENEVENTI.*

Filii Principis *Arichis.* Qui obiit anno DCCCVI.

III.

MAgnus erat Princeps Arichis, *lux, nostraque salus*
E *Restituenda Deo hic sua membra dedit.*
Nec non hic Romoald *ipsius maxima proles*
Sub patre jam Princeps hic requiescit humus.
Vir quoque magnificus Grimoald *formosior illis*
Adscitus est Princeps inter utroque loco.
Sensus, & eloquii forma describere laudis
Cujus non posset plenius ulla manus.
Gloria magnificis de Lango *maxime* Bardis
Præcelsa est eorum stirpes superstes erant.
Regali genere satus ab utroque parente
* *Cras cedit gesta sub dota genus.*
In terris pollens nimium pulcherrimus annus
Spes jam Samnitis *certa salutis erat.*
F *Mirandus specie, sed plus mirabilis actis,*
A puero micuit promptus ad omne bonum.
O dolor immensus præ ultimæ damna ruinæ,
Quæ gens Bardorum *fraude* [1] *sub alta tulit.*

[1] al. *fraude.*

[2] *A pa-*

[2] *A patre pro patria directus Regius obses*
Placavit patriam funus ad usque patris.
Cum Danais *bellum felici sorte peregit,*
Finibus expellit belliger ipse suis.
Extera regna sibi terenda pace subegit,
Dilectus cunctis, terribilisque fuit.
[3] *Pertulit adversas* Francorum *sæpe phalangas;*
Salvavit patriam sed, Benevente, *tuam;*
Sed quid plura feram? Gallorum *fortia Regna*
Non valuere hujus subdere colla sibi.
O quam longinquo fuerat dignissimus ævo,
De quo tantus erit tempus in omne dolum.
Post casum infaustum quod Regna Latina ruentis
. . . *suæ gentis spes, requiesque fuit.*
Terrenas gazas nunquam servabat amando,
Sed mox captivis, indigenisque dedit.
Itala, Romana, Illyrica, Hebrea, Afra, Pelasga,
Morte tua, Princeps, jam sine fine dolet:
Mors tibi non nocuit, sed nos linquendo peremit.
*Dulcis * Alumno suo, quo tenet atra die.*
Vixisti septem . . . .
Sed cunctis seculis laude perennis eris.
Sint satis hæc breviter de te prolata legenti,
Plenus laude tua, qua . . . . *Mundus adest.*

[2] *Erch. num. 2. aliique prisci exteri Chronol.*
[3] *Erchemper. num. 5. & 6. aliique prisci Chronol.*

TUMULUS
GODEFRID FILII PRINCIPIS *GRIMOALD.*
Exstat *Beneventi* in Ecclesia *S. Sophiæ.*
IV.

Nomen Godefrid. componitur ex Acrostichis Hexametrorum.

GErmine *præclaro surgens præclarior actis*
Principis hic Grimoald *flos, genitusque jacet,*
O nimium felix mundo sublatus ab isto,
Gaudia qui cœli non peritura tenet.
Dulcis in eloquio, verax, nimiumque benignus,
A peuro semper promptus ad omne bonum.
Eheu nam subito violavit digna parentum
Gaudia, quis vivus vita, decusque fuit.
Felices illo genitor, genitrixque fuissent,
Si concessa illi vita, salusque foret.
Rector erat patrii juris . . . .
O Benevente *tuo* . . . .
Immatura hujus licet e . . . . . .
Vincebat sensus . . . .
Dicite, qui propter duc . . . .
Tu semper viven . . . .

TUMULUS
SICONIS PRINCIPIS *BENEVENTI.*
Exstat in eadem urbe ante Portam Ecclesiæ Cathedralis.
V.

PRincipis *hic magni requiescunt membra* Siconis
Flenda nimis populis, heu, Benevente, *tuis.*
Stirpe satus Regum, melior, majorque priorum.
Nullus, ut in cunctis par, similisque foret.
Natus in Ausoniæ *præstanti corpore terra,*
Francorum [1] *postquam cæde subacta fuit,*
Quem mater cernens eleganti luce nitentem,
Esse datum credit cælitus alma sibi.
Quæ cum sensisset Domini jam munere plenum,
Ad loca se rapuit nocitura pio.
Cujus ad adventum lætatus ductor herilis,
Excepit gaudens spem, Benevente, *tuam.*
Mox [2] Arichis *Princeps arcana in mente puellum.*
Collocat, & spondet prolis habere loco.
Adhibuit curam nutriendi maximus Heros,
Quem successorem [3] *sperat habere pium.*
Nec minus & Grimoald *natus de Principe Princeps*
Sublatum erudit, jura tenendo patris.
Hujus in aspectu gaudens, blandoque nitore
Præ cunctis unum legit amore virum.
Pulchra illi facies, oculique per ora nitentes,
Candida cæsaries, candida colla tegens.

[1] *Nascitur anno 774. subacta a Carolo M. Italia.*
[2] *Concordat coævus auctor Joannes Diacon. in Scr. Chr. Episcop. Neapolis: secus Erchemp. num. 8. & Anon. Salern. ineditus, qui adfirmant Sico nemadvenisse Beneventum cum uxore, & filiis sub Grimoald Storesaiz, nil addentes de matre.*
[3] *Ex eventu prædicti.*

A *Celsus ab excelsa* Bardorum *gente statura*
Corporis, ut cunctis altior ille foret.
Qualis in arvorum radicitus arbor oborta
Culturis pinus crevit ad usque Polum.
Anteibat cunctos animo, formaque nitenti.
Virtutisque novæ robore, & arce fluens.
Qui [4] *tribus exorsis ductoribus ordine Princeps*
Regalis legitur stirps honoranda nimis.
Defendit [5] *patriam* Francorum *gentis ab ira,*
Quæ quondam multo [6] *cæsa mucrone fuit.*
Regibus ille magis dilectus luce parata
Francorum *& cunctis orbe perenne datis.*
B *Pacificus, mitis, prudens, sanctusque, suavis,*
Largus, & in cunctis pauperibusque pius.
Pro patria cautus solvebat damna malorum,
Ne servos faceret lex nocitura reis.
Obsidione quatit Romanas *sæpe catervas*
[7] *Urbis* Parthenope, *falsidicosve viros.*
Qui dominis solita Samnitum *fraude rebelles*
Pellere Bardorum *fortia jussa volunt.*
Quos Sico perdomitos, congressu fortis in omni
Servitia impellit [8] *solvere quæque lubet.*
Ariete propulsat muros virtute suorum,
Donec victa cadat pars inimica sibi.
Qua victi pugna, servitia digna reposcunt,
Quæ Beneventanus *solvere gaudet hians.*
C [9] *Abstulit inde etiam* Beneventi *in Sede locatum*
Januarium *quondam fortis athleta dehinc,*
Cujus templa replens argento, auroque recocto
His dedit, ut jaceat corpus inane locis.
Ter [10] *quinos annos dominatus ductor herilis*
Omne ævum peragit cum bonitatis ope.
Hic bis [11] *sex peragens ætatis tempore lustra,*
Mercedis fructus spiritus astra [12] *petit.*

[4] Hoc est. *Arichi. Grimoald. & Grimoald. Storesaiz.*
[5] Icto fœdere. *Erchemper.* num. 10. *Gallique* Chronol.
[6] *Erchem.* num. 5. & 6.
[7] *Erchem* num. 10.
[8] Capitul. *Sicardi* num 2.
[9] Anon. *Saler.* par. 2. num. 1.
[10] Rotundo numero, nam obiit 16. inchoato.
[11] Rotundo num. natus enim ann. 774.
[12] ann. 832.

TUMULUS *RADELCHIS* PRINCIPIS *BENEV.*
Exstat ibidem ante Portam Eccl. Cathedr.
VI.

Sub hoc Principe divisus primum est Principatus *Beneventanus.*

D RAdelchis *Princeps monumento clauditur isto,*
Cujus in orbe pius rumor ubique sonat;
Quem tanto Dominus donorum fonte rigavit,
Ut nullus digne promere cuncta queat.
Nobilis, & prudens, justus, patiensque, benignus,
Pulcrior, & sobrius, clarior, atque potens.
Hunc populi patrem lachrimis, & voce fatentur.
Dives, inopsque simul, hoc moriente, gemunt.
Afflictis solamen erat, tutamen egentum,
Et cunctis populis victus, & alma quies.
Fortis in adversis, in lætis unus, & idem,
Ad cœli patriam currere mente volens.
Incessit humilis virtutis, robore magnus,
E *Pacificus, verax, mitis, & aptus erat.*
Quem non dilexit, quis non dilexit & illum?
Quis nisi perversus, quis nisi mente ferus?
Hunc pius, & felix felicem nominat omnis,
Recta sequi studuit dogmata sæpe quia.
Publica jura regens, sed sacras maxime leges,
Explevit jugiter corde, manuque gerens.
Insigni populum pietate vigebat ad omnem,
Lætus erat vultu, lætior ore quidem.
Undenis lapsis duodenus cœperat annus
Bardorum *Princeps noscitur esse quibus.*
Sexaginta suæ vitæ compleverat annos,
Cum moriens mundo vivit in arce poli.
F *O vos Christicolæ, precibus committite Christo,*
Quem populi constat rite fuisse Ducem.

Obiit Anno 852.

TUMULUS *CARETRUDÆ* PRINC. *BENEV.*
Exstat in eadem urbe ante Portam Ecclesiæ Cathedralis.
VII.

Uxor hæc fuit præfati Principis *Radelchis.*

QUam *velox fugiat mundanæ gloria vitæ,*
Testantur cineres, quos monumenta tenent.

Nil sine fine manet sub cæli cardine comptum,
Tempus, honor transit, lux, caro, vita, salus.
Cuncta mori constat, quæ mundi machina gestat,
Sola mori nescit vita referta bonis.
Hæc olim, cujus Tumulus hic occulit artus,
Per genus omne suum fulsit in orbe satis.
Nam summi conjux Radelchis *Principis extans,*
Germine quod tenuit auxit honore decus.
Inde viri solium in natis ex ordine firmans,
Sancivit patriæ hos caput esse suæ.
Sicque sui magno fructus in culmine ventris
Ter [1] *quartum vidit fructificasse gradum.*
[2] *Pontificem, & Comites genuit, Proceresque sagaces,*
Undique conspicuo fulta vigore fuit.
Hinc decus in patribus captans, in prolibus illinc,
Per mores studuit tegmen habere pios.
Sollers, ac mitis, prudensque in famine dulci.
Lactea conspectu, plus probitate micans.
Ecclesias venerans, inopum pascensque catervas:
Quod bene distribuit, nunc fruitura metit.
Bis tria post annos quadragenos lustra recurrens,
Hæc Caretruda *solo terrea membra dedit.*
Junius *ereptam hanc e carnis carcere mensis*
Nonarum quartum sustulit ante diem.
O mundum, Martyr Januari, *clare per omnem,*
Pro culpis hujus fer pia verba Deo,
Ut careat pœnis, & captet gaudia cæli,
Sancto ob quod cupiit hoc recubare loco.

[1] Filios genuit 12.
[2] *Ajonem* Episcopum *Beneventi*, de quo *Joannes* 8. Epist. 33. & 157.

TUMULUS *RADELCHAR* PRINC. *BENEV.*

Exstat in eadem urbe ante Portam Ecclesiæ Cathedralis.

VIII.

Quisquis ad hunc Tumulum properas concivis, & hospes,
Hic, precor, humato dic, Miserere Deus:
Ecce Radelcarius Beneventi *celsa potestas,*
Hic recubat Haeros clarus in orbe satis.
Qui genus excelsum ducens ab utroque parente,
Tutamen patriæ, spes, requiesque fuit.
Stemmate præcipuus Princeps de Principe cretus,
Majorum studuit scandere semper iter
Sub [1] *patre nam Princeps solium, regnumque paternum*
Post patris excessum rexit ad omne decus.
Moribus ingenuus, nec non & viribus audax
Justitiæ custos, munere largus erat.
Immobilis verbis, affectu necne suavis,
Conspicuus forma, concilioque sagax,
Canitie cordis juveniles vicerat annos,
Transcendens sensu plurima jura senum,
Judicii magno scrutans examine causas,
Quæ vera instituit, sprevit iniqua procul.
Sic pius, & prudens, linguæque nitore disertus,
Omnibus ut gratus, mellifluusque foret.
Astutus, mitis, sollers, cautusque, benignus,
Parcere plus novit, quam dare flagra minans.
Facundus, cunctis pietatis viscera servans,
Impiger, ac promptus corpore, corde fuit.
Fortia Francorum *sedavit Regna, suosque*
Confines vinxit undique pacis ope
Bis [2] *tria post lustra, annumque unum carnea claustra*
Deseruit, jussu, Christe, *tremende, tuo.*
At, Benevente, *tibi* [3] *binis præfuit annis,*
Quo tua regnante gloria pulchra fuit.
O Martyr, cuncto, Januari, *splendide mundo,*
Fac rogo prosit ei hac recubasse domo.
Hunc sacer alme Deo tu commendare precando.
Obsecro ne cesses, esto tutela sibi,
O bone Rex Iesu, *clemens, æquissime, verax,*
Hastet, ut iste tuum ante tribunal ovans:
Da sibi cunctipotens æternæ gaudia vitæ,
Post obitum solus, qui dare læta vales.
Tu, pie, nullius cruciatu pasceris umquam,
Tu eripe hunc pœnis, civibus adde tuis

[2] Hoc est. *Una cum patre*, ut in Chronol. dicam.
[3] Vix ann. 31. Obiit anno 854.
[4] Hoc est *quatuor annis*. Rotundo numero, & una cum patre.

A *Tu sibi mundani tribuisti culmina Regni,*
Te duce conscendat cælica Regna precor.
Transfer eum inter oves, & ab hædis abstrahe sævis,
Quo placidum cernat te sine fine Deum.

TUMULUS *URSI FIL.* PRINC. *RADELCHIS.*

Exstat in eadem urbe ante Portam Ecclesiæ Cathedralis.

IX.

Ursus hic recubat toto celeberrimus orbe,
Cujus hoc marmor candida membra tegit.
B *Splendida progenies regali ex semine cretus,*
Quem Palatina *domus nutrit ad omne decus.*
Hunc genuit Princeps Bardorum *stemmate clarus*
Radelchis, *patriæ vita, salusque suæ.*
Huic tam clara fuit species, & gratia vultus.
Ut patriæ populo luxque, vigorque foret.
Viribus, atque potens nullus ut gratior esset,
Ac simul in populo murus, & arma suo.
Hic æmulos omnes superabat viribus, armis
Defendens patriam, promptus amore Dei.
Hic honor, atque suis requies, portusque salutis,
Hic laus excelsa, hic generalis amor.
C *Justitia clarus, renitens virtutibus almis,*
Angelicus, dulcis, æquus ubique manens.
Promere quis sapiens poterit magnalia cujus,
Quæ Deus omnipotens cessit habere sibi?
Nam concors, castus, humilis, clemensque benignus,
Facundus, patiens, & bonitate vigens.
Famosus, sapiens, pius, actione coruscus,
Justus, & in cunctis fortis ad arma simul.
Communis, gratus, sobrius, parcusque, modestus,
Fulgidus eloquio, luxque, decorque fuit.
Ter denos complevit, hic, seu quatuor annos,
Ter denos pariter vixit & iste dies.
Sic vitæ instantis complens tunc tempora jussus,
D *Ad patriam celsam jam remeavit ovans.*
Creditur hic cunctis cæli conscendere cives,
Hunc Abrahæ *fateor jam recubare sinu.*
Quem Paradisus habet, quem cælica Regna retentant,
Aetheris, & locuples optinet amplus honor.
Amplexum & retinent Sanctorum brachia Patrum,
At simul Angelicus consociando Chorus.
Ut sibi per sæclum maneat memorabile nomen,
Hoc Carmen scripsi ductus amore suo.

Ursus iste haud ipse fuit Princ. sed alter cognominis, ex fratre Pronepos ejus, filiusque Princ. *Ajonis*, ut in Stemmate præmisso ad *Erchempertum*.

TUMULUS FILIORUM PRINC. *LANDULFI.*

Exstat *Capuæ* in Ecclesia Cathedrali.

X.

E Hic primus vocatus est *Atenulfus*, qui effigie membrorum suorum aliquid similavit Avo suo. vixit vero menses sex
Primus Atenolfus
retinetur carne sub antro.
Quem pater ipse suus
genitoris nomine dixit.
Hic infans peragit
dum sexti tempora mensis,
Angelicis vectus
manibus transcendit ad astra.
Iste post obitum primi fratris natus iterum
F *Atenolfus* vocatus est, propter illius amorem, ut nomen Genealogie retineret. Vixit menses octo.
Iste sui fratris
vocitatus nomine primi
Etatis parvum
transegit denique cursum
Dum tempus vitae
bis quadris mensib. explet
Transvectus Caelum
sedem cum fratre retentat.
Quattuor hic fratres, conduntur . . . .
Quos mors reve . . . . s rapuit velociter.

Marmorea hac Tabula ab lævo hoc latere adeo extrita est, ut vix literarum vestigia supersint, ex quibus tamen clare demonstratur, Epigrammata alia duo, prorsa similiter, & vorsa oratione, fuisse inibi descripta, ac posita duobus aliis filiis Principis Landulfi *ibidem sitis.* *Cæterum vide sup.* col 35.

Hic Landulfus pater, hujus nominis primus, filius fuit magni Principis Atenulfi.

TUMULUS
LANDULFI PRINCIPIS *BENEVENT.*
Exstat in eadem urbe in Ecclesia *S. Sophiæ.*

XI.

H*Ic Monachus situs est Landolfus stemmate clarus*
Princeps eximius, o Benevente, tuus.
Ex cœtu Procerum Monachus de Principe factus
Extitit hac celebri primus in æde Dei;
Quem bonitas tanto pariter patientia compsit,
Afforet ut cunctis clarus amore pater.
Corde nitens, humilis sensu transcenderat annos,
Cui canumque simul fulgida corda senum.
Ecclesiam venerans, algentum corpora texit,
Atque cibo recreans, verba sequendo Dei;
Sed quia culparum nullus sine labe recedit.
Dicite, da veniam, Christe Redemptor, ei.
Bis duo lustra gerens carnis, bis quatuor annos,
Cum Jani *primo transit ab orbe diem.* ER. RS.

TUMULUS
GAITELGRIMÆ PRINC. *BENEVENT.*
Exstat ibid. in interiori Eccl. Monial. *S. Petri.*

XII.

H*Uc quicumque venis, gressu consiste, fidelis,*
Stirps generosa loco hoc cubat in Tumulo.
Samnitum *rectrix, quin paupertatis &* [1] *altrix,*
Mater egenorum traxit ad omne bonum.
Quam marmor Monacham retinet per stemma serenam,
Omne decus vitæ fertur in hoc cinere.
Gaitelgrima *fuit Princeps recolenda peregit*
Plorat inops, pauper, dives & hanc pariter,
Præsidis [2] *& proles* Roffredi *maxima vatis,*
Pignora dimisit bis duo, quæ genuit.
[3] *Temporis, ah, mobilis fuerat vertigine sæcli*
Conjux Landulfi *Principis egregii.*
Illuxit sapiens annorum cardine prudens,
Mors inimica tulit membra, locoque dedit.
Inclita spes mundi dum mansit in ordine Regni
Creditur interius, ut notat hic Tumulus,
Hæc duo sena sacro perfecit tempora velo,
[4] *Et menses ternos Cœnobio geminos,*
Sextus modenis urso quin insuper annis
Flatus & hanc rexit, post iit unde fuit.
Idibus in senis complevit tempora carnis,
Ut Jani *constat calculus, & celebrat.*
Huc [5] *Lector propera* [6] *Mandritam corde saluta:*
Sit tibi magna salus, dic, fugiatque metus.
O [7] *puerique senes, & gressum ferte sorores,*
Mente. Pater noster. [8] *psallite huic pariter.*
Omnia tu Genitor hujus commissa, Redemptor,
Spiritus alme, fuga nunc pietate tua.
Christe sibi requiem tu dona luce perennem,
Qua [9] *regnas summe semper sine fine beata.*

TUMULUS
MARIÆ FIL. LANDULFI. PR. BENEV.
Exstat in eadem urbe in Eccl. Monial. *S. Petri.*

XIII.

H*Ic sita sunt magnæ clarissima membra* Mariæ,
Stemmate Landulfi *Principis orta pii.*
A modicis annis spernens hæc gaudia mortis,
Pergens ad caulas Ecclesiæ niveas.
Suscepit velum sacrum, quo vicit Iniquum,
Jam victrix donis utitur æthereis.
Lactea conspectu, sed plus plucerrima sensu,
Moribus Angelicis pervigil excubiis;
Viscera matris habens, animas, & corpora complens,
Nunc alios verbis, nunc aliosque cibis.
Turrigera concha subeunt & splendida membra
Bis senis lustris associata polis.
Idibus octonis percurrens tempora carnis,
Quas sibi mensis obit Junius *ipse gerit.*
Christicolæ cuncti vos spernite gaudia mundi;
Quos alit hæc tellus, dicite: Parce Deus. * *B.S.R.S.*

A
TUMULUS
... *CARDÆ* PRINCIPIS *BENEVENT.*
Exstat in eadem urbe in Eccl. Monialium *S. Petri.*

XIV.

N*Obilis, atque cluens magno de Stemmate creta*
..... CARDA *latet marmore sub stolido hoc,*
Principis insignis Landulfi *que fuit uxor,*
Proles Mansonis *& fuit ista Ducis.*
Mentibus ex totis Domino famulabat amanter,
Atque suo toto pectore sepe quidem:
Ac mitis, dulcis, prudens, simplexque benigna,
Et patiens multum, atque jucunda nimis.
Bis, deciesque duos posquam hanc expleverat annos,
B *Ex mundo cessit, ivit & ad Dominnm.*
..... *a hec, Lector, si quis perleg......*
..... *alme hujus parce pia.*

TUMULUS
LANDULFI PRINCIPIS *CAPUÆ.*
Exstat in eadem urbe in Ecclesia *S. Benedicti.*

XV.

S*Iste gradus, itor, paucis te fabor, abito,*
Et retine mente, qui jacet hoc lapide:
Post orans, ejus dic, dic, D̄S *esto misertus.*
Hic decus [1] Ausoniæ, [2] *urbis & hic regimen*
Landulfus *Princeps magno de stemmate fulgens,*
C *Pulchrior in Populo non fuit alter eo.*
Consilio Græcos, *&* Gallos *ense preivit,*
Tutamen multis Italicis *viguit,*
Cesar ad exilium dudum cum mitteret illos,
Solus pro multis offuit iste cui;
Nam Capuam *ingrediens,* Ottonia *cuspide pellens*
Agmina confugium fecit eam Latio.
Crimina post vicit Benedicti *veste Beati,*
Quam sacris lacrimis se induit, atque piis,
Unde quadraginta felices vidit aristas,
E quibus & Princeps octo fuit Capue;
Cunque nono patitur [3] LIqVADOS *scire Kalendas*
Augusti *Mensis dans animam superis.*

D
TUMULUS
PANDULFI PRINCIPIS *CAPUÆ.*
Exstat in eadem urbe in Eccl. *S. Benedicti.*

XVI.

T*Errigenum primis pomo vetito male pastis,*
Heu, mortis jaculo sternitur omnis homo.
Quo fossus telo Tumulo tumulatur in isto
Princeps Pandulfus [1] *Principe patre satus*
A magnis proavis, ceu Lucifer, orbe refulsit,
Ut sol a propriis viribus enituit
Namque Dei regnum [2] *statuit sibi querere primum,*
Inde studens mundo non fuit absque Deo.
E *Nullus mortalis fuit hoc prestantior* [3] *armis,*
Consilio melior non erat alter eo.
Fractus perversis, exaltatusve secundis
Non fuit; ejus enim spes erat in Domino
In verbo stabilis, verax, & fidus amicis,
Et sibi subjecto blandus erat populo.
Alloquio facilis concivibus, & peregrinis,
Largior in dando non fuit ullus eo.
Semper, & elatos pressit, domuitque supervos
Ast humiles coluit, fovit amore Dei.
Exilium passus fuit hic vir tam venerandus,
Sed Deus ipse suo restituit solio.
Ante bonus fuerat, melior tunc esse studebat,
F *Cum mortis jaculo tollitur e medio.*
Dena dies a fine fuit mensis [5] *duodeni.*
Vite præsentis terminus huic homini.
Plus unum bis sex vixit quinquennia, menses
Septem, necne decem solibus, atque novem.
Ut merearis idem dici, Lector, tibi tandem,
Dic flexis genibus huic Miserere Deus.

DE DUO-

Modo deperditus; vel obscuro in loco latet. In antiquo Emortuali Monialium *S. Petri Beneventi* adnotatur obitus hujus Princ. sic. *Kalen. Jan. Landulfus Princ. & Monachus.* quem credo fratrem Princ. *Pandulfi Caputferrei,* factumque Monachum in mortis articulo more tunc consueto.

al. B̄R. R̄S. Hanc reputo uxorem antedicti Princ. *Landulfi*; donec certiora comperiam.

[1] al. *ultrix.* Variæ hæc lectiones ex Antigrapho sunt nobis missæ a Monialibus ejusdem præclarissimi Monasterii. [2] *Eu proles.* [3] *Tempore ha mobili fuerat* &c. [4] *Sex stos modenis uno quin.* [5] *Lctor.* [6] Metaphoricum nomen a *Mandra* deductum; unde etiam *Archimandrita*: hoc est: *Præses cœtus*, & *Cœnobiarcha.* [7] *Puerque.* [8] *sallite.* [9] *Regna summa semper sine fine regnat.*

* al. ĀS. R̄S.

Ex interioribus ædibus Monasterii nuper expositus. For. *Sikelcarda*, vel *Adelcarda.* &c. quam reputo uxorem *Landulfi* fil. *Pandulfi Caputferrei*, filiamque *Mansonis* Ducis *Amalfis*, qui fuit *Salerni* Princ. post *Pandulfum* optatum.

[1] *Ausoniæ.* Hoc est. *Langobardorum Italiæ Cis-Tyberinæ.* [2] *Urbis.* scilicet *Capuæ.* de cujus Principe sermo est. Sic apud *Erchem.* nu. 21. & alibi. [3] Sic habet Lapis; do testem. V. C. *Lucam Holstenium*, qui mecum inspexit, & adsensus est.

Pandulfus iste *Capuæ* Princeps hujus nominis fuit. 4. [1] Filius *Pandulfi* 2. Principis *Benev.* natus 6. Non *Julii* an. 988. [2] At hujus Principis impietate nil famosius in *Ostiensi.* [3] *Guiliel. Apul.* l. 1. de hoc Principe *Principibus Latii prior, atque potentior ipse.* [5] Tunc erat. mense 12. Kal.

[4] Ejus tamen tenacitatem taxat *Gaufr. Malat.* l. 1. c. 6. [5] Obiit hoc est. *Febr.* de quo bina antiq. Emortualia *Capuæ.* 19. & 9; *Martii.* Vixit an. 61.

DE DUOBUS LIBELLIS JUDICII.

Cis-Tyberinam Italiam Langobardis ademere Nortmanni.

NOstratium Langobardorum *imperium longa tandem quingentorum annorum ætate consenescens, excepit, immo excidit* Nortmannorum *in hanc* Cis-Tyberinam Italiam *adventantium bellica virtus ab exiguis licet succreta principiis. Quo equidem actæ rei exemplo indecens non erit eorundem* Langobardorum *Historiæ unum, atque alterum Libellum Judicii subdere, temporibus exaratos* Nortmannorum; *ut scilicet scripta rebus, velut exemplum exemplari, quo ad hoc quoque adamussim concordent. Et sane hujus libri omen ab* Langobardicæ *gentis casu, ni Deus aliter, non admodum disparerit; siquidem sicut* Nortmanni *pervasam* Langobardorum *ditionem reddidere duplo fere majorem, Insula adjecta* Siciliæ, & *littoralibus* Græcis *exterminatis, ac perpetuo sub jugo missis: ita consimili eventu Opuscula post ista pusilla seges altera aliis succrescet rerum a* Nortmannis *gestarum ad messem in grandiorem certe librum congregandam. Sed interim quæ inducta est comparatio magis, magisque quadrare videtur, quoniam nil minus* Langobardorum *rebus accisis, eorundem Leges fere omnes, mores permulti, & Ritus aliquandiu permanserunt, etsi vigerent* Nortmanni; *atque præsenti* Langobardorum *Historia conclusa, eidem Opuscula adjiciam sub* Nortmannis *descripta, quæ nonnullas priores Leges, sive Ritus non inutili lectione designant. Haud igitur populorum perpetuo inimicantium monumenta me inepte commiscuisse, censebit peritus antiquitatis Lector. Qui de reliquo sciat volo, anteriorem Libellum exceptum esse ex scripto membranaceo Registro bonorum Monasterii* S. Michaelis Archangeli ad Formam *nuncupati extra* Capuam, *quod adservabatur in Archivo* Cassinensi: *Posteriorem vero innotuisse mihi humanitate* Joannis Jacobi Transi *Viri Patritii, atque antiquitatis studiosi; quibus pro meo libitu Titulos addidi, quales auctoritas suasit* Falconis Beneventani; *qui in Chronico ad finem anni* 1121. *consimilem Chartulam adpellasse videtur* Libellum Judicii. *Insuperque ratus in scripto Chronico Monasterii* S. Vincentii *ad Fontes* Volturni *perplures tales Chartulas inesse, ex quibus clare liquet dictas eas alio nomine fuisse* Notitias judicati. *alteram adposui Epigraphen, ut qui volet, alterutra possit uti. Verumtamen nec istud admonere prætermittam, in Papyraceo exemplari posterioris Libelli a novissimo librario, qui ex Autographo membranaceo eum exceperat, adpictam fuisse istiusmodi subscriptionem* Yo el Rey; *quam consulto omisi; quod putaverim ironia quadam ab exscriptore confictam, qui germanam exoletæ, sive implexæ subscriptionis interpretationem haud fuerit adsecutus, substitueritque alteram frequenti usu sibi expositam: utpote a Catholicis nostris Regibus in Diplomatibus, ac Epistolis usurpatam.*

Sed nonnullas eorum leges servarunt his duobus libellis descriptas.

Quorum Epigraphen explano.

LIBELLUS DILATI JUDICII
SIVE
NOTITIA JUDICATI.

De Terra, ac Fundo quodam sito in Matalone, *pro Monasterio, & Ecclesia* S. Michaelis Archangeli ad Formam *nuncupato prope* Capuam.

IN nomine Domini nostri *Iesu Christi.* Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo centesimo quadragesimo nono. Temporibus Domini nostri *Rogerii* Dei gratia magnifici Regis; & quinto anno Principatus Domini *Guilielmi* filii ejus gloriosi Principis. mense *Madio.* Indiction. XII. Juris, & rationis hortatur authoritas quosque juris interpretes in judicio residere; injusta poscentibus affectum non tribuere, legitimas quoque desiderantium [1] non differre petitiones. Nobis igitur *Riccardo*, & *Leone* Judicibus *Castri Matalonis* die quadam ob causas inter litigantes terminandas, & lites dirimendas pro solito in Judicio residentibus, *Joanne* Fratre Camerario prædicti gloriosi Principis, & quampluribus Militibus, aliisque probis viris ibi existentibus, contigit in nostram venire præsentiam; ex una quidem parte *Joannem* cognomine de *Suessa*, Sacerdotem, Monachum, atque Præpositum Monasterii *S. Angeli*, quod dicitur *ad Formam*, cum quibusdam Monachis ejusdem Monasterii confratribus suis, & cum *Philippo* Notario ejusdem Monasterii [2] Advocato. Ex parte vero altera *Petrum* cognomine *Girardi*, filium quondam *Eustasii Girardi*, habitatorem in prædicto Castro *Matalonis* cum *Ugone* de *Solerio* [3] Domino suo, qui eum ex parte publica dominabatur. Quibus omnibus in præsentiarum congregatis, pars prædicti Monasterii per præphatum *Philippum* Notarium, & Advocatum supradicto *Petro* hujusmodi fecit querimoniam, dicens: eum vi, & injuste possidere unam petiam terræ eidem Monasterio pertinentem, & de ea malo ordine tulisse fruges ad valens solidos quinque, & eis amplius; & de illa arbores, & vites incidisse, de quibus justitiam ei fieri postulabat. Et ut terra ostendetur quæsitum est. Sed cum de situ loci diu ab utraque parte disceptaretur, ut finis negotio daretur celerius, quæ a parte Monasterii objecta erant penitus inficiando terram illam se scire pars prædicti *Petri* respondit, & de eo [4] jure jurando satisfacere volebat. Nos vero videntes jurejurando etiam præstito litem proprietatis non esse decisam, eo in suspenso relicto, ut ad id, quod majus erat, venirent, præcepimus. Pars itaque prædicti *Petri* terram illam se suo nomine possidere asseruit. Pars vero Monasterii, habito consilio, Monasterium illud prædictam terram ad suam proprietatem tenuisse, & se inde testes habere, videlicet *Petrum* cognomine *Adriani*, & *Joannem* cognomine *Cyminum*, & *Raynulphum* ibi præsentes, respondit; in quos nihil rationabiliter objectum est. His auditis, terram illam una cum prædictis testibus [5] adivimus. Quæ ab eis undique nobis ostensa, & consignata, unusquisque eorum singillatim, & separatim a nobis diligenter ammoniti, & inquisiti, sicut moris inde est, dixerunt, & testificati sunt, se scire prædictum Monasterium ipsam petiam terræ tenuisse

[1] Confer. Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 40. l. 1. & seqq. At præ loci angustia haud hic do quæ *de Placitis* peculiari in dissertatione adnotata habeo.

[2] Unus Advocatus sacramentum deducit: alter causam procurat LL. *Lang.* lib. 2. tit. 47. lib. 8.

[3] Confer parem locum *Ivonis Carnot.* epist. 168.

[4] Apud *Langobardos* lis omnis vel jurejurando, vel Monomachia dirimebatur; Vide eorum leges lib. 1. tit. 1. l. 7. & lib. 2. tit. 55. per totum.

[5] Judex adit terram ex lege. *Adrevald. Flor. de Mirac. S. Bened.* c. 38.

nuisse ad suam proprietatem; & ad suum confirmandum testimonium jurejurando se præsto esse exhibuerunt. Præphata vero petia terræ est in loco, ubi dicitur: *Sanctus Terentianus*, infra fines videlicet *Matalonis*, & hos habet fines. Ab uno latere est finis *Terra Raonis Pipini*, & finis terra *Petri Girardi*, & terra *Roberti* de *Grutta*, & finis terra *Sancti Terentiani*. Ab altero latere est finis terra heredum quondam *Dominici* cognom. *Sareca*, & finis terra *Petri Sabbatini*, & *Joannis Sabbatini*. Ab alio capite finis terra Ecclesiæ *S. Pauli*, & finis terra ..... Post hæc in Curiam reversi, quæ gesta fuerant prænominato Camerario, & aliis in Curia existentibus seriatim narravimus. Interea pars Monasterii innitens ad Monasterii jus liquido patefaciendum, aliam sponte induxit allegationem; exhibuit quidem duo instrumenta; in quorum altero continebatur, quomodo quondam *Giezus* Diaconus, & Custos Ecclesiæ *S. Rufi* Civitatis *Capuanæ*, jussione, & voluntate Domini *Maynardi* Monachi, qui tunc Præpositus erat ipsius Monasterii, consensu etiam, & voluntate Fratrum Monachorum ipsius Monasterii per scriptum convenientiæ dedit, & tradidit quondam *Landoni Girardi*, Avo prædicti *Petri*, integram prædictam petiam terræ prædicto Monasterio pertinentem, ad tenendum, & laborandum, & plantandum illam usque ad XXIX. annos completos: sic tamen, ut omni anno tempore Æstatis daret parti ejusdem Monasterii quartam partem de omnibus frugibus prædictæ terræ, & de uvis in tempore vindemiorum, messe, & duo paria pullorum & cætera in ratione, & ordine, sicut in eodem instrumento continebatur; quod scriptum erat per quondam *Petrum* Clericum, & Notarium in anno Dominicæ Incarnationis MCIIX. & secundo anno Principatus Domini *Roberti* Principis, mense *Augusti*, Indictione prima roboratum vero erat per quondam *Petrum* Judicem, & per eundem *Giezum*, ac per *Ursonem*, & *Landulfum*, & *Leonem* Sacerdotes. In altero vero instrumentorum continebatur, quomodo prædictus quondam *Lando Girardi* guadiam dedit prædicto Domino *Maynardo* Præposito per partem ipsius Monasterii, & ei fidejussores posuit se ipsum, & *Rogerium* cogn. *de Miglia*, qui eum tunc temporis [1] dominabatur, & si ipse, vel ejus heredes non complerent parti prædicti Monasterii omnia quæ, & qualiter in ipso proriscripto continebantur, centum tarenorum aureorum monetæ *Amalfiæ* pœnam se parti prædicti Monasterii componere obligavit, aut ipsam terram eidem Monasterio quietam dimittere; & cætera in ordine, & ratione, sicut in eodem scripto continebatur; quod scriptum erat per quondam *Gratianum* Clericum, & Notarium in anno Dominicæ Incarnationis MCXVII. & XI. anno Principatus prædicti Domini *Roberti* Principis mense *Junio* Indictione X. roboratum erat per quondam *Majonem* Judicem. Visis igitur, & auditis a parte Monasterii tam apertissimis allegationibus, si quas rationes haberet, ut ostenderet parti prænominati *Petri* præcepimus. Qui se ad præsens rationibus carere dicens, ut ad eas inveniendas congrue sibi darentur induciæ, postulabat. Et quia eum ad hoc imparatum fore audivimus, ut [2] octo dierum spacio ei ob id daretur, non inconveniens duximus. Sed antequam dies statutus veniret, prædictum negotium ad notionem *Ebuli* Regii Camerarii pervenit. Qui, ut coram eo pertractaretur, ac diffiniretur, [3] præcepit. Die itaque constituto Curia congregata est coram eo in *Capuana* civitate, Baronibus, nec non *Tolomeo*, *Petro*, & *Joanne* ejusdem *Capuanæ* urbis Judicibus, aliisque probis viris præsentibus, & utraque parte ibi existente, nos causam, qualiter gesta fuerat, per ordinem narravimus; deinde sicut statutum fuerat parti prænominati *Petri* siquas haberet rationes, ut exhiberet illas, dictum est. Qui per se, & per jam dictum *Ugonem de Solerio* Dominum suum terram illam prædictum quondam *Landonem* Avum suum, & patrem suum, & se per XL. annos, & eis amplius possedisse asserens, quatuor viros ibi præsentes, qui illud sciverant, testes exhibuit in Curia; perhibens quoque quondam *Riccardum* Principem illam jam dicto *Landoni Girardi* avo suo concessisse, qui ob hoc de servitio unius Servientis Curiæ deservierat. Qui in Curia, sicut moris est, diligenter interrogati sunt, & unusquisque eorum singillatim testificatus est, prædictum quondam *Landonem*, & ejus heredes terram possedisse illam per XL. annos, & eis amplius, & de hac, & de aliis terris eorum de servitio unius Servientis Curiæ deservisse; & quod reddebant singulis annis de eadem terra prædicto Monasterio quartam partem omnium frugum, & de uvis messe, & duo paria pullorum. Cæterum pars sæpe dicti Monasterii hæc, quæ dicta erant, sibi nihil obesse asseverans, argumentabatur, conditionem Monasterii eorum facto non deteriorari, cum jam apertissime, & manifeste constaret terram Monasterii fuisse, & prænominatum *Petrum*, & patrem, & avum ejus eam a parte Monasterii tenuisse, liquidius pateret. Interrogatus autem prædictus *Petrus* iterum, atque iterum, se aliis rationibus penitus carere confessus est. Cumque super prædictis hinc, & inde diu disceptaretur, præceptum est *Capuanis* Judicibus, & nobis, ut super his sententia diceretur. Nos ergo prænominati Judices cum præmemoratis *Capuanis* Judicibus, [4] Baronibus pluribus, & Militibus, aliis quoque viris idoneis in partem euntes, & prædictam petiam terræ sæpe dicto Monasterio plena ratione pertinere cognoscentes, communicato consilio, præfato *Petro Capuano* Judice proloquente, judicavimus *Quatenus a modo, & semper prædictum Monasterium* S. Angeli *firmiter habeat, & possideat prænominatam petiam terræ absque omni contrarietate, & molestatione prædicti* Petri, *& de suis heredibus: jure tamen Curiæ, si quid sibi exinde competit, non diminuto*. Ad hujus itaque causæ terminationem, hujusque controversiæ Judicii memoriam in posterum faciendam, ne quæ superius gesta sunt oblivioni tradantur, præsens nostrum ei exinde Judicatum emittere curavimus. Quod tibi præmemorato *Philippo* Notario præsenti in Actis deducendum commisimus.

[4] Confer. Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 45. l. 2. & lib. 3. tit. 1. l. finali ad finem.

Ego qui sup. *Tolomeus* Judex.
Ego qui sup. *Petrus* Judex.
Ego qui sup. *Joannes* Judex.
Ego qui sup. *Leo* Judex.
Ego *Rogerius* Not. & Curiæ Advocatus.
Ego *Guilielmus* Not. & Advocatus interfui.
Ego *Joannes* Not. Interfui.
Ego *Gervasius* Notar. Interfui.
Ego *Petrus* Not. inter.
Ego *Guilielmus* Not. interfui.
Ego *Pandulfus* Notar. inter.
Ego *Landulfus* Interfui.
Ego *Joannes de Burgent.* interfui.
Ego *Jezolinus de Rocca* interfui.
Ego *Ra* ..... interfui.

FINIS

Libelli Dilati Judicii sive Notitiæ Judicati.

LIBELLUS JUDICII SIVE NOTITIA JUDICATI.

De cujusdam aquæ decursu, pro urbe, & civibus Suessanis.

IN nomine Domini nostri *Jesu Christi.* Anno ab Incarnatione ejus MCLXXI. Regni Domini nostri Secundi *Guglielmi* Dei gratia Magnifici Regis *Siciliæ*, Ducatus *Apuliæ*, & Principatus *Capuæ* anno VI. mense *Junii*. Indict. IV. In præsentia Domini Comitis *Roberti Casertæ*, *Apuliæ*, & *Terræ laboris* Magni Comestabili, & Magni Justitiarii, qui apud *Magdalonum* Curiam tenebat. Nobis *Alexandro*, *Joanne*, & *Bartholomeo* civitatis *Capuæ* Judicibus, & *Valleriano Aversanæ* civitatis Judice, & *Joanne*, & *Donato* Judicibus *Magdaloni* in Judicio residentibus: Præsentibus *Joanne Caccavicarro*, qui ex mandato Domini Comitis, ut Judex, in Curia sedebat. *Atenolfo* de *Patricio*, *Petro* Fratre, *Pandulfo* de *Marczano*, *Disolfo* filio ejus, *Riccardo de Citro* Regio Comestabile, *Ascitino*, *Riccardo* Notario, & aliis quampluribus: *Petrus* venerabilis *Teanensis* Episcopus cum Judicibus, Militibus, & civibus *Teani* proclamaverunt adversus cives *Suessæ*, qui in Curia aderant, quod ipsi furtive quandam aquam invaserant, & eam ad civitatem *Suessæ* derivabant; quam aquam tam longo tempore possederant, quod hominum memoriam excedebat. *Herveus* vero venerabilis *Suessæ* Episcopus, Judices, Milites, & alii quam plures cives *Suessæ*, qui pro parte civium *Suessæ* ad respondendum venerant, aquam illorum se furtive non invasisse, se aquam, quam se quasi possidere dicebant, ex dono, & concessione, & ordinatione Domini Regis *Rogerii* beatæ memoriæ se possedisse dixerunt. Super quo produxerunt testes *Anneum de Rivomatricio*, & *Landonem Burrellum*; quos donationi, concessioni, & ordinationi Domini Regis *Rogerii* interfuisse dicebant. Item istud aliud allegabant: tempore *Simionis* Senescalchi de hoc fuisse ortam controversiam inter cives *Teani*, & cives *Suessæ*, & testificatum fuit in præsentia *Simionis* Senescalchi per *Evulum de Mallano*, *Anneum de Rivomatritio*, & per eundem *Simionem* Senescalchum, quod prædictus Dominus Rex hujusmodi aquam civitati *Suessæ* concessit. Item dicebant; quod ex præcepto ipsius Comitis *Roberti* quidam ex civibus *Suessæ*, & quidam ex civibus *Teani* cum ipso *Petro Teani* Episcopo super ipsa aqua convenerant, & ex utriusque partis conventione sic statutum est: *Ut ex macerie supra liceret* Suessanis *aquam habere, & a macerie infra* Teanenses *aquam haberent.* Et de his omnibus *Suessani* se testes habere dicebant. Pars vero *Teanensium* ordinationem, & concessionem Domini Regis in dubium revocabat. Item nec mandato *Teanensium*, nec pro aquæ controversia finienda, ante prædictum Senescalchum venerant, & ipsam conventionem, etsi fuit, ut asserebatur, mandato, vel voluntate *Teanensium* factam fuisse, negabat. Pars itaque *Suessanorum* ad probandum, quod dixerat, in primis produxit coram nobis *Anneum de Rivomatritio*, & *Landonem Burrellum*, qui unus post alium sunt nobis testificati, dicentes, se interfuisse, vidisse, & audisse, quando prædictus Dominus noster Rex *Rogerius*, præsente *Evulo de Mallano*, in Palatio Castri *Suessæ* stans ad fenestram ordinavit, concessit, & donavit *Suessanis*, ut a partibus *Rocce Monfini*, & ab eis pertinentiis aquæ caperent *Suessani*, & ad Civitatem suam aquam ducerent; & præcepit

Ex compendiato nomine. *Mag.* quod sonabat, *Magistri.* novitius librarius reddidit: *Magni.* Hoc tamen mutare nolui, ut mea stet ubique fides.

Legibus *Langob.* sancitum est, *ut Episcopi, & Comites uniti sint pro pace, & salvatione in omnibus honoribus suis hominibus*, &c. lib. 2. tit. 53. 2.

A *Evulo de Mallano*, ut illud eis assignaret; & dixerunt, quod ex tempore prædictæ concessionis ipsam aquam *Suessani* usque nunc ad civitatem suam duxerunt. Item produxit *Suessanorum* pars *Risonem* Judicem *Suessæ*, & *Philippum* Notarium *Græcum*, qui unus post alium nobis testificati sunt dicentes, se vidisse, & audivisse prædictum *Evulum de Mallano*, & *Anneum de Rivomatritio* in præsentia prædicti Senescalchi, præsentibus *Teanensibus*, & prædicto *Teanense* Episcopo, testificatos fuisse concessionem ipsius aquæ a memorato Domino nostro Rege *Rogerio* factam, & ipsum Senescalchum id ipsum suo testimonio confirmasse, & *Petro de Ravello* injunxisse, ut concessionem
B Domini Regis *Rogerii Suessanis* adimplere faceret. Demum pars *Suessanorum* produxit coram nobis præfatum *Suessanum* Episcopum, & jam dictum *Anneum*, & *Boemundum Suessæ*, qui unus post alium nobis testificati sunt, se vidisse, & audivisse eo tempore, quando Episcopus non Episcopatus honorem fuerat adeptus, ex mandato prædicti Comitis *Roberti Suessanos* cum *Teanensibus* de aqua ad prædictam conventionem venisse, ut a macerie supra aqua esset *Suessanorum*: a macerie infra *Teanensium*. A nobis autem præfatis Judicibus jam dictorum testium verbis pro-
C palatis, pars *Teanensium* præfatum *Anneum de Rivomatritio*, & *Landonem Burrellum* falsum testificatos fuisse per pugnam se probare velle dicebant. Nos vero præfati Judices ex præcepto Domini Comitis cum *Joanne Caccavicarro*, & *Joanne Bello*, *Riccardo Citri* Regio Comestabulo, *Atenolfo de Patricio*, *Petro* Fratre, *Pandulfo de Marczano*, *Ascitino*, *Riccardo* Notario, in partem ivimus; & habito consilio, reversi judicavimus, pugnam in hoc casu locum non habere: tum quia inter *Langobardos* [1] erat quæstio, [2] tum quia de his, quæ non viderant *Teanenses* pugnare non debebant. Et quia prædictus Co-
D mes volebat, ut hæc lis rationabiliter finem acceptaret, nostro præcepto prædictus *Anneus*, & subpositæ personæ, & jam dictus *Lando* propria manu suum testimonium jurejurando confirmavere. Quo facto de possessione judicavimus: *Ut cives* Suessani, *sicut memoratus Rex* Rogerius *ordinaverat, aquam ad* Suessanam *civitatem ducerent; & in possessione aquæ essent; ita quod* Teanenses *exinde aliquod impedimentum eis non faciant, ipsius sanctissimæ Regiæ donationis, concessionis, & ordinationis confirmatione Domino nostro gloriosissimo Regi reservata.* Ut dictum, quod gestum est,
E memoriam non effugiat, pro securitate quoque civium *Suessanorum*, nos qui supra *Alexander*, & *Joannes Capuæ* Judices hæc omnia in scripto redigenda tibi *Petro* nos commisimus . . . . Ego qui supra *Alexander* Judex. Ego qui sup. *Bartholomeus* Judex. Ego qui sup. *Joannes* Judex. Ego qui supra *Joannes* Judex. Ego *Vallerianus* Judex. *Donatus* Judex. Ego *Adenolfus de Patricio* interfui. Ego *Riccardus Citri* Regius Comestabulus interfui.

Finis Libelli Judicati sive Notitiæ Judicati.

F NEc plura ad hanc Historiam do antiqua Opuscula, nisi duo alia Chronica, quæ in extremum locum servavi, ut Perorationis vicem subirent: continent enim Epitomen, ac integram periodum Langobardorum Italiæ Cis-Tiberinæ *ad Dynastas usque* Nortmannos. *Ista autem omnia, quæ emisi, jam olim, velut semina, elegi, ex quibus enatæ, ac subcretæ sunt mihi Notæ universas res exponentes eorundem nostratium* Langobardorum. *Faxit Deus, ut ad plenam maturitatem eas perducere aliquando valeam: hoc est ad non imparatam editionem.*

[1] Suspectus mihi locus; certe obscurus. An antiquata lex fuerat 42. tit. 55. lib. 2. Leg. Lang. Quam lex 23. tit 9. lib. 1. propter consuetudinem vetare non potuit? [2] Et quidem ex jure Langobar. qui discrepantes testes Monomachia decertare constituerunt. lib. 2. tit. 55. lege 11. Admiserunt tamen, posse imbecilles, vel ætate, vel morbo, vel sexu, Campionem pro se subrogare, lib. 2. tit. ... l. 43. & seqq. In exemplaribus erat ... explo... subscriptio R... tue... ... hoc ... Comes Robe...

DE CHRONICO PRINCIPUM SALERNI, &c.

Parum utile Chronicon, & quidem minima diligentia consarcinatum Opusculum exhibeo, quod Ducum, & aliquot Principum Beneventi, *nec non Principum omnium* Salerni, *atque priorum Regum* Siciliæ *nomina aliunde notissima, & tempora aliis in Chronicis decantatissima pessime describit. Illud autem foras emitto, quod unum, atque alterum* Salernitanum *Principem prodat adhuc ignoratos, meæque diligentiæ esse duxerim, lapidem nullum, quem profectui ad hanc struem esse cognoverim, non admovere. Verumtamen de eo aliud, præter hoc prolixiori sermone præmonendum, vix habeo: ea scilicet sublevatus cura a* Joanne Simone Marescalcho, *qui Notula ad finem adpicta testatus est, quæ mihi ex more fuissent adnotanda. Exemplar autem, ex quo est exceptum, Papyraceum quidem illud, exstat apud* Joannem Baptistam Prignanum, Salernitanum *Patritium, patriæque antiquitatis studiosissimum, quod ætatem certe commonstrat ab anno* 1548, *quando ex antiquo Autographo exscriptum adseritur a* Marescalcho, *estque ejusmodi Epigraphe prænotatum:* Numerus annorum Regum, Ducum, Principumque *Salerni*, & *Beneventi. Quam sive ab novitio exscriptore, sive ab Chronici Auctore efformatam, consulto rejeci, eam ratus nil sapere, nec antiquitatis, nec veritatis: Duces enim, & Principes* Beneventi *haud Duces, & Principes dicti fuerunt* Salerni, *quod passim plerique neoterici gratis invexere; Regesque* Siciliæ *neutrius noscuntur urbis, seu Duces, seu Principes adpellati: substitui idcirco Epigraphen aliam enucleatius, ac minutius adnotata in Chronico exponentem; istaque satis de hoc Opusculo.*

Ex hoc Opusculo licet exigua utilitas: est tamen.

CHRONICON DUCUM ET PRINCIPUM ALIQUOT *BENEVENTI* ET PRINCIPUM *SALERNI*;

Cum Appendicula Ducum Apuliæ, & *Priorum trium Regum* Siciliæ *Ducatus* Apuliæ, & *Principatus* Capuæ.

Zoto Ducatum tenuit. Ann. XX.
Arachis. regnavit ann. L.
Agio. ann. III.
Adoal. Ann. V.
Grimoaldus. Ann. XXV.
Romoaldus. Ann. XVII.
Grimoaldus II. regnavit ann. III.
Gisulfus. Ann. XVIII.
Romualdus. II. ann. XXVI.
Gregorius. ann. VII.
Godescalcus. Ann. III.
Gisulfus. II. ann. VII.
Limpradius. Ann. VI.
Archis Princeps coronatus a Magno *Carolo*. ann. XXX. Hic construxit *Salerni* Palatium, & Cappellam S. *Petri*, quæ adhuc erat.

Coronatus, &c. Adhuc inauditum.

Grimoaldus filius ejus. ann. XVIII.
Grimoalt Storesaiz. ann. XII.
Sico Spoletinus. ann. XV.
Sicardus ejus filius. ann. VII.
Siconulfus frater ejus. ann. X. Iste *Siconulfus* cum fratre *Radechesi* Principe Principatum divisit. *Siconulfus* tenuit Principatum *Salerni*: *Radechesi* Principatum *Beneventanum*.

Cum fratre, &c. Inauditum, atque dicam falsum. Sed integrum

Sico filius supradicti *Siconulfi* regnavit ann. V.
A *Ademarius*. ann. VI.
Guaferius Balbus. ann. XVI.
Guaimarius malæ memoriæ filius ejus. ann. XVI.
Guaimarius bonæ memoriæ filius ejus. an. XL.
Priscus. ann. X.
Gisulfus III. Mag. Princeps. ann. XL. Hic introduxit corpus *B. Matthæi* in *Salernitanam* Civitatem.
Pandulfus optatus. ann. III.
Mansus Patritius. ann. II.
Joannes De Lamberto. ann. XIII.
Guaimarius ejus filius. ann. XLIII.
Guaimarius filius ejusdem *Guaimarii* ann. XXXIII.
B *Gisulfus* IV. Princeps ultimus. ann. XXXIII.
Robertus Guiscardus. ann. XX. Hic construxit Ecclesiam S. *Matthæi*.
Rogerius Dux filius ejus. ann. XXVI.
Gulielmus Dux filius ejus. ann. XVII.
Rogerius Rex Magnificus *Aphricæ*, & *Siciliæ*, in Ducatu regnavit ann. III. & mens. VI. Rex ann. XXII. & cum filio suo ann. III.
Gulielmus filius ejus Rex ann. XII.
Gulielmus Rex gloriosus filius ejus ann. XXIII. & mens. VI.

Chronicon cum altero Beneventano infra recensebo. Priscus iste incompertus adhuc. Mansus, & iste antea ignotus.

Anno Salutis. MDXLVIII.

C Quæ hactenus scripta sunt ex vetusto, corrupto, & manuscripto Codice *Salerni* in Cœnobio *D. Nicolai* delitescente ego *Joannes Symo Marescalchus*, *Salernitanus* fideliter excerpsi. Siqua tamen, tu Lector, tuis auribus minus accomoda offendes, desine mirari; volui namque in opere transcribendo potius esse fidelis, quam diligens. Tamen, si vis, inepta corrige, & pro arbitrio incerta repone, meque antiquitatum minimum assertorem si laudare dedignaberis, saltim non accuses, & diu felix vive. *Salerni*. Kal. *Augusti*.

FINIS Chronici Ducum & Princ. aliquot *Beneventi* & Principum *Salerni*.

DE CHRONICO DUCUM ET PRINCIPUM BENEVENTI.

Animus inopino perculsus malo susceptam Langobardicæ *Historiæ editionem, dimidiamque fere peractam, ægre audebat ulterius promovere. Etenim complurium (credam* uti-

Acri sensura imi-

petitus, exile hoc opus vix promovebam.

utique amicorum) judicia ad me pervenerant de libro nondum eis viso; quorum alii operis exilitatem, quam ab Opusculorum nomine argumentabantur, alii inutilitatem, quam prudenti vaticinabantur conjectura, inlaudabant. Qua acri censura impetitus, adeo exterrita mens fuerat mea, ut jam, jamque ab incepta prorsus desistere, vel saltem ad tempus reliquam Historiam cogitarem differre. Animique consternationem morbus valide augebat antiquus, qui & ipse humidioribus Autumni diebus cœperat sensim augeri; fastidiebamque, nedum urgere Typographicum opus, quinimmo anxie dolebam, me præpropera festinatione præcipitasse libellum, nec tamen ante Hyberna tempora, ut conceperam, integrum procudere valuisse.

At doctiorum judiciis animo sublevatus.

At his dum cruciabar molestiis adfuit V. C. Abbatis Constantini Caetani, *Monachi* Cassinensis, *de me, immo de omni antiquitate, bene promerendi consuetus amor; qui ultronea humanitate, literis* Romæ *datis, scriptum Chronicon communicavit Ducum, & Principum* Beneventi *ex antiquo* Vaticano *Codice olim a se exceptum: exemplumque transmisit Chronici postremorum Comitum* Capuæ, *quod alterum a meo penes se esse intellexeram, ac petieram. Quibus opportunissimis, acceptissimisque donis, ac si* Tyndarides *inluxissent mihi faces salutares, omnis sedata est mentis fluctuatio: agnovi enim laudato, & cordato viro susceptam a me provinciam cordi, ac laudi fuisse, qui fomenta præstitisset operi aliis improbato. Quam pariter sententiam plerique abstrusæ hujus, & impolitæ antiquitatis peritiores jam olim, atque etiamnum tulere; qui & cohortationibus, & symbolis, quæ consultissime, ac officiosissime ad præsentem contulerunt Analectam, remut adgrederer, perficeremque, impulere.*

Mihique conscius, operam me non ludere:

Fecit quoque animos, quod pusillus liber, quem pondere venalem haberi neutiquam vellem, ex pluribus minutioribus Opusculis a non uno Auctore elucubratis constet, iisque singulis sit longe major, quæ nec prisci, nec recentiores despexere rerum antiquarum studiosi, sed frequenti exscriptione ad hanc servarunt ætatem. Quibus prudentior ego cum nil sim, certe navasse opinor operam utiliorem, disgregata illa congregando, recensendo, carptimque adnotando: opus aliis vel desperatum, vel minus bene (absit verbo invidia) operatum.

Opus absolvi, adjecto insuper Opusculo non antea mihi viso. De quo pauca hic moneo.

Tantis igitur impulsoribus, productisque ratiunculis trepida mens valide confirmata, cœptum opus alacriter provehere instituit, morbique vim tantisper, sidere adhuc favente clementiori, vicit, & Chronicon recentissime acceptum aliis tandem addere suasit opportunissimum; quod in quatuor partes commode, ni fallor, dissecare est visum, contemplatus quadruplices rerum periodos in eo contineri. Illud autem non aliis adminiculis ab Anonymo auctore suo, Monacho utique Monasterii S. Sophiæ Beneventanæ *urbis, efformatum reputo; quam priscarum Chartularum observatione, quibus nomina Principum, & tempora habebantur adnotata: Idemque haud integrum ab eodem Monacho elucubratum pro comperto habeo, cui contribuendam scio tertiam solummodo partem: reliquas cum dixerim, ubi de Anonymo* Salernitano *num.* 1. & 10. *exstitisse jam pridem exaratas ad frontem scripti vetustissimi Codicis Historiæ* Erchemperti, *confecti ab anno* 995. *Verumtamen in hoc, vel idem Auctor, vel librarius non semel offendit, sicut in Commentario patefaciam, quod post dabo: ibi namque tum ista, tum alia multa erunt mihi, tibique commodius adnotanda.*

Zottoni Paulus Dia. l. 3. c.16. sive 34. annos tribuit 20. quot etiam imputat Codex Cass. 353. in quo Ducum series, prætermisso Audelao, nullisque adnotatis annis Gisulfi 2. est ad ejusdem Pauli normam; sed Principum anni variant ab hoc nostro, ut inf. ac præteritur ultimus Dux Luidprandus. An. 29. m. 6.

CHRONICON DUCUM ET PRINCIPUM BENEVENTI;

Auctore Anonymo Monacho *Monasterii* S. Sophiæ *ejusdem Urbis.*

I.

I. *Zotto* I. Dux *Beneventi* præfuit ann. XXII.

II. *Arichis* sedit an. L.

III. *Ajo* filius ejus sed. an. I. m. V.

IV. *Radoaldus* sed. ann. V.

V. *Grimoaldus* frater ejus sed. ann. XXV.

VI. *Romuald* filius ejus sed. ann. XVI.

VII. Alter *Grimoaldus* filius ejus sedit ann. III.

IIX. *Gisolfus* frater ejus sedit ann. XVII.

IX. *Romualdus* filius ejus sedit ann. XXVI.

X. *Adelays.* sed. ann. II.

XI. *Gregorius* sed. ann. VII.

XII. *Godescalchus* sed. ann. IV.

XIII. *Gisolfus* filius *Romualdi* sed. ann. XVII. & dies X.

XIV. *Liudprandus* filius ejus Nepos *Liudprandi* Regis sed. ann. VIII. & mens. III.

II.

I. *Arechis* Dux, & primus Princeps sed. ann. XXX.

A II. *Grimoaldus* filius ejus sed. ann. XIX. mens. VI. *An. 20.*

III. Alter *Grimoaldus* filius ejus sed. ann. XII. mens. I. d. X. *An. 11. m. 1. d. 10.*

IV. *Sico* sed. ann. XV. mens. II. *An. 16. m. ...*

V. *Sicardus* sed. ann. VI. mens. X. *An. 6. m. 10.*

VI. *Radelchis* sed. ann. XI. mens. X. *Ind...*

VII. *Radelgarius* filius ejus sed. ann. IIII. mens. II. *An. 13.*

IIX. *Adelchis* frater ejus. sed. ann. XXIV. mens. VI. *An. 3. m. 3.*

IX. *Gayderisius* filius *Radelgari* sed. ann. V. mens. VI. d. XIX. *An. 24. m. ..*

X. Alter *Radelchis* junior filius *Adelchis* sedit III. mens. VI. *An. 2. m. 6. d. 19.*

B XI. *Ajo* frater ejus sed. ann. VI. *An. 3. m. 4. d. 21.*

XII. *Ursus* filius ejus, puer decennis sed. ann. I. mens. VI. *An. 1.*

XIII. Cujus temporibus *Simbateus* Stratigos cum valida *Græcorum* manu venit *Beneventum* III. Id. *Julii*, & tenuerunt eam ann. III. & mens. IX. & d. XX.

XIV. Hoc tempore completi sunt anni CCCXXX. & menses V. a *Zotto* primo Duce *Beneventi*, quibus *Langobardi* primatum tenuerunt *Beneventanæ* Provinciæ.

Reliqua in eodem Cass. codice descripta habebis infra in Append.

XV. Post hoc *Guido Marchense* introivit in *Beneventum*. Sed. ann. 1. mens. VII.

C XVI. *Radelchis* junior iterum sedit ann. II. mens. VI.

III.

I. Dominus *Atenolfus* ex *Capuano* Gastaldato

jam

jam Comes cum filio *Landulfo*, & cæteri deinceps per generationes suas, per numerum Principes XIII. Principatum tenuerunt ann. CC LXXVII. *Atenolfus* regnavit ann. II. & cum *Landulfo* filio suo regnavit ann. X. mens. VI. & facti omnes anni regni istius *Atenolfi* XI. & mens. VI.

II. Post hæc iste *Landolfus* cum *Atenolfo* fratre suo, & cum *Atenolfo*, & *Landulfo* filiis suis regnaverunt ann. XXVI.

III. Et postea iste *Landulfus* junior regnavit ann. IV. & cum *Paldolfo* filio suo regnavit ann. XX. & mortuus est.

IV. Et post obitum *Landolfi* patris sui regnavit iste *Pandolfus* cum *Landolfo* fratre suo ann. VII. mens. VI. Et post mortem fratris sui regnavit cum *Landolfo* filio suo an. XII. mens. VI. & mortuus est idem *Paldolfus* de mense *Martio*, & facti sunt omnes anni Principatus ejus XXXVI. & mens. VI.

V. Et postea iste *Landulfus* IV. post mortem *Pandulfi* fratris sui regnavit mens. VI. & med. & fuit ejectus de *Benevento*. Et facti sunt omnes anni Principatus XII. mens. IX.

VI. Et *Paldolfus* nep... Domni *Paldolfi* majoris electus est Princeps a *Beneventanis*; & regnavit ann. V. mens. VIII. Et fecit Principem *Landolfum* filium suum, & regnavit cum eo ann. XXII. mens. II. Et fecit Principem *Paldolfum* nepotem suum, filium Domni *Landolfi*. Et regnaverunt toti tres ann. XXXIII. & [1] ejus est de *Benevento*, & mortuus est de mense *Augusti*. Et facti sunt omnes anni regni Domni *Paldolfi* XXXIIX. mens. VIII.

VII. Et post mortem Domni *Paldolfi* regnavit *Landulfus* filius ejus cum *Paldolfo* filio suo ann. XIX.. mens. V, & mortuus est idem *Landolfus* mense *Septembris*. Sunt anni Principatus ejus XL. & VI. mens.

IIX. Et quarto anno post mortem patris sui fecit principem *Landolfum* filium suum mense *Augusti*. Regnavit cum eo usquedum venit Domnus Papa *Leo* in *Beneventum*, ann. XIII. mense *Augusti*. Indict. IIII. Anno Domini MLI. & exsiliati sunt.

IX. Postmodum autem reversi sunt in *Beneventum*, & regnavit Domnus *Paldolfus* ann. XLVIII. & factus est Monachus in hoc Monasterio *S. Sophiæ* mense *Martii*, in Festivitate *S. Benedicti*, & vixit ann. [2] XLIII.

X. *Landulfus* autem filius ejus regnavit ann. XXXIX. m. III. d.... Mense *Novembris* obiit Indict. I. anno Domini. MLXXVII.

XI. [3] *Paldolfus* filius ejus, vivente patre suo, & abio, electus est Princeps, mense *Augusti*, Indict. IX. anno Domini MLVI. Regnavit cum abio suo ann. III. mens. VII. Et post mortem avii sui regnavit cum genitore suo ann. XVII. mens. V. d. VII. Occisus est autem a *Normannis* ad *Montem Sarchum* VII. die intrante mense *Febbruario*, Anno Domini [4] MLXXIII. Indict. XII.

XII. Post cujus obitum supervixit, & regnavit genitor ejus solus ann. III. mens. XI. quæ fiunt simul ann. XXXIX. mens. IV. Horum Principum temporibus venit Domnus *Gregorius* Papa in *Beneventum* Anno Dom. MLXXIII. II. die intrante mense *Augusti*, primo anno Pontificatus sui, Indictione XI. die S. V. suæ consecrationis II. Kal. *Julii*, die Dominico; Principatus Domni *Landolfi* ann. XXXVI. & Domni *Paldolfi* filii ejus XVII. Post cujus adventum supervixit idem *Paldolfus* Princeps mens. VI. & d. VI.

XIII. Post ejus obitum vixit pater ejus ann. III. mens. XI.

XIV. Quo moriente mense *Novembri*, V. Kal.

Numerus iste annorum XXVI. nulla stare potest ratione. Nec hi Principes annos habuere omnes pares, & communes. locus igitur est vel mancus, vel corruptus; certe impleхus.

[1] Compendiatum esse hoc verbum *ejus* ex integro. *ejectus*. intellectu difficile non est.

[2] Scribo XLVIII. nam secus minus vixisset, quam regnasset.

[3] Exemplum ad me missum habet. *Aldolfus* deprave.

[4] Restituo M LXXIV. quo an. erat Ind. XII. nam vivebat *mense Aug. Indict. XI.* quod hic adfirmatur Num. 12.

A *Decembris*, statim *Robertus* Dux obsedit *Beneventum* XIV. Kal. *Januarii* usque VI. Idus *Aprilis*, unde expulsus est cum omnibus suis Indict. I. Obiit idem trans mare mense *Julii* VIII. Indict.

XV. Post cujus Principis obitum recta est civitas per *Romanam* Ecclesiam.

XVI. Principati sunt in *Benevento* CLXXVII. an. a primo *Atenolfo* usque ad novissimum VI. *Landolfum*. IV.

I. A [1] *Zottone* primo Duce *Beneventi* usque ad [2] XV. annum *Siconis* sunt anni [3] CCLXXX. mens. III. d. XV. temporibus Imperatoris *Tiberii*, qui imperavit ann. VI.

B II. *Gisolfus* prior, Dux *Beneventi*, qui devastavit *Campaniam*, qui præfuit *Samnitibus* an. XVII.

III. Ab isto *Gisolfo* usque ad alium *Gisolfum* juniorem sunt anni LIII.

IV. Ab isto *Gisolfo* juniore usque ad XV. ann. *Siconis* Principis sunt anni LXXXIIII.

V. A B. *Benedicto* usque ad *Gregorium* Papam sunt anni LXXVIII.

VI. *A* Gregorio *Papa usque ad XV. annum* Siconis *sunt anni* [4] *CCVI.*

C VII. Et a *Gregorio* Papa usque ad *Gisolfum*, qui devastavit *Campaniam*, sunt ann. [5] LXXIV.

IIX. Et a B. *Benedicto* usque ad *Gisolfum* juniorem sunt anni CCV.

IX. A B. *Benedicto* [6] usque ad XV. annum *Siconis* Principis sunt anni [7] CCCVII.

X. Temporibus [8] *Justiniani* Majoris fuit *S. Benedictus* sub *Johanne* Papa. Tunc temporibus *Theodoricus* Rex *Italiæ* præfuit.

FINIS Anonym. Mon. Chronici Duc. & Princ. *Beneventi*.

Hactenus hoc Chronicon Anonymi Monachi Sanctæ Sophiæ *urbis* Beneventi. *Ad cujus quartam partem, complectentem collectiones annorum a me indicatas, cum de Anonymo* Salernitano *differebam Num.* 1; *variantes lectiones tum sunt ex binis scriptis Papyraceis Codicibus ejusdem* Salernitani, *ex quibus addita etiam est Collectio VI. qua præsens Chronicon deficiebat: tum sunt ex consimili, fere, Chronico, quod indicabam ad oram* col. 167. seq. *atque exaratum habebatur in antiquissimo Codice membranaceo Bibliothecæ* Cassinensis *signati num.* 353. *eidemque cætera hæ omnes annorum summæ, præter VII. IIX. & IX. inverso licet ordine, hoc est non ut hic suppositæ, sed Chronico præfixæ, aderant; erantque ibidem postremo loco post nomen* Ursi *filii Principis* Ajonis *& ista, utique non prætermittenda, quæ ex fusioribus Notulis excepta puto* Joannis, *ex Archidiacono* Capuæ *Abbas qui fuit* Cassinensis, *& in Historicas has lucubratiunculas, ut alibi dixi, incubuit, vixitque sub Principe* Landulfo *primo; ad cujus annum* 13. *nempe* Christi 913. *substitit, biennio antequam Abbas fuisset renunciatus. Etsi ambigi posse video, nosterne ab altero Anonymo Fragmenti* Beneventanæ *Historiæ auctore, an ille ab nostro sit mutuatus ea, quæ de* Græcis Beneventanam *civitatem invadentibus totidem prorsus verbis, de eorundem autem expulsione, paucis mutatis, utrobique tradita habentur in hanc formam?*

APPENDICULA

Ex Codice Cassin. *signato. Num.* 353.

URsus filius *Ajonis* puer septennis ann. 1. Cujus tempore *Sibbaticius* Straticus cum valida manu *Græcorum* venit *Beneventum* III. Id. *Julii*, obseditque eam usque XV. Kal. *Novembriarum* diem, quo ben. . . . . pacifscens, in eam ipse ingressus est eodem die, completis trecentis tri-

[1] *Zottone.* In uno codice Anon. *Salernit.*

[2] XII. In uno cod. Anon. *Salern.* deprave.

[3] CC LXXII. In uno cod. Anon. Sal. & *Cassin.* In altero *Salern.* LXXII. sed in omnibus nulli menses, nec dies.

[4] Certe auctor scripserat, ut minus *ann.* CC XXVI. qui fuerunt CC XXIX.

[5] *xxxiii.* In uno cod. Anon. *Sal.* In altero. *xxiii.* in utroque diminutè.

[6] Hæ collectiones cum annum non excedant 15. *Siconis*, ea Auctorem vixisse ætate docent.

[7] *ccc.* In utroque Cod. Anon. *Sal.* diminutè.

[8] *Justini majoris, & Justiniani.* In utroque Cod. Anon. *Sal.* & in *Cass.* Quæ *Romanis* literis expressi, erasa fuerant (super-

 ginta

ginta annis, & aliquot menſibus a *Zottone* primo Duce *Beneventi*, quibus *Langobardi* Principatum tenuere *Beneventanæ* Provinciæ. Tribus denique annis, novemque menſibus, & diebus XX. dominatio *Græcorum* tenuit *Beneventum*, *Samni*que Provinciam. Poſtea vero *præfata Imperatrix* anno I. menſ. octo expletis poſtquam *Græci Benevento* fuerant expulſi, in eadem ingreſſa eſt Prid. Kal. *Aprilis*, & poſtea [XIIII. Ind.] *eadem Imperatrix mater* [prædicti *Marchenſis*] nominatum *Radelchim* fratrem ſuum *Beneventano* Principatu reſtituit, qui fere XII. annis ab eo fuerat expulſus. Et poſtea ſed. an. II. Ind. autem XV.

[1] Dom. *Atenulfus*............ Ind. XIII.

Dom. *Landulfus*, & Dom. *Atenulfus* filii ſupradicti Dom. *Atenulfi* ſed. an. X.

Primo anno Principatus *Grimoaldi*, qui poſt *Arichis* Principem extitit Princeps, venit *Carolus* Rex *Beneventum*. Et a tempore ejuſdem *Caroli* [2] uſque ad XIII. annum Principatus Dom. *Landulfi* Principis ſunt anni. CXLII. temporibus *Adriani* Papæ, qui fuit ſucceſſor *Stephani* Papæ [quinti.]

FINIS Appendiculæ.

ANNORUM DUCUM *BENEVENTI*,

Ab Zottone *omnium primo ad* Arichim *nominis*. II.

Cum Æra Chriſti *Comparatio*.

PRæſens comparatio (novam ne, Lector, deliberationem ignores meam) haud promiſſi Commentarii pars, ſed excerpta ex illo eſt in Primam Partem antecedentis Chronici explanatio; namque uberiorem illam, ac perpetuam noſtratium Langobardorum *Chronologiam cum in longe majorem, quam putaveram, chartarum molem creviſſe, advertiſſem, peculiarem in librum propediem evulgandum, commodius rejiciendam eſſe duxi. Cui, ut hujus meæ non inconſultæ tarditatis damna aliquo emolumento tibi compenſarem, Hiſtoricas non abſimilis argumenti addere decrevi De Inſtitutione, Finibus, & occaſu Ducatus, & Principatus* Beneventani, *Principatus* Salerni *& noviſſimi Principatus* Capuæ *Diſſertationes, quas animone tantum conceperim, an quia nunc nuper abſolverim prudens in paucos ſaltem differam menſes, ex his, quæ in rei experimentum hic præſtare inſtitui, facile intelligere poteris.*

At Zottoni, *ut Comparationem aggrediar*, Beneventano *Duci omnium primo, univerſi, qui horum Ducum ſeriem deſcripſerunt, haud antiquiorem, melioremque* Paulo Diac. *habentes auctorem, qui noſtrates res* Langobardicas *uſque ad* Arichim. 2. *diligenter, & fideliter tradidiſſe eſt viſus, illum ſecuti, annos viginti imputarunt; ad cujus quoque normam annorum intervalla cæterorum poſtea Ducum adnotarunt. Noſter autem hic Anonymus, & ipſe* Pauli *veſtigiis de cætero fere ſemper inſiſtens,* Zottoni *tamen annos adſcripſit viginti duos, nempe totidem, quot illum anteceſſiſſe credidit* Arichim *hujus nominis primum, qui proxime Dux fuit poſt* Zottonem *ab ineunte anno* Chriſti 591. *qua ratione Ducatum* Zotto *ſuſcepiſſet in anno 596: ſubſequenti videlicet anno ab adventu in* Italiam *univerſæ gentis* Langobardorum. *Verum Dux primus ille, ſive plures, ſive pauciores in Ducatu vixerit annos, quod parum ad rem præſentem refert, ad* Pauli *ſanè mentem non eo anno Dux, nec antequam ab Rege* Authari, *ſive* Anthari, *& in Kalendis* Januarii *anni* Chriſtiani 585. *eſt conſtitutus;* Autharis *namque poſtquam primus in* Italia *Rex* Alboinus *tribus annis, & menſibus ſex, & poſt eum altero ſeſquianno Rex* Clephus *regnaſſent, exactoque inſuper integro interregni trigintaſex Ducum decennio, Rex eſt ſalutatus in anno 583. quem Sigonius de* Regno Italiæ *lib.* 1. *ſtatuit in anno 585. quoniam* Paulum, *laudatumque a ſe* Landulfum *pravè interpretatus,* Alboini *annos tres cum dimidio ab anno ducendos putavit 570. qui computandi fuerant ab anno 568. per quos ille, ut inquit* Paulus *lib.* 1. *c.* 14. *ſive* 28. in *Italia* regnavit: *quandoquidem in* Pannonia Langobardorum *Regnum poſt patrem* Andoinum *jam pridem ſuſceperat, tertioque generalis tranſmigrationis anno haud ipſe* Italiæ *Rex, ſed, ut* Landulfus *apud* Sigonium *perhibet,* Langobardorum dominatus, *id eſt, ordo regnandi,* fuit inſtitutus. Paulus *igitur, ut dicebam, primi* Beneventani *Ducis* Zottonis *initia ad Regem* Autharim *aperte retulit lib. 3. cap. 16. ſive 33. atque definite ad annum 585. quam germaniſſimam ejus fuiſſe ſententiam, digeſta ab eodem ſingulorum ſubſequentium Ducum tempora manifeſtant. Qua utique ratione, quoniam Zotto* principatus eſt *Beneventi (verba ſunt* Pauli) per curricula viginti annorum, *ad annum perveniſſet 605. idque plane demonſtrabat idem auctor lib. 4. cap. 6. ſive 18. ejuſdem Ducis obitum adnotans poſt deſcriptam Monaſterii* Caſſinenſis *everſionem a* Langobardis *patratam, a qua ad inſtaurationem ab Abbate* Petronace, *& ad Summum Pontificem* Gregorium 2. *qui ab anno ſedit 714;* annos fere centum, & decem evolutos fuiſſe, *perhibet lib. 6. cap. 13. ſive 40. Et quidem* Paulo *tum de præfati* Zottonis, *tum de reliquorum Ducum intervallis annorum, meliorem cum non habeamus auctorem, ſtandum eſſe non dubito: verumtamen quam de eis tradidit cum annis* Chriſti *comparationem, atque conſtanter ad* Arichim *uſque ſecundum videtur cuſtodiſſe, minime recipiendam eſſe exiſtimo; in qua adeo enormiter, ad res licet ſuæ ferme ætatis ſtylo tandem deveniſſet, offendit, ut de tanta viri hallucinatione (nam conſulto alioquin dicendum eſſet a linea aberraſſe, nec cur ſic feciſſet, divinare valerem) vix mihimetipſi fidem præſtarem, niſi in ſubſequenti deſcriptorum a ſe Ducum Chronologica Tabula, quæ ad Primam Partem præmiſſi Chronici inſtar integri Commentarii eſſe poterit, patentibus oculis abſurdiſſimum ejus conſpicerem Metachroniſmum. In qua Tabula annos Ducum cum annis* Chriſti *juxta excogitatam a me normam comparatos e regione ejus abſurdæ comparationis adſcribere eſt viſum, ut ſic utramque invicem expeditius, ac manifeſtius quiſque poſſit conferre. Epocham vero* Zottonis *ad ineuntem referam annum 571. non eo ductus argumento, quod ab eodem Duce ad annum* Chriſti 891. *& ad* Beneventum *a* Græcis *captam,* Leo Oſtienſis *lib.* 1. *cap.* 48. *Editionis* Neapolitanæ *annos numeraverit 320. ſed quod non aliter ſentiendum eſſe, ipſa Ducum a* Paulo *tradita annorum intervalla, atque a recentioribus recepta, demonſtrent: ab* Zottone, *enim ad præſcriptum annum 891. minime annos 320; ſed 330.* Oſtienſis *eo loci in exemplari* Caſſinenſi *manu exarato, & in Editione* Veneta, *&* Pariſienſi, *atque hic noſter Anonymus Par. 2. Num. 14; aliique ſupputarunt: Epocham ſcilicet inſtituti Ducatus cum Epocha* Zottonis, *qui primus quidem, ſed obſcuro quodam rerum ordine Dux fuit, confundentes, ut lib. 2. peculiari in Diſſertatione declarabitur.*

ZOTTO.

Sedit ann. XX. *Paulus Diac.* lib. 3. cap. 16. ſive 34.

Ex abſurda compar. Pauli D.		*Ex mea comparatione*	
A Kal. *Januarii an.*	585.	*A Kal.* Januarii *an.*	571
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	605.	*Ad Pr. Kal.* Jan. *an.*	591

Caſſinenſe Monaſterium vaſtatur a *Langobardis* ante *Zottonis* obitum, non quidem multum. *Paulus Diac.* lib. 4. cap. 6. ſive 18. & 19.

Nempe circa tempora, quibus *Theudobertus* Rex *Francorum* cum *Chlotha-*	*Nempe ſub* Pelagio Rom. *Pontifice, ut ex* Leone Oſtienſi *lib.* 1. *cap.* 2. *qui obiit*

ſtitibus tamen primæ ſcripturæ indiciis) quod, forte, nulla de Imperatrice præceſſiſſet mentio. His autem ſignis [] clauſi, quæ ſuperaddita eadem prioris librarii fuerant manu necdum facta, quam dixi, recognitione.

[1] Suppleo. *Dom. Atenulfus ſed. ann.* XI. *M.* VI. *obiit Ind.* XIII.

[2] Supputat *Caroli* tempora ab anno 771. a quo ſolus regnavit: ſepulto *Stephano* 5. aliis 4.

Pleniorem, univerſamque noſtratium Langobardorum *Chronologiam peculiari in Libro, ac Diſſertationibus non argumenti auctam, brevi poſtea dabo.*

Paulus Diac. *dux & Magiſter Chronologiæ Ducum* Beneventi *uſque ad* Arichim 2.

Zottonis *primi Ducis Epocham ad annum retulit* 585.

Non ignoro

Auctorem Appendicis ad Greg. *Tur.* cap. 45. annos interregni computaſſe 12. At *Paulus*, & qui illum ſecutus eſt *Sigonius* 10. tantum ſupputarunt.

Deformiſſimo lapſus, ſervatoque ad poſteriores etiam omnes Duces, Metachroniſmo.

Quod ſubjecta chronologica Ducum Tabula detegit, primamque præmiſſi Chronici exponit partem.

Mediani tenuit viam Sigebert-

tus, Cassinensem devastationem in annum referens 596. non advertens certum S. Gregorii testimonium.

rio patruele bellum gessit, ejusque exercitum vehementer afflixit; quando etiam signum sanguineum in cælo apparuit, & quasi hastæ sanguineæ. &c. *Paulus Diac.* lib. 4. cap. 4. sive 16. Talium autem Meteororum adparitio in Appendice ad *Greg.*	*obiit in anno 590. nec admodum antequam Sanctus* Gregorius Magnus *Dialogorum libros scriberet; qui ibi lib. 2. cap. 17. dicit* nuper *id actum: scripsit autem* Gregorius *in anno 593. ut Sacrorum Annalium magnus conditor* Baronius *observavit.*

Turon. cap. 19. & 20. & ex eo in Historia *Rheginonis* lib. 3. cap. 87. & 88. comparatur cum bello a *Theudoberto*, & *Theodorico* fratribus cum *Chlothario* commisso in anno quinto Regni *Theodorici*, qui ut varie computant, fuit *Christi* 601. sive 605. quod tamen bellum *Paulus* lib. eod. cap. 9. sive 29. alterum a præscripto a se, & parem facit *Christi* anno, qui notatus fuit Indictione 8. nempe 605. quo etiam loco *Chlotharium* non patruelem, sed patruum appellat prædictorum fratrum.

Ipse viderit *Paulus*, quo pacto hic *Arichis* antequam esset Dux, Pædagogus fuit *Radoaldi*, & *Grimoaldi*: cumque in Ducatu vixisset annos 50 illos, *florem juventutis habentes*; sibi, & filio Ducatus successores instituit; ut tradit l. 4. c. 15. sive 45.

ARICHIS.

Sedit ann. L. *Paulus Diac.* lib. 4. cap. 15. sive 46:

A Kal. *Januar.* an.	605.	*A. Kal.* Januar. *an.*	591.
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	655.	*Ad. Pr.* Jan. *an.*	641.

Dux iste Arichis *per postremos quinque menses sui Ducatus consortem habuit filium* Ajonem; *ut subsequens temporum ratio suadet.*

AIO

Sedit an. I. mens. V. *Paulus Diac.* l. 4. c. 15. sive 46.

A Kal. *August.* an.	654.	*A Kal.* Augusti *an.*	540.
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	656.	*Ad Pr. Kal.* Jan. *an.*	642.

RADOALDUS

Sedit ann. V. *Paulus Diac.* lib. 4. cap. 47.

A Kal. *Januar.* an.	656.	*A Kal.* Januarij *an.*	642.
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	661.	*Ad Pr. Kal.* Jan. *an.*	647.

Dux iste Radoaldus *cum fratre* Grimoaldo *ex institutione Ducis* Arichis *post* Ajonem *Ducatum obtinuisse, integroque præscripto quinquennio administrasse, videtur. Quo referam,* Paulum Diac. *juxta Edit.* Frobeni *nullos Ducatus annos* Radoaldo *seorsum ab annis* Grimoaldi *imputasse.*

GRIMOALDUS

Sedit an. XXV. *Paulus Diac.* l. 4. c. 16. sive 47.

Connumerato quinquennio; quo sederat cum fratre	*Non connumerato quinquennio, quo sederat cum fratre.*
Atque Dux an. XI.	*Atque Dux an. XVI.*

A Kal. *Januarij* an.	661.	*A Kal.* Januarij *an.*	647.
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	672.	*Ad Pr. Kal.* Jan. *an.*	663.

Rex per annos IX. *Paulus Diac.* l. 5. c. 12. sive 33.

Complentes videlicet summam annorum XXV.

A Kal. *Januarij* an.	672.	*A Kal.* Januarij *an.*	663.
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	687.	*Ad Pr. Kal.* Jan. *an.*	672.

Hic in Edicto, quod *Rothari* Rex composuerat, alia quoque Capitula Legis, quæ ei utilia visa sunt, adjecit. *Paulus Diac.* lib. 5. cap. 12. sive 33.

Aliter hæc Regum tempora disponit *Sigonius*; at quam bene, periti judicabunt.

Juxta *Pauli* normam præsens annus fuisset *Christi* 677. cui adjecti Characteres minime competunt. Sed juxta Regum intervalla, tradita ab ipsomet *Paulo*, si rite exponantur, ipse fuit a me demonstratus annus 668. Rex enim	*Nempe in anno sui Regni VI. mense* Julii *Indict. XI. Ut est in Legibus* Langobard. *editionis* Basileensis *anni 1557. excusis cum legg.* Salicis, Alamannorum, Saxonum. *&c. qui fuit* Christi *annus 668.*

A *Rotharis* condidit Edictum, ut ibi notatur, *VIII. anno sui Regni, Indictione* 12. *mense* Novembris (nempe producta Indictione secunda, ut alias sæpe, ad *Januarium*) *atque anno LXXVII. post adventum Regis* Alboini, quæ temporis designatio haud *Paulum* latuit lib 4. c. 15. sive 44. isque fuit annus *Christi* 644. Vixitque in Regno *Rotharis*, eodem *Paulo* teste lib. 4. cap. 16. sive 48; annos in solidum 16. menses 4. ad annum perveniens 652. hæredemque post se habens filium *Rodoaldum*, cui *Paulus* lib. 4. cap. 17. sive 50. imputat annos 5. dies 7. sed eos, fere, omnes computandos communes cum annis patris; ita ut filium B decessisse intelligamus eodem anno 652. quandoquidem subsecutus Rex *Aripertus* regnavit ann. 9. quod *Paulus* perhibet lib. 4. c. 18. sive 53. hoc est ad Autumnum, fere, anni 661. post cujus mortem, *expleto*, inquit *Paulus*, *anno, & mensibus tribus*, Grimoaldus Langobardorum *Regnum invasit*. nempe in exordio anni 663. quod cum tempore conditarum ab *Grimoaldo* novarum Legum, & digesta à me Chronologia perbelle congruit.

ROMVALDUS. II.

Sedit ann. XVI. *Paulus Diac.* lib. 6. c. 1. sive 2.

A Kal. *Januarii* ann.	672.	*Ab exeunte anno*	661.
C In quo ejus pater Regis titulo uti cœpit.		*In quo ejus pater Regiam cœpit ambire dignitatem.*	
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	688	*Ad exeuntem ann.*	677.

GRIMOALDUS II.

Sedit an. III. *Paulus Diac.* lib. 6. c. 1. sive 2.

Nempe una cum fratre Gisulfo, *ut infra.*

A Kal. *Januarii* an.	688.	*Ab exeunte anno*	677.
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	691.	*Ad exeuntem ann.*	680.

GISULFUS

Sedit an. XVII. *Paulus Diac.* l. 6. c. 1. sive 2.

Scilicet una adnumeratis annis tribus, per D *quos sederat cum fratre* Grimoaldo. *Igitur solus*

A Kal. *Januarii* an.	691.	*Ab exeunte anno*	680
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	705.	*Ad exeuntem ann.*	694.

Dux iste *Romanam Campaniam* vastavit sedente *Romano* Pontifice *Joanne*. *Paulus Diac.* lib. 6. cap. 9. sive 27.

Juxta supputationem *Pauli*, quem secuti sunt *Anastasius Bibl.* & *Ado* in Chron. sedente *Joanne* Sexto, atque anno E circiter 703.	*Juxta meam comparationem sedente* Joanne *Quinto, atque in anno circiter 685.*

Tempora designata in Actis *S. Rufini* apud antiq. Brev. *Capuæ* huic competunt *Romualdo*; cujus nomen loco *Grimoaldi* est ibi reponendum; signantque an. 794 sive 795. quo definite *Audoaldi Campani* Patritii filius è lethali

ROMUALDUS II.

Sedit an. XXVI. *Paulus Diac.* l. 6. c. 16. sive 55.

Integros		*Non integros*	
A Kal. *Januarii* an.	705.	*Ab exeunte anno*	694
Ad Pr. Kal. *Jan.*	731.	*Ad Æstatem anni*	720

Circa hæc tempora *Petronax* civis *Brixianæ* urbis *Romam* venit, hortatuque tunc *Gregorii* Apostolicæ sedis Papæ *Cassinense* Castrum petiit, ac monasterium *B. Benedicti* non post multum tempus in primum statum erexit. *Paulus Diac.* lib. 6. cap. 13. F sive 40.

Evolutis ferme centum, & decem annis a *Longobardorum* destructione. *Leo Ostiens.* in prologo sui Chronici ex fide *Cassinensis* exemplaris manu exarati, nec non Editionis *Venetæ*, & *Parisiensis*	*Evolutis fere annis centum triginta, per quos a* Langobardorum *eversione* Cassinenses *monachi* Romæ *juxta* Lateranense *Palatium habitaverant.* Petrus Diac. *in Auctar. ad* Ostiensem *lib. 4. cap. 91. ex fide* at-

morbo Divina ope convaluit, ut ibid. in Præfat. declaratur.

atque ad mentem *Pauli Diac.* loco relato, quem ſecutus quoque eſt *Adrevaldus Floriacenſis* libro de Miraculis *S. Benedicti*: Verum congenitæ inconſtantiæne vitio, an alia occaſione in *Oſtienſis* Chronico anni modo plures, modò pauciores *Caſſinenſi* ſolitudini imputentur, hujus non eſt loci expedire. Nec in præſens dicam, cur idem auctor lib. 1. cap. 4. inſtaurationem a *Petronace* aggreſſam in anno 720. ad tempora retuliſſe videatur Papæ *Gregorii* III. qui ſedit ab anno 731. nam *Petronax* certè ſub *Gregorio* II. *Caſſinenſi* præſidere cœpit monaſterio, ut ex *S. Willibaldi* etiam Peregrinatione apud *Surium* 7. Kal. *Jul.* eſt intelligere.

Caſſinenſis *exemplaris manu exarati, nec non Editionis* Venetæ, *&* Pariſienſis, *atque ad mentem* Oſtienſis *in eodem M. S. Codice, & editionibus l. 1. cap. 4. Quo loco* Petronacem *tradit in* Caſſinenſi *monaſterio habitare cœpiſſe in anno* 720. *idemque adnotavit præfatus* Petrus Diac. *in confecto a ſe Regiſtro Num.* 86. *in* Caſſinenſi *Archivo adſervato; cum uterque antiquiſſimum ejuſdem Cœnobii Monachum ſequeretur, qui in Chronico* Langobardorum, *ſeu Monachorum. &c. a me evulgato parem fecit Epocham* Petronacis, *&* Beneventani *Ducis* Gregorii, *nulloque alio intermedio Duce, ipſum* Gregorium *poſt* Romualdum *II.* (*nempe Ducem* Adelaum, *quod* Paulus *antea fecerat, præteriens*) *atque adeo in anno* 720. *videtur collocaſſe; ut conſtabit ex dicendis infra.*

ADELAYS

Aliis dictus Audelaus.

Sedit an. II. Anonymus Chronol. *S. Sophiæ.*

Par. 1. Num. 10.

Hujus Ducis nomen, & tempus nullum *Paulus* demonſtravit.	*Ab Æſtate anni*	720.
	Ad Æſtatem anni	722.

GREGORIUS

Sedit. an. VII. *Paulus Diac.* l. 6. c. 16. ſive 56.

A Kal. *Januarii* an.	738.	*Ab Æſtate ani.*	722.
Ad Pr. Kal. *Jan.* an.	738.	*Ad Æſtatem an.*	729.

GODESCALCHUS

Sedit an. III. *Paulus Diac.* lib. 6. cap. 16. ſive 56.

Sedit an. IV. Anonymus S. Sophiæ *Par.* 1. *Num.* 12.

Quæ quibus competant *Beneventanis* Ducibus poſt *Adelaum*, geſta in epiſtolis deſcripta *Romanorum* Pontificum *Gregor.* 2. et 3. *Stephani* 3. *& Pauli* 1. atque in *Anaſt. Bibl.* pluribus locis, ſecus ac *Paulus* prodidit in fuſiori aperiam Chronologia.

Hos facile conciliabis, ſi Godeſcalcho *imputaveris annos IV. non integros, quos* Paulus *rotunde, & ſuo more, III. computavit. Anonymus tamen* Caſſinenſis *in Chronico* Langobard. *ſeu Monachorum. &c. huic Duci adſignavit annos VI. ut tempora Ducum, & Abbatum exæquaret; nam annum Epochæ* Adelai *fecerat* Gregorii, *biennioque Ducum Chronologiam anteverterat. Sedit igitur* Godeſcalchus

A. Kal. *Januarii* an.	738.	*Ab Æſtate anni*	729.
Ad Pr. Kal. *Jan.*	741.	*Ad exeunt. prope an.*	732.

GISULFUS II.

Sedit an. XVII. dies X. Anonymus Chronologus *Sanctæ Sophiæ.* Par. 1. Num. 13.

Paulus lib. 6. cap. 17. ſive 58. nomen tantum hujus Ducis demonſtravit, quem libro eod. cap. 14. ſive 50. filium dicit Ducis *Romualdi* 2. ac Nepotem *Luitprandi* Regis *Langobardorum*; nempe ex nepote *Guntberga* natum, filia *Auronæ* ſuæ ſororis; tempus vero ſedis non adſcripſit, quoniam ſuam Hiſtoriam clauſit in obitu Regis præfati, qui deceſſit, ut ex *Anaſtaſio Bibl.* diſco in *Zacharia*, ante diem Kalendarum *Julii* undecimæ Indictionis, id eſt anni 743. At vixiſſe *Giſulfum*, in Ducatu per hos annos ab Anonymo *S. Sophiæ* deſignatos, cum *Pauli* ſupputatione aptiſſime congruit, quem proxime poſt illum collocaſſe *Arichim* 2. atque adeo nec plures, nec pauciores annos, quam 17. *Giſulfo* imputaſſe, dicendum eſt: quot ab anno 741. qui poſtremus fuit *Godeſcalchi*, prædeceſſoris *Giſulfi*, juxta ejuſdem *Pauli* comparationem ad annum 758. quo *Arichis* 2. Ducatum ſuſcepit, dinumerantur.

Non hunc, ſed ſubſequentem Ducem Luitprandum, *nepotem adpellat Regis* Luitprandi *præſens Anonymus. Et vero qui potuit* Giſulfus *iſte filius eſſe Ducis* Romualdi 2. *ex* Guntberga *filia* Auronæ, *cum* Romualdum *obiiſſe demonſtraverim in anno* 720. Aurona *autem, ut* Paulus *perhibet lib. 6. cap. 7. ſive 22. apud patrem* Anſprandum, *& matrem* Theoderadam, *hoc eſt innupta, ab Rege* Ariperto, *naſo, & auribus deciſis, deformis effecta fuerit in anno, ſive* 704. *ut ſupputat* Baronius, *ſive* 705. *ut notat* Sigonius, *ambo ſequentes traditam a* Paulo *de his* Langobardorum *Regibus Chronologiam?* Paulus *tamen hanc inconvenientiam vitaſſe ſibi eſt viſus*, Romualdi 2. *obitum ſtatuens in anno* 731. *ſed quam bene, ex mea hac comparatione facile intelligitur. Dux ergo* Giſulfus 2. *quibuſvis ortus parentibus, annos ſedit XVII. dies X.*

Ab exeunte fere an.	732.
Ad exeuntem ann.	749.

LUITPRANDUS

Sedit an. VIII. menſ. III. Anonymus Chronolog. *S. Sophiæ.* Pars. 1. Num. 14.

Hunc Ducem *Pauli* comparatio, & qui illum ſecuti ſunt, non admittunt: Auctor Indicis Ducum *Beneventi* in Codice *Caſſinenſi* 353. *Erchempertus* Num. 1. juxta priorem Editionem, & *Oſtienſis* lib. 1. cap. 9. ex fide ſcripti exemplaris, atque Editionum *Venetæ*, & *Pariſienſis. Erchempertus* vero, & *Oſtienſis* haud palam hujus ſe eſſe ſententiæ expoſuere; ſed hoc tanti non eſt, ut longiori demonſtrari debeat ſermone.

Luitprandum Beneventi *Ducem agnoverunt, nedum hic noſter Anonymus, ſed Anonymus alter* Salernitanus *longe antiquior Par.* 1. *Num.* 3. *itemque Anonymus ille, qui Ducum ſeriem ipſi* Salernit. *in M. S. Cod. præfixit, ac tandem firmiſſimo documento demonſtravit* Falco Beneventanus *in Chronico ad annum* 1121. *cum in lite quadam coram Summo Pontifice* Callixto 2. *agitata apud* Beneventum *productum fuiſſe dicit* Privilegium *Leoprandi* olim Ducis Civitatis *Beneventanæ, qui ſane* Leoprand, *ſive* Luitprandus *non fuit, niſi præſens* Giſulfi 2. *ſucceſſor: nec tale Diploma, ſincerum tunc reputatum, credere nunc licet ſuppoſititium. Iſte igitur Dux quoniam ſedit ann. VIII. menſ. III. ab exeunte anno* 749. *qui poſtremus fuit prædeceſſoris* Giſulfi, *ad ineuntum annum* 758. *pervenit, ac definitè ad menſem ejus anni* Februarium, *quo* Arichim 2. *ei ſubſtitutum fuiſſe a Rege* Langobardorum Deſiderio *docemur Epiſt.* 4. Pauli 1. *Pontificis* Romani *ad Regem* Pipinum *data, & de menſe teſtantur alia monumenta ſuo loco producenda, nam modo pro loci opportunitate ſatis ad hanc Primam partem.*

Sigonius de Reg. Ital. l. 3. Paulo ſubſcribit, Arichim 2. collocans poſt Giſulfum 2.

Anonymus *Salern.* qui *Arichim* electum perhibet per ſuffragia populorum, qualiter ſit capiendus in diſſert. dicam, quæ inſcribitur: *Ducatus* Beneventanus *tranſibat ne ad hæredem,* lib. 2.

FINIS Annorum Ducum *Beneventi* cum Æra *Chriſti* Comparationis.

STEM-

STEMMA PRINCIPVM LANGOBARDORVM, QVI PRODIERVNT EX GENERE ATENVLFI

COMITIS CAPVÆ ET DEMVM PRINCIPIS BENEVENTI.

Laidulfus viveb. in an. 1116.

Pandulfus Episcopus Teani. Viveb. in an. 1116.

Petrus viveb. in an. 1116. quo factus est Monachus Cass. Ejus filius Ioannes.

Ioannes viv. in an. 1116.

LANDO Pr. Capuæ ex genere Comitum Teani *Maraldus Mon. Chart. ineditus, mihi non visus.* Sedit ab 1091. ejecto Prin. Richar. 2. Normanno, ad 1098. *Gaufr. Malat. l. 4. c. 26. & Petr. Diac. l. 4. c. 10.* Obiit Monachus 7. Kal. Oct. incerto anno. *Emort. Monialium Capuæ.*

Pandolfus de Præsentiano. Viv. in 1091. filii ejus Laidolfus, Hector, Pandolfus, Gisolfus, *Petrus Diac. l. 4. c. 34. & 37.* Vxor Maria fil. Iozitelli. *Ex his orta gens de Præsentiano diu etiam post inter Campanas clara.*

Laidolfus viveb. in an. 1097.

Landolfus viveb. in an. 1097.

PANDVLFVS IV. Pr. Ben. Cum patre, & avo ab an. 1056. Cum patre ab an. 1059. ad 1074. quo occisus est a Normannis. *Chron. S. Sophiæ par 3. n. 11.*

N. & N. sive plures filii Pr. Landulfi 5. qui orti ex pessimo Pandulfo 4. ut tradit Desiderius Abb. Cassin. Dial. lib. 1. hoc est genus ex illo ducentes, huc illuc mendicatum sua ætate pergebant: nimirum postquam pater eorum e Principatu Capuæ fuerat deturbatus; de his autem Desiderium capio, quoniam Pandolfus 2. ut constat ex antiquis chartulis, nullum post se reliquit hæredem Principatus, quem subsequutus est præfatus Pandulfus 4. ejus patruelis ordine jam dicto. In actis tamen Translationis S. Martini e Crypta M. Massici Pandulfus 2. qui fuit filius Landulfi 4. asseritur Avus Landulfi 5. cui PP. Normanni successere: qua ratione Pandulfus 5. fuisset filius secundi, eique Imperator Henricus Principatum Capuæ, renunciante Guaimario, restituisset, Tumulusque 16. eidem esset tribuendus.

Paldus viveb. in an. 1094. *Petr. Diacon. l. 4. c. 15.*

Pandolfus, cui cognomen fuit De Sexto. *Petr. Diacon. l. 4. c. 75. & 79. Vide hic* col. 186. Ex Comitibus de Sexto ortus, qui in an. 1040. vel circa erant clari. *Ostiens. l. 2. c. 68.*

Ageltruda fil. Landulfi Com. Suessæ, uxor Ioannis fil. Paldulfi, fil. Guaimarii Princ. Saler. Viveb. in an. 1083.

Pandolfus Comes viveb. in an. 1049.

Landolfus viveb. in 1049. & 1065. Hunc puto Comitem Miniani, de quo Ostiens. l. 3. c. 19.

Ioannes. Hic una cum fratre conjuravit in Princ. Richardum I. & cum patruele Landolfo.

Petrus, qui conjuravit in Pr. Richardum I. ante annum 1065.

Landolfus. De hoc, deque ejus fratre Ostiens. l. 3. cap. 19. fine.

Ioannes viv. in 1070. Hujus sive ejus patruelis filia Altruda, uxor fuit Guiliel. De Magn. quæ viv. in 1104.

Pandolfus De Præsentiano. Viv. in 1065. de eo Ostiens. l. 2. c. 56.

Landenolfus De Præsentiano. Viv. in 1097. qui cum aliis conjuravit in Pr. Richardum I. ante an. 1065.

DESIDERIVS Abb. Cassin. ab an. 1058. qui & VICTOR PP. 3. in 1087, quo obiit. *Vide* col. 187.

Lando Com. De Prata, ex quo nobilis gens Capuana apud Amalfim. *Ex Chart. Amalfis.*

LANDVLFVS VI. Pr. Ben. cum patre ab 1038. Cum patre, & filio ab 1056. Cum filio ab 1059. Solus præmortuo filio ab 1074. ad 1077. quo obiit deficiente in eo Principum Beneventi successione *Chron. S. Sophiæ p. 3. num. 15.*

LANDVLFVS V. Pr. Capuæ cum patre, & avo ab 1047. Cum patre ab 1050. Solus ab an. ferè 1057. ad 1058. quo exutus est Principatu a Richardo Com. Aversæ. Olim datus fuerat a patre obses Imp. Conrado, sive ignotus frater ejus. *Ostiens. l. 2. c. 64.*

Adelgrima Comitissa, uxor Rainaldi Com. Marsorum. Viv. in 1096. *Petrus Diac. l. 4. c. 16.*

Landolfus, qui dicebatur Francus, *Vide* col. 186.

PETRVS Ex Monacho Cass. S. R. E. Cardinal. de quo col. 183. seq. & col. 185. *An ille est Ostiensi memoratus l. 2. c. 85.*

Ioannes Comes Venafri. Viv. in 1077. *Petr. Diacon. l. 4. c. 15.* Vxor Ata, fil. Pandulfi Comitis.

Pandolfus Comes Venafri *Ostiens. l. 3. c. 9.* dictus etiam *Paldus.* Viv. in 1064. Vxor Maria.

Landonolfus Com. Caleni, hoc est Calinuli. *Petri Diacon. l. 3. c. 41,* Idem Comes de Calvo. *Vide* col. 187.

Petrus De Roselle, de quo col. 186. *Ex hoc gens dicta De S. Erasmo, Cap. olim clara.*

Landofus viv. in anno 1065.

N. & N. fæminæ *Ostiensis l. 2. cap. 74. & 76.*

Pandolfus Com. Teani. Viv. in 1040. Vxor Anna fil. Sergii, ut puto, Ducis Neap. Erat vidua in an. 1049.

Petrus Comes Teani. Viveb. in. an. 1040.

Gisulfus Comes Teani.

IOANNES Pr. Capuæ cum patre ab anno 1022. ad 1026. Vxor Blatta, quæ defuncto viro erat Monialis in an. 1049.

Landulfus Com. Teani. Viv. in 1049. & 1065. *Ostiens. l. 2. cap. 68.* Vxor Vrania fil. Ioannis Comitis. Iste cum aliis conjuravit in Pr. Richardum I. ante an. 1065.

Laidolfus Com. Teani. Viv, in ann. 1040. de eo *Ostiens lib. 2. c. 68. & 76.*

N. pater Desiderii Abb. Cass. *Vide* col. 187.

Atenolfus Dux Normanorum, *Ostiens. l. 2. c. 67.* Falsò dictus Prin. Beneventi a Guil. Apulo l. 1.

PANDVLFVS III. Prin. Ben. cum patre, & avo ab 1012. Cum patre ab 1014. Solus ab 1033 Cum fil. Landulfo ab 1038. Cum fil. & nep. Pandulfo 4. ab 1056. ad 1059. quo factus est Monachus mense Mart. *Chr. S. Soph. p. 3. n. 9.*

PANDVLFVS V. Pr. Capuæ cum patre, & patruo Pand. 2. an. 1020. ad 1022. Iterum cum patre ab 1026. ad 1038. Tertium cum patre & fil. Land. 6. ab 1047. Cum fil. ab 1050. ad an. ferè 1057. quo obiit.

N. fæmina a patre data obses Imperat. Conrado in an. 1038. *Ostiens. l. 2. c. 64.*

Gregorius, qui cum aliis Langobardis conjuravit in Pr. Richard. I. ante annum 1065.

Landenolfus Comes Calatiæ, de quo col. 186. Viv. in 1054.

Atenolfus, ex quo gens dicta De Atenolfo, Capuæ clara. *Ostiens. l. 3. c. 26.*

Landulfus Com. Venafri. *Petrus Diac. l. 3. c. 58.*

N. & N. perempti nescio, an in bello cum Normannis in finibus Caudenis in an. 1045. in quo conflictu simul occubuere Madelfrid Comes de Palearia, fil. Adelferi Com. & una, ut reor, pater Desiderii Abb. Cass.

N. & N. utriusque sexus. Viveb. in 1064.

Bernardus viveb. in 1064.

Doferius Com. Volturnensis. Item alter cognominis cum fratre, Dauferi similiter nuncupato, qui vixere in an. 988.

Atenulfus Com. Casertæ.

N. unus e Comitibus, qui populo cum esset magis acceptus ad Principatum, zelotypia Aloaræ Princ. sub alio prætextu occisus est ante an. 993. *Vita B. Nili.* Hic dicitur *agnatus* Aloaræ, cum videatur fuisse viri ejus Pandulfi 1. sicque ipsi suspectus, ut dictum est.

Petrus filius Petri, consanguineus Pandulfi 6. Pr. Cap. Viv. in an. 1022.

Gisulfus Comes Teani, *Ostiens. l. 2. c. 36.* fortasse frater est Pandulfi, qui ex Comite fuit Princ. Cap.

PANDVLFVS VI. Ex Comite Teani Princeps Capuæ cum fil. Ioanne ab anno. 1022. ad 1026. Obiit Romæ exul *Ostiens. l. 2. c. 57.* Comitatus Teani cum inter ejus filios divisus fuisset; dici cœpit *Terra filiorum Pandulfi. Vide* col. 145. seq. *de eo Ostiens. l. 2. c. 36.*

Lando Comes Teani, cujus Tumulus extat Capuæ in Parochiali S. Ioannis ad Curtim. Viv. in 986. Vxor Gervisa, quæ in 999. iterum nupsit Rainaldo Com. Marsorum. *de quo Ostiens. l. 2. cap. 10.*

GAITELGRIMA Vxor Guaimarii 3. Pr. Sal. qui fuit cognatus Pandulfi 4. Princ. Capuæ. *Ostiens. l. 2. c. 57.*

ATENVLFVS Abb. Cass. ab 1011. ad ann. 1022. *Ostiens. l. 2. c. 29. & seqq.*

LANDVLFVS V. Pr. Ben. cum patre ab 987. Cum eodem, & fil. ab. 1011. Cum filio ab 1014. ad 1033. quo obiit mense Septemb.

PANDVLFVS IV. Pr. Cap. cum patruele Pandulfo 4. ab 1016. Cum eodem, & fil. suo Pandulfo 5. ab 1020. ad 1022. Iterum cum fil. ab 1026. ad 1038. Tertium cum fil. & nepote Landulfo 5. ab 1047. ad 1050. *De eo Tum. 16.*

PANDVLFVS II. Pr. Cap. post patrem ab 1007. Cum patruo Pandulfo 2. Pr. Ben. ab 1009. ad 1014. Cum patruele Pandulfo 4. ab 1016. Cum nepote Pandulfo 5. ab 1020. ad 1022. de quo nulla ulterius mentio.

Grimoaldus Com. consanguineus Pandulfi 2. & 4. PP. Cap. filius Adelmi, nep. Grimoaldi. Viv. in 1008. & 1017.

Lando fil. Sighenulfi, & Adenulfus filius Adenulfi Comitum Calatiæ. Vivebant in 1020.

Atenulfus, cæterique Comites Aquini, de quibus col. 127.

Landulfus consanguineus Pandulfi 2. & 4. Principum Capuæ. Viv. in 1018.

Aldemarius, &c. consanguinei Pandulfi 4. Prin. Cap. de quibus col. 147. & seqq.

Bernardus Comes Æserniæ. Viv. in an. 1064.

Ioannes Com. Casertæ fil. Landolfi Com. Viv. in 1034. Item Petrus, & N. N. fil. Petri Comitis, consanguinei Pandulfi 4. Pr. Cap. Viv. in 1032.

LAIDVLFVS Pr. Cap. post fratrem Landenulfum ab 993. ad 999. quo in exilium actus ab Othone 3. eique suffectus est Ademarius, eo quod in nece fratris consensisse videbatur. *Ostiens. l. 2. c. 15.* Hic omnium postremus, juxta vaticinium B. Nili, ex semine Aloaræ Capuæ imperavit. Cui Auctor Vitæ ejusdem Nili imputat etiam excæcationem Mansonis Abb. Cass.

N. fæmina, de qua in Vita B. Nili edita a Caryophilo.

Gisulfus Comes Teani, de quo Ostiensis lib. 2. c. 13. Viv. 991.

LANDENOLFVS Pr. Cap. cum matre Aloara post fratrem Landulfum 4. ab anno. 982 ad 993. quo a suis occisus est 12. Kal. Maji, elapsis mensibus 4. a morte matris. *Ostiens. l. 2. c. 9. & Petrus Damiani l. 7. epist. 12.* Vita B. Nili.

Atenulfus Comes, & Marchio, de quo col. 141. & *Ostiens. l. 2. c. 9.*

PANDVLFVS Pr. Sal. adoptatus a Pr. Gisulfo I. Sedit cum eo ab 974. ad 978. cum patre Pandulfo I. ab an. dicto ad 981. Solus per menses non multos *Vide* col. 141. seq.

LANDVLFVS IV. Pr. cum patre ab 968. Solus ab 981. ad 982. a Saracenis in bello cæsus. *Vide* col. 142. Hic post mortem patris sui (sic lego in Chr. S. Soph. p. 3. n. 5. non *fratris*) regnavit Beneventi mens. 6.

PANDVLFVS II. Sedit Pr. Ben. expulso patruele Landulfo 4. ab an. 981. Cum fil. Landulfo 5. ab 987. Cum eodem, & nepote ab 1012. ad 1014. quo obiit. *Anonym. Cass.* Chronicon S. Soph. par. 3. n. 6. dat ei an. XXXVIII. depravatè pro XXXIII. Fuit etiam Pr. Capuæ cum nepote Pandulfo 2. ab 1009, usque ad obitum.

Roffridus Comes. Viv. in an. 992.

LANDVLFVS IV. Qui dictus est de S. Agatha, Pr. Capuæ post Ademarium. *Ostiens. l. 2. c. 15.* Sedit an. 8. enumeratis ab depositione Pr. Laidulfi, & ab an. 999. ad an. 1007. quo obiit 9. K. Augusti. *Tumulus 15. & Anonym. Cass.*

Offa quæ nupsit Bernardo Comiti Fundano in an. 994. Cum dote quartæ partis rerum omnium patris sui, ac Civitatum, Castellorum, &c.

LANDVLFVS Primus Archiepiscopus Beneventi ab an. 969. *Hic notandus fuerat in gradu superiori, sed paginæ angustia id non permisit.*

Landulfus Comes Suessæ Viv. in 1016. Hujus filius Petrus Comes Suessæ viv. in 1030. cujus uxor fuit Gemma filia Docibilis Illustris.

Landolfus. Laidolfus. Landenolfus. Comites Æserniæ. Vivebant in an. 1003. Sed Landenulfi hujus extat peculiaris memoria in lapide Turris Campanariæ Ecclesiæ S. Mariæ Monialium ejusdem Vrbis. Landolfi autem in sepulchro patris ejus, a quo fuit primo loco genitus.

N. Monachus Cassinensis, *Ostiens. l. 2. c. 8.*

Guaimarius Comes Marsici in Princip. Salerni. *Anon. Salern. p. 7. n. 7.*

Indolfus Com. Sarni in Principatu Salerni, *Anonym. Saler. p. 7. n. 7. & seqq.*

LANDOLFVS Ex Comite Laurini in Princ. Saler. obtinuit eundem Principatum cum patre ab 972. ad 974. *Vide* col. 141. seq. Factus est Monachus Cassin. in 1004. *Ostiens. lib. 2. c. 26. & Regist. Petri Diac. pag. 138. ater.*

Landenolfus Com. Lauri in Princip. Saler. Obiit in anno ferè 971. *Anonym. Salern. p. 7. n. 7.*

Landus Com. ut puto, Calatiæ. Viv. in an. 963. & 968. In exilium actus est ab Imp. Othone 3. quod in nece consensisset Pr. Landenolfi. Hujus filia Rangarda, uxor fuit Guidonis Ducis Surrenti, filii Guaimarii 3. Princ. Salern

IOANNES Primus Capuæ Archiepiscopus ab an. 968. ad 974. *Ostiens. l. 2. c. 9.*

PANDVLFVS I. Cognomine Caputferreus Pr. cum patre ab 943. Cum patre, & fratre Land. 3. ab 959. Cum fratre ab 961. Cum fil. Landulfo 4. ab 968. Dux Spoleti, & Marchio Camerini in 969. & seqq. post abdicationem, Vgonis. *Petrus Dam. l. 7, ep. 12.* Princeps Saler. cum fil. Pandulfo ab 978. ad 981. quo obiit Capuæ, ubi sedem habuit, sicuti ejus prædecessores. Imp. Nicephorus apud Luitpr. in Legatione inscitè, sive per amplificationem imputat huic, & ejus fratri Landulfo 3. non unum, eundemque patrem, & avum. Vxor Aloara fil. Petri Com. quæ obiit in 992. 2. Non. Decemb.

LANDVLFVS III. Pr. cum patre, & fratre Pand. I. ab 959. Cum fratre ab 961. ad 968. quo obiit. Hic omnium primus, divisis sortibus cum fratre, sedem fixit Beneventi, *Vide* col. 120. *& seqq. Hareo an huic rectè assignaverim Tumulum* 11. col. 157.

Gemma Monacha in Monaster. S. Mariæ Capuæ; *Emort. ejusdem Monasteris.*

Romualt. Anonym. Salern. p. 7. n. 4.

Lando Comes Suessæ, fil. Landolfi, Viv. in an. 994.

Landenolfus Com. Suessæ fil. Atenulfi, Viv. in 984. & 996.

Atenulfus Comes fil. Atenulfi Com. Viv. in 981. & 982. Vxor Blatta filia Sergii Patritii.

Horum Bisavia fuit Sikelgaita Principissa.

Iaquintus Comes Suessæ, pater Landulfi.

MANSO Abb. Cassin. ab an. 986. ad 996. Consobrinus Pr. Pand. I. quo defuncto Principatum ambivit. *Ostiens. l. 2. cap. 12. 14. & 19.*

Landulfus Comes Æserniæ, *Ostiens. l. 2. c. 8.* Viv. in 981. Obiit ann. ætat. suæ 62. Vxor Sikelgaita. *Ex ejus Tumulo apud Æserniam.*

Aldemarius, Audoaldus, & Audoaldus Gastaldius, parentes Pr. Landulfi 3. Viv. in 966. Hos reputo ex Comitibus Calium, & affines Comitum Venafri; originemque duxisse ex quodam Ademario Thesaurario, qui eorum fuerat Bisavius.

GAITELGRIMA Vxor Guaimarii 2. Pr. Salern. Mater Gisulfi I. superstes viro. *Anonym. Sal. p. 7. n. 7. qui dicit Landulfum* ejus fratrem uterinum, *hoc est* ex eodem utero natum: *ut* filius uterinus *apud Gislebert. in Vita S. Romani l. 2. c. 15. in Bibl. Floriac.*

LANDVLFVS Cum patre, & fratribus exul, se primum contulit Salernum; deinde Neapolim; Salernumque a Pr. Gisulfo I. ejus nepote revocatus, Comitatum obtinuit Compsiæ, quem postea in carcerem conjecit, ac Principatum Salern. cum filio Landulfo usurpavit ab 972. sive 973. ad 974. *Vide* col. 141. seq.

N. & N. sive etiam plures cum patre exules, &c. *Anonym. Salern. p. 7. n. 7.*

LANDVLFVS II. Princ. cum patre, & Patruo Atenulfo 2. atque cum fratre Atenulfo 3. ab an. 940. Cum filio Pandulfo I. ab 943. Cum eodem, & altero filio Landulfo 3. ab 959. ad 961. quo obiit 5. Kal. Iunii. *Emort. Monialium S. Mariæ Vrbis Capuæ.*

N. & N. ignoti nominis, quos mors, sicut duos alios natu priores, etiam rapuit velociter; atque Capuæ humatos idem Tumulus num. 10. clausit.

Atenulfus primo loco genitus, quem pater nomine appellavit sui genitoris, Vixit mens. 6. *De eo in Tumulo* 10.

Atenulfus secundo loco natus, qui dictus est nomine præmortui sui fratris, Vixit mens. 8. *De eo in Tumulo.* 10.

ATENVLFVS III. Princ. cum patre, & patruo Atenulfo 2. ab an. 933. Cum iisdem, & fratre Landulfo 2. ab 940. ad 943. nec de illo in chartulis ulterius mentio; nam defuncto patre, Principatus ad minorem fratrem Landulfum 2. devenit, ut prisca monumenta docent. Idem verò, an alter cognominis Atenulfus, filius Landulfi I. fuerit Comes Suessæ, haud liquet.

Landenulfus Com. Suessæ, dein Æserniæ, quam a Vandalis olim devastatam instauravit, *Monumenta Æserniæ.* Præfatæ verò urbis excidium haud priscis imputandum est Vandalis, ex Africa digressis; qui sub Genserico in an. 455. direpta Roma, Campaniam spoliarunt: sed Afris Saracenis, qui nuncupantur *Vandali,* ab Constant. Porphyr. de adm. Imp. c. 27. & in Actis S. Athan. Ep. Neap. A quibus in an. ferè 880. incensa fuerat, ac defecerat. *Erchemp. n. 48.* Sanè post Gensericum illam frequentarat Alczecus Bulgarus; & quamvis in an. 847. ob terræmotum corruerat, stetit tamen, restititque Imp. Ludovico 2. *Ignot. Cass.* 14. & 22. Et præterea Landenulfi instauratoris ejus nomen, nisi ad Langobardos, & ad hanc gentem non est referendum. Hic in Tumulo filij Landulfi dicitur *filius Princ. Landenulfi,* fabrili errato.

ATENVLFVS II Erat Comes Teani in an. 906. vivente patre: quo defuncto sedit Princeps cum fratre Landulfo I. ab an. 911. Cum eodem & nepotibus, ut dictum est in præfato Landulfo, usque ad an. 940. nam ulterius nulla ejus mentio in chartulis habetur. Hunc e Principatu ejectum ad generum suum Guaimarium 2. Princ. Salerni se recepisse, perhibet Anonymus Salern. ineditus, & par. 7. n. 7. quod contigisse opus est ante an. 953. quo obiit ille Princeps. Nodus est, quem nunc non solvo.

LANDVLFVS I. Sedit Princeps cum patre ab an. 901. eoque defuncto cum fratre Atenulfo 2. ab an. 911. ad 940. Cum eodem & filio Atenulfo 3. ab an. 933. adjunctoque altero filio Landulfo 2. ab. an. 940. ad 943. quo obiit die 10. April. Hic patriam urbem Capuam incoluit. *Ostiens. l. 1. c. 52.* In Lupi Protosp. Chronico depravatè appellatur *Pandulfus* non semel; ejusque obitus perperam notatur ad an. 942. Vxor Gemma, filia Athanasii Episc. & Duc. Neap. *Anonym. Salern. p. 5. n. 2.* quæ viro superstes vivebat in an. 961. Auctor Chronici S. Vinc. ad font. Volt. l. 4. hunc Landulfum factum Marchionem putavit, id conjungens cum irruptione Hungarorum in Campaniam, quæ contigit in 936. sive 937.

IOANNES I. Ex Archidiacono Capuæ Abbas Cassinensis. Floruit ætate Principum Landulfi I. & Atenulfi 2. quos consanguinitate attingebat, ut expositum est col. 79. seq. Seditque ab an. 915, ad an. 934. *Porrò hic Ioannes, & fortasse plerique etiam alij in præsenti Stemmate descripti quamvis genus suum non referant ad Pr. Atenulfum I. quia tamen videntur prodiisse ex aliquo nepotum Landulfi senioris, qui totius gentis ultimus auctor fuit, omitti non debuere, vel ob id maximè, ut ex pauculis istis liqueat, quam frequens fuerit Campanorum, Beneventanorumque Magnatum numerus: qui suas Metropoles frequentare haud quidem destitere: & de Campanis apertus testis est Ostiensis l. 2. c. 64. absolutè qui etiam dicti eidem fuere: Nobiles l. 3. c. 16. & alibi: scilicet juxta seculi morem.*

ATENVLFVS I. Filius Landonulfi, de quo in Stemm. Comitum Capuæ num. 4. Hic Principatum Beneventi, ejecto Radelchi 2. adeptus est, ineunte ferè anno 900. certè non post. Seditque in eo solus ab an. jam dicto imperante Leone 6. cui ignoto nobis fœdere fuit obnoxius. Cum filio autem Landulfo 1. sedit ab an. 901. ad 910. quo obiit Capuæ, mense Aprili, ubi sedem statuerat. *Anonym. Salern. p. 5. n. 5.* In Arca lapidea tumulatus operis longe antiquioris, quæ etiamnum extat. Ejus posteri eundem Principatum obtinuere annis 177. *Vide* col. 180. Vxorem habuit Sikelgaitam ex genere Ducum Cajetæ, quæ Bisavia fuit Atenulfi, & Landenulfi Comitum Suessæ, qui filij extitere Comitis Atenulfi. *Chartulæ Suessæ.*

Ceterum præsens Stemma, sicuti etiam reliqua a me hoc libro descripta, non ut res ipsa, & ratio, quin usus etiam antiquiorum scriptorum exposcit a summa ad imam paginam, sed contrario ordine ab ima ad summam progrediendo efformavi: ut ea promptius possint conferri cum consimilibus Genealogiis pari modo ab aliis repræsentatis.

& Chronologia.

PRINCIPUM SALERNI,

Qu no DCCCCLXXXIII. ad Ann. MLXXV.

Guaimarius Comes, de quo in Præcepto Princ. Gisulfi 1. de an.974. natus legitur Guaiferius præfati Principis nepos. Et in alio Præcepto Pr. Pandulfi adoptati de an.981. est mentio eorundem, scilicet Guaimarii patris, & Guaiferii filii. Simulque in Præcepto Pr. Ioannis 2. de an.984. memoratur Guido filius Guaimarii Comitis. Pater non vivebat in an. 974. Vivebant filii in annis prænotatis. *Ex Archivo Trinitatis Cavensis.*

›mes, & Alber-
filii Adelferii
s Princip. Gisul-
t in anno 1052.
sca in Matthæo
Ex his gens nobi-
num nuncupata
uorum posteritas
usque ad annum
sque etiam Sa-
Comitum ur-
iatarum per se-
generationes du-
ferme tempora
vetustis membra-

Iordanus Dominus Castri Corneti de Cilento: nepos Guaimarii Princ. vivebat in anno 1137.

Guaimarius Com. Caputaquensis. Pandulfus Comes Corneti. Concessione Roberti Guis. post Gisulfi patris eorum dejectionem. *Si vera Gaspar Musca in Catal. Episcop. & Archiep. Salern. in Ioanne 1. & Alfano 1. Archiepp. ex antiquis monumentis.*

Astulfus fil. Gisulfi Comitis, Romualdus fil. Petri Comitis de Atenolfo, Casielmannus fil. Adelferi Comitis. Berengarius fil. Alfani Comitis vivebant in anno 1097.

Ioannes & Landulfus filii Ademarii Com. qui dictus est Rusfus. Ioannes filius Guaimarii Com. Gloriosus filius Pandulfi Comitis vivebant in 1110. & 1114. Sicelgaita filia Gloriosi, relicta Marini Capapice de Neapoli viv. in anno 1155.

N. fœminini sexus, quam Atenulfus cum esset Comes Capuæ filio Landulfo conjugio sociare, sed frustra, quæsivit. *Anonymus Salern. p. 5. num. 2.*

IOANNES III.

nupsit, Pr. Sal. cum patre ab 1038.
Minus c ex eo ad annum 1042. quo obiit.
cum pat Richar-
Cum pat esque viro condignas jam ferebat,
obiit (si rvenerat aliquanto ante annum 1098.
annos 11 , *Malat. l. 4. c. 26. annum s. vi-*
rotunde Iordano in anno 1090. nuptias se-
ante 1e gida, viro nullis claris titulis mihi
mus Sal h Boccac. in Fabella de Salern. Pr.
ut perhi bus adumbrasse. Cum Vgone vi-
domino Cavensi Petro Abbate. In anno
sius Gis præfato primo conjugio donat Ter-
est, in sa, ut per summam Notariorum
ma filia egitur, uxor fuit Ansfredæ, & ma-
edit. Q sed Gaitelgrima filia Roberti Guisc.
guinitat
rat præ

GISVLFVS II.

Pr. Sal. cum patre ab 1042. ad 1052. Solus ad 1075. quo a Roberto Guisc. Duce Apuliæ ejus cognato est Principatu dejectus, seque recepit apud Pont. Gregorium 9. a quo in Romana Campania concessa est ei quædam regio. *Guil. Apul. l.3.* sicque inter Romanos Proceres Bertoldo Constant. censetur: cum tamen nomen Principis Salerni adhuc retineret; ut apud eundem Greg. ep. 26. & Petrum Diac. in Auct. ad Ostien. l. 3. cap. 64. & sequentibus Titulum Principatus Siciliæ, nedum Calabriæ & Apuliæ, ut pater fecerat, usurpavit. Vxor Gemma.

SIKELGAITA

Secunda uxor Ducis Apuliæ Roberti Guisc. repudiata priore. Mater Ducis Rogerii, de quo sup. in Ioanne 2. Viro superstes, quem propinato veneno sustulit, si vera Ordoricus Vitalis lib. 7. Eaque natu prior sorore Gaitelgrima prius etiam nuptui data est Roberto a fratre Gisulfo in anno plus minus 1060. *Guilielmus Apul. lib. 2.*

Guido eximie laudatus in Carmine peculiari ab Alfano Arch. Salerni. Aliique fratres Pr. Gisulfi 2. qui interfuerunt cum eo dedicationi Eccl. Cass. in anno 1071. *Ostiens. libro 3. capite 30.*

N & N. dati obsides Ludovico 2. Imperat. a patre Guaiferio. *Erchempertus. N. 35.*

N. uxor Pulcari Præfecti: *scilicet Amalfis. Ioannes Papa. 8. epist. 3. & 51.*

GVAIMARIVS IV.

r. Sal. cum patre ab anno 1018. Solus ab anno 1031. Cum filio Ioanne 3. ab
Pr 538. Quo etiam anno ab Imp. Conrado 2 obtinuit Principatum Capuæ,
anne etinuitque per annos 9. usque ad annum 1047. quem sponte dimisit. *Ostiens.*
sana *b. 2. c. 64. & 79.* Cum filio Gisulfo 2. mortuo Ioanne, ab anno 1042. ad annum
pote 052 quo occisus est conjuratione Amalfitanorum suorumque cognatorum,
nym c Salernitanorum quorundam. *Idem Ostiens. lib. 2. c. 84. & lib. 3. c. 7.*
sed h Chronicon Salern dat ei annos 33. rotunde. Obtinuit etiam, armis fretus
nico Nortmannorum, Ducatum Amalfis ab anno 1039. & Ducatum Surrenti ab
Prof nno 1040. ac titulum usurpavit Ducis Calabriæ & Apuliæ ab anno 1042.
Leo uas Provincias, secum habens auxiliares eosdem Nortmannos, legitur ag-
Erch ressus. *Lupus Protosp. ad annum 1044. Guiliemus Apul. lib. 2. initio.*
Duc

Moaldus Comes Palatii filius Madelmi Comitis.

Majo Comes filius Pandonis Comitis.

Sico Comes filius Majonis Comitis: parentes Principis Guaimarii 4. ad quorum preces Princeps præfatus cum præesset Capuæ, confirmavit Abbatiam Cassin. Abbati Richerio in anno 1039. *Registr. Petri Diac. p. 198.*

Romualt. Arichis. Grim
Exules cum patre, & f
Guaiferio Salernum invase
id est a Radelchisii Princ.
subduxerunt, sibique Sicc
sum Seniorem, & Princ
præfecerunt: & præterea
marium Radelchisii fide
qui post fuit Princeps Sal
ad suas partes allexere,
xereque; *Erchempertus n*
Horum non meminit Anon
Salern.

RIVS III.

stiensi lib. 2. c. 37. ad discrimen
dit cum patre, præmortuo fra-
nnum 994 Solus post patrem ad
rio 4. jam dicto ad annum 1031.
otospatæ perperam notatur ejus
Chronico Salernit. rite impu-
tario capiendus Ostiensis lib. 2.
itia ab eo habitum Domnum
r Gaitelgrima, filia Pandulfi 2.
Pandulfi 4. Principis Capuæ, qui
Guaimarii 3. ut perhibet idem

Guaiferius Comes, & Ioannes Comes filii Landoarii Comitis. Vivebant in anno 1000. *Hos autem Salernitanos Proceres noto, quamvis nullo sanguinis vinculo, quod sciam, Principibus nexos Salernitanis, alios etiam plures infra suis locis, ni paginæ angustia id prohiberet, descripturus: scilicet ut cognosceremus, quam uber fuerit mater Salernum insignium virorum; quæ sub postremo Gisulfo* parca, *id est* minus dives, „ Sed antea præcipua Latii ditior urbe fuit, *ut inquit Alfanus ejusdem urbis Archiep. in Carmine ad Guidonem fratrem Principis antedicti in Codice Casinensi. Vide supra col. 108.*

OANNES II.

(an ille consanguineus Ducum fuit Spoletii, quibus frequenter usurpatum nomen Lamberti, & Guidonis,
iolfi; nam Rogerius Dux Apuliæ, filius Sikelgaitæ Proneptis ejus, & Roberti Guisc. in quodam diplo-
Procer B *m maternam originem suscepisse:* Principatum Salernit. ignoto rerum ordine obtinuit in anno 983. sicuti
Principis Si doptatus a Pr. Gisulfo 1. (in anno sane 986. quod liquet ex dictis col. 141. & 142. non vivebat Pandul-
juris Ducati Feuda non succedere) in quo per annos 2. ut perhibet præfatum Chronicon Salern. & antiquæ Chartu-
Landulfi Co NSO Dux Amalfis, memoratus Anonym. Salernit. part. 7. n. 10. & Latinæ Historiæ Neapol. lib. 1.
limarent in asset Otho. 2. Imp. urbem Salernum in antedicto anno 981. Mense Decembri obsedit. *Notitia Iudi-*
tharii filio *rn. in Chron.* Sed ei demum concordatus, pervasam Dynastiam retinere permisit. E qua, Othone defun-
l. 1. c. 28. m Amalfitanum pridem perdiderat, sed dein recuperavit Manso, obtinuitque per alios an. 16) ægre feren-
re Petro. ei inviso subesse. Regnavit itaque præsens Ioannes cum filio Guidone ab anno 983. ad 988. & cum filio
Principatu o obiit, ut tradit Petrus Dam. l. 1. ep. 9. concumbens cum meretrice, sequenti nocte post igniferam Vesuvii
qui absolut mo. *Galber Rodulfus l. 2. c. 7. hoc est jam dicto anno 994: ipso nempe 994. in præfato septenario adnumera-*
tinuit per a rn. assignantur anni 13. fortasse quod auctor ejus crediderit, ipsum fuisse Ioannem filium Mansonis. Non-
Balbi, suas 5. ac perinde ad annum Christi 997. & 999. Sed sanè crasso nimis Tabulariorum errore. Vxor ejus Sikelgaita.
præfato Im

BINA STEMMATA LANGOBARDORUM ALIQUOT PRINCIPUM SALERNI,

Quibus cunctorum etiam priscorum Principum ejusdem Urbis explicatur Genus, Successio, & Chronologia.

I. STEMMA PRINCIPUM SALERNI,

Qui in ea regnarunt ab Anno DCCCLXI. ad Ann. DCCCLXXIIX.

Guaimarius Comes, de quo in Præcepto Princ. Gisulfi 1. de an. 974. natus legitur Guaiferius præfati Principis nepos. Et in alio Præcepto Pr. Pandulfi adoptati de an. 981. est mentio eorundem, scilicet Guaimarii patris, & Guaiferii filii. Simulque in Præcepto Pr. Ioannis 2. de an. 984. memoratur Guido filius Guaimarii Comitis. Pater non vivebat in an. 974 Vivebant filii in annis prænotatis. *Ex Archivo Trinitatis Cavensis.*

G I S V L F V S I.

Ætate triennis, sive, ut conjicio, quadriennis, Princeps Salerni cum patre ab Kal. Ianuarij an. 933. quo etiam anno defuncto patre, cœpit esse sub tutore Prisco, fuitque an. 10. ad annum usq. 943 hoc enim sensu censetur Priscus inter Principes Salerni in Chronico Salern. Deinceps se solo, atque Græcis fœderatus (vide col. 107. & 135.) Principatum rexit usq; ad. an. 972. quo in carcerem conjectus, ac Principatu exutus est a LANDVLFO suo consobrino, filio Atenulfi 2. Princ. Benev. sed a Pandulfo Caputferreo Princ. Cap. & Benev. suo pariter consobrino, est suæ dignitati restitutus in an. 974. ut exposui col. 141. & seqq. Postque regnavit cum PANDVLFO, filio prædicti Pr. Pandulfi, a se adoptato pervenitque ad an. 978. eundem Pandulfum filium relinquens hæredem Principatus. Qui, fortasse, ætate cum esset minor, ipsum detinuit una cum patre usque ad an. 981. Dein solus per menses non multos. Chronicon Salern. ei assignat annos 3. numerandos nimirum ab obitu Gisulfi; cui pari ratione adscribit annos 40. quot ille regnavit solus ante amissum Principatum. Vxor hujus Gemma, filia Alfani. *Anonymus Salern. p. 7. n. 9.* agnata Lamberti Ducis Spoletij, ut indicat Ostiensis l. 2. c. 6. Qui cum tradat simul lib. 1. c. 60 Adelaidam uxorem Othonis 1. Imp. ortam fuisse ex Proceribus Tusciæ, concordat forsitan cum præfato Anonymo p. 7. n. 2 asserenti eam consanguineam, ac sororem fuisse præsentis Pr. Gisul. at Luitprando Ticin. Hist. l. 4. c. 6. alijsque adversatur, qui ipsam statuunt filiam Rodulfi Regis Burgundionum, & Berthæ.

Guaiferius Comes, qui Imperatus dictus est, pater Guaimarii, & Guaiferii nepotum Pr. Gisulfi 1. Non vivebat in anno 974. Vivebant filii anno dicto, & anno 981. & 984. *Ex Archivo Cavensi. Nati sunt itaque Principe Guaimario 2. in extremo ejus vitæ triennio post Gisulfum filii alii duo, Anonymo Salernitano omissi: nempe præsens Guaiferius, & Guaimarius in hoc Stemmate etiam notatus.*

G V A I M A R I V S II.

Minus circumspectè dictus *Major* Ostiensi l. 2. c. 6. Princeps Salerni cum patre ab anno 893. Solus post abdicationem patris ab anno 901. Cum parvulo filio Gisulfo agente annos IV. in anno 933. quo etiam obiit (sic legendum judico apud Anonymum Salern. ineditum: non *annos* III. qui ut serius natus est in anno 929.) Ei Chronicon Salern. rotunde imputat annos 40 Amicitiam cum Græcis, sicut pater ejus, ante receptam de illis victoriam ad Basintellum, de quo Anonymus Salern. inedit. & antequam in Apuliam intrasset in anno 929. ut perhibet Lupus Protosp. id est exercitum in Græcos Apuliæ tunc dominos duxisset, coluisse videtur; nam Græcus Patritius Anastasius Gisulfum e sacro fonte susceperat ipso anno 929. ut dictum est, in extrema Guaimarii senectute ei natum ex uxore Gaitelgrima filia Atenulfi 2. Princ. Beneventi. *Idem Anonymus Salern. inedit.* Quæ viro superstes vivebat in anno 950. eidemque consanguinitate conjuncta erat; quippe Avia ejus Landelaicha amita fuerat prædicti Principis Atenulfi 2.

N. fæminini sexus, quam Atenulfus cum esset Comes Capuæ filio Landulfo conjugio sociare, sed frustra, quæsivit. *Anonymus Salern. p. 5. num. 2.*

Guido, qui in anno 929. ut ex Lupi Prot. Chronico conjector egregiam ad Basintellum operam pro fratre Guaimario 2 adversus Græcos navavit. *Anonymus Salern. ineditus.*

Gisulfus filius Ioannis Comitis, qui Clericus, & Abbas fuerat. Vivebat in anno 1094. ipseque de se perhibet Proavum suum fuisse Principem Ioannem, virum Principissæ Sikelgaitæ.

Gregorius Caputaquensium Dominus. Vivebat in anno 1092. Vxor Maria filia Herberti.

Ioannes Com. patruelis frater Guaimarii; *s. ex eodem patre natus ut alibi*, frater uterinus, &c. Vxor Angelruda, filia Landulfi Comitis Suessæ. vivebant in anno 1083.

Guaimatins Caputaquensium Dominus pater alterius Guaimarii, Erat Mon. Caven. in anno 1137. Vxor Sibilia.

G V A I M A R I V S I.

Princeps Salerni cum patre ab anno 877. Solus ab anno 880. Cum filio Guaimario 2. ab anno 893. ad annum 901. quo se abdicare coactus est, renuentibus Salernitanis diutius eum sustinere, qui effera, insanaque crudelitate desævire cœperat in subjectos, postquam ab Adelferio Abellini Gastaldo, ejus nepote ex amita, uxore Rofrit, oculis fuerat orbatus in anno ferè 896. *Fragm. Hist. Langob. n. 6. Anonym. Salern. p. 4. num. 6.* (Leges Bajoariorum Tit. 11. non invalidum Ducem suo e Regno ab filio dejici, sed Ducem viribus animi, corporisque constantem, atque non cæcum, vel non surdum vetabant) Ei Chronicon Salern. dat annos 16. rotundo numero, ut solet; quibus ante filium Guaimarium 2. solus regnavit. Professus est in publicis Tabulis, concessum sibi, ac permissum fuisse suum Principatum ab Græcis Impp. Leone, & Alexandro, *Sicut divisus fuerat*, inquit, *inter Sichenolfum, & Radelchisum Principes. Vide etiam Erchempertum n. 67.* Vxor ejus Yota, superbi ingenii fæmina, filia Guidonis 2. Ducis Spoletii, soror Ducis Guidonis 3. de qua in Stemmate ipsorum Ducum præmisso ad Erchempertum.

N. & N. dati obsides Ludovico 2. Imperat. a patre Guaiferio. *Erchempertus. N. 35.*

N. uxor Pulcari Præfecti: *scilicet Amalfis. Ioannes Papa. 8. epist. 3. & 51.*

DAVFERIVS.

Qui deposito Prin. Ademario, est in ejus locum, paucis juvenulis annuentibus, suffectus: sed illico a patruo Guaiferio dejectus, atque cum fratribus carceri traditus, liber tandem dimissus, Neapolim se contulit, ubi consenuit, vivebatque in anno 880. *Anonym. Salern. inedit.*

N. & N. Sive plures fratres Dauferii una cum eo a Patruo Guaiferio in carcerem trusi; libertatique redditi, Neapolim, *commune Langobardorum exulum, fugitivorumque asylum*, se receperunt. *Anonymus Salernitanus inedit.*

G V A I F E R I V S.

Salernitanum Principatum invasit suggestione, ac ope Pandonis, & Landolfi Episcopi Capuæ. *Erchemp. n. 26.* qui patrui erant. Landelaichæ uxoris ejus, filiæ senioris Landonis Comitis ejusdem urbis: oculo glaucosæ; ac lippæ, sed venustæ, & moribus plusquam fæminæ. Eam perempta ob adulterium priore, conjugem duxerat Neapoli exul manens. Sed assidua soceri prece exoratus Princeps Ademarius Salernum ab exilio eum revocavit. *Anonymus Salern. inedit.* Sedit solus ab anno 861. Cum filio Guaimario 1. ab anno 877. ad 880. quo anno ægrotans monachus factus est, ac statim obiit. *Erchemp. n. 48. Ostiensis l. 1. c. 41. Anonymus Salern. inedit.* In Chronico Salern. appellatur *Balbus* a cognomine patris; eique dantur anni 16. quibus sedit solus. Diligentius Gaspar Musca in Catal. Episcop. & Archiep. Salerni in Landemario, qui sæpius negligens, tribuit annos 20. Ab Auctore autem Chronici Monachorum, & Langobardorum a me editi nuncupatur per errorem *Dauferius.*

Romualt. Atichis. Grimoalt. Exules cum patre, & fratre Guaiferio Salernum invaserunt, id est a Radelchisii Princ. fide subduxerunt, sibique Siconolfum Seniorem, & Principem præfecerunt: & præterea Ademarium Radelchisii fidelem, qui post fuit Princeps Salerni, ad suas partes allexere, perduxereque; *Erchempertus n. 14. Horum non meminit Anonymus Salern.*

N. uxor Rofrit, Proceris Benev. *Anon. Salern. inedit.* Ejus filius Adelchisius. *Idem Anonym. p. 3. n. 1.* qui pater fuit Adelferii Gastaldi Abellini. *Frag. Hist. Ben. n. 6.* & cognatus Landulfi Comitis Capuæ. *Vide eundem Anonym. p. 2. n. 3. & ibi ad oram notam.*

Majo omissus Erchemperto: sed bis demonstratus inedito Anonymo Sal.

ADELCHISA. uxor Sicardi Pr Benev. ab eo ducta post obitum Princ. Siconis, & anno 833. eximiæ pulchritudinis. *Anonymus Sal. inedit.*

D A V F E R I V S.

Procer Beneventanus, cognomine *Balbus*, sive *Mutus* ob linguæ defectum. *Erchemp. n. 14. & 26. Anonym. Salern. inedit.* Socer Principis Sicardi. Quo occiso in anno 839. est in exilium actus ab ejus successore Radelchisio, Nuceriæque in finibus, *utpote urbis tunc juris Ducatus Neapolitani*, constitit: atque proximos Salernitanos ad defectionem eatenus solicitavit, ut ii, accedente præcipue factione Landulfi Comitis Capuæ. *Erchemp. n. 15. Ostiensis lib. 1. c. 23.* SICONOLFVM perempti Principis Sicardi fratrem in Principem sublimarent in anno 840. *Anonymus Salern. inedit.* Istaque fuere Salernitani initia Principatus. In quo præfatus Siconolfus a Ludovico 2. Lotharii filio confirmatus in anno 850 seu 851. contributa ei integra medietate universi Principatus Beneventani. *Erchemp. n. 19. Ostiens. l. 1. c. 28.* obiit eodem anno 851 cum sedisset (rotunde dicam cum Chronico Salern.) anno 10. relicto puerulo filio SICONE sub tutore Petro. *Anonym. Salern. inedit.* qui a præmemorato Ludovico in anno 852. ob imbecillam ætatem in Franciam asportatur, commisso Principatu fortissimo, & Illustri viro ADEMARIO. *Ignotus Cassin. n. 13 Erchemp. n. 20.* filio antedicti Petri. *Anonym. Salern. inedit.* qui absolutum nomen Principis usurpare cœpit ab anno 856. mortuo nimirum Sicone quinquennio post patrem: eandemque Dynastiam obtinuit per annos 6. sed incompletos, ad annum usque 861. *Chron Salern.* quo in vinculis positus est a Guaiferio, filio prænotati Dauferii Balbi, suasu Pandonis, & Landulfi Episcopi Capuæ. *Erchemp. n. 26.* & demum in anno 866. adventante in Cis-Tyberinam Italiam præfato Imp. Ludovico 2. excæcatus est. *Anonym. Salern. ineditus.*

II. STEMMA PRINCIPUM SALERNI,

Qui in ea regnarunt ab Anno DCCCCLXXXIII. ad Ann. MLXXV.

N. soror Guaimarii, Mater Landulfi de Baragiano qui vivebat in anno 1124.

Guaimarius Monachus cum patre in 1091. Dominus Iesuni in anno 1092. Vivebat in anno 1110. ægrotabat in anno 1114. Vxor Gaitelgrima filia Mauri, soror Ioannis, & Mauri de Civit. Atrano, superstes viro, viv. in 1124. & 1126.

S. PETRVS Episcopus Anagnin. ex genere Principum Salernitanorum floruit sub Paschali 2. *Philip. Ferr. in Catal. Sanctorum Ital. die 3. Aug. ex antiquis monumen.*

Guaiferius Comes, & Albertus Comes, filii Adelferii Com. parentes Princip. Gisulfi 2. Vivebant in anno 1052. & 1068. *Musca in Matthæo Archiepisc. Ex his gens nobilis apud Salernum nuncupata* De Porta. *Quorum posteritas certo ordine usque ad annum 1335. pluriumque etiam Salernitanorum Comitum urbium innominatarum per septem, octóve generationes ducta ad eadem ferme tempora est mihi in vetustis membranis lecta.*

Iordanus Dominus Castri Corneti de Cilento: nepos Guaimarii Princ. vivebat in anno 1137.

Guaimarius Com. Caputaquensis. Pandulfus Comes Corneti. Concessione Roberti Guis. post Gisulfi patris eorum dejectionem. *Si vera Gaspar Musca in Catal. Episcop. & Archiep. Salern. in Ioanne 1. & Alfano 1. Archiepp. ex antiquis monumentis.*

Astulfus fil. Gisulfi Comitis, Romualdus fil. Petri Comitis de Atenolfo, Castelmannus fil. Adelferi Comitis. Berengarius fil. Alfani Comitis vivebant in anno 1097.

Ioannes & Landulfus filii Ademarii Com. qui dictus est Russus. Ioannes filius Guaimarii Com. Gloriosus filius Pandulfi Comitis vivebant in 1110. & 1114. Sicelgaita filia Gloriosi, relicta Marini Cacapice de Neapoli viv. in anno 1155.

Guaimarius de Iefuno. vivebat in 1051. & 1091. quo factus est Monachus Cavensis cum filio Guaimario, sed in proposito non mansit, nam non erat in 1096. Frater Pandulfus ei præmoritur, qui vivebat in 1092. Secunda uxor Guaimarii Sikelgaita filia Adelferii Comitis Beneventani.

GAITELGRIMA.

Vxor Iordani 1. Princ. Cap. cui nupsit, ut conjicio, non post 1079. nam ex eo connubio natus primo loco est Richardus 2. qui adolescens erat, viresque viro condignas jam ferebat, atque ad intelligibilem ætatem pervenerat aliquanto ante annum 1098. *Guilielmus Apul. l. 1. Gaufred. Malat. l. 4. c. 26. annum s. vitæ attigerat* 18. Hæc defuncto Iordano in anno 1090. nuptias secundas inivit cum Vgone de Faida, viro nullis claris titulis mihi noto, ita ut suspicer, Ioannem Boccac. in Fabella de Salern. Pr. Tancredo eas mutatis nominibus adumbrasse. Cum Vgone vivebat præsidente Monasterio Cavensi Petro Abbate. In anno 1104. interventu filiorum ex præfato primo conjugio donat Terras in Mataluni, &c. Non ipsa, ut per summam Notariorum ineptiam aliquibus in Tabulis legitur, uxor fuit Ansfredæ, & mater Richardi Comitis Sarnensis; sed Gaitelgrima filia Roberti Guisc. ut in aliis chartulis perhibetur.

IOANNES III.

Pr. Sal. cum patre ab 1038. ad annum 1042. quo obiit.

GISVLFVS II.

Pr. Sal. cum patre ab 1042. ad 1052. Solus ad 1075. quo a Roberto Guisc. Duce Apuliæ ejus cognato est Principatu dejectus, seque recepit apud Pont. Gregorium 9. a quo in Romana Campania concessa est ei quædam regio. *Guil. Apul. l. 3.* sicque inter Romanos Proceres Bertoldo Constant. censetur: cum tamen nomen Principis Salerni adhuc retineret; ut apud eundem Greg. ep. 26. & Petrum Diac. in Auct. ad Ostien. l. 3. cap. 64. & sequentibus Titulum Principatus Siciliæ, nedum Calabriæ & Apuliæ, ut pater fecerat, usurpavit. Vxor Gemma.

SIKELGAITA

Secunda uxor Ducis Apuliæ Roberti Guisc. repudiata priore. Mater Ducis Rogerii, de quo sup. in Ioanne 2. Viro superstes, quem propinato veneno sustulit, si vera Ordoricus Vitalis lib. 7. Eaque natu prior sorore Gaitelgrima prius etiam nuptui data est Roberto a fratre Gisulfo in anno plus minus 1060. *Guilielmus Apul. lib. 2.*

Guido eximie laudatus in Carmine peculiari ab Alfano Arch. Salerni. Aliique fratres Pr. Gisulfi 2. qui interfuerunt cum eo dedicationi Eccl. Cass. in anno 1071. *Ostiens. libro 3. capite 30.*

Paldolfus alicubi dictus Raldolfus, qui idem: nam Pr. Guaimarius 4. frater ejus res sibi, eique & alteri fratri Guidoni communes haud in plures, quam in tres partes dispertitus legitur in 1047. apud Arch. Cav. Pandulfo in Guardiam, sive fidejussorem dante Ioannem Com. filium Alfani Com. Guidone verò Atenulfum Com. filium Laidulfi Com. ex Comitibus fortasse Calatiæ suis cognatis. Hujus Paldulfi sunt, qui faciunt filiam Sircam, uxorem Rogerii de Sancto Severino.

G V I D O.

Comes Compsanorum. Principisque Guaimarii 4. ejus fratris concessione Dominus Surrentinorum (titulum Ducis Surrenti sibi retinuit Guaimarius) cujus mortem ultus est, recuperataque Salerno, eam reddidit Gisulfo nepoti. *Ostiensis. lib. 2. c. 64. & 84.* Vxor Rangarda, filia Landonis Comitis Calatiæ.

G V A I M A R I V S IV.

Pr. Sal. cum patre ab anno 1018. Solus ab anno 1031. Cum filio Ioanne 3. ab 1038. Quo etiam anno ab Imp. Conrado 2 obtinuit Principatum Capuæ, detinuitque per annos 9. usque ad annum 1047. quem sponte dimisit. *Ostiens. lib. 2. c. 64. & 79.* Cum filio Gisulfo 2. mortuo Ioanne, ab anno 1042. ad annum 1052 quo occisus est conjuratione Amalfitanorum suorumque cognatorum, & Salernitanorum quorundam. *Idem Ostiens. lib. 2. c. 84. & lib. 3. c. 7.* Chronicon Salern. dat ei annos 33. rotunde. Obtinuit etiam, armis fretus Normannorum, Ducatum Amalfis ab anno 1039. & Ducatum Surrenti ab anno 1040. ac titulum usurpavit Ducis Calabriæ & Apuliæ ab anno 1042. quas Provincias, secum habens auxiliares eosdem Normannos, legitur aggressus. *Lupus Protosp. ad annum 1044. Guiliemus Apul. lib. 2. initio.*

Moaldus Comes Palatii filius Madelmi Comitis.

Majo Comes filius Pandonis Comitis.

Sico Comes filius Majonis Comitis: parentes Principis Guaimarii 4. ad quorum preces Princeps præfatus cum præesset Capuæ, confirmavit Abbatiam Cassin. Abbati Richerio in anno 1039. *Registr. Petri Diac. p. 198.*

G V I D O

Princeps Salerni cum patre ab anno 983. ad annum 988. quo obiit, patre superstite: & idcirco prætermissus in Chronico Salernitano.

G V A I M A R I V S III.

Princeps Salerni, dictus *Major* ab Ostiensi lib. 2. c. 37. ad discrimen minoris Guaimarii, filii ejus. Sedit cum patre, præmortuo fratre Guidone, ab anno 988. ad annum 994 Solus post patrem ad annum 1018. Cum filio Guaimario 4. jam dicto ad annum 1031. quo obiit. In Chronico Lupi Protospatæ perperam notatur ejus obitus ad annum 1029. cui in Chronico Salernit. rite imputantur anni 43, De hoc Guaimario capiendus Ostiensis lib. 2. cap. 30. dicens, maxima reverentia ab eo habitum Domnum Lucium Monachum Cassin. Vxor Gaitelgrima, filia Pandulfi 2. Princ. Beneventi atque soror Pandulfi 4. Principis Capuæ, qui perinde cognatus fuit præsentis Guaimarii 3. ut perhibet idem Ostiensis lib. 2. cap. 57.

Guaiferius Comes, & Ioannes Comes filii Landoarii Comitis. Vivebant in anno 1000. *Hos autem Salernitanos Proceres noto, quamvis nullo sanguinis vinculo, quod sciam, Principibus nexos Salernitanis, alios etiam plures infra suis locis, ni paginæ angustia id prohiberet, descripturus: scilicet ut cognosceremus, quam uber fuerit mater Salernum insignium virorum; quæ sub postremo Gisulfo* parca, *id est* minus dives, „ Sed antea præcipua Latii ditior urbe fuit, *ut inquit Alfanus ejusdem urbis Archiep. in Carmine ad Guidonem fratrem Principis antedicti in Codice Cassinensi. Vide supra col. 108.*

I O A N N E S II.

In Chronico Salernitano a patris nomine, ni fallor, dictus. *De Lamberto*, (an ille consanguineus Ducum fuit Spoletii, quibus frequenter usurpatum nomen Lamberti, & Guidonis, quod ipse Ioannes filio suo imposuit?) progenitus, ut puto, ex filia Pr. Siconolfi; nam Rogerius Dux Apuliæ, filius Sikelgaitæ Proneptis ejus, & Roberti Guisc. in quodam diplomate apud Baronium ad annum 1090. prodit, *se a stirpe Princ. Siconolfi nobilem maternam originem suscepisse:* Principatum Salernit. ignoto rerum ordine obtinuit in anno 983. sicuti nec quidem constat, quo casu eundem Principatum amisit PANDVLFVS adoptatus a Pr. Gisulfo 1. (in anno sane 986. quod liquet ex dictis col. 141. & 142. non vivebat Pandulfus ille: Legesque Feudales lib. 2. tit. 26. §. 10. sanciunt, adoptivos filios in Feuda non succedere) in quo per annos 2. ut perhibet præfatum Chronicon Salern. & antiquæ Chartulæ demonstrant, id est ab anno 981. ad 983. cum filio IOANNE I. sedit MANSO Dux Amalfis, memoratus Anonym. Salernit. part. 7. n. 10. & Latinæ Historiæ Neapol. lib. 1. c. 13. Quem e Principatu illegitimè usurpato dejicere, fortasse, cum destinasset Otho. 2. Imp. urbem Salernum in antedicto anno 981. Mense Decembri obsedit. *Notitia Iudicati apud Chron. S. Vinc. ad Fontes Volt. lib. 4.* expugnavitque *Romualdus Salern. in Chron.* Sed ei demum concordatus, pervasam Dynastiam retinere permisit. E qua, Othone defuncto in an. 983. ipsum depulsum ab hoc Ioanne 2. fas est credere (Ducatum etiam Amalfitanum pridem perdiderat, sed dein recuperavit Manso, obtinuitque per alios an. 16) ægre ferentibus Salernitanis Amalfitano ob antiquam cum gente simultatem admodum ei inviso subesse. Regnavit itaque præsens Ioannes cum filio Guidone ab anno 983. ad 988. & cum filio Guaimario hujus nominis tertio, mortuo Guidone, usque ad annum 994. quo obiit, ut tradit Petrus Dam. l. 1. ep. 9. concumbens cum meretrice, sequenti nocte post igniferam Vesuvii Montis eruptionem, quæ contigit septimo de Salvatoris Domini anno millesimo. *Galber Rodulfus l. 2. c. 7. hoc est jam dicto anno 994: ipso nempe 994. in præfato septenario adnumerato, quo etiam calculo utitur auctor ille cap. seq.* Huic Principi in Chronico Salern. assignantur anni 13. fortasse quod auctor ejus crediderit, ipsum fuisse Ioannem filium Mansonis. Nonnullis etiam in Chartulis productum legi ejus Principatum ad annum 14. & 16. ac perinde ad annum Christi 997. & 999. Sed sanè crasso nimis Tabulariorum errore. Vxor ejus Sikelgaita.

C. Peregr.

ORTMANNORUM,

t, explicatur Genus, Successio, & Chronologia.

IMMA NORTMANNORUM DUCUM APULIÆ ET REGUM SICILIÆ,

Ad quos tandem Principatus Capuæ devenit ab anno MCXXXV.

Barthol[illegible] atque co[illegible] Princ. C[illegible] vivebat[illegible] diumS.

HENRI[illegible] CUS
[illegible]nceps Capuæ a patre [illegible]itutus post obitum [illegible]berti fratris incerto [illegible]o; & in testamento [illegible]firmatus. *Hugo Falc.* [illegible]*mualdus Sal.* Obiit [illegible] Kal. Iul. an. 1172. [illegible]*nymus Cassin.* ætatis *In quo Principes*

GUILIELMUS II
Vivente patre Dux Apuliæ post fratrem Rogerium 4. Patre defuncto, Rex Siciliæ coronatus mense Iulii an. 1166. *Anonymus Cassin.* Regnavit an. 23. & menses 6. *Chron. Salern.* ac pervenit ad annum 1189. quo obiit 16. K. Dec. *Anonym. Cassin. Emortuale Cassin.* nullis relictis liberis ex uxore Ioan. fil. Henrici R. Angl. *Rom. Sal.*

ROGERIUS IV
Apuliæ Dux a patre institutus, quo etiam vivente obiit in anno 1160. sagitta juxta oculum populari in seditione contra patrem suscitata, casu percussus. *Romualdus Salern. Hugo Falc.*

ROBERTUS
Princ. Capuæ a patre institutus in an. 1158. quo superstite obiit incerto nunc mihi anno. *Romualdus Salern. & antiqua Tabula.*

Robert[illegible]*na defecerunt: deficiente simul in Rege Guilielmo 2. Rogerii Regis successione qui ejusdem urbis Principatum, sicut & filius ejus Rex* cum [illegible]*lielmus 1. suis filiis tradere instituerat, atque observaverat; quem morem Rex Tancredus Guilielmi secundi successor, & præfati Ro-* matre [illegible]*i filius spurius, erat, fortasse, servaturus: perpetuis tamen bellis implicitus, filiisque natu majoribus carens, id distulit ad tempora* patru[illegible]*rtunsiora, sed nullatenus complere quivit: Reges autem posteriores desuetam sensim eam Dynastiam prorsus antiquarunt, nomine tan-* que R[illegible] *ore tenus diutius servato. Cæterum qui subsequentibus annis Regio, vel alio genere nati Capuam obtinuerunt, antiquis his Principi-* Sicilia[illegible]*tum dignitate, tum ditione magno intervallo impares fuerunt, ut satis constat.*
[illegible]ctus.
les l. *Falco an.* patri est re[illegible] *dem* *c. 61* *26.*

[GUI]LIELMUS
[Ap]uliæ post patre[illegible] mense Fe[illegible]n. 1111. ad Aug. an. [11]20 obiit absferis. *Falco ad* [11]10. & 1127. [illegible]*el. l. 1. c. 1.* [illegible] *Salern.* cum an. fere 16.

ANFUSUS
Ex Alberia tertio loco natus, Capuæ Principatu a patre auctus in 1135. *Alex. Tel. lib. 3. c. 27. & seqq. Anonym. Cassin.* & Ducatu Neapolis in an. 1139. *Falco Ben.* supervixit non diu. nam obiit 6. Idus Octob. an. 1144. *Emort. & Anonym. Cassin. Romual. Salern. & antiqua Tabula. Hic Princeps non sicut prædecessores ejus, tum Nortmanni, tum Langobardi Principes oleo Sancto inunctus legitur: quin nec successores: fortasse, quia nec Duces Apuliæ perungebantur: sed tantummodo Reges.*

ROGERIUS III.
Ex Alberia primo loco natus, a patre institutus Dux Apuliæ, cui in Regno erat successurus, ni præmortuus fuisset in 1148. *Anonym. Cassin. a me castigatus. Romuald. Salern.*

TANCREDUS
Ex Alberia secundo loco genitus, cui pater Principatum Barii, sive dicas Tarenti assignavit: scilicet nondum Principatum Capuæ adeptus, *Alex. Tel. lib. 3. c. 27. & lib. 4. c. 5. Hugo Falc. Romualdus Salernit.* ejusque funus vidit ante obitum aliorum filiorum; atque ante an. 1144. *Idem Salern.*

GUILIELMUS I.
Ex Alberia quarto loco natus, post Anfusi obitum a patre institutus Pr. Capuæ, & Dux Neapolis. *Anonym Cassin. & antiqua Tabula.* Mortuoque deinde altero fratre Rogerio Duce Apuliæ, ipse in ejus locum a patre est suffectus, & tandem in 1151. in Regni collegam; & successorem adscitus. *Romuald. Salern. & antiqua Tabula.* Defuncto patre sedit usque ad 1166. quo obiit 17. Kal. Maji *Anonym. Cassin.* cum regnasset an. 22. s. solus *Chron. Sal.* Uxor Margarita filia Garsiæ Regis Navarræ, quam duxit cum esset Cap. Princeps; *Romuald. Salern.*

Henricus
ex Alberia postremus, qui pæne infans mortuus est, vivente patre, ante obitum Rogerii fratris, id est ante an. 1148. *Romuald. Sal.*

CONSTANTIA
Ex Beatrice genita. *Romuald. Sal.* Uxor Henrici 6. Imp. de qua natus in anno 1195. Rogerius Fridericus, sive Fridericus Rogerius, Imperator qui fuit hujus nominis secundus. *Anonym. Cassin. aliique.*

GAITE[illegible] GRIM[illegible]
Uxor Guilielm[i] Ducis Apuliæ, a [illegible] eo ducta in 1116 [illegible] *Romual Saler.* Vixit [illegible] ro superstes. *Fa*[illegible] *coBen ad. an. 112*[illegible] *Hanc nonnulli r*[illegible] *centiores putaru*[illegible] *filiam Iordani Pr. Capuæ; nec a*[illegible] *verterunt præf*[illegible] *tum Iordanu*[illegible] *fuisse consobrinu*[illegible] *Rogerii Ducis* [illegible] *puliæ, qui pat*[illegible] *fuit prædicti Gu*[illegible]*lielmi.*

[illegible] *Diac. lib. 4. juxta edit. & Cod. m.* [illegible] *an. 17.* [illegible] *Salern.* [illegible]*nam regnavit* [illegible] *m. 5.*

N uxor Gualga[illegible] roi Com. Ro[illegible] quæ junxit se[illegible] bus Richardi [illegible] Capuæ in an. [illegible] *Petrus Diac. l. 4.* [illegible] *& Regist. ejus* [illegible] *Tunc etiam in* [illegible] *chard 2. insu*[illegible] *se germanum e*[illegible] *bertum, in Chro*[illegible] *hibetur Ceccan*[illegible] *quod dicitur Nova.*

ROGERIUS II.
[illegible] natus: Comes Siciliæ post patrem, sive post fratrem Symonem. [illegible] Guilielmi nepotis ejus ab 1127. *Falco Benev. an. dicto Alex. Te*[illegible] 3. & menses 6. *Chron. Salern.* Quibus peractis, cum totas [illegible] idem Telesinus lib. 2. c. 1. omnemque Ducatum *Apuliæ* obtine[illegible]m Princeps, Magisterque Militum Neapolitanus, omnisque ter[illegible]onitanæ Urbis sibi subderentur, se Regii illustrare culminis hono[illegible]bur Panormum constituere, quod recomplevit *in Natali Domini an.* [illegible]*s Ducatum Amalfis, Neapolis, & Cajetæ, Principatumque Barii &* [illegible]*in 1135. Principatum Capuæ, in quo instituit filium Anfusum, dici in* Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, *quod etiam successo*[illegible]t Rex, solus an. 22. Cum filio Guilielmo an. 3. *Chron. Salern.* usque [illegible] *Matt. Anon. & Emort. Cassin.* Prima uxor Alberia fil. Alfonsi Regis Hi[illegible]oror Ducis Burgundiæ. Tertia Beatrix, &c. *Rom. Sal.*

SYMON
Ex Adelaja primo loco genitus. *Malat. lib. 4. cap. 19.* patri successit in Comitatu Siciliæ, sed non multo post obiit. *Romuald. Saler.* At Alexander Tel. lib. 1. c. 1. & 3. Symonem patri successurum quidem fuisse, non autem successisse prodit.

MATHILDES
Uxor Raynulfi, qui ex Comite Abellini, &c. Dux Apuliæ fuit constitutus adversus Regem Rogerium cognatum ejus in an. 1137. a Papa Innocentio 2. & ab Imperatore Lothario 2. *Hujus Mathildis suasu Alexander Teles. Hi*[s]*toriam præfati Regis se aggressum ait Libro 1.*

Emma Uxor Rodulfi Machabæi Com. Montis Caveosi, alias civitatis Severianæ, fratris Gaufredi supradicti. *Ex Regist. Monasterii S. Michaelis Archi. Ordin. S. Ben. ejusdem Urbis.*

Robertus; de q[illegible] est mentio in [illegible] gistro Petri D[illegible] pag. 221. Hic [illegible] terfuit cum fr[illegible] Richardo Pr[illegible] Capuæ conse[illegible] tioni Eccl[illegible] Cassin. in 1071. *Ostiens*[illegible]*m. s. Cod. Ca*[illegible] *l. 3. c. 30.*

[illegible]æ a Guilielmo fratre ac[illegible]or Abagelardi, fil. Hun[illegible]rat, perempto in 1050.) [illegible] natus, pedes in Apuliam [illegible]imissa ob consanguini[illegible]nceps Tarenti, &c. du[illegible]*es. Gauf. Malat. l. 3. c. 13.* [illegible]tu potitus est, devicto [illegible]n tenuit an. XXX. Saler[illegible]ue urbem totius Duca[illegible] cui illam contribuerat.

ROGERIUS I.
Ex Fridesinna ultimo loco natus, ultimus in Apuliam venit, & ope fratris sui Roberti Guiscardi Calabriam primum, cujus medietatem ab eodem obtinuit, deinde Siciliam aggressus in 1060. ut innuit Gaufredus Malat. sed planius Romualdus Salern. dicens, defunctum in 1101. ætat. 50. Comitatus 41. devictis Saracenis subjugavit, & utramque sub Comitis titulo possedit. *Idem Malat. lib. 1. cap. 19. & 29. lib. 2. c. 1. & seqq.* Prima uxor Etimberga, e qua nati Gaufredus, & Iordanus. *Idem lib. 3. cap. 10. 11. & 36. lib. 4. c. 14. & 18.* sed feminæ plures. *Idem lib. 3. cap. 22. lib. 4. c. 8. & seqq.* Secunda uxor Adelaja. *Idem lib. 4. cap. 14.* e qua filii hic descripti.

FREDESINNA
Uxor Richardi Comitis Aversæ, qui post fuit Princeps Capuæ, exque ea genuit Iordanum 1. Princ. cujus Patruus, & Avunculus dicitur Robertus Guis. a Guilielmo Apulo lib. 3. & a Malaterra lib. 3. cap. 35 & lib. 4. cap. 26. ejusdemque sororius, & consobrinus appellatur Boamundus, filius Guiscardi ab Ordorico Vitali lib. 7. & [illegible]

TANCREDUS
Sive *Anschet*[illegible] [illegible]s piratæ fortissimi; qui Nortmannos; hoc est, *Boreales viros* in Galliam duxit tempore Ludovici 2. Regis, & Imp. eamque deprædatio-tius; sed cer[illegible] *Malat. l. 1. c. 1. & 2.* (Tunc etiam Saraceni non dispari immanitate Cis-Tyberinam Italiam cœperant depopulari). Sed conjugio ei sociata evaserunt, de[illegible]m suscepit, primumque nomen, & immanem illam rapacitatem exuit, dictusque fuit Robertus. Præsens itaque Tancredus hujusce viri Duxille affin[illegible]lam primam, secundam Fridesinnam, duodecim virilis sexus filios genuit præter feminas, inter quas Fredesinna in hoc Stemmate descripta: nem Pr. Capu[illegible] conjux Vulmandi. Filii vero ex priore uxore fuerunt Guilielmus Ferreabrachia, Drogo, Hunfridus, Goffridus, & Serlo. Ex posteriore versa cœpta [illegible]us, Humbertus, Tancredus, & Rogerius. *Idem Malaterra lib. 1. c. 4.* Hi in Italiam post annum fere 1135. sed non omnes, nec simul *etiam suscepit* [illegible]eis in patria remanentibus. *Malat. lib. 1. c. 9. 1. 19. & 38. Ostiens. lib. 2. cap. 67. Quorum nec omnium nunc describam generationes; sed eorum qui sane Rich*[illegible]*o singularis in me amoris merita laudatissimi Patritii viri, Pyrrhi* Scalionis *non fraudabo; gentemque* Scalionam *sua ad præsentem* Tancredum quo etiam a[illegible]*ex* Siciliæ *in quodam Diplomate de anno* 1144. Robertum Scalionum *suum appellat* consobrinum, *qui reputatur idem ac* Robertus *Comes* suis fuit, qu[illegible]*ma uxore.*

C. Peregr. O DE

BINA STEMMATA PRINCIPUM *CAPUÆ NORTMANNORUM*,

Quibus cunctorum etiam Principum ejusdem gentis, qui in *Italia Cis-Tiberina* regnarunt, explicatur Genus, Successio, & Chronologia.

I. STEMMA PRINCIPUM *CAPUÆ NORTMANNORUM*,

Qui interruptis vicibus in ea regnarunt post *Langobardos* ab anno MLIIX. ad annum MCLVI.

Bartholomæus frater Richardi, atque consanguineus Roberti 2. Princ. Capuæ, cujus tempore vivebat. *Ex Archivo Monialium S. Ioannis urbis prædictæ.*

RICHARDUS
Dictus *de Caleno*, sicut & pater ejus. Propinquus Iordani 2. Princ. Capuæ. *Petrus Diac. l. 4. c.* 82. Pugnabat cum Rangarda, relicta Richardi de Aquila pro Ducatu Cajetano in 1115. *Idem Diac. l. 4. c* 54. Duxque dictus reperitur ab 1121. ad 1131. Vxor Æmilia. *De eodem Petr. Diac. l. 4. c.* 84. 85. 90. *&* 91.

N. femina cum patre, & fratre in captivitatem ducta in Siciliam a Rege Guilielmo I. *Chronicon Ceccanense.*

N. masculini sexus cum patre & sorore in Siciliam captivus perductus. Et fortasse Robertus est ille memoratus Alex. Tel. l. 2. c. 64. eratque parvulus in 1134.

IORDANUS Sebastus Græci Imp. Emanuelis; ad quem post patris postremum infortunium se contulisse videtur; fuitque ab eo Legatus missus ad Pont. Alexandrum 3. in 1166 *Acta ejusdem Pontif. apud Baron. quæ perhibent ab Imp. missum* Iordanum Imperii sui Sebastum, filiumque Roberti Capuani Principis.

Robertus, qui cum Mathilde matre captus a patruo, Regeque Rogerio in Siciliam est ductus. *Alex. Teles. l.* 2. *c.* 16. *Falco Benev. ad an.* 1132. Sed patri tandem est restitutus. *Idem Teles. l.* 2. *c.* 62 *& l.* 3. *c.* 26.

N. obses datus a patre Regi Siciliæ Rogerio *Alex. Teles. l.* 3. *c.* 11.

Bartholomæus de Caleno *hoc est* Caleni, *sive* Calinii, *nunc* Carinula, Dominus. *de quo Petrus Diac. l.* 4. *c.* 54.

RICHARDUS III.
Pr. Capuæ sedit cum patre in 1120. per dies 8. ab 6. K. Iunii ad 3. Non. ejusdem mensis. eoque defuncto, per alios dies duos. *Postquam*, inquit Falco Benev. *consecratus est, decem dies advixit. Cui standum est Auctori rem minutissime exponenti, non autem Petro Diac l. 4. c. 65. nec Anonymo Cassin. perhibentibus,* ipsum unctum (retinuere enim Nortmandi Capuæ Principes morem se sacro oleo perungendi) post patris mortem. *Nec consentiendum Romualdo Salern qui Roberto ait, successisse fratrem ejus Iordanum. Cæterum apud Petrum Diac. l. 4. c. 96. omnium Nortmannorum PP. Capuæ recto ordine ductam seriem est legere, hoc uno excepto Richardo; quoniam ibi Auctor ille Principes recenset, qui Cassinensi Monast. aliquid contulerunt, at Richardus iste ob exiguum sui Principatus spatium nil ei potuit elargiri.*

ROBERTUS II.
Vir delicati corporis, Pr. Capuæ post patrem, consecratus ineunte an. 1128. præsente Papa Honorio 2. Sedit usque ad 1135. quo e Principatu dejectus est a Rogerio Rege Siciliæ. Iterum Princeps in 1137. ab mense Majo per menses fere 5. restitutus ab Imp. Lothario 2. iterumque deturbatus ab eodem Rege. *Falco Benev. aliique.* Tertium Princeps ab. 1155. ad 1156. qui anni ab inito prima vice Principatu computabantur Principatus 28 & 29. ut in antiquis monumentis computati reperiuntur. Per proditionem Richardi de Aquila Baronis ejus captus cum filio, & filia, Regique Guilielmo 1. traditus, oculis orbatus, perpetuæque captivitati damnatus brevi post obiit. *Hugo Falc. Anonym. Cassi. Guilielm. Tyr. lib. 18. c. 8. Romual. Saler. Hique omnes auctores eum cum appellant cognomine.* De Surrento, *e Surrentina quidem urbe, tunc emersisse, in qua et vitam ab. an. 1139. tolerare vel permiserit, vel dissimulaverit Rex Rogerius, precibus tandem victus Papæ Innocentii (Falconem vide in anno denotato) minime vero e Surrentina aliqua familia prodiisse, dant opinari; quippe simul produnt, Capuæ Principatum hæreditario jure ad se spectantem arripuisse: quo sane jure Surrentinorum nemo fruebatur: nec Surrentum a Rege Rogerio, ejusque filio Guilielmo expugnatum, quin nec magnopere expetitum, est qui tradat. De hoc Roberto Petrus Diac. lib. 4. cap. 90. 96. & seqq.*

Richardus qui in an. 1111. subscripsit Privilegio & securitati factæ a patre Monasterio Cavensi ex licentia: & jussione Roberti 1. Pr. fratris ejus. *Archivum Cavense.*

GAITELGRIMA
Vxor Guilielmi Ducis Apuliæ, ab eo ducta in 1116. *Romual. Saler.* Viro superstes. *Falco Ben. ad. an.* 1127. *Hanc nonnulli recentiores putarunt filiam Iordani* 1. *Pr. Capuæ; nec adverterunt præfatum Iordanum fuisse consobrinum Rogerii Ducis Apuliæ, qui pater fuit prædicti Guilielmi.*

RAYNULFUS
Ex Comite Abellini, &c. Dux Apuliæ institutus ab Innocentio 2. Papa, & ab Lothario 2. Imp. in 1137. *Falco Ben. aliique.* Appellatur Reginaldus ab Vspergensi, aliis Raynno. *Quem Sigonius de Reg. Ital. lib.* 11. *Putat gente Germanum; Blondus Dec. 2 l. 5. facit Comitem Lotharii. De eodem Petrus Diac. lib. 4. c.* 70. Vxor Mathildes, soror Rogerii Regis Siciliæ.

Richardus dictus de Rupecanina ab oppido cognomine in Comit. Allifano. *Alex. Tel l.* 2. *c* 13. *&* 15. *Guiliel. Tyr. lib.* 18. *c.* 2. *Falco Benev. ad an.* 1139. *& alibi, aliique.*

Ionathas. de quo Petrus Diac. lib. 4. cap. 14, & Acta S. Bernardi Episc. Calinensis; *Quæ perperam interpretatus Auctor translationis S. Martini e Crypta M. Massici, illum appellat filium Pr. Richardi: nempe secundi; sed rite dominum facit Caleni, id est Calinii; quam urbem Ionathas retinebat in 1094. licet frater ejus Pr. Richardus 2. usque ab an. 1091. Capua fuisset depulsus. Nescio an hic sit Ionathas Dux Cajetæ aliis memoratus.*

RICHARDUS II.
Pr. Cap. sedit cum patre ab 1081. quo defuncto in exitu anni 1090. a Campanis Langobardis Capua ejectus, Aversam se recepit, ibique mansit, donec ad intelligibilem ætatem pervenit, & ad an. 1098. Quo, fretus auxilio Rogerii Ducis Apuliæ; & Rogerii Com. Siciliæ Capuam per 40 dies obsidens recuperavit æstivo tempore. *Petr. Diac. lib. 4 c. 10. Gaufredus Malat. lib. 4 c. 26 Lupus Prot an.* 1098. *De eodem Richardo idem Petrus l. 4. c. 25. 26. & 96. Guil. Apul. l. 1. Hic a Malat. ad invitam Campanorum dicitur Princeps Aversæ, sicut lib. 3. c. 2. etiam dicitur Avus ejus Richardus 1. & lib. 3. c. 35. Pater ejus Iordanus 1. de quo alibi.* Obiit in 1106. m Ian.

ROBERTUS I.
Pr. Capuæ post fratrem Richardum 2. ab. an. 1107. cum per annum non Princeps, sed Procurator fuisset Principatus, quem concupiscens, in fratrem insurrexit in 1104 eoque in mortis articulo constituto Capuam ingressus, eam succendit. *Chronicon Ceccan. & Cavense, & Archivum S. Laurentii de Aversa.* Sedit usque ad 1120. quo obiit 3. Non. Iun. *Falco Benev. De eodem Petrus Diac lib. 4. c. 26. 32. 35. 39. 40. 52. 54, 61. 64. 65. & 96.*

IORDANUS II.
Princ. Cap. post nepotem Richardum 3. inunctus Non. Iulii an. 1120. *Falco Benev. Chron. Cavense. De eo Petrus Diac. lib. 4. c.* 70 90. 91. 92. 94 96. *ita ut doctus vir monitus a me, in Petro l. 4. c. 65. fine, nomen hujus Iordani haberi depravatum; iterumque doctus, male se censuisse pro Richardo ibi substituendum Iordanum, errorem errore excusarit; dicens de Iordano 2. nil tradi in Chr. Cass. Certe in Petro ibi etiam in manu descripto Codice Cassinensi, pro Roberto patruo legendum. Iordanus.* Qui sedit ab 1120. ad. 1127. quo obiit 14. K. Ian. Vxor Gaitelgrima, filia Sergii Pr. Surrenti, cui ante an. 1111. nupta jam fuerat. *Archivum Cavense.* viroque superstes vivebat in 1137. *Doti ei dedisse videtur Nuceriam, & loca eidem urbi proxima, & tunc subjecta; nam dicto an. 1111 ex licentia, & jussione Roberti 1. Principis, fratris ejus securitatem fecit Petro Abb. Cavensi ab hominibus Nuceriæ de rebus præfati Monasterii, sitis inter eandem Civitatem, & Amalfim: hoc certum est. Nuceriam ingentissimum fuisse oppidum Pr. Roberti 2. filii ejus, Alex. Tel. l. 2. c. 29. & 56. Falco Benev. ad an.* 1132.

Ioffridus vivebat in 1101. *Archivum S. Lau. de Avers. Hunc, & Ionatham Romuald. Sal. ignoravit, qui ait, Iordanum 1. genuisse tres tantum filios, Richardum, Robertum, & Iordanum.*

N uxor Gualgani soror Com. Roberti, quæ junxit se hostibus Richardi 2. Pr. Capuæ in an. 1104. *Petrus Diac. l. 4. c. 25. & Regist. ejus* p. 290. *Tunc etiam in Pr. Richard 2. insurrexisse germanum ejus Robertum, in Chron. perhibetur Ceccanensi, quod dicitur Fossæ Novæ.*

Robertus Cajacianorum, ut ait Petrus Diac. lib. 4. cap. 25. aliorumque multorum Comes: nimirum Allifarum, Telesiæ, Abellini, S. Agathæ Gothorum, &c. *In qua urbe construi fecit, & a Papa Paschali 2. consecrari Ecclesiam S. Mennæ. De hoc Roberto Falco Ben. ad. an. 1113. & 1114. In 1115. erat annus 18. Comitatus ejus. Hic distinguendus non videtur ab Osberto, cujus meminit prædictus Petrus Diac. l. 4. c.* 16.

IORDANUS I.
Pr. Capuæ cum patre ab 1058 & Dux Cajetæ ab 1053. Post patrem etiam Princeps & Dux ab 1078. Cum filio Richardo 2. ab. 1081. ad 1090. quo obiit 13. sive 12 Kal. Ian., sepultus in Monasterio Cassin. *Petrus Diac. lib. 4. cap. 10. Lupus Protosp. ad an. 1090. aliique. Advertendum tamen, Ducatum Cajetæ a patre ejus Richardo 1. & ab eo haud diversimode detentum fuisse, ac olim a Pandenulfo Comite Capuæ, cui illum concesserat Ioannes 8. de quo Ostiensis lib. 1. cap 4*[illegible]*. nam tunc simul eidem Ducatui præerat Docibilis, sed Pandenulfo subjectus: temporibus vero Richardi, & Iordani leguntur extitisse Duces ejusdem urbis Giffridus, sive Ioffridus Ridellus in an. 1072. aliique, de quo fusius in Dissertatione de finibus Principatus Capuæ Lib.* 2. Vxor Iordani Gaitelgrima, soror Gisulfi 2. Pr. Sal. *Ibi vide. Quæ doti dedisse ei videtur Nolam, Marilianum, Palmam, Sarnum, & alia conjuncta loca, haud Langobardis unquam Principibus Capuæ, sicut Nortmannis, & eorum Baronibus; sed Principibus Salerni subjecta, de quibus alibi.*

ROGERIUS I.
Ex Sikelgaita progenitus, Dux Apuliæ post patrem, a quo adhuc vivente institutus fuerat. *Guiliel. Apul. lib.* 4. præterito Boamundo priore natu ex Alberada. Sedit usque ad an. 1111. quo obiit 8. Kal. Martii. *Petrus Diac. lib. 4. c. 40. Falco Ben. Romual. Salern. Anon. Cassin. Emort. Cassin.* per annos dominatus 26. *Chron. Salern. rotunde.* Hujus Ducis, inquit Malaterra lib. 4 cap. 26. auxilii causa, quod ab ipso sperabat Richardus 2. Pr. Capuæ, homo factus fuerat in 1098. quod nunquam Guiscardus, cum multarum artium, & virium esset, a Iordano Pr. extorquere potuit. Vxor ejus Ala, sive Adala, filia Roberti Frisii Com. Flandriæ. *Idem Malat. lib. 4. cap. 20. & 26.*

Robertus; de quo est mentio in Registro Petri Diac. pag. 221. Hic interfuit cum fratre Richardo Princ. Capuæ consecrationi Ecclesiæ Cassin. in an. 1071. *Ostiens. in m. s. Cod. Cassin. l. 3. c.* 30.

Rainulfus Comes, frater Richardi 1. Princ. Capuæ. *Regist. Petri Diac. p. 221. Ostiens. l. 3. c.* 30. Fuit itaque patruus Iordani 1. Princ. Capuæ, filii Richardi præfati, ut bis appellatur a Guilielmo Apulo l. 3. *De eod. Ostiens. l. 2. c. 57. 76. Petrus Diac. in Auct. ad Ostiens. l 3. c. 63. Nec de alio Rainulfo capiendus Lupus Protosp. ad an. 1078. cui dicitur* Rodulfus Pipinus.

RICHARDUS I.
Comes Aversæ cum nepote Hermanno puerulo ab 1150. deinde solus: Principatum Capuæ occupavit expulso Pr. Landulfo 5. in 1058. *Ostiens. lib. 3. c.* 16. in quo sedit cum filio Iordano 1. ab eodem anno. Et cum eo simul detinuit Ducatum Cajetæ ab 1063. ad 1078. quo Neapolim obsidens obiit. *Petrus Diac. l. 3. cap. 44. aliique.* Vxor Fredesinna. soror quæ fuit Drogonis Com. Apuliæ, & perinde Hunfridi, Roberti Guiscardi, &c. *Ostiens. l. 2. c. 67. Gaufredus Malat. lib. 3. cap. 35. & lib. 4. c. 26. Guiliel. Apul. lib. 2.* quam duxerat paulo ante susceptum Comitatum Aversæ, atque adhuc vivente præfato Drogone. *Idem Ostiens. ibid.* qui obiit in an. 1051. *Lupus Protosp.* Eaque defuncta, alteram duxit, quæ a privigno Pr. Iordano 1. mortuo Richardo, iterum nubere coacta fuit. *Gregorius 7. Papa lib. 6. ep. 37. Hunc Sigonius de Reg. Ital. l. 9. putabat fratrem prædicti Guiscardi.*

Gaitelgrima Vxor Rodulfi, sive Raidulfi Tridi Com. Aversanorum: mater Guilielmi, & Hermanni, qui eundem Comitatum obtinebant in 1048. sed in 1050 sedebat Hermannus cum Richardo Avunculo. *Reg. S. Blasii de Aversa. Hos Comites præterit Ostiens. l. 2. c. 67. quia adhuc pueruli decesserant.*

Aschlittinus: pro cujus anima Richardus 1. Pr. Capuæ, frater ejus, & pro anima Avunculi sui Rainulfi donavit Monasterio Cassi. Monasterium S. Mariæ in Calena in Apulia inter M. Garganum, & mare Hadriat. in 1059. *Regist. Petr Diac.* pag. 218. *a ter. de eodem Aschlittino ibid.* p. 221. *& Ostiens. l. 3. c. 13.*

ASCILITTINUS
Sive *Anschetillus de Quadrellis* (sic dicitur Ordorico Vitali lib. 3.) & fratres ejus, aliique Nortmanni viri ex Gallia egressi, Capuam cum pervenissent (ignoratur certus annus; sed certe id contigit ante 1017.) Melo Barensi, qui ibidem exul degebat, adhæserunt; & in Apuliam adversus Græcos ab eo ducti, triplicique in certamine superiores evaserunt, demum in 1019. superati, in Campaniam redierunt, nullasque certas sedes habentes, Raynulfum sibi Comitem cum consilio Sergii Ducis Neapolis præfecerunt; quem Dux ille affinitate sibi conjunxerat, & Aversæ, illum Comitem faciens (nempe commilitonibus in Capitaneum constituens) cum sociis Nortmannis ob odium, & infestationem Pr. Capuæ *Pandulfi* 4. manere constituit (sic distinguenda sunt hæc Ostiensis verba l. 2. c. 57. non conglutinanda. Aversæ illum Comitem faciens) tuncque primum Aversa cœpta est habitari: nimirum in 1030. ut ex Regist. S. Blasii ejusdem urbis. *Hujus Rainulfi sororem conjugem duxit præsens Ascilittinus: eoque defuncto, Aversanorum etiam suscepit Comitatum. Ostiens. lib. 2. c. 67. Sed Guilielmus Gemmet. lib. 7. cap. 43. hos Comites non discernit; Rainulfum dicens Avum Iordani filii Richardi 1. Pr. Capuæ; qui sane Richardus patrem habuit Ascilittinum. Guilielm. Apul. l. 1. nec uno in Diplomate, nec ambigue, Rainulfum appellat Avunculum suum.* Obiit Ascilittinus in 1047. quo etiam anno Rainulfus decesserat, itemque Ascilittini successor, tertius Comes Rodulfus Copellus, *Drincanottus* dictus Guilielmo Apulo lib. 1. e Comitatu dejectus a suis fuit, quartusque Comes Rodulfus Trindi eodem pariter anno vita est functus. *Ex Ostiensi l. 2. c. 67. & Registro S. Blasii de Aversa.*

II. STEMMA *NORTMANNORUM* DUCUM *APULIÆ* ET REGUM *SICILIÆ*,

Ad quos tandem Principatus *Capuæ* devenit ab anno MCXXXV.

HENRICUS
Princeps Capuæ a patre institutus post obitum Roberti fratris incerto anno; & in testamento confirmatus. *Hugo Falc. Romualdus Sal.* Obiit 16. Kal. Iul. an. 1172. *Anonymus Cassin.* ætatis 13. *In quo Principes Capuæ defecerunt: deficiente simul in Rege Guilielmo 2. Rogerii Regis successione qui ejusdem urbis Principatum, sicut & filius ejus Rex Guilielmus 1. suis filiis tradere instituerat, atque observaverat; quem morem Rex Tancredus Guilielmi secundi successor, & præfati Rogerii filius spurius, erat, fortasse, servaturus: perpetuis tamen bellis implicitus, filiisque natu majoribus carens, id distulit ad tempora opportuniora, sed nullatenus complere quivit: Reges autem posteriores desuetam sensim eam Dynastiam prorsus antiquarunt, nomine tantum ore tenus diutius servato. Cæterum qui subsequentibus annis Regio, vel alio genere nati Capuam obtinuerunt, antiquis his Principibus tum dignitate, tum ditione magno intervallo impares fuerunt, ut satis constat.*

GUILIELMUS II
Vivente patre Dux Apuliæ post fratrem Rogerium 4. Patre defuncto, Rex Siciliæ coronatus mense Iulii an. 1166. *Anonymus Cassin.* Regnavit an. 23. & menses 6. *Chron. Salern.* ac pervenit ad annum 1189. quo obiit 16. K. Dec. *Anonym. Cassin. Emortuale Cassin.* nullis relictis liberis ex uxore Ioan. fil. Henrici R. Angl, *Rom. Sal.*

ROGERIUS IV
Apuliæ Dux a patre institutus, quo etiam vivente obiit in anno 1160. sagitta juxta oculum populari in seditione contra patrem suscitata, casu percussus. *Romualdus Salern. Hugo Falc.*

ROBERTUS
Princ. Capuæ a patre institutus in an. 1158. quo superstite obiit incerto nunc mihi anno. *Romualdus Salern. & antiqua Tabula.*

GUILIELMUS
Dux Apuliæ post patrem a mense Februar. an. 1111. ad 7. Kal. Aug. an. 1127. quo obiit absque liberis. *Falco ad an.* 1110. *&* 1127. *Alex. Tel. l. 1. c. 1. Romual. Salern.* cum sedisset an. fere 16. *Petrus Diac. lib. 4. c. 96. juxta edit. Neapol. & Cod. m. s. Ei dantur an. 17. in Chr. Salern. rotunde: nam regnavit an. 16. & m. 5.*

ANFUSUS
Ex Alberia tertio loco natus, Capuæ Principatu a patre auctus in 1135 *Alex. Tel. lib. 3. c. 27. & seqq. Anonym. Cassin.* & Ducatu Neapolis in an. 1139. *Falco Ben.* supervixit non diu. nam obiit 6. Idus Octob. an. 1144. *Emort. & Anonym. Cassin. Romual. Salern. & antiqua Tabula. Hic Princeps non sicut prædecessores ejus, tum Nortmanni, tum Langobardi Principes oleo Sancto inunctus legitur: quin nec successores: fortasse, quia nec Duces Apuliæ perungebantur: sed tantummodo Reges.*

ROGERIUS III.
Ex Alberia primo loco natus, a patre institutus Dux Apuliæ, cui in Regno erat successurus, ni præmortuus fuisset in 1148. *Anonym. Cassin. a me castigatus. Romuald. Salern.*

TANCREDUS
Ex Alberia secundo loco genitus, cui pater Principatum Barii, sive dicas Tarenti assignavit: scilicet nondum Principatum Capuæ adeptus, *Alex. Tel. lib. 3. c. 27. & lib. 4. c. 5. Hugo Falc. Romualdus Salernit.* ejusque funus vidit ante obitum aliorum filiorum; atque ante an. 1144. *Idem Salern.*

GUILIELMUS I.
Ex Alberia quarto loco natus, post Anfusi obitum a patre institutus Pr. Capuæ, & Dux Neapolis. *Anonym Cassin. & antiqua Tabula.* Mortuoque deinde altero fratre Rogerio Duce Apuliæ, ipse in ejus locum a patre est suffectus, & tandem in 1151. in Regni collegam; & successorem adscitus. *Romuald. Salern. & antiqua Tabula.* Defuncto patre sedit usque ad 1166. quo obiit 17. Kal. Maji *Anonym. Cassin.* cum regnasset an. 22. s. solus *Chron. Sal.* Vxor Margarita filia Garsiæ Regis Navarræ, quam duxit cum esset Cap. Princeps; *Romuald. Salern.*

Henricus ex Alberia postremus, qui pæne infans mortuus est, vivente patre, ante obitum Rogerii fratris, id est ante an. 1148. *Romuald. Sal.*

CONSTANTIA
Ex Beatrice genita. *Romuald. Sal.* Vxor Henrici 6. Imp. de qua natus in anno 1195. Rogerius Fridericus, sive Fridericus Rogerius, Imperator qui fuit hujus nominis secundus. *Anonym. Cassin. aliique.*

ROGERIUS II.
Ex Adelaja secunda uxore natus: Comes Siciliæ post patrem, sive post fratrem Symonem. Dux Apuliæ post obitum Guilielmi nepotis ejus ab 1127. *Falco Benev. an. dicto Alex. Teles. l. 1. c. 1.* per annos 3. & menses 6. *Chron. Salern.* Quibus peractis, cum totas Boamundi Terras, inquit idem Telesinus lib. 2. c. 1. omnemque Ducatum *Apuliæ* obtineret, nec non Capuanorum Princeps, Magisterque Militum Neapolitanus, omnisque terra usque pæne fines Anconitanæ Vrbis sibi subderentur, se Regii illustrare culminis honore decrevit, Regnique caput Panormum constituere, quod re complevit *in Natali Domini an.* 1130. *Idem cum sibi subegisset Ducatum Amalfis, Neapolis, & Cajetæ, Principatumque Barii & depulso Principe Roberto 2. in 1135. Principatum Capuæ, in quo instituit filium Anfusum, dici in publicis Tabulis voluit* Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, *quod etiam successores ejus diu servarunt.* Sedit Rex, solus an. 22. Cum filio Guilielmo an. 3. *Chron. Salern.* usque ad 1154. quo obiit 3. Kal. Mart. *Anon. & Emort. Cassin.* Prima uxor Alberia fil. Alfonsi Regis Hispaniæ. Secunda Sibylla, soror Ducis Burgundiæ. Tertia Beatrix, &c. *Rom. Sal.*

SYMON
Ex Adelaja primo loco genitus. *Malat. lib. 4. cap.* 19. patri successit in Comitatu Siciliæ, sed non multo post obiit. *Romuald. Saler.* At Alexander Tel. lib. 1. c. 2. & 3. Symonem patri successurum quidem fuisse, non autem successisse prodit.

MATHILDES
Vxor Raynulfi, qui ex Comite Abellini, &c. Dux Apuliæ fuit constitutus adversus Regem Rogerium cognatum ejus in an. 1137. a Papa Innocentio 2. & ab Imperatore Lothario 2. *Hujus Mathildis suasu Alexander Teles. Historiam præfati Regis se aggressum ait Libro 1.*

Emma Vxor Rodulfi Machabæi Com. Montis Caveosi, alias civitatis Severianæ, fratris Gaufredi supradicti. *Ex Regist. Monasterii S. Michaelis Arch. Ordin. S. Ben. ejusdem Vrbis.*

ROBERTUS
A Summa calliditate dictus *Guiscardus*: Comitatum Apuliæ a Guilielmo fratre acquisitum, qui decesserat in 1046. suscepit quarto loco, ut tutor Abagelardi, fil. Hunfridi, post mortem ejus in 1056. (hic fratri Drogoni successerat, perempto in 1050.) & ditionem Rhegium usque produxit. Idem tenui satis loco natus, pedes in Apuliam advenerat. *Guibertus Abb. in Hist. Hierosol. lib. 3. c.* 2. Dimissa ob consanguinitatem prima uxore Alberada, e qua natus Boamundus Princeps Tarenti, &c. duxit Sikelgaitam sororem Gisulfi 2. Prin Sal. Ex hac filiæ plures. *Gauf. Malat. l. 3. c. 13. l. 4. c. 21. Guil Apul. lib. 3. & 4.* Salerni etiam Principatu potitus est, devicto præfato Gisulfo in 1075. Obiit in 1085. 16. K. Aug Apuliam tenuit an. XXX. Salernum an. X. non XX. ut depravate præfert Chron. Sal. eamque urbem totius Ducatus Metropolim constituere cogitaverat. *Guil. Apul. lib.* 5. cui illam contribuerat. *Alex. Tel. l. 1. c. 1. aliique.*

ROGERIUS I.
Ex Fridesinna ultimo loco natus, ultimus in Apuliam venit, & ope fratris sui Roberti Guiscardi Calabriam primum, cujus medietatem ab eodem obtinuit, deinde Siciliam aggressus in 1060. ut innuit Gaufredus Malat. sed planius Romualdus Salern. dicens, defunctum in 1101. ætat. 50. Comitatus 41. devictis Saracenis subjugavit, & utramque sub Comitis titulo possedit. *Idem Malat. lib. 1. cap. 19. & 29. lib. 2. c. 1. & seqq.* Prima uxor Erimberga, e qua nati Gaufredus, & Iordanus. *Idem lib. 3. cap. 10. 11. & 36. lib. 4. c. 14. & 18.* sed feminæ plures. *Idem lib. 3. cap. 22. lib. 4. c. 8. & seqq.* Secunda uxor Adelaja. *Idem lib. 4. cap.* 14. e qua filii hic descripti.

FREDESINNA
Vxor Richardi Comitis Aversæ, qui post fuit Princeps Capuæ, exque ea genuit Iordanum 1. Princ. cujus Patruus, & Avunculus dicitur Roberus Guis. a Guilielmo Apulo lib. 3. & a Malaterra lib. 3. cap. 35 & lib. 4. cap. 26. ejusdemque sororius, & consobrinus appellatur Boamundus, filius Guiscardi ab Ordorico Vitali lib. 7. & [illegible]

TANCREDUS
Altavillæ in Gallia Comes, & genere natus Rhollonis piratæ fortissimi; qui Nortmannos; hoc est, *Boreales viros* in Galliam duxit tempore Ludovici 2. Regis, & Imp. eamque deprædationibus, cædibus, & incendiis devastavit. *Gaufredus Malat. l. 1. c. 1. & 2.* (Tunc etiam Saraceni non dispari immanitate Cis-Tyberinam Italiam cœperant depopulari). Sed conjugio ei sociata Gisla sorore Regis Caroli Simplicis, Christianam fidem suscepit; primumque nomen, & immanem illam rapacitatem exuit, dictusque fuit Robertus. Præsens itaque Tancredus hujusce viri prognatus duas successive cum duxisset uxores. Moriellam primam, secundam Fridesinnam, duodecim virilis sexus filios genuit præter feminas, inter quas Fredesinna in hoc Stemmate descripta: N. conjux Gaufredi Comitis Montis Caveosi, & N. conjux Vulmandi. Filii vero ex priore uxore fuerunt Guilielmus Ferreabrachia, Drogo, Hunfridus, Goffridus, & Serlo. Ex posteriore Robertus Guiscardus, Malgerius, Guilielmus, Alveredus, Humbertus, Tancredus, & Rogerius. *Idem Malaterra lib. 1. c.* 4. Hi in Italiam post annum fere 1135. sed non omnes, nec simul priores Nortmannos secuti, advenerunt, duobus ex eis in patria remanentibus. *Malat. lib. 1. c. 9. & 19. & 38. Ostiens. lib. 2. cap. 67. Quorum nec omnium nunc describam generationes; sed eorum solummodo qui ad præsentem rem faciunt meam. Porrò singularis in me amoris merita laudatissimi Patritii viri,* Pyrrhi Scalionis *non fraudabo; gentemque* Scalionam *sua ad præsentem* Tancredum *initia referre, non silebo; nam hujus nepos* Rogerius *Rex* Siciliæ *in quodam Diplomate de anno* 1144. Robertum Scalionum *suum appellat* consobrinum, *qui reputatur idem ac* Robertus Comes *Lauritelli, filius qui fuit* Goffridi, *filii* Tancredi *ex prima uxore.*

DE STEMMATE PRINCIPUM LANGOBARDORUM,

QUI EX GENERE PRODIERUNT

ATENULFI CAPUÆ COMITIS ET DEMUM PRINCIPIS BENEVENTI.

Sequens Stemma Atenulfi *ad exponendam confert* 3. *par. Anonymi* S. Sophiæ *sicut ad* 2. *juvat adnotatio annorum ad* Erchempertum.

OBscurissimam sane, ac maxime implexam Principum *Langobardorum*, qui e *Campano* Comite *Atenulfo*, signato in Stemmate præmisso ad *Erchempertum* numero XVI., processerunt, diligentiori, ni fallor, ac rationabiliori ordine, quam alii adhuc fecerint, quamque brevissime, & in Tabula expositurus Genealogiam, de meo hoc consilio, deque re ipsa non importune placet aliquid prænotare. Quod autem monendum duco, tum est oppigneratam de dando hoc Stemmate meam me solvere velle fidem, tum cupere post expositam Primam, ad Tertiam quoque partem Anonymi *Sanctæ Sophiæ* qualemcumque præmittere facem (annos etenim in ipso Stemmate adponam, per quos singuli Principes sederunt) qualem etiam ad Secundam ejus partem, adpictis *Christi* annis ad oram Historiæ præfati *Erchemperti*, aliisque in locis, ut occasio permisit præstiti. Verum hæc omnia quia denuo, & subtiliori trutina expendam Libro secundo, ibidemque annorum collectiones in Quarta parte ejusdem Chronici descriptas, qualiter accipere oporteat, ac reliqua omnis Principum *Salerni*, & *Capuæ* successio dilucide explicabitur, hac utique ratione ne dum integrum prædictum *Beneventanorum* Ducum, & Principum Chronicon, sed universa nostratium *Langobardorum* Chronologia, quæ parcè nunc delibatur, abunde ibi tractabitur; nam Stemmata hic etiam dabo *Salernitanorum* Principum eodem stylo digesta, quibus præmissum pariter Chronicon *Salernitanum*, ut promisi, recensebitur simul, & utcumque elucidabitur. Adjungam vero & Stemmata alia Principum *Capuæ*, Ducum *Apuliæ*, & Regum *Siciliæ* genere *Nortmannorum*, sub quibus tergemina illa Dynastia a *Langobardis* instituta, diuque servata, sensim in unius Regni formam, additis nonnullis insuper aliis, alterius juris & minoribus ditionibus, coaluit, atque adhuc manet: quamdecentissima futura cum sint præsentis operis Parerga, suamque in nonnullis præ se ferant non injucundam novitatem. Sed *Atenulfus*, de cujus Stemmate est nunc breviter dicendum, ex *Capuano* Gastaldato jam Comes (ut inquit *Leo Ostiensis* lib. 1. cap. 52. Editionis *Venetæ*, & *Parisiensis*, quæ *Cassinensis* exemplaris genuinam exprimunt lectionem) *cum filio suo* Landulfo, *& cæteri deinceps per generationes suas in urbe* Beneventi *Principatum tenuere per annos circiter centum septuaginta septem.* Sicut ex eodem certe auctore perhibet etiam Anonymus *Sanctæ Sophiæ* Parte 3. Num. 1. & 16. sed hoc amplius habens, quod ipsas Principum generationes, & ætates exponit ab nemine tam clare, & continenti serie prius traditas, etsi *Campanorum* Principum successionem, qui ex *Atenulfo* processerunt, tanquam a suo instituto alienam, prætermisit; nam *Beneventanorum* tantummodo Dynastarum ordinem componendum susceperat: sicuti pari ratione *Ostiensis* sui Monasterii, & Abbatum *Cassinensium* condens Historiam, alienum

At quartam ejus partem, ipsumque integrum Chronicon iterum cum universa nostratium Langobardorum *Chronologia fusius explicabo lib.* 2.

Ex præfato autem Atenulfo *Principes* Beneventi *longo ordine processerunt.*

A a se esse putaverat, singillatim *Atenulfi* posteros, consimiliaque incidentia minutius recensere. Utriusque igitur defectum supplere, non tamen absque amborum ope, meæ esse partis cum judicaverim, in hoc sane opere innumerarum in primis Chartularum, quas pluribus in Archivis legi, multaque observatione examinavi, aliorumque Auctorum præter modo laudatos, qui editi, sive inediti habentur, simulque nonnullarum antiquarum Inscriptionum, quæ adhuc exstant, sum adjutus præsidio; ex quo factum est, ut uno, eodemque labore nobilissimorum Principum Genealogiam, nec non Chronologiam e
B penitissima eruerim antiquitate, quam cum annis *Christi*, quod non vulgaris fuit diligentiæ, comparavi: etsi nec omnem mei animi sensum valui sic adimplere, qui optaveram, sicut *Æserniæ*, *Suessæ*, & *Teani* plerosque Comites ex ipsorum Principum stirpe prodiisse certis cognoveram documentis, ita generationem quoque Comitum cæterarum urbium utriusque Principatus non minoribus indiciis condiscere, quos fere omnes per ea tempora, quibus *Atenulfi* posteri imperarunt, ex eorundem genere exiisse, non dubito. Quam mihi ante omnes persuasit opinionem *Erchempertus*, perhibens Num. 21. &
C 40. filios, & nepotes *Landulfi Capuæ* tunc Comitis, ex quo præsens Principum emanavit Stemma, illo defuncto, avitæ ditionis urbem quemque suam iterata divisione obtinuisse: nempe tali exemplo nunc desuetum exponens genus Politiæ, nullos olim e magnorum *Langobardorum* Dynastarum filiis carere propriis, & peculiaribus Feudis, modo adesset facultas, solitum fuisse; quæ tamen, ut constanti observatione facile est advertere, ipsorum Comitum hæredes eadem cupiditate præsidendi aliis detenti, utque specioso illo Comitum titulo pariter condecorarentur, indivisa dein possidere consueverunt: ne scilicet
D illa in minima velut frusta iterum, & iterum perpetua, ac multotiens importuna sectione comminuerentur. Atque hoc est apud Ostiensem lib. 3. cap. 19. Pandulfum Venafranum *Comitem obtulisse* B. Benedicto, *& Cassinensi Monasterio quartam partem de Castello, quod dicitur* Sextum, *& medietatem totius partis suæ de* Valle Venafri, *& de* Teano, *& de* Carinulo, *& de* Calvo, *& de* Cajatia, *nec non & de omnibus, quæ possidere videbatur in toto Principatu* Capuano. Nam Comes ille e *Capuæ* Principibus, & ex hoc *Atenulfo*, genus certe cum duxisset, ad quos universi etiam recensitarum
E urbium Comites lineam sanguinis referebant, utique in eas omnes, aliaque Principatus loca, non unius sortis, sed juxta multiplices gradus cognationis, quibus eos contingebat, partiaria conservabat jura successionis, ut patet. Me igitur arbitro, ab exposita hac consuetudine *Beneventani* quoque Principes, nec hi tantum, de quibus est sermo, ex *Atenulfo* descendentes, sed quicunque alii, atque adeo etiam *Salernitani*, sic-

Et Principes Capuæ.

Atque Comites omnium, fere, urbium utriusque Principatus.

An ex *Davidica* etiam admonitione in Psal. 132. *Ecce quam bonum;* &c. sicut pleraque alia observarunt ad Sacræ Scripturæ quoque normam omnia hæc alia a *Pandulfo Venafr.* possessa loca ex ejusdem concessionis Chartula, in anno data 1064. cujus

exemplum habetur in refecto Registro *Petri Diac.* pag. 263. declarantur fuisse *de Limatula*, *de* Caserta, *in Laneo in* Liburia, *in* Rosella, *&* Capuæ, *tam intus, quam foris.*

ut de *Campanis* dictum est, eos omnes filios, quos post primogenitos suscepissent, Comites instituere, suorumque Principatuum urbibus præficere consueverunt; idque, nè longius abeam, exemplo confirmo filiorum *Radelchisi* Principis *Beneventi*, cujus uxor *Caretruda*, quæ, ut in Tumulo 7. legitur.

„ —— *Sui magno fructus in culmine ventris*
„ *Ter quartum vidit fructificasse gradum.*
„ *Pontificem, & Comites genuit, Proceresque sagaces.*

Hoc nempe more *Langobardi* regendæ, servandæque suæ Reipublicæ bene esse consultum, ex antiquissima institutione persuasum habentes. Qua etiam providentia, ne dum exteros, sed neque suæ quidem gentis viros ex una in alteram migrantes Provinciam ad ullum admittebant honorem, ulloque donabant vitæ subsidio, sicut discere est ex Anonym. *Salernit.* in nondum edita Historia perhibente, *Beneventanum* Principem *Grimoaldum Storesaiz Siconi Spoletano*, sive *Foro-Juliensi*, ut habet *Joannes Diac.* in scripto Chron. Episcopp. *Neapolis*, *Acherentiam* novo exemplo ad obtinendum tradidisse; *de quo Princeps* (inquit Anonymus) *non parvam mæstitiam* Beneventanus *simulque*, *& sævitiam invexit*, *& inter se plane mussitantes*; *nam ipsam civitatem* (Acherentiam) *non Proselyti*, *sed* Beneventi *geniti obtinere quippe debuerant*, *& murmur magnum exinde inter eos erat.* Et Par. 7. Num. 8. idem Auctor indignatos *Salernitanos* ait, quod eorum Princeps *Gisulfus Landulfi Campani* exulis filiis quasdam urbes, illarumque pene omnia fiscalia concessisset. Constare itaque ex his puto, me non temere suspicari, ex præclarissimo hoc genere *Atenulfi*, præter eos, qui per longa annorum spatia Principes *Benevento*, & *Capuæ* præfuerunt, emersisse etiam Comites in utroque Principatu perplures. Quod plane cum sentiam, minime tamen adfirmaverim, perpetuo illos inter se coluisse, observasseque communis suæ genealogiæ conjunctionem, quandoquidem suam quisque peculiarem constituisse videtur familiam, quæ juxta connaturalem quandam imponendorum cognominum varietatem varias susceperunt denominationes; vel scilicet ab nomine progenitorum, vel ab defuncto magistratu, tum ecclesiastico, tum laicali, vel ab vitio, sive qualitate corporis, vel ab aliquo quocumque alio eventu, vel tandem, quod etiam frequentissimum, a possessis urbibus, & oppidis; ita ut tractu temporis in multiplici adeo cognominum segete proclive satis fuerit ignorare, unum, idemque ipsarum omnium gentium extitisse primitivum semen. At qua ratione ex urbium, & oppidorum nominibus gentilitia suis possessoribus plerumque accesserint cognomenta, sicut in Stemmate dominis Castri *Presentiani* inditum nomen fuit *de Presentiano*, quod una cum gente videtur *Capuæ* defecisse post tempora Regis *Roberti*, operæ erit pretium ante omnia declarare. Quem sane morem inde exortum mihi persuadeo, quoniam talium locorum domini, & custodes commissum sibi munus obeuntes, ibidem vitam ducebant suam, de quo luculentum occurrit testimonium in Anonymo *Salernitano* Parte. 7. Num. 11. de Principe *Pandulfo Caputferreo* scribente, deque *Salernitani* Principatus Comitibus, qui una simul omnes conspiraverant in *Salerni* invasorem *Landulfum*. Dum *Principi*, inquit, Pandulfo *ab illis nobilibus*, *qui per Castella manebant*, *nunciatum fuisset*, *&c.* Et infra: *Princeps idem* Pandulfus *cum suis*, *& cum* Salernitanis, *qui per Castella manebant*, *omniaque oppida*, *quæ sub jure* Salernitanæ *civitatis fuerant*, *ipsamque civitatem expugnabant.* Quocirca locum olim ab aliquo Dynasta ad ha-

al. *Proscipti* quod idem. nam licet ex Sacræ Scripturæ usu *Proselytus* sonet alienigenam, hoc tamen loco simplex est advena. *Totidem*, *qui familias*, *plu resque alias constituerunt*, *tum* Capuæ, *tum* Beneventi.

A possessis locis plerumque denominatas.

A bitandum dum petere, vel obtinere, idem erat, atque ad possidendum, fruendumque illum suscipere, vel postulare; ut observo in Ignoto *Cassinensi*, apud quem Num. 22. & 26. Magenolfus Ingenam *neptem Imperatricis cepit conjugem*, *& dein pergebat* Franciam, *ut sibi ab Imperatore glorioso peteret*, *quo vivere loco*, *seu & habitare posset.* Et apud *Paulum Diac.* lib. 6. cap. 13. sive 42. Carolus Martellus Reginfrido *unam*, *hoc est* Andegavensem, *civitatem ad inhabitandum concessit.* Apud *Erchempertum* quoque Num. 50. *Athanasius* Episc. & Dux *Neapolis* concessum sibi a *Campanis* Amphitheatrum Guaiferio *ad cohabi-*

B *tandum tradidit*, *qui* Præfectus Arenarum *dictus est* Num. 74. id est ipsius custos Amphitheatri. Estque huc referendum, quod passim in antiquis Chartulis legitur, urbium, & oppidorum dici habitatores, quos eorundem dominos fuisse constat; sicuti, ut domesticum adferam exemplum, apud Petrum Diac. in Auctar. ad *Ostiensem* lib. 4. cap. 16. Adelgrima *Comitissa*, *filia* Pandulfi *Principis* Capuæ, *relicta* Rainaldi *Comitis*, *filii* Berardi *Comitis*, *appellatur habitatrix in territorio* Carseolano, *in Castello*, *quod vocatur* Auricola. Hoc igitur pacto antiqui Dynastæ loca, quibus præsidebant, cum inhabitarent, factum puto, ut

C ii ex ipsis municipiis, ceu communes, cæterique alii municipes, sed per quandam Antonomasiam, municipales desumerent denominationes, quas postmodum eorum filii, & nepotes, qui post longum annorum ordinem avitas retinuerunt Dynastias, taliaque de ævo in ævum servarunt vocabula, in gentilitia tandem cognomina commutarunt, sub tempore scilicet *Nortmannorum*, quando talem increbuisse cognominum consuetudinem, facile est advertere. Atque ex hoc inter cætera intelligi etiam posse arbitror, cur possessarum ditionum nomina haud semper in gentilitia transierint possessorum, cum tamen, ut dicebam,

D Dynastæ promiscue omnes per tempora *Langobardorum* e subjectis locis consueverint denominari; nam in *Erchemperto* Num. 26. *Marinus* appellatur *Malfitanus*, qui *Malfiæ*, sive *Amalfiæ*; & Num. 27. & 67. *Landulfus* dicitur *Suessulanus*, qui *Suessulæ* præerat: & ab *Ostiensi* lib. 1. cap. 49. *Gregorius* dictus est *Neapolitanus*, qui Dux fuit *Neapolis*, & lib. 2. cap. 15. *Landulfus de Sancta Agatha*, quem urbis cognominis Comitem fuisse, nemo inficiabitur. In quo sane dicendi Schemate multus hic fuit auctor, Dynastas etiam *Capuæ*, illorumque consanguineos pluries sub generali *Capuanorum* vocabulo demonstrans: scilicet lib.

E 1. cap. 23. 24. & 40. quod ex collatione Historiæ *Erchemperti* Num. 15. & 46. fit manifestum, deque hoc nonnihil superius adnotavi col. 80. Qua pariter mente idem auctor lib. 2. c. 16. perhibet, Capuanos *valde infestum habuisse* Cassinensem *Abbatem* Mansonem, *consobrinum Principis* Pandulfi Caputferrei, *quod ille quasi non solum Abbatiam*, *sed etiam Principatum sibi vendicare satageret.* Et lib. 3. cap. 16. Capuanos *item dicit per decem circiter annorum curricula viriliter repugnasse*, ac tandem manus dedisse *Richardo* Comiti *Aversæ*. Verum *Leo* antiquiorem se-

F cutus videtur morem, præfato etiam *Erchemperto*, de quo alibi, nec non *Romano* Pontifici *Joanni* 8. olim observatum in Epist. 205. 206. & 207. quibus locis *Campanos* Proceres absoluto vocabulo *Capuanorum Joannes* appellavit; unde intelligimus, apud priscos illos auctores idipsum demonstrasse nudum hoc nomen. *Capuani*: atque conjuncta illa: nobiles *Capuani*: & nobilis *Capuanorum* familia: ejusmodique sermonibus indicatos, qui e genere Comitum, & Principum *Capuæ* descenderant: videlicet quod pleraque nobilium

quæ: licet in plures essent familias dispertiti.

bilium *Campanorum* pars de una Comitum, Principumque erant cognatione. De qua etiam, sed in plures familias jam dispertita, reputandus mihi erit *Petrus*, qui dicebatur *Atenulfi* patris cognomine, de nobilibus *Capuanis*, & factus *Romæ* est Cardinalis, ut *Ostiensis* tradit lib. 3. cap. 26. Nec aliter exponendum judico eundem scriptorem lib. 2. cap. 81. tradentem, quosdam *Capuanos* nobiles pro Castro *Conca* (fuit *Conca* in Comitatu *Teanensi*, quem Comites e *Capuæ* Dynastis *Langobardis* exorti iterum, iterumque obtinuerunt, ut ex Stemmate constat) multas cum Abbate *Cassinensi Richerio*, intra annos scilicet 1038. & 1055; contentiones habuisse, voluisseque aliquando terram Monasterii prædatum ire; quorum antesignanus, ut est in Dialogis Abbatis *Desiderii* ineditis, quidam extitit, nomine in hac *Capuanorum* gente sæpissime usurpato, *Pandulfus*. Estque idem *Ostiensis* cap. 85. prædicti libri 2. in hanc quoque sententiam capiendus, quo loco *Landenulfum*, & *Atenulfum* germanos fratres, & eorum nepotem *Petrum*, nobiles *Capuanæ* civitatis ad *Cassinense* Monasterium gratia conversionis sub antedicto Abb. *Richerio* se recepisse perhibet, eidemque Cœnobio obtulisse, tum alia multa, quæ in toto Principatu *Capuano*, & intra *Capuam* possidebant, tum integras portiones suas, quas habebant in Ecclesia *S. Rufi*, similiter intra *Capuam*: hæc enim Ecclesia a *Nortmanno Capuæ* Principe *Jordano*, hujus nominis primo, sub Abbate *Desiderio* (æquales fuerunt *Jordanus* solus, & *Desiderius* ab anno 1078) oblata in eodem fuit Monasterio, ut habet *Petrus Diac.* in Auctar. ad *Ostiensem* lib. 3. cap. 46. *Quæ dudum* (*verba sunt* Petri) *sibi concessa, & per sacramentum firmata fuerat ab his, quibus jure hæreditario, juxta morem patriæ, pertinuerat.* Sed primi illi possessores non alias utique, nisi partes suas *Jordano* permiserant, nam alias partes prædicti fratres *Cassinensibus* pridem obtulerant, ut dixi; ex quo tum hos, tum illos ab uno, eodemque genere prodiisse aperitur. At hoc satis cum sit manifestum, æque certum quoque est, genus illud indefinito vocabulo nobilium *Capuanorum* ab *Ostiensi* demonstratum, de fratribus loquente *Landenulfo*, & *Atenulfo*, communi etiam *Capuanorum* nomine designatum fuisse in quodam Diplomate Principis *Capuæ Richardi* 2, filii præmemorati *Jordani*, quod una cum pluribus aliis antiquis Chartulis Monasterii, seu Ecclesiæ *S. Michaelis Archangeli* in *Formis* nuncupatæ extra *Capuam*, & *Cassinensi* Cœnobio olim subjectæ, servandum apud Clericos Regulares *Campanæ* Ecclesiæ *S. Eligii* meo rogatu tradidit præsignis vir Cardinalis *Hieronymus Vidonus* ejusdem Ecclesiæ *S. Michaelis* Patronus, sive dicas Commendatarius; in quo Diplomate prædictus Princeps nonnullas donationes a Patre, & Avo eidem Monasterio factas, atque adeo hanc ipsam donationem de Ecclesia *S. Rufi*, nec non de duabus aliis *Capuæ* pariter sitis: nempe *S. Angeli* de *Odaldisci*, & *S. Benedicti Piczoli*, id est minoris, pridem diversis vicibus præfato Monasterio concessis, confirmans: eas Ecclesias omnes ad se, & ad Patrem, Avumque pertinuisse ex occasione quadam non aliis verbis, quam modo dicti Diplomatis exponenda; & ex concessione *Capuanorum*, adserit in hanc formam: *Quæ Ecclesiæ*, inquit, *etiam fuerunt quorundam fratrum*, Guidonis, & Landenulfi, *qui fuerunt filii cujusdam* Landonis, *qui dicebatur* Caputi; *qui videlicet tempore* Richardi *Principis Avi mei contra ejusdem animam Principis cogitaverunt, & inimicos intus Provinciam ejus invitaverunt, cælaverunt, & annonam dederunt, ob quam culpam res illorum*

Minor, sed antiquiss. hæc S. Benedicti Ecclesia, fuit juxta Cathedralem, ubi nunc sunt hortus Monasterii Monialium nominis Jesu: Ec-

A *Fisco præfati* Richardi *Avi mei, secundum* Langobardorum *Legem devenerunt. Quæ etiam & præfato* Richardo *Principi Avo meo, &* Jordano *Patri meo, mihique per conventionem a* Capuanis *dimissa, & sacramento firmata fuerunt.* Hactenus Princeps *Richardus*. De qua concessione a *Capuanis* facta Principi *Jordano* habetur etiam in consimili fere Privilegio concesso ab eodem *Richardo* 2. Monasterio antedicto, quod exaratum inspexi pag. 29. antiqui Registri ejusdem Monasterii in Archivo *Cassinensi*, inque binis his monumentis *Capuanorum* nomine illos *Campanos* definite demonstratos fuisse adparet, ad quos *Petrus Diac.* præmemoratam dixit Ecclesiam *S.*
B *Rufi* jure hæreditario pertinuisse: nempe ad eos, sicut dictum est, quibus *Capuanonum* vocabulum peculiariter ex præscripta usurpatione a *Langobardis* observata competebat; quoniam de genere erant Principum *Capuæ* ex *Atenulfo* descendentium. Ipseque etiam *Petrus* continuator cum esset *Ostiensis*, ejusdemque sectator Idiotismi, eadem hujus verbi usus videtur acceptione in laudato Auctario lib. 4. cap. 10. *Capuanorum*que nomine posteros *Atenulfi* appellasse, ab *Capuanis* perhibens dejectos e *Capua* præfatum *Richardum* 2. & *Nortmannos*, quos *Capuanos Nortmannus*
C auctor *Gaufredus Malaterra* rem describens eandem lib. 4. cap. 26. non sic, sed generaliori vocabulo dixit *Langobardos*; siquidem *Nortmanni* hunc magis amaverunt sermonem, alterumque sensim antiquarunt, quoniam e *Capuæ* Principatu quos jam deposuerant, minime tale *Capuanorum* amplius condecebat nomen. Quod mansit nihilominus in una de hoc *Atenulfi* genere familia, de qua supra col. 145. & seqq. gentilitio dicta vocabulo *Capuana*. Sed *Nortmanni* sane gentilitia cognomina frequentius, quam *Langobardi* e possessis locis desumere cum solerent; ea tamen a minoribus sæpius oppidis mutuati comperiun-
D tur. Qui præterea ipsa efferre haud præscripta, sed diversa omnino forma consueverunt; dominos, exempli causa, oppidi *Præsentiani* in Episcopatu *Teanensi*, vel oppidi *Cajanelli* in eodem Episcopatu, cognomento dicentes *De Præsentiano*, ac *De Cajanello*: & sic quoque cæteros consimilium oppidorum possessores. Istiusmodi autem nuncupationis schema *Langobardi* nullatenus videntur usurpasse; nam *Erchempertus* minime *Landulfum de Suessula*, vel *Marinum de Amalfia*, sed alterum *Suessulanum*, *Amalfitanum* alterum appellavit; neque *Ostiensis Gregorium* dixit *de Napoli*, sed *Neapolitanum*: nisi illa exceperis nomina, ex
E quibus derivativa minus commode deduci poterant; unde *Landulfus de Sancta Agatha*, non *Sanctagathensis*, ut idem perhibet *Ostiensis*, est dictus. Ex universis igitur e Principe *Atenulfo* descendentibus familiis unica solummodo nomen cum servasset *Capuanorum*, reliquæ interim omnes, ut dudum admonebam, novas, aliasque ex aliis occasionibus, & peculiares denominationes acceperunt, quas singulas nosse, haud humana (certe non mea) valet diligentia: ex conjectura tamen nonnullas eadem col. 145. & seqq. & col. 126. indicavi. Quibus insuper adnumerari posse dijudico has paucas: nempe familiam *De Atenulfo*,
F sic dictam de nomine *Atenulfi*, qui præmemoratum genuit *Petrum* S. R. E. Cardinalem; & familiam *De Sexto*, ab dominio nuncupatam oppidi ejusdem nominis in Comitatu *Venafrano*, deque *Venafranis* Comitibus, & e *Pandulfo* egressam, cui cognomen *De Sexto* inditum est, de quo *Petrus Diac.* in Auctar. ad *Ostiensem* lib. 4. cap. 75; ipsamque familiam sub Rege *Guilielmo* 2. haud digniori quam militari munere decoratam observo apud *Joannem Aloysium Lellum* in *Elencho* Privilegio-

clesia autem S. *Angeli* etiamnum manet. Præsens conventio facta est, ni fallor, hoc ordine: ut *Campani Langobardi*, qui in Pr. *Richardum* conjuraverant, bona sua omnia ob initam proditionem amitterent, retentis solummodo minoribus aliquot Castellis, de quo fusius alibi.

Quarum nonnullas indico.

Sic etiam ex antiqua illa consuetudine absolute cum dicerentur *Cajetani* qui *Cajetæ* erant Duces; ut apud *Ost.* l. 2. c. 35. natum est nomen nobiliss. familiæ *Cajetanæ* quæ e *Cajetanis* Ducibus exorta putatur. Potuit etiam *Ostiensis* ex *Nortmannorum* usu, sub quibus vixit, *Landulfum* dicere *de S. Agatha*, non *Santagathensem*, quod meæ nihilominus sententiæ favet.

legiorum Archiepiscopalis Ecclesiæ *Montis Regalis* Num. 44. Atque his etiam addendas censeo tres alias, *De Franco*, *De Citello*, & *De Roselle*: quandoquidem *Landulfus* (verba sunt *Richardi* primi Principis *Capuæ* in Diplomate quodam de anno 1066. 4. Non. *Julii*, Indictione 3. in Registro *Petri Diac.* in Archivo *Cassin.* pag. 223.) *qui dicebatur* Francus, *filius* Landenolfi, & Joannes, *qui clamabatur* Citellus, *filius* .... *qui fuerunt Comites* Cajatiæ, & Petrus *filius* Doferii, *qui fuit Comes* Volturnensis, sicut gente fuerunt plane *Langobardi*, ita reputandi firmiter sunt, nedum patria *Campani*, sed ex eodem hoc Principis *Atenulfi* genere exorti, quos in ante dictum *Richardum Capuæ* novum Principem, & alienigenam conjurasse, in præfato adfirmatur Diplomate; quibuscum, præter supradictos *Guidonem*, & *Landenulfum*, conspirasse etiam *Teanenses*, aliosque Comites (omnes utique *Langobardos*, & de genere Principum, atque, ut exposui, *Capuanorum*) ex monumentis in eodem Registro exaratis pag. 47. & 222. liquidissime constat. Sed *Landenulfum* cognomine *Francum*, *Joannem Citellum*, & *Petrum* filium *Doferii*, qui in anteriori superius laudato Diplomate *Richardi* 2. appellatur *De Roselle*, totidem familiarum auctores, consanguinitate invicem conjunctos, deque posteris fuisse *Atenulfi*, admodum verisimile esse existimo, eodem hoc argumento persuasus, quod & *Langobardi*, & in *Campano* Principatu, vigente adhuc eximio illo *Capuanorum* genere, fuerint Barones, locorumque possessores, in quæ etiam Comites aliarum urbium ejusdem Principatus partiaria jura; e communi videlicet origine sibi nata, habuerunt: sicut ex concessione intellectum est, quam *Pandulfus Venafranus* fecit Monasterio *Cassinensi* pridem relata, exque aliis consimilibus donationibus inferri etiam potest, tum alibi, tum in sæpe memorato Registro *Petri Diac.* descriptis. Verum præter expositas hactenus familias, quas omnes multis probantibus documentis manifestum est, urbem *Capuam*, diu etiam post exactos *Langobardos* Principes, agnovisse, coluisseque matrem, alias longe plures eadem de gente ibidem, nec non *Beneventi* æque inclaruisse per integrum illud intervallum annorum centum septuaginta septem, quo, ut inquit *Ostiensis*, Atenulfus, & *cæteri deinceps per generationes suas in ea Principatum tenuere*, ultro consentiet prudens omnis, ac peritus Lector; etsi de iis vel in ipsis *Beneventanis* Archivis nil ultra repererim, de quo satis dolui. Et insuper quod *Capuæ* observatum fuisse exposui, ibi quoque (cur non etiam *Salerni*?) quamsimillimo exemplo frequentatum, neminem puto denegaturum, namque *Capua*, ac *Beneventum*, de quibus modo est sermo, labentibus annis proprios, peculiaresque ex *Atenulfi* genere obtinuere Principes, qui proprias quoque, & peculiares constituerunt familias eo ordine, quo in Stemmate explicabitur, suisque consanguineis tum hi, tum illi urbes, & oppida, juxta expositam consuetudinem, adjudicarunt, sicque *Beneventanorum* Principum genus in plures apud *Beneventum* familias, ut *Campanorum* apud *Capuam*, fuit propagatum, & ipsas pari modo multiplicibus cognominibus, sicut diversa tulit occasio, denominatas: idque col. 82. indicabam, dicens, ex clarissimo hoc Stemmate quam latissime explicato, diutissimeque vigente, innumeros per omnem *Italiam Cis-Tiberinam* Comites prodiisse, virosque nobiles, & Barones; de quo vel unum nunc libet adferre exemplum apud Registrum *Petri Diac.* pag. 160. a tergo in quodam Diplomate *Campani*

Hic *Petrus* certe dictus est *De Roselle* ab *Rosella*: Pagus qui fuit in *Cancia* ut est in *Ostiensi* l. 1. c. 23. atque in ea *Campani* agri parte, quæ lævam *Volturni* ripam tribus fere miliariis a *Castro* abest *Volturnensi*: nunc dicto, *Castello a mare del Volturno*.

Meam reliquæ cum fugiant notitiam, quæ tum Capuæ, *tum etiam* Beneventi *inclaruere.*

Et utrumque Principatum innumeris Comitibus, & Baronibus, fœcundarunt.

A Principis *Pandulfi* 6. de anno ejus Principatus 2. qui fuit *Christi* 1023. mihi lectum; ubi sub uno eodemque tempore fit mentio sex, septemve Comitum urbis *Calium*, nunc *Calvi*, hoc ordine. Lando, & Landenulfus *filii quondam* Landulfi; Atenulfus, & Pandulfus, & Landenulfus; & Guido, & Atenulfus *filii* Atenulfi tunc viventis, quos de *Atenulfi* Principis genere fuisse reputo: tum quoniam temporibus Principum ex ipso descendentium Comites extiterunt, tum quod nomina usurparunt in gente illa frequentissime repetita: esse namque hoc conjunctissimum indicium ad has consanguinitates dignoscendas

B peritiores persuasum firmissime habent. Quo etiam ductus, non verebor adserere, primum *Beneventi* Archiepiscopum *Landulfum*, *Capuæ*que Archiepiscopos, binos *Atenulfos*, atque *Paldulfum*, qui regnantibus in utroque Principatu posteris primi *Atenulfi* vixere, nisi de hac non fuisse cognatione. Idque altera etiam firmare possum conjectura, qua simul persuasum habeo, minorum quoque urbium Antistites plerumque ex hoc fœcundissimo Comitum, & Baronum genere delectos fuisse; quoniam, ut facili lectione condiscere est, sæcularem qui per ea tempora obtinuere potestatem, haud alienos

C evehi ad Episcopalem amarunt dignitatem, quibuscum etiam ex communi Lege, mihi adnotata ad oram col. 163. & frequentissime tunc observata, *uniti esse debebant pro pace, & salvatione in omnibus honoribus suis hominibus.* At hos omnes, vel uno, vel altero præsignes honore, longissime antecessit qui *ex nobilissima* Beneventanorum *Principum origine sanguinis lineam ducens*, & ex Abbate *Cassinensi*, atque Cardinali ac supremum omnis humanæ Majestatis fastigium invitus, ac diutius reluctans ascendit, ut *Ostiensis* perhibet lib. 3. cap. 1. & ejus continuator *Petrus Diac.* lib. eod, cap. 64. & seqq. *De-*

D *siderius* inquam, in summo *Romano* Pontificatu appellatus *Victor* 3., dictusque ante Monachatum *Dauferius*, ex innominato patre natus, filio, ut reor, *Landulfi* quinti, atque *Salernitano* Principi *Guaimario* 4. *consanguinitate propinquus*, ni fallor, ob *Gaitelgrimam*, *Beneventani* Principis *Pandulfi* 2. filiam *Landulfi* 5. sororem & *Guaimarii* matrem, quem de Monachatu dimovere enixè curavit *matris ejus, ac propinquorum orationibus fatigatus*, Beneventanus *Princeps* Landulfus, scilicet 6. vivente patre *Pandulfo* 3., filius qui fuit præfati *Landulfi* 5. Nec ambigendum est, hunc virum talibus signis ab *Ostiensi*,

E tanquam penicillo, & coloribus ob oculos repræsentatum, genus duxisse ab *Atenulfo*; quibus nec minimum obstat primitivum, & genitale ejus nomen, *Dauferius*, in *Atenulfi* gente peregrinum, & nunquam alias auditum; neminem cum lateat, in singulas alias familias, sicuti nostra etiam ætate fieri videmus, aliena nomina sæpe sæpius immigrasse; de quo non unum in hoc ipso Stemmate *Atenulfi* occurrit exemplum, in gratiam scilicet uxorum, idque frequentissime, illorumve, qui parvulos e sacro susceperunt Baptismate: cujus priscæ consuetudinis obvius modo est mihi testis *Guilielmus Brito* in

F *Philipp.* lib. 2. apud quem Comes *Flandriæ Philippus*, *Galliæ*

„ *Qui Regem puerum sacro fonte levarat*,
„ — *suum nomen, sicut mos exigit, illi*
„ *Indiderat.*

Sed *Dauferius*, sive dicas *Desiderius*, in summum Pontificem summo sui generis decore evectus fuit in anno 1089. cum prius omni antiquo honore, ac potestate fere omni, universos suos gentilitios vidisset exauctoratos: quandoquidem ad

Nec non plurimos procreavere ros, Ecclesiasticis dignitatibus decoros.

Atque Langobardorum *casu Summum Pontificem Victorem 3. Beneventi natum.*

Alias adnumero quæ nunc imponendorum nominum occasiones, etiam solent, tanquam a *Langobardis* vel infrequentius inobservatas.

Eodem hoc tempore, & ante Desiderii Pontificatum amisere Langobardi Principatum quoque Salernitanum, qui una cum universa Italia Cis-Tyberina Nortmannis etiam accessit.

ad extremum senium, & occasum jam imperium devenerat universorum nostratium *Langobardorum*, rerumque humanarum immutabili conditione, magis quam armis, devicti primo Principes *Capuæ*, Principatum concesserant *Aversæ* Comiti *Richardo Nortmanno* in anno 1058. & dein Principes *Beneventi* post omnem pæne amissam ditionem, quam *Nortmanni* alterius generis, qua eis, qua *Græcis* tunc possessam, subtraxerant, sine prole defecerant in anno 1077. atque ut rerum novus tulerat ordo, antiquissimam amplissimæ Dynastiæ Metropolim *Beneventum*, suburbano tantum agro non denudatam, in *Romani* Pontificis potestatem demiserant; quæ præsentiens, immo præsentia habens *Desiderius* suorum *Langobardorum* infortunia, atque ut *Cassinensis* suæ Abbatiæ rebus bene consultum iret, *Nortmannis* prosperis rebus exultantibus adhæsit, apud quos plurimum valuit, ut perhibet *Ostiensis* lib. 3. cap. 8. & in ejus Auctario *Petrus Diac.* lib. eod. cap. 49. reliquis interim *Langobardis*, vel nullam, vel vix aliquam suorum Comitatuum portionem retinentibus.

FINIS Histor. Principum *Langobardorum*.

VARIANTES LECTIONES

Ad Capitularia Principum Sicardi, *&* Radelchisi, *Quas sero ex Scripto Codice* Vaticano *accepi*.

col. 49. l. 11.	Nec *Langobarda*.	*deest*. nec
col. 53. l. 3.	nec.	ne.
l. 24.	reddatur.	dedatur.
l. 28.	debitos.	debitor.
col. 54. l. 1.	oram advenerint.	ora causaverint.
l. 18.	& angarias.	*deest*. &
l. 19.	& pensiones.	*deest*. &
l. 21.	adinvicem.	ad Ducem.
l. 52.	si non.	*deest*. non.
col. 55. l. 10.	justitiam.	instigam.
col. 57. l. 13.	singularia.	singulari, & integra.
l. 36.	donec.	id nec.
col. 58. l. 24.	quomodo.	per quod.
l. 37.	vestri.	nostri.
l. 60.	facietis.	feceritis.
col. 59. l. 19.	imminetur.	immittetur.
l. 41.	habent.	habeant.
l. 72.	Visantos.	Bicentos.

Præter has, habe, Lector, etiam alias ad *Erchempertum*, pauculas quidem ex multis, sed ad faciendum indicium satis, atque ex depravatissimis selectiores, ex Chronico exceptas Monasterii *S. Vincentii* Martyris ad fontes *Volturni*, quod sub Pontifice *Paschali* 2. *Joannes* ejusdem *Cœnobii* Monachus descripsit, exemploque Anonymi *Salernitani* integras *Erchemperti* narrationes, ad verbum suo intexuit operi, quod nuper una cum

A Tertio Tomo Historiæ *Francorum*, non tamen integrum prodiit *Lutetiæ Parisiorum*.

col. 3. lin. 22	Abbates Sanctorum *Benedicti*, & *Vincentii*, &c.	*Annonem* Abb. *S. Vincentii*, & *Optatum S. Benedicti*, &c.
col. 30. l. 52.	*Majelpotus*.	*Magelpertus*. pro. *Magelpotus*. nam. I. ante. E. plerumque transibat in G. ut alibi dicam.
col. 30. l. 54.	*Lambertum*.	*Landbertum*.
B l. 67.	Quibus diebus. *&c.*	Quibus diebus *Telesiam*, *Alifas*, *Sepinum*, *Bovianum*, & *Hisherniam*, Castrum quoque *Vanafranum*. &c.
col. 32. l. 3.	Comarchanis.	Commarchianis.
col. 34. l. 36.	Ganst.	Castaldeum.
l. 64.	Castrum *Trebetense*.	Castrum *Trivensem*.
l. 66.	& amicis extinctus est.	& amicis, non longe ab urbe, extinctus est. *Sed ex his nonnulla e Glossa videntur ejusdem Chronographi, sanè non inepta.*

C VOcabulum *Analecta B. L.* alicubi pro libro usurpavi Collectaneorum; quia id pridem factum a *Seneca* legeram in Lexico *Græcolatino Budæi*, *Tusani*, *&* *Constantini*, excuso, a *Joanne Crispino* in anno 1562. Sed & scias velim, præter alia multa strictim nunc observata, quæ fusius explicabuntur Libro sequenti; esse ibi iterum uberiori sermone, & curiosissime exponendum, *Sipontinorum* appellatione in Actis Adparitionis Sancti *Michaelis Archangeli* venire *Langobardos Beneventanos*, qui obsidionem *Græci* Imperatoris *Constantii* in anno 663. Divina evadentes ope, *Christi*, Catholicamque fidem susceperunt, ut inedita, sed antiqua, & sincera Acta perhibent *S. Barbati* Episcopi *Benev.* eandemque recentissimam *Langobardorum* Christianitatem *Langobardi* Auctores æmulis imputarunt *Neapolitanis*. Nec non ibidem uberius edisseram, *Campani* Principatus dignitatem Imperiali auctoritate institutam fuisse tempore Principis *Pandulfi Caputferrei*, etsi nomen pridem cœperat usurpari, nempe sub *Beneventi* Principe *Atenulfo* primo, qui *Capuæ* sedem fixit, & obiit. Qui quidem *Caputferreus* haud *Beneventanum* Principatum filio suo *Landulfo* 4. contribuit post mortem fratris sui *Landulfi* 3. quoniam, ut ambigue conjectabam col. 22. seq. absque liberis ille decesserat; sed quoniam, impotenti dominandi libidine percitus, veritus non est, legitimo præfati *Landulfi* 3. filio, ac successori, *Pandulfo* 2. nuncupato, debitam ex jam inita divisione Dynastiam præripere; quam tandem ipse *Pandulfus* 2. ejecto inde prædicto *Landulfo* 4. in an. 981. recuperavit, atque ad posteros etiam transmisit.



APPENDIX PRIMI LIBRI HISTORIÆ PRINCIPUM LANGOBARDORUM;

Quæ continet SEX ALIA OPUSCULA

Excerpta ex vetusto Codice præclari Monasterii Sanctissimæ Trinitatis *ad Cavas, ordinis* S. Benedicti *Congregationis* Cassinensis.

Eaque sunt infra recensita.

I. Chronicon Ducum, & Principum *Beneventi* ab Duce *Zottone* ad Principes *Landulfum* I. & *Atenulfum* II. Quod in nonnullis variat ab consimili Chronico excuso col. 168. & seqq.

II. Series Comitum *Capuæ* paulò aliter ac est in antiquissimo Codice *Cassinensi*. Cum Auctario Anonymi, ut videtur, *Langobardici* Juris Consulti, & civis *Campani* usque ad sua, & ad Principis *Ademarii* tempora: hoc est ad annum *Christi* millesimum primum.

III. Capitulare *Arichis* Principis *Beneventi*.

IV. Capitulare *Adelchis* Principis *Beneventi*.

V. Pactum *Arichis* Princ. *Beneventi* cum Judice *Neapolitanorum* de campo *Leburiæ*.

VI. Pactum quod fecit *Gregorius* Dux *Neapolis* Indictione XIV. hoc est anno *Christi* DCCCCXI; & *Joannes* Dux nepos ejus iterum renovavit cum Principibus *Beneventi Landulfo* I. &c. non ante annum DCCCCXXXIII.

DE HAC APPENDICE ET DE ANTIQUO EJUS EXEMPLARI

AD LECTOREM.

Alia isthac Opuscula, nisi in Auctario, non licuit dare.

APpendiculam Libro haud magno adjici, *Lector, vides: quippe extemporaneam; & quæ nunc aggrego Opuscula, haud ita pridem apud præclarum Monasterium* Cavense, *quin præter spem omnem meam, & ipse vidi. In exitu enim proximè anteacti mensis* Octobris *cum* Salernitanæ *urbis Archiva, quantum per eam opportunitatem licuit, lustrassem; eodem animo ad antedictum me contuleram Cœnobium, quod jam olim, sed verè a limine, inspexeram ad* Langobardorum *Principum nuper a me conceptos Chronicos Canones absolvendos, idoneis chartulis refertissimum. Eas itaque dum sedulus per biduum ferè illic manens essem scrutatus, scrinia mihi reserante vigilantissimo, cultissimoque ipsorum custode* D. Camillo e Capua, *in eadem sacra æde monasticam* D. Benedicti *regulam professo, cujus laboriosam eruditamque diligentiam summo nitori, nec minori fidei adjunctam in describendis sua manu omnibus propemodum ejusce Archivi vetustis tabulis, descriptisque in plura Regesta per tempora, perque classes digerendis, habent præsentes, habebunt posteri multiplici cum utilitate acceptissimam: dum, inquam, nulla tunc mihi nisi de messe, quam colligendam animo destinaveram, fuisset mens, vel cura; in posteramque diem discessionem parassem, en casu quodam inter confabulandum sermo de incompositis ortus antiquis* Langobardorum *picturis, reique in vicinum experimentum priscus laudatus est ex membranis compactus Codex, eopse in Archivo adservatus, in quo tales videre erat deformes formas. Adsurrexi ad rem non quidem novam, sed aliud quid novi ex exoletis imaginibus fortean percepturus. Librum posco, & obtineo, quem communium Legum* Langobardorum *esse, statim comperi, picturasque ore derideo parum decoras: sed ore, inquam; nam eodem oculorum ictu persensi, peculiares nostratium* Langobardorum *in eo etiam servari vetustissimas non cusas unquam Leges. In quas anxia lectione cum ruerem, inclinataque jam dies operi non daret locum, prece obnixa obtinui, ut per imminentem noctem mecum habere, diligentiusque rimari nulli nunc usui librum illum liceret. Et jam insomnis in multas cum perseverassem horas, sex ista aliis antehac, certè mihi, incomperta antiqua Opuscula quam festinatissimè inde excepi, postquam volucri simul visu omnes ejus percurreram membranas literis haud inconditissimis exaratas. Quæ cæteris*

Quæ serò, & per risum forte quadam cum essem nactus.

Excudi statim curavi.

cæteris pridem excusis nulla mora adjicienda, quippe tuis hisce studiis non leviter etiam profutura, cum judicaverim: id per Appendiculam præstare, congruum planè fuit; quibus singulis singulas meo me arbitratu, ac more Epigraphes, præter eas, quas ipsa præ se ferebant, inscripsisse, velim scias: nam de cætero fide, qua soleo, nedum ordinem in prisco observatum exemplari, sed ne commissa quidem ab ejus librario menda, genuinamque non immutavi, quamvis horridam, nimisque barbaram dictionem. Atqui sanè inutile nunc minimè erit, specimen etiam aliquod ejusdem universi exemplaris, tanquam per Indicem, dare; ut scilicet ejus compilatoris, a quo Auctarium ad Seriem Comitum Capuæ *processisse conjector, asserta a me ætas, patria, & conditio dilucidius patere possint. Quæ autem in illo continentur, hæc sunt. Primo loco (mitto nunc picturas, quia nil ad hanc rem) descripta habetur origo* Langobardorum *ex Insula* Scandinavia, *Regumque ejusdem gentis successio, & præcipua gesta usque ad* Rotharim, *ex Historia* Pauli Diac*: sed dissimulato ejus nomine, excerpta. Edictum dein sequitur præfati* Rotharis, *quod ipse condidit* anno sui Regni VIII. ætatis XXXVIII. Indictione II: ab adventu totius gentis in *Italiam* an. LXXVI. *Leges postea aliæ ab Regibus aliis latæ: a* Grimoaldo *nimirum,* Luitprando, Rachi, & Aistulfo. *Has excipit Glossariolum* Latinobarbarum*: illud nempe quod etiam in manu descriptis Codd. Historiæ* Erchemperti *haberi, expositum alia occasione est supra col.* 101. *Catalogus huic subjicitur Regum* Langobardorum *ab* Alboino *ad* Desiderium, *narratiunculis immixtis rerum ab iis gestarum ex superius dicto* Paulo Diac. *pariter depromptis. Cui alter Regum Index adjacet, qui* Italiæ *Regnum postea obtinuerunt, sed nuda tantum nomina, & intervalla exponens, ab seniore ductus* Pipino *ad* Othonem *tertium cum hujusmodi Appendicula. Ardoinus* factus est Rex in *Italia:* & regnavit an. non pleniter duo. Et pugnavit in *Italia* cum exercitu *Henrici* Regis, qui fuit Dux de *Bajoaria.* Iste *Henricus* post discessum suprascripti *Ottoni* factus est Rex *Totonicorum*, & post per ditione exercitu ejus ipse se med ipsum venit in *Italia*, & omnes *Lambardi* mentiti sunt *Arduini* Regis, & subdiderunt se *Henrici* Regis. Et ipse applicuit usque urbem *Papia*, & igne cremavit eam, & sic reversus est in *Totonicum* Regnum suum. *Hactenus de his ibi. Adsunt præterea sex ista nunc typis excudenda Opuscula; quibus tum* Beneventanorum *Dynastarum perpetua Series ab instituti Ducatus primordio per annos ferè* 360, Capuæ*que posteriores Comites, anterioresque Principes* Langobardi *ad annum usque millesimum primum, nec alterius Dynastiæ ulli alii Toparchæ, tum Leges perplures exponuntur, universis* Beneventanæ *regionis incolis, aliæque solis* Campanis *civibus, quibus res frequenter tunc erat cum finitimis* Neapolitanis, *olim observatæ. E qua speciali, altiusque in animo compilatoris præfati Codicis defixa rerum, Legumque ad* Campanos *cives spectantium describendarum cura, patria illum* Campanum, *atque Supplementi ad prænotatam Comitum Seriem fuisse simul Auctorem, sum persuasus; quem posteriora a se exposita tempora,* Christique *jam dictum annum millesimum primum, & quod excurrit, attigisse, apertissimo ipsius constat testimonio, nam* Pandulfum *Principem sibi visum dicit, hoc est cognomine appellatum* Caputferreum, *qui in anno obiit* 981. *His deinceps Opusculis adjacent quædam juris* Langobardici *velut* Recapitulationes *ab juris ejusdem perito, qui in privum usum, ut conjicio, eundem Codicem compilavit, sub his Titulis congestæ.* Quantas causas debet esse judicata sine Sacramentum. Item quantas causas fieri debet per pugna judicata. Memoratorium pro quibus causis filii ab hereditate patris exeredati fieri debet. *Claudunt tandem Librum Capitularia ab Regibus edita, qui Regnum* Italiæ, *exactis* Langobardis, *tenuerunt: nempe ab Carolo Magno* in anno ab Incarn. Dom. DCCCI. Indict. IX. an. Regni in *Francia* XXXIII. in *Italia* XXVII. Consulatus primo. *Item ab* Ludovico, Pipino, *& ab* Lothario, tempore *Eugenii* Papæ, ad liminaria B. *Petri* Apostoli: *id est anno* Christi 824. *quo etiam tempore idem* Lotharius *ibidem positus alteram Constitutionem promulgasse videtur, Feudorum lib.* 1. *tit.* 19. *denotatam; quam vir summus* Jacobus Cujacius *referendam putat ad* Lotharium *posteriorem. Sed de hoc in Dissertat.* De finibus Ducatus *Benev. ad Septemtr. Porrò eas omnes in* Cavensi *Codice descriptas Leges, aliasque fere universas ab cunctis aliis Regibus* Italiæ *dein latas usque ad* Carolum 4. *servato Regum, temporumque ordine simul cum Legibus* Salicis, Alamannorum, Saxonum, Anglorum, *&c. in anno* 1557. Basileæ *Typis* Henrici Petri *evulgandas curavit* Basilius Joannis Heriold, *quas sub diversis Titulis in tres libros jam olim digestas, pluries excusas fuisse, non est qui nesciat. Vale.*

Ex Cavensi descripto Codice deprompta.

Sigon. de Reg. *Ital.* l. 8. nescio a quo auctore, de his aliter.

Cujus Compilatorem anno Christi 1001. *supparem; Campanumque civem, &* Langobardici *juris consultum statuo.*

CHRO-

CHRONICON DUCUM ET PRINCIPUM BENEVENTI.

Usque ad Principes Landulfum *I. &* Atenulfum *II. quod locis signatis asterisco ab consimili variat Chronico excuso* col. 168. seq.

Anni Ducibus *Beneventi*, & Princippum.

Non longè a Siponto Paul. Diac. Pro *Romualdus.* ut sup. col. 167. & apud *Paulum Diac.* l. 4. c. 18. sive 53. Sed in plerisque etiam aliis asterisco signatis locis varians lectio ad librarii referenda certè est somnolentiam.

ZOtto primus Dux an. *xx. *Arichis* natus in *Foro Julii* an. quinquaginta. *Ajo* filius istius *Arechis* an. I. mens. v. Iste pugnavit cum *Sclavis* ad *Aufidum*, & interfecerunt illum per ingenium. *Radoaldus* anni quinque. *Grimoaldus* frater ejus an. viginti quinque. * *Rodoaldus* filius istius anni sedecim. *Grimoaldus* filius ejus an. duo. * *Gisolfus* major frater ejus anni decem & septem. Iste devastayit *Romam*, & *Sora*, & *Yrpinum*, & cepit *Arci*. *Romualdus* filius istius *Gisulfi* an. vigintisex. * *Gisolfus* puerulus filius istius *Romualdi* Dux factus, deportatus est *Papiam* a *Lioprando* Regem. *Gregorius* * nepus *Lioprandi* Regis. an. septe. *Godescalchus* an. * tres. fugiens adventu *Liuprandi* Regis, occisus est. * *Benevento* Dux ibi eltitit *Arechis* an. * vigintinovem. Iste primus appellatus est Princeps. *Grimoaldus* filius ejus an. * viginti. *Grimoaldus* alter Thesaurarius an. * x. mens. I. dies *xv. *Sico* an. * sex. mens. duo. *Sicardus* filius *Siconi* an. * tres, mense decem. *Radelchis* an. * tredecim. Hujus temporibus divisus est Principatus *Beneventano* inter *Siconolfus*, & ipsum. *Radelgarius* filius ejus anni quatuor, mens. *tres. *Adelchis* frater ejus anni viginti quatuor. men. sex. *Gaideris* filius supradicti *Radelgarii* an. * duo. mens. VI. dies nono x. *Radelgichis* filius supradicti *Adelchis* anni tres, mens. * VIII. dies. * XXI. *Ajo* frater ejusdem *Radelchis* an. sex. *Ursus* filius prædicti *Ajoni*, puer * decimus; anno uno. *. Cujus tempore *Sabbaticius* Stratico cum valida manu *Græcorum* venit *Beneventum* III. Idus *Julii*, obseditque eam usque xv. Kal. *Novemb.* in qua pace facta ingressus est, eo

A die completis anni cccxxx, & aliquod mensibus a *Zottone* primatum *Beneventi*, quibus *Langobardi* primatum tenuere *Beneventane* Provincie. Tribus denique annis, novemque mensibus, & diebus vigintibus dominatio *Græcorum* tenuit *Beneventum*, *Samnii*que Provincia. Postea vero * *Wido* Marchio *Beneventum* ingressus * in die XIIII. tenuit eam annis duobus, mensibus VI. Quibus expletis in eadem civitatem ingressa est *Ageltruda* Imperatrix Kal. *April.* & egressa est exinde * mense *Augusti*, *Papiam*que reversa est cum ipso Marchionem, & *Radelchis* fratrem suum *Benevento* Principatum restituit. Post istos autem omnes

B Domnus *Atenolfus* tenuit Principatum *Beneventi* solus annum unum. Quo completo, Domnus *Landolfus* fil. ejus factus est Princeps. & jam dicto pater cum filio suo an. x. mens. VI. Dom. *Landolfus* cum patre suo an. IX. Et sine patre suo simul cum Domnus *Atenolfus* fratre suo an. XXXII. In Ind. IV. Dom. *Atenolfus* frater ejus factus est Princeps, nono anno Principatus Dom. *Landolfi* fratri suo, eodem anno quo defunctus est pater illorum; & tenuit Principatum simul cum fratre suo an. XXII. Ind. IIII.

Obtinuit *Atenulfus* Principatum *Beneventanum* ineunte an. 900. certè non post. Vide sup. col. 93. & 94. Ejus ætatem, & opport...

FINIS Chronici Ducum & Principum *Beneventi*.

C subsequentium Principum tempora variè a variis tradita opport... niori loco expendenda, atque dirigenda, sed castiganda exactè erunt. Vnum nunc moneo, verè *Atenulfum* 2. cum fratre *Landulfo* ... regnasse 22. sicque minimè transgressum fuisse annum *Christi* 933. quem e Principatu depulsum ad generum suum *Guaimarium* 2. *Salerni* Principem se recepisse (obiit ille in an. 933) Anonymus *Sal.* est au-ctor. Princeps sane *Landulfus* I. hac de causa videtur filium suum *Atenulfum* in an. 933. consortem Principatus instituisse: etsi nulla, quod sciam, aliis prodita causa voluit; ut in Chartulis nomen ex-pulsi fratris etiam retineretur: ut infra in Pacto Ducum *Neap.* & alibi.

SERIES COMITUM CAPUÆ;

Cum Auctario Anonymi, ut videtur, Langobardici *Juris Cons. &* civis Campani *usque ad sua, & ad Principis* Ademarii *tempora: hoc est ad an.* Christi *MI.*

LAndolfus senior tenuit *Capua* vetere anni XXV. mens. IIII. & fecit civitatem novam in monte *Trifisco*, quam dominavit anno I. & mens. VIII. Quo defuncto successit ei *Lando* filio ejus. Qui nono mense antequam moreretur ad Pontem *Teodemundi* multos virili certamine *Neapolites* interemit, cepitque nongentos. Et dominavit eandem civitatem an. XIII. men. novem. Quem cum cremata esset ab ignem, venit cum fratribus suis; id est *Landone*, *Pandone*, *Landolfo* Episcopo, & *Landenolfo* ad Pontem *Casulini*, & condiderunt ibi civitatem novam; que nunc est *Capua*. In qua jam dicto *Lando* vixit anni IIII. mens. VIIII. Cui successit *Lando* filio ejus. & tenuit *Capua* mens. VI. & projectus est de eadem civitate a *Pandone* thio suo. Qui ipse *Pando* tenuit Comitatum *Capuane* civitatis an. I. & men. IIII. Cui successit in regimine eidem civitatis *Landolfus* Episcopus frater ejus, quam dominavit ann. III. mens. VIIII. Quibus expletis, venit *Ludoicus* Imperator,

D stetitque in *Capua* mens. VIIII. & habiit *Barim*; super quem sedit an. IIII. & cepit eam, simulque *Seodam* Regem *Saracenorum* cum aliis plurimis. Qui *Beneventum* reversus, captus est a *Beneventanis* mens. *Aug.* sed dimissus ab eis. qui districtis sacramentis recessit, a *Beneventu*, & infra tres dies, ac noctes habuit *Berole*; in qua deguit mens. XI. Inter quos postulatus a [1] *Lando* Episcopo, iterum venit, & per quosdam Comites suos, antequam ille *Capuam* adveniret, multis interfecti sunt *Sarracenis*: ita ut [2] decem millia pauci remanerent; qui a magno exercitus *Sarracenorum* super *Salernum* residente venerant. Sed

E audientes mortem proximorum [3] suorum, paululum supra eandem civitatem commorantes, reversi sunt in terram suam. *Ludovicus* Imp. hoc audiens, quia voleret ire super eos, reversus *Capuam*. In qua uno anno commoratus, reversus est *Franciam*, in qua eodem anno defunctus est *Landolfus* autem Comes, & Presul ante adventum jam

[1] Scrib. Lando hoc est Landulfo.
[2] In Cod. Cass. ... duodecim. Sed Erchempertus N. 35. stat pro hac Casinensi lectione.
[3] Al. rursum

jam fati Imperatoris; & post ejus decessum, tenuit *Capua* annis [1] tredecim. Quoque cedente, *Pandenolfus* nepus ejus factus est [2] Episcopus eodem tempore. Sed suggerente adversario *Christiane* fidei, factus est eodem anno divisio ejusdem Episcopatui a jam dicto *Pandenolfo*, qui hodii, & invidie accensus ardore *Landenolfum* fratrem suum laycum inordinate totondens, direxit *Romam*, eumque *Johannem* Papa, multa prece deposcens, Episcopum fecit. Qua de re non parva inter parentes utrorumque Episcoporum nata est discordia; ita ut odium fieret plurimo tempore. Denique *Joannes* Papam tali comperto flagitio advenit *Capuam*, ut discordes ad concordiam revocarent. Divisionem facta, unum constituit in civitatem *Capua*, id est *Landenulfum* Episcopum alterum [3] *Landenolfum* Episcopum in *Sancta Maria*, cognomento *Suricorum*; & facta est pacem inter eos. Sed paululum perdurantes, reversus est ad sedem propriam. Iterumque factus est inter eis divisio, quod non multum temporis pax secuta est. Denique jam *Pandenolfus* completis in Comitatu annis tribus, & mensibus octo, fecit convivium [4] cum his parentibus suis, plurimis sacramentis eos obligans, ut non eum quolibet [5] malum nocerent; sed perjurantes ceperunt eum, & diviserunt inter se Comitatum *Capuanum*. *Landolfus* Episcopus adeptus est totum Episcopatum [6] Kal. *Novembris* Indict. prima. *Lando* etenim pater ipsius *Landolfi* Episcopi fuit Comes *Capuæ* annos duo, mens. x. Cui successit [7] *Landolfus* frater ejus, vicem illius retinentes *Capuam* an. I. & mens. quattuor.

Quo vivo decedente mense *Januario*, cepit *Capuam Atenolfus* Comes, quem ann. XIII. mirifice regens, postea factus est Princeps *Beneventi*. Completisque in Principatu an. x. mens. VI. vita privatus reliquid eam filiis suis, Domino *Landolfi*, & Domino *Atenolfi* Christianissimis Principibus. Ipse Dominus *Landolfus* filius ejus regnavit an XLIV. Et *Landolfus* fil. ejus regn. an. XXII. *Pandolfus* Princ. regnavit an. XXVIII. quem vidimus. *Landolfus* Princeps filius ejus, quod cum eo, quem postea, regnavit an. XIV. [8] periit inter *Agarenis*. *Landenolfus* frater ejus an. x. m. VIII. Iste *Landenulfus* Princeps interfectus est a *Capuani* ad *Sanctum Marcellum*, [9] feria quinta *Pasche*; cujus corpus nudus reliquerunt in Platea. Monachos de *S. Benedicto* cenobium rapuerunt corpus ejus, & sepelierunt eum ante Secretarium. Per idem tempus ostendit Dominus Deus mirabilia super eum. Quidam claudus ad sepulchrum ejus veniens, obnixeque *Christum* deprecans, per intercessione Domini *Landenolfi* Principis, [10] Martyris, qui sine causa occisus est a suis, cujus corpus illic requiescet, ei sanitatem rederet, qui statim super eodem sepulchrum soporatus totam quievit noctem. Mane autem facto, sanus surrexit, Deo gratias referens, ac si de ullo devilitate membrorum nunquam habuisset. Nam per eodem tempore venit [11] *Ugus* Marchio cum suos exercituos, & *Transmundo* magnificus. Comes obsederunt *Capuam* per aliquantis diebus, postea recesserunt [12] *Mesino* missis direxit suis ad *Capuam* peragendi Placita. Dum omnes fuerunt Placito, & homicidia invicem, statimque ipsi *Franci* apprehenderunt illis, pariter vinctos perduxerunt eos ante *Ugonem* Marchium in *Mesino*, ubi aderat. Inquisiti ibi omnes per ordinem de homicidium, quod fecerat. Cumque inquisitim habuisset illos *Ugonem* Marchio cum suis Consulibus de morte hujus Principi, misit eos [13] in *Romaniam*, & suspendi fecit illos per loca viarum singula. Cum-

A que ipsi *Capuani* occiderent suum Principem cum gladiis, & fustibus, sicut *Judei* Dominum, eo quoque die festinos miserunt missos ad *Laydolfum* fratrem ejus, quo tianus erat Comitem, ut iret ad *Capuam*, & fecerunt ipsum Principem. Hoc illo audito de morte hujus Principi, cum gaudio surrexit, & pergit ad *Capuam*, & fecerunt illum Principem, quibus idem Dom. *Laydolfus* Princeps egit in ipso Principatu annos septe. [14] In hoc autem venit *Otto* tertius Imperator *Capuam*, habuit in *Gargano* ad *Sanctum Michaëlem*, & revertit *Romam*. Ideo direxit suum exercitum cum * *Ademari* Marchius *Capua*, & *Neapolim*, non
B pro rebellio. Sed tulerunt ex eis stadiis, & receperunt a majoribus *Capue* sacramenta fidelia ab eodem Imperatorem, & recesserunt cum ipsis obsides. Post dies vero aliquantos, iterumque *Ademarius* cum *Alemannis*, & *Francis* pergit ad civitatem *Neapolim*, & *Laydolfus* Princeps cum eis simul aderant. Ingressi ergo *Neapolim* apprehenderunt ipsum Magistrum Militem [15] nomine, & duxerunt illum in *Capuam*. Alio vero die similiter ingeniose, & apprehenderunt ipsum *Laydolfum* Principem, & *Landone* de *Cajatias*, insimul cum eos *Capuanos* nobiles, & separati miserunt illum in exilium; & *Maria* Principissa
C uxor *Laydolfi* similiter misit in exilium. Predictum *Laydolfum* deposuit ipse Imperator de honorem suum [16] in *Romam*, & exiliatum transmisit illum; nec non & predicto Magistro Milite, & *Gaideriso*, & *Lando* de *Cajatias* omnes ipsi separati ad Regnum, vel tra *Alpie*. Reliquis ipsi nobilis *Capuanis* exiliatis in singula loca per arta custodia. Tunc hisdem Imperator tradidit *Ademari* Principatum *Capuanum*, & undecimo die stante mense *Martio* ingressus est *Ademari* in *Capua*, & regnavit in ea menses quattuor.

FINIS Seriei Comitum *Capuæ* cum Auctario.

ann. 1229. unde nunc *Rocca Monfina*. [13] Vulgo *Romagna*. inter *Apenninum*, & mare *Superum* ad *Ravennam* ultra, citraque Eodem sensu in leg. *Lang.* lib. 1. tit. 25. l. 74. sive 82. [14] In ann. *Christi* 1000. His concordat *Ostiens.* l. 2. c. 24. At in Reg. *Petri Diac.* p. 78. & 98. sunt Diplomata ab *Oth.* data an. 999. 10. *Kal. Mar. Capuæ* Ind. 12. *Imp. an.* 3. *Regni* 15.

D [15]. Omissum Librario est nomen hujus Ducis in *Cavensi* exemplari. [16]. Erat *Otho Romæ Kal.* Nov. *ann.* 1000. & 15 *Kal.* Feb. *ann.* 1001. Ex Diplom. apud *Ferrerium* de Episcopis *Vercellens.*

* Dabis, Lector; quin etiam expetere te existimo, ut hujus Chronici postrema verba prolixiori paululum notula observem, quæ sit nunc satis. Præsens itaque *Ademarius*, sic etiam nomine appellatus *Ostiensi* lib. 2. cap. 15. sed in antiquis Chartulis tum *Waimarius*, tum *Adamarius*, Principatum *Capuæ* suscepit *undecimo die stante mense Martio*: hoc est *die vicesima prima mensis* Martii, sequenti anno postquam *Otho* 3. *Capuam* & dein *Garganum* se contulerat, nempe an. 1001. Hisque concordat antiqua chartula apud *Mich. Monac.* in Sanct. p. 639. Verumtamen sunt alia monumenta, quæ referunt ejus Principatum ad an. 999. quibus consentiunt, quæ ducunt annos 8. ejus successoris *Landulfi* de *S. Agatha* ab eodem anno depositi *Laidolfi* ad ad 1007. Alia verò extendunt *Ademarium* ad jam dictum 1001.; ita ut de solo tempore ejus ejectionis ipsa cum hoc nostro convenire videantur. Sed nec de anno obitus præfati Imp. ac perinde de gestorum ejus ordine, tradita ab antiquis satis constans habetur narratio. Et qui illum defunctum ponunt an. 1002. biennio aliorum supputationem supergressos prodit Abbas *Urspergensis* his verbis: *An. Dom. Incar.* 1000. *an. Regni* 18. Otto *Imp.* 3. *obiit* 5. *Kal.* Febr. *eo videlicet anno, qui ab Inc. Dom. inscribitur millesimus primus.* Itemque Lupus Protosp. *Anno* inquit, 1000. *Indict.* 13. *Obiit Rex* Otto Rome (de loco concordat *Guilielmus* apud *Blondum* in Hist. *Rom.* Dec. 2. lib. 3. p. 290. discrepant alii, quos notavi ad Anon. *Cassin.*) namque id ex reductione quadam referendum esse ad an. 1001. ut faciunt perplures, hinc satis constat. Cæterum quos exules *ad Regnum* absolutè sic dictum, & *trans Alpes* ab Imperatore missos hic perhibetur, eos ad *Italicum*, quod appellabatur, Regnum, & trans *Apenninum* relegatos fuisse intelligimus; nam *Alpes* in Leg. *Lang.* lib. 1. tit. 25. l. 50. & 56. sive 58. & 64. & alibi passim pro *Apennino*.

CAPITULARE ARECHIS PRINCIPIS BENEVENTI.

Index Capitulorum.

Incipit Capitulare Dom. *Aregis* Princ.

CAPITULARE.

SI quis homo pauper absque parentibus, nihil etiam habens, ex quocumque negotium secundum Legem potenti homini * juratus fuerit, ita decernimus, ut solus prevetu sacramentum, quin etiam modo simili potens juramentum, quando ei contigerit, pauperi singulari exhibeat. Si vero pauper aliquantula substantiola habuerit, cum quinque secum juret, similiter & hoc quinario numero potens pauperi satisfaciat.

II. Si germanus alterum germanum aborta lite primum percusserit, posteaque percussus dolore stimulatus se defendendo percussorem occiderit, hoc itaque censimus, ut justa persone interfecti qualitate talem fratricidium componatur.

III. Si quis filium post mortem patris ejus pulsaverit, ut asolet; dicendo, quod ei aliquid premii nomine pro qualibet causam dedisset; aut forsitan dum pater ejus adviveret per vim aliquid attulisset, de his prepositis causis ostensio dumtaxat fieri non potest; nec non & ipse filius responderit, nequaquam talia scisset, idcirco juratus dicat, quod nec non neglexisset perquirere, nec de ipsis rebus, unde pulsatus est, aliquid signum apud se repperisset.

IV. Nonnulla flagitiorum veteres Jurisperiti, dum fieri posse non crederent, decernere precaventes, posteritati erronea relinquere vestigia. Ad nunc crevescentibus malis, & fieri posse creduntur, & quod dictum nephas est, facta videntur. Actenus religiosorum homicidia, eo quod pote, aut inerme genus, aut in omnibus venerandum haberetur, nullus compositionis, & aperta Lex judicialia calculo claruit. Et si quondam, forsitan, contigisset, aut sub ostensu legalis negligentie, vel oblite rationis obmittebatur, aut certe censorum opinatione, aut illud, ut cuique libitum erant, decernebatur. Ideo sicut omnibus simul equissime placuit, sanccimus, idem precepimus, ut si quis deinceps occiderit Monachum, vel Presbyterum, aut Diaconem, primatum tenentem, componat solidos cc. vel supra, ut Principi patrie placuerit usque trecentos. De ceteris vero personis inferioris gradus, que in Palatio deserviunt, ducentorum solidorum compositio preveniat. De reliquis autem Ecclesiasticis, qui extra Palatium deagunt CL. sicut de Laicis, qui exercitalibus militant armis.

V. Si pater filie non habentis germanum, aut germanus sorori occisi fuerint, ita nobis rationis judicio complacuit; ut sicut in rebus patris, vel germani secundum lege hereditates possessure sunt, ita & occisorum compositiones hereditarie sibimed ipse exigant.

VI. Si liber homo habet uxorem liberam, nichilque proprium possidens, talem culpam perpetraverit, pro qua damnatus questori secundum legem in manu pro servo tradendus fuerit, ipsa uxor maritum tantum custodiant. ille vero, qui eum in servitio acceperit, de marito ejusdem infra septimanam duos dies, sicut propriis servis, quatenus eam posset nutrire. Sin autem minorem culpam penetraverit, unde mox Legis tradendi deest, sub extimatione justissima vir, & conjunx deserviat ei, cui culpatum est usque ad prefinitum tempus. Post constitutionis autem dies liberantur in pristinam libertatem. Et si ipsa uxor tantum culpata fuerit, eisdemque modis, ut de viro superius censuimus, simul de utroque equalitate sententia detur. Ita tamen, ut ejus, qui eos acceperit, disciplinis, & imperii, sicuti servi subjaceat. Si vero infra constitutum supradicti servitii tempus alteram alteri homini ingesserunt culpa, vir, aut conjux imperpetuum servi tradantur, & reus per dies, ut supra sibi concessum, uxorem nutriant. Ipse vero dominus traditi, unde prior servo si contigerit, pro injuria hab eo illa, justitiam querenti persolvant.

VII. Et hoc constituimus, adolescentem ante x. & octo annos etatis non posse solius ori sui manifestationem condemnari.

VIII. Nullus homo habens uxor legitimam, filiis, vel filiabus, qui ex altera inlicita conjuge procreantur, legitima vivente, per quolibet ingenium aliquid donatione facere posse. Maxime dumtaxat, qui de incerto coitu nascuntur, ex nuverca, itidem matrinia, aut previgna, itidem filiastra, vel cognata, que est uxor fratris, aut ex germana uxoris, vel etiam ex consobrina generantur, omni modo prohibemus nullo quolibet, quos

Princeps iste *Arichis* præter summi Dynastæ insignia, nimirum Principis nomen, & coronæ usum, Legis etiam condendæ potestatem, deleto Rege *Langobardorum Desiderio*, videtur usurpasse; & post an. *Chr*. 774. hoc edidisse Capitulare: nostrates enim *Langobardi* etsi in Regno non censebantur, cujus pars *Tuscia* posita dicitur *in longinquo* Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 55. l. 14. Leges servarunt cæteris communes.

* Forte *junctus*, unde litium, sicut bellorum certamina, passim. *conjunctiones* cætera menda tute corriges. Parem omnino Legem de quocumque alterius percussore ad sui defensionem Rex tulerat *Luitpr.* lib. 1. tit. 9. l. 19.

Iis insistit, quæ sancita a Rege fuerant *Rothari* Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 55. l. 9. Ita quidem; namque habetur Leg. *Lang.* lib. 1. tit. 9. l. 27. recentius a *Carolo* edita est Imp.

Confer Legem *Lang.* lib. 1. tit. 9. l. 21.

Legem abrogat descriptam lib. 1. Leg. *Lang.* tit. 9. l. 15.

Qui ex patrato damno, vel crimine debitam, vel privato Fisco ... compositionem, ... vece ... tori ... cumulum solvendo non erant, perpetua, temporaria ... vitute eam compensabant. Lege *Lang.* lib. 1. tit. 25. l. 68. ... tit. 33. l. 4. ... libi ... ex *Judaic* observata Reg. l. 4. c. 4. & Mat. c. 18.

bet argumento, quod contingaverit, vel dici humana versutia potest, his donationem facere posse, qui hoc facinus contraxit.

IX. Si quis liberorum, seu liberti natum ostenderit Preceptum libertatis quondam scriptum ante reversionem Dom. *Gisolfi* de tras *Pado*, & falsum procul dubio apparuerit, propterea si manifestare potuerit illis diebus scriptum fuisse, quos prediximus, in libertate permansisse; ita profecto censemus, ut quodquod ex tali libertate superstites sunt, sive homines, sive mulieres, in pristinam servitutem revertantur. Filii vero, vel filie eorum, qui de genus uxoribus procreati sunt libertatem cum matribus permaneant.

X. Pervenit ad aures sublimitatis nostre, quod quidam hominum versuta calliditate inbuti, propter obligationes, vel debita, que fecerant, propinquioribus parentibus, qui justa Legem heredes eorum futuri sunt, testamentum donationis ammittant, ut questores eorum creditas res facilè perdant, propterea sic namque decernimus, ut primi heredes obligatione, vel debita propinquorum persolvant, dehinc, quod residuum fuerit de rebus eorum, sibimet assumant.

XI. Si quis in silva propria Plaustrum, quod vulgo dicitur *Carrum*, honustum lignis cum bubulis deprehenderit, & fortasse ad domum suam perduxerit: per unumquoque lignum, que imposita sunt Plaustro, his cujus bobes, & veiculum fuerint, novem ligna componat. De plaustro vero, sicut Lex testatur justitiam preveniant.

XII. Satis infamis, & inlicita consuetudo temporibus istis hinnolevit; dum quedam mulierculę defunctis viris, maritalis dominature solute, licentius proprii arbirrii libertatem fruantur. Abitum sanctimonialis in secrete domi suscipiunt, ne vim nuptialem perpatiantur; quippe tuta sibi cuncta fore arbitrantur; si conjugalis dominatui non subiciantur. Sicque fecit, ut sub optentu regionis, denta omni formidine, quicquid animo delectantur, licentius assequantur. Namque deliciis affluunt, commessationibus student, potibis vineis ingurgitantur, lavacra frequentant, & quanto magis assequi possunt, tanto eodem habitu im mollitie, delectationemque vestimentorum habutuntnr. Igitur siquando in plateas processure sunt, facies polliunt, manus candidant, incendunt lividinem, ut vescentibus incendia misceant: sepe etiam formosus videre, atque videri impudentibus appetunt, & ut brebiter dicat, ad omnem lasciviam, voluntatemque animi frena relaxant. Hoc quoque procul dubio luxuriante vite fomite succense, exurunt eas carnis incentiba, adeo ut non solum unius, set quod dicit nefas est, plurimorum prostitutionibus clanculo substernuntur; & nisi uterus intumuerit, non facile comprobatur. Talem itaque pestem execrandam modis omnibus contestantes, instituimus, ut cujuslivet affinitate juncta, innupte, vel vidue velamen sancte religionis induerunt, & intra anni circulum eas quatenus voluerit, vel potuerit in Monasterium trudi dilataverit, propterea si stupri crimine detecte fuerint, componat *Guidrigild* suum in Palatium; Princeps videlicet ejusdem temporis cum ipso *Guidrigild*, rebusque propriis retrudat eas in Monasterium.

XIII. Divine Legis auctoritas communans testatur: *si quis in captivitatem duxerit, in captivitatem vadat.* Hactenus adeo hec patria crudelis limine perviciem perpetitur, ut etiam transmarinis paganitatis gentibus ejus habitatores indifferenter vendant. Propterea presenti judicio sententia damus, ut si quis hominem furtiva arte, vel quolibet modo extra Provinciam vendiderit, sic eum componat, sicut his, qui infra venenundant; ita tamen, ut venditoris persona ultra mare venundetur. Si vero pauperrimus fuerit, nichil habens, unde compositione procedant, quod superest persona ejus, ut supra trans mare venalis vadant.

XIV. Quecumque mulier propria res habens, mortui mariti lectum caste servaverit, & de rebus suis aliquid pro anima sua judicare voluerit, que ejus minime consenserint sicque prospeximus; si duos filios habuerit, tertiam partem de rebus suis disponere liceat; si quidem tres, septimam partem; si quattuor habuerit, nonam: si vero amplius, per hanc numerum ratiocinationem, ut contigerit, sorte dividantur.

XV. Si quis terram, vel mancipium per triginta annorum circulos absque pulsationem possiderit, & certa manifestatio dumtaxat patevit; sic namque censemus, ut quicquid edificii, vel incrementis ex his rebus possessor optinuerit, absque molestationem, & depulsationem, sicut ipsa predicta initia, ulterius possideant.

XVI. Si quispiam rem propriam inspiratus pro anima sua locis venerabilibus decrevit, non reputetur extraneus, vel inimicus parentibus, sicut in lege nefas scriptum est; sed sit sacramentum talis, si opportunitas incumbit; & heredes proximorum modis omnibus habeatur.

XVII. Si quis hominum causa temerario absque permisso Pontificis, vel custodum Ecclesiasticorum, mortuum in Basilica sepelierit, hac ratione perpendimus, componat solidos quatraginta ejusdem venerabili loci Rectoribus; de sepulto quidem supradictis personis, ut libet, conveniatur.

Explicit Capitulare Domini *Aregis*.

CAPITULARE ADELCHIS PRINCIPIS BENEVENTI.

Index Capitulorum.

Incipit Cap. Dom. *Adelchis* Princ.

Langobardi habuere aliarum etiam legum auctores. De his loquitur Lex *Lang* lib. 2. tit. 8. l. 3. & 6. nam alii naturales adibant patris hæreditatem; ut lib. 2. tit. 14. lib. 2. Ad servitutem revocat manumissos per impans, ut loquitur Lex *Lang.* lib. 2. tit. 34. l. 1. hoc est per votum illegitimi Ducis *Godescalchi* illius *Gisulfi* 2. antecessoris de quo sup. col. 194. seq. & *Paulus Diac.* lib. 6. cap. 17. sive 57. Lex testatur *Langob.* lib. 1. tit. 23. l. 1. *qui currum &c. ad propriam domum suam duxerit, non sit culpabilis, &c.* Has permiserat Rex *Luitpr.* Leg.

Lang. lib. 2. tit 37. l. 1. quarum malitia tunc latebat. Apocalyp. cap 13. Confer Capitul. Pr. *Sicardi* N. 3. & 4. hancque inhumanam mercaturam non tantum nostratibus usu receptam, vide in *Erchemp.* n. 81. & *Anast. Bibl.* pag. 113. Eandem in hac lege servat proportionem mater ad filios, quam in Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 14. l. 2. filii naturales ad legitimos. In Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 35. l. 5. idem cautum, sed nil de incrementis ibi, quia certe nil opus. In Basilica ne duntaxat, quod communiter tunc vetitum: an etiam in ejus Atrio, & Cœmiterio, in quo frequentius humabantur.

Sedit *Adelchis* ab an. 854. & 878. De quo *Erchempertus*, a N. 20. usque ad 39. Non de solo *Morgin.* cap. quod sonat *Matutina donum*, estque idem, ac *quarta*; sed de *octava* etiam loquitur hoc capitulare infra N. 3.

Tales conjuges Palatio sub quadam conditione adjudicavit Rex *Luitp.* Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 9. l. 1. quos postea *Lotharius* lege 4. ibid. ad anteriorem dominum reverti jussit. Idem nunc statuit Prin. *Adelchis.*

CAPITULARE.

A Si cujuscumque servus liberam uxorem tollere, qui ad Palatium justa Legem pertinebat, utique pessima extitit consuetudo, ut eas personas quisquis vellet expeteret, a modo autem, & deinceps statuimus, ut tanta perversitas nullum habeat locum; sed ipse solummodo eos habeat semper, cujus primum ille fuerat servus, etiamsi illos ad Palatium nunquam repetant. Nam potest fieri, ut ipsum solum habeat dominus suus, quem si hac occasione amiserit, efficietur pauperrimus. Sed si unum, sive plures B habuerit famulos, & in uno quolibet eorum istud occiderit, dominus suus, uti decretum est, eum cum illam, quam sibi eam uxorem tulerit, possideat perpetim cum filiis eorum. Et si quis temerarius eos ad Palatio petere deinceps presumpserit; petitio illius causa permaneant.

II. Si quis a quocumque fuerit plagatus, & plagam Judex presentaliter factam aspexerit, & adversarius illam ei egisse negaverit; preveat sacramentum plagatus, quod certius ipse, super quem proclamavit, illam ei fecerit, quam ostenderit plagam; postea vero improbus persolvat illi justa Edicti tenore justitiam absque tergiversatione aliqua.

De *quarta* sive *Morgincap.* aperte Lex. *Lang.* lib. 2. tit. 4. l. 1. Sed nusquam de *octava*: nisi ea sit *Methium*, alias *Meta.* quæ tamen non est *octava* ibid. l. 2. Minimè Legem reprehendit, vel cassat, latam a

C III. Si clarum, manifestumque fuerit qualibet feminam consuetudo, & legaliter habuisset maritum, & quartam, seu octabam habuisset hab eo sibi factam, eamque perturbatione temporis perdidisse quomodocumque: Vel si etiam, ut accidere solens multotiens, quartam eandem, vel octaba non fuerit scripta, propinquis mariti, vel quilibet aliter eandem quartam, vel octaba eidem mulieri rite competentem contrare minime presumat. De quibus si ulterius altercationem D quisquam proposuerit ejus, querellam nullum optineat fructum; quoniam iniquum, & reprehensibilem videtur, ut quod omnes de suis retinent viris, aliquante mulieres pro injuria, vel aliqua accidentia ammittunt.

IV. Si quis se testem in quocumque munimine propriis manibus subscripserit de rebus, quibus forsitan facto ad se pertinentibus; statuimus, ut postea nullo modo inde valeat movere causationem; devet enim sollicite perquirere, & sciret, quod sit illut, ubi rogatur subscribere.

E V. Si quis rem suam obligaverit cuicumque & denuo illam alteri vendiderit, & emptor ipsam ante faciem, cui obligata fuerit prius anno uno

A expletos possederit, postea exinde nullam controversiam his, qui eam obligata habuit, valeat movere; quoniam neglectui ejus rite deputabitur, quod emptorem infra tot spatium exinde appellare contempsit, & quod ab illo obligatore nullam prius acceperit firmitatem; quoniam justum videtur, ut magis his, qui illud pretium dedit, eandem rem possideat, quam ille solam obligatione retinent.

VI. Si quis juraverit, & cognitum fuerit certius Judici, quod perjurasset, aut famam habuerit perjurandi; si calumniator intentionem proposuerit, quod tunc perjurasset fallaciter, & B postea ipse, qui juravit, persolvat ei justitiam, si ceciderit, juxta Edicti tenorem.

VII. Si quis casam, vel quacumque rem aliquis per munimen habuerit, & illud munimen per ignem, aut depredationem postea amiserit, & causator quicumque dixerit, quoniam eandem casa, vel res, quam possidet, ei debeat pertinere, legaliter preveat sacramentum idem possessor cum parentibus, quod de eandem rem, vel casa veracem habuisset munimina, sed ea per igne, aut a zalatione, seu depredationem perdidisset. Si vero his, qui querella movit, prius elegerit ille velle per pugnam approbare, solus juret, & C qui ipsam tenuerit, quecumque fuerit res, & sic ad pugna pergatur; etenim considerandum est, & veraciter credendum, fieri potuisse, ut multis ut muniminis, vel ut dictum est, amiserint, & ammittant, dum & oppida, & ville plurime a Paganis cremate sunt, & nostris ex gentibus meritis sepius cremantur, & disperduntur. Ideoque iniquum videtur, ut talibus accidentius amisso munimine aliquis it perdat, si munimen inde non ostenderit, quod jure ei competit has abere.

D VIII. Inconveniens usque modo consuetudo exitit, ut jam quisquis voluisset, si nosse scribere, Brevem undecumque oportunitas exegisset. A modo autem decernimus, ut soli Notarii Brevem scribant, sicut & cetera munimina. Et quiscumque deinceps Brebis fuerint absque Notarii subscriptionem ostensus, nullam retineat firmitatem; quoniam multos ex illis deprehendimus fuisse falsos, quod, Deo opitulante, cupimus, ut ulterius non fiat.

E FINIS Capitularis *Adelchis* Principis *Beneventi.*

Rege *Luitpr.* Leg. *Lang.* lib. 2 tit. 2. l. 5. quæ est *octava de puellis sine parentum vo untate nuptis.* *Lotharius* hoc ipsum constituit Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 19. l. unica. In hoc Capitulari, sicut etiam alibi, nomine *Edicti* veniunt Leges Regum *Lang.* Lex autem nunc denotata habetur lib. 2. tit. 51. l. 1. & tit. 58. l. 1. *Saracenos*, dicit, omnem tunc *Cis-Tyberinam Italiam* dirè vastantes; quo etiam nomine eos appellat *Erch.* N. 16. & *Joannes* Papa 8. in Epistolis sæpe.

DE PACTO
ARICHIS PRINC. BENEVENTI. &c.

Principis Arichis *hoc minimè denotabat* Pactum *sua in Histor.* Erchempertus *Arichi* tunc sane obses datus a *Neapolitanis* etiam est *Cæsarius* Consul,

NON *de hoc, sed de novissimo omnium Pacto, quæ* Arichis *Princeps* Beneventi *unquam iniit cum* Neapolitanis, *locutus certe est* Erchempertus *Num* 2. *inquiens*, misericordiæ vice distributa *eis fuisse a præfato Principe* diaria in *Liburia*, *& Cemiterio, quo tempore* Carolus *Magnus post subjugatum, captumque Regem* Italiæ Desiderium *in anno* Christi 774 stipatus innumerabili exercituum agmine, crebrius *Beneventum* adiit capessendum; *nulla enim de elargitis diariis, nec de* Cemiterio (*de agro nimirum* Nolano, *quippe celebriori eo vocabulo appellabatur tunc* Nola) *fit hic mentio: sed de Legibus ab* Neapolitanis, *atque a* Campanis *potissimum invicem observandis: deque una tantum* Liburia, *præclaro & ipso campo frumentario, ac vitifero in* Campania *post* Clanium *amnem ad Meridiem*, Nolano *ab Oriente conjuncto. Et sanè* Arichim *nec semel, nec una forma cum* Neapolitanis *fœdere junxisse, hinc fit manifestum; quod iis* per Præceptum, *ut hic dicitur, antehac concessisset, quæ sibi ab* Neapolitanis *metipsis permissa aliquantò prius fuerant. Sed præterea Pactum ab* Erchemperto *memoratum haud ex ejusdem Auctoris dicto irritum fuisse apparet; sicuti palam de hoc nostro compilator* Cavensis

vensis *exemplaris, importuno quamvis loco, est testatus. Veruntamen* Campanos Langobardos, *quorum occasione, & armis præter innatam dominandi, promovendorumque finium libidinem, tum* Arichis, *tum quisque* Beneventi *Dynasta quamfrequentissimo bello, ut iterum observabam col.* 48. Neapolitanos *exercuerunt, aliquando tandem absimili non admodum fœdere strenuis adeo æmulis firmiter post hæc concordâsse, ex Pacto discere clarè est, initio post annos fermè* 150 *ab* Gregorio *Duce* Neapolis *cum* Beneventi *Principibus* Landulfo 1. & Atenulfo 2. *quod diutius stetit; renovatumque cum fuisset ab ejus nepote*, Neapolis *similiter Duce* Joanne, *vim, & nomen* Consuetudinis, *quod scriptus præfert Codex, ex diuturniori illo usu videtur obtinuisse. Cæterum ne Librarium offendisse puta, quòd ipsum inscripserit initum ab* Arichi, *non cum* Duce, *sed cum* Judice Neapolitanorum; *namque &* Judices, *juxta hujus nominis multiplicem usurpationem, de qua pluribus nunc non dicam, aliquando etiam appellatos, qui* Neapolis *Duces erant, ex manu descriptis S.* Athanasii *ejusdem urbis Episcopi Actis, quæ* Baronius *quoque recitat ad an.* 872. *num.* 10. *satis modò erit aperire.* Hæc dum ad *Hadriani* Papæ notitiam devenissent, direxit unam Epistolam antefato Judici (*sic Acta, quæ* Sergium *prædixerant Ducem*) & aliam clero *Neapolitano. &c. Idemque ex* Joannis *Papæ* 8 *liquet epist.* 67. *qua* Neapolitani *commendantur, quòd abjecto eodem impio* Sergio *olim Duce, ac Magistro Militum, pastorem, & Episcopum Athanasium* habere Judicem elegissent. *Nolim tamen (Parergi loco ut hoc addam) Judices, Ducesque* Neapolis *cum alio ibidem observato olim Magistratu confundas; qui S.* Gregorio *M. l.* 7. *Ind.* 2. *ep.* 108. *dicitur* Major populi: *eoque idem Divus functum prodit quendam* Theodorum, *alias* Theodoricum, *ut habet l.* 8. *Ind.* 3. *ep.* 24. *cum Dux esset* Maurentius. *Etsi* Cedrenus *p.* 433. *tradat, consimili ferè vocabulo nuncupatum, qui* Chersonæ, *urbis ad* Mæotidem *Paludem, indigena, suprema eam curare consueverat potestate, priusquam* Theophilus Græcus *Imp. suos illuc Præfectos transmittere instituisset.* Joannes Boccacius *sanè, quem* Paulus Benius *parum benè capit, nec justè carpit, ex prisco hujus nominis usu in Fabella inscripta*: Theodorus, & Violantes, *de prædivite Patritio viro loquens, qui industrium valde servum impensè diligebat, ait*: Et supra i suoi fatti il fece Maggiore. *Nempe ut intelligendum hinc sit*, Majorem Populi *apud* Neapolitanos *non summo imperio, sed juxta demandatam sibi, definitamque potestatem res publicas administrasse; cujus præter cætera, munus fuisse vectigalia, reditusque curare non negabis: modò ejusdem D.* Gregorii *ritè expendas epistolam septuagesimam præfati libri septimi, ubi de superius dicto* Theodoro; *qui* Vectano *pauperi, sed nobili viro, annuas per biennium viginti urnas vini de Insula* Prochyta, Neapolitanæ *utique urbi tunc subdita, misericordiæ intuitu donaverat. Talis autem* Major Populi *nonnihil diversus ab eo censendus est, qui Latinè* Loci Servator: *Græcè.* Τοποτηρητὴς: *hoc est: Vicarius, sive Locumtenens dicebatur, ut alibi pluribus; quo nomine in antiqua chartula de anno* 47. Imp. *Constantini*, & 10. *Romani* ejus filii, die 2. mensis ..... 2. Indict. data *Neapoli: nempe anno* Christi 958. *sive* 959. *indigitatum quendam reperiri* Gregorium, *fil. quondam bonæ recordationis Domini* Joannis *gloriosi Ducis; ibique subscripsisse hac forma*: Ego *Gregorius* Loci Servator subscripsi. *Estque fortassis idem ille Domini* Joannis *filius, in Pacto a patre ejus inito cum Princ.* Landulfo 1. *subnotatus; advixisse enim Ducem illum ad annum col.* 92. *seq.* (*nescio an etiam ulterius*) *ex ejus Diplomate disco apud* Latinam *Historiam* Neapolitanam *Capacii.* col. 92. *in quo Indictio, quæ tunc censebatur decima, depravate notata habetur* septima.

de quo infra in ejus Tumulo. *Quod* Neapolitani *nec tunc servarunt Sed multo post cum aliis inierunt, firmiusque coluerunt Principibus* Beneventi. *Quorum Duces non nemini dicti etiam, ut hic sunt.* Judices. *Majoris sanè dignitatis nomen quam Magistratus, qui apud eos appellatus.* Major Populi.

Sive qui dictus Loci Servator.

PACTUM

ARICHIS PRINCIPIS BENEVENTI

Cum Judice Neapolitanorum *de campo* Leburiæ, *&c.*

Item Consuetudo Leburie, *& Pactum.*

INcipit Pactum, quod constituit Domnus *Arechisi* gloriosus Princeps cum Judex *Neapolitanorum* de servis, & ancillis, & de terris, & de *Legurias*, & de Tertiatoribus, que communes est inter partes.

In primis de *Liguria*, ut quantum *Neapolitani* per XX. annos usque modo in dominicatu tenuerunt, nec censum inde in partes *Langobardorum* persolverunt; securiter possideant. Similiter *Langobardi* quantum per XX. annos usque modo in dominicatu tenuerunt, nec censum iisdem in partes *Neapolitanorum* persolverunt, securiter possideant. Alia vero omnia fundora fundata, sive exfundatas, homines, & terras, quibus solidi non sunt dati; dividimus per medium. Terras autem, in quibus solidi dati sunt, per scripta firmantes ipsas cartas inter partes per sacramenta cum tribus personis intus domum suam si voluerimus ipsas terras inter partes recolligere, licentiam habeant *Neapolitani* reddere medium ex ipsi solid; & *Langobardi* similiter, & dividere ipsas terras per medietatem. Sin autem, dividantur in tres partes: unam partem tollant *Langobardi*; aliam *Neapolitani*, & aliam qui ipsos solidos datos habent; facientes inter utrasque partes talem firmatione in scriptis, ut a tunc securiter *Langobardi* tertiam partem, & *Neapolitani* tertiam, & ipsi homines, qui ipsos solidos habent, tertiam partem securiter possideant. Et fundora, vel terras, que in partes *Langobardorum* venerint in sortem, nullo modo ipsi homines, qui habitant in ipsa fundora, possint infiduciare, vel vendere, aut per qualecunque argumentum alienare in parte *Neapolitanorum*: & si factum fuerit, ipsos solidos pereant, & ipsas res revertetur in parte *Langobardorum*. Similiter & parte *Neapolitanorum* perficiatur. Exceptuamus ex his omnia fundora

Ex Communi vero jure *Langobardorum* lib. 2. tit. 35. l. 3. & seqq. admittebatur Præscriptio

post annos 30.

dora de *Liburias*, qui pertinet ad ipſum * Principatum *Capuanum* fundata, & exfundata; & homines, & terras, que vobis per Capitularem dedimus, que vos nobis aliquandiu relaxaſtis. Et omnia, que in parte * *Langobardorum* venerint, per nullum modum, aut per qualecumque ingenium querant habere dominationem *Langobardi*. Et terras, ſeu ſervos, quos *Langobardi* diviſos habent cum *Neapolitanis* per ſcripta, vel quocumque modo definitum habent inter ſe, ſi comprehenſerit qualiſcumque *Neapolitan.* exinde ſervum ad partem *Langobardorum*, componat ſol. C. Et ſi alias qualeſcumque res exinde pigneraverit, componat de una cauſa novem: ſimiliter & a parte *Langobardorum* perficiat.

Quando inſtitutum fuit facto a Dom. Arechis *Glorioſiſſimo primo Princeps* Langobardorum *cum partem de* Neapolim, *& firmatum eſt qualiter inter partes eſſe deberent de terris in* Liburia, *de ſervis, & de ancillis, & de Tertiatoribus, & de omnibus cauſis, transgreſſi ſunt* Neapolitani *ipſum Pactum, & noluerunt de omnibus predictis rebus vivere ſecundum Pacti tinorem, nullo modo conſenſimus ei illud.*

Si quis *Langobardus* habet comparatas terras in *Liburia*, & cauſas emptionis exinde oſtenderit, & pars *Neapolitanorum* intentionem inde miſerit, jurent a parte *Langobardorum* tres homines de ſex hominibus, quales pars *Neapolitanorum* queſierint, dicentes per ſacramentum. *Quia iſta cauſæ veraces ſunt.* Et deinde pars *Langobardorum* retineat ſibi duas ſortes de hiſdem terris; unam pars *Langobardorum*, aliam pro ipſis ſolidis datis; tertiam vero partem conſentit inde habere partem *Neapolitanorum** cauſas oſtenſerit, quas ei quiſcumque homo feciſſet de terris in *Liburia*; ſi audet prior de *Capua* facere jurare tres homines de ſex, quales pars de *Neapolim* queſierit, dicente per ſacramentum: *Quia iſte terre, quas emptas habere dicitis, de illis hominibus fuerunt, qui cenſum reddiderunt in* Capua. *Et ſic eos habuerunt Comitatus* Capuanus, *ſicut alios Maſſarios de* Liburias *abberentur*, * ipſe cartule a tribus hominibus de ſex quales pars de *Capua* queſierit. & ſi noluerit pars de *Capua* reddere medietatem de ipſi ſolidi, quas ipſe cartule continunt, dividantur ipſe terre per medietatem, & ſi noluerit reddere medietatem de ipſi ſol, dividantur ipſe terre in tertiam partem. unam partem tollat exinde pars de *Neapolim* pro ipſa hoſpitatica, & aliam pro ipſi ſolidi tertiam partem tollat exinde pars de *Capua*.

Si horta fuerit intentio de fundis exfundanis, & dixerit una pars, quia iſta fundora de talibus Tertiatoribus fuerunt: & alia pars dixerit, quia non fuerunt de his Tertiatoriis, quos dicitis; ſed de iſtis fuerunt, quos nos dicimus, non ſit inde ſacramentum, ut una quelibet pars in perjurium exinde incurrat. Inquiratur diligenter ad qualia hoſpitatica fuerunt pertinentia antiquitus, & tunc ſine ſacramentum. & perjurio poterit inde eſſe finis.

Si cenſiles homo de *Liburia* patitur oppreſſiones a parte de *Neapolim*, & nolue exfundare ſe de ipſo fundo, ponit poſt Regiam domus ſue ipſum fuſtem, ſicut antiqua fuit conſuetudo, & vadit ubi voluerit. Si autem pars de *Neapolim* cum parte *Langobardorum* potuerit revocare ipſum Tertiatorem in ipſum fundum, & fundare illum ibi, poteſtatem habeant, & ſerviat ambobus partes, ſicut antea ſervivit. Et ſi aliunde voluerit ibi hominem fundare, poteſtatem habeant. Et ſi hoc facere non potuerint, aut non voluerint, dividant inter ſe fundum, & terris ipſius.

Si *Liburianus* ſerbus de *Longobardis* mortuus fuerit, habeat ipſe *Langobardus* in poteſtate ſua omnes res illius.

Alto ſomno tenebatur priſcus iſte ſed nimis ignavus Librarius; qui ex ſui temporis uſu *Principatum* hic ſuppoſuit pro *Comitatum*. Nam longè poſt Princ. *Arichim* cœpit audiri nomen Principatus *Capuæ*, de quo vide ſup. col. 120. & col. prox. ſeq. Attentius autem, infr. nomen retinuit *Comitatus*. Sed per ſummam quoque oſcitantiam vocabulum, quod aſteriſco notavi. *Langobardorum*. videtur ſubſtituiſſe pro *Neapolitanorum*. Legum *Langobardorum*. lib. 2. tit. 55. l. 5. exponitur modus, quo partiarii hi adhibendi erant teſtes. Mutila credidi loca, quæ notavi aſteriſcis. *Cenſilis* qui cenſum ſolvit, idem ac *Tertiatorum*. Qui verò ſubducebant ſe de aliquo Municipio, vel Pago, in

De ſervis communibus ita fiat. Si exierit de ipſo fundo ſervus ipſe, & intentio de eo horta fuerit, ut ipſe *Langobardus* eum inde mobuiſſet, aut ad manum eum apprehendiſſet; ſi non audet jurare ipſe *Langobardus*, quod ille eum de ipſo fundo non mobuiſſet, aut ad manum eum non apprehendiſſet, inveniat illum, & revocet eum in ipſo fundo. Alia talem faciat ipſe *Neapolitanus* ad ipſum *Langobardum*, ſi eum inde queſierit. Nam ſua voluntate, ſine conſilio de ipſo *Langobardo*, aut de ipſo *Neapolitano* motus fuerit ipſe ſervus de ipſo fundo, & vadit in terram aliam; tunc dividant ipſe *Langobardus* & ipſe *Neapolitanus* ipſum fundum per medietatem cum omnibus pertinentibus de eodem fundo. Tamen quandocumque extra dominationem de *Neapolim* invenerit ipſe *Langobardus* eundem ſervum, apprehendat eum, & habeat eum ſue poteſtatis, ſicut ſuum proprium.

FINIS Pacti *Arichis* Princ. BENEV. cum *Neapolitanis*.

PACTUM

A GREGORIO DUCE NEAPOLIS

In Indict. XIV. hoc eſt anno Chriſti DCCCCXI. *Et a Duce* Joanne *ejus Nepote non ante annum* DCCCCXXXIII. *rurſus initum cum Principibus* Beneventi Landulfo *I. &c.*

Repromittimus, & juramus, & jurare faciemus Nos [1] *Johannes* Conſul, & Dux vobis Dom. *Landolfo*, & Dom. *Atenolfo*, ſeu & Dom. [2] *Atenolfo* Principibus, filiis, & nepos Dom. *Atenolfi* Principis quia a modo, & ſemper ſumus, & erimus vobis veri amici, abſque omni mala deceptione, & abſque omni dolo, & fallacia, & malo ingenio; & nulla contrarietatem, aut inimicitiam faciemus vobis in toto Principatu veſtro *Beneventano* cum omnibus ſuis pertinentiis; nec in toto [3] Comitatu *Capuano*; nec in *Teano* cum pertinentiis ſuis, nec in hominibus veſtris, nec vos, nec homines noſtris per noſtram voluntatem, nec per qualecumque ſubmiſſionem noſtram; & ſi factum fuerit abſque noſtra voluntatem, judicavimus vobis exinde ſecundum Legem *Romanorum*, aut *Langobardorum* abſque malitioſa occaſione.

De *Sarracenis* autem hoc vobis promittimus, quia ſic per omnia, & in omnibus pleno animo vos, & terram veſtram contra eos adjuvavimus, ubi neceſſarium fuerit tamquam noſmed ipſos, & terram noſtram.

De *Liburias* autem hoc vobis promittimus; ut terras, ſervos, & ancillas, ſeu fundora per conceſſiones habetis vos, & homines veſtris in *Liburias* a ſingulis Ducibus *Neapolitanorum*, que poſſidetis temporibus Dom. [4] *Landenolfi* patrui veſtri, & Domni [5] *Sergi* abii veſtri. Si parte noſtra *Neapolitanorum* exinde requiſitionis habueritis intentionem vos, aut homines veſtris, ſi auſi fueritis inde jurare, jurent a parte veſtra *Langobardorum* ſex homines veſtris quales nos voluerimus ad Sancta Dei Euangelia, dicentes: *Quia iſte ceſſiones, que oſtendimus, veraces ſunt.* Et tunc fiat vobis a parte noſtra firmitatis ſcriptio, exinde ut amplius non ſit vobis requiſitionis cauſatio de ipſis rebus, & ſervis, & ancillis, quos, &

dum fuerat: quod conjectabam ſup. col. 120. & ſeqq. [4] *Landenulfo* in Face dixi ad *Erchempertum* n. 15. [5] Nempe *Neapolis*. Cujus filiam cum hinc conſtet in uxorem ductam

alias ſedes migraturi Portam domus (id namque valet to *Regiam*) polita, immiſſaque poſt eam fuſte, ſeu baculo, ne ſtatim de fuga appareret, cautè obſervabant. Sed vide num a citæ ex *feſtucationis*, & *exfundationis* hic lateat priſcus ritus. Sequens Pactum antecedenti ſubjungitur in exemplari nulla prorſus Epigraphe, nec nota præfixa diſtinctionis. [1] De hoc Duce *Oſtienſis* l. 1. c. 55. & M.SS. Acta Sancti *Agrippini*. [2] *Atenulfus* iſte a patre aſſumptus eſt in collegam, & ſucceſſorem Principatus an. 933. poſtquam *Atenulfus* ejus Patruus e Principatu fuerat depulſus. Vide ſup. col. 195. Igitur non antea renovatum hoc fuit Pactum a Duce *Joanne*. [3] *Capua* itaque Principatus inſtitutus & non- [4] De hoc Ducis ab ho-

& quas prædicti continunt cessiones a partibus nostris *Neapolitanorum*, & liceat vos eas habere securiter. Et que per causas emptionis, seu convenientie, vel divisionis habetis, & homines vestris a partibus nostris *Neapolitanorum*, si a parte nostra *Neapolitanorum* exinde requisitionis intentionem habueritis vos, & homines vestris, si ausi fueritis inde jurare, jurent a parte vestra *Langobardorum* tres homines vestris de sex hominibus, quales nos vobis querimus, ad Sancta Euangelia, dicentes: *Quia iste cartule, que ostendimus, veraces sunt, & ipsas terras, quas iste cartule continunt, possidemus eas.* Et tunc fiat vobis exinde a parte nostra firmitatis scriptio de cunctis rebus illius, que prædicte emptionis, seu convenientie, vel divisiones continent, & possideatis eas securiter.

De omnibus vero aliis causis, unde intentionem habueritis vos, aut homines vestri nobiscum, aut cum nostris hominibus, judicavimus vobis exinde absque omni dilatione secundum Legem *Romanorum* aut *Langobardorum* absque omni malitiosa occasionem. Si vero vestris hominibus intentionem habuerint cum nostris hominibus *Neapolitani*, aut aliis hominibus nostris de terris in *Liburias*, quam comparatas habent, ostendentes eis homines nostris cartulas, quomodo comparatas habent eandem terras a *Langobardis*, & auctor paruerit, si manifestatum fuerint, & venditio ipsa vera sit, & venditor ille juxta textum cartule defendere potuerit, pars nostra habeat terram illam. Et si defendere non potuerit secundum ipsa carta, aut non voluerit, & negaverit, quod ipse eam non fecisset, & pars nostra terras illas possederit [6] a triginta autem sol. insuper, juret pars nostra cum sex hominibus, quales vos volueritis, ad Sancta Dei Euangelia, dicentes: *Ut causa ipsa verax sit.* A triginta vero sol. in subtus jurent tres, quale vos quesieritis, & destringat parte vestra nobis illum venditorem juxta textum ipsius cartule. Nos vero omnem compositionem, & legem, & justitiam, que parti nostre facere debet auctor ille, donamus omnia ea parti vestri *Langobardorum* per [7] *Launegilt* receptum a vobis exiguum; & faciendum omnia exinde, que volueritis: & auctor ille defendat parti nostre terram illam absque omni requisitione. Et si pars nostra terras illas possederit per ipsa causas, & auctores non paruerit, & aliquid nos a parte vestra exinde quesierint, comberemus parti vestre causa ipsa cum sex hominibus nostris, quales vos nobis quesieritis; & ipsas terras habeamus absque omni intentione. Hec autem omnia superscripta qualiter continent in quantum exinde apparuerit per omnia ita vobis observabimus, & ita vobiscum in antea sedebimus, sicuti sedit Dominus [8] *Gregorius* abius meus vobiscum, ex quo cum illa suprascriptum Capitularium fecistis a secundo die mensis *Julii* Indic. [9] XIV. usque in obitum ejus, unde solummodo nomina mutabimus. Hec omnia vobis observabimus, salva fidelitate sanctorum [10] Imperatorum.

Dom. *Johannes* Consul, & Dux *Gregorius* thius ejus *Landolfus*. *Gregorius* fil. dom. *Johannis*. *Sergius* fil. dom. *Aligerni*. *Aligernus*. *Johannes*. *Cesarius*. *Johannes*. *Sergius*. *Gregorius*. *Gregorius*. *Johannes*. *Gregorius*. *Sergius*. *Petrus Aligernus*.

...rum Principum patre *Atenulfo* I. ipse viderit Anonymus *Salernit.* quo pacto præsens *Landulfus* I. potuerit conjugem habere *Gemmam*, filiam *Athanasii* Episc. *Neap.* fratris antedicti *Sergii*. Primum sanè *Atenulfum* nil prohibet censere bigamum, quod ex his & ex dictis in Stemmate Principum satis liquet.

[6] *Rotharis.* Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 55. l. 5. statuerat duodecim, &c.

[7] Ex Leg. *Lang.* lib. 2. tit. 1. 15. l. 6. irritæ erant donationes, factæ absque Launegild. id est reciproco dono.

[8] De hoc *Gregorio* *Ost.* l. 1. c. 49. & 52.

[9] Nempe an. 911. ac sequenti ab obitu *Atenulfi* Primi, cum e *Constantinopoli* rediisset *Landulfus* I. ejus filius. Quo tempore Dynastæ cis Tyberim omnes in *Saracenos* coivere. Vide *Luitprand.* l. 2. c. 12. & seqq. *Ost.* lib. 1. c. 51.

[10] *Constantini*, & *Romani*. Quibus præfati etiam Principes tunc obtemperabant, ut dixi ad *Lupum* an. 929.

FINIS Pacti a *Gregorio* Duce *Neapolis*.

H*Actenus isthæc Opuscula e M. S. excepta Cod.* Cavensi. *Quibus non incongruè* Neapolitanorum *quoque Ducum* Cæsarii, *&* Boni *subjiciam Tumulos: eorundem quòd tum fœdera cum* Langobardis, *tum etiam bella exponant.*

TUMULUS

CÆSARII CONSULIS *NEAPOLIS*;

E venerandæ antiquitatis, memorandique operis Cœmeterio D. *Januarii* extra mœnia ejusdem urbis incerto casu *Salernum* translatus, ubi nunc prostat in Ecclesia MINORUM CONVENT.

CÆsarius *Consul* [1] *teneris sublatus in annis*
Hic recubat moriens, væ tibi Parthenope.
Æternum medio gestas in pectore vulnus,
Militibus periit murus, & arma tuis.
Et mea, qui hunc genui, vos vulnera flete parentes,
Qui sobolum cupitis tam bene sorte frui.
Sors mea deterior dulcis in funere nati,
Cujus flamma meum pectus ubique cremat.
Aptus erat cunctis verbo, probus in actu;
Consilio sollers, fortis ad arma simul.
Rex [2] Romæ *precelsa novæ, quo sceptra reguntur,*
Prætulit hunc nostra civibus urbe suis.
Istius auxilio longeva paterna senectus
Tuta regebatur, jamque quietus eram.
Virtus, ingenium, pietas, patientia summa,
Væ cui cum genito tot periere bona.
Sic blandus Bardis *eras, ut fœdera* [3] Grais
Servares sapiens inviolata tamen.
Consul, [4] *post Præsul genitor monumenta parabi,*
Cui fuerat cure condere membra patris.
O mihi non prolis tantum, sed [5] *collega fidus,*
Cui tantos linquis, quos tuus auxit amor.
Nutritus [6] *obses* Arichis *moderamine sancti*
Salvasti patriam permemorande tuam.
Sex, [7] *quater, & binos hic jam transcenderat annos,*
Cum flamen Christo *reddidit æthre suum.*
Vita senis tenuis post nati funus acervum
Post illum paucis credo diebus eam
Lux te præcedat Christi, *Karissime fili,*
Sancte Januari, *quod peto, posce Deum.*
Depositus est XII. Kal. Oct. Imperatore novo *Constantino*, & *Hereni* Aug. anno XIV. [8] Ind. XII.

Consulem tantùm inscripsi, quoniam pater ejus in hoc Tumulo, ipseque palam, & in Acrostichis sic est dictus.

[1] Etsi non minor an. 26. adhuc tamen puer vide sup. col. 4.

[2] Rex novæ *Romæ* *Cæsarium* prætulit suis civibus, qui *Constantinopoli* mitti olim consueverant ad regendum Ducatum; ut apud D. *Greg. M.* l. 2. Ind. 10, ep. 32. *Constant Porph.* de Adm. Imp. c. 27. & alios, illumque patris Collegam instituit, & successorem. Tumuli verò auctor, nescio metrone coactus, an quod discrimen vocabuli tunc non attenderetur, Regem dixit, quem recentiores *Græci* nisi Imperatorem non appellassent.

[3] Quin ipsemet *Arichis* sub vitæ finem in an. 787. adhæserat *Græcis*, & in *Carolum* Mag. conspiraverat, postquam ab eo subactus fuerat: illorumque Missos uxor ejus ineunte an. 788. suscepit, quos *Stephanus* hujus *Cæsarii* pater *Neapolim* duxit solemni pompa, eadem cum iis consilia, sed re infecta, aliquandiu meditatus. Vide ep. 64. 88. & 92. Papæ *Hadriani* ad *Carolum* Magnum.

[4] Præmortua nimirum uxore, ut tradit *Jo.* Diac. *Neap.* & ante an. 768; quod ex *Anast. Bibl.* liquet in *Steph.* 3.

[5] Nam pater etsi Episcopus curam non dimiserat Ducatus.

[6] Diutius itaque mansit apud *Arichim* *Cæsarius*, cui datus est obses, ut puto, post an. 774, quando fœdera inter eos fuere diuturniora, ipseque *Arichis* concessit *diaria*. &c. ut in *Erchemperto* n. 2. Sed & *dona obtulit in Ecclesia S.* Januarii, quod perhibet *Joannes* Diac. *Neap.* in Chronico. Bella enim, de quibus Papa *Hadrianus* ep. 66. ad *Carolum* Magnum si ad proximè subsequutos annos sint revocanda, statim sedata fuisse videntur.

[7] Nempè an. 26. quod patet ex adnotatis ad num. 4. non autem, ut alii edidere: *Sex quater, & binos*: id est 12. Et sanè puero duodecenni hæc competere non possunt laudes.

[8] Anno, & mense ferè decurso ab obitu Pr. *Arichis*, *Christi* scilicet 788.

TUMULUS

BONI CONSULIS ET DUCIS *NEAPOLIS*;

Exstat in occidentali latere Ecclesiæ *S. Mariæ* nuncupatæ *à Piazza*, in regione *Furcillensi* ejusdem urbis.

BArdorum *bella invida hinc inde* [1] *vetusta*
Ad lacrimas, Parthenope, *cogit sæpe tuos.*
Ortus, & Occasus norit, quo Sico *regnavit,*
Suadendo populos munera multa dabat.

Hujus titulos retinui in Acrostichis demonstratos.

[1] Vetusta sanè, & lachrymosa; quippe Lan-

Nam

gobardi nunquam *Neapolim* obtinuere, & ad *Boni* Ducis ætatem perpetuis an. 200. & eò amplius illam bellis acriter exercuerant.

Nam mox hic recubans ut Principato refulsit,
Eosque perdomuit bellis, triumphis subdit.
Ut reor affatim, nullusque referre disertus
Enumerando viri facta decora potest.
Sic ubi Bardos *agnobit edificasse Castellis*
Acerre, Atelle [2] *diruit, custodesque fugavit.*
Concussa loca Sarnensis, *incenditur* Furclas
Cuncta letus depredans cum suis regreditur urbem.
Omnibus exclusis isto tantum retinebit antro,
Metium, [3] *& annum brebe Ducatu gerens.*
Nam moriente eo, tellus magno concussa dolore,
Inde, vel inde pauper luxit, & ipse senex.
Sibi o quam duris uxor cedit pectora palmis,
Subtili clamitans voce mori parata satis.
A *Ululatu potius communia damna gementes,*
Pax quia nostra cadit, sed decor ipse simul.
Loquax, vigilis, tantus habebatur ab omni,
Ut moriens Populi corda cremaret idem.
Eheu teneri quam lacrimas patiuntur infantum
Clamitat, ic nobis paxque paborque fuit.
Turmatim [4] *properant diversi sexus & hetas,*
Funera de tanto voces ubique gemunt.
Dapsilis, & fortis, sapiens, facundus, & audax,
Pulcher erat specie, defensor ubique totus.
Virgo precipua, mater Domini, posce benigna,
Ut sociare dignetur beatorum amœnis locis
XLVIII. hic vixit annos. Obiit die nona Men-
B sis *Januarii* per [5] Indictione duodecima.

[2] Imperabat tunc *Theophilus*, sub quo res a *Græcis* præclarè in *Langobardia*, nimirum *Cis-Tyberina*, gestas tradit *Cedrenus* p. 429. At *Neapolitanos* mox succubuisse, ex *Sicardi* aperitur Capitulari.

[3] Pro. *Medium*. converso d in t. Hinc autem liquet, vel *Bonum* non statim post obitum antecessoris, quem *Stephanum* faciunt, in Ducem evectum: vel ipsum *Stephanum* haud decessisse Ind. VIII. sive an. 830. ut editus ejus Tumulus in aliis etiam depravatus præfert. At reliqua etiam omnis Series *Neapolitanorum* Ducum eodem hoc vexatur incommodo, perque certa annorum intervalla duci haud valet, cui antiquæ Chartulæ *Neapoli* datæ nullo esse præsidio probantur, sola cum exprimant nomina, & tempora *Græcorum* Imperatorum: secus ac in plurimis Chartulis observatum adparet *Amalfitanis*, & *Cajetanis*, quæ suorum Ducum prænotatæ nominibus fuere.

[4] De more ex singulis regionibus urbis in Principum virorum morte Populus per turmas ad planctum olim conveniebat; de quo vide me ad *Falconem* an. 1127.

[5] Anno videlicet *Christi* 834. ac sequenti post obitum Principis *Siconis*, biennio ante initum Capitulare *Sicardi*, descriptum col. 49. seq.

FINIS APPENDICIS.

LIBRI SECUNDI HISTORIÆ PRINCIPUM LANGOBARDORUM,

PARS PRIMA;

Quæ continet Dissertationes de Institutione, Finibus & Descriptione antiqui Ducatus *Beneventani*.

AUCTORE

CAMILLO PEREGRINIO,

ALEXANDRI FILIO CAMPANO.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO

CAMILLO MELZIO;

CAPUÆ ARCHIEPISCOPO

NUNTIOQUE APOSTOLICO APUD *CÆSAREAM* MAJESTATEM.



QUi patriæ amor humanis insidere pectoribus, scriptoresque vexare admodum solet, Illustrissime Domine, haud sua dulcedine animum adeo perfudit meum, ut suavissimo veri etiam amore non tenear, optemque præclararum urbium hujus Regni laudes silentio premi, oblivionique tradi; quoniam iis Capuæ *decus, quæ natale mihi solum, offuscari, vel minui videatur: Tuo nimirum exemplo edoctus, qui unus cunctis excultissimi, præstantissimique viri ornamentis redimitus, in præclarorum virorum, gesto-*

rum-

rumque laudibus continuè, & cum voluptate versaris, excellentis id esse virtutis peculiare munus quam convenientissime ratus. Namque cur aliis suas invideam laudes, minimè quidem habeo; vel si meæ urbis spectem uberis soli, benignique cœli, & naturæ dona; vel si humanas quasuis mente concipiam prærogativas, quibus affatim ea redundat, meritissimeque gloriatur. Est enim Capua *singulari Dei beneficio hoc dignata munere, ut ab ejus incunabulis & ante annos plus minus bis mille quingentos circumpositarum urbium obtinuerit principatum, pluresque postea passa calamitates, & excidia ad primitivam semper redierit dignitatem, aliisque vel præesse, vel præferri, interruptis licet vicibus, perque temporum intervalla bis, & tertium suorum civium virtute freta, minimè verò ex supremi alicujus Regis arbitrio, obtinuerit; nec nostra hac ætate super cæteras omnes Regni civitates præsigni non etiam fulget decore; quippe quæ post clarissimam* Neapolim *Metropolim primas in generalibus Regiis Comitiis facile obtineat, ac tueatur. Alienæ itaque gloriæ cum non sit mihi invidendum; nec* Campanos *meos magnopere de hoc, sed de præcellenti illa Avorum nostrorum dignitate recentibus meritis, clarisque operibus conservanda, augendaque solicitos esse velim, communem nostratium* Langobardorum *Historiam, qua præcipuarum urbium hujus Regni patefient primævi honores, carptim exponendam suscepi, ut per quos rerum casus* Cis-Tyberina *hæc* Italia *in præsentem post* Romani *Imperii occasum devenerit statum, liquido cognoscatur; vicinissimoque exemplo moneantur, qui nunc vel prospera, vel adversa utuntur fortuna, nec insolentia ferri, nec desperatione dejici: sed alteram sortem vel cautè timeant, vel sperent tandem non defuturam. Et* Capua *quidem Te Archiepiscopum cum obtinuit, a benigniori quodam sidere aspici visa est; qui acri ingenio, miraque dexteritate, & quod præstantissimæ Tuæ virtutis specimen est, eximia morum gravitate, & innocentia, atque animi in primis moderatione, multimodaque doctrina, & Juris præsertim prudentia præditus (Tua nunc mitto Historicæ, ac cæterarum amœnarum studia facultatum) sola Tui nominis majestate, quod totius* Romanæ *Curiæ favor ex diutino, nec uno experimento concelebrabat, collabentes mores erexisti; ordinesque Ecclesiasticos suæ dignitatis memores reddidisti, spemque fecisti, cætera quoque omnia in lætiorem, decentioremque faciem brevi esse reditura. Sed & Tu, Illustrissime Domine, postquam dignissimo isto munere Pontificiæ Legationis ad* Cæsaream *Majestatem felicissime fueris functus, ad nos lætus redeas, & incolumis, quod unanimi bonorum omnium voto a D. O. M. summis precibus efflagito; meumque juge obsequium, devotionisque in Te meæ exiguum hoc monumentum benignè excipe, atque si tanti est, ipsum etiam fove.*

Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Tuæ

Deditissimus Servus
CAMILLUS PEREGRINIUS Alex. F.

PRÆFATIO;

AMICO LECTORI.

HAud magnam de meis me hisce studiis confidentiam alere, *Langobardorum*que antiquitatem, aliis neglectam minimè ad vulgi gustum exponentem; falli etiam potuisse, cur modo negabo, Amice Lector, qui priorem Librum, cum ejus editionem aggrederer, nimia festinatione congestum, ac procusum fuisse, non ignoraverim, nec tacuerim? At in ipsius operis limine perquam deformiter me offendisse, vanaque jactantia, atque ut autumant, assentandi studio angustos terminos antiquæ Provinciæ, seu Ducatus *Beneventani*, quem cum Carolo Sigonio de Regno *Italiæ* lib. 7. persuasum habent, *antiquo ferme* Samnio *inclusum*, finibus præstantissimi hujus Regni *Neapolitani* æquiparasse, hoc sane exploratissima scientia, maturaque observatione cum pronuncia-

Inscitiæ si me notes non dolet. Dolet, quod peccasse dicant ex animi levitate.

Exque nimio amore in Beneventanos.

verim, nullo æquanimiter animo ferre possum. Et qui meus in *Beneventanos* cives amor, apud quos antehac ne notus quidem fueram, valuisset immeritam genti laudem, in hac præsertim curiosissima, peritissimaque omnis eruditionis ætate, impellere, ut adscriberem: cum in pangendis carissimæ, nobilissimæque meæ Patriæ laudibus, sicubi locus fuit, durior, nimisque sobrius, quinimmo & injustus, meis municipibus sim visus; susceperimque non urbium, vel populorum encomia in Declamatorum morem congerere; sed penitissimam verè & severè exponere antiquitatem; quam fucis, & coloribus artificiosè obumbratam nec gratiam, nec fidem ullam apud solidæ doctrinæ peritos demereri me posse non ignorabam? Secundum itaque *Langobardicæ* meæ Historiæ Librum, cujus editionem maturabam, cum de prioris Epigraphe iniquum, quod dixi judicium, accepi, in tres dispertiendum partes est visum; primamque a Typographo opportunè jam absolutam, quæ Ducatus *Beneventani* institutionem, priscosque latissimos ejus fines, observatamque in eo a *Langobardis* Dynastis descriptionem exponit, nulla mora evulgandam, inustamque mihi maculam festinatò diluendam esse constitui: ne scilicet dilata aliquandiu defensio majori mihi esset præjudicio futura, censorque meus ex Libri titulo feliciter, ut sibi persuasurus foret, prosternato audentior factus, pari fiducia in reliquum opus acriùs desæviret, putaretque cætera quoque omnia simplici hoc dicendi genere ibi, vel alibi a me enunciata ex animi simul levitate, & imperitè fuisse conficta. Cui laus etiam omnis, quæ urbis non sit suæ, dolere quoniam solet, haud dubito, quin visurus sim etiam ei immodicè in præmissa nuncupatoria Epistola *Capuæ* extulisse dignitatem, quam vel ipse ignoret, vel aliis summopere expetat ignorari. Sed sciat profectò, neminemque latere simul debet, me patriæ meæ encomia quam sobriissime, & summatim eo loco delibasse, quæ ab omnis ævi scriptoribus honorificentissimis fuerit titulis celebrata; dictaque *Alta* Silio Ital. lib. 12. & Prudentio in Hymno 11. *Amplissima* Ciceroni cont. *Rull.* 2. Ἀρχαῖον κάστρον, *Antiqua urbs* Constantino Porphyrog. de Adm. Imp. cap. 27. *Aurea*, Anonymo Historico Salern. a me edito. *Caput urbium*; Floro lib. 1. cap. 16. Eutropio lib. 2. & Isidoro Etym. lib. 15. cap. 1. (Κεφαλὴ ἡ οὖσα κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος, *Caput existens juxta proprietatem vocabuli*, inquit Strabo lib. 5.) *Circumpositarum primaria* Leoni Ostien. lib. 1. cap. 52. *Clarissima* Livio lib. 26. *Colonia Julia Felix* Frontino de Coloniis; idque idem Strabo ibidem de *Campanis* sui temporis loquutus innuebat: Νυνὶ inquit, μέν τοι μετ' εὐπραγίας διάγουσι. *Nunc autem cum felicitate vitam agunt.* *Dives* Virgilio Georg. lib. 2. & S. Paulino Nolano in Nat. S. *Felicis.* 3. *Florens* Ciceroni Philipp. 2. *Florentissima* Plutarcho in *Hannib.* si tamen ejus. *Illustrissima* Alexandro Telesino, lib. 2. Ὑπερμεγέθης, *Ingens* Constantino Porphyr. loco jam dicto. *Maxima* Livio lib. 7. & Floro lib. 1. Πασῶν ποτὲ μακαριότης *Omnium olim felicissima* Polybio l. 3. in Catalogo clararum urbium *Campaniæ*. Μέγα κάστρον; *Magna urbs* præfato Constantino ubi supra. Μεγίστη *Amplissima* Suidæ in Καπύη. *Nobilis* Livio lib. 26. *Nobilissima* eidem ibi, Paulo Diac. Hist. *Romanæ* lib. 15. & Sabellico Hist. Ennead. 11. lib. 1. *Nobilissima urbs Campaniæ* Pandulfo Collenucio lib. 1. *Opibus valens* Ausonio in Catal. urbium. *Opima* Sidonio Carm. 5. *Opulenta* Livio lib. 25. & Bartholomæo Fatio de gest. *Alfonsi* lib. 4. *Opulentissima* Livio lib. 7. & 26. & Paulo Diac. de gest. *Langobardorum* lib. 2. cap. 11. sive 17. *Opulentissima omnium, quæ procul a mari habitantur ad dexteram* Italiæ, Roma *excepta* Pomponio Melæ lib. 2. cap. 2. *Ornatissima* Ciceroni cont. *Rull.* 2. *Pervetusta* prædicto Fatio lib. 2. *Pinguis* Columellæ lib. 10. *Potens* Livio lib. 26. *Potens Pelago, Cultu, Penu, Delitiis, Opibus, Fama* Ausonio ubi supra. *Præclara* Ciceroni cont. *Rull.* 3. *Prævalida* Livio lib. 26. Πρῶτον κάστρον, *Prima urbs* (omnium scilicet *Italiæ* cis *Romam*) Constantino Porph. loco laudato. *Pulchra* Benjamino Tudelen. in Itinerar. *Pulcherrima* Livio lib. 7. *Pulcherrima* ex *Italia* eidem, & Ciceroni cont. *Rull.* 2. *Regia urbs* Joanni Antonio Campano in Vitæ *Brachii* lib. 5. *Romæ æmula* Ausonio in Catal. sæpius dicto. *Roma altera* eidem ibi. *Speciosa* in Bullis, quibus *Campani* Principes *Nortmanni* sua Diplomata muniebant. *Sublimis* Silio lib. 17. *Validissima* Plutarcho in *Hannibale*; & ut majora ejus etiam elogia prolixioribus verbis plerisque auctoribus concepta præteream, *Uberrima* Alexandro Telesino lib. 2. Desinat itaque censor meus molestus mihi esse, deque alienis prærogativis contristari; Tuque, Amice Lector, ex tui animi in laudabilia omnia propensione, exque præclaro etiam monito sapientis viri Plinii Cæcilii lib. 8. epist. 24.

Reverere gloriam veterem, & hanc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis,
IN URBIBUS SACRA EST.

Et insuper: *Recordare quid quæque civitas fuerit, non ut despicias, quod esse desierit.* Vale.

Sed ipsos veri nunc detegam inscios, & corde leves.

Quorum si leviter libata mihi Capuæ laus verberat oculos, eam par est, ut speciosiorem alienis in verbis intueantur. Tute, Lector, hos Auctores, eorumque hæc dicta per ætates congruè dispone; quod absque prolixo, & importuno admodum sermone mihi non licuisset. Omitto Ciceronem cont. Rull. 2. & Philipp. 12. Capuam dicentem Alteram Romam qui non huc aspexit: sique Ausonius Ciceronem sit sequutus & ipse hinc abeat, qui præterea nec ejus mentem fuisset assequutus.

DISSERTATIONES. Quæ hac prima parte continentur.



PARS MARIS HADRIATICI Sivè SUPERI

PARS DUCATUS SPOLETANI

DUCATUS ROMANUS

CALABRIA ANTIQUA

CALABRIA RECENTIOR

MARIS TYRRHENI Sive INFERI PARS

INSULÆ SICILIÆ PARS


DESCRIPTIO
ANTIQUI DUCATUS
BENEVENTANI,
Auctore
CAMILLO PEREGRINIO.

LUGD. BAT.
Impensis
PETRI VANDER AA.

LECTOR,

Typum vides universæ Italiæ Cis-Tyberinæ, *in qua, ceu in pulvere per ludum pueri, vel suæ in artis Specimen Geometræ, alia, & alia pro arbitrio formant schemata, ac reformant;* Longobardi *latissimum olim instituere* Ducatum Beneventi, *quem postea in* Beneventanum *pariter Principatum, et* Salernitanum *dispertivere, ac rursus Principatum ex iis extraxere* Campanum: Græci *quoque plura, disjunctaque antiquo sub nomine* Calabriæ *primitus servantes loca, solisque dein* Brutiis *eiusmodi vocabulum ascribentes, post varios postremum casus bina Themata* Calabriæ, *et* Apuliæ *statuere:* Nortmanni *verò ditiones utrisque ademptas Ducatum appellarunt* Apuliæ; *qui hunc tandem* Campano *simul Principatu, minoribusque aliquot aliis* Cis-Tyberini *etiam sitis Dynastiis, et præterea* Siciliæ *Insula ei adjunctis, in unius Regni formam transmutarunt, novissimo eodem Ducatu, et* Campano *Principatu aliquandiu specie tenus servatis, quorum et nomina in obitu demum defecerunt Reginæ* Ioannæ II. *Porro quamvis urbes, eas numirumquæ in* Longobardorum *monumentis frequentius, et siquæ aliæ per* Nortmannorum *ætatem claræ ad meum nempè institutum opportunæ, cœlandas, locorumque situs, et intervalla quam ex actissimè hic repræsentari curaverim. Scalam tamen milliarium in arctis adeo spatiis metiendis cautè adhibendam esse adverte; nam* Beneventanus *Ducatus, qua maximè patuit, milliaria in orbem certè clausit propè mille.*

Vale.



DUCATUS BENEVENTANUS QUANDO INSTITUTUS.

Italiam in Regiones varie pridem tributam



ITaliam olim haud humani conſilii arbitrium, ſed ipſamet inhabitantium populorum multiplex varietas, congenita veluti deſignatione, varias diſcriminabat in partes. quam tandem univerſam cum priſci obtinuiſſent *Romani*, ante omnes *Auguſtus Cæſar*, qua magis libuit, uſus deſcriptione, in undecim regiones diſtribuit: quod prodit *Plinius* lib. 3. cap. 5. *Auguſti*que placitum adeo ſubſecutis Imperatoribus ſedit, ut quamvis plerique eorum nova ratione, ut hominum varia ſunt ingenia, eandem iterum, iterumque duxerint deſcribendam, nullatenus tamen primigeniam illam reſtituerunt unquam Topographiam. Poſt quos haud ſecus geſſere ſe *Langobardi*, qui e *Pannonia* in anno *Chriſtiano* 568. egreſſi, Gentium hanc Dominam *Romano* Imperio adimentes, diuturnaque poſſidentes ætate, ſicut inſolentem ut plurimum invexerunt Politiam, ſic pariter novam deſcribendarum regionum normam uſurparunt: ditiones ſcilicet, ac Dynaſtias non antea obſervatas, interque eas cis *Tyberim* Ducatum inſtituentes *Beneventanum*. Cujus ad præſens longam, integramque Dynaſtarum ſeriem, eorundemque per ſpatia quingentorum annorum explanandam cum ſuſceperim Chronologiam, congruas plane tum alias, tum De Inſtituti ejus Ducatus Tempore, & Cauſa, deque Finibus præmittere ſtatui Diſſertationes, etſi non omni, qua potuiſſet, diligentia elucubratas; ſiquidem res acta maximopere eas depoſcit, Teque, *Langobardarum* rerum Studioſe Lector, non prorſus inutili excepturum confido lectione.

Langobardi primum in Dynaſtias diſſecuerunt, Beneventanumque inſtituerunt Ducatum. De quo tum alia poſt, tum hoc loco ejus inſtitutionis tempus inquiram.

Antiquiſſimum de hac re eſt teſtimonium Pauli Diaconi.

PAulus igitur *Diaconus*, quo nec antiquior, nec de his, quæ *Langobardorum* facta tractamus, diſertior habetur auctor, in Hiſtoria ejus gentis lib. 3. cap. 16. Editionis *Frobenianæ*: capite autem 33. Editionis *Plantini*, & *Lugdunenſis*, *Beneventanum* Ducatum inſtitutum fuiſſe a Rege *Langobardorum Authari*, ſive *Anthari* his verbis demonſtraſſe videtur: *Circa hæc tempora*, inquit, *putatur eſſe factum*, *quod de* Authari *Rege refertur*; *fama eſt enim*, *tunc eundem Regem per* Spoletium Beneventum *perveniſſe*, *eandemque regionem cepiſſe*, *& uſque etiam* Rhegium, *extremam* Italiæ *civitatem*, *vicinam* Siciliæ *perambulaſſe*. *Et quia ibidem intra maris undas columna quædam eſſe poſita dicitur*, *uſque ad eam*, *equo ſedens*, *acceſſiſſe*, *eamque de haſtæ ſuæ cuſpide tetigiſſe*, *dicens*. *Uſque hic erunt* Langobardorum *fines*. *Quæ columna uſque hodie dicitur perſiſtere*, *& columna* Autharis *appellari*. Hæc *Paulus*; qui ſtatim poſt iſta capite ſequenti cum non alio antea loco *Beneventani* Ducatus meminiſſet, *Zottum* dicit, ſive *Zottonem* primum fuiſſe Ducem in *Benevento* annis viginti. Quæ ejus dicti interpretatio placuit tum aliis, tum *Wulfgango Lazio* lib. 12. De migrat. gent. qui ex producto *Pauli*, quem laudat, loco, ait *Zottonem* ab Rege *Authari* conſtitutum ibi Ducem. At Rex ille firma omnium adſertione Regnum inivit non ante annum 583. obiitque anno 590. Ergo per intermedios annos Ducatus exortus eſt iſte. quod *Sigonius*, lib. 1. de Regno *Italiæ* ſubſcribit, figitque ad annum 589. ea, forte, ductus ratione; quoniam *Paulus* adventum Regis *Beneventum* recenſet inter noviſſima ejus geſta. Ab *Sigonii* vero, & a *Lazii* pronunciato longe abiere plerique, ac præcipue *Antonius Caracciolus* in Propylæo ad Quatuor Chronologos a ſe editos, qui primus hanc ex propoſito exagitavit controverſiam; crediditque doctus vir, ne dum *Paulum* eis non favere, ſed rerum acta- A rum ſeriem, & Chronologiam ejuſmodi adſertioni firmiſſime refragari. Verba ſunt Caraccioli: *Non dicit* Paulus Autharim *cepiſſe* Beneventum, *ſed* Beneventanam *regionem*: *alioquin ſi ex eo*, *quod* Beneventum *veniſſe dicitur*, *colligi debet eam civitatem expugnaſſe*, *& occupaſſe*, *profecto &* Spoletium *expugnaſſe*, *& cepiſſe intelligere oporteret*, *quia* Spoletium Autharis *venit*, *& per* Spoletium Beneventum. *Atqui* Spoletium *diu antea a* Langobardis *fuerat occupatum*, *& Ducis ſedes factum*, &c. Alterum quod *Caracciolus* in eandem ſententiam contorſit argumentum, ex ipſa, ut dixi, rerum, & annorum ſerie, atque ex B ſubſequenti Ducum pendet Chronologia. *Zottonem* igitur voluit factum Ducem, Ducatumque *Beneventanum* jam pridem inſtitutum ante Regis adventum, & in anno 571. quod a *Leone Oſtienſi* lib. 1. cap. 48. editionis *Neapolitanæ* demonſtrari perſuaſum habuit, tradente a *Zottone* ad annum Domini 891. quando *Græci Beneventum Langobardis* ademerunt, tercentos viginti annos tranſiiſſe: ſenſitque, ni huic adſentiatur dicto, omnem corruere temporum rationem ab ipſomet *Paulo* traditam, aliiſque priſcis ſcriptoribus conſonam. Sed hanc, quam *Caracciolus* adverterat inconvenientiam, forſan quoque viderat *Scipio Ammi-* C *ratus* in Diſſertationibus Ducum, & Principum *Beneventi*, eamque ut declinaret, indicatum *Oſtienſis* locum ſolicitavit, eſtque opinatus a *Zottone*, quem Ducem factum tradit in anno 573. ad præſcriptum annum 891. revolutos fuiſſe annos 318. ac adventum *Autharis* poſtmodum contigiſſe, cum Regnum ille obtinuerat *Langobardorum*. Quod extremum ejus pronunciatum *Caraccioli* adſertioni quam maxime congruit, atque placuiſſe oportet cuivis Chronologo, qui *Zottonem* velit ante adventum Regis obtinuiſſe *Beneventum*. Inter quos cenſendus eſt Ignotus quidem, ſed non admodum novitius auctor Indicis Ducum, & D Principum ejuſdem urbis, qui præfixus adeſt ſcriptis Codicibus Hiſtoriæ Anonymi *Salernitani*, de quo dixi cum de eodem *Salernitano* diſſerui, initio: ille enim ſic habet: *Anno ab Incarnatione Domini quingenteſimo ſexageſimo octavo Principes cœperunt principari in Principatu* Beneventano, *quorum primus vocabatur* Zotto. Opinatus igitur eſt Ignotus ille, eodem anno *Langobardos Benevento*, & circumpoſita regione potitos, quo eos e *Pannonia* egreſſos, *Italiam*que per *Venetiam* intraſſe, obtinuiſſeque adfirmat eidem *Paulus Diac.* lib. 2. cap. 6. ſive 7. atque recentiorum omnium firma eſt adteſtatio. Nec *Horatius Turſellinus*, qui in Epitome Hiſtoriarum E lib. 6. adſerit conſtitutum *Beneventi* Ducatum a Rege *Agilulfo*, ſucceſſore ſcilicet *Autharis*, ac proinde in anno circiter 591. aliam ab antedictis tulit opinionem; nam vel a *Caracciolo* re non diſcrepat, *Zottonis* Ducatum connumerare oblitus, qui, ut dictum eſt, viginti annis Dynaſtiam tenuit, primuſque qui poſt illum Dux eſt ſubſecutus, annos exorſus certe eſt 591. vel *Agilulfum* dixit pro *Authari*, atque *Sigonio*, & *Lazio* adhæſit, ad illorum exemplum *Pauli* textum interpretatus. Verumtamen hoc quolibet ſeſe habeat modo, haud magni credimus faciendam F Turſellini adſertionem, rati illum, ut ipſe initio lib. 1. de ſe fatetur, *non aurificis ſtatera*, *ſed populari trutina tempora examinare*. Atque hæc ſunt de anno inſtituti Ducatus *Beneventani* ſcriptorum ſententiæ, quæ mihi ad hanc diem innotuerunt. Quarum diſcrepantiis etſi valde crucior, magis tamen angit me, quod *Paulus* omnium antiquiſſimus (iiſdem quamvis rebus biſcentum, & eo am-

Sed aliter a Lazio, & a Sigonio acceptum.

Aliter a Caracciolo, & aliis.

Qui inter ſe haud concordes.

Incertumque eſt quibuſnam concordet Turſellinus.

Paulus *vero traditam a ſe Hiſtoriam ex vulgi rumore hauſit.*

amplius annis ætate minor) non ſuam, hoc eſt quam veriorem reputaverit, ſed vulgi expoſuerit opinionem; quam, ni fallor, a *Beneventanis Beneventi* aliquando poſitus didicerat, utpote qui *Langobardica* ſcripſit Monachus in *Caſſino*, ſicut intelligere eſt ex ejus Hiſtoria lib. 1. cap. 26. & lib. 6. cap. 1. ſive 2. & cap. 13. ſive 40. Monachuſque redditus eſt poſtquam *Benevento* diſceſſit, ut *Oſtienſis* tradit lib. 1. cap. 15. Et quidem non eſt qui neſciat, ſcriptores ſi quando res parum, aut nil ſibi exploratas enarrare contingat, famæ tunc illas tribuere, ſuamque ſolere deponere fidem; quem morem a *Paulo* ſervatum (ut interim alterum ejus conſilium diſſimulem, de quo paulo poſt) haud difficili divino conjectura; certo enim certius noluit ille conſtanti ſententia adfirmare, quod de columna *Autharis* vulgo blaterabant *Beneventani* figmentum, quæ quovis alio caſu, ſive a Regis, ſive ab alterius viri nomine cum tale obtinuiſſet cognomen, ejuſmodi fabulam ſomniarunt, anſam nacti opportunam, quoniam *Langobardi* univerſam fere poſſidentes *Italiam*, ultra fretum in *Siciliam* non trajecerunt unquam, atque ſuarum Dynaſtiarum terminos defixis demonſtrare conſueverint columnis; aliquandoque ad *Rhegium* poſita columna fines præſcripſit regionis; ſicut multo prius factum tradit *Strabo* lib. 3. Nec pariter de peragrata omni *Cis-Tyberina Italia* ab *Authari Paulus* ſuo probare potuit aſſenſu, qui probe noviſſe potuit *Langobardos* diu cum *Græcis* de ea decertaſſe: quam ſenſim, nec tamen omnem, obtinuiſſe proprio ediſſeram loco. In hæc igitur abſurda ex incompoſita *Beneventani* vulgi narratione deveniendum eſſe haud ille ignorans, eam perite quidem auctori adſcribendam cenſuit ſuo; deque inſtituti Ducatus tempore exploratiorem, ſive non callens, ſive callide celans ſententiam, primum Ducem *Zottonem* ſub eo Rege factum non ex alio, quam ex eodem hauſit rumore, ac definite in annum rejecit 585. a quo, licet immani temporum perturbatione, ſubſequentium Ducum ſeriem videtur per annos duxiſſe, ſicut patebit in expoſitione Chronologiæ. Cum ergo vetuſtus adeo auctor hujus Ducatus exordia, tum infirma, tum inrationabili expoſuerit fide, quis recentior de re admodum ardua, & antiqua poterit præ illo eſſe nobis ſatis luculentus teſtis? Et *Leonis* ſane *Oſtienſis* teſtimonium, qui tercentum annis *Paulo* tardius vixit, admitterem tamen; ſed vah quantum ejus Antigraphum in Archivo *Caſſinenſi* ſervatum ab *Neapolitana* diſſonat editione, quam ſecutus eſt *Caracciolus*, & ab *Ammirati* commento! ſiquidem a *Zottone* ad annum 981. non 320. nec 318; ſed trecentos triginta interceſſiſſe annos habet; qualem quoque annorum collectionem *Veneta* ejus operis editio, & ex ea *Pariſienſis*, utraque in annis conſignandis ſemper *Neapolitana* melior, atque Archetypo conſonantior, præ ſe ferunt. Quæ ſincera *Leonis* adſertio ſicut *Caraccioli* dicto minime favet, ita nec alio quovis pacto conſiſtere poteſt. nam juxta talem ſupputationem *Zotto* Ducatum accepiſſet in anno 561. hoc eſt ſeptennio priuſquam *Langobardi* e *Pannonia* fuiſſent egreſſi, *Italiam*que adveniſſent. Neque fas eſt eam calamo exarati Codicis lectionem ſolicitare, traditamque annorum ſummam cenſere depravatam, quam pridem intuliſſe ſcimus Anonymum *Beneventanum* in Fragmento Hiſtoriæ a me edito Num. 1. ex quo eandem mutuatus nec aliis eſt verbis Anonymus auctor, qui Catalogum Ducum *Beneventi* in *Caſſinenſi* Codice ſignato num. 353. deſcripſit: & ex utroque *Oſtienſis*, pariterque Anonymus Chronologus Ducum & Principum par. 2. num. 14. Quem quidem *Oſtienſem* haud Fragmentum illud, præſcriptuſque latuit Ducum Catalogus; alterum enim in Codice antiquæ Hiſtoriæ Principum *Langobardorum*, ſive dicas Hiſtoriæ *Erchemperti* inſpicere valuit, ut ex dictis ad Anonymum *Salernitanum* eſt manifeſtum: alterum certe vidit in demonſtrato Codice *Caſſinenſi*, quo Hiſtoriolam Ignoti *Caſſinenſis* deflorans, præter omnem dubietatem eſt uſus. Ejus igitur germana adteſtatione cum inſtituti Ducatus *Beneventani* Epocha fiat magis implexa, nec aliud præſto ſit vetuſtum documentum, quo res ſine errore explicari queat, jam nos de ea ex multis retro ſæculis ſive ignorata, ſive fabellis immiſta, inutili labore eſſe ſolicitos, videtur inferendum. Quocirca non temere crediderim, auctorem Indicis Ducum, & Principum *Beneventi* nulla exploratiori notitia inſtitutum Ducatum tradidiſſe in anno 568. quam quod ſuo arbitrio communem in annum, atque æram *Italici* Regni *Langobardorum*, depoſitis ambiguitatibus, id referre delegerit. Cujus dicto nec pluris faciendas putabo conſimilium minutorum Chronologorum ſupputationes, qui obſcura hujus Dynaſtiæ primordia ſubtiliori diligentia minime indagantes, ſimplicem, nudamque Dynaſtarum *Beneventi* ſeriem, & Chronologiam unus poſt alium, velut per manus traditam, non diſſono adnotarunt tenore. At nullatenus prætereundus erit mihi Conſtantinus Porphyrogenneta ab annis fere ſeptingentis antiquus, etſi parum cautus auctor, qui libro de Adminiſtratione Imper. cap. 27. de *Langobardis Beneventum* invadentibus indictam aliis habet narrationem, probatiſque, ac receptis Hiſtoriis oppido quam pugnantem. Sunt ejus verba ad rem noſtram ex interpretatione *Meurſii*: *His auditis*, inquit, *a* Narſete, *qui eos ad* Italiam *invitabat*, *perſuaſi* Langobardi *cum familiis* Beneventum *venerunt*; *cumque intra urbem illam illos admittere cives nollent*, *extra eam prope murum ad flumen habitarunt*, *ædificata urbe parva*, *quæ* Τζιτὰ νόβα: *hoc eſt*: Citta nuova *appellatur*, *extatque etiam hodie*: *Intrabant vero etiam urbem*, *& Eccleſiam*, *doloque ſuperiores facti*, *habitatoribus omnibus occiſis*, *urbem tenuerunt*: *gladiis enim intra fuſtes occultatis*, *Eccleſiam ingreſſi*, *pugna excitata*, *univerſos interemerunt*; *& inde excurſione in omnem ditionem facta*, *ſubjecerunt eam Themati* Langobardiæ, *&* Calabriæ *uſque* Papiam: *excepta* Hydrunte, Callipoli, Ruſiano, Neapoli, Cajeta, Surrento, *&* Amalphe. Hactenus ille anilem, ut videtur, ſecutus fabellam, qua nil excogitari poſſe fabuloſius quiſquis levi licet hiſtorica lectione imbutus facile adfirmabit. Namque *Langobardi* ex Paulo Diac. lib. 2. cap. 7. ſive 8. & ſeqq. hoc eſt ex germaniſſimo rerum *Langobardicarum* auctore, Italiam *e* Pannonia, *cum omni exercitu*, *vulgique promiſcui multitudine per* Venetiam *advenere*, *ſolaque excepta* Papia, *quæ trium annorum*, *& aliquot menſium obſidionem paſſa eſt*, *cæteras* Sub-Alpinas *urbes haud magna armorum vi primo impetu invaſere*, *in reliquam poſt regionem uſque* Tuſciam *excurrentes*, *atque obtinentes omnia*, *præter* Romam, *&* Ravennam, *vel aliqua Caſtella*, *quæ erant in littore* Tyrrheni *maris conſtituta*. *At* Conſtantinus *eos*, *velut de cælo lapſos*, Beneventum *perhibet primum perveniſſe*, *ac ne virtute quidem*, *nec numero admodum validos*: *&* Benevento Papiam *progreſſos*, *ſolaſque* Cis-Tyberinas *ad mare poſitas ſeptem numero urbes*, *non obtinuiſſe*. *Nec quod ille de* Civitate Nova *ad mœnia* Beneventi *condita habet*, *ex alio mutuatus videtur auctore*, *quam ex vulgi*, *ſive* Græculi, *ſive* Beneventani *rumore*; *quandoquidem*, *ut adfirmat ex noſtratibus de re noſtra utique doctior* Oſtienſis *lib.* 1. cap. 12. *eam*

Princeps

Quæ vacillat.

Sicut etiam labat Oſtienſis *de eadem re Chronologia.*

Quibus corruentibus haud tutò alio-rum inj- ſli pote- dictis.

At præ- pue Con- ſtantini Porphy- rogen- netæ Græci auctori-

Cui ... ſtam in- dita a Latinis Hiſtori-

Princeps Arichis Francorum, *hoc est* Caroli Magni, *metu perterritus* Benevento *addidit*. post annos scilicet ab communi *Langobardorum* in *Italiam* adventu plus minus biscentum; idemque innuit *Erchempertus* Num. 3. eidem *Arichi* ab annis centum ætate proximus, tradens eum Principem a *Carolo* sibi præcaventem; Beneventum *sic* (*nempe ut* Erchemperti *habebatur ævo*) *fortificasse*. Quocirca haud priscis illis *Langobardis*, sed *Arichi* opus *Novæ urbis* est contradendum, qui amplioribus, firmioribusque muris *Beneventum* munivit, & loca novo conclusa septo *Novæ urbis* nomine adpellavit. Quod nedum ad *Constantini* tempora, ut ipse declarat, sed ad *Falconis* Judicis *Beneventani*, & quod excurrit, mansit ætatem, sicut observare licet in ejusdem Chronico ad annum 1119. Perspicue igitur liquet quod ingerebam, majores nostros parum explorata notitia calluisse, tradidisseque primordia Ducatus *Beneventani*, atque ex hoc vulgus interim in varios, ac fabulosos abiisse sermones. Verum enimvero cum fabellæ sæpenumero aniles nihilo secius, ac Poëtarum figmenta ex non fabulosis emerserint, succreverintque seminibus, operæ erit pretium in hac *Constantini* enarratione adhuc subsistere, ac pervestigare, an veri aliquid in ea latere possit, quod somniantis vulgi deliramentis obfuscatum fuerit, alioque detortum. Et quidem non immerito interpretari possemus, Arichim Novam urbem Benevento *addidisse*, quam non ipse exstruxisset, sed novo, simplicique murorum ambitu utramque conclusisset. A qua explanatione videtur stare *Erchempertus*, tradens: BENEVENTUM *ab eodem Principe*, *sic fortificatam*: id est ab hostium incursu securiorem redditam, quibus gemina cum esset urbs, pervia certe fuisset magis. At si isthæc interpretatio congrue rei quadrare censebitur, jam *Novam urbem* a *Langobardis* conditam, qui primum illuc pervenere, cæteraque ea ratione contigisse, qua *Constantinus* facta perhibet, cur negem, non habere me argumenta profiteor; uno illo excepto, *Beneventanos Langobardos* inde in reliquam *Italiam* usque *Papiam* excurrisse, quod stare nulla potest ratione. Verumtamen hoc quoque si apta pariter explicatione exciperetur, integram rem gestam multa hactenus caligine obductam lucide nobis declarare posse non diffido. Namque opinari quid prohibet, vere aliquam *Langobardorum* centuriam ad *Beneventum* coivisse, atque invasisse urbem aliquanto prius quam gens illa omnis a *Narsete* advocata advenisset, ex quo emersisset sermo, factam hinc excursionem in reliquam ad Occidentem *Italiam*? Profecto talis expositio perbelle congruit annorum supputationi ab *Ostiensi*, aliisque productæ; quos alioquin in re clara per quam fœde cæcutivisse foret asserendum, atque nescivisse ab anno 891. si tercentum triginta anni detrahantur, annos remanere 561. quam ejusmodi calculi ducendi rationem eos latuisse, nullum sanæ mentis hominem admissurum puto. *Langobardos* autem ante communem in *Italiam* transmigrationem, ac annum 568. quo e *Pannonia* discesserunt, cis *Alpes* visos haud indicta, novaque est enarratio; *Procopius* enim tradit in Historiæ *Gothicæ* libro extremo, cui accinit Historia Miscella lib. 16. *Paulus Diac.* lib. 2. cap. 1. & Ignotus *Cassinensis* a me editus num. 2. *Narsetem Græcum* Patritium ad delendos in *Italia Gothos* auxiliares eos adscivisse, habuisseque complures, quos ille nondum omni confecto bello dimisit, anno scilicet, ut ex eodem *Procopio* varie computant recentiores vel 552. vel 553. Eodem igitur tempore accidisse opinandum est ex militari illo cœtu palantes aliquot *Langobardos* regionis amœnitate detentos, ad patriam redire recusasse, atque aliquandiu prædonum more hac illac oberrantes tandem sive sponte, sive *Narsetis* imperio coërcitos, ejusdemque permissione ad *Beneventum* consedisse, & in anno postmodum 561. eam urbem occupasse, atque ad annum usque 891. indesinenter detinuisse, perpetuis scilicet annis tercentum triginta, ut *Ostiensis*, ejusque tradunt collegæ. Quo pacto *Langobardos Beneventani* Ducatus auctores utique a *Narsete* fuisse accitos, urbemque obtinuisse *Beneventum* ante communem gentis transmigrationem & *Ostiensi*, & *Porphyrogennetæ* concedendum esset: etsi iste priorem hunc adventum ab altero inepte non discriminavit; ille vero non ab pervasa *Beneventana* urbe, sed a *Zottone* instituto Duce, quod interjecto aliquo temporis spatio accidisse putandum videtur, ut mox dicam, annos enumeravit 330. At eam *Constantini* narrationem præscripto expositam modo actis tunc rebus mirifice consonare, ejusdem *Procopii* testimonium satis opportune demonstrat, scribentis *Langobardos* festinato a *Narsete* dimissos, quoniam sociorum tum ædificia incenderent, tum mulieres ad Templa refugientes constuprarent. Qua quidem ratione *Beneventani Langobardi* ab eo anno 561. aliquandiu obtemperantes *Græco* Imperatori, qui *Italiam* obtinebat, eisque ex antiquo erat fœderatus, sub proprio non fuissent Duce; sed tunc sibi ex propria gente *Zottonem* præfecissent, cum *Langobardi* omnes ad *Italiam* advenerunt: atque tunc quoque sive numero plures, sive audentiores redditi a *Græcis* rebellassent, & in conterminam excurrere cœpissent regionem; hoc est in exitu anni 570. nam *Paulus Diac.* cui de singulorum *Beneventanorum* Ducum intervallis standum esse non ambigo, non ex vulgi rumore *Zottonem* perhibuit omnium primum Dynastiam hanc tenuisse annis viginti, quos enumerandos esse ab exordiente anno 571. subsecutorum Ducum exigit Chronologia. At sermo iste si rationabili reputabitur inniti conjectura, consentiendum quoque erit Regem *Autharim* in extremam, *Cis-Tyberinam*que *Italiam* advenisse (nam advenisse haud quidem video cur negem) ut cum *Zottone*, qui suæ tunc Dynastiæ plures transegerat annos, de solvendo sibi censu componeret, quem cæteri omnes Duces ei pendere tunc cœperant, atque instituerant: & quidem *Langobardorum* Reges etiam post longa annorum spatia vectigales habuisse *Beneventanos* Dynastas, vel unus, ut alios præteream, abunde probat *Erchempertus* Num. 6. *Autharim* vero, nec incongruum est, tunc *Beneventum* sibi adserere, vel novo contradere Duci renuisse, morem nempe suæ gentis, opportunumque sane consilium secutum, namque eodem Paulo auctore lib. 2. cap. 6. *Langobardi Italiam* possessuri socios advocarunt, habueruntque aliquantisper *Saxones*, quibus demum, ut idem perhibet lib. 3. cap. 3. sive 6. cujus do verba: *Quoniam permissum non est in proprio jure subsistere, ideo æstimantur ad suam patriam repedasse*. Itemque idem Paulus lib. 5. cap. 11. sive 29. tradit, Bulgaros Langobardorum *Regi* Grimoaldo *se servituros promittentes*, *in* Beneventanam *regionem ab eo directos fuisse*, *locaque ad habitandum spatiosa*, *sed tunc deserta*, *ab Duce ejus filio Romualdo obtinuisse*: *scilicet* Sepianum, Bovianum, *&* Iserniam, *& alias cum suis territoriis civitates*. Cum igitur *Langobardi* peregrinos in societatem adscire, modo eos haberent obnoxios, consueverint, utique *Autharis* lege *Zottoni*, ejusque Populo, nec quidem alienigenis, de more indicta, nedum utrisque partam propria virtute Dynastiam permisisse videtur, sed auxiliares quoque copias contradidisse, putandus

Verumtamen ejus narratio non prorsus inepta.

Atque si apte explicetur rem aperiet hactenus ignoratam.

Receptisque Historiis consonam.

Gregorius Turon. Histor. l. 4. c. 35. *Alboinum dicens* cum 4. mill. *Langobardis* petiisse *Italiam*, ni sit in numeris depravatus, hæc auxilia *Narseti* præstita, totiusque gentis adventum in unum fœde miscuit.

Quid si dicas; nomine *Civitatis Novæ* appellata olim civitatum suburbia novis muris cincta, vel omnino de novo excitata ad sustinendos primos hostium impetus, distinendosque? Nam *Panormus* etiam apud *Gaufredum Mal.* lib. 2. c. 45. ex consimili civitate constabat exteriori, quæ a *Guilielmo Apulo* l. 3. *Nova Civitas* nuncupatur: & *Salernum* quoque duplex fuit, aliæque urbes perplures. Quid, inquam, si *Beneventi Nova Civitas* ejusmodi etiam fuit? Ipse viderit *Porphyrogenneta*, & qui annos 330. a *Zottone* ad annum 891. supputarunt.

dus est, ut instituti scilicet Ducatus æque tueri, ac propagare valerent fines. Verumtamen an hoc pacto conciliari, exponique non inepte possint discordes invicem, receptisque historiis pugnantes *Pauli Diaconi*, *Ostiensis*, & *Porphyrogennetæ* sententiæ, judicare erit peritiorum: quorum judicare erit pariter, num *Paulus* censeri debeat ista sic peracta consulto reticuisse, confictamque a *Beneventanis* fabulam supposuisse; idque eo persuaderi valeat argumento, quoniam, teste Erchemperto Num. 1. ille putaverit, *Historiographi doctoris esse, maxime de sua stirpe disputantis, ea tantummodo retexere, quæ ad laudis cumulum pertinere noscuntur.* Quem sane ignominiosa suæ gentis facinora præteriisse, & olim *Erchempertus* ibi, & recentissime *Bernardus Saccus* in Historiæ *Ticinensis* lib. 10. cap. 17. qui *Erchempertum* haud vidit, atque *Baronius* ad annum 585. num. 2. perite observarunt. Nec alio ille quidem consilio persuasus, quam ut *Beneventanis Langobardis* placeret, quos suæ Dynastiæ parum decora senserat pudere principia, Ducum, ac *Zottonis* Epocham deformissimo Metachronismo, sicut patebit in Chronologia, in anno fixit 585. namque hac ratione visus haud dubie sibi est, omnem actæ rei ordinem obfuscasse, nullumque tam præcocis institutionis vestigium reliquisse, quod nihilominus, sed non advertentes, auctores prodiderunt recentiores. Verum si minus hæc mea probabitur divinatio, haud iniquo id feram animo, qui rationabiliori interpretationi subscripturus sum non invitus, nil antiquius habens, quam in nullum meæ mentis sensum jurare. Nam egometipse jam olim credidi *Ostiensem*, cæterosque assertæ ab eo supputationis Chronologos, ab *Zottonis* Ducatu ad annum *Christi* 891. annos quidem 330. computasse, nec tamen sensisse *Beneventanæ* Dynastiæ primordia fuisse exorta in anno 561. atque priusquam *Langobardorum* gens universa ad *Italiam* pervenisset; quippe qui eam annorum summam ex singulorum Dynastarum intervallis collegissent, qui multoties annos habuere communes, nec eos, ut decebat, advertissent intercalare; atque hac ratione contigisse, ut qui 320. computandi fuerant, 330. dinumerati sint anni. Sed postmodum opinionem abjeci, judicans nequivisse eos omnes deformi adeo oscitantia in re hallucinatos esse tam clara. alteramque præmonstratam concordandarum discrepantium opinionum viam ingrediendam esse duxi, sique tuus adsit favor, minime pœnitendam.

Quam Paulus Diaconus callide præteriit.

Sed Ostiensis, aliique, licet nolentes, detexerunt.

Quorum dicta fas non est aliter interpretari.

FINIS Dissertationis I.

DISSERTATIO II.

DUCATUS *BENEVENTANUS* CUR INSTITUTUS.

DUcatus nomen a ducendo quod sumat etymon, ipsum ductandi actum primitiva significatione designat; sicut pari ratione Dux dicitur is, atque ductor, qui alios ducit, arbitrioque suo regit, ac moderatur. Sed id quoque quodcunque, sive animatum, sive sit inanime, quod regitur, & ducitur, Ducatus pariter nomine demonstrari, adeo clara res est, ut probatione non egeat ulla: itemque Ducem dici, qui alios ducendi, regendique collatum sibi munus firmiter obtinet, at velut jus quoddam proprium ex gentium consensu, vel ex majoris Dynastæ concessione transfert in filios. Ducatus igitur *Beneventani* vocabulo dum quæro, Cur ille fuerit institutus, hoc volo: Qua scilicet de causa *Langobardorum* Reges omnem gentem suam *Italiam* incolentem *Cis-Tyberinam*, eandemque latissimam regionem uni *Beneventano* Duci regendam, ducendamque permiserint? Itemque cur *Beneventanæ* potius urbi, quam alteri talis fuerit dignitas adtributa? Quæ scitu digna, necdum a quopiam decertata quæstio unico illo, eodemque pronunciato solvi facile posse arbitror, quo altera de tempore instituti Ducatus est resoluta: casu scilicet paucos numero *Langobardos* ad *Beneventum* convenientes, æque casu exigua magnæ Dynastiæ, qualis post fuit, primordia stravisse, nullo tunc nec sapientiori suo consilio, nec alterius celsioris potestatis arbitrio ductos, sicut haud disparibus initiis primariæ urbes multæ, ipsaque domina gentium *Roma*, sua exordia ex parvis habuere. Super exigua autem ista fundamenta sensim dein extructam fuisse Politiam, ac rationem regendi Ducatus, qui indies amplior redditus fuerit, quisquis facile consentiet, qui antedictis consentiendum putaverit; idemque haud invitus adfirmabit, magnæ Dynastiæ sedem in eadem urbe postmodum firmatam, quod sic persuaserit, tum ejus loci amor, & consuetudo, tum ubertas; atque opportunitas ad circumpositam pervadendam, administrandamque regionem. Quod sane tunc firmius sedisse arbitror consilium, cum ex *Sub-Alpina* in *Cis-Tyberinam Italiam* per *Spoletium* novi advenerunt *Langobardi*, regnante *Authari*, ut apud *Paulum Diac.* relato lib. 3. cap. 16. sive 33. verus in hoc populi rumor testatur. At cum ista eo ordine, quo dictum est suspicer contigisse, longe aliter alios sensisse comperio recentiores, qui vel statum, vel consuetudinem suorum temporum contemplantes; relatam, rejectamque jampridem *Pauli* narrationem non ancipiti adsensu excepere, quinimmo eam Paraphrasi quadam sunt interpretati in hanc, quam Caroli Sigonii verbis de Regno *Italiæ* lib. 1. sententiam reddo: *Rex* Autharis, inquit, *exercitu ad has regiones ex improviso adducto, cum alia oppida, tum caput ipsum Provinciæ* Beneventum *ad deditionem adduxit; ubi* Zottonem *Ducem instituit, ac reliqua omissa* Italia, Samnium *in formam Ducatus redegit; sicque ad duos Ducatus insignes* Foro-Juliensem, *&* Spoletanum, *tertius* Beneventanus *est additus.* Hæc ille, *Beneventum* perhibens sedem Ducatus institutam a Rege, quoniam eadem urbs olim quoque fuisset Provinciæ caput. Cujus dicto idem Paulus lib. 2. cap. 11. sive 20. favere videtur, *Italiam* describens in decem & octo, & septem Provincias ex antiquiori institutione, quam adventus contigerit *Langobardorum*, tributam, *Beneventanam*que urbem in *Samnio* locans, quam *circumpositarum Provinciarum caput ditissimam* adpellat. Verumtamen hujus præclaræ quidem urbis dignitati cum ego haud detractum quidquam velim; quin potius hisce meis lucubrationibus celebriorem eam reddere cum pro virili coner; æqui, bonique faciant *Beneventanos* cives exoro, qui suum in cæteras *Cis-Tyberinas* urbes primatum non ab antiquiori, quam ab *Langobardorum* institutione deducere me comperient. Quod plane sic se habere non *Pauli* auctoritas inficiatur, qui *Italiam* relato loco ad eam ferè normam descripsit, qua in Notitia utriusque Imperii, & sub *Theodosio juniore*, hoc est circa annum *Christi* 440. habebatur; nam de *Benevento* quod prodidit, non ad alia, nisi ad sua certum est convenire tempora, quando Ducatus sedes amplissima, ditissimaque ea erat urbs, atque non unius, sed, ut *Paulus* habet, circumpositarum Provinciarum caput existebat: nempe *Samnii*, *Campaniæ*, *Apuliæ*, *Lucaniæ*, & *Brutiorum*, sive ex toto, sive ex parte, quod in subsequenti Dissertatione constabit.

Ducatus, non unum sonat, sed ipsummet; Ducere: & Quod ducitur, Jusque ducendi.

Beneventanus vero casu exortus.

Firma[...] est ab Re[...] Langobardorum A[...]thari.

A quo credit Sigonius consulto & in ea urbe omnium primaria institutum,

Haud [...] favente Paulo Diacono.

Siquid[...] Provinciarum caput [...] cœpit esse [...] non Beneventum.

bit. *Samnio* autem dum ille eam tribuit, haud ex coæva *Langobardis*, sed ex antiquiori id facit, & a priscis *Samnitibus* observata descriptione; siquidem *Plinius* auctor est lib. 3. cap. 11. *Augustum*, *Apuliæ* contribuisse *Beneventum*, quam urbem a recentiori alio Imperatore, qui *Italiam* iterum descripserit, idque non semel contigit, *Campaniæ* contraditam fuisse ambigendum non est; quippe quæ in Actis *S. Januarii* ejus Episcopi, qui passus est sub *Diocletiano*, ad Præsidis *Campaniæ* regimen spectasse deprehenditur: Nec non ab Ausonio in De his, qui sexum mutarint, *Campana urbs* dicta reperitur:

Qua Campaniæ, tunc contributa.

„ *Nec satis antiquum, quod* Campano *in* Benevento.

„ *Unus epheborum virgo repente fuit.*

Qua etiam ratione in Itinerario, quod tribuitur *Antonino*, *Campaniæ* Limes figitur ad *Equum Tuticum*, vulgo nunc *Ariano*. ex *Philippi Cluverii* observatione in Antiqua *Italia* lib. 4. cap. 8. hoc est ad urbem *Benevento* ulteriorem. Verba sunt Itinerarii: *A* Capua Equo Tutico *M. P. LIV. ubi* Campania *limitem habet.* Caudis *M. P. XXI.* Benevento *M. P. XI.* Equo Tutico *M. P. XXI.* Nec alia mente antiquus *Horatii* Scholiastes *Porphyrio* ad Satyr. 5. lib. 1. *Trivicum* eodem tractu situm in fine dicit esse *Campaniæ*. Atque huc etiam referendum est *Beneventanos* sua in urbe complura in lapidibus Elogia Consularibus *Campaniæ* posuisse, sicut pari modo consimilia monumenta iisdem Præsidibus *Campani*, *Neapolitani*, aliique ejusdem regionis municipes dicaverunt, quæ videre est in operosissimo Inscriptionum totius Orbis vere Thesauro. Ex quibus documentis aperte etiam constat, cur *Januarius Beneventanus* Episcopus, qui Concilio interfuit *Sardicensi* in anno celebrato 347. ibi subscripserit, sicut nonnulli habent editi Codices, hac forma: *Januarius* a *Campania* de *Benevento*; namque Episcopis ea tunc fuit subscribendi consuetudo, nomen scilicet propriæ urbis, & Provinciæ profitendo; qua eidem subsignasse Concilio comperiuntur *Maximus* a *Tuscia* de *Luca*. *Lucius* ab *Italia* de *Verona*. *Fortunatus* ab *Italia* de *Aquileja*. *Stercorius* ab *Apulia* de *Canusio*. *Severus* ab *Italia* de *Ravenna*. *Ursacius* ab *Italia* de *Brixia*. *Protasius* ab *Italia* de *Mediolano*. &c. Quibus in subscriptionibus, ut hoc obiter notem, *Italiæ* adpellatione non omnis demonstratur *Italia*, *Supero*, *Inferoque mari*, & *Alpibus* circumclusa, ut est manifestum; sed ejus quædam Provinciæ, quæ Magistratui parebant Vicario *Italiæ* nuncupato; qua speciali acceptione id vocabulum extat etiam apud *Erchempertum* initio Num. 2. atque apud *Anastasium Bibl.* in *Zacharia*, in *Stephano* 2. & in *Stephano* 3. aliosque, licet non semper omnimode eadem locorum designatione. Sed his omissis, iterum ad *Sigonium*, ac ad *Beneventi* redeo primatum, qui plane ad *Langobardorum* institutionem referendus ob id quoque videtur: quoniam ea urbs sub illorum adventu haud priscam tuebatur dignitatem, cujus muros a *Gothorum* Rege *Totila* dirutos fuisse testatur *Procopius* libro extremo. At reliquam *Sigonii* in præscriptis verbis sententiam de triplici insigni Ducatu a *Langobardis* constituto, cum nullius noverim nec antiqui, nec idonei auctoris auctoritate fulciri, eam tamen plerosque recentiores, quos præterire juvat, amplexatos esse, comperio: quibus sane peritius, sicut ætate prior *Matthæus Palmerius* in Chron. ad ann. 776. de *Langobardorum* imperio, & Ducatibus hisce tribus sic habet: *Regia eorum*, inquit, *apud* Ticinum *constituta*, *varios præterea Principatus per* Italiam *habebant*, *quibus gentium suarum præponebant Duces*: *inter quos præcipui*,

Itinerarium etiam Hierosf. fines Apuliæ & Campaniæ notat ad Equum Magnum, dictum. Tuticum, Antonino. Atque hoc pacto Pelagianus ille Julianus Episcopus Eclanensis depravate aliis dictus. Atelanensis utique Campanus fuit; hoc est, ex Campania nam Eclanum, sive Æculanum, modo Frequentum, in eodem Ariani, & Trivici est tractu situm. Estque ad Frequentum Ampsancti vallis, quam Servius in latere Campaniæ & Apuliæ ubi Hirp. sunt, locat. Non admodum felici utebatur sorte.

A & *per successiones observati sunt*, *unus apud* Forum Julii *in ipso* Italiæ *ingressu*; *alius apud* Spoletium, & *in media pene* Italia: *tertius* Beneventi *ad inferiorem* Italiæ *partem regendam*. Hæc *Palmerius*, & quidem congrue *hos præcipuos*, *ac per successiones observatos* dicit, non autem eos solos institutos: quoniam in ipsis *Langobardorum* primordiis multo plures fuerant Duces, & Ducatus, hoc est numerum complentes Ducum triginta sex, totidem, quas pervaserant, obtinentes urbes, ut auctor est *Paulus Diac.* lib. 2 cap. ult. quippe quod æque in totidem Tribus, sive turmas gens illa omnis distributa haud dubie tunc haB bebatur. Verba sunt Pauli: *Post mortem*, inquit, *Regis* Cleph Langobardi *per annos decem Regem non habentes*, *sub Ducibus fuerunt*; *unusquisque enim Ducum suam civitatem obtinebat*: Zabam Ticinum, Wallari Bergomum, Alachis Brixiam, Evin Tridentum, Gisulfus Forum Julii, *sed & alii extra hos in suis urbibus triginta Duces fuerunt.* Hæc ille. Ex quibus hoc habes amplius, non triginta solummodo, nec tunc primum mortuo *Cleph*, fuisse ordinatos Duces, quod *Langobardi* Regiam abominarentur potestatem, sicut recentiores, fere omnes persuasum habuere; sed extra præscriptos sex Duces, alios triginta, quos C olim Rex *Alboinus*, atque *Cleph* pervasis præfecerant urbibus, ad Comitia pro novo Rege eligendo convenire differentes, singulos interim singulas moderasse attributas sibi *Langobardorum* turmas, *Regem*, ut *Paulus* tradit, *per annos decem non habentes*: quibus tandem transactis, *Autharim* communi omnium voto Regem esse salutatum, idem habet auctor lib. 3. cap. 8. sive 16. qui addit *ad ejus*, & *successorum Regum usus Duces*, *qui tunc erant*, *omnem substantiarum suarum medietatem tribuisse*. At *Qui tunc erant*. dixit; namque ad præscriptum numerum haud diu permansere, sicut agnoscere est ex eodem *Paulo* nullos alios D Duces, nec Ducatus per subsecutos annos in reliqua Historia commemorante, præter *Tridentinum*, *Taurinensem*, *Bergomensem*, *Brixianum*, *Spoletanum*, *Foro Juliensem*, atque hunc ipsum *Beneventanum*, quos nec omnes perennasse, certum est, ita ut verum probetur *Palmerii* dictum, postremos hos tres solos *inter plures* Langobardorum *Ducatus præcipuos*, & *per successiones esse observatos*. At ille submurmurasse quoque videtur, eos non casu, sed a Regibus, qui cæteros, ut par est credere, desuevisse voluerunt, præcipuo quodam consilio fuisse servatos; nempe quod iis universæ *Langobardorum* Reipublicæ bene ireE tur consultum; quandoquidem sic per *Italiæ* longitudinem distributi haberentur, ut tum ad hostes repellendos, tum ad Regni fines producendos opportunissima futura essent propugnacula: hoc est *Foro Juliensis* ad externos repellendos incursus: *Spoletanus* ad *Romanos* atque *Græcos* ex *Ravenna*: *Beneventanus* autem ad eosdem *Romanos*, & ad *Græcos Cis-Tyberinos*, quibuscum perpetua *Langobardi* exercuere bella, eorundemque assidue incursavere, perstrinxereque regiones. A qua *Palmerii* sententia recedendum minime puto; siF quidem præscriptum triplicem Ducatum obnoxium iisdem Regibus semper fuisse, notum est satis; atque adeo rationi maxime congruit, & Duces eos, & Reges, dum avita libuit fœdera, & leges servare, in unam pariter consensisse Rempublicam, easdemque Dynastias hoc pacto magis, magisque in dies firmatas, redditasque esse celebriores, quas præterea suos fines sensim dilatasse, certa est Historia: nosque de *Beneventana* statim aperiemus, secus ac *Sigonius* existimasse videtur, submurmurans eas ab incunabulis, & ex institutione præclaras semper fuisse, atque insignes. Verum-

Ejusque Ducatus nec ab institutione cæterorum præcipuus fuit.

Qui in Italia ad numerum triginta sex simul suborti.

Non omnes perennarunt.

Isto cum aliis paucis manente, Reipublicæ bono Langobardorum.

Verumtamen ille suæ insistens opinioni aptius dixisset. *Insigniores.* qui noverat ex Paulo Diacono plurimos in ipso *Langobardici* Regni exordio ordinatos Duces, tradideratque eodem lib. 1. *in omnibus receptis oppidis Duces, & valida præsidia* Langobardorum *imposita.* Ni, forte, hos voluit militaris tantummodo, ac temporanei muneris honore fuisse decoratos, *Foro Juliensi*, excepto, atque *Spoletano*, & *Beneventano*; quorum Foro Juliensem *perpetuam in* Italia *ditionem primum esse adeptum*, perite observavit. Sed triginta sex omnes illos primitivos Duces, inter quos *Beneventanus* perperam a multis ponitur, & quidem *Pauli* Chronologia repugnante, perpetuas pariter, & in diem vitæ semel sibi adtributas retinuisse Dynastias, nec ratio sane, nec auctor suppetit, qui magnopere suadeat negandum. Pares igitur dignitate, ac ditione fere pares, sicut munere omnino haud dispares, a primis *Langobardorum* Regibus trigintasex fuere instituti perpetui Duces, qui gentem omnem, velut in totidem Tribus divisam, perque pervasas *Italas* urbes distributam, ducerent, regerentque; quorum præcipui lapsu temporis observati sunt *Foro Juliensis*, & *Spoletanus*, & qui seorsim ab omnibus sua habuit initia, *Beneventanus*, ut est dictum.

Quos non temporarii. sed perpetui administrarunt Duces.

FINIS Dissertationis II.

DISSERTATIO III.

DUCATUS *BENEVENTANUS* QUAM LATE PATUIT.

Terminos Ducatus *Beneventani* vel ab ejus primordiis latè protensos, haud pauciores duodecim, sive urbes, sive oppida conclusisse, eopse Ducatus, & Ducis vocabulo norit qui Duces novit, velut ex lege quadam, totidem urbibus præfici consuevisse; quod præclarè *Petrus Pithœus* ex Appendice ad *Aimoinum* observavit in Advers. subsec. lib. 1. cap. 8. verba auctoris ab eo laudati hæc sunt libr. 4. cap. 61. Pipinus, inquit, *domum reversus* Grisonem *more Ducum duodecim Comitatibus donavit.* & libr. 5. cap. 11. Baldrico *Duci* Foro Juliensi *dum objiceretur, & probatum esset ejus ignavia, & incuria vastatam a Barbaris regionem nostram fuisse, pulsus est Ducatu, & inter quatuor* (hoc est duodecim) *Comitatus est ejusdem potestas divisa.* Atque hoc adeo est verum, ut *Robertus Guiscardus*, qui *Apuliæ*, dum eam solam obtinebat, dicebatur Comes, postquam *Brutiis*, sive *Calabria* potitus quoque est, ampliorisque Dynastiæ factus est compos, appellari voluerit Dux, ut tradit *Ostiensis* lib. 3. c. 10. & 16. licet jampridem potuisset hoc nomine decorari, quippe qui sub se duodecim ad minus Dynastas habebat, quot pariter habuerant ejus decessores Comites, teste eodem *Ostiensi* lib. 2. cap. 63. sed haud Duces nuncupati sunt: quoniam, ut reor, sive ejus nominis invidiam declinare elegerunt, minoris dignitatis alterum suscipientes: sive olim usurpatum dimittere nefas putarunt, quod illorum primus *Gulielmus* acceperat a duodecim sibi subjectis, at non magnarum copiarum Capitaneis, qui trecentos in solidum, nec plures milites, vel dicas equites sub se habebant, ut eodem loco idem habet auctor: viginti quinque scilicet militibus cuilibet Capitaneo tributis; idque ex consueto apud eam gentem more, si probè capio tum *Leonem* ibi iterum eundem militum numerum alia occasione enunciantem, tum ejus continuatorem *Petrum Diaconum* lib. 4. c. 39. & 61. Atqui Duces quoque nil minus pluribus oppidis,

Dux, qui duodecim urbibus præest.

Comitesque Apuliæ *sero dicti* Duces: *arcana quadam causa.*

Nec olim quælibet legio plures habuit equites in decem turmas tributos.

Quandoquidem Comites Ducibus subjecti fuere.

A quam pluribus Comitibus præpositos fuisse, qui singulas singuli administrarent, obtinerentque urbes, multis etiam probari potest exemplis; quorum unum *Gregorii Turonensis*, sive ejus Appendicis lib. 11. c. 78. dare sat erit; qui innominatus auctor *Dagoberti* Regis *Francorum* exercitum recensens, in eo convenisse ait decem Duces, *exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem super se non habebant.* Ita ut congruè observasse quis dixerit *Gulielmum Durandum* in Rationali Divinorum officiorum lib. 2. cap. 1. num. 15. Duces Archiepiscopis, Comites Episcopis respondere; atque *Aimoinum* in vita S. *Abbonis Floriacensis* cap. 16. juxta

B eandem hanc legem adpellasse; Guillelmum Sanctionis *filium* Burdegalensem *Comitem, ac totius* Guasconiæ *Ducem*, a qua planè interpretatione stat *Jacobus Sirmondus* in Notis ad *Sidonii* epist. 17. lib. 7. eamque aliis firmat exemplis: tu illum vide. Non igitur primus *Beneventanus* Dynasta, qui sub Ducis nomine, munere, & dignitate fuit institutus, hac oportuisset adpellatione, atque titulo decorari, ni quæ propria erant Ducum, hoc est duodecim ad minus urbes, obtinuisset. Verum cum satis constet, quod adnotavit Titus Livius libr. 1. *urbes quoque ut cætera ex infimo nasci, deinde quas sua virtus, ac Dii juvent magnas*

C *opes, magnumque nomen sibi facere*, etsi omnis sileret Historia; ex hoc solo communi rerum universarum ordine inferendum videretur, *Beneventanum* Ducatum haud ex aliis, quàm ab exiguis primordiis in magnam excrevisse ditionem. At Historiæ non desunt multæ, quibus post parva incunabula in diés majora incrementa eum suscepisse docemur, ut post dicam. Nec sanè Ducis, & Ducatus vocabulo multarum semper urbium demonstrari consuevit Dynasta, nec Dynastia; sicut in re nostra clarè est videre apud *Paulum Diaconum* enumerantem, ut dictum est, trigintasex *Langobardorum* Duces, & Ducatus totidem

D utique urbibus attributos, tuncque non ultra *Tusciam* porrectos, qui quidem singuli alias urbes ad duodenarium usque numerum sub se habere haud potuerunt; nam quadringentarum triginta duarum civitatum summam, quæ ex 36. per 12. ductis consurgit, nec scimus, nec putamus in ea unquam fuisse *Italia.* Qui igitur singulas urbes, gentiumque turmas regendas tunc obtinuissent, Ducis nomine adpellati primitus fuere; sique Blondo est fides Historiarum lib. 8. id instituit *Longinus Italiæ* Exarchus, eodem propemodum tempore, quo advenere *Langobardi*; namque, ut allegatus ait auctor, *in administratione urbium, quæ*

E *in* Justini *Imperatoris partibus cum* Roma, *&* Ravenna *duraverant, hunc primus servavit morem, ut non provinciæ, aut regioni præesset Præses, sive quispiam Magistratus; sed singulæ urbes, singula oppida a singulis custodirentur, regerenturque Magistratibus, quos appellavit Duces; paremque faciens urbem* Romam *aliis* Italiæ *urbibus, vel oppidis, hac una in re illam honoravit, quod impositum tunc Magistratum Præsidem appellavit, sed qui successerunt appellati sunt Duces, ut postea per multos annos sic* Romanus *appellaretur Ducatus, sicut* Narniensis, *&c.* Hæc *Blondus.* Verumtamen sive *Langobardi* hunc acceperint morem a *Græcis*, sive hi ab illis,

F sive altius sit rei origo ducenda, planè constat posterioribus quoque temporibus, quando usus invaluerat, ut Duces dicerentur, qui pluribus præessent Comitibus, urbes tunc apud nos plerasque haud admodum amplam ditionem obtinentes, Dynastis tamen paruisse Ducum nomine insignitis: nempe *Amalfim*, *Surrentum*, *Cajetam*, & ipsam modo caput rerum *Neapolim.* Et *Romani* quidem Ducatus plurima est mentio in *Anastasio* Bibl. qui & *Firmani*, & *Auximani*, & *Anconitani*

Sicut Episcopi Archiepiscopis.

At Duces quoque dicti, qui haud multas regunt urbes.

Rex Alboin non ulterius pervenit, ut constat ex eodem Paulo libr. 2. c. 12. sive 26.

Idque ex suppari institutione Exarchi, sive Langobardorum.

conitani in *Hadriani* vita; & *Ariminensis*, & *Ferrariensis*, & *Nepesini*, & *Perusini*, & *Clusini*, & *Firmani*, & *Ravennatis*, aliorumque meminit aliis in locis; quos manifesta res est, nec omnes duodecim sub se, sive plures, sive pauciores habuisse urbes; ut hinc dilucidè jam agnoscere valeamus satis fuisse, ut quis Ducis nomine insigniretur, ejusque sedes adpellaretur Ducatus, modo alios ducendi, regendique jus obtineret. Etsi, ut nihil dissimulem, hoc quoque accedere oportebat amplius, ne in annum, vel ad nutum, sive Populi, sive majoris Dynastæ, qua lege tunc Comitibus civitates committi consueverunt, præficeretur Ducatui: sed illum firmiter obtineret, pro quo alteri deserviret quidem, sed laxiori quodam imperio adstrictus: Nomine autem Ducatus aliquando etiam dictam cogita cujusque urbis ditionem, quæ licet minimè ab ejusmodi Duce possideretur, istud tamen vocabulum proportione quadam aptè ei conveniret; sicut Comitatus quoque dici consueverunt tum civitates, earumque territoria, quibus Comites præessent, tum cæteræ omnes paris nempe conditionis, quæ nullis Comitibus obedirent. At de his commodus præsens non est latius disserendi locus, cumque iis alia, quæ huc faciunt, omitto. Sed noscant hinc opus est, qui aliter credidere, Ducis adpellatione non liberæ tantummodo, sed cujuscunque urbis Præsidem olim demonstratum, quem *Italicus* vulgus ex affinitate litterarum, dialecto variante, de quo aliquid adnotavi ad Stemmata Principum *Beneventi* lib. 1. dixit, *Duca*, & *Doge*. At *Beneventanæ* Dynastiæ terminos in dies, ut prædixi, nova circummanentium urbium adjectione a suis Ducibus fuisse distentos, quibus tamen fuerit aliquando detractum, ex subsequentibus licebit observare; namque singillatim ejus adnotatum imus fines ut quam latissimos unquam extitisse arbitramur.

Qui Comitibus honestiores.

FINIS Dissertationis III.

DISSERTATIO IV.

FINES DUCATUS *BENEVENTANI* AD OCCIDENTEM.

Beneventanus Ducatus Romano & Spoletano conterminus.

BEneventani Ducatus quadrifariam dispartientes descriptionem (ad cælestis aspectus scilicet normam, nec tamen exactam, nam illa cui esset bono?) ut Geographorum more ab occidentali plaga ducamus exordium, explorata constat observatione, illum ex hoc latere cum *Romanæ* urbis ditione, cumque altero *Langobardorum* insigni Ducatu concurrisse, hoc est *Spoletano*, qui & ipse *Romanum*, sed a Meridie, Ducatum contingebat. Quocirca Anastasius Bibl. in *Gregorio* 2. utrosque *Langobardos* Dynastas haud dubiè demonstravit verbis illis: *Hinc inde Duces*, inquit, Langobardorum *circumdantes* Romanorum *fines*. & infra iterum. *Munera tunc hinc inde Ducibus* Langobardorum, *& Regi pollicentes plurima*. Quem quoque finem ad Occidentem innuisse videtur Constantinus Porphyr. De Admin. Imp. c. 29. Saracenos, dicens, *a* Bario Langobardiam *omnem* Romam *usque annos quadraginta*: (an castigandum. *triginta*?) *tenuisse*. siquidem ille *Cis-Tyberinam Italiam* adpellavit *Langobardiam* ab incolentibus *Beneventanis Langobardis*, latéque regionem obtinentibus, de qua nominis usurpatione infra uberior erit disserendi occasio. At quam prope *Romam* hi suos protenderint fines, non satis constat. Nicolaus Alamannus in Dissertatione de Parietinis *Lateranensibus* restitutis cap. 15. non abnuit ad quatuor, & viginti stadia juxta eam urbem productos, hoc est ad milliaria tria: ad subnotata enim verba *Romani* Pontificis Gregorii 2. scribentis Imperatori *Leoni Isaurico*,

Romam pervenit ad stadia viginti quatuor.

A quæ in priori ejus sunt epistola *Græcè* & *Latinè* edita a *Baronio* ad annum 726. *Scis*, inquit *Gregorius*, Romam *Imperium tuum ulcisci non posse*, *nisi forte solam Urbem propter adjacens illi mare, & navigia. Sed si ad quatuor, & viginti stadia* Roma *fuerit egressus Papa, nihil tuas minas extimescit*. Ad hæc inquam verba sic ille commentatur: *Hoc non de Cœmeteriorum latebris, ut docti viri opinantur*, Gregorius *dixit*, *sed de* Beneventani *Ducis præsidio, de quo in epistola meminit, quam ad* Carolum Martellum *dedit, & in hac ipsa ad* Leonem *declarat. Ad quatuor*, *inquit*, *& viginti stadia secedet in regionem* Campaniæ Romanus *Pontifex*, *tum tu vade ventos persequere*. Hæc *Alamannus*.

B Et quidem ut Pontificem locutum credamus de *Beneventani* Ducis præsidio, qui eo tempore erat *Romualdus* 2. si *Pauli Diac.* stat supputatio, sin mea, quam suo loco aperiam, *Gregorius* Dux erat Papæ cognominis, validè facit *Campaniæ*, scilicet *Romanæ* designatio, ad quam manifestum est *Beneventanum* pervenisse Ducatum. Atqui tam arctè perstrictam tunc *Romam*, quis credet? quæ consentit Historia? Numerum tamen stadiorum bis intentè repetitum haud putare nobis licet a librariis corruptum, sive a Pontifice per quendam excessum prolatum. Nodum ta-

C men facile solves, si 24. stadia non ab *Roma*, sed ab *Romanæ* ditionis finibus ad eam, quæ primo occurrebat loco, munitaque habebatur hujus Ducatus urbs, dinumeranda esse censeas. namque *Romam* pro *Romano* agro idem Pontifex usurpavit in præscriptis verbis: *Scis*, inquit, Romam *Imperium tuum ulcisci non posse*, *nisi fortè solam Urbem propter adjacens illi mare, & navigia*. sicut *Salernum* pro *Salernitano*, *Beneventum* pro *Beneventano*, *Capuam*, pro *Campano*, *Neapolim* pro *Neapolitano*, & similia, tum *Erchempertum* Num. 20. & 35. tum alios communi loquendi more dixisse, certa observatione est manifestum.

Nempe extima ejus urbs totidem stadiis ab Romano *dirempta est agro.*

D Verumtamen quæ tunc nostratium *Langobardorum* ea fuerit urbs, quæ præ aliis ad *Romanam* adcesserit ditionem, me nondum comperisse, ingenuè fateor; nam, silentibus antiquis, temerè *Soram* fuisse adfirmarem; tametsi *Beneventanum* Ducatum non alibi legerim, nec Principis *Radelchisi* Capitulare Num. 9. consentiat ulterius unquam productum; certeque *Sora*, & confinia nonnulla oppida, ut idem *Erchempertus* perhibet Num. 21. & 25. Ignotusque *Cassinensis* Num. 23. aliquando a *Campanis Langobardis* administrata fuerint, quod perinde est, ac dicere ad *Beneventanam* spectasse regionem, a qua tandem subtracta, trans-

Complexusque est Soram.

E ierunt ad *Spoletii* Ducem genere tunc *Francum*: eaque jam olim invaserat, ut *Paulus Diacon.* tradit lib. 6. cap. 9. sive 27. *Beneventanus* Dux *Gisulfus* decessor præmemorati *Romualdi*. Sunt ejus verba, sicut excerpta habentur in scripto quodam, & antiquo membranaceo Codice Monasterii Monialium *S. Mariæ Campanæ* urbis, atque ut ea recensuit *Philippus Cluverius* in Antiq. Ital. libr. 3. c. 8. ubi de oppido *Arce*, sive *Arcano*. *Hac denique ætate*, inquit *Paulus*, Gisulfus Beneventanorum *Ductor* Soram, Romanorum *civitatem*, Arpinum, Arcem, *atque* Aquinum. (deficit *Aquinum* in præfato antiquo Codice) *pari modo oppida cepit*. Sed

Atque Arpinum, Arcem, Aquinum.

F processerant quoque jampridem *Langobardi*: ac, ni fallor, himetipsi *Beneventani* ad loca circa *Soram* posita pervadenda, quod S. Gregorius Magnus Dialogorum lib. 4. cap. 22. his verbis demonstrat: *Hoc* Langobardorum *tempore*, inquit, *in hac Provincia*, *quæ* Sora *nominatur*, *quidam Monasterii Pater vitæ venerabilis* Soranus *nomine fuit*, *qui captivis advenientibus*, *atque a* Langobardorum *deprædatione fugientibus*, *cuncta quæ in Monasterio videbatur habere*, *largitus est*. & infra. *Ex-*

pensis verò rebus omnibus, Langobardi *ad eum subitò venerunt*, *eumque tenuerunt*, *& aurum ab eo petere cœperunt*. Hæc Sanctus Pontifex, qui tunc quoque *Aquinensem* urbem eo devenisse tradit Dialogorum libr. 3. cap. 8. utpost mortem Episcopi *Jovini* in ea, *nec quis Episcopus fieret*, *nec quibus fieret inveniretur*, immani tunc quoque lue in ejus populum grassante, quæ eodem *Paulo Diac.* auctore lib. 2. cap. 4. & 12. sive 26. universam delevit *Italiam*. Per quæ etiam tempora, & sub *Romano* Pontifice *Pelagio*, qui diem obiit anno 590. *Langobardi* non admodum inde dissitum *Cœnobium B.* Benedicti *Patris* (verba sunt præfati Pauli lib. 4. cap. 6. sive 18.) *quod in* Cassino *Castro situm est*, *noctu invaserant*, *ac diripuerant*; sicut recte tempora adnotavit *Ostiensis* lib. 1. cap. 2. quamvis *Sigebertus* in Chronico id factum ponat in anno 596. ejusdemque *Pauli* supputatio post annum sexcentesimum contigisse expetat, de quo dicam in Chronologia Par. 1. Num. 2. Devastationem vero tam præclari Cœnobii a sancto viro constructore adhuc inter vivos agente prævisam, ibique direpta tunc omnia, sed ne unum quidem hominem detentum fuisse, prædictus *Gregorius Magnus* testatur Dialog. libr. 2. c. 17. super quam amarissimè illum flevisse tradit: etsi, ut eventus docuit, ea futura erat minor altera, qua idem Monasterium a *Petronace* reparatum iterum *invasum*, *destructum*, *atque incensum est a* Saracenis *Prid. Non.* Septembris *Anno Incarnationis Dom.* 884. *Abbate quoque* Berthario *juxta Altarium B.* Martini *gladio tunc trucidato*, ut Ostiensis habet lib. 1. c. 43. revelata namque cœlesti viro fuit calamitas loco inferenda a se constructo, non altera, qua *Petronacis* opus erat periturum, deque ea indolendum illi esse haud congruum duxit Divina Sapientia. At *Langobardi*, ut unde discesseram me reducam, ea forte tunc non retinuerunt, sed popularunt tantum loca, utpote suam exuperantia non habendi cupidinem, sed facultatem servandi, dum gens deficiebat, nec adhuc succreverat, ut post fuit, quæ amplissimas regiones custodire, atque incolere sat esset. Immania autem ista in *Cassinense* Monasterium, in *Aquinensem* Urbem, & in *Soranam* Provinciam nostratibus *Langobardis* ea ratione adscribere me cogita, ut si quis a *Spoletanis* potius, sive docuerit, sive putaverit fuisse commissa, haud valde sim pugnaturus: etsi recentiores nonnulli direptum *Cassinense* Cœnobium a *Beneventanis* firmiter crediderunt, hac, ni fallor, conjectura persuasi, quoniam illud intra hujus Ducatus fuit confinia. At id utcumque se habeat, certè *Gisulfus Beneventanus* Dux centesimo post anno ab *Zottone Soram* usque & ad proxima oppida terminos suæ Dynastiæ promovit; *qui tempore* Joannis *Papæ* ulterius quoque eos producere est aggressus, & *cum omni sua virtute* (verba sunt Pauli Diac. lib. 6. cap. 9. sive 27.) Campaniam *venit*, *incendia*, *& deprædationes faciens*, *& usque locum*, *qui* Horea *dicitur*, *castrametatus est*, *nullusque ei resistere potuit*. *Ad quem Pontifex missis Sacerdotibus cum Apostolicis donariis*, *universos captivos de eorum manibus redemit*, *ipsumque Ducem cum suo exercitu ad propria repedare fecit*: Nempe obtinuit, ne *Gisulfus*, cui nullus obsistere valebat, ulterius progrederetur, sed *Beneventanos* teneret, servaretque fines. Post quæ damna *Romanos* Pontifices, *Beneventanosque* Duces, qui *Joannem*, & *Gisulfum* subsecuti sunt, mutuam coluisse amicitiam, inferendum videtur ex *Cassinensis* Cœnobii restauratione, de qua *Paulus Diaconus* lib. 6. cap. 13. sive 40. & *Ostiensis* lib. 1. c. 4.; namque eam curavit *Petronax Brixianus* civis suasu *Gregorii* 2. ab anno *Christi* 720. ut constabit in Chronologia Par. 1.

Et Cassinum *in quo B.* Benedicti *Cœnobium* Langobardi *diripuerunt.*

Sive nostrates, sive Spoletani.

At Beneventani *aliquando ulterius procedere nisi, muneribus primum* Romanorum *Pontificum deliniti.*

Mox icto fœdere redditi eorum fautores.

A Num. 2. sacerque ille locus intra fines erat *Beneventanos*, ut dixi. Quo etiam fœdere, & amoris vinculo idem Pontifex fretus, securum se fore confidebat ab Imperatore *Leone Isaurico*, ut in Epistola ad eum data post annum 726. de qua actum est paulo ante. Quocirca censendum videtur, hujus Dynastiæ terminum cis *Hoream* constitisse, quæ trans *Soram* certè fuit, ut ex eo intelligimus, quod hanc nostrates *Langobardi*, ut superius observatum est, longa ætate obtinuerunt, qua novissimè amissa sub *Ludovico Lotharii* filio, fines retrocesserunt ad proximam *Aquinum*, urbem sub jure adhuc perseverantem *Capuæ* Comitum, B sicut apertè docemur ab Ignoto *Cassinensi* Num. 26. Atque huc referendum putamus, apud *Erchempertum* Num. 32. præfatum Imperatorem, Beneventi *fines per* Suram, hoc est *Soram*, non autem ad *Soram* intrasse. Sed hic quoque nobis claudetur terminus iste *Romanos* contingens fines.

Intra Soranos fines se continuere, e quibus tandem retrocesserunt Aquinum.

FINIS Dissertationis IV.

DISSERTATIO V.
FINES DUCATUS *BENEVENTI* AD MERIDIEM.

MEridionale *Beneventani* Ducatus e finibus *Cajetanis* ad Orientem longe porrectum latus, C ac velut pectinatim *Tyrrheno* finitum mari, ordine nunc describam ejusdem maritimæ oræ servato. *Cajetam* sanè nostratibus *Langobardis* nunquam cessisse, Constantinus Porphyr. tradit de Admin. Imp. cap. 27. verbis alias relatis: Langobardi, inquit, *e* Benevento *excursione in omnem ditionem facta*, *subjecerunt eam Themati* Langobardiæ, & Calabriæ *usque* Papiam: *excepta* Hydrunte, Callipoli, Rusiano, Neapoli, Cajeta, Surrento, & Amalphe. Ejusque dictum verum arguit Auctor Itinerarii S. *Willibaldi* apud Surium die 7. Julii; qui Sanctum illum virum *Roma* digressum *Tarracinam* in Oriente, deinde urbem D *Cajetanam*, & illinc marino itinere *Neapolim* pervenisse dicens, addit: *Istæ civitates sunt* Romanorum: *in* Beneventanis *sunt*, *sed tamen* Romanis *sunt subditæ*. *Græcis* nempe, quos *Græcorum* more ob novam *Romam*, *Constantinopolim*, appellat *Romanos*. Et sane *Tarracinam*, ad quam *Procopius* de bello Goth. lib. 1. ex observata ante *Langobardorum* tempora Provinciarum *Italiæ* descriptione fines statuit *Campaniæ*, & *Romanorum*, quorum urbem tunc etiam *Tusciæ* adscriptam scimus, *Græcis* a *Carolo Magno* ademptam, *Romanæque* Ecclesiæ contributam, iterumque ab iis consilio *Arichis* Princ. *Beneventi* receptam, ex E Hadriani Papæ ad eundem *Carolum* constat epist. 64. Qui insuper tum eam, tum *Cajetam Græcæ* partis disertè facit Epist. 73. *Et hoc*, inquit, *Carolum* similiter alloquens, *cognoscat a Deo protecta Excellentia Vestra*; *quia aliquantas civitates nostras* Campaniæ (Romanæ) *operantes æmuli vestri*, *atque nostri nefandissimi* Beneventani, *ipsi nostro Populo persuadentes subtrahere a nostra ditione decertant*, *una cum habitatoribus* Castri Cajetani, *seu* Tarracinensium: *obligantes se validis sacramentis cum ipso Patritio* Siciliæ, *qui in prædicto* Castro Cajetano *residet*: *& decertant a potestate*, *& ditione* B. Petri, *& nostra eosdem* Campanos *usurpare*, *& Pa-* F *tritio* Siciliæ *subjugare*, &c. Patritio nimirum *Siciliæ*: qui unus tum *Siciliam*, tum pleraque alia citra *Farum* loca, ut aliunde constat, sub potestate tunc habebat. Ac *Cajetam*, & perinde adjacentia ei oppida (ad ostia scilicet *Liris* usque & *Trajectum*, quod *Joannis* 8. aperitur Epist. 69. & 74.) labentibus annis, nec sanè multis, *Romano* Pontifici plenè, ac firmiter accessisse, ex *Erchemperto* dignoscimus Num. 65. Sed clarissime ex *Ostiensi* lib. 1. cap. 42. perhibente, *Pandenol-*

Cajeta, *eique conjuncta loca nunquam a* Langobardis *possessa.*

Sic ibi legendum: non *Dexterinam*, ut modo habet: ubi vel ipse externus Auctor: vel imperitus librarius in *Nebulem* etiam detorsit *Neapolis* nomen.

His ne putes obstare: quod *Francorum* Rex *Pippinus Paulo Rom.* Pontif. denunciarit, se Desiderium *admonuisse Regem*, Neapolitanos, *ac* Cajetanos *constringere ob restitutionem patrimonia*, &c. (Sic lege in Ep. 15. *Pauli ad Pipp.*) non Reges Neapolitanos.

nos; ac Cajetanos; qui planè nulli) Nam Langobardorum demonstrabat Regem Desiderium, amicitia tunc apud Græcos pollentem, ut ex ejusdem Papæ liquet ep. 4. Qui etiam vi, & armis Arichis Ducis Benev. non ita pridem a se instituti, compellere illos potuisset, si renuissent.

nolfum Capuæ Comitem, sive Gastaldum, rogasse modo dictum *Joannem* 8., *ut subderet dominatui suo* Cajetam; *nam* Cajetani *eo tempore* Romano *tantum Pontifici serviebant*: Ducem tamen habentes quendam *Docibilem*; quem *Joannes*, ut *Pandenolfum* voti compotem faceret, e suo munere, ni fallor, haud amovit; Quandoquidem *Arichim* quoque Princ. *Beneventi* non absimili exemplo ab Imp. *Constantino Irenes* filio petiisse, obtinuisseque Ducatum *Neapolitanum* (sed rem mors ejus turbavit) laudatus exponit Papa *Hadrianus* epist. 44. etsi eundem tunc detineret Ducatum *Stephanus* Episcopus, & simul Dux, consiliorum *Arichis* conscius, quin etiam consors, eique, ut ex præfata *Hadriani* Epistola est intelligere, arctissimè fœderatus. Sed *Cajetam* haud prorsus amissam tunc *Græcis* fuisse Impp. antiquæ docent chartulæ, eorundem nominibus postea inscriptæ, quam tandem Duces alii possederunt *Campanis* Dynastis consimili ratione obnoxii, de quo opportunius alibi dicendum erit. Sequens vero littus importuosum *Cumas* usque quod *in* Capuana *fine*, ut Capitulare habet Princ. *Sicardi* Num. 13. flumina accipit *Minturnum*, id est *Lirim* ad oppidum olim *Minturnas*, *Volturnum*, & *Patriam*, priscis *Clanium*, *Beneventanos* manifestum est obtinuisse Duces; Siquidem ii & *Capuam* tenuere, perque Comites administrarunt vel ab tempore Ducis *Grimoaldi*: illius nimirum, qui ad Regnum *Langobardorum* ope, & opera *Campanorum* Comium obtinendum est usus, exercitumque Imp. *Constantii* attrivit. Quorum etiam facinore, ni fallor, *Cumanum* proximè post *Patriam* sequens *Castrum a* Langobardis Beneventanis, *superstite adhuc D. Papa* Gregorio Romanæ *sedis*, *pervasum est*; quod perhibet Paulus Diac. lib. 6. cap. 13. sive 40. *Beneventanorum* sane *Langobardorum* nomine eos, qui proximam *Cumis Capuam* tenebant, haud ambigue demonstrans; quandoquidem *Beneventanos* frequenter etiam dictos fuisse quoscunque in *Beneventano* Ducatu degentes, sive indigenas, sive *Langobardos*, certum est. Qua mente sunt Anonymo *Salernitano* Par. 1. Num. 1. Beneventani *Episcopi*, & *Antistites*. Sed *Cumas* Anastasius Bibl. in *Gregorio* 2. pervasas ait *per Indictionem quintamdecimam*, atque adeo in anno sive 3. sive 4. præfati Pontificis, qui ad ineuntem advixit annum *Christi* 731. Ex cujus dicto *Paulus* haud rectam videtur servasse temporum rationem, tradens id patratum *superstite adhuc B.* Gregorio: quod est, extremis ejus vitæ diebus. Nam tametsi ad annum ille pervenisset 732. quo novo Indictionum Cyclo revoluto, quintadecima rursus Indictio censebatur, minimè quidem paucorum dierum spatio peragere ea potuisset, quæ pro memorati Castri recuperatione Anastasius in hæc verba fusius ibidem narrat: Cumanum, inquit, *etiam Castrum ipso fuerat tempore a* Langobardis *pacis dolo pervasum. Quo audito, omnes sunt redditi tristes. Adhortans etiam sanctissimus Pontifex*, & *commonens* Langobardos, *ut redderent, qui si non acquiescerent, in iram se Divinam incidere pro dolo, quem fecerant, suis scriptis detestabatur; nam & munera eis dare, ut restituerent, voluit multa; sed illi turgida mente, neque monitis audire neque reddere sunt passi. Unde nimis idem sanctus indoluit Pontifex, seseque spei contulerat Divinæ, atque munitione Ducis* Neapolitani, & *Populi vacans*, *Ducatum eis qualiter agerent, quotidie scribendo præsentabat. Cujus mandato obedientes, consilio inito, mœnia ipsius Castri virtute sub nocturno ingressi sunt silentio*; Joannes *scilicet Dux cum* Theodimo *Subdiacono*, & *Rectore*, *atque exercitu*; & Langobardos *pæne trecentos cum eorum Castaldione interfecerunt*,

Qui subsequentem maris oram, usque Patriam detinuere. Sed Cumas haud diutius retinere valuerunt.

Etsi Neapolitani Ducatus urbs erat Cumæ Langobardorum, tamen progressibus contristatus Gregorius, suæque etiam timens Romæ, præces, & præmia multa fudit. Quem exemplo præivit Gregorius Mag.

A *vivos etiam amplius quingentos comprehenderunt*, *captos* Neapolim *duxerunt*, *sic Castrum recipere potuerunt*; *pro cujus redemptione septuaginta auri libras ipse sanctissimus Papa*, *sicut promiserat antea*, *dedit*. Hactenus *Anastasius*. At *Langobardi* nec proximum *Misenate* Castellum a *Sicardo* Principe *Langobardorum* (verbis dicam Joannis Diac. *Neapolitani* de Transl. S. *Sosii* apud *Surium*) *post innumera mala*, *quibus urbes nostratium afflixit*, oppugnatione subversum, tenuerunt. In quo notandum *nostrates* dictos a *Joanne* urbium incolas, quæ in *Campaniæ* littore sub *Neapolitano* Ducatu diu permanserunt. *Neapolitani* B autem, ad quos transeo, quamvis nec *Beneventanis* Dynastis, nec *Campanis* Comitibus unquam cesserint, *Beneventano* tamen Principi, jam dicto *Sicardo*; Collatam, & Pristinam (hoc est tributi quoddam genus) *consueti fuerunt dare*, & persolvere, sicut ejusdem Principis aperitur Capitulari N. 2. solvisseque tributa Impp. Occidentis *Ludovico Pio*, *Lothario* ejus filio, ejusque nepoti *Ludovico* 2. *Erchempertus* auctor est Num. 10. ipseque prodit junior *Ludovicus* in Epist. ad Imp. *Basilium*, quæ ab uno servata inedito Anon. *Salern.* publici juris facta est a *Baronio* ad an. 871. N. 54. & seqq. ejusque verba, quæ huc faC ciunt, dabo infra. *Neapolitanos* autem *Græcis* Impp. per hæc, quæ tractamus *Langobardorum* tempora, ex directo, & antiquo jure subjectos fuisse, diuque sic mansisse, testis est luculentus *Constantinus Porphyr.* De Admin. Imper. verbis supra relatis, (verba nec nunc repetam Itinerarii S. *Willibaldi* ibidem producta, rem quæ istam etiam juvant) insuperque his aliis: Neapolis, inquit, Amalphe, & Surrentum, *ad* Romanorum *Imperatorem* (*Græcorum* scilicet, ut jam exposui) *semper pertinuerunt*. Sed hoc libet minutius demonstrare a *Blondo* male traditum, qui Dec. 1. Hist. lib. 8. ait, *se scire* Langobardos D *haud multo post tempora trigintasex Ducum in suis partibus habuisse* Neapolim. Atqui nonne ipsum nomen: *Magister Militum*, ut hinc exordiar, quo *Neapolitanos* Præsides per omne *Langobardorum* ævum nuncupatos observamus, urbem eam probat *Langobardis* non cessisse unquam, quos nunquam, sive inter militares, sive inter civiles Magistratus Magistros Militum habuisse, firmiter tenemus? idque sane vocabulum frequentius audiri cœpisse post Imperii declinationem, & ab Imperialibus potissimè exercituum Ducibus usurpatum, quando & *Magistri Peditum* quoque, & *Magistri utriusque Militiæ* apud eosdem invaluere E nomina? Equidem haud vereor ex hac *Neapolitani* Præsidis nomenclatura conjicere me posse *Neapolitanæ* urbis Duces perpetuos fuisse in his maritimis *Campaniæ* locis *Græci* Imperii propugnatores, quos non *Magistros Militum* Neapolis, ut recentiores ferè omnes credunt, sed absolute, *Magistros Militum*, a priscis, probatisque auctoribus nuncupatos scimus. *Erchempertum* vide Num. 26. 27. 39. &. 44. Capitulare Principis *Sicardi*. Num 1. Epistolas Sancti *Gregorii Magni*, & *Joannis* Papæ 8. pluribus in locis, alioſque multos. Hoc autem de *Græcorum* Imperatorum in *Neapolitana* urbe dominatu adhuc firmat, sed ut F solet, vera falsis admiscens, temporumque & rerum ordinem peturbans, idem qui supra Porphyrogenneta, tradens loco jam dicto, *post translatam* Constantinopolim *Imperii sedem*, *ad* Italiam *missos ab Imperatore* Constantinopolitano *Patricios duos*; *quorum unus* Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphæ *præerat*: *alter verò* Benevento, Capuæ, Papiæ *cum reliquis*; & *tributa quotannis Fisco Imperatoris pendebant*. & infra iterum: Neapolis *antiquum Prætorium erat Patriciorum*, *qui* mit-

de quo infra. Estque etiam subsecutus *Joannes* 8. qui aliena commiseratus damna, instantissimis literis, donariis pluribus præsentiaque sua de *Saracenis* hinc depellendis apud Dynastas cis *Tyberim* omnes vehementer egit.

Nec Misenum obtinuerunt, Neapolim *solummodo vectigalem aliquando habentes*: Græcis *licet Augustis ex antiquo subjectam*.

Quæ diu sic mansit.

mittebantur: & illam, qui tenebat, idem in potestate Siciliam *quoque habebat. Cumque Patricius* Neapolim *appelleret, Dux* Neapoleos *in* Siciliam *abibat.* Hæc *Constantinus.* Cui in his, quæ probamus, consentit Sanctus *Gregorius Magnus* lib. 2. Indict. 10. epist. 32. ad *Joannem* scribens Episcopum *Ravennæ*; apud quam urbem Imperialis Exarchus, hoc est primarius tunc *Græci* Imperatoris in *Italia* Magistratus, sedem habebat. Verba sunt Gregorii: *De* Neapolitana *verò Urbe*, inquit, *Excellentissimo viro Exarcho instanter imminente vobis indicamus, quia* Arechis (Dux scilicet *Beneventi* hujus nominis primus) *ut cognovimus, cum* Arnulfo (*Duce* Spoleti) *se fecit, & Reipublicæ contra fidem venit, & valde insidiatus est eidem Civitati; in quam si celeriter Dux non mittatur, omnino jam inter perditas habetur.* Sic *Gregorii* epistola, quæ data cum fuerit Indictione decima, anno convenit 592. quo *Neapolim* Duce destitutam mansisse docemur; sed ex altera, quæ est 74. lib. 7. Indict. 2. in anno scilicet data 599. intelligimus haud multo post in id muneris fuisse missum *Maurentium*, quem Pontifex scribit, adeo urbis custodiæ invigilasse, ut etiam Theodosium *Abbatem in murorum vigiliis ultra vires suas vehementer affligeret*; adeoque eandem pariter urbem, ut ex epistola, habetur 107. præfati libri 7. Indict. 2. armatis militibus muniisse, ut eos in Monasterio etiam hospitaretur *Angelæ* Abbatissæ. Neque hunc Ducem ab alio dices missum, quam ab *Græco* tunc Imperatore *Mauritio*, qui *Neapolitanorum* jura super possessione adjacentium Insularum *elicita jussione post alios retro Principes ita strictè muniverat, ut ii non haberent, unde justè possent formidare*, quod certo se nosse adserit idem Sanctus Pontifex lib. 9. Indict 4. epist. 53. Firmiter igitur tenendum est; Duces a *Græcis* Imperatoribus *Neapoli* datos; ad quorum utilitatem eam servatam ex eodem intelligimus *Gregorio* lib. 12. Indict: 7. epistola 24. qui pro communi tunc temporis studio, quo *Romani* Pontificatus curam gerens sibi quoque invigilandum esse sentiebat, ne reliqua *Græci* Imperii in *Italia* portio, ac ipsa tandem *Roma Langobardis* accederet, Constantinum *Tribunum custodiæ inibi cùm deputasset, Episcopis* scripsit Neapolitanis, *ut prædicto Magnifico viro Tribuno omnem deberent pro Serenissimorum Dominorum utilitate, vel conservanda civitate obedientiam præstare.* Quo loco *Neapolitanos Episcopos* dictos putamus Antistites urbium *Campani* littoris, quas Dux *Neapolis* in unam velut Provinciam redactas, vulgo appellatam, *Campaniam*, pro *Græco* Imperatore curabat: qua significatione eidem Pontifici lib. 2. Ind. 11. Epist. 1. 2. & 15. dicitur *Scholasticus Judex* Campaniæ & lib. 8. Indict 3. Epist. 12. Gudiscalcus *Dux* Campaniæ; nec alio sensu *Paulo Diac.* lib. 5. cap. 6. sive 12. sunt *Partes* Campaniæ, nescioque an eodem in Epigraphe Epistolæ 3. Papæ *Pelagii* scriptæ: *Dilectissimis, atque clarissimis fratribus universis Episcopis, & cunctis specialiter per* Campaniæ, & Italiæ *Provincias militantibus*: atque apud Acta Sancti *Antonini Surrentini*, de quibus infra. Sed *Neapolis* etsi post Divi *Gregorii Magni* tempora *Græco* Imperio est aliquando amissa, tandemque omnino deperdita, eam planè non alii, nisi quibus administratio demandata, ac concredita ab ipsis Imperatoribus fuerat, usurparunt; de quo sat esse potest unicum ex præmemorati *Pauli* Historia libr. 4. cap. 10. sive 35. depromptum exemplum, quod verbis referam Anastasii Bibl. in *Deusdedit*, ut ea e mendo expurgem, & explanem: Eleutherius, inquit, *Patricius, & Cubicularius egressus* Roma, *venit* Neapolim, *quæ tenebatur a* Joanne Compsino *intarta* (scribo, *antarta*, ut habet *Abbo Floriacensis*: quæ

Nempe ab ætate Sancti Gregorii Magni.

Quando firmata est etiam ei adjacentium Insularum possessio ab Mauritio *Imper.*

Sic quidem, nam laxior illa *Equum Tut.* pertingens, ac *Trivicum*, haud jam manebat *Campania*, quæ tum *Langobardis* cesserat, tum retrocesserat ad mare, quo regionis incolæ, tanquam in loca tutiora se cessarant, eamque (serio dicam) contraxerant. Vide *Festum* in verbo *Antarium*, & ibi *Scalig.* Glossas quoque editas ab *Henrico Steph.*

A vox, aliis non intellecta, sonat *rebellem*; unde apud eundem *Anastasium* in *Theodoro*, *intartizare.*) *Qui* Eleutherius *pugnando ingressus est* Neapolim, *& interfecit Tyrannum.* Ejus autem rebellis vindicem haud sibi, sed *Græco* Imperatori, tunc *Heraclio* apud quem Patriciali dignitate, & Cubicularii munere ille erat decoratus, eam adseruisse urbem, opus non est, ut aliis probem documentis, quam hac una *Hadriani Romani* Pontificis Epistola 44. ad *Carolum Magnum* data, editaque a *Gretserio*; qua aperitur *Neapolim* adhuc sub *Græcorum* Imperio mansisse, expetitamque esse a *Beneventano* Duce *Arichi* 2. vel post annos bis-

B centum ab triginta sex *Langobardorum* Ducum tempore, secus ac *Blondus* opinatus, certoque se scire est professus. Epistola vero *Hadriani*, qua Regi *Carolo* occultam conspirationem sibi proditam a *Gregorio* quodam *Capuæ* Presbytero enarrat, sic habet: *Cum a nobis*, inquit, *enucleatius sciscitatus fuisset Presbyter ille* Gregorius, *retulit nobis dicens, quod dum Domnus* Carolus Magnus *Rex præterito anno a* Capuana *Urbe reversus fuisset* (hoc est in anno 787.) Arichis *Dux suos ad Imperatorem, Deo sibi contrario, emisit Missos, petens auxilium, & honorem Patritiatus una cum Ducatu* Neapolitano *sub integritate* (cum omni-

C bus nempe integris locis ad eundem Ducatum spectantibus; sive integre, atque omnimoda tradita potestate, ut non semel id verbi est apud *Hugonem Falcandum*) *simul, & suum cognatum* Athalgisum (filium Regis olim *Italiæ Desiderii*, qui capto ejus patre a *Carolo Constantinopolim* confugerat) *cum manu valida in adjutorium sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura, quam in vestibus usu* Græcorum *perfrui sub ejusdem Imperatoris ditione. Hæc audiens autem Imperator, emisit illi suos Legatos, scilicet Spatarios duos in ditionem* Siciliæ *ad Patritium eum constituendum, ferentes secum vestes auro textas, simul & spatam, vel pectinem, & forcipes, sicut illi prædictus* Arichisius *indui, & ton-*

D *deri pollicitus fuerat: petentes* Romualdum *ejusdem* Arichisi *filium in obsidiatum:* & cætera digna quidem scitu, sed a nostro instituto aliena: ex quibus unum illud excerpere est visum, *Neapolitanos* in suam urbem suscepisse *Græci* Imperatoris Legatos, ac duos præscriptos Spatarios *cum Bandis, & Signis*: hoc est procedentes obviam eis solemnissimo apparatu, qui postulata *Arichis* adimplere nequiverunt, nam ille in fata concesserat eodem anno. Sed ne in *Neapolitanorum*, ac perinde *Græcorum* rebus diutius, quam par est, dum *Langobardorum* tracto Historiam, immorari

E videar, en tandem promissa Epistolæ portio Ludovici 2. ad *Basilium Macedonem*, quæ velut prædictorum epilogus est, atque confirmatio: *Postremo*, inquit Ludovicus, *de* Neapoli *nobis in* Christo *fraternitas tua monuit, quasi miserimus populum nostrum ad incidendas arbores, & messes igne cremandas, & hanc ditioni nostræ subdendam; cum licet ab olim nostra fuerit; & parentibus nostris piis Imperatoribus tributa persolverit. Verum nos, præter solitas functiones, nihil exegimus, nisi salutem ipsorum*, &c. Hæc *Ludovicus* ad *Basilium.* Sed ex iis dijudicare facile quoque est, proxime post *Neapolim* ejusdem *Tyrrheni* maris urbes, *Stabias*,

F *Surrentum*, & *Amalfim* nec *Langobardis* in eorum primordiis, nec per plures alios annos cessisse; siquidem eas sub regimine *Neapolitani* Ducis diu fuisse, Pontifices *Gregorius Magnus*, & *Hadrianus* suis in Epistolis, quas recitavimus, innuunt, & palam aperit Capitulare Principis *Sicardi* initio. Et *Stabias* quidem *cum* Langobardorum *feritas omnia fere* Campaniæ *oppida igne succenderet, ferroque devastaret*; S. *Antoninus* cognomine dictus nunc *Surrentinus*, tanquam in securiorem, nec obvium

Ad Hadriani Romani *Pontificis tempora.*

Vide laudatos Auctores ad Anonym. *Saler.* Par. 1.

Et ad Ludovicum *Imperatorem* Lotharii *filium.*

Sed Langobardis aliquamdiu pariter restitere Stabiæ.

obvium hostibus locum, qualis maritimus ille tunc habitus est omnis tractus, secessit; ac *Parthenopes*, ut ejusdem S. habent Acta; *ingressus agros* (nempe ejus Ducatum) *amplissimo* Stabiensis *Ecclesiæ Præsuli, nomine* Catello *adhæsit*. quod contigisse non admodum post *Langobardorum* adventum, jure me opinari posse existimo; quandoquidem ex ingenti illa clade; quæ in universam ferè *Campaniam* est ab eis illata; nempe in mediterraneam, fugisse *Antoninum* oportet ad littoralem a bello tunc immunem, & a *Græcis* servatam: Ni velimus in iis Actis eadem supra exposita acceptione *Campaniam* demonstrari littoralem, quam Princeps *Sicardus* plane omnem iteratis vicibus tum solus, tum una cum patre *Sicone* divexavit, a qua interpretatione libens quoque starem. At Sanctum virum e direpto a *Langobardis Cassinensi* Cœnobio sub Duce *Zottone* fuisse digressum, si quis potius judicandum duxerit (modo non majus obstet impedimentum) ab opinione seduci non debet sua ex hoc; quod *Latii* non *Campaniæ*, urbs olim fuit *Cassinum*; namque *hæc regio a* Tyberi *prima* Italiæ *servata est ex descriptione* Augusti, ut perhibet Plinius lib. 3. cap. 5. qui *Cassinum* in ea manifesto locat. Veruntamen ejusmodi pugnat sane magis adsertioni, quod *Cassinenses* tunc *Romam* unanimi voto, ac fuga, omnes se receperunt, ut subindicat *Ostiensis* lib. 1. cap. 2. quodque laudata *Antonini* Acta Monachum cum haud produnt tempore *Stabiensis* secessus, sed in clericali munere apud Episcopum *Catellum* primum mansisse, testantur: quæ nihilominus tollit obstacula Martyrologii *Romani* sacra auctoritas ad diem 16. Kal. *Martii*: *Antoninum* adpellans Monachum *Cassinensem*: cui subscribendum, adque ejus normam Sancti hujus viri gesta exponenda esse dijudico. *Surrentum* autem, quod proxime *Stabias* subsequitur, & post *Surrentum* in adverso Promontorii latere *Amalfim*, sub *Græcis* mansisse, ex *Constantino Porphyrogenneta* verbis supra relatis intellectum est; certeque ante ejus ætatem in *Langobardorum* jura concessisse haud proditum habetur: nam utramque ab iis olim, sed frustra expetitam, novissime *Salerni* Princeps *Guaimarius* 4. armis subegit anno fere 1040. quod *Ostiensis* adnotavit lib. 2. cap. 64 atque in Chartis complura testantur monumenta: *Surrentinam*que sanè urbem a Principe *Sicardo* nullo profectu obsidione cinctam præscripta declarant Acta S. *Antonini*: nec non *Amalfi* ab *Langobardo* hoste Sanctum *Gregorium Magnum* timuisse tantum, Epistola ejus docet 23. lib. 5. Indict 14. Adversus quam nec pariter profecisse *Arechim* 2. ex altera Epist. 18. Hadriani Papæ ad *Carolum Magnum* aperitur, cujus verba sunt: *Porro*, inquit, *vestræ Regali potentiæ innotescimus, quia* Arichis Beneventanus *Dux justitias de hominibus suis quærens, exercitum duxit super* Amalfitanos *Ducatus* Neapolitani, *& undique eos circumvallans incendit omnes possessiones eorum, atque habitacula foris posita. Quo audito* Neapolitani *direxerunt in adjutorium ipsorum plures homines, vincentes eos, interfecerunt plurimam multitudinem Ducatus* Beneventani; *unde cum cæteros plures, tum optimates captivos apud se habent.* &c. Ista *Hadrianus*. Ex quibus firmari insuper vides quod nec multo superius observabam de *Neapolitanorum* Ducum diuturna prærogativa super *Amalfim*, *Surrentum*, adjacentesque alias hinc inde in ejusdem maris ora sitas urbes; quæ nihilominus singulæ peculiares interim obtinebant Præsides, a quibus regebantur, sed *Neapolitanis* Ducibus, dum antiqui juris norma custodita est, haud dubie obnoxios, quos *Amalfitani* annuos habuerunt, Comitesque dixerunt (cur non sic quoque *Sur-*

Equidem ex S. Greg. M. aliisq. novi, Monachos ad clericalia munia aliquando transiisse: at id de S. Antonino Acta sua non perhibent. Surrentum quoque, & Amalfe.

Quæ Neapolitani Ducatus erant urbes

Comitis Miseni, sive Messenæ utique

A *rentini*, ac cæteri?) si Anonymo *Salernitano* in Historia nondum edita habetur fides. Per *Sicardi* autem Principis ævum, & quod excurrit, talem Politiæ ordinem servatum adhuc fuisse ejusdem *Sicardi* declaratur Capitulari, a quo stat etiam *Erchempertus* Num. 26. & 27. tradens Magistrum Militum, atque *Neapolis* Ducem *Amalfitanos* in bellum misisse in *Campanos*, illorumque *Marinum* Præfectum, ac filium in vinculis detinuisse, ut fœderato sibi Principi *Salernitano* gereret morem. Nec ducendus alio est ineditus præfatus Anonymus, qui *Sicardum* tradit ex
B *Amalfi* ab incolis sibi prodita, ac *sine humani sanguinis effusione populata*, multos tum per vim captivos, tum volentes traduxisse *Salernum*; qui ejus donis corrupti reliquos populares suos ad transfugiendum sollicitarunt, sed tandem a *Langobardis* apud Principem delati fuerunt, quod *Duci* Parthenopensi *quidam eorum flecterent caput*: veritos namque *Langobardos* subindicat Anonymus ille parum ibi constans, nec apertus auctor, ne *Amalfitani Salernum* proderent *Neapolitano* Duci, cui ea congenita subjectione animo adhuc faverent. Sed de his satis. Cur vero tum præscripta, tum alia loca *Langobardorum* valuerint manus diu-
C tius, vel effugere, vel repellere, non inepta ea videtur ratio reddi posse; nempe quod antiquissimo more cæterarum urbium ad mare sitarum, quæ expositæ alioquin fuissent ad obvios, subitosque piratarum incursus, arduis in locis, validisque propugnaculis munitæ habebantur; cum cæterum nostrates *Langobardos* haud admodum validam aluisse, sive comparasse classem putandum sit, qui nihilominus eam qualemcumque habuerunt, sicut ex *Erchemperto* constat Num. 8. & 9. At eis ad invadendas mediterraneas urbes, & loca promptiorem fuisse facultatem, par est credere; quandoquidem eorum omnium ferè mu-
D ri, vel jampridem a *Gothis* consulto diruti, ac disjecti nulli extabant, vel ævitate senescentes, ac ærumnosorum temporum infortuniis quassati tantum non deciderant: quorum quoque possessio cum longe laxior, fructuosiorque maritima ora censereiur, potuit sane hostes quantumvis habendi cupidos abundè in illis rerum primordiis explere, nec numero adhuc, sicut postquam apud nos succreverunt innumeros. Et quidem gens illa ab suo ferè adventu interiorem *Campaniam* omnem, *Capuam*que met ipsam totius regionis olim caput, præclarosque ejus, ac latos campos, vel solo adcessu obtinere valuerat, cum hic præ-
E ter *Neapolim*, *Cumas*que non alia urbs, teste *Procopio Gothicæ* Historiæ lib. 1. muris tunc munita esset. Sed *Capuam*, quam modo dixi, nam ad eam ex *Amalfi* recedo, *Beneventani* postquam occuparunt *Langobardi* (consona enim auctorum voce utique occuparunt) haud eam transactis ab *Narsetis* ætate annis centum, sub triginta Ducibus destruxerunt, ut nostratium rerum pæne dixerim, prorsus ignarus *Blondus*, & qui eum secutus est *Leander Albertus* suis in *Italiis*, ubi de *Campania*, tradiderunt: Nec abusque *Vandalorum*, sive *Afrorum* incendio penitus desolatam frequentare cœperunt, sicut perhibet
F *Constantinus Porphyrogenneta* De Admin. Imper. cap. 27. Sed illam minus quidem felici tunc sorte utentem, eorundemque irruentium *Langobardorum* primis populationibus, nec negaverim, maximè attritam, novis paulo post inductis habitatoribus restaurarunt, validioremque reddiderunt, nempe aliquanto prius quam *Grimoaldus Beneventi* Dux Regnum usurpasset in anno 663. qui præsignes *Capuæ* Comites dedit, eosque administros habuit validos, ac prudentes, sicut declarat *Paullus Diac.* lib. 4. cap. 18. sive 53: & lib. 5. c. 4.

meminit S. *Greg. M.* l. 11. Ind. 6. ep. 31.

Immunesque diu ab hostibus mansere, locorum præsertim asperitate, & extructis munitionibus protecta.

Quibus deficiebant Mediterranea.

Ipsaque regionis olim caput Capua.

Vacuæ urbi certe dicendum non est Episcopos clari adhuc nominis unum post unum præfedisse: *Tiburtium, Constantinum, Alexandrum, Germanum, Victorem, & Probinum.*

A Langobardis summa cura inhabitata.

sive 9. quos de more ex cæteris selectos libet credere, tanquam ad proximos *Græcos* repellendos, debellandosque destinatos. Quibuscum quotidianas ferè *Campani Langobardi* conserentes pugnas, adeo præclaram ex armorum studiis gloriam reportasse censeo, ut manente adhuc antiqua urbe, *Autchar* ejus Episcopus suo in Tumulo non admodum nuper deperdito, cujus tamen integrum, quod susceptum inde fuit exemplum, apud me extat, dictus jure merito sit,

» *Antistes Populi multa virtute potentis.*

Qui obtinuerunt quoque Teanum, Caudium, Sarnum, & Nolam; *Omnemque* Campaniam *interiorem.*

Atqui eodem pervasæ *Capuæ* tempore reliqua hinc inde mediterranea *Campaniæ* loca nec ullis tunc munita muris, *Langobardis* etiam cessisse, ambigendum non est, nempe ad Occidentem *Teanum*: ad Orientem vero *Caudium* (dictum alio nomine *Furculum*) *Sarnum*, & *Cimeterium*, id est *Nolam*, hoc etiam celebriori tunc vocabulo demonstrari consuetam. Quarum urbium, & *Capuæ* simul appellatione omnem in Capitulari Principis *Radelchisi* Numer. 9. venire existimo antiquam *Campaniam* cum *Latii* parte usque *Aquinum*, *Liri*, & *Sarno* fluminibus definitam, quæ tandem, ut alio loco dicam, longe post præfatum Capitulare anno exaratum 851. atque sub nostris Regibus *Nortmannis*, nomen *Terræ Laboris* obtinuit, quo ex vulgi consuetudine modo indigitatur.

Per eorum tempora nondum adpellatam Terra Laboris.

Quod noto, ne quis S. Martini Romani Pontificis malesanam ad *Elitherium* Epistolam, qualem editi hactenus Codices præ se ferunt, objiciat his, quæ modo de universis antiquæ *Campaniæ* mediterraneis locis a *Langobardis* pervasis, pronuntiavi: nam ille enarrans quæ passus sit, cum *Roma* captivus jussu *Græci* Imperatoris *Constantii* marino itinere in anno 650. in Orientem duceretur, per *Terram* quidem *Laboris* tunc subditam magnæ *Romanorum* urbi, hoc est *Constantinopoli*, se transisse declarat; veruntamen omnem aliam, quam hanc inter *Latium*, & *Picentinos* regionem certo certius animo concepit. Sunt ejus verba: *Pervenimus*, inquit, *Kalendis* Julii Messenam, *in qua erat navis, id est carcer: non autem* Messenæ *tantum, sed in* Terra Laboris, *& non tantum in* Terra Laboris, *quæ subdita est magnæ Urbi* Romanorum, *sed & in pluribus Insularum, in quibus nos vel transmisissemus, peccata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum, excepto dumtaxat in Insula* Naxia, *quoniam ibi annum fecimus*, &c. Hæc *Martinus*; qui apertè cum separet *Messenam*, id est *Misenum*, sive dicas *Misenatem* Urbem, a *Terra Laboris*, seque ex illa ad hanc dicat pervenisse, ac Insulas tantummodo ea navigatione transmisisse, ad quas descendere vetitum ei fuit, nulla ambiguitate laborat, *Terræ Laboris* nomen in præscriptis ejus verbis haberi depravatum: quo non continens terra, qualis hæc est, sed consimilis appellationis Insula demonstrari deprehenditur, per quam ex *Miseno* Pontificem solventem, *Naxum*que ductum oportuit pertransire? Siquidem *Messenæ*, ut dixi, vocabulo, efferendi tunc recepto more, *Misenum* indigitatum, discere est ex S. *Gregorio Magno* lib. 7. Indict. 2. epist. 26. & 27. & lib. 11. Indict. 6. epist. 30. & 31. quo etiam, sed per simplex S. dicta ea urbs reperitur in ejusdem Sancti *Martini* Actis apud antiquum Membranaceum Codicem Monasterii Monialium *S. Joannis Baptistæ Campanæ* urbis: sed afferam textum, in quo etiam est non obvia nominis *Calabriæ* usurpatio: *Non autem*, inquit, Mesenæ *tantum, quæ in* Calabria *est, impedierunt Beatum Episcopum, sed & in aliis Insularum civitatibus sine humano solatio tribus mensibus eum retinuerunt, nullam compassionem ei adhibentes*, &c. Quibus verbis noluit auctor *Misenum*, vel *Messenam*, *Campaniæ* urbem, esse *Messanam Siciliæ*, *Calabriæ*que oppositam: nec *Siciliam* credidit aliquando *Calabriam* nuncupatam; sed quoniam *Calabriæ* nomine omnia quandoque appellata fuerant, quæ a *Græcis* in *Cis-Tyberina Italia* detinebantur loca, ut plenius dicam infra, littoralem *Campaniam*, & *Misenum* a *Græcis* utique servatas, consueto more *Calabriam* nominavit.

Quod vocabulum apud auctores depravatum legitur pro Terra Liparis.

Sed, ut redeam ad *Martini* Epistolam, nomen ibi, *Terra Laboris*, ex *Terra Liparis*, depravatum esse, non prorsus futili persuadeor conjectura: namque Pontifex e *Romano* digressus portu; ac per *Misenum* vectus *Naxum*, necessaria, & consueta transfretatione ad *Lipareas* Insulas haud dubiè divertit, sicut observare est: nedum ex locorum positu, sed ex pari apud D. *Gregorium* M. navigatione Dial. l. 4. c. 30. Verum ex *Miseni* genuino vocabulo cum *Messena*, & *Mesena*. *I.* in *E.* commutato, dicta sit urbs; pari ratione Terra quoque, sive Insulæ, olim, atque nunc *Liparis* dictæ, *Leporis* etiam, varianteque dialecto, *Laporis*, videntur fuisse nuncupatæ; quod sane imperiti librarii cum ignorarent, notissimum, quod jam increbuerat *Terræ Laboris* nomen subrogarunt, vel ex hoc etiam non aliam putantes Terram ibi indicari, quod scilicet *Miseni* esset mentio in contextu.

Et primaria Æoliarum eas Insulas omnes dixit Terram Liparis, *pari acceptione, qua Erchempertus N. 29. Barium tellus & Num. 81. Rhegium tellus, nosque dicimus, Terra di Bari, Terra di Otranto, &c.*

Nec dispari a *Narcissi* Medici hallucinatione, qui apud *Sebastianum Munsterum* in Cosmographia lib. 2. ubi de *Campania*, *Terram Laboris* perhibet aliquando dictam fuisse *Terram Leporis*, nescius in antiquis a se inspectis monumentis hoc vocabulo non Terram, quæ olim *Campania* fuit, sed *Lipareas* Insulas demonstratas: & sane haud offendisse in hoc videtur, qui ex *Græco Latinam* fecit Epistolam, *Anastasius*. Sed de *Terræ Laboris* nomine, ejusque origine, quam absurdas alias plerique recentiores, & præ aliis *Blondus*, quique illius perpetuus est Comes *Leander Albertus*, tulerint sententias, abstineo nunc aperire: suscepta enim *Beneventani* Ducatus peragenda est descriptio: nec de *Salerno*, quæ proximè post *Amalfim* in interiori ejus maris sinu occurrit, est sermo longius differendus.

At Langobardi Salernum etiam obtinentes; restaurarunt;

Quæ quidem urbs, sive quod in mediterraneis olim, & a mari nonnihil recederet, sicut describitur a *Strabone* lib. 5. itemque a *Plinio* lib. 3. cap. 5. ideoque minori studio munita haberetur: sive quod ex antiquiori clade minus frequens esset; haud sero, sicut proximam *Amalfim*, & *Surrentum*, sed, ni fallor, eodem quo mediterranea alia loca, exiguo labore eam *Langobardi* pervasere: quam *Caroli Magni* ætate Princeps *Arichis*, ut auctor est *Erchempertus* Num. 3. & ex eo Ostiensis lib. 1. cap. 12. *in modum tutissimi Castri, opere mirifico munivit, & nova fabrica reparavit, ut esset scilicet futurum præsidium Principibus, superveniente exercitu* Beneventum: hoc est in ipso maris littore urbem refecit, ut evadendi hostis, siquando necessitas urgeret, marino itinere pateret via; qua eodem ferme tempore *Desiderius* Rex *Italiæ*, *Arichis* socer, cum a præfato *Carolo Ticini* obsideretur, destitutus, captus fuerat, vitamque exilio finierat; exemplo etiam ille doctus antecessoris Ducis, qui ab persequente eodem *Desiderio Hydruntum* se receperat, ac vitæ discrimen evaserat, ut alibi dicam.

Atque excolere cœperunt.

Ex quibus declaratur, cur Principes *Arichi* posteriores summo studio *Salernum* colere perseverarunt; nempe quoniam in omni *Beneventana* ditione non alia habebatur opportunior navigiis statio, *Benevento*que vicinior, *Græcis* ad Inferum, quod propinquius erat mare, sola importuosa *Campaniæ* littora non possidentibus. *Arichis* autem, ut hoc

obi-

obiter notem, sive restaurans, sive universam denuo condens *Salernum*, non ab alio sibi præcavebat hoste, quam a terrestri, qualem sensit *Carolum*, a quo, & ab ejus filiis, ut *Erchempertus* perhibet Num. 2. 5. & 6. pluries tum ipse, tum *Grimoaldus* subsequens Princeps, nunquam tamen classe, fuerunt lacessiti: qua *Gallorum* Reges, ut hinc intelligere est, non admodum valuere, sed ea *Græci* tunc præpollebant, & qui piraticam exercebant *Saraceni*. *Ludovicus* sane *Lotharii* filius, ut *Barim* obsidione magis arctaret, a *Basilio Macedone Stolium* (sic classem adpellat) anxiè expetiit eadem Epistola, cujus supra meminimus, & obtinuit: Sed post *Salernum* cæteras quoque ad Orientem *Consentiam* usque longo, continuoque tractu positas urbes *Langobardis* aliquando cessisse, non uno constare potest documento, *Acropoli* tamen in excurrente Promontorio, vulgo dicto, *Capo della Licosa*, excepta, & siqua alia illic ad mare; & *Rhegium* usque sita: quam *Græci* ejusdem *Arichis*, & *Caroli Magni* ætate adhuc servarunt, sicut ex *Romani* Pontificis *Hadriani* discimus collatis invicem Epistolis 44. & 48. ad eundem *Carolum* datis, quibus Hadrianus iterato habet de transmissis Legatis ab Imperatore *Constantino* ad dictum modo Principem: verba sunt prioris Epistolæ: *Dum*, inquit, *ibidem* Salerni Atto *fidelissimus vester missus fuisset*, Beneventani *ipsos* Græcos *minime recipere voluerunt: sed post reversionem prædicti* Attonis *Diaconi tunc eos terreno itinere a finibus* Græcorum *deferentes*, Salerno *receperunt*, *& cum* Athalberga (Ostiensi dicitur *Adelberga* lib. 1. cap. 15. sicut etiam inedito Anonymo *Salernitano*) *relicta* Arichis, *seu optimatibus* Beneventanis *tribus diebus persistentes consiliati sunt*, &c. Posterior autem Epistola sic habet: *Dum* Atto *Diaconus ad vestram reversus est Excellentiam*, *statim Missi* Græcorum *duo Spatarii cum* Diucitin, *quod Latine* Dispositor Siciliæ *dicitur*, *in* Lucaniæ Acropoli *descendentes*, *terreno itinere* Salernum *ad relictam* Arichis *Ducis peragrantes* 13. *Kal.* Februarii *pervenerunt*, *qui ibidem cum ipsis tres dies consiliantes* Beneventani, *post tertium diem usque* Neapolim *deduxerunt*, &c. Hæc *Hadrianus*. *Græci* igitur, non secus ac littorales *Campaniæ* urbes, *Acropolim* quoque, a *Langobardis* licet circumfusi, retinuerunt, quos æque loci situs, & munitio eximiè protegebat: namque idem hoc *Acropolis* nomen *Græco* fonte cadens probat manifesto. Sed citra *Acropolim* post *Salernum* in eodem sinu *Langobardi Pæstum* possedere; vulgo nunc *Piesti*. quam ex totius regionis nomine *Lucaniam* quandoque etiam dictam, Erchemperti declarat auctoritas Num. 3. nam Arichim *inter* Lucaniam, & Nuceriam Salernum *instaurasse* perhibet. Sed manifestius probat Capitulare *Radelchisi* Num. 9. in quo inter urbes, quæ Principi *Siconolfo* ex *Beneventanæ* Dynastiæ divisione cesserunt (urbes inquam, non autem Provincias, nec regiones, nullas ibi priscis nominibus designatas) est *Lucania*: hoc scilicet ordine. *Cassanum*, *Cusentia*, *Lainus*, *Lucania*, &c. Et sane *Lucaniæ* adpellatione non aliam, quæ *Salerno* Orientalior fuerit urbs, utrobique demonstrari *Paulus Diacon.* prædicto Capitulari collatus persuadet; qui lib. 2. cap. 11. sive 17. universam *Italiam* describens in plures Provincias distributam, *Lucaniæ*, & *Brutiæ* dinumerat esse urbes; *Pæstum*, *Lainum* (malè alia editio, *Lanium*) *Cassianum*, *Consentiam*, & *Rhegium*. easque solas, utpote insigniores, enumerat, nec alias addit ullas; quarum antecedentes quatuor iis descriptis in Capitulari, *Lucaniamque Pæsto* perspicuum est respondere, deque earum dignitate pariter constat *Paulo*, &

Acropoli *neutiquam potiti*. Ecclesias, sive Episcopatus *Veliæ Buxenti*, sive *Uxenti*, & *Blandæ* littorales uni Episcopo *Acropolitano* Sanctus Greg. Mag. lib. 2. Indict. 10. epist. 29. commendavit, quæ æque, ni fallor, urbes illæ, ac *Acropolis in Græcorum* manerent ditione.

Intermediam tamen Pæstum *adepti adpellatam quoque* Lucaniam.

A Capitulari convenire; in quo nimirum earundem adpellatione omnis ad Orientem *Lucanus*, & *Brutius Consentiam* usque, & *Cassianum* venit ager; ut mox patebit. *Lucania* igitur urbs fuit alio nomine etiam dicta *Pæstum* de qua capiendus sane est *Dionysii* Scholiastes *Eustathius* injustè a *Philippo Cluverio* in Antiq. *Ital.* lib. 4. cap. 14. reprehensus, quod aliquam urbem vocabulo *Lucaniæ* nominaverit. Nec mirum debet esse, *Pæsti* nomen in novum vocabulum transiisse, iterumque fuisse restitutum, sicut præsens ejus aperit usus: siquidem nec aliter prisca *Prætutiorum*, sive *Prægutiorum Interamnia* dicta labentibus annis quoque est. *Aprutium*, quod, præ-

B teritis aliis, discere est ex *Ostiensi* lib. 1. cap. 36. & lib. 2. cap. 26. quæ tandem ex paulum detorta priori nuncupatione est modo *Teramus*; Estque nunc *Nola*, quæ haud alio, quam hoc nomine dicta olim fuit; sed media ætate *Cimiterium* nuncupata reperitur in præscripto Capitulari Num. 9. & in *Erchemperto* Numero 2. *Volturnus* quoque Flumen adpellationem hodie retinet antiquam, & primitivam, etiamsi aliquando *Casilinus* fuerit dictus, sicut in *Agathiæ* Historia lib. 2. eodemque in *Erchemperto* Num. 25. inque aliis est manifestum. Ex quo haud consentienda antedicto Cluverio est ejusmodi argumentatio, qua

C utitur lib. 4. cap. 13. præfati operis, negans priscam *Callipolim* dici dein potuisse Anxam, *&* *plurali numero* Ancas, *quod ea etiam nunc vocetur* Gallipoli; cui cæteroqui de *Anxæ Livianæ* positu nil sum molestus. *Pæstum* autem ulterius, sive urbem dicas *Lucaniam*, omnem *Lucaniam* regionem in mediterraneis, itemque *Calabriæ* partem eam, quæ per *Lainum Consentiam* usque porrigebatur, ipsamque *Consentiam* in partibus *Beneventanorum* Ducum fuisse, ex præfato *Radelchisi* intellectum est Capitulari; in quo singularum urbium designatione adjacentia etiam, eisque subjecta, ac minora complura alia oppida

D certum est demonstrari. Sed de hac *Calabriæ* portione haud aliter perhibuit *Constantinus Porphyrogenneta* De Admin. Imper. cap. 27. tradens Principem *Siconolfum*, quem facili lapsu de fratris nomine adpellavit *Sicardum*, ex divisa *Beneventana* Dynastia *obtinuisse* Salernum, Capuam, *& partes* Calabriæ, nimirum mediterraneas, nec *Consentia* ulteriores, sicut exponenda quoque sunt Erchemperti verba Num. 15. *Fretus*, inquit, *ille* Siconolfus Landulfi Capuæ *Gastaldei*, *ac liberorum ejus auxilio*, *totam* Calabriam *suo subdidit famulatui*, *maximamque partem* Apuliæ. siquidem totius *Calabriæ*, appellatione haud ibi ea etiam venit *Calabria*, quæ

E trans *Consentiam* ad *Siculum* usque porrigitur fretum, etsi eodem hoc nomine tunc dicebatur, sed citerior *Calabria* omnis mediterranea a *Langobardis* detenta, quam supra non ii ditionem suam dilatarunt, sicut ex subsequenti Dissertatione constabit. De qua pariter accipi debet Historia Miscella lib. 21. habens *Sergium* quendam Protospatarium, Imperatoris *Leonis Isaurici* perduellem e Sicilia *confugisse ad propinquos* Calabriæ Longobardos *in anno ejus Imperii secundo*, qui fuit *Christi* 718. Eousque autem pervenerat *Beneventanus* Ducatus ab ipsis ferè suis primordiis, & ab Sancti Gregorii Magni ætate quando *Brutium* agrum, *Brittios* tunc, postmo-

F dum *Calabriam* nuncupatum, obtinebat Dux *Arichis*, quod ejusdem Pontificis Epistola 25. lib. 10. Indict. 5. ad eum scripta declarat hoc tenore: *Indicamus* inquit, *propter Ecclesias Beatorum* Petri, *&* Pauli *aliquantas nobis trabes necessarias esse*, *& ideo* Sabino *Subdiacono nostro injunximus de partibus* Brittiorum *aliquantas incidere*, *& ut usque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re solatiis indiget*, *gloriam vestram paterna cha-*

Sic contigisse putandum est, quoniam æque primum nomen, ac recens promiscue in usu fuit; sed prisco tandem manente, desuevit.

Processerunt Lainum, *&* Consentiam, *obtinentes* Calabriæ *interioris*, *ac* Brutii *agri partem non exiguam.*

In Græco est ἢ τὰ μέρη τῆς Καλαβρίας. quod, nisi in meam sententiam, duci non potest ut dicam in Differ. de Finib. Principatus *Salern.*

charitate petimus, ut Actionariis vestris, qui in loco sunt, deputetis, ut homines, qui sub eis sunt, cum bobus suis in ejus transmittere solatium debeant. &c. deque eadem hac re alias *Neapolim*, ad *Maurentium* Magistrum Militum, & ad præfatum *Sabinum* dedit ille Epistolas. Actionarios igitur si *Arichis* in *Brutiorum* tunc habebat agro, utique procurrentem ab *Lao* amne, nunc *Laino*, regionem detinebat, quam illi curabant. Cæterum vero aliis vicibus trabes ex *Calabria Romam* post fuisse ductas ad S. *Petri*, & *S. Pauli* Ecclesiarum usus, *Anastasius* tradit *Bibliothecarius* in *Sergio*, & in *Gregorio* secundo.

FINIS Dissertationis V.

DISSERTATIO VI.
FINES DUCATUS *BENEVENTI* AD ORIENTEM.

Paulus Diaconus *fines Ducatus* Benev. *statuens ad fretum* Siculum.

LAngobardi, si verbis standum est *Pauli Diacon.* lib. 3. Cap. 15. sive 23. quæ de instituti hujus Ducatus tempore cum inquirebamus sunt relata, *Brutiorum* reliquam regionem trans *Consentiam Rhegium* usque, & *Columnam*, atque ad fretum *Siculum*, Regis *Autharis* auspiciis obtinuerunt. Cujus dicto consentire videtur *Erchempertus* Num. 81. *Siciliam* ab Regno divisam tradens intermedio *Pharo*; nam ibi Regni nomine quid aliud eum voluisse censendum erit, nisi *Cis-Tyberinam Italiam* omnem in unam coactam Dynastiam, quæ Ducatus fuit *Beneventanus*? sicuti apud Ignotum quoque *Cassinensem* Num. 4. hoc Regni vocabulum apertissimè ditionem sonat nostratium *Langobardorum*, etsi impropriè; quandoquidem longe post apud nos Regalis est dignitas instituta. At *Pauli*, sive vulgi, ut superius observabam, ejusmodi opinioni firmiter cætera antiquorum omnia adversantur monumenta, quibus tantum abest, quod productus obstet *Erchempertus*, ut ille nil minus quam manifestissimè, nec uno in loco, ulteriorem *Calabriam* concesserit *Græcis*, quos prædicto Num. 81. *a* Constantinopoli *ad* Rhegium *tellurem*, hoc est ad *Rheginum* agrum, sive Diœcesim, *Calabriam* eam omnem tunc complectentem, adventasse, atque a *Saracenis* devictos perhibet, ac *civitates utriusque* nempe *Rheginæ* telluris, & *Siciliæ*, quas utrobique retinebant, ingenti metu perterritos deseruisse. Sed & Num. 51. firmat idem apertissimè, *Græcos* tradens cum *Saracenis* in extima illa *Calabria* decertasse, victoriaque potitos, *Amanteum Castrum*, & *Sanctæ Severinæ* Oppidum recepisse, quod contigit vivente adhuc *Basilio Macedone*, sicut adfirmat *Cedrenus*. De *Erchemperti* igitur sententia cum satis certi esse possimus, nonne apud eum nomine Regni haud quæ sub unius *Beneventanæ* Dynastiæ continebantur loca, sed aliud quidvis potius demonstrari merito est suspicandum? Equidem virum religiosum, ac sacræ paginæ frequenti lectione imbutum, qualem se tum aliis experimentis, tum præcipuè aperit stylo, Regnum dixisse *Italiam* universam, maximè probo; ea nempe ratione, quod hæc non Insula, ut *Sicilia*, cui Regnum opponit, sed continens sit terra: qua acceptione id vocabulum usurpatum habetur *Machabæorum* lib. 1. cap. 8. ubi de *Romanis* dicitur, quod *Regna, & Insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminarunt, & in potestatem redegerunt.* Adsertum itaque a *Paulo* popularem rumorem de *Calabria* a *Beneventanis Langobardis* ad *Pharum* usque possessa testimonio quidem *Erchemperti* minime fulcitur, quem nec alterius idonei Scriptoris, quod sciam, sustentat auctoritas, nec planè Ignoti *Cass.* locus huc referri valet. Verum de antiquo illo rumore cum sic censendum putem, cæterum haud negaverim, *Langobardos* aliquando transgressos populationi-

Haud suffragatorem habet Erchempertum.

An in Psal. etiam 71. *Insulæ* ab *Regibus*: & in Esaia cap. 40. ab *Gentibus*, juxta vulgatam, hoc sensu distinguuntur?

Namque Langobardi, *etsi loca popularunt trans* Consentiam.

A bus esse trans *Consentiam*, a quibus in anno 596. *ex capta* Crotoniensi *civitate, quæ super* Hadriaticum *mare in terra* Italiæ *posita est, multos viros, multasque mulieres nobiles in prædam ductos fuisse, & ex iis aliquibus intra sequentem annum redemptis, multos apud illos aliquamdiu mansisse*, his ipsis ferè verbis doluit Sanctus *Gregorius Magnus* lib. 6. Indict. 15. Epist. 23. perhibens quoque lib. 1. Indict. 9. Epist. 39. eadem tempestate *Monachos* Paulini *Episcopi* Tauri *Civitatis Provinciæ* Brittiorum (nempe Episcopi *Taurianensis*, ut idem alibi) *occasione dispersos barbaricè per totam vagasse* Siciliam; Qui & lib. 2. Indict. 10. Epist. 38. *Liparitanam*
B Ecclesiam *in locis inimicis* constitutam adpellavit; & lib. 9. Indict. 4. Epist. 45. *Siciliæ* ab inimicis timuit, scilicet *Langobardis*, quos admodum proclivi credere est conjectura omnia rapinis, incendiis, perpetuaque etiam incursione fœdasse, ut suos promoverent constitutos semel fines, sicut ab Occidentali commiserunt plaga, de qua loco suo est dictum. At, inquam, inruptionem fecerunt, nec tamen loca trans *Consentiam* valuerunt, voluerunt ve retinere, de quo præsto est productum modo *Crotonis* exemplum, unde præda quidem abacta, non urbs fuit præsidio firmata; idemque probari potest auctoritate, ejusdem
C Sancti Pontificis, qui lib. 2. Indict 10. epist. 25. Joannem Lisitanæ *Ecclesiæ Episcopum* (aliter *Lusitanæ*) *ab hostibus captivatum in* Squilatina *Ecclesia Cardinalem duxit constituere Sacerdotem*, hoc est Antistitem; quod scilicet urbs *Squilacium* in extima illa *Italia* a *Langobardorum* populationibus haberetur immunis. A me autem nedum *Græcum* auctorem *Constantinum Porphyrogennetam* stare comperio, qui de Thematibus lib. 2. Them. 10. adfirmat *Siciliam* a *Saracenis* ademptam *Græcis*, nempe in anno 820. ut Ostiensis perhibet lib. 1. cap. 20. *solamque* Calabriam *a* Christianis *retentam: in qua* Rhegium *erat*; *& oppidulum Sanctæ*
D Cyriacæ (id est nunc *Giraci*) *& Sanctæ* Severinæ, *& Croto*, *& alia quædam Oppida, quibus Prætor* Calabriæ *dominabatur*: sed idem firmant *Latina* monumenta complura, & in primis Anastasii Bibl. auctoritas, qui in *Vitaliano* sic habet de *Constantio* Imperatore *Syracusis* in anno 663. & seqq. commorante: *Talem*, inquit, *afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Provinciarum* Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ *per Diagrapha, seu capita atque nauticationes per annos plurimos, quales a sæculo nunquam fuerunt.* Sic *Anastasius*. Cui accedit testimonium Historiæ Miscellæ lib. 21. quo declaratur *Leo-*
E *nem Isauricum* in anno sui Imperii 16. (fuit hic *Christi* 732.) *tributa Capitalia* Siciliæ, *seu* Calabriæ, *superimposuisse*. Nec horum auctorum pronunciata de extima illa, quam dico *Calabriam*, accipienda esse habeo cur dubitem: cum videam eos eximiè hoc pacto concordare præclaris aliis auctoribus, qui *Calabriam* cis *Consentiam*, ut dictum est, contradiderunt *Langobardis*. Qua etiam interpretatione Pontificem Hadrianum capio in Epist. 46. ad *Carolum Magnum*. *Sic enim*, inquit, *de nequissimo jam dicto* Adelgiso (filio Regis quondam *Italiæ Desiderii*, qui *Constantinopolim* se receperat) *nobis nunciatum est, quia in veritate, Deo*
F *sibi contrario, cum Missis Imperatoris in partibus scilicet* Calabriæ *residet juxta confinium Ducatus* Beneventani. Quæ tamen si quis exponenda putaret de locis ad *Acropolim* a *Græcis* servatis, quæ eadem origine dicta fuissent *Calabria*, qua *Misenum* quoque *Calabriæ* noscitur contributum in Actis S. *Romani* Pontificis *Martini*, equidem non abnuerem; tum quod hæc interpretatio novam, obscuramque ejus vocabuli expositionem mox a me tradendam foveret; tum quod nil minus ex rela-

Fuit *Tauriana* ad mare, ubi nunc *Palma* prope *Seminaram*.

Non ea detinuerunt.

Quæ servarunt Græci.

Coëuntibus amborum confiniis ad Calabriam Inferiorem.

relatis aliis documentis datur scire, *Græcos* retinuisse aliquam *Calabriæ* partem, quandoquidem reliqua pars cesserat *Langobardis*. Et sane præter laudatos auctores, ab hac quoque mente est synchronus Papæ *Hadriano Eginhardus*, *Caroli Magni* gener, qui in ejus Imperatoris Vita de longitudine *Italiæ* juxta traditam ab antiquis dimensionem, deque hoc limite sic: Italia, inquit, *tota ab* Augusta Prætoria *usque ad* Calabriam *inferiorem*, *in qua* Græcorum, *ac* Beneventanorum *constat esse confinia*, *decies centum*, *& eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur*. Hæc ille, manifesto declarans *Calabriam* ex parte a *Græcis*, ex parte a *Langobardis* fuisse possessam: quem tamen hæc statuentem confinia ad *Calabriam* inferiorem, ne puta eam dixisse, quæ trans *Consentiam* modo adpellatur ulterior; siquidem nondum ista ulterioris, citeriorisque cognomina tunc prodierant; sed *Calabriam* cogita universam ad *Inferum mare* sitam, sive Agrum dicas *Brutium*; demonstrasse; vir enim minime ineruditus, qualem cum consensu prædico *Gerardi Joannis Vossii* De Historicis *Latinis* libr. 2. cap. 33. non ignoravit alteram, antiquioremque *Calabriam* ad *Superum mare* a priscis auctoribus memorari, a qua recentiorem *Brutii Agri* nomine, sive *Brittiorum*, ad ætatem usque Sancti *Gregorii Magni*, sicut ex ejus constat Epistolis, adpellatam, peculiari nota apte discriminavit. Atqui antiquissimæ regionis *Calabriæ*, quæ ad alteram *Italiæ* oram; *Tarentino* interposito sinu, ab hac distat: quæque nunc fere est *Terra di Otranto*, ac *Terra di Bari*, ut remotioris ævi omittam testimonia, *Ptolemæi* scilicet Geogr. libr. 3. cap. 1. *Strabonis* lib. 6. *Plinii* libr. 3. cap. 11. *Dionysii Afri* De situ Orbis, aliorumque, mentio est a *S. Athanasio* Apologia 2. quo loco habet convenisse Episcopos ad Concilium *Sardicense* sub anno celebratum 347. tum ex aliis, tum ex Provinciis *Italiæ*, *Piceni*, *Tusciæ*, *Campaniæ*, *Calabriæ*, *Apuliæ*, *Brutiorum*, *Siciliæ*; &c. ejusdemque meminit Notitia Utriusque Imperii, quam docti viri exaratam decernunt in extremo *Theodosii* junioris Imperio, hoc est prope annum 450. siquidem ibi describitur *Italia* in decem, & septem Provincias tributa, ac nono loco adnumeratur Provincia *Apuliæ*, & *Calabriæ*: decimo autem *Lucaniæ*, & *Brutiorum*. Verumtamen quo pacto hoc *Calabriæ* nomen ex una ad alteram transierit regionem, fueritque *Brutiorum* Agro impertitum, auctores hactenus nulli exposuerunt, resque sub magno admodum silentio inobservata manet vel iis, qui in recentiori hac *Calabria* nati, ejus sive Historiam, sive Commentaria docte quidem scripserunt. Quorum, ac præcipue *Gabrielis Barrii* in *Campanos* meos nulla nec sibi, nec suæ genti injuria notos, mentem parum amicam æque cum doleam, ac demirer, haud tamen desistam, quin honestissimi hujus nominis aperiam, quem reor, fontem, etiamsi id habeam a proposito longe alienum. Mea est igitur de hoc conjectura, sub *Langobardorum* ætate, non tamen ab illis, sed a *Græcis* novum *Brutio* Agro vocabulum fuisse inditum. Nam *Græci* (sic inquam conjicio) integram retinentes *Siciliam*, proximamque *Brutiorum Consentiam* ultra haud magnam partem, necnon litoralia *Acropolim* usque multa, & *Campaniæ* quoque maritimas urbes: atque etiam servantes, ut mox, & in subsequenti Dissertatione palam fiet, ad *Superum* mare *regionem latissimam*, qualem eam dicit *Paulus Diacon.* lib. 6. cap. 1. antiquissime *Calabriam* nuncupatam: hæc loca, inquam, omnia sub duplici Themate descripserunt, ac in duas Provincias contribuerunt, *Sicilia* pro una, reliquis vero quamvis admodum disjunctis ditionibus, pro

Nempe ad eam, quæ ad Inferum est mare.

Cum fuerit cognominis altera ad Superum.

Hinc est quod mediæ ætatis auctores a Cluverio laudati Ant. Ital. l. 4. c. 13. absoluto nomine Calabriæ Apuliam quoque denotarunt.

A quo Græci Agrum Brutium *denominarunt.*

A altera computatis, atque his *Italicis* omnibus sub unius antiquæ *Calabriæ* nomine, quæ tunc amplior, fructuosiorque cæteris erat portio, designatis. Qui rerum ordo ad tempora cum mansisset Imperatoris *Constantii*, postque ejus necem cum primæva illa *Calabria* a Duce *Beneventi Romualdo* seniore, quod *Paulus* ibidem perhibet, admodum fuisset imminuta, Imperatores, qui *Constantium* sunt subsecuti, eodem *Calabriæ* vocabulo adpellare perseverarunt, quæ adhuc in *Cis-Tyberina Italia* servabant loca, tum ex consueto *Græcorum* fastu, ac ne sui Imperii Themata minora devenisse viderentur; tum quod reliquam ad
B Orientem trans *Brundusium*, ac *Tarentum* Provinciam, nunc fere *Terra di Otranto*, olim vero antiquæ *Calabriæ* partem, nunquam amiserunt, ut post dicam: quo pacto novum hoc nomen *Brutio Agro*, etsi nec omni, nec soli impertiri cœptum, ei tamen uni firmius inhæsit; quandoquidem *Calabri* Thematis Prætores, sive cum *Porphyrogenneta* dicas, *Patritii*, vel *Strategi*, amissa *Græcis Tarento*, quæ regionis fuerat caput, ad inferiorem *Calabriam* suam detulerunt sedem, ubi ditionis portio remanserat cæteris major, *Græcorum*que ad exemplum *Langobardi*, ut assolet inter finitimos, mediterranea illic sua eodem vocabulo
C adpellarunt. qui loca *Tarentum*, ac *Brundusium* usque recentius pervasa haud antiquo nomine *Calabriam*, sed ex adjacenti a se possessa regione dixerunt *Apuliam*, *Græci* autem quidquid erat ad *Superum mare* dein nominarunt *Langobardiam*, de quo post; sicque omnino desiit primitivæ *Calabriæ* nomenclatura. Et mea de abditissima quidem re talis est divinatio, sed ad institutam modo revertar descriptionem. Tertium igitur Ducatus *Beneventani* latus orientem aspiciens *Solem* cum minime *Consentiam* ultra progrederetur, *Tarentum* usque ad Septemtrionem per *Cassanum* pervenit; quod tum his, quæ observavimus, con-
D cordat, tum ex Capitulari probatur Principis *Radelchisi* Num. 9. nam ille integram *Beneventanam* Dynastiam cum Principe *Siconolfo* dispertitus, urbes ei ante alias contradidit *Tarentum*, *Latinianum*, *Cassanum*, *Consentiam*, &c. atque hac ratione verum esse deprehenditur, quod *Constantinus* perhibuit *Porphyrogenneta* verbis supra relatis, urbem *Rhegium*, oppidulum Sanctæ *Cyriacæ*, & Sanctæ *Severinæ*, *Crotonem*, & alia Oppida a *Christianis*, hoc est *Græcis*, indesinenter fuisse possessa, quibus in lib. De Admin. Imper. cap. 27. addit *Rusianum*, quæ loca omnia in extima illa sunt *Calabria*, atque *Consentia*, & *Cassiano* orientaliora. Sed *Tarentum*, de quo dice-
E bam (nam de *Latiniano* in mediterraneis posito alibi opportunius) aliquanto post quam *Brutius ager*, nostratibus *Langobardis* adcessit, atque post obitum *Græci* Imperatoris *Constantii*, a quo detinebatur, in anno 663. cum ille ad eam appulit urbem, tunc plane totius ditionis primariam, a qua digressus, ut Paulus Diacon. tradit lib. 5. cap. 4. sive 7. Beneventanorum *fines invasit*, *omnesque per quas venerat* Langobardorum *civitates cepit*, *cum tamen* Agerentiam (sive *Acherentiam*, male alia editio, *Arentiam*) *propter muni-*
F *tissimam loci positionem capere minime potuisset*. At post ista, ut ejusdem Pauli dicam verbis lib. 6. cap. 1. *Dux* Romualdus *congregata exercitus multitudine* Tarentum *expugnavit*, *& cepit*, tuncque *Græci* antiquissimæ *Calabriæ* maximam amiserunt partem; nam idem Dux (pergit Paulus) *pari modo* Brundusium, *& omnem illam*, *quæ in circuitu est*, *latissimam regionem suæ ditioni subjugavit*. qui utique progressus ad *Constantii* obeuntis tempora sunt referendi; quo perempto in anno 668. perturbatoque Imperio ab invasore *Mecetio*, sive

Sane posteriora hæc tempora adspiciebat *Jo. Curop.* tradens *Græcos* Duces *Rhegii* commorari consuevisse priusquam eam *Robertus Guisc.* obtinuisset. Qua subacta dici ille Dux cœpit, ut *Ostiens.* perhibet l. 2. c. 16. nempe, quod regionis caput pervasisset.

Sed Langobardi *a* Consentia *per* Cassanum *interiora omnia* Tarentum *usque pervaserunt*.

Jure hanc prærogativam *Tarento* tribuo, nam secus *Constantius* non eam portui præposuisset *Brundusino*; *Hydruntinus* autem Portus post hæc inclaruit.

Atque Brundusium, *sub*

necis tempore Imperatoris Constantii.

Mezentio, commodam ille est nactus occasionem ditionis augendæ, damnaque sibi illata ulciscendi; cum interim Italiæ *Militiæ Milites* (verba sunt ejusdem Pauli libr. 5. cap. 6. sive 12. *alii per* Histriam, *alii per partes* Campaniæ, *alii verò a partibus* Africæ, *&* Sardiniæ *venientes*, *in Tyrannum irruissent*, *quem vita privarunt*: eaque etiam opportunitate usi *Saraceni Syracusas* diripuerunt, sicut eodem loco idem tradit auctor. Qui sane demonstrare videtur, arces regionis pervasæ tunc a *Romualdo* fuisse *Tarentum*, & *Brundusium*, quas nominatim, præteritis aliis, captas dicit: itemque dat suspicari ei adstitisse aliquammultos *Bulgaros* sub eorum quodam Duce *Alczeco* nuncupato, perhibens lib. 5. cap. 11. sive 29. illos eadem tempestate pacificè *Italiam* intrasse (credam ego a *Beneventi* Duce, atque ab ejus patre Rege *Grimoaldo* in subsidium accersitos adversus *Græcos*, quod *Paulus* de more erubuit exponere) iisque loca ad *Bojanum*, & *Æserniam* ad habitandum fuisse concessa. Nec alia ratione Ignotus *Cass.* Num. 3. etsi cæterum res sui temporis lacinioso stylo, nulloque digerens ordine, in unum locum contulit *Alczeci* adventum, & *Langobardorum* de *Græcis*, deque *Romanis*, nempe genuinis *Italis*, ingentem victoriam, qua scilicet ii latissimam regionem obtinuerunt. At *Brundusium*, quo ex *Tarento* jam pervenimus, cum ab altero fuerit *Beneventani* Ducatus latere, atque ad Septemtrionem, finitus mihi modo est terminus iste ad Orientem.

Bulgarorum armis suffulti.

FINIS Dissertationis VI.

DISSERTATIO VII.
FINES DUCATUS *BENEVENTI* AD SEPTEMTRIONEM.

Langobardi suos limites trans Brundusium non perduxerunt.

Extima, ac orientalior *Beneventani* Ducatus ab hoc latere urbs fuit *Brundusium*, sicut ex non semel producto Constantini Porphyrogennetæ loco De Adm. Imper. cap. 27. facile est intelligere: Langobardi, inquit, *ex* Benevento *excursione in omnem ditionem facta*, *subjecerunt eam Themati* Langobardiæ, *&* Calabriæ, *excepta* Hydrunte, *&* Callipoli, &c. hæ namque urbes singulæ ab utroque *Salentini* Promontorii latere, & quod Septemtrionem, & quod Meridiem respicit, sitæ, *Brundusio* quidem sunt orientaliores; quibuscum detentam quoque fuisse a *Græcis* intermediam *Oriam*, docet *Erchempertus* Num. 48. eam dicens ab *Græco* Imperatore *Basilio* dono datam *ad convivendum* Gaideri, qui *Beneventano* Principatu exutus *Constantinopolim* profugus se receperat. Sicut *Græcorum* quoque, ut reor, colens amicitiam *Beneventi* Dux alter, qui proximè *Arichim* 2. præcessit, *Hydrunti*, sive *Otrantina* dicas in civitate, aliquando mansit, ad quam ab insequente *Langobardorum* Rege *Desiderio* confugerat, utpote sociorum, vel ex fœdere, aliove consimili pacto sibi commendatam: nam sic exponenda censeo Pauli Romani Pontificis verba, quæ in Epist. 4. ad *Pipinum* Regem *Galliæ* de eodem habentur *Desiderio*: *Appropinquante autem*, inquit, *eo* Benevento, *illico Dux* Beneventanus *fugam arripuit in* Otrantinam *Civitatem*; *& dum diu immineret*, *ut ex ipsa sua civitate exire eundem Ducem suaderet*, *& nequaquam in eo suam adimplens voluntatem*, *constituit Ducem alium in eodem* Beneventano *Ducatu*, *nomine* Argis, &c. Et quidem innominatum hunc Ducem nullum præsentius habuisse perfugium, quam *Græcorum* urbem, aptissime convenit eorum temporum, & *Beneventani* Ducatus, quæ tunc manebat, conditioni, quando Dux *Godescalchus*, ni *Paulus Diacon.* fallsus est lib. 6. cap. 17. sive 57. de quo dicam in Prima Parte Chronol. Num. 12. ante annos haud multos ab persequente Rege *Luitprando* ad *Græcos* pariter transire disposuerat: necdum *Salernum*, ut postea, instauratum, eximièque munitum fuerat ab *Arichi*. Cum igitur *Hydruntum Græci* detinuerint, deque hoc Pontifex *Paulus* minime discrepet ab *Porphyrogenneta*, extimam utrique urbem ex orientali plaga hujus lateris Septemtrionalis *Brundusium Beneventani* Duces habuerunt. Sed *Porphyrogenneta Langobardos* ait, pervasam ditionem *subjecisse Themati* Langobardiæ, *&* Calabriæ: hujus nomine *Calabriam* recepto more demonstrans ad *mare Inferum*, de qua superius: *Langobardiæ* autem novitio vocabulo *Apuliam* designans ad *mare Superum*, quam plane latè obtinuerunt, ut qui *Tarentum*, & *Brundusium* usque suos fines, sicut notavimus, dilatarunt. Verumtamen cur sic *Apuliam* adpellarit, *Beneventanum*que Ducatum in bina Themata, sive dicas Provincias tradiderit distributum, cum neutrum hoc e nostratium fecerit consuetudine, utrumque sane exponendum, sed loco erit aptiori. At *Beneventanos* una cum mediterranea *Apulia*, quam *latissimæ regionis* adpellatione *Paulus Diaconus* in antecedentibus demonstrabat, litoralia etiam omnia *Brundusium* citra non possedisse, non adhuc novi cur adfirmem; quandoquidem satis constat, eis cessisse *Barium*, ut ex *Erchemperto* Num. 16. quin & *Sipontum*, sed aliquanto post ætatem Sancti *Gregorii Magni*, qui ejus urbis *Tribunum ab hostibus prædatum*, pretioque redemptum perhibet libr. 3. Indict. 12. Epist. 17. nam idem Paulus libr. 4. cap. 14. sive 41. rem enarrans actam ante annum 640. ut alibi dicendum erit; proximum *Siponto* litus in *Beneventi* locat fine. Radoaldus, inquit, *&* Grimoaldus Gisulfi Foro-Juliensis *Ducis filii despectui ducentes sub patrui sui* Grasulfi *potestate degere*, *cum essent jam prope juvenilem ætatem*, *adscensa navicula*, *remigantes ad* Beneventi *fines pervenerunt*: hoc est interiori *Hadriatici* maris sinu solventes non alio quam ad *Siponti* litora appulerunt, quod facile dabunt, locorum periti. Verumtamen quid conjecturis opus est in re clara, quæ ex altera ejusdem Pauli narratione aperitur lib. 4. cap. 15. sive 46.? *Venientes* Sclavi, inquit, *cum multitudine navium*, *longe a civitate* Seponto *castra posuerunt* (in anno scilicet 642. de quo in Chronologia) *super quos* Ajo *Dux* Beneventi *cum venisset*, *simul cum aliquantis viris extinctus est*. Et capite sequenti: *Eo tempore*, ait, *venientibus* Græcis, *ut Oraculum Sancti* Michaelis *Archangeli in Monte* Gargano (est ad *Garganum Sipontum*) *deprædarentur*, Grimoaldus *Dux super eos cum exercitu veniens*, *ultima eos cæde prostravit*; quod sane mox post annum contigit 647. Sed *Græcis* sacrilega ista cum adscribit, vereor ne imponat nobis *Paulus*, suspectæ mihi semper fidei auctor in his, quæ suorum *Langobardorum* officere possunt decori. cur enim potius non credam talia ab iis commissa, quos constat *Cassinense* Monasterium superioribus annis diripuisse, ac Idololatriam, sive *Arianam* hæresim, nam discrepant de hoc auctores, ad annum usque 663. fuisse sectatos, nempe *Langobardos* Ducatus *Beneventani?* cum cæterum sit manifestum, *Græcos* ex antiquo ritu impenso studio Sancti *Michaelis* nomen coluisse, cui (ut pænè supparem primis hisce *Langobardorum* temporibus dem exemplum) unus Magnus *Justinianus* Imperator plures *Constantinopoli* ædes tum refecit, tum novo opere excitavit, quod *Procopius* testatur libro primo de ejus Imperatoris Ædificiis; eidemque Angelorum Principi *Græci Neapolitani* sua in urbe Templum avito haud dubiè ritu construxerunt, quod S. *Gregorii Magni* ætate dedicarunt, sicut idem Pontifex declarat lib. 7. Indic. 2. Epist. 15. Credam igitur verè tunc *Græcos* cum *Langobardis* ad *Garganum* pro ejus loci possessione, sicut pro aliis alibi

Cur aliter Pontificis verba capiam, qui addit Desiderium Regem solo Duce illo, & ejus nutritore Joanne contentum, Græcis expugnatam urbem fuisse dimissurum?

Sed Apuliam tenuerunt, tum mediterraneam, tum litoralem usque Sipontum: Sic Varro de R.R. l. 1. c. 6. Apuliam infert æstuosam; quod sit latissima.

Quibus imputanda est direptio Cryptæ D. Michaelis in Gargano, tradita a Paul. Diac. Rom. Martyr. xi. Kal. Mart. & inedita Acta S. Barbati Episc. Ben. Langobardos Idolis deditos perhibent; Acta S. Joannis Episc. Bergom. Arianismo.

bi frequenter, conflixiſſe, atque hos victoria potitos ſacram Archangeli ſpecum diripuiſſe. Namque ex ineditis Actis S. *Barbati* Epiſcopi *Beneventani* in Monialium Monaſterio Sancti *Joannis Baptiſtæ Campanæ* urbis adſervatis, cum conſtet eam in anno 663. adeo cultoribus manſiſſe deſtitutam, *ut nec ſedulum illic officium perſolvi poſſet*; nec non *Beneventanos Langobardos* Divinæ opis præſidio ſua ab urbe Imperatorem *Conſtantium* abegiſſe, atque vix tandem ad meliorem converſos frugem, Catholicamque fidem ſuaſu ejuſdem Sancti Epiſcopi amplexatos, ei permiſiſſe, ut intermiſſa ibi ſolemnia reſtitueret, haud quidem ex alia, quam ex illata ab ipſiſmet *Langobardis* direptione, venerandam Cryptam eo perveniſſe non eſt ambigendum. Sacrilegæ igitur rapacitatis opprobrium e *Langobardis Paulus* convertit in æmulos *Græcos*, quem nimio ſuæ gentis amore complura alia omnino contraria iis, quæ facta ſunt, enarraſſe, magnus vir judicii *Baronius* ad annum 585. Num. 2. peritiſſimè obſervavit. Atqui (ſi tamen receptam in Sacris paginis Hiſtoriam ad conjecturæ lancem expendere fas eſt) an etiam ſatis certi eſſe poſſumus, non ſic quoque commiſſum in Actis Angelicæ Adparitionis, quæ perhibent *Neapolitanos* a *Sipontinis* devictos (hoc eſt a *Beneventanis Langobardis Græcos*, de quo alibi dictum eſt) Paganitatem exuiſſe, *Chriſti*que ſuſcepiſſe fidem? quandoquidem, ut opportunè nunc aperiam, quod libro priori diſſimulandum duxi, oppoſitum verius, atque non *Græcos*, ſed *Langobardos* ea occaſione ſacro Baptiſmate initiatos ex hoc aliquis dixerit; quoniam eorum Actorum Auctor *Langobardus* & ipſe fuit, fueruntque tum *Græci*, tum *Neapolitani* antiquiſſimi *Chriſti* cultores, *Langobardi* autem ſero, & in anno 663. Idololatriæ renunciarunt. Et quidem iſta cum ſimul confero, videre mihi videor, tunc *Sipontinos*, ac *Beneventanos* in eam, quæ in præfata Adparitione enarratur, a *Neapolitanis*, & *Græcis*, redactos fuiſſe anguſtiam, nimirum cum Imperator *Conſtantius*, ſicut eſt in præſcriptis Actis Sancti *Barbati*, nec non in *Paulo Diac.* lib. 5. c. 4. ſive 7. pervaſas *Apuliæ* civitates eis ademit, *Luceriam*que a *Siponto* non admodum disjunctam ad ſolum proſtravit, ac ipſam tandem *Beneventum* arctiſſima obſidione tamdiu coercitam divexavit, dum ejus cives divinam opem invocantes, extremam evaſerunt cladem; quod præfata S. Barbati Acta, ſincera illa quidem vel ex *Baronii* cenſura in Notis ad Martyrol. XI. Kal. *Martii*, his verbis declarant: Conſtantinus (ſic etiam dixere *Conſtantium*) *qui uſque ad internicionem moliebatur urbem cum ſuis habitatoribus perdere, & quem nequibant ad miſericordiam flectere immenſi ponderis argentum, vel aurum, atque innumera multitudo pretioſorum lapidum, & Margaritarum, accepta ſolummodo ſorore Ducibus* Romualdi, Beneventum *deferens*, Neapolim *eſt ingreſſus*. Hæc ibi. poſt quæ ſubjicitur Ducem, & *Langobardos* incolumitatis ſuæ vota Deo perſolventes, omnem Paganitatis ritum, ut paulo ante dicebam, exuiſſe, ordinatoque ſibi in Epiſcopum *Barbato*, quo monitore ſacra vota nuncupaverant, *Chriſti*que fidem ſuſceperant, munera ei magna obtuliſſe; quibus ſpretis, in hæc ſanctum virum verba eſſe *Romualdum* adlocutum: *Si munus*, inquit, *tuæ ſalutis vis offerre, ſtude unum impendere ſacrificium, ut B.* Michaëlis *domum, quæ in* Gargano *ſita eſt, & omnia, quæ ſub ditione* Sipontini *Epiſcopatus ſunt, ſedi Beatiſſimæ Genitricis Dei, cui nunc indigne præſum, in omnibus ſubdas; & quoniam abſque cultoribus omnia depravantur, unde nec ſedulum illic ſacrificium perſolvi poteſt, melius a nobis diſpoſita tibi proficiant in ſalutem.* Hactenus *Barba-*

Eſtque de eis accipiendum, quod de Neapolitanis *ad* Chriſti *fidem converſis in Actis legitur Angelicæ Adparitionis.*

Qui Divina ope in anno 663. Conſtantii Græci *Imperat. victricia arma cum evaſiſſent.*

Divi *Ar*changeli *Cryptam in antiquam reſtituere culturam.*

A *tus*; eique, ut ipſe petierat, demandatam fuiſſe Angelicæ ſacræ cryptæ, & *Sipontini* Epiſcopatus curam, eadem perhibent Acta, literiſque probatur adviventis tunc *Romani* Pontificis *Vitaliani*, datis eidem *Barbato*, quas recitat *Marius Vipera* lib. 1. Chronologiæ Epiſcoporum, & Archiepiſcorum *Beneventi*, etſi in multis adeo corruptas, ut de illarum ſinceritate ſuſpicari merito quis poſſet, niſi ex pluribus aliis fidelioribus monumentis ab eodem *Vipera* relatis pag. 61. 63. 70. 74. 76. 81. & 85. aperiretur, *Gargani* montis ſpecum, & *Sipontinam* Eccleſiam diu etiam poſt *Vitaliani* tempora Præſulibus *Beneventanis* commendatas
B manſiſſe, ſuoſque ſero Archiepiſcopos, & collabente *Beneventano* Principatu, obtinuiſſe, de quo in Diſſertatione dicam, quæ inſcribitur: *Noſtratium* Langobardorum *occaſus*. Hoc igitur pacto *Beneventanis Langobardis* poſt deplorata humana omnia præſidia divinitus conceſſa ſalus, abnegataque tunc ab eis Idololatria, atque Archangelo *Michaeli* religioſior, & cultior veneratio reſtituta quamaptiſſime cum his convenire videntur, quæ de *Sipontinis*, ac *Beneventanis* e *Neapolitanorum*, hoc eſt *Græcorum*, & *Conſtantii* obſidione evaſis, in Actis Adparitionis *Archangeli* exponuntur, doctiſque viris minus probata, ſe-
C cretiori alia interpretatione excipienda eſſe cenſentur. Sed mihi de ſemita ſemel digreſſo permittat, velim, Lector, rem nec de nihilo, nec prorſus injucundam minutius exponam, aliiſque inſuper ratiunculis confirmem. Quamvis haud puto, omnia a *Paulo Diac.* & in Actis *S. Barbati* de Imp. *Conſtantio* enarrata, geſtaque illa omnia in Adparitione *S. Michaelis* deſcripta, adamuſſim poſſe inter ſe æquari, & conferri; quandoquidem neutra nec ſincere, nec integre cum fuerint literis conſignata, utique ad omnimodam concordiam duci nequeunt, ut eſt manifeſtum. Et quidem traditam de *Sipontinis*, *Neapolitaniſ*que ini-
D micantibus Hiſtoriam, deque ab his tam ſero ſuſcepto Baptiſmate, explanatione indigere omnes conſentiunt eruditiores, ut dixi: in Actis vero S. *Barbati* ſatis jejune exponi, immo non exponi, cur Sancto illi Epiſcopo maxime ſederit, ac præ cæteris Eccleſiis cordi fuerit Angelicæ cryptæ reparatio, ipſa Actorum lectione adparet: & *Paulum* tandem quis non conſentiet mancum, ſtudioſeque mendacem, qui Epiſcopatus *Barbati*, abjurat æque a *Langobardis* gentilitatis nec per ſomnium ibi meminiſſe deprehenditur? Ut igitur opinor, cum *Beneventani Langobardi* ſtatuiſſent diuturni ſui Ethniciſmi memoriam prorſus omnem
E abolere, eodem utique conſilio Auctor Angelicæ Adparitionis talem maculam e ſua gente convertit in æmulos *Neapolitanos*, & *Græcos*, nomenque penitus ſiluit *Langobardorum*. Cujus perturbatæ narrationis *Paulus*, & ipſe ſuis favens, cum duceret funem, tum ſacram ſpecum a *Langobardis* adverſus impiam *Græcorum* rapacitatem propugnatam, ſecus ac res acta eſt, ut ſupra obſervabamus: tum ultimum excidium, nulla Divini ſubſidii facta mentione, eos evaſiſſe adfirmat; nempe veſtigium, judiciumque omne celans, atque corrumpens obſervatæ diutius gentilitatis. Quam nihilominus ipſemet, velit nolit, ibidem
F manifeſtat, *Conſtantium* dicens *Italicam* expeditionem adornantem, quendam conſuluiſſe Solitarium, qui Prophetiæ ſpiritum habere dicebatur: *Utrum ipſe gentem* Langobardorum *ſuperare, & obtinere poſſet*; atque ab eo reſponſum obtinuiſſe (ſicut editio *Frobeniana* in hoc melior, & plenior duabus aliis præfert) haud tunc vinci poſſe, quos *S. Joannes Bapt.* impenſo ab eis ſtudio in *Sub Alpina Italia* cultus protegebat. In hac enim narratione nonnihil ſubodorare mihi videor de ſo-

Iſtaque narratio apte congruit cum præfatis Actis cenſura plane indigentibus.

Quam Langobardi *Auctores ſummo ſtudio celarunt.*

Sed in eorum monumentis veri indicia manſerunt.

Cis-Tyberinos Langobardos ſub hujus Sancti Triumviratus tutela

mansisse. Templa sunt documento frequentissima & præclara, quæ eis ubique excitarunt. Et Sancti quidem Michaelis patrocinium cæteris præcipuum fuisse, nummis declaratur aureis, & argenteis cum ejus nomine a Beneventanis Dynastis excusis. Et præcipuè in Hist. Pauli Diac. qui præ cæteris causæ dum inservit, pugnantia tradidit. In Adone quoque Viennensi. Fluvium Calorem a Paulo pro Sabatodictum non dubito; quem propè Petrus Diac. in Auct. ad Ostien. l. 4. c. 16. agnoscit hunc locum appellatum Pugna. Sed eo Constantium rectà, & festinatò, ut Paulus perhibet, Neapolim recedentem e recta via divertisse, locorum & gestorum consueta est confusio. Manifestissima autem semel, & iterum in Ignoto Cassin. a me evulgato.

A luta non absque Dei nutu obsidione *Beneventi.* Quam sane urbem Angelica custodia munitam Imperatori non succubuisse, ex hoc etiam intelligi posse arbitror, quod idem *Paulus* tradat, Solitarium ab *Archangelo*, & ab *Christi* Præcursore, unaque ab Apostolorum Principe per visum de irrito conatu Imperatoris fuisse admonitum, etsi unus *Joannes* ab unis *Sub-Alpinis Langobardis*, ut idem habet Auctor, veneraretur: nempe hoc pacto declarans, præfatam triadem, sublato *Græcorum* terrore, tutelam gentis suscepisse *Beneventanæ.* Quo pariter referam, quæ in sæpe dictis Angelicæ Adparitionis Actis de Templo habentur *D. Petro* apud *Gargani Montis* specum excitato a *Christi* fidelibus, obsidionis periculum evasis; binisque ibi Aris, altera communi *Christianorum* omnium patronæ Dei genitrici *Mariæ*, altera verò *D. Joanni Baptistæ* dicatis. Ex his itaque cum jam constet, Scriptores *Langobardos* alios alias semitas ingressos, horum gestorum seriem tanquam ex industria obscurasse, intelligi hinc quoque valebit, cur eorundem dicta non admodum aptè simul possint componi. Atqui de *Paulo* aliter credendum non est, qui de præfata *Constantii* expeditione invicem pugnantia exposuit: vel cum a Duce *Romualdo* obsidem Imperatori perhibuit traditam sororem *Gisam* post acceptum nuncium præsto jam sibi adesse cum valido exercitu patrem, Regemque *Grimoaldum*: vel cum scripsit, *Constantii* copias *Neapolim* post inita fœdera recedentes bis fuisse a *Langobardis* cæsas: primum a *Campano* Comite *Mitola* apud *Calorem* Fluvium in loco, cui ex eo conflictu *Pugnæ* nomen mansit: iterum ab Duce metipso in loco *Forino* (aliter *Forma.* aliter *Formiis.* quod magis placet) nuncupato: vel tandem cum securè, & quietè Imperatorem post hæc *Roma Rhegium* facit per *Beneventani* Ducatus loca recedentem. Equidem minimè crediderim, absurdam adeo narrationem ex alio manasse fonte, quam ex pravo hoc studio celandi abjuratam serò a suis paganitatem; quem semel e recto rerum ordine digresso, utique oportuit in dissonum, inconstantemque labi sermonem. At præter jam dicta, haud minora alia rei, ut gestam puto, signa remansere in *Adone Viennensi*; qui in Martyrologio Archangelum scribens subsidio fuisse *Sipontinis*, & *Beneventanis* adversus *Neapolitanos* 8. Idus *Maji*, quod etiam demonstrabat *Erchempertus* num. 27. *Sipontum* designavit in finibus *Campaniæ*; ejusmodi scilicet locorum confusione subindicans, id competere *Langobardis*, quos ad *Campaniam* cum *Constantio*, & *Neapolitanis* bis conflixisse, fuisseque superiores, est ex *Paulo* jam dictum. Et planè ea bella in mense *Maji* gesta, ex Anastasio Bibl. intelligimus, qui *Vitaliani* temporibus *Constantium* perhibet de Regia Urbe venisse Tarantum, *inde* Beneventum, *&* Neapolim *per Indict.* 6. (in anno nimirum *Christi* 663) ac subdit. *Postmodum venit* Romam, *id est quinta die mensis* Julii, *feria* 4. *Indict. suprascripta.* Sed rem prorsus omnem evulgatus nuper a me detegit, etsi invitus, Ignotus Cassinensis Num. 3. continentem sermonem habens de *Græcis*, & *Romanis* devictis a *Cis-Tyberinis Langobardis*, deque *Alczeco Bulgaro* ad habitandum ab eis suscepto, ac de Archangeli protectione, simulque de *Neapolitanis* ad *Christi* fidem conversis, in hæc verba: *Post hoc*, ait, *dominantes* Italiam, Beneventum [properantes] *introeunt ad habitandum. Horum autem* * *Princeps militiæ cœlestis exercitus* Michael *extitit Archangelus.* Neapolites *ad fidem* Christi *perducti.* Alzecus Vulgarius *cum hominibus ad habitandum suscipitur.* Græcorum, Romanorum*que* Langobardi *gentes superantes*, *totam simul* Beneventi *pos-*

sident patriam. Sic ille strictim, sed palam hæc omnia continenti eo tempore acta fuisse exponens, quo infructuosè *Constantius Langobardos* aggressus fuerat; quando etiam *Alczecum Bulgarum* sive ab eis accitum, ut superius observabam, sive spontè novas sedes cum suis quærentem, certum est in *Cis-Tyberinam Italiam* pervenisse. Perspicuum itaque ex his esse potest, quæ in Actis Adparitionis Archangeli perhibentur de *Neapolitanis* bello prementibus *Sipontinos*, aptissime convenire *Græcis*, non solos *Sipontinos*, sed *Langobardos* cis *Tyberim* universos perdere molientibus; quos planè secum habuisse *Neapolitanos*, plausibile admodum videtur; atque adeo ad *Christi* fidem *Langobardos*, ut D. *Barbati* Actis proditum B est, tunc conversos, conceptumque solventes votum, B. *Michaelis* Cryptam sacris destitutam, impenso studio excolere cœpisse; quandoquidem primam illam in *Gargano Monte* D. Archangeli manifestationem, atque *Sipontinorum* pericula ad eadem, conjunctaque tempora referre non oportet, vel Actis metipsis præfatæ Adparitionis consentientibus, quæ tute vide. Est autem advertendum, vocabulo *Romanorum* ab Ignoto *Cassin.* nec *Græcos*, nec urbis *Romæ* demonstrari cives; sed juxta tertiam quandam acceptionem Aucto- C ribus mediæ ætatis usurpatam, sic dictos *Italiæ* primitivos incolas, & indigenas; qua etiam nomenclatura appellatos quandoque constat reliquos populos omnes extra *Italiam* positos, *Romanoque* olim Imperio subjectos; ad Barbarorum nimirum discrimen, de quo alibi pluribus. Sed cur tandem rem non expedio, apertissimumque ejusdem Ignoti non præfero testimonium, qui Num. 25. præclaram de *Neapolitanis* victoriam a *Campanis Langobardis* 8. Id. *Maji*, anno 860. reportatam cum illa comparans, quam pariter *Sipontinos* de *Neapolitanis* eadem olim die retulisse, proditum in præfatis Angelicæ Adparitionis habetur Actis, D utramque diserte adscribit *Langobardis* his verbis? *Secunda*, inquit, Neapolitis *hæc ruina extitit similis, qua olim in* Gargano *cum Beato* Michaeli *Archangelo ageretur festivitas, corruerunt.* Cui quam simillimo, quin etiam clariori sermone accinit *Erchempertus* Num. 27. de eodem *Campanorum* cum *Neapolitanis* conflictu sic habens: *Qua etiam die*, inquit, *priscis temporibus a* Beneventanorum *populis* (non igitur ab solis *Sipontinis*) Neapolites *fortiter cæsos fuisse legimus.* Porrò *Beneventanæ* Provinciæ incolas promiscuè omnes recepto more dictos quandoque fuisse *Sipontinos*, observare est in Constitutione ab Imp. *Lothario* I. edi- E ta *tempore* Eugenii *Papæ ante Januam B.* Petri *Apost. in Civitate* Romana; hoc est in anno 824. (pace dixerim viri magni *Jacobi Cujacii*, qui sanctionem illam ad *Lotharium* refert juniorem) cujus mentio exstat Feud. lib. I. tit. 19; factaque adseritur *ad laudamentum sapientum* Mediolani, *& atque* Papiæ, *seu* Cremonæ, *atque* Mantuæ, *&* Veronæ, *quæ vulgo* Berna *vocatur*, *&* Tervisii, *&* Paduæ, *atque* Vincentiæ, *&* Parmæ, Lucæ, *&* Siponti. Sapientum enim *Siponti* appellatione (quæ lectio, nec censori *Cujacio*, nec ulli unquam suspecta fuit) ni universæ *Beneventanæ* regionis venerint Jureconsulti, cur in eo Conven- F tu *Sipontini* potius, quam reliqui ex *Cis-Tyberina Italia* accersiti fuerint, minimè capiemus. Et verò eam Constitutionem ad juniorem referendam non esse *Lotharium*, hinc patet; quod bis ille *Romam* advenerit, sed ne accedere quidem ad *B. Petri* Januam valuerit. Non in an. 1133. *quando in Ecclesia* S. Salvatoris, ut inquit Otho Frising. lib. 7. cap. 18, *quæ* Constantiniana *dicitur*, *a Summo Pontifice* Innocentio *coronatus* (eadem dicta. *Lateranensis.* in cujus Palatio *Innocentium* tunc habi-

Nec alia de causa *Gothi Arianæ* sectæ, ut est apud *Gregor. Turon.* Mirac. l. I. c. 25. Romanos vocabant homines nostræ religionis: nempe quòd Catholicam, quam servabant fidem, de sua non essent gente, sed indigenæ locorum, quæ Imperio subjecti olim fuerant *Romano.* *Salvianus* etiam in Libb. de Gubernat. *Romanos* hoc sensu ab impiis Barbaris pluries distinguit. *Et in* Erchemperto. An etiam bellum, Duce *Romualdo* adversus *Constantii* copias apud *Formias* gestum, de quo *Paulus Diacon.* l. 5. c. 5. sive 10. accidisse credam ad Montem *Garganum*, id est ad Montem *Garilianum* a *Formiis* parum dissitum, sicuti est eorundem no-



minum commutatione plerique recentiores decepti tradiderunt, *Saracenos ad Garganum* diu insedisse, qui ibi nunquam, sed ad *Garilianum* sua aliquando domicilia habuerunt? *Et tandem in Actis metipsis Angelicæ adparitionis.*

habitasse, tradit *Falco Beneventanus*) *Imperatoris, & Augusti adeptus est nomen: nempe Ecclesiam* B. Petri, *ubi mos coronari est Imperatoribus*, Petrus (qui & *Anacletus*, Antipapa *eo tempore occupaverat.* Nec in an. 1137. *Vaticanam* adhuc detinente Ecclesiam *Anacleto*; quandoquidem *Innocentius* una cum ipso *Lothario Romam* tunc ex *Apulia* recedens, Lateranense *Palatium* (sic idem *Falco*) *adivit.* Angelicam itaque Adparitionem, qua *Sipontinos* a clade servatos, *Neapolitanos*que ad *Christi* fidem conversos, perhibetur, in hujusmodi sententiam aptè exponi posse, existimo; quam, ut superius monui, longè post primam sacræ Cryptæ sub Papa *Gelasio*, ut volunt, manifestationem contigisse, vulgata de eadem Adparitione Acta, si rite exponantur, declarant; quibus perhibetur, non ante servatos *Sipontinos* ab extrema illa clade specum consuevisse penetrari, quod convenit cum S. *Barbati* Actis tradentibus, antequam *Beneventani Langobardi* ab imminenti servati fuissent excidio, *Christi*que fidem suscepissent, locum incultum, desertumque mansisse, quia, ut dicebam ipsi illum ante 15. ferè annos diripuerant, nec prius adiverant ob impietatem; nam priorum hominum donariis, haud tunc primum cœpisse frequentari, ipsa direptio a *Paulo Diac.* descripta, e qua digressi sumus, manifestat. Ad quam non dicam, sed ad aliam sanè D. *Michaelis* Basilicam recentius, sive antiquius excitatam, post depulsum ex *Italia Constantium*, susceptumque Archangelum in tutelarem confugisse *Hunulfum* credam, iram caventem Regis *Grimoaldi* ob servatum a comminata nece *Bertaridum* Regni *Langobardici* hæredem, secus ac præfatus *Paulus* lib. 5. cap. 1. & seqq. callide rem antevertens, ante susceptam ab Imperatore *Italicam* expeditionem id actum ponit, quem ipsa expositorum a se gestorum series Prochronismi convincit, minime tantum temporis admittens spatium inter pervasum in exordio anni 663. a *Grimoaldo* Regnum, & *Constantii* in Vere ejusdem anni adventum, ut eo medio valuerit *Bertaridus* ad *Cacanum Hunnorum* Regem profugus pervenire, *Grimoaldus* apud *Cacanum* per Legatos agere de dimittendo a se *Bertarido*, ipse *Bertaridus* ad *Grimoaldum* redire, atque iterum fuga salutem quærere, ejusque fugæ *Hunulfus* auctor e Sacro Asylo sub fide eductus in honore aliquandiu apud *Grimoaldum* manere, tandemque ejusdem permissu ad *Bertaridum* in *Galliam* se conferre: quæ omnia juxta *Pauli* narrationem completa fuissent duorum, triumve mensium, ut dictum est, intervallo. At post *Sipontum*, adjacentemque *Gargano* Promontorio regionem, ad ulteriora ad Septemtrionem loca *Beneventanos* aliquando suam produxisse ditionem, est ex *Erchemperto* Num. 5. & 6. qui tradit ob denegata tributa ademptas eis armorum vi a *Gallis* fuisse, a *Carolo* scilicet *Magno*, ejusque filiis, & a *Spoletano* Duce, *tellures* Theathensium, & *urbes*, quod alii, & ipsi antiqui, confirmant Auctores, Anonymus in Vita prædicti *Caroli*, Anonymus alter in Annalibus *Francorum*, *Adelmus*, sive *Adhemarus Benedictinus*, & *Ado*, uterque in Chronicis, nec non *Aimoinus* lib. 4. cap. 90. adferentes, id contigisse in anno 801. ac addentes, *Luceriam*, & *Ortonam* (extremam, forte, in eo *Hadriatici* maris litore nostratium *Langobardorum* urbem) eadem tempestate amissas, sed *Luceriam* illico recuperatam; quod *Erchempertus* quoque perhibet loco relato. Post hæc igitur *Beneventanus* finis ad *Luceriam*, *opulentam* Apuliæ *civitatem*, ut eam dicit *Paulus Diac.* diu substitit; cujus ager (certe *Beneventana* ditio) ad *Tiferni* fluminis ostia, & in mediterraneis ad fluvium *Tri-*

Ad eandem etiam Basilicam longe post cum se recepisset *Herse-mar* sub Rege *Luitprando*, impunitatem quoque meruit, teste *Paulo* l. 6. c. 15. sive 51.

At *Beneventanus Ducatus post Sipontum urbes etiam Theathensium est aliquando complexus.*

Ad *Trinii* sanè, &

A *nium* pervenisse videtur: siquidem ad hujus fluenta Princeps *Grimoaldus* eodem hoc bello, quo *Theathensium* tellures, & urbes amisit, *Pipino Italiæ* Regi, *Caroli M.* filio, fortiter restitit, ut Anonymus *Salernitanus* tradit in Historia nondum edita; ibique situm *Tribentense* castrum, utpote in confinio, amissum, receptumque varia fortuna legimus in *Erchemperto* Num. 39. *Theathina* autem *Marchia*, quo absoluto nomine labentibus annis *Theathensium* urbes dictæ sunt, estque modo sub iisdem ferè finibus *Aprutium* citerius, ad *Tifernum*, ni fallor, olim pervenit. a qua mente Falco ad annum 1137. de *Lothario* 2. Imper. scri-
B bens: *Præfatus*, inquit, *Imperator flumen* Piscariæ *adveniens*, *Pascha Domini ibi celebravit*: *inde flumen illud transiens*, *civitatem* Termulensem, *& illius Provinciæ Comites obtinuit*, *& inde amoto exercitu*, Apuliam *ingreditur.* civitas enim *Termulensis Tiferni* ostio citerior est non sane multum. Hæc vero loca a *Magno Carolo* nostratibus adempta *Langobardis*, Ducatui, sive adjacentibus Ducibus *Spoletanis*, vel perpetuò commissa fuisse, vel committi consuevisse, complura declarant antiqua monumenta; de quibus etsi hujus non est operis plenius disserere, haud tamen omittam, videri *Francorum* Reges, & qui post illos
C *Italiæ* Regnum obtinuerunt; ipsumque *Carolum* strictiori quodam jure *Spoletanum* Ducatum, cæteraque postmodum contributa eidem loca obnoxia habuisse præ *Beneventano*, qui memoratis Regibus vectigalis tantum fuit. Quo referendum existimo, præfatum *Carolum Magnum* Regna suis filiis suo in testamento distribuentem, *Pipino* legasse Regnum *Italiæ*, unaque Ducatum *Spoletanum*, cui ab eo institutus tunc præerat Dux *Guinichisus*, scriptoribus gestorum *Caroli* memoratus: de *Beneventano* autem ne verbum quidem submurmurasse; quippe qui, ut in ejus vita Anonymus auctor prodit, *in potestate sua omnem terram tenuit*
D *de* Monte Gargano (est *Garganus* paulò orientalior urbe *Termulensi*, eademque longe celebrior) *usque* Cordubam, *civitatem* Hispaniæ; tributariam verò reliquam omnem habuit *Italiam* (verba sunt Eginhardi) *usque in* Calabriam *inferiorem*, *in qua* Græcorum, *ac* Beneventanorum *constat esse confinia*, ac perinde ipsum Ducatum *Beneventanum.* Et rursus haud aliò ducendum arbitror, designari ab *Ostiensi* lib. 1. cap. 44. *Regalia* (jura scilicet) & *Regales pertinentias* in Comitatu, seu dicas agro *Theathino*; itemque ibi, & lib. 2. cap. 31. aliisque in locis tradi, plerosque Imperatores, Regesque *Italiæ* perplura bona *Marchiæ Theathi-*
E *næ* finibus comprehensa, quæ post *Termulensem* urbem ad *Piscariam* usque ulterioremque regionem, & in mediterraneis ad *Valeriam*, ut reor, pertingebat, & *Marsos*, locisque aliis posita, *Ducibus Spoletanis* subjecta, Cœnobio *Cassinensi*, ejusque Cellis, ac Monasteriis donasse, alienasque de ejusmodi rebus confirmasse donationes; quam quidem potestatem super loca *Beneventani* Ducatus illos exercuisse ante *Othonum* Impp. tempora, non apud *Ostiensem*, nec alium memini me adhuc legisse Auctorem. Sed de his nunc satis. Nostratium autem *Langobardorum* ab Septemtrionali hoc eodem latere in mediterraneis, atque ci-
F tra *Ortonam*, telluresque *Theathensium*, urbes fuere *Sepianum*, *Bovianum*, *Æsernia*, & aliæ, quas tempore *Constantii* Imp. ut superius dictum est, ubi de Finibus ad Orientem, a Duce *Romualdo* ad habitandum traditas fuisse *Alczeco Bulgaro*, & suis, *Paulus Diac.* perhibet lib. 5. cap. 11. sive 19. idemque Auctor vestigia *Bulgaricæ* linguæ ad suam usque ætatem apud prædictorum locorum incolas mansisse testatur, quamvis ii *Latinè*, hoc est communi, popularique tunc *Italico* sermone,

ad *Sagri*, vulgo *Sangro* amnium ripas Comitatum *Æserniensem* sub posterioribus *Langobardis* ex antiquiori etiam institutione productum scimus, defixisque marmoreis columnis ab ulteriore regione diremptum; post quem ad Occidentem Comitatus fuit *Venafranus*, dein *Cassinensis* ditio, & tandem *Sorani*. *Ducatui dein contributus* Spoletano, *sive ejus Ducibus.* Huc etiam facit, quod *Otho* I. Imper. in Diplomate apud *Baron.* ad an. 962. *de proprio Regno* tradere se dixit Ecclesiæ *Romanæ Balvam*, *Marsim*, &c.

Sic *Latinè* loqui apud *Dantem Aldigherium*, *Petrar-*

cham, & *Boccacium* dicti sunt, qui haud prisca, & *Latiari*, sed usurpata nunc nobis *Italis* lingua utebantur. *Otho* etiam *Frising.* de gest. *Frider.* l. 2. c. 13. eadem verbi usus est acceptione, cum *Langobardos Italos* sui temporis ab *Latini* sermonis elegantia laudat.

etiam loquerentur. Quo rei manifesto indicio persuadeor, ni fallor, sive mancus ipse sit *Paulus*, erroris arguendum Auctorem Historiæ Miscellæ lib. 19. tradentem, *tempore* Constantini (scilicet *Constantii* jam dicti, nam hæc omnia passim olim confusa) *qui in Occidente regnavit* (ita quidem, nam post eum *Græci* Impp. exiguam *Italiæ* partem retinuerunt) filium *Orbati Bulgari*, qui regionis *Bulgariæ*, seu *Contragorum* dominus fuerat, natu minimum, nulloque nomine ea in Historia denotatum, ex patrio solo intra *Danubium*; & *Tanaim* posito paulò post mortem patris *Danubium* transmeasse, atque *haud procul ab urbe* Ravenna *in* Pentapolim *advenientem sub* Christianorum *imperio se subjecisse*: *Ravenna* enim non exiguo terrarum intervallo ab descriptis a *Paulo* distat locis, ut est manifestum. At si dixerimus e *Ravennæ* agro *Bulgaros* ad novas sedes transisse, atque ab Rege *Grimoaldo* spe quæstus abductos, ut filium adversus *Græcos* protegerent, quod laudato loco innuebam, minimè repugnaverim: ob id maximè, quoniam *Paulum* Miscellæ Historiæ admovisse manum, sunt qui opinantur. Post verò superius dictas *Theathensium* tellures ad occiduum Solem *Valva* urbs fuit, quam Pontifex *Hadrianus* epist. 92. ad *Carolum Mag.* statuit in finibus *Spoletanis*: *Anastasius* autem *Bibliothecarius* in *Zacharia* ejus oppidanos, proximosque *Pinnenses*, ac *Forconinos* eidem assignat Ducatui, & insuper *Marsicanos*, urbem incolentes *Marsicam*; ni gentile, quod ab ea idem Auctor, atque *Ostiensis* lib. 2. cap. 7. ducunt, me fallit nomen; quæ nihilominus *Marsis* Ignoto *Cassin.* Num. 2. *Marsia* præfato *Ostiensi* libro eodem cap. 35. alibique *Marsi*, numero multitudinis videtur dicta; unde *Marsorum* tum Comitatus, tum Comes, tum Gastaldus, tum Episcopus, &c. eidem sæpe: sicuti *Fundorum* Comitatus, Comes, & reliqua dicerentur. Ea verò urbs in Orientali *Fucini* lacus ripa olim sita, ingentis terræmotus vi absorpta, aquisque obruta, suæ etiamnum servat, clarisque diebus indicia etiam prodit calamitatis. At *Marsi*, ut initio exposui, nostris contermini fuere *Soranis*, ad quos jam post omnem ferè *Cis-Tyberinam Italiam* stylo peragratam iterum cum pervenerim, universus simul est mihi *Beneventani* Ducatus descriptus orbis. Hunc autem a notiori, etsi nonnihil laxo limite, non tamen absque aliquo antiquiorum exemplo, appellare sæpius libuit *Italiam Cis-Tyberinam*; nimirum ne novissimum ejus nomen incongruè, neve desuetam importune usurparem nomenclaturam, illumque cum *Ostiensi* lib. 1. cap. 19. appellarem *Beneventi* Provinciam; vel cum *Erchemperto* Num. 1. eodemque *Ostiensi* lib. 1. cap. 12. aliisque absolutè. *Beneventum.* vel cum Ignoto *Cassin.* Num. 3. *Beneventi* patriam: quippe quod olim fuit *harum Provinciarum caput* (verba usurpo Pauli Diac. lib. 2. cap. 11. sive 20.) *ditissima civitas* Beneventum. *Italiam* itaque cis *Tyberim Supero*, *Infero*que *mari* definitam, nisi qua tum *Romani*, tum *Spoletani* Ducatus, atque *Græcorum* oppida in *Tyrrheni*, & *Hadriatici* maris littoribus nunquam iis amissa patuere, *Beneventani Langobardi* (cum præfato dicam Ignoto) Romanorum, Græcorum*que gentes superantes*, *totam simul possederunt*: hoc est non in duos divisam Principatus, *Beneventanum* nimirum, & *Salernitanum*, sicuti ipsius Auctoris ætate, & ab anno ferè 840. cœperat observari. Quæ iterum ab *Langobardis* metipsis novissimum *Capuæ* Principatum instituentibus dispertita, quingentesimoque post anno ab eorum adventu alias a *Nortmannis* sectiones passa, ad quos deletis *Langobardis* devenerat, quingentis tandem abhinc annis, & quod excurrit, in unam denuo

Qui tum alios tum etiam Marsicanos *sub se habuere*, Soranis *proximos*, *quibus descriptus a me clauditur orbis* Beneventanus.

Græci sane ac plerique etiam *Latini* mediæ ætatis Auctores binas per *Langobardorum* tempora *Italias* fecere, fuereque qui tres quoque statuerunt; nimirum *Roma* alteram citeriorem, alteram ulteriorem.

A coacta est Dynastiam, vulgo tunc dictam Regnum *Apuliæ*, nunc verò ab annis plus minus biscentum appellatam Regnum *Neapolitanum*: ab præclarissima scilicet urbe *Neapoli*; quæ aliquanto ante fuerat ejus Metropolis instituta.

FINIS Dissertationis VII.

DISSERTATIO VIII.

DUCATUS BENEVENTANUS IN ANTIQUAS PROVINCIAS AN TRIBUTUS.

Langobardis cuncta possessa Italia est initio Provincia dicta.

B PLuriformem *Italia* suarum Regionum, ac Provinciarum ab *Augusti* ævo experta divisionem, *Langobardi* tandem eam ferè universam obtinentes, nulla priscorum finium servata ratione, inauditoque antea descriptionis genere in Regnum, pluresque Ducatus omnium primi, quod satis constat, dispertivere. Idque committentes, peculiaria quoque singularum Provinciarum longissimo usu recepta nomina prorsus antiquarunt: & insuper singulas a se institutas Dynastias, quæ exoletarum Provinciarum loco successisse videbantur, haud quidem Provin-
C ciæ nuncupatione, ni fallor, per ea initia dignarunt; sed cunctam suis Regibus subjectam, eorundemque dicto obtemperantem ditionem unicam esse Provinciam voluere, uniusque absoluto, communique Provinciæ vocabulo eam quandoque denominarunt; sicuti Regis *Rotharis* lex, ut alias plures omittam, Legum *Langobardarum* lib. 2. tit. 3. documento esse potest. Verumtamen labentibus annis novæ, ut solet, priscas consuetudines excepere, singulisque Ducatibus peculiarem Provinciæ appellationem fuisse impertitam, ex unius *Beneventani* Ducatus exemplo, de quo nunc est mihi differendum, pote-
D rit dijudicari. Is namque ab Principis *Arichis* ætate tum exteris, tum nostratibus antiquis sane Auctoribus frequentissima Provinciæ nuncupatione comperitur designatus: quos inter Anonymus est Auctor Vitæ *Ludovici Pii*, qui meminit *Beneventanæ* Provinciæ ab eo, unaque ab ejus fratre *Pippino* in anno 793. junctis viribus populatæ; estque eandem sermonis consuetudinem observare non semel in *Erchemperto*, numero nimirum 18. 19. 20. & alibi, nec non apud Capitulare Princ. *Radelchisi* Num. 1. aliosque nostrates complures. Quæ sanè ad recentissima etiam tempora, atque ad novissimas *Langobardorum*
E perseveravit Dynastias; eaque gente deleta, *Capuæ* Principatus sub *Nortmannis* Provincia dici consuevit, ut est apud *Gaufredum Malaterram* lib. 1. cap. 6. & lib. 3. cap. 35. nec non apud *Edinerum* in Vita *S. Anselmi* lib. 2. cap. 35. licet vir doctus *Edineri* mentem nec de reliquo assecutus, de Ecclesiastica *Capuæ* Provincia locutum illum putarit, ac prodiderit, Capuam (ejus do verba) *juxta suum statum laicum nunquam habuisse nomen Provinciæ*, *sed tantum nomen Principatus.* Ea igitur *Italiæ* pars, quæ a *Langobardis* in unius Provinciæ formam, inque *Beneventanum* Ducatum redacta, plures, ut ex superioribus Disser-
F tationibus liquet, complexa est sive integras, sive diminutas primitivas illas Provincias, *Campaniam* nimirum, *Samnium*, *Apuliam*, *Calabriam*, *Brutios*, ac *Lucaniam* (has autem cum dico, præ oculis habeo *Constantini Magni*, sive posteriorum Impp. *Italicarum* Provinciarum descriptionem) an & ipsa dum uni adhuc parebat *Beneventano* Dynastæ, in antiquas illas, & minores fuerit Provincias distributa, operæ nunc erit pretium perscrutari. Quandoquidem haud aliter fie-

Postmodum verò singula eorum Dynastia hoc sunt nomine censita, ac ipse Ducatus Beneventi.

Plures licet Provincias complexus.

fieri debuisse, tum consueta Principatibus omnibus Politia, tum moderandæ adeo amplæ ditionis opportunitas persuadet; quæ sane distinctio rei etiam videtur ex naturæ quodam instinctu convenientissima; nam quidquid *Beneventani* Ducatus finibus olim claudebatur, novissimis his seculis sub novem *Neapolitani* Regni Provinciis censetur; quarum sunt nomina: *Terra Laboris*, *Comitatus Molisii*, *Aprutium citerius*, *Capitanata*, *Terra Barii*, *Basilicata*, *Calabria inferior*, & *uterque* tum *citerior*, tum *ulterior Principatus*. Et verò haud ego his sum adversa admodum dissertaturus, qui pro hac sententia Erchempertum Num. 12. de *Radelchisi* Principis sublimatione loquentem stare videam: *In cujus*, inquit, *electione omnis*, *ut ita dicam*, Beneventi *Provincia consensit*. itemque ipsum Principem *Radelchisum* in suo Capitulari Num. 24. ubi de *Saracenis* a se non advocandis: *Et a modo*, inquit, *nullum* Saracenum *in meum*, *vel Populi*, *vel terræ meæ adjutorium*, *seu amicitiam habere quærimus*; *tam de his*, *qui in omni Provincia* Beneventani *Principatus sunt*, *quam etiam de illis*, *qui extra omnem* Beneventanam *Provinciam sunt*; *Radelchisus* enim ista, cujus verba sunt minus clara, non collective. *omnem Provinciam* dixit pro *universa Provincia*, sed distributive, ut loquuntur, atque pro quacunque Provincia, ut res ipsa docet. Erit igitur, quod potissime nunc quæramus; An plures hæ *Beneventani* Ducatus Provinciæ sive nomine, sive re fuerint illæ, quas Imperatores olim instituerant *Romani*, *Langobardi* verò in unam, recentemque coagularunt Dynastiam, de quo quidem haud admodum expeditum haberi posse video sermonem. Antiquarum itaque Provinciarum nomina, & ut consequens est, limites etiam, & modos, vigentibus *Langobardis*, perque subsecuta tempora mansisse, erit forte nonnemo, qui sibi persuadendum duxerit, auctoritate nimirum ductus Petri Diac. qui in Auctar. ad *Ostiens*. lib. 4. cap. 100. perhibet, *Guarinum Regis Rogerii* Cancellarium vi Monasterium *Cassinense* capere molientem, *literas habitantibus in* Campania, Sannio, Apulia, Lucania, & Calabria *direxisse*, *ut quam citissime possent cum diversis bellorum machinis ad illud obsidendum*, & *capiendum venirent*. Et capite subsequenti tradit, eadem persecutione Monachos divexante, *omnes Obedientias per* Campaniam, Picenum, Samnium, Lucaniam, *atque* Calabriam *captas*, *atque a jure Cœnobii* Cassinensis *fuisse subductas*: Cœnobia nimirum, & Ecclesias *Cassinensi* obnoxias, prædiisque, & reditibus divites, quas *Cassinenses* Monachi ad Abbatis nutum, & imperium incolebant, atque curabant, unde sæpius iidem fuêre dicti *Obedientiales*. Verumtamen *Petrum* utrobique minime ad sui, vel antecedentis seculi morem, sed ad eruditionis ostentationem, prisca ea usurpasse vocabula, certum est; namque esto nec antiqua Provinciarum nomina, nec vetustos earum fines *Langobardi* initio abolevissent, ab ævo nihilominus instituti *Beneventani* Ducatus usque ad se haud unam *Cis-Tyberina* hæc *Italia* servaverat faciem, sed plures novos experta Principatus, Ducatum nimirum *Neapolitanum*, *Amalfitanum*, *Cajetanum*, atque *Apuliæ*; itemque Principatum *Salernitanum*, *Campanum*, *Barensem*, *Tarentinum*, & *Surrentinum*, novam, multiplicemque passa etiam certo certius fuerat descriptionem, atque divisionem: Quod si qualis sub *Petri*, ac præcedenti ætate fuerit *Italiæ Cis-Tyberinæ* forma sit tibi sciendi cupido, ab eodem discere poteris Auctore lib. 4. cap. 37. 96. & 97. pariterque ab *Ostiensi* lib. 3. cap. 13. quibus, *Apulia* excepta, & *Calabria*, reliquæ omnes antiquæ Provinciæ novis aliis nominibus designantur, ex novis profectò, atque insignioribus Dynastiis supra memoratis exortis. Sed fusius de his in Dissertatione, Ex quibus Dynastiis *Italia Cis-Tyberina* exactis *Langobardis* in Regnum coaluit, agam. Dices tamen, *Apuliæ*, & *Calabriæ* saltem vocabula, Provinciasque per *Langobardorum* ævum nunquam desiisse, quæ ad *Petri*, ut planè admitto, manserint ætatem.

In quo minimè priscarum Provinciarum, quibus constabat, fuit ratio servata.

Quin ditionem etiam omnem *Beneventanam* in modo dicta bina, nec plura Themata, ut Constantini Porphyrogennetæ *Græcam* usurpem dictionem, fuisse distributam quod idem auctor diserte prodit de Admin. Imp. cap. 27. verbis non semel superius relatis, inquiens: Langobardi *a* Benevento *excursione in omnem ditionem facta*, *subjecerunt eam Themati* Langobardiæ, & Calabriæ, &c. Etenim idem aliquando fuit *Græcis Langobardia*, quod nobis *Apulia*, ut pluribus infra in Dissertatione De occasu nostratium *Langobardorum*, & alibi aperiam. Nihilo tamen minus ab exposita sententia discedendum non puto, exteroque scriptori *Constantino* fidem de hoc adhibendam esse pernego; qui res nostras vel parum doctus, ut ex iis, quæ in contextu habet, aperitur; vel sermone minus proprio usus, falso prodidit de *Langobardis*, quod ipsi non ita pridem usurpaverant *Græci*, cum *Apuliam*, sive dicas *Langobardiam* fere totam, partemque non exiguam *Brutiorum*, qui recentius *Calabri* dici cœperant, illis ademerant, ut declarabitur in Chronologia. Quam etiam horum Thematum institutionem idem Constantinus loco eodem mira temporum, rerumque confusione ad remotiora retulit initia, perhibens, quod *postquam* Constantinopolim *translata fuit Imperii sedes*, *omnis* Italiæ *ditio in duos Principatus* (in *Græco* est. εἰς ἀρχὰς δύο) *fuit divisa*, & *ex eo tempore missi sunt ab Imp.* Constantinopolitano *Patritii duo*; *quorum unus* Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphæ *præerat*: *alter vero* Benevento, Capuæ, Papiæ *cum reliquis*: miscet namque quæ erant distinguenda; *Siciliæ* enim Thema initio discretum a Themate fuit *Calabriæ* antiquioris ad *Superum mare* sitæ, sub quo quidem *Calabriæ* Themate erat *Neapolis*, *Amalphe*, & loca omnia minutiora: subque *Siciliæ* erant extimi *Brutii* ad *mare Inferum*, *Magnæ*que *Græciæ* cultores *Calabri* tandem dicti; postmodum verò cum inferior hæc nova *Calabria Siciliæ* Themati adhuc maneret contributa, prisca illa superior mutato nomine appellata est *Langobardia*, paruitque *Græcis*, qui eam magna ex parte subtraxerant *Langobardis*. At minime tunc *Benevento*, & *Capuæ*, nisi trium fere annorum perexiguo curriculo, *Papiæ* autem nunquam imperarunt; qui a me harum rerum descriptus ordo ex dictis in Dissertatione de Finibus Ducatus *Beneventani* ad Meridiem, dicendisque in De occasu nostratium *Langobardorum* dilucidius aperitur. Verum enimvero domesticos, nec minus antiquos, quam graves contra me adhuc stare video Auctores, Erchempertum, Ignotum Auctorem Fragmenti Historiæ *Langobardorum*, Leonemque *Ostiensem*; quorum primus Num. 15. de *Beneventana* ditione a Princ. *Siconolfo* ope *Campani* Comitis *Landulfi*, filiorumque ejus universa ferè adempta Principi *Radelchiso* sic loquutus est, ut in tres omnino descriptam illam fuisse Provincias manifestet; quarum duæ fuerint *Apulia*, & *Calabria*, tertia autem reliqua regio sub absoluto *Beneventi* nomine comprehensa: *Fretus itaque*, inquit, Siconolfus *hujus* (Landulfi Campani) *ac filiorum ejus auxilio*, *totam* Calabriam *suo subdidit famulatui*, *maximamque partem* Apuliæ. *Deinde adversus* Beneventum *præliis insurgere nititur*. Quam etiam adstruere videtur sen-

Nec bina tantum Themata Calabriæ, & Langobardiæ, sive Apuliæ.

An latere in Porphyrogennetæ verbis aliquod etiam veri semen potest de Brutiis, & M. Græcia, sive aliquibus maritimis oppidis adjudicatis aliquando Siciliæ post Mag. Constantinum; ex quo aperiretur, cur ea loca tributa Siciliæ fuerint ab Auctoribus post dictum Imper.? quod viros doctos torsit: Ortelium in Theat. Juvenem in Hist. Tarent. aliosque.

Nec tres solæ Provinciæ: Calabriæ nimirum, Apuliæ, & Beneventi, sive Samnii constitutæ fuere.

sententiam Num. 20. factam a *Saracenis* describens in *Beneventana* regione vastitatem, postquam integra ea Dynastia in duos dispertita fuerat Principatus, hoc est, *Beneventanum*, & *Salernitanum*: *Per idem tempus*, inquit, Agareni Barim *insidentes*, *cœperunt devastantes stirpitus deprædare totam* Apuliam, Calabriam, *& pedetentim* Salernum, *&* Beneventum *depopulari initiarunt*. *Salerni* enim, & *Beneventi* appellatione tertia jam dicta illa denotatur Provincia, quæ post divisum Principatum non unico vocabulo, sed discretis, ad discretorum Principatuum instar, cœperat nuncupari. Eandemque Ostiensis lib. 1. cap. 29. adnotans cladem, primitivam nihilominus antedictæ triplicis Provinciæ nuncupationem maluit retinere, dicens: *Iterum* Saracenis Bari *degentibus*, Calabriam *totam*, *omnemque* Apuliam, *universamque Provinciam* Beneventanam *affligere*, *ac devastare nitentibus*, *rogatus a primoribus patriæ* Bassacius *Abbas* (Cassinensis) *una cum* Jacobo *Abbate* S. Vincentii Franciam *adiit*. &c. Hanc autem tertiam Provinciam, quandoque antiquo vocabulo *Samnium*, sed finibus plane mutatis, ac amplioribus, etiam dictam constat, ut in supra laudato Fragmento Historiæ *Langobard*. Num. 2. iis verbis: *Ingens Locustarum multitudo invasit* Calabriam, Apuliam*que*, *& Samnium* quibus eadem prorsus statuitur trias Provinciarum, *Beneventanæ*que regioni *Samnium* æquiparatur, quippe *Beneventum Samnitium* urbs olim fuit; idque adeo obtinuit, ut ejus etiam Dynastæ *Samnitium* Duces, *&* Principes, ipsaque urbs proprio nomine *Samnium*, eademque Analogia, qua *Pæsto* nomen *Lucaniæ*, Interamnæ *Aprutii* est inditum; *Beneventani*que cives *Samnites* fuerint scriptoribus non semel (iis inquam, non promiscue omni vulgo) appellati: sic nimirum sibi blandientibus *Langobardis*; & parem priscis *Samnitibus* affectantibus laudem ob indesinentes, atque quam diutissime exercitas contentiones in *Romanos*, *Romani*que nominis socios, & consortes. At quod dixi, *Beneventanos* Dynastas fuisse *Samnitium* appellatos tum Principes, tum Duces, observare id erit apud *Paulum Diac.* lib. 4. cap. 15. sive 46. simulque apud Anonymum *Salern.* Part. 4. num. 6. Ipsosque *Beneventanos* nuncupatos *Samnites*, apud Anonymum etiam habetur Auctorem Translationis *S. Mercurii* Mart. in antiquis membranis metrice descriptæ, atque apud *Guilielmum Apulum* lib. 2. rerum *Nortmannicarum*. Verumtamen quod urbs *Beneventum* dicta nonnunquam fuerit *Samnium*, in aliis sermone soluto, nec ambiguo ejusdem Translationis manu exaratis legitur Actis; cum de cætero alia a *Benevento* longe diversa fuerit antiqua urbs *Samnium*, *Paulo Diacono* memorata lib. 2. cap. 11. sive 20. extitisseque credita ad *S. Vincentii* Mart. juxta ortum fluminis *Volturni* celeberrimum olim Cœnobium Monachorum, quod in loco *Samniæ*, finibus *Beneventanis* constructum quam sæpissime repetitur in Chronico ejusdem Monasterii ab *Joanne* Monacho elaborato: licet *Philippus Cluverius* in Antiquæ *Italiæ* lib. 3. cap. 7. ex vetustarum *Italicarum* urbium albo eam expungit, hoc argumento; quoniam soli *Paulo* memoratur, qui suum hausit errorem ex Floro lib. 1. cap. 16. de *Samnitibus* a *Romanis* ita domitis, ac subactis, ipsorumque urbibus dirutis perhibente, *ut Samnium* (*Flori* sunt verba) *in ipso* Samnio *requireretur*. Ad quæ ait Cluverius: *En hic de regione loquitur*; *ille autem oppidum intellexit*. Pace tamen dixerim viri in re antiqua sanè oculatissimi, *Paulus* suæ sententiæ fundum haud habuit *Florum*, qui non armorum vi, ut ille, *Samnii* regionem, & urbes, sed *antiquitate consumptam* Samnium *urbem* pronunciavit: quod perinde fuit, ac dicere, ad sua prope tempora eam pervenisse, nulla hostili clade deletam; idque cum præfato Chronico *S. Vincentii* convenientissimè congruit, in quo excitatum traditur memoratum Monasterium initio ejus seculi, quo desinente *Paulum* vixisse constat. Sed ista obiter pro *Paulo* sint dicta, quem alias non semel taxavi: nec modò in re præsenti irreprehensum dimittam. Siquidem ipse dicto lib. 2. cap. 11. sive 20. cum decem & octo priscas *Italiæ* Provincias describeret, ac *Samnium* inter eas decimumquartum locum obtinere traderet, his verbis: *Quartadecima* (*Provincia*) Samnium *intra* Campaniam, *& mare* Adriaticum, Apuliam*que a* Piscaria *incipiens habetur*: statim subdidit: *In hac sunt urbes* Theathe, Aufidena, Hisernia, *& antiquitate consumpta* Samnium, *a qua tota Provincia nominatur*; *& ipsa* (editio *Frobeniana*: *& est*) *harum Provinciarum caput ditissima* Beneventus. Quibus verbis primatum super plures Provincias ex *Langobardorum* institutione urbi cum adscribat *Beneventanæ*, ut pridem est expositum; id de iis Provinciis ab eo ante enarratis capi certe haud valet, sed de præfatis tantum urbibus *Samnio* assignatis: nomen enim Provinciæ, ut post dicam, tributum quandoque etiam singulis fuit urbibus, agrum paulo ampliorem, atque oppida pluriuscula sub se habentibus: quod plane a vera *Beneventani* Ducatus amplitudine admodum abit; quandoquidem ex superioribus Dissertationibus liquidissimè patet, *Beneventanos* Duces nedum antiquo *Samnio*, ejusque urbibus, sed *Apuliæ*, *Lucaniæ*, maximæque parti primitivæ *Calabriæ*, *Brutiorum*que, & *Campaniæ* imperasse; quod vel unius *Erchemperti* testimonio Num. 15. ubi de *Siconolfo Radelchisum* bello premente, valuissem probare. Ni forte quis dicat, quod plerisque recentioribus placuisse video, *Beneventanum* Ducatum solam Provinciam *Samnii* complexum esse, eundemque idcirco ab *Ostiensi*, & ab *Erchemperto* locis pridem relatis appellari: *Provinciam* Beneventi. & absolutè. *Beneventum*; quem Ignotus Auctor Fragmenti Historiæ *Langobardorum*, ut observabam, *Samnium* nuncuparit; eademque de causa *Beneventanos* Dynastas *Samnitium* Duces passim dictos; quas quidem minimè rejicerem expositiones, ni de priori sententia plenissime jam constaret. Non solis itaque Provinciis, seu dicas urbibus *Samnii*, ut *Paulus* statuisse videtur, *Beneventana* urbs, suorum *Langobardorum* cum vigeret imperium, præfuit; sed longe ampliorem multa ætate obtinuit ditionem, seque latissimis illis Provinciis leges diutissime dedisse, est lætata. Quæ, ut ad rem nostram redeam, ad tres omnino, juxta laudatos jam auctores, *Apuliam* nimirum, *Calabriam*, & *Samnium*, promotis ipsarum antiquis finibus, redactæ videbantur. Verumtamen secus dicendum esse, alia *Langobardorum* suadent monumenta, plusculasque Provincias ab eis institutas dictant: totidem scilicet, quot in universa ditione præclariores habebantur urbes, sub quibus minores in Provinciæ formam censebantur. Et sane eas, quas rectius, & magis *Latinè* dixeris Præfecturas, *Paulus* denotabat lib. 5. cap. 7. sive 16. de *Langobardorum* scribens Rege *Grimoaldo*, qui *ereptis* Beneventanis, *& eorum Provinciis a* Græcis (ab Imp. nimirum *Constantio*, a quo omnes captas dixerat *Langobardorum* civitates *Tarento Beneventum* usque sitas: de aliis verò Provinciis minime ibi loquutus) *apud* Ticinum *ad Palatium suum repedavit*. Nec ab alia mente id verbi eidem est l. 6. c. 8. sive 24. *Subsequutus est*, inquit *eos Rector illius Provinciæ* (vim hujus vocabuli qui

Sic quoque *Luitprandus Ticin.* de re eadem loquutus pridem fuerat Hist. l. 2. c. 12. *Saracenos* dicens: Calabriam, Beneventum, *&* Romanorum *etiam civitates occupasse*. &c.

Hinc *Aimoino* l. 4. c. 40. integer Ducatus dictus Provincia *Samnia* ubi de Rege *Carolomanno*, qui *ad Monasterium* S. Benedicti *in* Samnia *Provincia juxta* Cassinum *Castrum constitutum Deo serviturus*, *venit*.

At si Paulus τὸ harum non ad antedictas, sed ad Provincias retulit Beneventanam urbem cingentes, non ego ei, sed nec mihi, qui aliter senti-erunt molesti. Nec minima Samnii Provincia continebatur.

Sed plusculæ habebantur vetustis sane oppido quam minoris.

qui non percepit, frustra lectionem vexavit, ac substituit in altera editione. *Rector illius loci*) *quem* Schuldais *lingua propria dicunt*. *Gregorio* etiam *Magno* Dial. lib. 4. cap. 22. eadem acceptione est *Provincia* Sorana; suntque *Anastasio Biblioth.* in *Zacharia* pag. 109. Provinciæ *Romanorum*; & *Gaufredo Malaterræ* lib. 2. cap. 37. & lib. 4. cap. 16. Provincia *Cusentii*: hoc est. *Consentiæ*. lib. 3. cap. 34. Provincia *Tarentina*. lib. 4. cap. 4. item *Tarentina*, & *Hydruntina*. In Actis quoque *S. Castrensis* Episcopi, evulgatis in suo Sanctuario a nostro Michaele Monacho, consimili ratione sunt interpretanda verba illa: *Ut catervatim ab unaquaque Provincia Sanctos Dei vinctos adduci præciperent*. Quippe postea ibi legatur, eosdem Sanctos *ab uno solo translatos* Divinam exorasse Majestatem, *ut infra unius patriæ terminos eorum corpora sepelirentur*. Et in libris tandem Feudalibus, libro præsertim 2. tit. 27. id verbi pluries idem denotat; quibus addendus est auctoribus Ostiensis lib. 1. cap. 31. de *Cassinensibus* Monachis loquens, *qui ordinabantur, & describebantur, atque destinabantur in Obedientias per singulas prout opportunum erat Provincias*. & lib. 2. cap. 33. ubi meminit Provinciæ *Marsorum*; quam alibi tum regionem, tum appellat Pagum. *Confirmans*, inquit lib. 1. cap. 36. *omnia, quæ in Pago* Marsorum *possedisse antiquitus videbatur*. Est enim Pagus *Transalpinis Gallis*, quibus ab *Caroli Mag.* ætate *Marsorum* cessit Comitatus, *Spoletano* Ducatui subjectus, idem quod nobis. *Regio*, sive *Provincia*. ut omissis antiquioribus re nostra scriptorum exemplis: Cæsaris nimirum lib. 1. de bello *Gall.* Plinii lib. 12. cap. 14. aliorumque ab uno discere sat erit præfati *Caroli Magni* testamento; in quo *Transmontana* ejus Regna per Pagos distributa recensentur; pluresque civitates ad singulos Pagos spectare dicuntur. Indeque *Scaliger* non incongrue ad *Ausonium* lib. 1. cap. 13. a *Pago* dictum vult *Gallis*. *Pays. qui. g. ante vocalem non pronunciant*; & ab iis certè nobis venit. *Paese*. Et *Beneventanorum* quidem Provincias *Paulo Diacono* verbis supra allegatis memoratas, atque Principi *Radelchiso* in suo Capitulari, & *Erchemperto* locis pridem productis descriptas hujuscemodi omnino fuisse rationis, non ambigo; quamvis, ut hoc non taceam, eas communissime dictas putem genuino, barbaroque *Langobardorum* sermone *Gastaldatus*, & *Gastaldata*; namque præfatus Radelchisus per jam dictum Capitulare cum *Salerni* Principe *Siconolfo* de *Beneventani* Principatus divisione ineunda contrahens; pacem se ei concedere promisit *de integra parte prædicti Principatus per singularia, & integra Gastaldata, seu ministeria*; quæ deinde in hæc verba descripsit Num. 9. *In parte vestra*, inquit, *quorum supra* Siconolfo *Principe, & qui prædicti estis, sint ista Gastaldata, & loca integra cum omnibus habitatoribus suis*. Et infra. *Et si in istis Gastaldatibus, & locis subscriptis sunt aliqua Castella, ubi vestri homines habitant, ego vos ibi mittam sine irrationabili dilatione*. Hisque statim subjecit nomina Gastaldatuum, & locorum: quæ in duplici potuit differentia, nam Gastaldatus non fuere pleraque recensita ibi loca; sed tamen ea adnotavit ex causa postea aperienda: Tarantum, inquit, Latinianum, Cassanum, Cusentia, Lainus, Lucania, Consia, Montalla, Rota, Salernum, Sarnum, Cimiterium, Furculum, Capua, Teanus, Sora, *& medius Gastaldatus* Acerentinus, *qua parte conjunctus est cum* Latiniano, *&* Consia. Et tandem Num. 24. definite *Gastaldatum* Montellam *cum omnibus Castellis ejus* spondet se ei daturum. Quibus locis quidnam per illos Gastaldatus, præclararum sane urbium nominibus

Unius patriæ dicit, hoc est *Provinciæ*, primitivo modo acceptæ, ut Ignoto *Cass.* N. 3. Beneventi *Patria* *Paulo Diac.* lib. 5. cap. 2. *ad* Francorum *Patriam* ubi alia editio, *ad regionem*, *Gaufredo Malat.* l. 1. c. 11. *omnem patriam armis domantes*. Et Ducatus olim *Forojuliensis*. vulgo nunc. *La patria* del Friuli.

Quæ proprio Langobardorum *vocabulo dictæ fuere* Gastaldatus.

A demonstratos, Castella sub se hominibus habitata habentes; perque *Acherontini* Gastaldatus medietatem dividendam, ut Gromaticæ artis periti loquuntur, *limite decumano*, hoc est ab orientali ad occidentalem plagam ducto; *Acherontia* enim occidentem Solem per *Compsiam*, orientem verò per oppidum adspicit *Latinianum Ostiensi* lib. 1. cap. 14. & inedito Anonymo *Salernitano* memoratum: nunc *Altoianni*, intermortui prope loci nomen; quid, inquam, per tales Gastaldatus denotari censendum est, nisi plurium oppidorum quasdam dixeris collectiones; & societates, singulis præsignioribus illis urbibus contri-

B butas, atque adscriptas, Satrapias quasdam, ac Provincias expositæ superius rationis constituentes, ex quibus *Siconolfo* concessus Principatus constabat *Salernitanus*? Sane haud aliud valet apud *Petrum Diac.* in Auct. ad *Ostiensem* lib. 4. cap. 22. Gastaldatus *Teramnensis*: cujus primaria urbs *Teramus*, olim dicta *Interamnia*, cum promiscuè etiam appellaretur *Aprutium*, quoniam *Prægutiorum* fuerat Metropolis, Gastaldatui nomen dedit; unde tamen *Aprutii* Provincia duplex instituta est, quia priscos fines in conterminam regionem ea est denominatiò supergressa. Nec *Ostiensis* cui lib. 2. c. 26. non *Gastaldatus*, sed *Comitatus* dicitur *Aprutinus*, his

C adversatur; quandoquidem nec ipse sibi idem pugnat Auctor, laudato pridem loco appellans *Marsorum* Pagum, quem lib. 2. cap. 6. dicit *Comitatum*: nam præter laxiorem illam Provinciam *Aprutinam*, seu Gastaldatum, fuit suus eidem urbi, sicuti cuivis alii, ager suburbanus peculiaris, olim dictus *Comitatus*, nunc autem deturpato vocabulo. *il Contado*; ut apud præfatum Petrum lib. 3. cap. 30. *Comitatus* Lucensis, Lunensis, Pinsensis, Pistoriensis, Florentinensis, Volaterrensis, Populoniensis, *&* Rossellensis; quamvis etiam fuere olim Comitatus haud angustiores ditiones, quam Gastaldatus: nimirum cum

D hondum Comites ex Gastaldatibus in Dynastiolas, tanquam ex proscissis campis in minutos sulcos ad subjectorum populorum decus simul & perniciem in maximam segetem succrevissent; post quæ tempora non unus, nec constans in his servatus est modus: sed ad supremi alicujus Dynastæ, sortisve etiam cujusdam arbitrium, institutis tum majoribus, tum minoribus novis Comitatibus, vetustisque corruptis, quorum sunt obvia exempla, remque non juvant nostram, unus quandoque est pluribus, disjunctisque loco urbibus præpositus, ac datus Comes; cujus universa ditio abusive, & populari sermone unius

E Comitatus nomine, quia erat Comitis unius, consuevit demonstrari. Qua usus videtur usurpatione Falco Beneventanus recentem præ his, quæ nunc tractamus rem in anno actam 1123. enarrans: *Qui vero*, inquit, *Comes* Jordanus Montemfuscum *properavit*, *& his actis*, *civitatem* Ariani, *& totius sui Comitatus confinia ejus submisit potestati*: & in anno 1127. *Comes*, inquit, *ille* Jordanus Montemfuscum *ascendit*, *deinde totius sui Comitatus comprehendit civitates*, *& oppida*. Qui quidem *Jordanus* tum *Montemfuscum* tum *Morconium*, tum præcipuè *Arianum*, ac alia invicem, nimisque disjuncta obtinebat loca. Cir-

F cumspectiorem itaque sermonem posse in *Falcone* desiderari suspicor: in *Petro* autem *Diacono* non ita. Quod hoc præterea alio argumento persuadeor; nam potuerat Provincia *Teramnensis* acceptum ab Gastaldis, quos ibi *Spoletii* Duces *Langobardi* constituere consueverant, nomen servare Gastaldatus, quamvis ab illis regi, obtinerique desuevisset; non dispari ratione ac nomen Comitatus *Molisii* etiamnum manet Provinciæ, quæ minime a proprio, peculiarique Comite, ut olim,

Inde *Ostiensi* l. 2. c. 26. sermo ille usurpatus. *Res in toto* Aprutio: & Ugo in Falc. sæpius: *Terra* Aprutii: ut *Terra* Laboris &c. de quo fusè alibi.

Ab Gastaldis nimirum qui iis præficiebantur.

obtinetur: Comitatus enim a Comite, & Gastaldatus a Gastaldo manavit plane denominatio; sicuti ex Regum *Nortmannorum* consuetudine Provinciæ hujus Regni appellatæ etiam aliquando fuere a *Justitiariis*, quibus regendæ committebantur, *Justitiariatus*. At dicitur mihi *Latina* inflexione Gastaldus, qui priscis Auctoribus consimili modo, estque pariter *Latine* dictus. *Gastaldius*, *Gastaldio*, & *Gastaldeus*; & nonnunquam per C. *Castaldus*. &c. (recentiores nonnulli scribunt, vocabuli etymon sequentes, *Guastaldus.*) nempe cum id nomen ore *Langobardorum* exiret in consonantem, efferreturque, *Gastald*, ut apud Ignotum *Cassin.* Num. 6. & 28. & apud alios alibi, conversum aliis aliter in *Latinam* fuit formam. Gastaldorum autem cognatæ quamvis sit diligentiæ nosse quæ dignitas, quodve fuerit munus, non tamen utrumque æque facili exponi valet sermone; nam Gastaldos nulla ambiguitate minores, & sub Ducibus fuisse, ex ipsa plurium Gastaldatuum in uno *Beneventano* Ducatu patet distinctione; quin Comitibus eos ferè pares fecisse videtur Auctor Historiæ Miscellæ lib. 19. collatus cum S. *Gregorio Mag.* lib. 7. Ind. 1. epist. 1. de pace loquens inita inter Imp. *Constantinum Pogonatum*, & cunctos occidentis Dynastas: *Cum autem*, inquit, *hæc didicissent hi*, *qui Hesperias partes inhabitant*, *tam videlicet* Chajanus Avarus, *& ulteriores Reges*, *quam Exarchi*, *& Castaldi*, *nec non & Principes nationum ad occidentem sitarum*, *per legatos muneribus Imperatori transmissis*, *pacificam erga se dilectionem poposcere firmandam:* quas enim recenseri hic vides Exarchorum, Gastaldorumque nominibus dignitates, Regibus inferiores, eas apud Gregorium potestatibus Ducum, Comitumque respondere, sat est manifestum, cum ait: *Si ego in morte* Langobardorum *miscere me voluissem*, *hodie* Langobardorum *gens nec Regem*, *nec Duces*, *nec Comites haberet*; *atque in summa confusione esset divisa*. At Gastaldorum, sicut etiam Comitum, quorum nec unum, nec simplex, ut dicebam, fuit munus, de iis sane diligentiori observatione erit differendum. Singulorum autem Gastaldatuum curam, administrationemque penes singulos Gastaldos fuisse, ita certum est, quam quod certissimum; unde Erchemperto sermo est ille usurpatus Num. 69. *Quando* Atenulfus, inquit, *Gastaldatus regendi jura adeptus est*. illeque *Pando*, qui Barium *regebat*, ut loquitur Ostiensis lib. 1. cap. 24. dicitur, *Barensis* Gastaldeus Ignoto *Cassin.* Num. 8. Quæ potestas ipsis Gastaldis quia erat decori, sæpe ob eam turbæ vel inter propinquos per fas, perque nefas fuere excitatæ; ac *Pando*, & *Landolfus* Episcopus, ut est apud eundem Erchempertum Num. 28. *subdolè pro cupiditate Gastaldatus* Capuæ *&* Landonem, *nepotem eorum*, *& cæteros fratres urbe repulerunt*: ejusmodique dira ambitio *Campanos* præcipuè *Langobardos* Proceres vexavit, quod universa propemodum præfati Auctoris Historia declaratur. Namque Gastaldorum auctoritas haud sortis tantum illius fuit, qua in Legibus *Langobardorum* lib. 1. tit. 34. & lib. 2. tit 17. aliisque in locis Gastaldi dicuntur circa *Regias casas*, *& curtes*, seu dicas villas, & prædia versari: Ecclesiasticarumque rerum administratores ab *Urbano* 2. nominantur causa 1. quæst. 3. Can. 8. Salvator; unde Monasteria Monialium suos etiam habuere Gastaldos, alio quandoque nomine, ut in Tabulario Monialium S. *Blasii* urbis *Aversanæ*, dictos *Vicecomites*; sed Gastaldi sunt quoque appellati, qui in singulis civitatibus civilem publica auctoritate gerentes Magistratum, res curabant publicas, jurisque publici erant defensores; quorum specimen præ-

Erantque dignitate, minores Ducibus, & Comitibus ferè pares.

Quorum fuit munus, commissos sibi regere Gastaldatus: idque multotiens ambitiosius expetitum.

Nam Gastaldi dicti sunt, non ii tantum, qui casis, & curtibus Regiis præsidebant.

Sed qui civili prædicti potestate tum res omnino publi-

A fert antiqua chartula in Archivo Monasterii *S. Sophiæ* urbis *Beneventanæ* mihi inspecta, in anno exarata 41. *Imperii* Basilii, *& cum eo regnante* Constantino *fratre ejus*, *mense* Februario 11. *Indictione* Luceriæ; hoc est in anno *Christi* 1013. quæ his verbis exorditur: *Castald* Polcari, Joannes, Idvini, *&* Optabiano *ordinati a* Theodoro *Imperiali Excubito* Langobardiæ, *& sumus residentes in ista civitate* Luceriæ *ad seniorandum*, *judicandum*, *& regendum*, *tunc ad nostræ potestatis Palatium cecidit una casa*. &c. Ex qua insuper ad Gastaldorum quoque munus aliquando accessisse cognoscimus, ut ipsorum fuerit, judiciis præesse; quod in *Cajetana* quoque urbe obtinuisse, munici-

B pales ejus leges typis jam pridem editæ manifestant; iisque pro ejusmodi publici muneris salario, vel dicas mercede certos statutos fuisse publicos reditus, quod etiamnum aliquibus in locis observatur, ex ingenti illa in membranis exarata Apographe Archiepiscopalis Ecclesiæ *Campanæ*, sive ut vocant Inventario, Archiepiscopi *Ingeranni Stellæ* cura in anno 1316. compilato, disci posse judico; in quo describitur *Curtis in Villa* Volturni (ipsum est *Volturni* Castrum ad ostia fluminis cognominis, quod adhuc extat) *conjuncta terræ servitii Gastaldiæ*: hoc est terræ, ac fundo proxima, cujus fructus Gastaldis illius loci

C cedebant pro publico servitio. Quò etiam referam leges Feudales, quæ sanciunt, *auferri posse transacto anno*, *quod datur nomine Gastaldiæ*, *vel Guardiæ*, *& pro mercede alicujus rei*. Gastaldorum autem munus cum fuerit subjectis populis jura reddere, judiciisque præesse; quod præterea ex *Pipini* Regis constitutione aperitur legum *Langob.* lib. 2. tit. 52. l. 29. quæ sancit: *ut de universali populo*, *qui ubicumque justitiam quæsierint*, *suscipiat tam a Comitibus suis*, *quam etiam a Gastaldiis*; non tamen id absque unius, sive plurium Jurisperitorum, ut alibi exponam, consilio exercebant. Ab his verò Gastaldis non diversæ admodum rationis

D fuerit *Lando* ille junior, quem *Atenulfus* ejus frater, ut est apud Erchempertum Num. 62. *cum cæteris fratribus Gastaldum in his*, *quæ ad eos pertinebant*, *instituerat*, sicuti pridem post divisam trifariam omnem *Campanam* ditionem inter cunctos senioris *Landulfi* nepotes *Capua* urbe excepta, quæ sub sorte non venerat, sed communis iis omnibus remanserat sedes, eam *Pandenolfus* superioris *Atenulfi* patruelis regendam, hoc est sub Gastaldi quidem munere, accepisse videtur: quam non multo post sibi adseruit, ejectis inde præfatis consortibus; *nolensque eos recipere intra urbem*, infandarum calamitatum fuit auctor; sed tandem

E eò ventum est, *ut pacifici*, *& sine ulla molestia dicti viri intrarent* Capuam *ad commorandum*: quæ omnia fusius, strictius implexo, ac lacinioso stylo *Erchempertus* descripsit ab Num. 40. ad Num. 50. *Nortmanni* quoque duodecim illi armis strenui, & potentes viri ex *Aversana* urbe delecti, qui cæterorum ductores *Apuliam* multò post ista *Græcis* ereptam subegerunt (eam enim *Langobardis Græci* sensim antea subtraxerant) non absimili ab hoc *Campanorum* Procerum exemplo, ut Ostiensis perhibet lib. 2. cap. 67. Guilielmo Tancredi *filio comitatus honorem tradentes* (hunc dixeris *Langobardorum* vocabulo *Gastaldum*) ac sin-

F guli singulas *Apuliæ* pervasas urbes sibi adjudicantes: Melfim *primam illorum sedem*, id est ubi primum consederant, *communiter possidere decernunt*; & ut verbis dicam Guilielmi Apuli lib. 1.

„ *Pro numero Comitum bis sex statuere plateas*,
„ *Atque domus Comitum totidem fabricantur in urbe.*

Quæ quidem nondum aliis observata Gastaldorum differentia, vera omnino esse probatur; nam præmemoratus *Atenolfus* (verba sunt Erchemperti

cas (& hi quandoque judiciis præerant)

Qui nunc tales, *Græco* plerumque vocabulo dicuntur *Σύνδικοι Syndici*, quoniam communi causæ patrocinantur.

Tum pluribus communes ex demandata sibi auctoritate curabant.

Qua differentia distinguebantur ab

Comitibus qui abſoluto, ſuoque jure utebantur.

ti Num. 65.) *Gaſtaldatum* Capuanum *ſingulariter ſuſcipiens* (hoc eſt ſibi ſoli uſurpans, ejectis patruelibus, ſpretiſque germanis fratribus) *continuò ſe Comitem appellari juſſit:* quippe qui, eodem tradente Auctore Num. 62. ab *Athanaſio* Epiſcopo, & Duce *Neapolis* auxilium enixè petierat, *ut adjuvaretur ſingulariter fieri Comes in* Capua. Idque ſonat apud Oſtienſem lib. 1. cap. 48. eundem *Atenulfum ex* Capuano *Gaſtaldatu factum Comitem:* quod perplures diu fatigavit doctos viros. Præiverat autem *Atenolfum* ſuo exemplo Avus ejus *Landolfus*, quem ut ipſe imitaretur, perſuaſus hujuſmodi ſermone apud Erchempertum Num. 53. ab præfato *Athanaſio* fuerat: *Cape*, inquit, *filios* Landonis, *& eſto tu ſolus imperans* Capuæ, *ſicut progenitor tuus ſingulariter imperaſſe dignoſcitur.* Hujus quippe *Atenulfi* progenitor, qui Capuæ *præerat Gaſtaldeus*, ut idem Auctor perhibet Num. 15. *vetuſte exercens inimicitiam cum quibuſdam de genere* Saductorum (de genere videlicet viri communi ſermone appellati *Saducti*, ſicut *Adelgiſi*, *Winegiſi*. &c.) *animo, & gente par crudelibus viperis, interfici fecit ex primis eorum ſeptem viros, unius eorum manibus abſciſſis.* poſt quæ ipſe *Landulfus*, pari modo ac fecerat jam dictus *Atenulfus*, videtur *Comitis nomen* ſuſcepiſſe; quo ab eodem Erchemperto, ejus notante obitum Num. 21. eſt appellatus: *Subtracto*, inquit, *ex hac luce* Landulfo Capuano *Comite*, *quatuor reliquit liberos.* Eaque hujus viri, & poſterorum ejus immanis dominandi libido ex ſeculi planè manavit more; quando urbes haud ſub unius abſoluta degebant poteſtate, ſed quandam liberæ communitatis ſpeciem præ ſe ferentes, agebantur potius, quam regebantur illa cæteroquin laudabili Politia. Nam *Sergius* quoque Dux *Neapolis*, qui ſub nomine majoris dignitatis: utpote non Duci, ſed *Græco* ſubditus erat Imperatori, non admodum in hoc abſimilem ab *Capuæ* Gaſtaldis ſua in urbe obtinebat imperium, ab ſocru ſua ſtimulatus perhibetur in Actis S. *Athanaſii* Epiſcopi præfatæ urbis manu exaratis; *ut ſi vellet Monarchiam ſolus obtinere, non ſolum prædicto Epiſcopo* ſuo patruo *nullam exhiberet obedientiam, verum hunc a latere ſuo, vel procul eliminaret:* ſive, ut diſertius neſcio e quo alio antiquo Auctore, expreſſum habetur in *Latina* Hiſtoria *Neapolitana* lib. 1. cap. 12. *ut ſolus vir Principem locum in civitate obtineret, alios non haberet in adminiſtranda re publica conſortes.* At Gaſtaldos præter civilem, obtinuiſſe aliquando poteſtatem etiam militarem, lex declarat Regis *Rhotaris* lib. 1. tit. 14. ſtatuens, quod *ſi Gaſtaldius exercitalem ſuum contra rationem moleſtaverit, Dux eum ſolatiet, quouſque veritatem ſuam inveniat.* Idemque ex *Anaſtaſio* Bibl. in *Gregorio* 2. intelligi poſſe arbitror, perhibente: Langobardos *pænè trecentos cum eorum Caſtaldione interfectos* a *Neapolitano* Duce in *Cumani Caſtri* recuperatione: milites nimirum illos, qui præſidio eidem Caſtro ſub militari Tribuno fuerant, non ita pridem ab iiſdem pervaſo; quocirca conjuncta ſunt munera Erchemperto Num. 15. Gaſtaldum eſſe, & bella exercere; diciturque Landulfus, *qui* Capuæ *præerat Gaſtaldeus, vir ad bella promptiſſimus:* & Num. 62. Suabilus *Gaſtaldus* Marſorum *cum aliis ſociis Baſſis, quaſi ad trecentos armatos*, Capuam *advectus* ab *Atenolfo.* Dux quoque *Alczecus*, qui ſua cum *Bulgarorum* gente, vel ut Paulus Diac. loquitur lib 5. cap. 11. ſive 29. *cum exercitu* in *Italiam* venit, & ſpacioſa loca in *Beneventana* ditione ſibi, ſuiſque inhabitanda, Gaſtaldique ſuſcepit nomen: poteſtatem planè militarem ſub minoris dignitatis nomine retinuiſſe, credendus eſt; de quo ejus munere haud conſentiam Jacobo Cujacio,

Sed præterea Gaſtaldi militaria aliquando munera exercuere.

Baſſi, ſive Vaſſi idem prorſus hoc loco ſunt, ac in Capitulis, quæ Epiſcopi

Rhemorum diœceſeos, & *Rothomagenſis* miſerunt *Ludovico* Regi. *Quando* (ſic ibi) *anima veſtra de corpore exierit;* &c. *& ſine ſolatio, & comitatu* Drudorum, *atque* Vaſſorum *nuda, & deſolata exibit.*

qui in Comment. ſuper libros Feudorum illam ſolam quam initio dicebam, contemplatus Gaſtaldorum acceptionem, in legibus *Langobardorum* deſcriptam lib. 1. tit. 34. & lib. 2. tit. 17. & in libris quoque Feudorum, opinatus eſt, *Gaſtaldum proprie feudatarium non eſſe; quia quodammodo in præſens tantum conſtituitur, non ut perpetuo eo munere fungatur;* itaque *Paulum Diac.* ſcribentem, *juſſu* Grimoaldi Langobardorum *Regis in* Italia *certas poſſeſſiones datas* Alzeconi *Duci* Bulgarorum (*civitates Paulus* dixerat *cum ſuis territoriis*) *ita tamen, ut non Dux, ſed Gaſtaldus vocaretur, hoc ſignificare* ait, *jure Gaſtaldiæ datas, non perpetuo, proprioque feudi jure.* Haud, inquam, viro ſanè doctiſſimo conſentiam; nam minimè ſimplex, & una dumtaxat, ſed multiplex, ac miſta, ut dictum eſt, fuit Gaſtaldorum prærogativa. Et inſuper nec *Alczecus*, ſicut Ducis dignitatem, & nomen depoſuerat, ita vel acceptas ad incolendum urbes, & oppida, vel ſuæ gentis, tranſacto ſui Gaſtaldatus anno, dimiſiſſe videtur curam: cum *Paulus* apertè affirmet, *Bulgaros* ſuſceptas ſedes ad ſuam uſque ætatem incoluiſſe, qui *in iis locis habitantes, quamquam etiam* Latine *loquerentur, linguæ tamen propriæ uſum minimè amiſerunt:* nec amiſerunt, ego addam, peculiarem habere ex propria gente Gaſtaldum. Renuit itaque, me arbitro, Rex *Grimoaldus* nomen Ducis permittere *Alczeco*, non quod perpetuum ei nollet dare Gaſtaldatum: ſed quod ille ſub *Beneventano* Duce conſtituendus, primitivam retinere non poſſet dignitatem; qui namque cum eſſet advena, temporaneam in locis perpetuo ſibi, ſuiſque inhabitandis accipere debuiſſet Dynaſtiam? Quam nec tempore definitam accepiſſe cenſendus eſt, Sico Agerentinus *Gaſtaldeus* (Erchemperti ſunt verba Num. 8.) *quem* Grimoalt *Princeps* Beneventi *proſelytum recepit, honoribus plurimis deferens.* Haud igitur actores tantummodo extitere Gaſtaldi, quorum munus qua pace, qua bello populis, militibuſque præeſſe fuit. Et ſanè nec Comites, quoniam eos Pontifex Hadrianus epiſt. 18. ad *Carolum Magnum* appellavit *actores:* *Obnixe petimus*, inquit, *ut per Comites veſtros, qui in* Italia *ſunt actores, ipſum jam dictum ſtannum dirigere jubeatis per unumquemque Comitem libras centum:* nullam aliam exercuiſſe functionem, reputandi ſunt: nam publica etiam judicia tractavere, quod commune habuere cum Gaſtaldis, ut patet ex lege *Langobardorum* lib. 2. tit. 52. ſuperius laudata; idque adeo fuit eis peculiare, ut putarit *Otho Friſingenſis* lib. 2. cap. 12. de Imp. *Friderico*, ſingularum urbium territoria nuncupata *Comitatus a comminandi*, quod ipſe interpretatur *in jus vocandi poteſtate:* Et præterea peculiariſſimum, idemque antiquiſſimum fuit Comitum munus, Comitivæ, hoc eſt alicui hominum cœtui, vel muneri cuicunque præſidere; unde quos ſupra dixi duodecim *Nortmannos* viros, *Apuliæ* expugnatores, *Oſtienſis* tradit l. 2. c. 67. ab *Rainulfo* Comite *Averſæ* electos *Capitaneos:* Guilielmus verò Apulus lib. 1. dicit *Comites;* inquit enim:

„ *Omnes conveniunt, & bis ſex nobiliores,*
„ *Quos genus, & gravitas morum decorabat, & ætas,*
„ *Elegere duces: provectis ad Comitatum*
„ *His alii parent: Comitatus nomen honoris,*
„ *Quo donantur, erat* ———

Quocirca eidem *Oſtienſi* propriiſſimè eſt ſermo ille uſurpatus in allegato lib. 2. cap. 30. *Comes illorum* Rodulfus. cap. 72. *una cum* Dracone Normannorum *Comite.* lib. 3. cap. 10. *Normannorum tantum* Apuliæ *Comitem:* & præterea tum ipſi, tum aliis alibi idem frequenter: Comitis videlicet dignitatem, & nomen non ad loci, ſed ad virorum quod referat Præfecturam. Atque hoc tan-

Nec Comites majorum ſolummodo poteſtatum fuere Actores.

Sed juſtitiæ, & æqui etiam vindices.

Et inſuper Comitivarii Præfecti.

Qualis an fuerit a Duce Neapolis *inſtitutus, qui primus fuit* Averſæ *Comes, cogitandum.*

tandem denotat, ſiquando in antiquis chartulis *Normannorum* ævo exaratis legitur quis appellatus alicujus civitatis *Comes ſimul, & dominus*: quandoquidem ejus verbis vis non dominii, ſed Comitivæ tantum denotabat prærogativam. Qualis an ea fuerit, quam *Sergius* Dux *Neapolis* præfato *Rainulfo* conceſſit, cum illum *Averſæ* Comitem fecit, ut finitimos *Campanos* aſſiduo bello premeret, ac vexaret, velim cogitent, non qui innata quadam dulcedine amplificandarum rerum patriæ detenti in antiquis hiſtoriis exponendis verſantur, & verè dixeris monumenta ſibi, ſuisque condunt; ſed qui per haſce antiquitatum ſyrtes velificantes, ſoloque veri ſtudio, tanquam magnete fidiſſimo inſtructi, vel nulla, vel rara, & quamleviſſima naufragia facere poſſe creduntur. Et quidem creduntur: namque etſi abſtruſa iſta circumſpectè qui tractant, haud aperti mendacii argui facilè queant, vel qui tractant, haud aperti mendacii argui facilè queant, vel erroris: eos tamen nunquam omnino allucinari, ſentiet vir prudens nemo; tum quia minime id permittit communis conditio humanitatis: tum etiam quia auctores, quos ad ea explicanda adhibere eſt opus, rudi ſimplicitate, ac ſumma verborum inopia laborantes, multiplices, inconſtanteſque plurium populorum per longa annorum intervalla peractos caſus, ſervatos ritus, & receptos mores non admodum apertè, nec ſine tricis, & ambagibus exponunt: qualem in re, de qua nunc agimus, præter propriam noſtram imbecillitatem, experti illorum ſumus imperitiam, & negligentiam; qui multimoda Comitum, Gaſtaldorumque munia mutua quadam affinitate invicem conjuncta, ſæpiſſime uni conceſſa, vel uſurpata viro, vocabulum vocabulo ſubſtituentes, ac ſi nullius eſſet momenti illa diſtinguere, appellavere aliquando Gaſtaldos, quos Comitum nomine, ſive auctores metipſi, ſive alii decorarunt: & e converſo, Comitibus nonnunquam Gaſtaldorum nomen tribuerunt. Quo quidem pacto non unicam dignitatem *Pandenolfus* Comes *Capuæ* cum obtineret, tum hac, tum Gaſtaldi, tum Judicis nuncupatione non nemini antiquo auctori eſt demonſtratus. Quam etiam omnimodam in univerſo *Campano* Gaſtaldatu poteſtatem uſurpaverat ejus deceſſor, & patruus *Landulfus*, qui, ut inquit Ignotus Caſſin. Num. 32. *extitit ſuis civibus non ſolum Epiſcopus, ſed & Comes, & Judex: non ſolum Præſul, verum etiam Gaſtaldius: neque tantum Pontifex, quin & velut Miles ſuper cunctos præerat.* ejuſmodique ſermone hic auctor ſingula *Landulfi* officia, vel juxta ſuum captum, vel juxta *Campani* populi conſuetudinem ſingulis vocabulis expreſſit; illumque ut Militem, bella ſtruxiſſe; ut Comitem, & Judicem, lites ſubjectorum diremiſſe; ut vero Gaſtaldum, res ceteras publicas curaſſe, viſus eſt denotare. Et verò præcipuum Gaſtaldorum munus, ad quos redeo, hoc ipſum modo dictum fuiſſe, etymon vocabuli manifeſtat; quod ex Viti Amerpachii obſervatione in Notis ad Capitula *Caroli Magni* ductum eſt *a Guaſt, id eſt Hoſpitium veteri* Germanica, & Gallica *lingua* (*Germanico* planè, ſeu *Theutiſco* ſermone *Langobardos* uſos ex eorundem lege 15. tit. 14. lib. 1. atque inedito Anonymo *Salernitano* conſtat) & *Halden, id eſt: tenere. ſic enim in quibuſdam Germaniæ locis adhuc verbum pronunciatur*; nam Hoſpitium, vel dicas Palatium haud communes, quas incolimus, ædes; ſed tum publici Magiſtratus, tum ſummi Dynaſtæ denotat Prætorium, & per uſurpationem publica quæque jura: unde in Chartula Eccleſiæ *S. Sophiæ* ſuperius producta *caſam ad Palatium urbis* Luceriæ *cecidiſſe*: & apud Oſtienſem lib. 1. cap. 50. partem Fluminis *Vol-*

Nam reliquam hanc quoque omnem medii ſeculi antiquitatem Auctores quamvis antiqui parum expreſſe repræſentarunt.

Sed nihilominus Gaſtaldorum præcipuum munus ex ipſius vocabuli etymo erui certius poteſt.

Hinc ſane *Waſt* Aymonis: nunc *il Vaſto*: *Waſi* Algiſii, *Waſt* Girardi; & alia conſimili nomine in Provincia *Aprutii* citerioris loca dicta fuere, quod valebat *Prætorium* Aymonis &c. nam Populi *in Judiciaria*, ut tunc loquebantur, diſtributi, iis Prætoriis invicem diſcernebatur, unde locis ejuſmodi acceſſit nomen.

A *turni* a Princ. *Atenulfo* conceſſam fuiſſe Monaſterio *Caſſinenſi, quemadmodum ad jus Palatii pertinuit*, & conſimilia ſexcenta alia apud Auctores loca hoc idem ſignificant, atque res illas vel nuper factas, vel olim fuiſſe publici juris. Quam germaniſſimam hujus etymi ab *Amerpachio* non minus verè quam acutè excogitati vim, ſi ipſe ritè percepiſſet, minime pronunciaſſet, *Gaſtaldum ſignificare Oeconomum, id eſt Procuratorem domus, & rei familiaris*, cui ſubſcripſere viri ingenio, & doctrina clariſſimi, *Cujacius*, aliique ſeu diſtici juris primarii interpretes. Gaſtaldos itaque, ſicut probandum ſuſceperam, ambiguum B non eſt, multimodæ fuiſſe rationis, quorum nec omnes me expoſuiſſe differentias, aſſerenti non negaverim, neganti non aſſenſerim; etenim ad quam illorum acceptionem ſuperiori ſermone expoſitam ii ſint referendi, ex quibus nomen Gaſtaldatus Provinciis Ducatus *Beneventani* fuit impoſitum latere me, non diſſimulo: ſicuti nec qua lege, & conditione ipſi Gaſtaldatus initio concederentur: quæ utique, manente quamvis eorum nomine, non ſemper unimoda manſit; nec quot numero cenſerentur, audeo nunc definire. Qui hoc ſanè non ignorem, haud quaſlibet urbes Gaſtaldis aliquando ſubjectas, conſimili omnino in- C ſtitutione, atque uſu Gaſtaldatuum nuncupatione fuiſſe inſignitas; quandoquidem ipſum Gaſtaldi vocabulum inter Analoga cenſeri debere, eſt jam manifeſtum. Ducatum autem *Beneventanum* in plures Gaſtaldatus, tanquam in Provincias diſtributum, ut pridem expoſui, ex Principis *Radelchiſi* cum conſtet Capitulari; ex illo nihilominus certus eorum numerus minimè quidem poterit deprehendi; nam Princeps ille non dimidios, nec dimidiatos integræ ſuæ Dynaſtiæ Gaſtaldatus, ſed dimidiam eam cum conceſſerit *Siconolfo* Principi *Salernitano*, dici haud inde valet, totidem ne, an plures ipſe ſibi reſervaverit, D vel pauciores. Quo referendum putaſſem, in jam dicta *Siconolfi* portione nonnulla etiam minorum oppidorum, locorumque nomina ſimul cum Gaſtaldatuum nominibus fuiſſe adnotata: videlicet quod ex primæva inſtitutione ii Gaſtaldatus minimè illa complecterentur loca; veruntamen rationabilius dicendum judico, ideo ſeorſum memorari, quoniam reliquam *Radelchiſi* partem proxime contingebant; habendaque erant velut expoſitiſſimi, firmiſſimique *Salernitani* Principatus fines. Gaſtaldatus tamen integri Ducatus *Beneventani* cenſendi ſunt, præter paulo poſt deſcribendos *Tarentum* (urbs nimirum nedum E antiqua origine, factiſque clariſſima, perque tempora *Nortmannorum* Apuliæ *civitas nobiliſſima*, ut eam dicit Petrus Diaconus in Auct. ad *Oſtienſ.* lib. 3. cap. 45. ſed *Langobardorum* etiam ætate præſignis: *ubi* Adelberga *relicta Principis* Arichis, ipſeque planè *Arichis, Theſauros ſuos reconditos habuit*, quod *Carolo Magno* revelavit Papa *Hadrianus* epiſt. 46.) *Caſſanum, Conſentia, Lainum, Lucania*, ſive *Pæſtum, Montella, Salernum*, & *Capua*; disjunctiſſimarum ſcilicet urbium præclara nomina, ſub quibus niſi perplura alia minora oppida ultro, citroque ſita comprehenſa ſimul fuiſſent, haud illa *Radelchiſus, Salernitanum* certis limitibus definiens F Principatum, prætermiſiſſet. Etenim, ut de reliquis nunc taceam, *Capuæ* Gaſtaldatus uſque *Soram* ad Occidentem perveniſſe, ex *Erchemperto* Num. 25. & ex Ignoto *Caſſin.* Num. 23 clare liquet. Et *Conſentiam* quoque magni; & antiqui decoris urbem, ex adverſo latere ad oppidum S. *Euphemiæ*, & *Portum Fici*, ubi ni fallor, *Græcorum, Beneventano*rumque antiqua confinia fuere, *Eginhardo* memorata, & nobis pridem in loco expoſita, fines ſuos Orientem verſus porrexiſſe conjector; quo *Gaufre-*

Cum tamen non poſſit certus definiri numerus Gaſtaldatuum hujus Ducatus.

Quorum pluſculos per tranſcurſum enumero, & plane inſigniores.

Rhegium uſque productum hunc limitem quod dicat *Alfanus* Archiepiſc.

Salern. in Carmine ad Guidonem filium Princ. Guaimarii 4. nondum edito, ea ipsa aspiciens priora tempora Nortmannorum, Gaufredo indicata, hujus non est loci minutius examinare.

fredus Malat. lib. 3. cap. 2. Principatum *Salernitanum* ex antiquo productum subindicat, suntque ibidem etiamnum limites Provinciæ *Calabriæ* citerioris, cujus eadem urbs sibi vindicat primatum. Sed & Gastaldatus fuit *Theathe*, sub qua *Erchempertus* Num. 5. plures statuit tellures, & urbes; exque iis, labentibus annis, *Marchia* constitit *Theathina*. Et *Bovianum* præterea ab *Alczeco Bulgaro* sub Gastaldi nomine cum adjacentibus locis possessum, postque annos bisсentum a *Guandelperto*, cujus meminit *Erchempertus* Num. 29. in Gastaldatuum album referendum (transivit postmodum hæc prærogativa ad proximum *Molisium*, unde Comitatus primum, & tandem Provincia Comitatus *Molisii* dicta est) nemo inficiabitur. Itemque *Telesiam*, atque *Sanctam Agatham*: est enim apud eundem Auctorem ibidem mentio *Majelpoti* Gastaldi *Telesini*; & Num 66. & 71. *Marini* Gastaldi *Sanct-Agathensis*, qui forte successerat *Hisembardo*, *Berthari* Abb. *Cassin.* ut perhibet Ignotus ejusdem Monasterii Monachus Num. 22. consanguineo. His insuper addendus est tum Gastaldatus *Abellinensis*, aliquando subjectus *Adelferio* Gastaldo, quo titulo vir iste decoratus legitur in Fragm. Historiæ *Langobard.* Num. 5. tum Gastaldatus

A *Agerentinus*, sive dicas *Acherontinus*, in Capitulari *Radelchisi* Num. 9. 24. & 25. expresse demonstratus; tum quoque Gastaldatus *Barensis*: quam sane urbem ex hac diutius observata *Langobardorum* antiqua institutione primatum totius *Apuliæ* per tempora *Nortmannorum* obtinuisse, ejusdemque caput extitisse, sicut eam celebrat *Petrus Diac.* in Auctar. ad *Ostiens.* l. 3. cap. 44. & lib. 4. cap. 106. par est credere; cujus Gastaldus fuit *Lando* ille memoratus præfato Ignoto *Cassin.* Num. 8. Et tandem *Luceriam*, & *Sipontum* non infimi nominis civitates, & si quas alias tales, Gastaldatus pariter existimandas non abB nuerim; quibus quidquid terrarum inter *Barensem* & *Theathinum* continebatur, fuerit contributum. In hanc itaque, aut parum absimilem formam *Langobardos Beneventanum* aliquando Ducatum descripsisse, dijudico: qui antiqua nomina Provinciarum *Calabriæ*, *Apuliæ*, & *Samnii* populari tantum sermone, non ipsas Provincias usu conservarunt: haud secus atque *Apuliæ* etiamnum vulgo manet antiquum vocabulum, quamvis nulla ex duodecim hujus Regni Provinciis eo censeatur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

DISSERTATIONES;

Quæ erunt in Secunda parte.

I. D*ucatus* Beneventanus *transibatne ad hæredem.*

II. Dux Beneventi *cur postea dictus est Princeps.*

III. Principatus Salerni *fines. qui institutus fuit ex diviso Principatu* Beneventano *in an.* DCCCLI.

IV. Principatus Capuæ *ab* Langobardis *quando institutus.*

C *V. Principatus* Capuæ *fines, etiam per tempora Principum* Nortmannorum.

VI. Langobardorum Italiæ Cis-Tyberinæ *occasus.*

VII. Italia Cis-Tyberina *ex quibus Dynastiis in Regnum coaluit.*

IN TERTIA PARTE,

Erunt Canones Chronici infra descripti.

I. D*ucum* Beneventi *intervalla annorum ab primo Duce* Zottone *ad primum Principem* Arichim, *& ad an.* DCCLIIX. *fusius expositа, quam fecerim Libro primo.*

II. Canon Chronicus Principum Beneventi *ab primo Principe* Arichi *ad Princ.* Atenulfum I. *Hoc est ab anno* Christi DCCLVIII. *ad annum* DCCCC.

III. Canon Chronicus Principum Beneventi *ab* Atenulfo I. *ad omnium postremum Principem* Landulfum VI. *Hoc est ab anno* Christi DCCCC. *ad annum* MLXXVII.

IV. Canon Chronicus Principum Salerni *ab ejusdem Principatus origine, atque ab primo Principe* Siconolfo *ad postremum Principem* Gisulfum II. *Hoc est ab an.* DCCCXXXIX. *ad an.* MLXXV.

V. Canon Chronicus Principum Capuæ Langobardorum *ab ejusdem Principatus institutione, & ab Princ.* Pandulfo I. *usque ad ejus Principum* Langobardorum *ultimum* Landulfum V. *hoc est ad an.* MLIIX.

VI. IN APPENDICE. Canon Chronicus Principum Capuæ Nortmannorum *ab omnium primo,* Richardo Aversæ *olim Comite ad Princ.* Henricum, *filium* Guilielmi I. *Regis* Siciliæ. *Hoc est ab an.* MLVIII. *ad annum* MCLXXII. *in quo* Campanorum *Principum constans defecit successio, servato nihilominus deinceps in Actis publicis nomine Principatus ad obitum usque Reginæ* Joannæ II. *hoc est ad annum* MCCCCXXXV.



SERIES ABBATUM CASSINENSIUM PER ANNOS

Ab Abb. *Petronace Brixiano*, Et ab anno DCCX. Ad Abbatem *Rainaldum Calamentanum*, Et ad annum MCXXXVII.

In qua omnis temporum ratio de iis tradita a Leone *Card.* Ostien. *a* Petro *Diac.* Cassin. *& ab aliis antiquis expenditur: illaque statuitur, quæ ordine procedit imperturbato.*

AUCTORE
CAMILLO PEREGRINIO
ALEXANDRI FILIO CAMPANO.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
FRANCISCO BARBERINO
S. R. E. CARDINALI ET VICECANCELLARIO.

S*Pinosam, horridamque Historiæ* Langobardorum *sylvam, sylvam, inquam, Eminentissime Princeps. ob difficilem temporum confusionem, ac densissimam rerum obscuritatem aliis hactenus inaccessam, aliis non plenè (nescio an etiam dicam, non benè) lustratam, nec illustratam, hac etiam adhibita providentia stylo excolendam, e sentibus errorum expurgandam, atque Lectoribus magis perviam, facilioremque reddendam esse semper dijudicavi: nempe si ei conjunctissima minus culta, captuque aspera quæque antiqua literis tradita monumenta, uno, eodemque in tempore tum congenitis, tum superinductis tricis, ac fallaciis omnibus emendentur; quibus nisi longissime depulsis, ac funditus extirpatis, nunquam non in ipsa, sicut in confinibus solet locis, noxiarum opinionum aliena semina, alienæque radices essent defuturæ, immensam planæ, inextricabilem, indeficientemque ambagum novam sylvam germinaturæ. Quo ego consilio* Cassinensis *Monasterii Chronicon, quod* Leo *Cardinalis* Ostiensis *ab Abb.* Petronace Brixiano *describere exorsus,* Petrus *ejusdem Cœnobii Monachus, & Diaconus ad Abbatem usque* Rainaldum Calamentanum *perduxit, ac nostratium* Langobardicarum *rerum maxime refertum, commixtumque esse constat, sedula opera cum observassem, dispunxissemque permulta inibi in temporum descriptione*

ptione a suis Auctoribus, atque ab his, qui ipsum iterato edendum curarunt (utrorumque pace dixerim) tum minus diligenter, tum minus sincere, vel descripta, vel repræsentata, operæ pretium facturum me putavi, si una cum Principum Langobardorum *Historia, Tibi jure dicata, eorundem Abbatum Seriem per annos ductam in vulgus emitterem, Tuo simul nomini etiam quam justissime consecratam: es enim, & omnis antiquitatis, &* Cassinensis *Congregationis præcipuus & beneficentissimus Patronus, mihique constantissime suspiciendus. Quam sane eo libentius in hoc temporis instanti publicis Typis committendam constitui, ne quæ e* Cassinensibus *scriniis ad eandem Historiam acceperam, non facile dictu quam proficua adjumenta, diutius irremunerata, quantum mea mihi præsens res permittit, manerent; quin meæ non vulgaris reverentiæ, qua religiosissimos, nobilissimosque* Cassinenses *Monachos colo, hanc scriptiunculam testem esse perpetuum apud Te, Eminentissime Princeps, ante omnes statuo. Cui Deus Opt. Max. cæteros omnes perpetua antecedere felicitate donet, perpetuo ut bonis artibus suus decor, & honor maneat, & bonis.*

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ

Humillimus, & deditissimus Servus
Camillus Peregrinius Alex. *Fil.*

SERIES
ABBATUM CASSINENSIUM
PER ANNOS

Ab Abb. *Petronace Brixiano*, & ab anno DCCXX.
Ad Abbatem *Raynaldum Calamentanum*, Et ad annum *MCXXXVII.*

Cassinensis Monasterii constructio.

C*Assinense* Monasterium antiquitate, rerumque ibi gestarum magnitudine, &, quod præstantius est, ejus conditoris, Cœnobitarumque sanctitate, ac dignitate clarissimum, ab occidentalium Monachorum instauratore Divo *Benedicto* primitus fuisse constructum, exploratissima, receptissimaque Scriptorum omnium attestatione constat. Cujus tamen constructionis definitus annus levicula quadam Auctorum discrepantia traditus cum habeatur, antequam *Cassinensium* Abbatum Seriem ab Abb. *Petronace Brixiano* ad Abb. *Rainaldum Calamentanum* per tempora, ut est animus, ducam, abs re non erit de eo paucis differere, remque, quantum sat esse potest, minutius explicare. Et quidem tanti Monasterii initia, Divique *Benedicti* discessum e *Sublacensi* Monasterio, & ad Castrum *Cassinum* accessum alii in annum *Christi* retulerunt 527. alii in annum 528. alii tandem in annum 529. Quam postremam sententiam Ignotus *Cass.* num 1. protulisse videtur, sed eam apertis exposuit verbis *Gordianus*: sive quisquis ille *Gordiano* longe recentior, idemque *Cassinensis* sane Monachus Actorum *S. Placidi*, *Gordiani* tamen nomine, auctor apud *Surium* die 5. *Octobris*; cujus textus nescio ex librarii ne errore, qui apud alios alibi non infrequens, an ex falsa supputatione incongrue habet, Sancti Patris profectionem contigisse in anno prænotato, *temporibus verò* Justini *Monocratoris*: ubi legendum. *Justiniani*; qui certe tunc imperabat. A quo *Pseudo-Gordiani* dicto stetisse etiam *Petrum*

A *Diaconum* censeo in Auctario ad *Ostiensem* lib. 3. c. 71. perhibentem, Abbatem *Desiderium*, qui *Victor* fuit Papa 3. obiisse in anno *Christi* 1087. *a Patris autem* Benedicti *anno DLXXIX.* quæ annorum summa, etsi ex fide sit *Cassinensis* manu exarati exemplaris (illius nempe, quod simul continet *Ostiensis*, & *Petri* utrumque Chronicon, exque eo quoniam processerunt ejusce operis variæ editiones: erit mihi præ altero ibidem adservato magis attendendum, & frequentius laudandum) nullo sane stare potest modo; veruntamen binos ex ea si demas denarios numeros, optime consistet; namque a suscepta a D. *Benedicto Cassinensis* Monasterii constructione, B & ab anno *Christi* 529. ad annum 1087. dinumerantur anni DLIX.: ipso videlicet anno inceptæ ædificationis una adnumerato; qua sola ratione corrupti restitui poterunt numeri, atque *Petri* mens capi, ut facile intelligent peritiores. At constructionem illam rursus in annum 528. Notulæ quædam conjiciunt ad calcem positæ Chronici *Cassinensis Venetæ* Editionis pag. 191. a tergo: his verbis. *Anno Domini DXXVIII. fundatum fuit Monasterium* Cassinense *a Beato* Benedicto. In annum vero 527. eam retulisse videtur antiquus Chronologus *Siconi Beneventano* Principi æqualis, qui collectiones annorum descriptas in quarta Parte Chronici Anonymi *S. Sophiæ* subduxit, tradens Num. 5. *A B.* Benedicto *usque ad* Gregorium *Papam* (his C ille nominibus tempus constructi *Cassinensis* Monasterii, & obitus S. *Gregorii Magni* designabat) an-

annos *fluxisse* 78. nam Sanctum Pontificem, manifestum est, decessisse in anno 604. a quo anni plane sunt 78. ad quem dixi annum 527. ipso nempe primo constructionis simul connumerato. Estque ab eadem hac mente idem Auctor ibid. Num. 9. qui supputavit *a B.* Benedicto *ad* 15. *annum* Siconis *Principis* (is fuit *Christi* 833.) *annos* 307. etsi Num. 8. annos dinumerans 205. *a B.* Benedicto *ad* Gisulfum *juniorem*, hoc est ad annum *Christi* 732. videri possit Epocham constructi Monasterii retulisse in annum 528. Sed inconstantem ei sententiam temere non affigam, qui, fortassis, non annos CCV. sed CCVI. adnotaverat, librarii autem ex incuria notam detraxerunt unitatis. Ejusdem tamen Auctoris comparationem Num. 10. descriptam, qua D. *Benedictus* æqualis fit *Justiniano* Majori, *Joanni* Papæ, scilicet primo, & Regi *Theodorico*, nullo pacto sustineri posse, minime inficior: Verum si textum dixerimus detruncatum, quem plane mancum esse, adnotata ibi ad oram varians, sed nec ipsa integra, probat lectio, utique Auctor ille imperitiæ accusandus non erit; nam plenam ejus sententiam fuisse, non est dubitandum, quam Ostiensis lib. 1. cap. 1. expressit verbis illis. *Claruit*, inquit, *D.* Benedictus *temporibus Imperatorum* Justini *Senioris*, *&* Justiniani; Romanorum *vero Pontificum* Joannis 1. *& quarti* Felicis: Theodorico *apud* Italiam Ariano *regnante*, quam etiam Pseudo idem ille *Gordianus* in præscripta S. *Placidi* Vita, paucis tantummodo syllabis immutatis, exposuit; qua non annus constructi *Cassinensis* Monasterii, sed ætas constructoris designatur, ut patet. Cœnobium autem a D. *Benedicto* conditum, cum stetisset per annos fere 60. subversum post fuit a *Langobardis* tempore Papæ *Pelagii*, hoc est non multo ante annum *Christi* 590. sed si *Paulum Diac.* attendis, in anno id contigit 605. de qua discrepantia in Historia Principum *Langobardorum*, ubi de Comparatione Ducum *Beneventi* cum Æra *Christi*, est dictum.

Cassinensis *Monasterii constructio.*

PETRONAX.

Petronax *ab an.* 720. *ad an.* 751.

CIvis Brixianæ *urbis* (verba sunt e Pauli Diac. Historia *Langobardorum* lib. 6. cap. 13. sive 40. quæ huc faciunt, excepta) Romam *venit*, *hortatumque tunc* Gregorii *Apostolicæ sedis Papæ* Cassinum *Castrum petiit*, *atque ad sacrum corpus Beati Patris* Benedicti *perveniens*, *ibi cum aliquibus simplicibus viris jam ante residentibus habitare cœpit*; *qui eundem venerabilem virum* Petronacem *sibi Seniorem statuerunt*. *Hic non post multum tempus*, *jamque evolutis fere centum*, *& decem annis*, *ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat*, *multorum ibi Monachorum*, *nobilium*, *& mediocrium ad se concurrentium Pater effectus*, *sub sanctæ regulæ jugo*, *& B.* Benedicti *institutione*, *reparatis habitaculis*, *vivere cœpit*, *atque sanctum Cœnobium in priorem statum erexit.* Sic quidem *Paulus*, qui monasterii desolationem quoniam in annum retulerat 605. certóque noverat ipsius instaurationem peractam hortatu *Gregorii* 2. qui sedit ab anno 714. ad an. 731. ejus solitudini non plures, quam 110. annos imputavit: quot etiam *Ostiensis*, a *Paulo* alias quoque seductus. adscripsit in Prologo sui Chronici, ut *Cassinense* manu exaratum exemplar, ejusdemque operis *Venetæ*, & *Parisiensis* habent editiones; qui sane fuerat 130.; nam *Langobardi* Sacrum devastarunt locum paulo ante quam D. *Gregorius Magnus* Dialogorum libros scripsisset, hoc est ante annum 593. de quo alibi dixi. Idem vero *Ostiensis* dum lib. 1. cap. 2. Monasterium

Petronax *ab an.* 720. *ad. ann.* 751.

A destructum permansisse perhibet, non per annos 110. sicut prius exposuerat, sed per 130. ut in præfatis est editionibus, & in M. S. Codice, valde vereor, ne illius continuator *Petrus Diac.* sive quisquis alter, ad *Petri* tamen mentem, talem de suo *Ostiensi* affixerit sententiam; quam idem *Petrus* lib. 4. cap. 91. juxta earundem Editionum, & scripti Codicis lectionem deprehenditur amplexatus: Nec sane præsens *Cassinense* exemplar reputandum videtur ipsum esse *Ostiensis* Autographum, quod *Petri* simul Auctarium, haud nuper quidem, sed unica manu descriptum continet, quodque indicia complura tum alibi servat commixtæ alienæ dictionis inferius opportunius denotanda, tum lib. 3. cap. 16. quo loco de *Roberto Guiscardo* iterum scribendum, ac latius esse promittitur. Quin nec *Petri* esse Autographum adparet, in quo annorum summam a B. *Benedicto* ad obitum Abbatis *Desiderii*, sive *Victoris* Papæ 3. superius descriptam, nisi ex librarii non credam culpa haberi depravatam. *Ostiensem* igitur expositæ modo inconstantis sententiæ, minime reputo auctorem, quem tamen annos vastitatis *Cassinensis* Monasterii non plures, quam centum, & decem cum *Paulo Diac.* supputantem non defendo, sed *Petronacem* centesimo, decimoque post anno ab *Christi* 605. in quo *Paulus* statuit ipsius Monasterii direptionem, ut alibi est dictum, ad *Cassinum* Castrum pervenisse, tempore Papæ *Gregorii*, videlicet secundi, constantissime ab illo proditum, non dubito; qui eundem *Petronacem Anno Domini* 720. *a Fratribus in Abbatem fuisse prælatum* his ipsis palam testatus est verbis in sæpe laudatis scripto, & Editis Codd. Idque simul ibidem adstruit; perhibens Monasterium S. *Vincentii* juxta ortum *Volturni* construi cœptum ante *Cassinensis* instaurationem, annis circiter 15. nempe in an. 705. quod a *Saracenis* devastatum anno ab ejus ædificatione 165. & in anno *Christi* 870. inferius exponam in Abb. *Berthario*. Nec ab alia mente fuisse videtur Auctor Chronici *Langobardorum*, seu Monachorum S. *Benedicti*, pares faciens Epochas Abb. *Petronacis*, & *Beneventani* Ducis *Gregorii*; quem ipse Duci *Romualdo* 2. nullo alio intermedio Duce, successisse putavit, atque in anno 720. de quo alibi disserui. Idipsum etiam persuadet S. Willibaldi Itinerarium apud *Surium* die 7. Julii, *Is* (strictim do verba Itinerarii) *veniens ad S.* Benedictum, hoc est ad Monasterium *Cassinense*, *ibi reperit paucos Monachos*, *& Abbatem nomine* Petronacem, *apud quem per decem annos mansit*; *quibus exactis*, *perrexit* Romam, *sedente Summo Pontifice* Gregorio 3. Hic *Romanam* rexit Ecclesiam ab anno *Christi* 731. ad annum 741. scilicet undecim non integris annis. *Willibaldum* igitur ad *Cassinense* Cœnobium a *Petronace* jam renovatum accessisse oportet, tempore *Gregorii* 2. proxime *Gregorii* 3. antecessoris, atque nondum a magna Monachorum frequentia, ut procedente ætate sub eodem fuit *Petronace*, inhabitatum; quem virum etsi in ipsis initiis *Gregorii* 3. illuc pervenisse, indeque excessisse sub finem ejus Pontificatus consentirem; sub *Gregorio* tamen secundo, ejusdemque suasu *Petronacem* opus aggressum, non esset ambigendum; quocirca in universis *Ostiensis* Editionibus, ipsoque in M. S. exemplari lib. 1. c. 4. non temere dixerim, *Cassinensem* instaurationem haud ex Auctoris mente perhiberi peractam tempore *Gregorii* 3. eodem sane *Leone* factam sibi vim altis, apertisque vocibus conclamante, ac *Petronacis* Abbatiam, ut expositum est supra, disertis verbis in annum referente 720. atque adeo ad sedentem *Gregorium* 2. Nam quamvis ille cap.

Petronax *ab an.* 720. *ad. ann.* 751.

(Margin letters B, C, D, E, F beside the right column.)

cap. 8. præfati libri 1. inter æquales *Petronacis* binos tantum recenſeat *Romanos* Pontifices *Gregorium*, & *Zachariam*; *Gregorii*que nomine non ſecundum, ſed tertium, qui *Zachariam* proxime præceſſit, videatur demonſtraſſe, *Gregorium* certe ſecundum minime ex propoſito, ſed compendioſo, parumque attento cum uteretur ſermone, omiſit; quem Auctorem nec ſuppares omnes *Petronaci* Reges *Langobardorum*, nec Duces *Beneventi* omnes adnumeraſſe conſtat; prætermiſſis nempe Rege *Ratchis*, & Duce *Godeſcalcho*, ſibi, ut ibidem cap. 5. & 8. alia manifeſtat occaſione, non ignotis. Reſtitui itaque *Caſſinenſis* Cœnobii, reſtitutoriſque *Petronacis* Epocha in annum referenda firmiter eſt 720. Cui *Leo* annos imputans 32. (ſcilicet rotundos) ut ejus ſcriptus Codex, & Editiones præ ſe ferunt *Veneta*, & *Pariſienſis*, perveniſſe illum ſubindicat ad Prid. Non. *Maji*, anno 751. qua die vita functum idem Auctor loco relato, ac M. S. *Caſſinenſe* Emortuale perhibent. Sed accipe verba Leonis: *Fuit*, inquit, *prædictus Abbas ſextus a B.* Benedicto (prædixerat cap. 2. quinque Abbates ad Monaſterii uſque devaſtationem regimen ejus tenuiſſe) *temporibus Imperatorum* Leonis, *&* Conſtantini, *&* Luitprandi *Regis* Langobardorum: Romanorum *vero Pontificum*, Gregorii, *&* Zachariæ, *&* Gregorii Beneventani *Ducis*, *atque* Giſulfi *junioris*. *Qui cum præfuiſſet huic Monaſterio annis XXXII. defunctus eſt Prid. Non.* Maji. Hactenus ille. Nec plures, pauciorefve annos eidem aſſignat Chronicon *Langobardorum*, ſeu Monachorum S. *Benedicti*, Indexque Abbatum *Caſſinenſium*, præfixus qui adeſt alteri ſcripto, ſed recentiori exemplari ſolius Chronici *Oſtienſis* in Bibliotheca *Caſſinenſis* Monaſterii adſervato, ſignatoque Num. 202. Indexque item alter eorundem Abbatum in antiquis membranis deſcriptum apud amicum, plurimæque patriæ antiquitatis peritum *Camillum Tutinum Neapolitanum*. Sed præſtat *Petronacis* annos cum annis *Chriſti*, & cum Indictionum cyclis comparatos in Tabula deſcribere, eandemque normam deinde in aliorum Abbatum periodis perpetuo obſervare, ut inita a me temporum ratio imperturbato ordine per annos quatuorcentum, & eo amplius ducenda, magis pateat. Tu attente omnia expende, ſique, tanti erit, meam diligentiam ama.

Petro-nax ab an. 720. ad ann. 751.

Petronax ſedit a Kal. *Januarii* ad Prid. Non. *Maji* per ſubſcriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Petr.*	An. *Ch.*	Ind.	*Petr.*	An. *Ch.*	Ind.	*Petr.*
720	3	1	731	14	12	742	10	23
721	4	2	732	15	13	743	11	24
722	5	3	733	1	14	744	12	25
723	6	4	734	2	15	745	13	26
724	7	5	735	3	16	746	14	27
725	8	6	736	4	17	747	15	28
726	9	7	737	5	18	748	1	29
727	10	8	738	6	19	749	2	30
728	11	9	739	7	20	750	3	31
729	12	10	740	8	21	751	4	32
730	13	11	741	9	22	A. 32. non exactus.		

OPTATUS.

Optatus ab ann. 750. ad 760.

HUic *Oſtienſis* lib. 1. cap. 9. ex fide ſcripti Codicis, & antiquiorum Editionum, itemque Index Abbatum in Codice 202. tribuit annos decem. Chronicon vero *Langob.* ſeu Monach. S. *Benedicti*, Indexque alter dat annos novem: nempe utrique numeris uſi rotundis; quoniam *Optatus* expleto anno ſuæ ſedis nono, decimum inchoaverat, qui electus fuerat menſe *Maji* anno 751. diemque obierat menſe *Junii* anno 760. ut ex ſubjecta conſtabit Tabula. Sunt verba Oſtienſis: Optatus *Abbas ſeptimo loco a B.* Benedicto *ordinatus*, *ſedit annis decem. Hic fuit temporibus prædicti* Conſtantini *Imp. &* Leonis *filii ejus*, *& præfati Ducis* Giſulfi, *&* Stephani 2. *Papæ* (hic aliis eſt tertius); *Quo videlicet tempore* Aiſtulfus Langobardorum *Rex*, *&* Ravennam *cepit*, *&* Romam *per tres menſes obſedit*; *qua de cauſa prædictus Pontifex* Franciam *ire compulſus eſt ad Excellentiſſimum Regem* Pipinum, & cætera, tum aliis, tum *Erchemperto* in Deſcriptione Poſtremorum quinque Regum *Langobardorum Italiæ* Num. 4. deſcripta. Sed obſervandum eſt, *Oſtienſem* parem feciſſe *Optatum Beneventano* Duci *Giſulfo* juniori, qui illum potius comparare debuiſſet, ſicut Auctor fecit Chronici *Langob.* ſeu Monachor. cum Duce *Luitprando*, *Giſulfi* ſucceſſore; verum ipſe veſtigiis inhærens *Pauli Diaconi*, nullum videtur admiſiſſe *Luitprandum* inter hunc *Giſulfum*, & *Arichim* ſecundum, ſicuti alibi expoſui; quod ſane demiror; namque etſi cætera de hoc omnia documenta eum fugiſſent, præfatum certe non latuit Chronicon, ut non uno doceor argumento: *Sed Abbas* Optatus (verba ſunt Oſtienſis ibidem) *completo ſui temporis curſu defunctus eſt Prid. Non.* Junii, ſcilicet in anno 760.

Optatus ab ann. 751. ad. an. 760.

Optatus ſedit a Prid. Non. *Maji* ad Prid. Non. *Jun.* per ſubſcriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Opt.*	An. *Ch.*	Ind.	*Opt.*	An. *Ch.*	Ind.	*Opt.*
751	4	1	755	8	5	759	12	9
752	5	2	756	9	6	760	13	10
753	6	3	757	10	7	Annus 10. non		
754	7	4	758	11	8	exactus.		

HERMERIS.

Hermeris in an. 760.

QUi *Oſtienſi* lib. 1. cap. 8. & Indici apud Codicem 202. hoc nomine appellatur, alteroque in Indice dicitur *Hermerius*, & *Ermerich* in Chron. *Langob.* ſeu Monach. *S. Benedicti*: eidemque ſolidum omnes imputant annum, cui dies, ut ſummum, adſcribendi erant quadraginta quatuor; nam in Abbatia ille vixit a Prid. Non. *Junii*, quo deceſſerat *Optatus*, ad 15. Kal. *Auguſti*, eodem anno 760. En verba Oſtienſis: Hermeris, inquit, *Abbas octavus*, *ſedit anno uno: temporibus ſupradicti* Conſtantini *Imp. &* Leonis *filii ejus*, *&* Stephani *Papæ* 2. *obiit autem* 15. *Kal.* Auguſti; iis autem omnibus unus impoſuit Auctor præfati Chronici *Langob.* ſeu Monach.; qui *Ermerich* parem fecit anno quarto Ducis, & Principis *Arichis* 2. (minus male comparaſſet cum tertio) nimiaque verborum parcitate, ac rotundis dumtaxat annorum numeris peſſimo conſilio inæqualia tempora compoſuit, unde etiam in ſequentibus nec ſimplex ejus error manavit.

GRATIANUS.

Gratianus ab an. 760. ad ann. 764.

CÆteris omnibus dictus eſt, qui in Chronico *Langob.* ſeu Monach. nominatur *Stephanus*; eique anni ibidem adſcribuntur abſolute quatuor: quot etiam imputant ambo Indices, nec non *Oſtienſis* in exemplari *Caſſinenſi*, & in Editionibus *Veneta*, & *Pariſienſi* lib. 1. cap. 10. ſed annis ſuperaddentes alios menſes quinque. Et quidem *Gratianum* quintum in Abbatia inchoaſſe annum, inficiari haud poteſt; quem defunctum 11. Kal. *Septembris*, idem tradit Auctor. Ad quam tamen diem a 15. Kal. *Auguſti*, quo *Hermeris* ejus anteceſſor obiit, niſi

ſi menſis unus, & dies quinque cum non dinumerentur, hinc intelligere eſt, apud Oſtienſem: unde natus aliis error, ex librarii feſtinatione numerum, qui erat dierum, redditum fuiſſe menſium, intermediis vocibus prætermiſſis. Ipſe vero æqualem faciens hunc Abbatem Regi *Langobardorum Aiſtulfo*, vita functo, omnium ſcriptorum conſenſu, in anno 756. memoria lapſus videtur; ait enim: Gratianus *Abbas a B.* Benedicto *novus*, *ſedit annis quatuor*, *menſibus quinque*; *temporibus Imperatorum*, *quos ſupradiximus*, *& prædicti* Aiſtulfi Langobardorum *Regis*: Arichis *quoque* Beneventani *Ducis*, *& Principis*. Sane *Arichis* inſtitutus Dux fuit a Rege *Langobardorum Deſiderio*, út ex Pontificis *Pauli* 1. epiſtola 4. declaratur; qui Regnum obtinuit ab antedicto anno 756. ad annum 774.

Gratianus ſedit a 15. Kal *Aug.* ad 11. Kal. *Septembris* per ſubſcriptos annos.

An.*Ch.*	Ind.	*Grat.*	An.*Ch.*	Ind.	*Grat.*	An.*Ch.*	Ind.	*Grat.*
760	13	1	762	15	3	764	2.	5
761	14	2	763	1	4	An. 5. inchoat.		

TOMICHIS.

Tomichis *ab ann.* 764. *ad ann.* 771.

ROtundos ſex annos huic dat Chronicon *Langob.* ſeu Monachor: ſuo ſcilicet more; quibus Oſtienſis lib. 1. cap. 10. exactiori calculo, ſummaque concordia omnium ejus Editionum, & ſcripti exemplaris, atque utriusque Indicis, addit menſes 5. & dies 21. Sunt ejus verba: Tomichis *decimus Abbas*, *ſedit annis ſex*, *menſibus quinque*, *diebus viginti uno*: *obiit* 8. *Kal.* Februarii. Hoc pacto vixit ille ad *Januarium* uſque, & annum 771.

Tomichis *ab ann.* 764. *ad ann.* 771.

Tomichis ſedit 11. Kal. *Septembris* ad 8. Kal. *Febr.* per ſubſcriptos annos.

An.*Ch.*	Ind.	*Tom.*	An.*Ch.*	Ind.	*Tom.*	An.*Ch.*	Ind.	*Tom.*
764	2	1	767	5	4	770	8	7
765	3	2	768	6	5	771	9	Continuat an. 7.
766	4	3	769	7	6			

POTO.

Poto *ab an.* 771. *ad ann.* 778.

HUic etiam rotunde annos ſeptem aſſignat Chron. *Lang.* ſeu Monach. Sed *Oſtienſis* ſubtiliori ratiocinio, ex fide ſcripti exemplaris, & antiquiorum Editionum, quibus concordat uterque Index, imputat ſupra annos ſeptem, menſes quinque; defunctumque perhibet 3. Kal. *Julii* (quarto habent editiones antedictæ) anno videlicet 778.

Poto ſedit ab 8. Kal. *Febr.* ad 3. Kal. *Julii* per ſubſcriptos annos

An.*Ch.*	Ind.	*Pot.*	An.*Ch.*	Ind.	*Pot.*	An.*Ch.*	Ind.	*Pot.*
771	9	1	774	12	4	777	15	7
772	10	2	775	13	5	778	1	8
773	11	3	776	14	6	An. 8 non exactus.		

THEODEMAR.

Theodemar *ab an.* 778. *ad ann.* 797.

ABbatiam adminiſtravit ſolidis annis 19. conſentientibus omnibus præfatis Chronologis; quibus inſuper accedit Chronicon S. Vincentii ad Fontes *Volturni* lib. 1. his verbis: *Theodemar*, inquit, *decem*, *& novem annis peractis*, Giſulfus *præficitur Abbas*. Index tamen apud amicum virum *Camillum Tutinum* minutius tempora ſupputans, ei dat *annos XIX.* (certe reſtituendum *XVIII.*) *menſesXI.* cujus quidem computus eſt tenendus; nam electus *Theodemar* fuit extrema die *Junii*, anno 778. obiit vero Nonis ejuſdem menſis, ut perhibet Oſtienſis lib. 1. c. 15. & in anno 797. Ejus ævum cap. 11. his verbis rite deſcribit: Theodemar, inquit, *undecimo loco a B.* Benedicto *Abbatiam ſortitus*, *ſedit annis decem*, *& novem. Fuit autem temporibus Imperatoris* Leonis, *qui &* Zacharis (dictus etiam Iſauricus, Conon, *& Iconomachus*) *&* Conſtantini, *&* Hirenæ *matris ejus*, *atque* Hadriani *Papæ*: *Principum autem* Beneventanorum, Arichis, *&* Grimoaldi *filii ejus*. Hoc præſidente Abbate, *Carolus Magnus* apud *Capuam* cum præfato *Beneventi* Principe *Arichi* fœdere concordatus eſt; *Romam*que inde *revertens* (verba ſunt ejuſdem Oſtienſis cap. 12. prædicti lib. 1.) *cauſa orationis ad B. Patrem* Benedictum *aſcendit*: hoc eſt ad Monaſterium *Caſſinenſe*. *Tuncque* (pergit idem Auctor) *ab hoc primum Rege præfatus Abbas Præceptum confirmationis de tota hac Terra recepit*. Eadem etiam repetuntur in ſuperius laudato Chronico S. Vincentii loco prædicto, hac ſententia: Carolus Magnus *inito fœdere cum Principe* Arichi *apud* Capuam, *redienſque* Romam, *adiit* Caſſinum, *ubi plurima dona largitus*, *etiam quæ poſſidebant confirmavit*. Utrobique autem nullus rei geſtæ denotatur annus. Sed *Carolum Italicam* expeditionem adverſus *Arichim*, ſive dicas, *Aragiſum*, qui idem, ſuſcepiſſe in anno 786. *Chriſti*que Natalibus *Florentiæ* celebratis, *Romam* cito curſu petiiſſe, indeque nulla poſita mora digreſſum, nempe in novo anno 787. *Capuam* proceſſiſſe, initoque fœdere cum præfato Principe, atque exportato ejus filio *Grimoaldo*, *Romam* receſſiſſe, ibique Paſcha Domini celebraſſe, diſerte in Annalibus antiqui Poëtæ *Saxonici* de Geſtis *Caroli Magni*, metrice deſcriptis, lib. 2. proditum eſt. In quam ſententiam capiendus quoque eſt Petrus Bibliothecarius in abbreviata Hiſtoria *Francorum*, ab anno ducta 715. ad annum 898. perhibens expugnatam a *Carolo Beneventum* in anno 786. *victo*, inquit (reſtituo, *ducto*, ſive, *abducto*) Grimualdo *filio* Aragiſi. Nec ab his aliena tradidere Auctores a me laudati ad Primam Partem Anonymi *Salernitani*; & præcipue Auctor Annalium *Francorum*, quos *Pithœus* edidit; cum ad annum jam dictum poſt conſignatam Solis Eclipſim, factam 15. Kal. *Octobris* (an rite eam notaverit, Aſtronomi judicabunt) mox ſubdit, *Carolum* ingreſſum *Beneventum*, hoc eſt in Provinciam *Beneventanam*, ſimulque *Capuam* veniſſe. Iſtaque ſcrupuloſius noto, ne inobſervatum prætercam ejuſdem Regis, qui diu poſt in Imperatorem a Pontifice *Leone* 3. fuit coronatus, Diploma, ſive dicas Præceptum de confirmatione cujuſdam conceſſionis factæ Monaſterio *Caſſinenſi a* Spoletano Duce *Hildebrando*, exaratum in libro Privilegiorum ejuſdem Monaſterii pag. 60. a tergo, ſeu dicas in Regiſtro elaborato a Petro Diacono, ut ipſe de ſe teſtatur lib. 4. cap. 66. Auctarii ad Chronicon *Oſtienſis*; quod datum aſſeritur 8. *Kal.* Majas *anno* 10. (*an* 20.?) *&* 14. *Regni* Caroli Francorum, *&* Langobardorum *Regis*, *&* Romanorum *Patritii*. *Indictione* 11. *in civitate* Capua. cum hujuſmodi ſubſcriptione Regis: Carolus *gratia Dei Imperator Auguſtus*. Quæ temporum deſignatio anno *Chriſti* competit 788. nomenque *Imperatoris Auguſti* in multo poſteriores referendum eſt annos. *Carolus* vero, ut ex Diplomate conſtat relato in Chronico *S. Vincentii* ad fontes *Volturni* lib. 1. *Capuæ* aderat 9. Kal. *Aprilis* anno 19. & 14. Regni ſui, *Francorum* ſcilicet, & *Langobardorum*, qui fuit *Chriſti* 787. quo anno Paſcha incidit in 6. Idus *Aprilis*; nec iterum in anno ſequenti ad hæc loca illum ſe contuliſſe, tacentibus cæteris omnibus antiquis, facile credam. Pro Diplomate ſtare tamen videtur Auctor Chronici

Theodemar *ab ann.* 778. *ad ann.* 797.

Theodemar *ab an.* 778. *ad ann.* 797.

nici *Langob.* ſeu Monachorum *S. Benedicti*, perhibens adveniſſe: Carolum *ad Monaſterium Indictione XI.* quæ Ind. cum anno congruit 788. Veruntamen quoniam ab eodem Auctore adventus ille cum poſtremo anno comparatur Principis *Arichis*, qui certe ipſe fuit *Chriſti* annus 787. ut alibi erit exponendum; itemque cum anno componitur nono hujus Abbatis *Theodemaris*, quem 3. Kal. *Julii* anno prædicto finitum conſtat, facile hinc inferri poteſt, Indictionem eo in Chronico male fuiſſe conſignatam, quæ deſcribenda fuerat. *X.* Ex quo errore antiquus alter *Caſſinenſis* Monachus ſeductus, majoremque fidem adhibens depravatæ Indictioni, quam ibi conſignato anno Principatus *Arichis* & Abbatiæ *Theodemaris*, *Caroli* præſcriptum adventum in primum annum retulit Principatus *Grimoaldi*, filii præfati *Arichis*, qui plane fuit *Chriſti* 788. ſed quam abſurde, non eſt hujus loci aperire. Notula autem ejuſce Ignoti Monachi in Codice 353. ſic habet: *Primo anno Principatus* Grimoaldi, *qui poſt* Arichis *Principem extitit Princeps*, *venit* Carolus *Rex* Beneventum. Verum tempore, quo *Theodemar Caſſinenſi* præſidebat Monaſterio, *pulchro ſatis opere* (verba ſunt Oſtienſis lib. 1. cap 15.) *conſtructa eſt Eccleſia S.* Vincentii, *quæ appellatur major*, *juxta ortum* Volturni *fluminis*, *a* Joſue *Abbate ejuſdem loci.* Quod tamen opus *Joannes* Diac. in Chronico ejuſdem Monaſterii initio Libri 1. ab *Joſue* quidem excitatum perhibet ſed tunc minime ſuperſtite Abbate *Theodemari*, cujus obitum, electionemque ſucceſſoris Abbatis *Giſulfi* ad finem antecedentis libri expoſuerat, qui ſane Prochroniſmus niſi ad ipſius Chronici conſuetum in annis denotandis errorem, frequenterque ibi perturbatum rerum ordinem non ſit adſcribendus, utique in *Oſtienſis*, ſive in ejus librarii, & cenſoris imperitiam, quod magis ſedet, erit referendus, qui hæc reddiderit loco non ſuo. Cæterum hanc ipſam *S. Vincentii* majorem Eccleſiam conſtructam fuiſſe ſuper triginta marmoreas columnas e *Capua* exportatas, nempe ex antiqua nondum in ultimos cineres verſa, nec alio traducta, idem prodit Joannes ibidem his verbis: *Pater* Joſue, inquit, *ſimul cum univerſis Fratribus ſupplices ſe exhibentes* Ludovico *Imperatori*, *eum obnixe depoſcunt*, *ut illis concederet Templum antiquiſſimum in territorio* Capuano, *quod maximis columnis*, *& diverſis lapidibus ab antiquis fuerat inſtitutum in loco ubi Sedes Imperatoris* (forte, quod in ea regione *Carolus Magnus* in anno 787. conſediſſet, de quo ſupra, & nonnihil ad Primam Partem Anonymi *Salernitani* Num. 2. adnotavi ad oram) *vel Cryptæ dicebantur*, &c. Dedicatam quoque illam addit *Joannes* a *Romano* Pontifice *Paſchali*, præſente *Ludovico* metipſo, ejuſque uxore, haud multo ante conventum ab eodem Imperatore actum *Aquiſgrani*; in quo, plurimis totius *Franciæ* Abbatibus, & Monachis convenientibus, ſeptuagintaduo capitula ſancita fuere *Benedictini* ordinis obſervationi valde proficua. De qua temporum convenientia ipſe viderit *Joannes*: de numero vero Columnarum plures eas, ac quinquaginta fuiſſe; deſumptasque e Templo *Jovis*, pridem in ejuſdem Chronici antiquiſſimo exemplari legit *Campanus* Archiepiſcopus *Cæſar Coſta Maceratenſis*, teſtatuſque eſt in Notulis in muro Aulæ Archiepiſcopalis Palatii una cum invento a ſe veteris urbis ſitu depictis *in an.* Chriſti 1595. *ſuæ ætat.* 65. *Pontif.* 23. hoc quoque beneficio, poſt multa, ac præclara alia, univerſis civibus, & præcipue antiquitatis ſtudioſis, gratificatus.

Theodemar ab an. 777. ad ann. 797.

Theod. ſed. a 3. K. *Julii* ad Non. *Junii* per ſubſcriptos ann.

Theodemar

An. *Ch.*	Ind.	*Theod.*	An. *Ch.*	Ind.	*Th.*	An. *Ch.*	Ind.	*Th.*
778	1	1	785	8	8	792	15	15
779	2	2	786	9	9	793	1	16
780	3	3	787	10	10	794	2	17
781	4	4	788	11	11	795	3	18
782	5	5	789	12	12	796	4	19
783	6	6	790	13	13	797	5	Continuat an. cavus 19
784	7	7	791	14	14			

ab ann. 778 ad an. 797.

GISVLFVS.

NEmine ex antiquis diſcrepante, ſedit annos 21. ſed cenſendos non integros: ſiquidem electus fuit menſe *Junii* (certe non ante) deceſſit autem 9. Kal. *Januarii*, ut *Oſtienſis* tradit lib. 1. cap. 17. ex fide *Neapolitanæ* Editionis, & ſcripti Codicis: qua etiam die ejus obitus in antiquo *Caſſinenſi* Emortuali adnotatur. De anno tamen electionis haud eidem ſtandum eſt Editioni, ſed *Venetæ*, & *Pariſienſi*: quæ conveniunt cum ſcripto exemplari, in quo hæc leguntur: Giſulfus *Abbas tertiusdecimus a B.* Benedicto, *ordinatus tempore* Hadriani 1. *anno Domini ſeptingenteſimo nonageſimo ſeptimo*, *præfuit annis* 21. Ipſe autem *Oſtienſis* eo loci memoria, ut puto, lapſus, æqualem *Giſulfo* fecit *Hadrianum* pro *Leone* 3. & cap. ſeqq. utrumque Pontificem cum *Giſulfo* comparavit, illum ſediſſe perhibens *tempore* Beneventanorum *Principum*, *præfati* Grimoaldi, *filii* Arichis; *& alterius* Grimoaldi, *cognomine* Theſaurarii (idem dictus eſt. *Storeſaiz*) Romanorum *autem Pontificum* Hadriani, *&* Leonis 3. *Imperatorum vero ſupradictorum* Conſtantini, *&* Hirenæ. Omnia recte, ſi unum expunxiſſet *Hadrianum*. *Ultimo autem hujus Abbatis anno* (verba ſunt Oſtienſis) anno videlicet *Chriſti* 817. Ludovicus *Imperator*, *qui cognominatus eſt* Almus, *vel* Sanctus, *filius* Caroli Magni, *quarto anno Imperii ſui* (hic idem eſt *Chriſti* prænotatus annus 817. *in* Aquisgrani *Palatio cum plurimis totius* Franciæ *Abbatibus*, *Monachisque religioſis Conventum faciens*, *valde utiliſſima noſtri ordinis obſervationi ſeptuaginta*, *& duo generalia Capitula conſtituit.* Hunc Conventum ad *Chriſti* annum jam dictum, & diem 6. Id. *Julii* cæteri Chronologi omnes cum referant, ambigendum ſane non eſt, ab *Oſtienſi* ad extremum annum Abbatis *Giſulfi*, ut repræſentavi, relatum recto ordine fuiſſe: minime vero ad noviſſimum annum Abbatis *Theodemaris*, ſicuti luxatus textus editionis *Venetæ*, & *Pariſienſis* præ ſe fert: nec ad quartum annum Abbatis *Apollinaris*, ut editio habet *Neapolitana*, ſui ſcilicet perpetui fere erroris in annis denotandis funem ducens; quem tamen Conventum in Notula ibi deſcripta ad oram libri, recte, quo ad hoc, componit cum demonſtrato jam anno 817.

Giſulfus ab ann. 797. ad an. 817.

Giſulfus ſedit a Non. *Junii* ad 9. Kal. *Januarii* per ſubſcriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Giſ.*	An. *Ch.*	Ind.	*Giſ.*	An. *Ch.*	Ind.	*Giſ.*
797	5	1	804	12	8	811	4	15
798	6	2	805	13	9	812	5	16
799	7	3	806	14	10	813	6	17
800	8	4	807	15	11	814	7	18
801	9	5	808	1	12	815	8	19
802	10	6	809	2	13	816	9	20
803	11	7	810	3	14	817	10	21

APOLLINARIS.

HIc, ut in antiquis omnibus monumentis (una Oſtienſis *Neapolitana* editione excepta, quæ ei imputat annos 17. & a ſincera ſcri-

Apollinaris ab an. 817.

ad an. 828. pti exemplaris lectione fœdius diſcrepans, profert) *in anno Domini creat. m octingenteſimo decimotertio* (præfuit annis undecim; ſunt verba Oſtienſis) Apollinaris *Abbas quartodecimo loco, in Abbatiam prælatus ſedit annis undecim: fuit autem temporibus* Romanorum *Pontificum* Paſchalis, & Eugenii, & Siconis, *qui eodem anno* Beneventi *Princeps effectus eſt.* Hæc ille; qui æquiparavit Epocham *Apollinaris* Epochæ Principis *Siconis*, Chronicon ſecutus *Langob.* ſeu Monachor. S. *Benedicti*: quod ſane tenendum eſſe, chartula demonſtrat in Regiſtro Petri Diac. deſcripta pag. 185. quæ data habetur *Principatus* Siconis *anno primo*, *menſe* Novembrio, *Indictione undecima*, hoc eſt *Chriſti* anno 817. quo *Apollinaris Giſulfo* fuit ſubſtitutus. Verumtamen ex ea dicendum cum ſit, ſublimationem *Siconis* electionem præceſſiſſe *Apollinaris*, quæ poſt diem 9. Kal. *Januarii*, & exeunte ipſo anno 817. acta eſt, quid adverſus alteram Chartulam opponam, non habeo, in eodem Regiſtro exaratam pag. 109. a tergo: atque tempore datam Principis *Grimoaldi*, ejuſdemque Abbatis *Apollinaris*; nulla tamen adnotata nec die, nec Indictione, nec anno Principis; quæ de donatione eſt *Caſſinenſi* Monaſterio facta *a quodam* Dachenaldo, Capuano *genere*, *de ſua ſubſtantia in loco* Canneto, & *per alia diverſa loca Comitatu* Cajazzano: niſi dixerim, Notarium ex ſupina oſcitantia nomen Principis haud multo ante demortui, pluriumque annorum ſpatio obſervatum, loco nominis novi Principis ex conſuetudine ibi deſcripſiſſe; quo etiam errore, parique negligentia ni alias antiquas Chartulas crediderimus exaratas, & in iis exactos jam annos Principum, & Indictiones fuiſſe negligentiſſime repetitas, nullam plane poterimus conſtantem ducere temporum, quæ ex Chartulis formetur, ſupputationem. Nec priſcos Tabelliones tantam alere valuiſſe incuriam, negabunt, quibus ipſorum, non dicam ruditas morum, & imperitia linguæ *Latinæ* (etſi munus illud excultioribus viris, & etiam Clericis demandari conſuevit) ſed craſſa, & incauta ſimplicitas eſt bene cognita. *Oſtienſis* autem præfatæ Chartulæ inconvenientiam cum non advertiſſet, donationem *Dachenaldi* ad tempora retulit Abbatis *Apollinaris*, cujus nomen minime ibi ſuppoſitum libet credere, ſed nomen Principis; quoniam, ut ex hactenus ducta Chronologia conſtat Abbatiam ipſe ſuſcepit exeunte anno 817. annumque ſuæ ſedis agebat tertium, quando *Saraceni*, (eodem perhibente Oſtienſi lib. I. c. 23. ex fide ſcripti Codicis, & editionis *Venetæ*, & *Pariſienſis*) *a* Babilonia, & Africa *venientes*, Siciliam *ingreſſi ſunt*, & Panhormum *ceperunt anno Incarnationis Dominicæ octingenteſimo vigeſimo.* Nec te *Neapolitana* ſeducat editio, quæ id accidiſſe in anno ſeptimo *Apollinaris*, eundem Abbatem obiiſſe profert 5. *Kal.* Decembris, *anno Domini* 828. nullus cum deſcriptus habeatur in præfato exemplari, nec in laudatis antiquioribus editionibus *Chriſti* annus, ſed dies tantummodo ejus obitus, jam dictus.

Apollinaris ab an. 817. ad ann. 828. (margin, beside "ne undecima … pollinaris Giſulfo … ex ea … electionem")

Apollinaris ſedit a 9. Kal. *Januar.* ad 5. Kal. *Decemb.* per ſubſcriptos annos.

Apollinaris *ab an.* 817. *ad ann.* 828.

An.*Ch.*	Ind.	*Apoll.*	An.*Ch.*	Ind.	*Apoll.*	An.*Ch.*	Ind.	*Apoll.*
817	10	1	821	14	5	825	3	9
818	11	2	822	15	6	826	4	10
819	12	3	823	1	7	827	5	11
820	13	4	824	2	8	828	6 contin. 11.	

DEUSDEDIT.

Deuſdedit *ab an.* 828. QUintusdecimus *Abbas*, *præfuit annis ſex.* Oſtienſis *lib.* 1. cap. 21. ſumma concordia

A editionum omnium, & ſcripti exemplaris; cui antiqua etiam alia monumenta favent. Hunc idem Auctor cauſa pecuniæ a *Beneventi* Principe *Sicardo* (hic paulo ante patri *Siconi* ſucceſſerat) captum, & cuſtodiæ mancipatum tradit, *Erchemperto* inhærens Num. 13. Cujus obitum in diem referens ſeptimum Idus *Octobris*, ſediſſe demonſtrat incompletis annis ſex, numerandis, ut citius, a 5. Kal. *Decembris*. *ad an.* 834.

Deusdedit ſedit a 5. Kal. *Decembris* ad 7. Id. *Octobris* per ſubſcriptos annos.

An.*Ch.*	Ind.	*Deuſd.*	An.*Ch.*	Ind.	*Deuſd.*	An.*Ch.*	Ind.	*Deuſd.*
828	6	1	831	9	4	834	12 continuat annus 6	
B 829	7	2	832	10	5			
830	8	3	833	11	6			

HILDERICUS.

VEl eodem menſe, quo electus, vel ſequenti obiit hic Abbas, cum ſediſſet diebus decem & ſeptem; nam *Oſtienſis* in exemplari *Caſſinenſi*, & in antiquioribus editionibus nec diem ejus obitus, nec annum, ſed prædictum tantummodo adminiſtratæ Abbatiæ ſpatium adnotavit; cui Index concordat in Codice 202. necnon al- Hildericus *in an.* 834.
C ter; qui tamen depravate non dies, ſed annos notat 17. Adeo autem brevem præfecturam omittendam cenſuit Auctor Chronici *Langob.* ſeu Monach. S. *Benedicti*, nomenque ſimul ejuſdem Abbatis præteriit, qui *Novembrem* utique non exceſſit. Hildericus *in an.* 834.

AUTHPERTUS.

ORdine *ſeptimusdecimus Abbas*, *ſedit annis tribus.* Sic Oſtienſis lib. 1. cap. 22. nulla editionum omnium, nec aliorum Auctorum diſcrepantia. *Neapolitana* tamen de ſuo addit, Authpertus *ab an.* 834. *ad ann.* 837.
D electum in anno 834, quod tamen verum: *Obiit* 10. *Kal.* Martii, ut idem Oſtienſis perhibet, atque in anno 837. cum ſediſſet quidem annis tribus, ſed non integris.

Authpertus ſedit a menſe *Novembri* ad 10. Kal. *Martii* per ſubſcriptos annos.

An.*Ch.*	Ind.	*Auth.*	An. *Ch.*	Ind.	*Auth.*
834	12	1	836	14	3
835	13	2	837	15 continuat an. 3.	

BASSACIUS.

E QUem ducta hactenus Chronologia, omneſque *Oſtienſis* editiones, nec non *Caſſinenſe* exemplar in annum conjiciunt 837. ſumma etiam monumentorum omnium concordia præſedit annis 19. (rotundo ſcilicet numero; nam aliis inſuper ſedit diebus 25.) teſtimonio etiam accedente Ignoti *Caſſinenſis* Num. 19. ex quo corrigas oportet in Chronico S. *Vincentii* ad fontes *Volturni* lib. 2. *Baſſacii* ſedem fuiſſe annorum XVIII. Oſtienſis ſunt verba l. 1. c. 23. Baſſacius *Abbas a B.* Benedicto *octavusdecimus*, *ordinatus anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo trigeſimo ſeptimo*, *ſedit annis decem & novem.* Baſſacius *ab an.* 837. *ad an.* 856.
F Idemque Auctor ſtatim. *Hujus tertio ordinationis anno*, *ſuperſtite adhuc præfato Principe* Sicardo (obiit *Sicardus* in anno 839. nec audiendus *Sigebertus* hæc geſta in annum referens 832.) *corpus B. Apoſtoli* Bartholomæi *de Lyparitana Inſula* Beneventum *tranſlatum eſt.* Et iterum infra. *Fuit autem hic Abbas temporibus* Romanorum *Pontificum* Sergii 2., Leonis 4. Benedicti 3., & Nicolai 1. *Principum vero* Radelchis, & Siconulfi;

Bassacius ab an. 837. ad ann. 856.

ſi; *ſub quibus Principatus* Beneventanus Capuanorum *factione diviſus eſt*. Omnia perite: ſed unum *Gregorii* 4. nomen, *Sergio* 2. præponendum, Oſtienſi eſt omiſſum; qui cap. 25. ſic pergit: *Septimo autem prædicti Abbatis anno* (ſcilicet anno decurrente 843. poſt *Februarium*) *præfatus* Siconolfus *ad B.* Benedicti *Monaſterium veniens*, *ſub præſtationis nomine*, Hiſpanis *tribuendum* Agarenis, *univerſum fere theſaurum*, *quem plures ſeu Reges*, *ſeu Principes religioſi ibidem contulerant*, *abſtulit*. Baronius in annum hæc retulit 844. pro ſe hunc eundem *Oſtienſis* locum laudans ad finem anni 843. *Decimo autem hujus Abbatis anno* (verba ſunt Oſtienſis lib. 1. cap. 26.) Sergio *Papa* 2. *in ſede Apoſtolica præſidente*; *a quo* Ludovicus *Imperator eſt coronatus ingens* Saracenorum *multitudo ab* Africa, *claſſe* Romam *devecta*, *Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum* Petri *&* Pauli *ex integro deprædati ſunt*: hoc eſt in anno 846. in quem etiam impia iſta facinora conferunt Annales *Francorum* editi a *Pithoeo*, Ignoto ſimul *Caſſinenſi* deſcripta Num. 9. ſed nulla addita anni nota. *Prædictus vero Abbas*, inquit idem Oſtienſis lib. 1. cap. 31. *defunctus eſt* 16. *Kal.* Aprilis: nempe anno 856.

Baſſacius ſedit ab 10. Kal. *Martii* ad 16. Kal. *Aprilis* per ſubſcriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Baſſ.*	An. *Ch.*	*Ind.*	*Baſſ.*	An. *Ch.*	Ind.	*Baſſ.*
837	15	1	844	7	8	851	14	15
838	1	2	845	8	9	852	15	16
839	2	3	846	9	10	853	1	17
840	3	4	847	10	11	854	2	18
841	4	5	848	11	12	855	3	19
842	5	6	849	12	13	856	4	con-
843	6	7	850	13	14	tinuat an. 19.		

BERTHARIUS.

Berthadius ab an. 856. ad ann. 883.

SAcerdos *Baſſacio* ſucceſſit, cujus fuerat diſcipulus; ut Ignotus *Caſſinenſis* tradit Num. 19. nec poſt multos ab Magiſtri obitu dies; namque ſupra annos 27. menſibus ſedit 7. a *Saracenis* cæſus 11 Kal. *Novembris*, qui Monaſterium tunc quoque devaſtarunt; quocirca electum dicendum eſt 12. Kal. *Aprilis*, cæſum vero in anno 883. menſe antedicto. Nec de ejus ſedis ſpatio variant Indices Abbatum ab *Oſtienſi*, vel ab *Oſtienſis* editionibus ſcriptum exemplar, ad cujus annum 19. ſubſtitit Chronicon *Langob.* ſeu Monachorum S. *Benedicti*. Verum idem *Oſtienſis* rem turbare, omnemque a ſe hactenus traditam Chronologiam, niſi apte explicetur, videtur ſubvertere; libro enim 1. cap. 43. mutuo conſenſu omnium Codicum, *Berthari* necem in annum 884. apertis refert verbis; hoc excepto, quod *Veneta*, & *Pariſienſis* editiones exactos notant a Petronace *uſque in illud tempus* (obitus nempe *Berthari*) *annos* 166. nam ejuſmodi annorum collectio minime legitur in calamo exarato exemplari, nec in noviſſima editione *Neapolitana*: quot ſane anni a primo anno *Petronacis*, qui fuit *Chriſti* 720. non ad antedictum 884. ſed ad annum 885. dinumerantur. Eadem vero annorum ſumma deſcripta olim quoque fuit in quodam membranaceo antiquo Codice Monaſterii S. *Mariæ* Monialium *Campanæ* urbis, ſubductaque adſeritur *juxta computum Abbatum*. Hæc nihilominus facile removebimus impedimenta, ſi *Berthari* mortem relatam fuiſſe obſervabimus in annum 884. dinumeratoſque annos 166. ab *Petronacis* Æra ad ejus obitum, haud ex alia rei geſtæ majori ſcientia, quam ex prædicto calculo, ducto per annos Abbatum, atque juxta ordinem in Chronico *Langob.* ſeu Monachorum

A S. *Benedicti* obſervatum; in quo a primo anno *Petronacis* ad annum decimumnonum *Berthari* ſupputantur anni, certe cavi, pro ſolidis, 157. quibus ſi addantur alii anni novem, nam *Bertharius* ad annum ſuæ ſedis 28. non exactum pervenit, prædictam habebimus ſummam annorum 166. ſicut ex ducta hactenus Chronologia, & ex Abbatum intervallis rite digeſtis apparet. *Berthari* vero cædes ad improbæ præfatæ ſummæ normam in annum referenda cum fuiſſet 885. relata nihilominus apud *Oſtienſem* videtur in annum 884. quoniam annus Abbatiæ *Hermeris*, qui non ſolidus, ſed paucorum fuit dierum, di-
B ligentiori ratiocinio detractus ex ea eſt, iſtaque ſumma reputata annorum 165. qui, ut dixi, computandi fuerant 164. illaque clades in annum rejicienda 883. A qua nec ipſe abhorret ſententia *Oſtienſis* in Procemio lib. 1. & lib. 2. cap. 1. annos dinumerans 67. ab hac Monaſterii everſione ad Abbatem *Aligernum*, quem electum conſtat 8. Kal. *Novembris*: nempe anno 949. ut ibi dicam; a quo retrocedendo ad annum 883. numerantur ſane jam dicti anni 67. ipſo ſcilicet anno patratæ cladis in eadem ſumma collecto. Hanc autem, quam dico, germanam fuiſſe O-
C ſtienſis mentem, hinc etiam liquet, quod ipſe peremptum a *Saracenis Bertharium* dicat 11. *Kal.* Novembris, *Indictione ſecunda*, quæ Indictio ab antecedente menſe *Septembris* numerari cœpta, annum 883. adeo certo argumento demonſtrat, ut nullus jam de hoc dubitandi reſtet locus; ſitque firmiter tenendum, annum ibi 884. ab recentiori aliquo, munus cenſoris non ſemel ſibi uſurpatum obeunte, fuiſſe ſuppoſitum; qui a præfata collectione annorum 166. a ſe ad annos redacta 165. fuerat male perſuaſus. Qua etiam cenſura olim quoque recognitam non du-
D bito Hiſtoriam *Erchemperti* in omnium antiquiſſimo *Vaticano* Codice Num. mihi 61. quo loco idipſum de monaſterio S. *Benedicti* a *Saracenis* devaſtato in anno 884. perhibetur: tale namque *Erchemperti* exemplar minime Auctoris eſſe Autographum in Hiſtoria expoſitum eſt Principum *Langobardorum* col. 104. ſeq. rem autem, ut opportuna hac occaſione magis confirmem, ex verbis demonſtro ejuſdem Erchemperti Num. 27. *Non multum poſt*, inquit, Lando *dira Paralyſi percutitur*: &c. quæ *Vaticanus*, & ex illo cæ-
E teri Codices omnes, non hac forma, quam *Latini* ſermonis lex dictat, ſed legunt *poſt Landonem*, ex errore utique hinc nato, quod quiſquis ille cenſor τὸ *poſt*, putaverit ad *Landonis* mortem ſpectare, non autem ad mortem *Landenulfi* enarratam numero præcedenti: locum vide, & expende. Cæſo itaque a *Saracenis Berthario*, atque direpto, ſuccenſoque Monaſterio, ut Oſtienſis verba uſurpem loco jam relato, 11. *Kal.* Novembris, *Indictione ſecunda*, *Monachi quidquid ſupellectilis*, *vel theſauri*, *ſeu & muniminum* (Privilegiorum ſcilicet, & Chartularum) *Mo-
F naſterii ſurripere potuerunt*, *aſſumentes*, *una cum Donno* Angelario *tunc temporis eorum Præpoſito* Teanum *habitaturi proficiſcuntur*: *eundemque* Angelarium *ſibi conſtituunt Abbatem in Cella* (Monaſteriola, quæ proprios, ac peculiares Abbates non habebant, ſed juris erant alterius Monaſterii, vel etiam prædia cum adjunctis Eccleſiis, hoc nomine demonſtrabantur) *quæ ad Patris* Benedicti *honorem dudum ibi conſtructa fuerat*, *manere cœpere*. Hæc ille. Latere autem Lectorem non debet, in Chronico S. *Vincentii* ad fontes *Volturni* lib 3. *Berthari* obitum referri ad ann. 882. & ad Indictionem 15. *reſidente in ſede Apoſtolica* Joanne: *apud* Conſtantinopolim *imperante* Baſilio; Italiæ *vero* Hludovico *filio* Lotharii. quæ

Bertharius ab an. 856. ad ann. 883.

quæ temporum comparatio, reique gestæ consignatio est prorsus respuenda. nam mense *Octobri*, quo *Bertharium* cæsum non ambigitur, annoque jam descripto, haud Indictio 15. sed censebatur. Imò nec tunc *Ludovicus* in vivis agebat: talisque plane assertio nec alium habet inter antiquos ullum Auctorem. Eodem autem in Chronico pari etiam negligentia asseritur, *Cassinense* tunc simul Monasterium devastatum, peremptumque *Bertharium*, *ac Monachorum præfati Monasterii S.* Vincentii *cædem factam a* Saracenis *die* 10. *mensis* Octobris, *Feria* 3. *ab ædificatione ipsius Monasterii anno* 165. (in *Petronace* monui primitus constructum fuisse hoc monasterium in anno 705.) Qui characteres anno competunt 870. minime vero consignato ibi anno 882. nec 883. nec 884. In quo sane anno 870. *Basilius* Orientale, *Ludovicus* 2. *Lotharii* filius, Occidentale obtinebant Imperium: *Hadrianus* autem, non *Joannes Petri* Cathedram tenebat, qui *Hadriano* suffectus est in anno 872. Et quidem de anno eversi Monasterii S. *Vincentii* video antiquos parum aperte, non concorditer loquutos; nam *Ostiensis* lib. 1. cap. 34. Ignoto *Cassinensi* Num. 30. inhærens, devastatum illud tradit a *Saracenorum* Rege *Seodamo*; nempe ante novissimum in hanc *Cis-Tyberinam Italiam* præfati Imp. *Ludovici* adventum, & annum 766. *Erchempertus* autem Num. 44. id adscripsit *Saracenis*, qui ab *Athanasio* Episcopo *Neapolis exulato fratre proprio*, *Duce* Sergio, acciti fuere, hoc est non ante annum 879. ni magis placeat, *Erchempertum* universa illa immania facinora a *Saracenis* vel recentius, vel antiquius patrata in unum sermonem contulisse; quod facile cum admittam, *Ostiensis* tamen pronunciatum cum S. *Vincentii* Chronico manifeste etiam pugnat. Sed de his satis.

Bertharius sedit ab 16. Kal. *Aprilis* ad 11. Kal. *Novembris* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Berth.*	An. *Ch.*	Ind.	*Berth.*	An. *Ch.*	Ind.	*Berth.*
856	4	1	866	14	11	876	9	21
857	5	2	867	15	12	877	10	22
858	6	3	868	1	13	878	11	23
859	7	4	869	2	14	879	12	24
860	8	5	870	3	15	880	13	25
861	9	6	871	4	16	881	14	26
862	10	7	872	5	17	882	15	27
863	11	8	873	6	18	883	1	28
864	12	9	874	7	19	Annus 28. non		
865	13	10	875	8	20	exactus, inchoata Ind. 2.		

A N G E L A R I U S.

Angelarius ab an. 883. *ad ann.* 889.

ABbas a B. Benedicto *vicesimus*, *sedit annis sex.* Ostiensis lib 1. cap. 45. omnium ejus Codicum, & utriusque Indicis consensu. De hoc Abbate idem Ostiensis paulo post: *Fuit*, inquit *temporibus* Ajonis *Principis* Beneventani, *&* Stephani 5. *Papæ*, *& successoris ejus* Formosi. sic quidem, non autem, *prædecessoris*, ut habent priores editiones ab scripto exemplari variantes. Et plane *Angelarius* ad *Formosi* minimè pervenit sedem: æqualis cum fuerit Principi *Beneventano Ajoni*, & *Stephano* 5. ejusque etiam antecessori *Hadriano* 3. Principisque *Radelchis* 2. qni in anno ejectus est 884. extremum tantummodo attigerit annum. *Post biennium autem* (nempe, inchoato tertio anno ab everso monasterio, & a suscepta ab *Angelario* Abbatia: hoc est in anno 886. ut *Erchempertus* quoque perhibet Num. 61.) *hic Abbas cœpit paulatim restaurare Monasterium Domini* Salvatoris, *quod a* Sara-

A cenis *incensum superius diximus.* Hæc *Ostiensis* loco ante relato; sed plane oblitusquæ dixerat lib. 1. cap. 43. *Domini* Salvatoris *Ecclesiam diversis in locis igne submisso exurere* Saracenos *molitos*, *Dei judicio*, *id perficere nequivisse eamque solum de tanto Monasterio eorum flammis fuisse ereptam* Erchempertus quidem ubi supra *Monasterium* S. Benedicti *cœptum reædificari mense* Augusti tradit, a quo Ostiensis ista videtur mutuatus, qui diem obitus *Angelarii* sic consignat: *Prædictus*, inquit, *Abbas defuncto his diebus Episcopo* Teanensis *Ecclesiæ*, *in eadem civitate a clero*, *& Populo electus*, *& ordinatus est*; *ubi etiam* B *defunctus est*, *& sepultus Nonis* Decembris, anno videlicet 889. deque die ejus obitus concordat antiquum *Cassinense* Emortuale.

Angelarius ab ann. 883. ad ann. 889.

Angelarius sedit ab 11. Kal. *Septembris* ad Non. *Decembris* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Angel.*	An. *Ch.*	Ind.	*Angel.*	An. *Ch.*	Ind.	*Angel.*
883	1	1	886	4	4	889	7	Continuat annus 6.
884	2	2	887	5	5	Abb. *Angelarii.*		
885	3	3	888	6	6			

R A G E M P R A N D U S.

Ragemprandus ab ann. 890. ad 899.

C PRimo *&* vicesimo loco Abbas electus, *in eodem Monasterio* Teanensi *sedit annis novem*, *mensibus decem.* Sic Ostiensis lib. 1. cap. 46. nulla Codicum ejus varietate; a cujus dicto nec discrepat Index in Codice 202. verum alter addit alios dies quinque; ut hinc intelligamus hujus Abbatis annos numerandos a Kal. *Januarii.*, & ab anno 890. ad 8. Idus *Novembris*, & ad annum 899. qua die defunctum illum, sedemque vacasse spatio fere duorum mensium perhibet idem Ostiensis lib. 1. cap. 49.: *Hujus autem Abbatis septimo anno* (præfati quoque Auctoris sunt verba lib. 1. cap. 47. invicem consentientibus scri- D pto, & editis codicibus) *Indictione decimaquarta* (*Christi* scilicet anno 896.) *Monasterium*, *quo in* Teano *Fratres degere cœperant*, *occulto Dei judicio*, *ab igne crematum est.* Quæ temporis consignatio cum optime consistat, exque ea cum constet, *Ragemprandum* in anno, ut dictum est, electum 890., annum minime esse supergressum 899. dilucidissime hinc quoque fit manifestum, deformissimam in omnibus *Ostiensis* Codicibus luxationem insidere lib. 1. cap. 46. quo loco inconvenientissimè nunc legitur, *Erchempertum*, qui post *Paulum Diac.* Historiam scripsit *Langobardorum*, monachum induisse apud *Teanum* E sub hoc *Ragemprando*; quod, ut serius, sedente Abb. *Angelario* contigisse pluribus ad ejusdem *Erchemperti* Historiam est probatum. Eodemque sane vitio laborare videtur, quod ibidem de Privilegio dicitur a Papa *Joanne* 9. indulto Monasterio *Cassinensi*, petente præfato *Ragemprando*; quorum disparitas est perquam clara; nam *Joannes* in *Petri* cathedra sedit ab anno 901. quo *Benedicti* sedem tenebat *Leo*, *Ragemprandi* successor.

Ragemprandus ab ann. 890. ad an. 899.

Ragemprandus sedit a Kal. *Januarii* ad 8. Idus *Novembris* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Rag.*	An. *Ch.*	Ind.	*Rag.*	An. *Ch.*	Ind.	*Rag.*
F 890	8	1	894	12	5	898	1	9
891	9	2	895	13	6	899	2	10
892	10	3	896	14	7	Annus *Ragemprandi* 10. non exactus.		
893	11	4	897	15	8			

LEO.

LEO.

Leo *ab ann.* 900. *ad ann.* 915.

HUjus etiam anni computantur a Kal. *Januarii*, & ab ineunte anno, qui proximè subsequutus est obitum *Ragemprandi*; quos numero quindecim, additis insuper mensibus septem, fecit *Ostiensis* lib. 1. c. 50. & Index in Codice 202: sed Index alter alios dies cumulat decem & septem: quot planè in solidum computantur anni, menses, & dies a prædicta die Kalendarum *Januarii*, & ab anno 900. ad diem 16. Cal. *Septembris*, qua illum defunctum idem Auctor tradit ex fide scripti exemplaris, & priorum Editionum, & ad annum 915. Sunt ejus verba loco relato: Leo *vicesimus secundus Abbas, similiter apud* Teanum *sedit annis quindecim, mensibus septem: temporibus* Leonis *Imperatoris, & Papæ* Christophori, *qui de Papatu expulsus, & monachus factus est; nec non &* Sergii 3. *Papæ*. Idem post: *Defunctus vero est prædictus Abbas 16. Kal.* Septembris. *Uterque autem*, Ragemprandus *videlicet, atque* Leo *in ipso* Teanensi *Cœnobio, ubi commorati sunt, ibi & defuncti, & sepulti sunt.* Hæc *Ostiensis*, cujus indiligentiæ minimè adscribendum puto, Abbatem *Leonem* Papæ duntaxat *Christophoro*, & *Sergio* 2. æquiparari, omissis *Joanne* 9. *Benedicto* 4. *Joanne* 10. aliisque; sed ejus sæpius dicto censori potius tribuo; ad cujus culpam nec refero, perhiberi loco jam dicto, Leonem *quinto anno ordinationis suæ* (scilicet *Christi* 904.) *cœpisse reædificare Monasterium* Cassinense, *quod per XXVII. annos penitus fuerat destitutum.* sicut scriptus Codex, & Editio *Veneta*, & *Parisiensis* præ se ferunt, nam anni ejusce vastitatis, qui non plures fuerunt, quam XXII. quot ab anno dinumerantur 883. ad modo dictum annum 904. ex librarii firmiter culpa in eam summam excessere, numerali nota. V. importunè superaddita. E qua mendosa, & antiquitus corrupra scriptura similis annorum collectio in Codicem alias dictum S. *Mariæ* Monialium urbis *Capuæ* manavit, ipsum quidem sub ætate exaratum ejusdem Monasterii Abbatissæ *SiKelgardæ* De *Petruro*, quæ ab anno sedit 1123.

Leo ab an. 900. ad ann. 915.

Leo sedit a Kal. *Januarii* ad 16. Kal. *Septembris* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Leo.*	An. *Ch.*	Ind.	*Leo.*	An. *Ch.*	Ind.	*Leo.*
900	3	1	906	9	7	912	15	13
901	4	2	907	10	8	913	1	14
902	5	3	908	11	9	914	2	15
903	6	4	909	12	10	915	3	16
904	7	5	910	13	11	Annus *Leonis* 16.		
905	8	6	911	14	12	non exactus.		

JOANNES.

Joannes *ab ann.* 915. *ad ann.* 934.

CUm esset *Capuæ* Archidiaconus, & ut alibi exposui, Principum *Landulfi* 1. & *Atenulfi* 2. consanguineus, *cumque aliquanto tempore* (dicam cum Ostiensi lib. 1. cap. 52.) *Congregatio Monachorum, quæ* Teani *consistebat, pastore esset proprio destituta, nec inveniretur inter eos aliquis hujusmodi, qui tantæ Prælationi esset idoneus, tunc prædicti* Capuani *Principes ineuntes consilium, illum adierunt, ac tam monitis, quam precibus, ut ejusdem Congregationis regimen reciperet, compulere. Quo tandem annuente, mox Monachus factus, nec multò post a Fratribus universis juxta morem electus, atque a Donno* Joanne *Papa* 10. *honorifice consecratus est.* Hactenus *Ostiensis*; hoc sermone non ambiguè declarans a *Leonis* obitu ad *Joannis* electionem sedem vacasse aliquanto tempore; cui tamen *Joanni* annos imputans *decem & novem, & menses septem*, quot pariter illi assignat Index in Codice 202. nec non Index alter, alios superaddens dies decem; ejusque successorem *Adelpertum*

Joannes *ab ann.* 915. *ad ann.* 934.

A ordinatum tradens, ut in M. S. est exemplari & in editionibus *Veneta* & *Parisiensi*, *anno Domini* 934. *die sexto post ipsius depositionem*, seu dicas obitum, qui in diem incidit Prid. Kal. *Aprilis*, eodem testante Auctore lib. 1. cap. 53. tantum abest, ut *Joannis* electionem aliquamdiu dilatam fuisse consentiat, ut nec ipsos quidem annos *XIX.* & menses septem, a se ei assignatos; sed annos tantum *XIIX.* (quæ sincera ejus loci erit lectio) & menses, diesque jam dictos illum sedisse admittat: numerandos ab 11. Kal. *Septembris*; diebus scilicet quinque a *Leonis* morte delapsis. Quo propemodum tempore *Saraceni* ad Flumen *Garilianum*, olim *Lirim*, ingenti nostratium victoria
B cæsi, *& funditus*, ut idem perhibet Auctor, *de partibus istis eliminati sunt, anno Incarnationis Dominicæ* 915. *Indictione* 3. *mense* Augusto. Hujus autem Abbatis intervallum cum anno electionis successoris ejus *Adelperti* superius descripto cum aptissimè congruat, pugnat sibi Ostiensis perhibens: *circa dies obitus Abbatis* Joannis *expulsum fuisse a* Romanis *supradictum Papam* Joannem, *invasorem Apostolicæ Sedis*, *&* Leonem *sextum ordinatum*: quod in annum 928. rejiciunt Ecclesiasticorum Annalium scriptores. At istam inconvenientiam in caput etiam referendam esse
C pluries dicti censoris, pro certo habeo. Annis verò 19. *Joannem* sedisse, utique consenserim; argumento ductus Diplomatis, quod de commutatione est Ecclesiarum S. *Benedicti*, & S. *Vincentii* urbis *Capuæ*, inita *Indict.* 2. *mense Novembris:* anno scilicet 914. quando *Joannem* jam sedere cœpisse asseritur. At *Leoni* annus detrahendus erit, nam *Adelperto* non videtur. Joannes *autem factus Abbas* (inquit idem Auctor) *cœpit monere Fratres, ut relicto* Teano CAPUAM *habitaturi secum pariter pergerent: Quæ videlicet civitas & circumpositarum civitatum primaria esset, & in ipsa*
D *Domini ejusdem patriæ, Principes habitarent. Qui obsecundantes ejus imperio*, Capuam *omnes simul habitaturi profecti sunt.* Hanc sanè transmigrationem haud ad Monachorum duntaxat, sed ad Principum simul commodum, & utilitatem factam, epistola declaratur Papæ Agapeti 2. ad Principem *Landulfum* 2. in Registro exarata *Petri Diac.* pag. 7. a tergo; qua ei exprobat Agapetus, *Monasterium a Principe* Landulfo (scilicet jam dicto, ipsiusque *Landulfi* 2. patre) *intra* Capuanam *civitatem ædificatum, non ob Dei reverentiam, sed ob temporalis gloriæ cupiditatem: & ut ipse Princeps*
E *totius possessionem jam dicti Monasterii suis, quasi hæreditario jure, relinqueret.* & cætera plura in eandem sententiam.

Joannes sedit ab 11. Kal. *Septembris* ad Prid. Kal. *Aprilis* per subscriptos annos. Joannes *ab ann.* 915. *ad ann.* 934.

An. *Ch.*	Ind.	*Joan.*	An. *Ch.*	Ind.	*Joan.*	An. *Ch.*	Ind.	*Joan*
915	3	1	922	10	8	929	2	15
916	4	2	923	11	9	930	3	16
917	5	3	924	12	10	931	4	17
918	6	4	925	13	11	932	5	18
919	7	5	926	14	12	933	6	19
920	8	6	927	15	13	934	7	Continuat an. 19. non exact.
921	9	7	928	1	14			

F

ADELPERTUS.

VIcesimus quartus Abbas anno Domini nongentesimo trigesimo quarto, die sexto post depositionem sui prædecessoris ab universis Fratribus ordinatus, sedit annis novem, ibique apud* Capuam *commoratus est, & defunctus. Fuit autem temporibus* Stephani 7. *Papæ &* Joannis *Papæ* 11. *qui fuit filius* Sergii *Papæ*. Hæc *Ostiensis* lib. 1. cap. 58. ex Editione *Veneta*, & *Parisiensi*, & ex fide scripti exemplaris; deque tempore sedis *Adelperti* con-

Adelpertus *ab an.* 934. *ad ann.* 943.

ti concordat etiam *Neapolitana* editio, & uterque Index. Pergit autem idem Auctor: *Quarto*, inquit, *ejusdem Abbatis anno*, *Indictione decima* (sic habet scriptus Codex, & priores editiones) *venientes innumerabiles* Hungari *super* Capuam *omnia in circuitu ipsius deprædati sunt*. Qui characteres anno competunt 937. estque idem annus restituendus in Chronico *Lupi Protospatæ*, aliis multis, variisque etiam mendis depravato, in quo *Capuæ* hæc clades ad annum notatur antecedentem. At *Ostiensis* æqualem faciens *Adelpertum* Pontificibus *Stephano* 7. & *Joanni* 11. ex eadem supputatione videtur seductus (si modo ei hæc sint tribuenda) qua sibi persuaserat prædecessorem *Joannem* obiisse circa dies, quibus Papa *Joannes* 10. expulsus e *Romana* sede fuerat. Abbatiam igitur tenuit *Adelpertus* ab 8. Idus *Aprilis* anni 934. ad exeuntem annum 942. annis videlicet novem non integris, nam annum 943. non attigit, ut dicam infra.

Adelpertus *ab an.* 934. *ad ann.* 942.

Adelpertus sed. ab 8. Id. *April.* ad extremum *Decembrem* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Adel.*	An. *Ch.*	Ind.	*Adel.*	An. *Ch.*	Ind.	*Adel.*
934	7	1	938	11	5	942	15	9
935	8	2	939	12	6	Annus 9. non exactus. exacto tamen anno *Christi* 942.		
936	9	3	940	13	7			
937	10	4	941	14	8			

BALDOINUS.

Baldoinus *ab ann.* 943. *ad ann.* 944.

ABbatiæ præsidebat 3. *Kal.* Februarii, *anno* 43. *Principatus* Landulfi: 10. *anno Princ.* Atenulfi *filii ejus:* 4. *anno* Landulfi *filii prædicti* Landulfi. *Indictione.* 1. (hic est annus *Christi* 943. ut alibi) qua die a præfato Principe *Landulfo*, patre, bonorum Monasterii possessionem, & Abbatiam confirmatam ei fuisse, ac simul restitutam Ecclesiam S. *Sophiæ*, positam in urbe *Beneventi*, bina declarant Diplomata in Registro *Petri Diaconi* descripta: alterum pag. 172. alterum pag. 116. a tergo. De qua restitutione habet etiam *Ostiensis* lib. 1. c. 57. initio; ibidemque, & capite antecedenti *Baldoinum* apposite æqualem facit Papæ *Marino:* verùm sedisse illum cum dicit temporibus prædictorum a se Principum *Landulfi*, & *Atenulfi*; illorum scilicet fratrum; sub quibus vixisse Abbatem *Joannem*, pridem adnotaverat, auctoritate refellitur præfatorum Diplomatum, aliorumque monumentorum; ex quibus constat, Principem hunc *Atenulfum*, *Baldoino* parem, minimè fratrem, sed filium fuisse præmemorati a se *Landulfi*, hujus nominis primi. Quinimmo errore sane majori eodem cap. 57. (ni ejus censori & hæc sint imputanda) perhibet, Pontificem *Agapetum*, qui in anno, ut volunt, 946. successit Papæ *Marino*, ob hujus Abbatis *Baldoini* conquestus, literas dedisse *prædictis Principibus* (eosdem germanos fratres designans, præter quos non alios meminerat) de restituenda iterum *Cassinensibus* præfata Ecclesia, ab ipsis rursus pervasa, *in anno videlicet* 32. *Imp.* Constantini; *anno* 6. *Principatus* Landulfi; *&* 2. *Principatus* Paldulfi *filii ejus* (hic fuit *Christi* 945.) etiam cum causæ cognitione, quæ in Libello Judicii scripta, in Archivo prædictæ Ecclesiæ S. *Sophiæ* adservatur; quandoquidem in superius dicta Epistola præmemorati Pontificis de ea re data ad Principem *Landulfum*, ipse *Landulfus* dicitur filius ejusdem Principis *Landulfi*, quo auctore Monachorum *Cassinensium* Congregatio *Capuam* migravit. Et sanè tempore Papæ *Agapeti*, haud primus, sed secundus *Landulfus*, hoc est primi filius, extitit Princeps, de quo suo loco fusius: Abbas autem *Baldoinus* sub *Agapeto* minimè jam *Cassinensi* præsedit Abbatiæ, ut paulò post dicam.

Baldoinus *ab anno* 943. *ad ann.* 944.

A Dissimulandum tamen non est, *Petrum Diac.* suo in Registro pag. 31. pro hac a me explosa sententia aperto sermone stare, quam nihilominus nullo alio, nisi simplicis suæ assertionis, demonstrat argumento. Sed Ostiensis, vel ejus dicas antiquus censor, iterum lapsus videtur cap. 58. dicens, *Papam* Agapetum *per suggestionem Abbatis* (de *Baldoino* erat sermo) *mandasse præfatis Principibus* (nec dum alios, quam germanos illos fratres *Landulfum* 1. & *Atenulfum* 2. demonstraverat) *ut nullam in* Cassinensi *Monasterio dominationem exercere præsumerent: Monachis vero tunc* Capuæ *degentibus*, *ut ad proprium Cœnobium*

B *universi redirent.* Et insuper perhibens, *præfatum Abbatem* (*Baldoinum* quoque indicans) *Privilegium acquisivisse ab eodem Pontifice de Monasterio juxta* Terracinam. Nam *Agapetum* Monachos ad *Cassinum* revocasse, literasque de ea re dedisse ad Principem *Landulfum* 2. filium *Landulfi* 1. defuncto patre, atque sedente Abb. *Majelpoto*, *Balduini* successore, eorundem PP. ritè disposita convincit Chronologia: simulque annorum *Romanorum* Pontificum ordo cum ordine collatus Abbatum *Cassinensium*, manifestè probat; æqualis cum fuerit *Agapetus* non *Baldoino*, sed *Majelpoto*, qui ab anno 946. in *Petri* Cathe-

C dra sedit; *Baldoinus* autem in anno, ut summum, 944. a Pontifice *Marino* e *Cassinensi* Abbatia ad Abbatiam S. *Pauli*, ac *Romam* fuerit translatus: duobus enim annis *Cassinensem Baldoinus* rexit Abbatiam, ut prodit *Neapolitana Ostiensis* editio, scriptum exemplar sincerè repræsentans (priores editiones nullum illius notant tempus, nec Index in Codice 202.) sed iis annis non integris, ut constabit in *Majelpoto*; qui in præscripto anno 944. mense *Augusto* Abbatiam administrabat. Verùm si *Baldoini* spatium sex tantummodo mensium fuisse cum altero Abbatum Indice dixerimus, utique nec annum ille trans-

D gressus fuisset 943. atque ab *Agapeti* æra longius discessisset, vacante interim Abbatia ad sequentem usque annum, ob res, fortè, Principum insolentia, & avara ambitione perturbatas, Siquis autem *Baldoinum* putaverit sex tantum mensibus Abbatiæ munus præsentem exercuisse, at reliquo tempore, ad electionem usque *Majelpoti*, absentem, degentemque *Romæ*, donec eam omnino dimisit, non equidem repugnabo.

Baldoinus sedit a mense ferè *Januario* ad mensem ferè *Augustum* per subscriptos annos.

Baldoinus *ab an.* 943. *ad ann.* 944.

An. *Ch.*	Ind.	*Bald.*	An. *Ch.*	Ind.	*Bald.*	
943	1	1	944	2	2	annus 2. non exactus.

E

MAIELPOTUS.

Majelpotus *ab ann.* 944. *ad ann.* 949.

SIve *Magelpotus*, ut plerisque etiam in antiquis Chartulis dictus reperitur, confirmationem bonorum Abbatiæ suscepit, quod ex Diplomate apparet exarato in Registro Petri Diac. pag. 117. *a Principibus* Landulfo (scilicet 2.) *& a* Paldulfo *ejus filio*, idem postea appellatus est *Caputferreus*) *interveniente* Adelperto Capuæ *Episcopo*, *sub die* 3. *Kal.* Septembris, *anno* 5. *Principatus* Landulfi: 2. *anno Princ.* Paldulfi *filii ejus*, *Indictio-*

F *ne* 2. Hic fuit annus *Christi* 944. decesserat enim *Landulfus* primus in anno 943. in quam sententiam restituendum est Chronicon *Lupi Protospatæ* ad annum 942. eodemque vivente Principe, cœperat *Landulfus* iste secundus simul appellari Princeps. Ex hoc autem redarguas oportet *Ostiensem* lib. 1. cap. 59. Editionis *Neapolitanæ*, sed cap. 63. Editionis *Venetæ*, & *Parisiensis*, sive ejus potius dicam censorem in M. S. etiam exemplari perhibentem, Principem hunc *Landulfum*,

dulfum, qui *Majelpoto* Abbatiam confirmavit, illum metipsum fuisse alia occasione sibi prius memoratum, nempe hujus nominis primum, secundi *Landulfi* patrem, *Atenulfi* primi fratrem, filiumque *Atenulfi* primi. Quæ sanè inconvenientia adscribenda minime videtur *Ostiensi*; qui loco prædicto *Landulfum* hunc *Majelpoto* æqualem, fecit quoque parem Abbati *Aligerno*, atque hac ratione non a primo, sed a secundo *Landulfo* Abbatiam *Majelpoto* confirmatam demonstravit: secundus enim fuit *Aligerno* coævus, ut dicetur infra, non primus. Cæterum sit ne eidem Auctori imputandum, quod in *Cassinensi* Codice vitiosè legatur, sedisse *Majelpotum* tempore Imperatorum *Constantini*, & *Nicephori* (solum *Nicephori* habent *Veneta*, & *Parisiensis* Editiones: *Neapolitana* solum *Constantini*: benè) constanter non dicam; cui tamen Abbati cum eodem *Ostiensi* annos do sex, quot pariter ei assignat uterque Index, sed censendos non integros, sic *Aligerni* Epocha dictante, qui in Abbatem electus fuit 8. Kal. *Novembris*, anno 949. ut mox demonstrabitur. Qua autem die præsens Abbas vita discesserit, nullus ex antiquis testatum reliquit.

Majelpotus ab ann. 944. ad ann. 949.

Majelpotus sedit a mense fere *Augusto* ad mensem fere *Octobrem* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Majel.*	An. *Ch.*	Ind.	*Majel.*
944	2	1	947	5	4
945	3	2	948	6	5
946	4	3	949	7	6 annus 6. non exactus.

ALIGERNUS.

Aligernus ab ann. 949. ad ann. 986.

P*Ost transitum supradicti Abbatis* Majelpoti, *cum convenissent in Capitulo Monasterii* Capuani *Donnus* Aldebertus *egregius Præsul Ecclesiæ* Capuanæ, *& Donnus* Ardericus *Episcopus*, Leo *quoque venerabilis Abbas S. Martyris* Christi Vincentii, *nec non & nobilissimi Judices prædictæ civitatis*, Arechis, *&* Saldefrid Romam, *&* Adenulfus *Castaldeus*, 8. *Kal.* Novembris, *omnibus unanimiter annuentibus, atque laudantibus, electus est ab universis Fratribus cum maximo gaudio, atque lætitia in Abbatem.* Sic *Ostiensis* lib. 1. cap. 59. qui dein lib. 2. cap. 1. illius spatium his verbis consignat: Aligernus *Abbas*, inquit, *septimo ac vicesimo loco a B.* Benedicto *in hoc Monasterio feliciter ordinatus, sedit annis triginta septem* (lectio hæc est e M. S. Codice, & ex *Veneto*, & *Parisiensi*). *Fuit autem temporibus primi, & Magni* Ottonis *Imperatoris, & filii ejus secundi* Ottonis. *Principum vero* Capuanorum Landulfi (nempe 2.) *&* Pandulfi *filii ejus, cui cognomen* Caputferreum *fuit, & fratris ejus* Landulfi (scilicet 3. qui cum prædicto *Pandulfo* communi nomine, ut alibi dixi, sed divisis sortibus, videtur regnasse) *& item filii* Landulfi (hujus nominis 4.) Romanorum *quoque Pontificum a* Joanne 12. *usque ad* Joannem 15. unus deest Pr. *Landenulfus*: cætera benè; deque tempore sedis *Aligerni* consentit Index in Cod. 202. sed alter addit dies *XII.* qui fuerunt *XXIX.* nam eodem tradente Ostiensi lib. 2. cap. 11. *depositus est prædictus Abbas* 9. *Kal.* Decembris. *Qui* (sic idem Auctor loco paulò superius relato) *super id, quod* Leo, *atque* Joannes *Monasterii hujus Abbates olim inceperant, restaurare cœpit hunc locum: qui nimirum a tempore Abb.* Bertharii, *quo a* Saracenis *incensus est, per septem, & sexaginta circiter annos usque ad se neglectus, ac destitutus, ac quasi desolatus penitus fuerat.* Hæc annorum summa ductæ a me Chronologiæ aptissimè quadrat. *Quinto autem hujus Abbatis anno*, inquit idem Ostiensis lib. 2. cap. 5. juxta editionem *Venetam*

Aligernus ab ann. 949. ad ann. 986.

A & *Parisiensem*, atque scriptum Codicem) *qui est a Nativitate Domini nongentesimus quinquagesimus quartus, Beatissimi Apostoli, & Euangelistæ* Matthæi *corpus* Salernum *translatum est.* die scilicet 6. *Maji*, ut in ejusdem Translationis Actis legitur. Iterum idem Auctor lib. 2. cap. 9. *Hujus etiam Abbatis* inquit *nonodecimo anno* (hoc est *Christi* 968.) Joannes *Papa* (scilicet 13.) *de* Roma *exiliatus venit* Capuam, *& rogatus a præfato Principe* Pandulfo, *tunc primum in eadem civitate Archiepiscopatum constituit, consecrato ibi* Joanne, *fratre ejusdem Principis, Archiepiscopo.* Ad hæc Baronius in Annal. ad an. 968. num. 67. sic B commentatur: *Porro*, inquit, *consignatum tempus non ad* Joannis *exilium, quod longe ante contigit, sed ad collatam illi Ecclesiæ Archiepiscopatus dignitatem, referri necessario debet. Joannem* verò e *Romana* sede depulsum in anno 965. idem *Baronius* ad annum modo dictum ritè observavit. Et quidem Pontifex ille ante annum *Christi* 967 exeuntem, subsequentemque annum 968. qui numeratus est decimusnonus Abb. *Aligerni*, hoc est in sui Pontificatus primordiis (prædicto electus est *Joannes* anno 965.) *cum majores* Romanorum *elatiore animo, quam oporteret, insequeretur, eos in brevi inimicissimos, & infestos est passus; nam ab Ur-*

Aligernus ab 949. ad an. 986.

C *bis Præfecto, & a quodam* Rotfredo *comprehensus, & Urbe expulsus, in* Campania *custodiæ est mancipatus:* ut Auctor Appendicis ad *Rheginonem*, antiquus sane, & rebus a se descriptis æqualis, his ipsis fere verbis exposuit; simul addens, quod post hæc Romani, *Imperatoris metuentes adventum* (primi scilicet *Othonis*, qui *Italiam* ingressus in anno 966. *Romæ* Natalem Domini celebravit) Rotfredo *Urbis Præfecto, qui ab urbe* Joannem *ejecerat, mortuo: a custodia, qua tenebatur,* Joannem *Apostolicum absolverunt, & veniam pro malis, quæ ei ingesserant, poscentes, in locum, & sedem suam illum restituerunt.* Hæc D ille. ex quibus *Baronius* benè persuasus, exilium *Joannis* ante annum contigisse dixit 968. cui tum antiqui, tum recentiores, qui de his scripsere, adstipulantur omnes; iisque minimè equidem obsto; cum nec putem, *Ostiensem* verbis superius relatis sermonem fecisse de *Joanne Capuam* profecto tempore sui exilii; quò illum se tunc recepisse, ab omnibus adfirmari observo, nullum tamen alium, nisi eundem *Ostiensem* & quos ipsius verbis scimus inhæsisse, suæ sententiæ habentibus Auctorem: cujus verba in confesso jam est, aliter capienda esse, ac sonant: sed de iis, inquam, quæ anno 968. acciderunt, quo *Joannes* E cum præfato *Othone Capuæ* commorans, nempe mense *Januario*, ut ex ejusdem Imperatoris Epistola quadam ad *Germaniæ* Principes apud *Witichindum* lib. 3. constat, *Campanam* Ecclesiam in Metropolitanam sublimavit. Quandoquidem *Roma*, propriaque sede illum deturbatum (*exulare* enim, ut sexcenta alia prolixiora omnis ævi exempla missa faciam. Servio ad *Æneid.* lib. 11. *proprie dicuntur, qui extra solum eunt*) in vinculis apud *Campaniam*, scilicet *Romanam*, indesinenter mansisse, ex laudato prædictæ Appendicis Auctore liquidissimè apparet. A *Pandulfo* tamen *Campano* Principe, sive ab *Joanne* dicas F ejus fratre, qui postea in primum *Capuæ* Archiepiscopum consecratus est (ipsi namque a plerisque id adscribitur) *Rotfredum* peremptum, non abnuerim; quem *Romani* factionis suæ cum amisissent antesignanum, simulque adventantis Imp. *Othonis* timore essent perculsi, Pontificem in gradum suum vel inviti restituisse videntur; quo solo pacto Appendicis antedictæ, ceterosque alterius sententiæ Auctores conciliari invicem posse, est manifestum. A *Joanne* autem non *Romæ*,

Aligernus ab ann. 949. ad ann. 986.

in *Othonis* 2. coronationis celebritate, ut *Blondus* nuperus scriptor tradit Dec. 2. lib. 3. sed *Capuæ* constituto, amplissima ea dignitate *Campanam* Ecclesiam decoratam, *Ostiensi* adfirmanti credendum existimo. Verum de his non est præsentis loci uberius disserere; Sicuti nec de futili nunc dicam quorundam recentiorum argumentatione, qui nescio quas etiam nullius, vel minimi momenti chartulas, nec sibi quidem visas, alicubi servari testantur, quibus se demonstrasse jactant, *Campanam* Ecclesiam non omnium antiquissimè in Regno *Neapolitano* fuisse Archiepiscopali honore exornatam, quod fortè verum: sed integras illas, solemnique pariter approbatione roboratas ad rem tantam, contradictoribus non vacuam, stabiliendam, produci oportuisse, negabit nemo; cum interim *Campana* Metropolis luculentissimo, gravissimoque testimonio ingentis sanè lectionis viri, Cardinalis Baronii ad tuendam suæ antiquitatis prærogativam solidissimè fulciatur; cujus sunt verba in Annalibus loco jam pridem relato: *Et quidem*, inquit, *prima omnium*, *quod invenerim*, *Ecclesia* Capuana *ea Archiepiscopatus dignitate in regno* Neapolitano *fuit illustrata*, &c. Sed redeo ad Ostiensem, qui *Joanni* omnium primo Archiepiscopo successisse perhibet *Leonem:* huic vero post quatuor annos cum dimidio *Gelbertum*, sive *Gerbertum*, sive *Gerebertum:* utrumque Monachum *Cassinensem*; continentique sermone, sed parum circumspectè, ut superius exilium Papæ *Joannis* implexis etiam descripserat verbis, sic habet: *Sequenti autem anno* (post ejusdem scilicet *Gerberti* obitum, qui Emortuali *Cassinensi*, & in altero Monasterii Monialium S. *Joannis Capuæ*, notatur 12. Kal. *Februarii*, anno videlicet 980. atque integro ferè anno ante Principis *Pandulfi Caputferrei* mortem) *defuncto primo* Ottone, Otto 2. *Imp. filius ejus*, *cognomento* Rufus, *venit* Capuam, *& abiit* Tarentum, *ac* Metapontum, *& deinde* Calabriam; *unde prosperè ad sua reversus*, & cætera de ejusdem *Othonis* 2. ad nos reditu, & re infeliciter cum *Saracenis* gesta in *Calabria*; de quorum temporum ordine in Historia dixi *Langobardorum* P P. col. 142. Nunc verò addam, præter laudatos ibi Auctores, in Chronico etiam *Hildensheimensi* perhiberi: *Othonem Imp.* hoc est secundum, *in anno* 980. *firmata pace*, *in* Italiam *intrasse*, *& in anno* 981. *Pascha* Romæ *celebrasse*. *In anno autem* 982. *periculosissimè pugnasse contra* Saracenos *in* Calabrorum *partibus*, *ibique non paucos de suis optimatibus occubuisse*. Qui annus 982. restituendus est in Annalibus *Hepidanni* Monachi; nam male clades illa ad annum ibi notatur 988. in Tomo 3. Annalium *Francorum*. Et verò *Landulfo Capuæ* Principi, qui tunc simul cum cæteris aliis, & fratre *Atenulfo* occubuit, successor Principatus datus ab *Othone* est frater ejus *Landenulfus*, mense, fere, *Septembris*, jam dicto anno 982. quod ex antiquis Chartulis est discere, alibi producendis.

Aligernus ab ann. 949. ad ann. 986.

Aligernus sedit ab 8. Kal. *Novembris* ad 9. Kal. *Decembris* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Alig.*	An. *Ch.*	Ind.	*Alig.*	An. *Ch.*	Ind.	*Alig.*
949	7	1	962	5	14	975	3	27
950	8	2	963	6	15	976	4	28
951	9	3	964	7	16	977	5	29
952	10	4	965	8	17	978	6	30
953	11	5	966	9	18	979	7	31
954	12	6	967	10	19	980	8	32
955	13	7	968	11	20	981	9	33
956	14	8	969	12	21	982	10	34
957	15	9	970	13	22	983	11	35
958	1	10	971	14	23	984	12	36
959	2	11	972	15	24	985	13	37
960	3	12	973	1	25	986	14	Continuat annus 37.
961	4	13	974	2	26			

MANSO.

Manso ab ann. 986. ad ann. 996.

Vicesimus octavus Abbas, sedit annis undecim. Ostiensis lib. 2. cap. 12. ex fide scripti exemplaris; nam in editione *Neapolitana* decem ei imputantur anni: in *Veneta* autem, & *Parisiensi* vacat integrum istud capitulum. Index vero uterque a præfata *Ostiensis* lectione non discedit, quæ tamen ejusmodi excipienda est interpretatione, ut *Mansonem* undecimum in Abbatia annum inchoasse, haud absolvisse, intelligamus; qui sacrilega *Campanorum* proditione excæcatus 18. Kal. *Decembris*, anno videlicet 996. obiit 8. Idus *Martii*, anno sequenti, ut idem perhibet Ostiensis lib. 2. cap. 16. & 19. *Huic non ejus Abbatiæ anno* (hic fuit *Christi* 994.) Laidulfus *Princeps* Capuæ *Præceptum*, sive Privilegium, *fecit de* Castrocæli *cum toto monte*, *qui dicitur S.* Angeli *in* Asprano, &c. eodem testante Auctore lib 2. cap. 19. ac rem describente ex Præcepto metipso dato 4. *Idus* Decembris *Indictione* 8. (videlicet inchoata a *Septembri* dicti anni 994.) *anno* 2. *Principatus* Laidulfi, cujus exemplum extat in Registro *Petri Diac.* pag. 134. a tergo. Idem autem Abbas, ut *Ostiensis* etiam prodit lib. 2. cap. 17. iis sedebat diebus, *quibus Imperialem coronam de manu* Romani *Pontificis* (Gregorii 5.) *tertius* Otto *suscepit:* hoc est in anno 996.

Manso ab ann. 986. ad an. 996.

Manso sedit a 9. Kal. *Decembris* ad 18. Kal. ejusdem mensis per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Man.*	An. *Ch.*	Ind.	*Man.*	An. *Ch.*	Ind.	*Man.*
986	14	1	990	3	5	994	7	9
987	15	2	991	4	6	995	8	10
988	1	3	992	5	7	996	9	11
989	2	4	993	6	8	An. 11. inchoat.		

JOANNES.

Joannes 2. ab an. 996. ad an. 997.

Hujus nominis secundus, *Abbas vicesimus nonus*, *sedit anno uno*. Ostiensis lib. 2. cap. 20. & uterque Index: qui annus unus supputandus est ab excæcatione prædecessoris *Mansonis*. *Qui videlicet venerabilis Abbas* Joannes (pergit *Ostiensis*) *cum jam senectute pariter*, *& infirmitate gravatus tanti regiminis pondus se ferre non posse perspiceret*, *consensu*, *atque electione cunctorum Fratrum Abbatem sibi substituit*, &c. Abbatia igitur se abdicavit in anno 997. mense, ferè, *Septembri*, ut ex sequentibus constabit. Longè autem post, ac tempore *Theobaldi* Abbatis defunctus est *Prid. Idus* Martii *cum decrepitæ esset ætatis*, eodem tradente Auctore lib. 2. cap. 21. & 42. hoc est post annum *Christi* 1022.

Joannes 2. ab an. 996. ad an. 997.

Joannes 2. sedit a 18. Kal. *Decemb.* ad mensem fere *Septembrem* per hos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Joan.*	An. *Ch.*	Ind.	*Joan.*
996	9	1	997	10	Continuat an. 1. non exactus.

JOANNES.

Joannes 3. ab an. 997. ad an. 1010.

Tertius hujus nominis, *sed tricesimus a B.* Benedicto *Abbas effectus*, *sedit annis duodecim*, *mensibus sex*. Ostiensis lib. 2. cap. 22. A quo variant Indices; nam qui in Codice est 202. illi imputat annos *XI.* & menses *VI.* sed vicino errore, pro annis *XII.* &c. alter vero subtiliori, ut solet calculo, dat annos quidem *XII.* sed menses *IV.* & dies *XXIIX.* quæ nihilominus discrepantia nil nostram remoratur Chronologiam, quin rectè procedat; nam sive dicas, *Joannem* hunc tertium suscepisse Abbatiam 14. Kal. *Octobris*, anno 997. a qua die ad 15. Kal. *Aprilis* & annum 1010. qua ipse obiit, anni computantur cum *Ostiensi* 12. & menses 6. sive Abbatem electum putes

tes 7. Kal. *Novembris*, prædicto anno 997. & cum Indice præfato imputes ejus sedi usque ad dictam diem 15. Kal. *Aprilis*, annos 12. menses 4. dies 22. in idem recurrit. Et verò *Joannem* jam descripto anno obiisse, testatus etiam est Anonymus Cassinensis in Chronico *Neapoli* edito, ad quem annum sic habet. *Obiit* Joannes *Abbas* Beneventi; nec de alio, quam de hoc nostro sermonem ibi haberi verearis, quod videas ab *Ostiensi* lib. 2. cap. 28. affirmari, ipsum apud *Cassinense* Monasterium præmemorata die 15. Kal. *Aprilis* a vivis discessisse; siquidem in Anonymo τὸ *Beneventi*, non locus decumbentis *Joannis*, sed patria demonstratur, *qui ex illustri* Beneventanorum *civium prosapia genus duxerat*, ut Ostiensis tradit, simulque innominatus ille Chronologus, qui nec alios, quam *Cassinensis* Monasterii Abbates suo admiscuit operi. *Hic vero* Joannes (Ostiensis etiam sunt verba lib. 2. c. 22.) *primo anno ordinationis suæ recepit Præceptum confirmationis totius Abbatiæ ab* Ottone *Imperatore* (videlicet tertio) *quo etiam tempore idem Imperator in* Cassinensi *Monasterio per aliquot dies remoratus, duas coronas argenteas B.* Benedicto *obtulit*; in anno scilicet *Christi* 998. quo *Otho* in *Italia* adfuit, ac *Beneventum* se contulit, ut perhibet Robertus Tuitensis apud *Baronium*: quique primus fuit annus *Joannis*, inchoatus ab anno antecedenti. *Hujus anno tertio* (verbis dicam ejusdem Auctoris lib. 2. cap. 24.) *qui est millesimus ab Incarnatione Domini, supradictus Imperator* Beneventum *venit, & causa pœnitentiæ, quam illi B.* Romualdus *injunxerat, abiit ad* Montem Garganum; *reversusque consequenter* Beneventum, *petiit ab eis corpus S.* Bartholomæi *Apostoli*; *qui nihil tunc illi negare audentes, callide illi pro corpore Apostoli, corpus B.* Paulini Nolani *Episcopi, quod satis decenter apud Episcopium ipsius civitatis erat reconditum, ostenderunt & eo sublato, recessit, tali fraude deceptus: Quod postquam rescivit, nimium indignatus, sequenti tempore perrexit iterum super* Beneventum, *& obsedit eam undique per dies multos: sed nihil adversus eam prævalens*, Romam *reversus est*. Hactenus ille, rem enarrans apud antiquos ambigui sermonis; nam *Otho Frisingensis* lib. 6. cap. 25. *Gotfridus Viterbiensis* Par. 17. ubi de *Othone* 2. & ex iis *Blondus* in Hist. *Rom.* Dec. 2. lib. 3. & *Sigonius* de Regno *Italiæ* lib. 7. aliique recentiores verum corpus S. *Bartholomæi Romam* quidem absportatum scribunt, sed ab *Othone* 2. & in anno 983. cum Imperator ille ex causa alibi minutius exponenda in *Beneventanos* indignatus, eam urbem vi cepit, ac diruit; quibus subscribit *Martinus Polonus* in Chron. lib. 4. nec tamen ab *Ostiensis* narratione prorsus abit, & ipse perhibens, *Othonem* 3. e *Monte Gargano* redeuntem corpus S. *Paulini Nolani* a *Beneventanis*, sed nullo deceptum dolo, accepisse; hoc scilicet pacto discordes sententias concilians, atque *Romanis* obsecundans, quibus cum *Beneventanis* de *Ostiensis* dicto necdum constat: quin nec cum ipso constat *Martino*, ne dicam cum Auctoribus jam laudatis; quippe usque ab ætate *Paschalis* 2. & ab an. 1113. ut *Romæ* tunc positum Epigramma in Ecclesia S. *Bartholomæi* Apost. relatum a *Baronio* ad an. 1000. manifestat, persuasum *Romani* habuerint, utraque præfatorum Sanctorum corpora ab tertio *Othone Benevento Romam* fuisse translata. His autem sic dissidentibus, de quo in præsentiarum nil quæro, consistit tamen Abbatum *Cassinensium* nostra Chronologia, annusque *Christi* millesimus cum tertio anno Abbatis *Joannis* aptissimè ab *Ostiensi* est comparatus. Qui Abbas, ut idem perhibet Auctor lib. 2. cap. 29. *eo quo defunctus est anno*

Joannes 3. ab an. 997. ad an. 1010.

(nempe 1010.) *quendam nepotem suum* Joannem, *cognomento* Rotundulum, *quem ante dies non plurimos Monachum fecerat, ad mortem veniens, in Abbatem substituit, paucis admodum super hoc sibi consentientibus, vel potius coactè id sufferentibus Monachis. Quorum autem pars potior, ac sanior erat, nimis hæc indigne ferentes, & Neophytum tantæ Congregationi præesse minime congruum judicantes, post menses aliquot mandaverunt* Pandulfo *Principi* Beneventano (frustra viri docti hanc lectionem uno, alteroque modo solicitant, quæ ex omnibus editionibus, & ex M. S. est exemplari, atque ex *Beneventanorum* etiam Principum Genealogia, & Chronologia quam solidissimè firmatur) *ut veniret, filiumque suum* Atenulfum *illis in Abbatem ordinandum adduceret.* Quibus ad votum peractis (pergit Ostiensis) Rotundulus *tali ordine pulsus,* Beneventum *rediit, atque patrocinio propinquorum, & consensu, ac concessione præfati Principis, Monasterii Sancti* Modesti *in eadem urbe Abbatiam recepit.* Per residuos igitur menses prædicti anni 1010. quo decesserat Abbas *Joannes* 3. perque menses aliquot alios insequentis anni 1011. præsedisse *Joannem* hunc *Rotundulum*, dicendum est, Monachis interim se ei subesse indignantibus, ac Principem *Beneventanum* occulta primum conspiratione, dein etiam legatione advocantibus, reque haud dubiè sermonibus ultrò, citróque habitis aliquantisper, & ad exitum ferè Veris anni 1011. dilata; quo tempore *Atenulfum* suffectum fuisse, statim exponam. Silent autem tum *Ostiensis*, tum ambo Indices definitum *Rotunduli* spatium; cujus nec nomen quidem in iis legitur, deque eo ad utrorumque exemplum nullus mihi peculiaris habendus est sermo.

Joannes 3. sedit a 14. ferè Kal. *Octob.* ad 15. Kal. *Aprilis* per subscriptos annos. Joannes 3. *ab an.* 997. *ad an.* 1010.

An. *Ch.*	Ind.	*Joan.*	An. *Ch.*	Ind.	*Joan.*	An. *Ch.*	Ind.	*Joan.*
997	10	1	1002	15	6	1007	5	11
998	11	2	1003	1	7	1008	6	12
999	12	3	1004	2	8	1009	7	13
1000	13	4	1005	3	9	1010	8	Continuat an. 13. non exactus.
1001	14	5	1006	4	10			

JOANNES Rotundulus sedit a 15. Kal. *Aprilis* anni 1010. ad exitum ferè Veris anni 1011.

ATENULFUS.

Atenulfus *ab an.* 1011. *ad ann.* 1022.

P*andulfi* 2. Principis *Beneventani* filius, quem *Otho* Imperator (secundus videlicet) puerum a patre obsidem, ut *Ostiensis* perhibet lib. 2. cap. 29. susceperat, ab Imperatoris custodia cum evasisset, *Beneventum* rediit; atque cucullam, sub qua fugiens latitaverat, ex concepto in infirmitate, dum ad suos remeat, voto, abjicere nolens, Monachus factus, degebat *Beneventi*, quo tempore ad suscipiendam *Cassinensem* Abbatiam fuit a Monachis invitatus. Illum, forte, *Pandulfus* pater, ut *Othonis* arma in anno 982. a se repelleret, ac patrium Principatum *Beneventanorum* in anno *antecedenti*, expulso *Landulfo* filio *Pandulfi Caputferrei*, adeptum retineret, in pignus promissæ fidelitatis ei tradiderat. Qui jam dicto ordine *Abbas electus tricesimus septimus, sedit annis undecim*, Ostiensi perhibente lib. 2. cap. 31. & utroque Indice. *Hujus anno ordinationis tertio* (verba sunt ejusdem Auctoris ibid.) *Domini vero millesimo quartodecimo, quo tempore Paschalis festivitas ipsa die S.* Marci *juxta calculi rationem extitit*, Henricus *Rex venit* Romam, *& Coronam* Romani *Imperii de manu* Benedicti 8. *Pa-*

pæ recepit. Quæ *Henrici* coronatio, ut ex aliis conſtat monumentis, peracta cum fuerit 6. Kal. *Martii*; dicendum certè eſt, primum annum *Atenulfi* numerari cœptum poſt *Februarium* anni 1011. & ſanè ante Æſtatem; quandoquidem idem Oſtienſis lib. eod. cap. 37. tradit: *hujus Abbatis anno ſeptimo* (nempe inchoato) *cœpiſſe* Nortmannos, Melo *Duce*, *expugnare* Apuliam; quod Anonymus *Caſſinenſis* in annum refert 1017. ſimulque *Lupus Protoſpata*, hic per menſes Æſtivos id geſtum indicans, ambo autem *Oſtienſi* concordes; qui *ante hos circiter ſexdecim annos*, ſcilicet vergente anno *Chriſti* milleſimo, *Nortmannos* numero quadraginta *Salernum* ab *Saracenis* obſeſſam liberaſſe prodit, idque nec in alium annum retulit præfatus Anonymus. *Leo* autem cautè addidit τὸ *circiter*, aperiens, ſe eam ſummam annorum ſexdecim ad exactiſſimi calculi rationem minimè ſupputaſſe. *Atenulfi* itaque Epocha ſtatuenda erit in Vere jam dicti anni 1011. vel ad exitum Veris. Qui iram cavens prædicti *Henrici*, ex cauſis Oſtienſi deſcriptis lib. 2. cap. 39. *cupienſque* Conſtantinopolim *ad Imperatorem confugere*, Hydruntum, *mare ingreſſurus*, *perrexit*; *conſcenſaque navi*, *naufragium paſſus*, *atque demerſus eſt*: in anno videlicet 1022. ſicut ejuſdem ſedis ſpatium annorum undecim exigit, ac Anonymus *Caſſinenſis*, recentioreſque omnes una ſimul adfirmant. Ipſe quidem in vivis agebat, Abbatiam retinens menſe *Majo*, anno dicto; quando data reperitur Chartula in Regiſtro *Petri Diaconi* exarata pag. 157. a tergo, in qua ejus fit mentio, ſcilicet *anno ſeptimo Principatus* Paldulfi (in Regiſtro eſt *anno tertio*, ſed manifeſto errore, ex repetitione anni 3. *Paldulfi* filii) *& tertio anno Principatus* Paldulfi *filii ejus menſe* Madio, *Indictione quinta*. Sanè *Atenulfi* tempore quinta Indictio haud in alium annum incidit, quam in 1022. Dies vero ejus obitus nemini adnotata, conjicienda videtur in menſem *Junium*, nam ſucceſſor *Theobaldus* in exitu ejuſdem menſis electus eſt, de quo ſtatim.

Atenulfus *ab an.* 1011. *ad ann.* 1022.

Atenulfus ſedit ab exitu ferè Veris ad menſem *Junium* per ſubſcriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Aten.*	An. *Ch.*	Ind.	*Aten.*	An. *Ch.*	Ind.	*Aten.*
1011	9	1	1016	14	6	1021	4	11
1012	10	2	1017	15	7	1022	5	Continuat annus 11. *Atenulfi*.
1013	11	3	1018	1	8			
1014	12	4	1019	2	9			
1015	13	5	1020	3	10			

THEOBALDUS.

Theobaldus *ab an.* 1022. *ad ann.* 1035.

IN Abbatem ſublimatus eſt 4. Kal. *Julii*, eodem anno, quo *Atenulfus* tranſmarinum iter ſuſceperat, deceſſeratque, cum in Monaſterio *Caſſinenſi* adeſſet ſuperius dictus Imp. *Henricus*, & *Romanus* Pontifex *Benedictus* 8. a quo *die altera Nativitatis Apoſtolorum* Petri, *&* Pauli *honorabiliter eſt conſecratus*; ut *Oſtienſis* lib. 2. cap. 42. & ejus deflorator Anonymus *Caſſinenſis* teſtantur. Quo etiam tempore *Odilo Cluniacenſis* Abbas, eodem adfirmante *Oſtienſi* lib. 2. cap. 52. ad *Caſſinum* veniens, de B. *Mauri* Sacris reliquiis *Caſſinenſibus* ſe tranſmiſſurum promiſit, quod *poſt ſeptem annorum* vertigines re complevit (hoc eſt exacto *Chriſti* anno 1029.) ſed jam *Theobaldo* in *Marchias* digreſſo, perſecutionem *Pandulfi* Principis *Capuæ* declinante. *Hic vero ſecundus*, *& triceſimus hujus Cœnobii Abbas* (verba ſunt Oſtienſis lib. 2. cap. 51.) *ſedit annis tredecim*; ſicut etiam habent ambo ſæpius laudati Indices. *Primo autem anno ejus Abbatiæ* (nempe nondum exacto) *anno Dominicæ Incarnationis* 1023. *præfatus Pontifex* Benedictus *duo argentea ſcrinia*, *plurima Sanctorum pignora continentia*, *ad Eccleſiam* Caſſinen-

Theobaldus *ab an.* 1022. *ad ann.* 1035.

A ſem *direxit*, quod ab eodem Auctore adnotatur lib. 3. cap. 30. Sed cum *Pandulfus* hujus nominis quartus *Capuæ* Princeps, qui in anno 1022. ab Imp. *Henrico* carceri mancipatus, ipſoque Imp. in anno 1025. defuncto, vinculis ſolutus, *Capuam* per annum integrum, atque dimidium, ut perhibet *Oſtienſis* lib. 2. cap. 57. (per annum habet Anonymus *Caſſinenſis*) obſeſſam, & expugnatam iterum obtinuiſſet, nempe ante menſem *Majum*, Indictione nona, anno videlicet 1026. quod ex antiquis Chartulis conſtat a *Michaele Monacho* in ſuo Sanctuario pag. 640. & a *Conſtantino Cajetano* in Commentario in Vitam Papæ *Gelaſii* 2. pag. 29. relatis; cum, inquam, Princeps ille *Pan-* B *dulfus Capuam* jam dicto anno denuo recepiſſet (dicam cum *Oſtienſi*) Theobaldum *Abbatem*, *ſimulata benivolentia ſecum apud* Capuam, *quaſi pro utriuſque ſecuritate*, *remorari rogavit*: *immo coegit*. *Quod ille* (pergit idem Auctor lib. 2. cap. 59.) *cum per annos ferme quatuor ſuſtinuiſſet* (ad annum uſque 1030.) *clam mandavit* Sergio *Duci* Neapolitano, *ut conſtituto condicto die cum militibus ad locum deſignatum veniret*, *ſeque reciperet*; *quod & factum eſt*. Atque hoc pacto *Neapolim* incolumis ductus, *inde poſt dies aliquot in* Marchias *eſt profectus* (tunc S. *Mauri* reliquiæ *Caſſinum* allatæ fuerunt) *ubi in Monaſterio S.* Libera- C toris *per quinque circiter annos*, *uſque ad obitum*, *eſt honeſtiſſimè converſatus*. Defunctus vero eſt 3. Non. *Junii*, ut idem *Oſtienſis* perhibet lib. 2. cap. 62. decurrente ſcilicet anno *Chriſti* 1035. quod nulla hæſitatione affirmo; nec auctoritate moveor editi Chronici Anonymi *Caſſinenſis*; in quo maxima illa, celebriſque Solis defectio in anno facta 1033. in feſtivitate S *Petri*, cæteraque ſuperioribus annis geſta, in ſuos annos recto ordine cum fuerint relata, *Theobaldi* tamen obitus incongruè cum anno comparatus eſt 1034. Qui anticipationis perpetuus eſt in eodem Chronico er- D ror ab anno jam dicto 1034. ad annum 1152. ex errore ſcilicet olim commiſſo in exemplari *Caſſinenſi*, ſignato Num. 47. ex quo illa ejuſce Chronici pars fuit deprompta. Quem ſimul errorem in alio *Caſſinenſi* exemplari, qui adſutus ſcripto eſt Chronico *Oſtienſis*, & *Petri Diaconi*, pariter inſidere obſervavi, & ad annum uſque cuſtoditum 1188. ad quem annum librarius commiſſi a ſe errati his verbis monendum lectorem duxit: *Uſque modò* inquit, *anni Dominicæ Incarnationis*, *& Indictiones*, *& cætera*, *quæ debuerant nigræ ſcripturæ præponi*, *fuerunt poſtpoſita* (ſingulæ enim annorum, cæterorumque temporum Notæ ſin- E gulas lineas occupantes, ex conſueto tunc more rubrica fuerant depictæ) *dehinc vero præponuntur anni Domini*, *& cætera*: quod ſervavit. At in Codice ſignato Num. 199. tempora cum fuiſſent bene digeſta; ſeu, ut verius dicam, in Codice illo perpetuus ejuſmodi error cum fuiſſet congrue recenſitus, hinc accidit, ut cætera pars editi Anonymi, quæ ab anno 1154. ex eodem Cod. exſcripta fuit, nullo tali vitio laboret. Sed de his nunc ſatis.

Theobaldus ſedit a Nativitate Apoſtolorum, hoc eſt a 3. Kal. *Julii* ad 3. Non. *Junii* per ſubſcriptos annos.

Theobaldus *ab an.* 1022. *ad ann.* 1035.

F

An. *Ch.*	Ind.	*Theo.*	An. *Ch.*	Ind.	*Theo.*	An. *Ch.*	Ind.	*Theo.*
1022	5	1	1027	10	6	1032	15	11
1023	6	2	1028	11	7	1033	1	12
1024	7	3	1029	12	8	1034	2	13
1025	8	4	1030	13	9	1035	3	Continuat annus. 13.
1026	9	5	1031	14	10			

S E-

SEDES VACAT.

Sedes vacat ab an. 1035. ad ann. 1036. *Defuncto Abbate* Theobaldo, inquit Ostiensis lib. 2. cap. 62. *Monachi quidem nullam electionem absque Principis* (*Capuæ* scilicet) *nutu facere præsumebant: cumque jam ferè annus evolveretur, præfatus Princeps quendam Monachum tunc in* Capuano *Monasterio Præpositum*, Basilium *nomine, genere* Calabrum, *qui olim, nondum Monachus apud Episcopium* S. Stephani *Ministerialis officium gesserat* (redditus curaverat Ecclesiæ Cathedralis) *eligere complacet*, &c.

Sedes vacat ab an. 1035. ad ann. 1036. Sedes igitur vacavit a 3. Kal. *Junii* anni 1035. ad eundem Mensem anni sequentis 1036.

BASILIUS.

Basilius ab ann. 1036. ad an. 1038. Abbas *tricesimus tertius*, *sedit annis duobus.* Ostiensis, cui concordant Indices, lib. 2. cap. 63. scilicet supputandis ab anno 1036. mense *Junio* ad Prid. Idus *Maji* anno 1038.; quo *Richerius* ejus successor est electus. Sed Anonymus *Cassinensis* in impresso Cod. ex errore superius dicto, *Basilium* figit ad annum 1035. anno videlicet citius, eademque anticipatione *Richerium* ad annum 1037. nec non cætera omnia concurrenti tempore gesta perversè notat. Chartula autem in Registro Petri Diac. exarata pag. 143. quæ data habetur *anno* 19. *Principatus* Paldulfi (scilicet 4.) *&* 16. Paldulfi (scilicet 5.) *ejus filii*, *mense* Augusto, *Indictione* 2. (hic est annus *Christi* 1034.) *in Sancto* Germano, nec depravatæ Anonymi favet editioni, ut patet: nec ipsa per se consistit; ni velimus ex unius negligentissimi Notarii notula omnem damnare Abbatum *Cassinensium* ex firmissimis documentis ductam hactenus constantissimam Chronologiam. *Anno autem Dominicæ Incarnationis millesimo tricesimo octavo* Conradus *Imperator* (carptim Ostiensis verba ex ipsius libro 2. cap. 64. excerpo) *cum valido nimis exercitu transitis* Alpibus, *Italiam cum intrasset*, *venissetque* Mediolanum, *ibi de hujus Monasterii Prioribus aliquot illum adeuntes, universa*, *quæ per tot annos a Principe* Pandulfo *mala pertulerant*, *retulerunt*, *orantes*, *ut tandem dignaretur venire*, *ac B.* Benedicti *Cœnobium de tanti Tyranni manibus dignaretur eripere.* Sic ille, de his, quæ ad tempus expulsi *Basilii* spectant, nam aliquantò post subdit: *Imperator* Capuam *est profectus*, *ut B.* Benedicti *Cœnobium de servitute nequissimi Principis liberaret*; *quem* Pandulfus *præstolare minimè ausus*, *una cum prædicto Abbate suo in* Roccam Sanctæ Agathæ, *arrepta fuga*, *se contulit*; *cum quo demum* Constantinopolim *adiit ad Imperatorem*, *causa adjutorii*, *sive pecuniæ*.

Basilius ab ann. 1036. ad an. 1038. *Basilius* sedit a Mense *Junio* ad Kal. ejusdem mensis per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Basil.*	An. *Ch.*	Ind.	*Basil.*
1036	4	1	1038	6	Continuat an. 2.
1037	5	2			

RICHERIUS.

Richerius ab an. 1038. ad ann. 1055. Abbas *Leodiensis* Imperatorem *Conradum* in *Italiam* sequutus, ad Abbatiam *Cassinensem* translatus est hoc ordine. *Capuam* intraverat Imperator in ipsis vigiliis Sanctæ Pentecostes, quæ eo anno 1038. celebrata est Prid. Idus *Maji*; alteraque die civitatem egressus, apud *Capuam* veterem tentoria fixerat; eodemque in loco manens, cum Monachi *Cassinenses* adierunt, rogantes, ut opere compleret, quæ verbis promiserat: Abbatem sibi ante omnia constitui postulantes; quo annuente, *Richerium* elegerunt, ut

A pluribus tradit Ostiensis lib. 2. cap. 64. Ipse igitur *natione* Bavarus (verba sunt ejusdem Auctoris cap. 66.) *tricesimoquarto ordine Abbatiam hujus loci sortitus*, *sedit annis decem & septem*, *mensibus sex*. *Cui* Conradus *Imp. anno*, *quo Abbas ordinatus est*, *apud* Beneventum *Præceptum aureo sigillo bullatum de universis Monasterii pertinentiis fecit*. &c. De spatio illius sedis concordat Index in Codice 202.; sed alter addit dies decem; atque hoc pacto electum demonstrat Kal. *Junii*; nam apud *Aternum* decessisse 3. *Idus* Decembris, *anno millesimo quinquagesimo quinto*, idem perhibet Ostiensis lib. 2. cap. 90. Editus Anonymus

B *Cassinensis* consueto errore obitum *Richerii* notat ad annum 1054. Sed nec *Ostiensis* absque culpa (ni luxatus sit ejus textus) dum tradit lib. 2. cap. 76. *Laidulfum Teanensem* Comitem aliquanto post *Nortmannos* ejectos e Terra *Cassinensis* Monasterii in anno 1045. de quo ibidem cap. 70., fraude captum fuisse a quodam *Ardemanno* propinquo Abbatis *Richerii*. Nam Chartula apud Registrum Petri Diaconi pag. 202. *Laidulfum* ex ea captivitate dimissum manifestat in *anno* 22. *Principatus* Guaimarii, *Principatus* Capuæ *anno* 3.; *Ducatus* Amalfiæ *anno* 2.; *Ducatus* Surrenti *anno* 1. *mense* Augusto; *Indictione octava*: hoc est Richerius ab an. 1038. ad ann. 1355.

C in anno *Christi* 1040.; qui tertius sanè fuit annus ab anno 1038., quo *Guaimarius* Princeps *Salerni*, eodem adfirmante *Ostiensi* lib. 2. cap. 64. *Capuæ* Principatum ab Imp. *Conrado* obtinuit, de quo fusius alibi. Omittendum autem hoc loco non est, B. *Benedictum*, ut apud eundem habetur Auctorem lib. 2. c. 71. ipsa nocte, quæ diem memoratæ expulsionis *Nortmannorum* præcessit, per visum dicentem cuidam rustico viro, se in *Cassinensi* Monasterio diu cum Fratribus habitasse, sed ab illis ingratis sibi existentibus dein recessisse, ac *Hierosolymam* abiisse; ibique per XL., & amplius annos cum B. *Stephano* commoratum (an

D per annos LX.: ab obitu scilicet Abb. *Aligerni*, & ab anno 986. ad annum jam dictum 1045. post cujus ætatem res *Cassinensium* frequentibus actæ fuerunt infortuniis?) ipsa tandem die ad illos redire: prædictum, inquam, Divum videri ejusmodi sermone exponere simul voluisse, ob parem per eosdem annos B. Protomartyris ab *Capua* discessum, cujus ipse antiquissimus habebatur, estque nunc etiam Patronus ac præcipuus tutelaris, eandem urbem post mortem Principis *Pandulfi Caputferrei*, & ab anno 981. ad eandem usque diem ærumnosas sibi suorum Principum mutationes, aptiori loco enarrandas, pertulisse:

E illasque præ omnibus aliis acerbiores, quibus ob impietatem *Pandulfi* 4. sæpius, & acriter divexatam fuisse constat. Qui Princeps suorum tandem impiorum facinorum luctuosissimas luit pœnas, ad Infernales damnatus cruciatus; sicuti visione cujusdam *Pythagoræ* ab Abb. *Desiderio* Dialogorum lib. 1. descripta declaratur: quam etiam testatus est *Ostiensis* lib. 2. cap. 60.; se illam accepisse perhibens a quodam *Pandulfo*, qui eam ab *Pythagora* metipso acceperat. Nec est, quod a *Pandulfo* illo talem hic Auctor audire nequiverit narrationem; quam vir doctus altero etiam parum firmo persuasus argumento minimè

F ab illo descriptam, sed in ejus Chronicon ab aliis insertam putavit (utinam sic fecisset de ea visione Solitarii, de qua dixi in Historia PP. *Langobardorum* col. 142. seq. nec a *Petri Damiani* vel fide, vel diligentia iterato, longoque sermone recedendum esse contendisset.) Nam Ostiensis ibi verbis illis: *cujus superius memoriam feci*, *qui non longo ante tempore defunctus fuit*, &c. de Principe *Pandulfo* 4. loquebatur; cui si *Desiderius* fuit æqualis: & ipse, qui *Desiderio* Chronicon suum di-

cavit, ætate simul propinquus haud dubiè fuit.

Richerius ab an. 1038. ad ann. 1055.

Richerius sedit a Kal. *Junii* ad 3. Idus *Decembris* per subscriptos annos.

An.*Ch.*	Ind.	*Rich.*	An.*Ch.*	Ind.	*Rich.*	An.*Ch.*	Ind.	*Rich.*
1038	6	1	1045	13	8	1052	5	15
1039	7	2	1046	14	9	1053	6	16
1040	8	3	1047	15	10	1054	7	17
1041	9	4	1048	1	11	1055	8	18
1042	10	5	1049	2	12	An.18. non exactus.		
1043	11	6	1050	3	13			
1044	12	7	1051	4	14			

PETRUS.

Petrus ab ann. 1055. ad an. 1057.

QUintus & trigesimus hujus Monasterii Abbas, sedit anno uno, mensibus quinque. Ostiensis lib. 2. cap. 92. & Index in Codice 202. Minutiori autem calculo sedit aliis diebus XII.; supputandis a die obitus prædecessoris ejus *Richerii* ad electionem usque successoris *Friderici*. Nec dubito, hanc dierum summam restituendam esse in altero Indice Abbatum, in quo supra antedictos annum & menses *Petro* imputantur dies *XVII*. Ille verò electus cum fuisset, ut idem habet *Ostiensis* lib. 3. cap. 7. per eos dies, quibus *Victor* Papa secundus *Florentiæ* commorans pergere ultra montes ad Imperatorem disponebat *Henricum* 2.; ad quem perhibent illum pervenisse in anno 1056.; cumque ipsius electio celebrata fuisset inscio præfato Pontifice, idque *ille nimis indignè*, ut Ostiensis usurpem verba lib. 2. cap. 93. *tulisset*, eò tandem deventum est, ut *Petrus* Abbatia se abdicarit, *in quinta Feria post Pentecosten anno* 1057.: hoc est 11. Kal. *Junii*; nam dicto anno Festum illud incidit in 15. Kal. prædicti mensis, eodemque anno Pontifex *Victor* 2. in *Italiam* reversus fuerat.

Petrus ab ann. 1055. ad an. 1057.

Petrus sedit a 3. Idus *Decembris* ad 11. Kal. *Junii* per subscriptos annos.

An.*Ch.*	Ind.	*Pet.*	An.*Ch.*	Ind.	*Pet.*
1055	8	1	1057	10	Continuat annus 2. non exactus.
1056	9	2			

FRIDERICUS.

Fridericus ab an. 1057. ad ann. 1058.

EX Ostiensis dicto lib. 2. cap. 94. *altera die post abdicationem* Petri, *id est sexta Feria post Pentecosten; ingenti gaudio, & exultatione cunctorum de more Monasterii Abbas electus est; Anno Domini millesimo quingentesimo septimo. Qui natione* Lotharingus (sic pergit idem Auctor cap. 95.) *trigesimus sextus Abbas hujus Cœnobii, sedit mensibus decem*; quod etiam spatium ei imputant Index in Cod. 202.; sed alter addit dies VIII. quos VII. fuisse meus me docet calculus: verum minutiora ista minus curo. Cum autem *Fridericus* Abbatiam *Cassinensem* regendam suscepisset, qua dictum est, die; nec multo post ab antedicto Pontifice *Victore* 2. Presbyter Cardinalis, titulo S. *Chrysogoni* fuisset ordinatus, eodem Papa defuncto 5. Kal. *Augusti* ejusdem anni 1057. in Papam electus ipse est, atque appellatus *Stephanus* 10.: *quoniam Festum S.* Stephani *Papæ* (inquit Ostiensis lib. 2. cap. 96.) *eò die celebrabatur*, hoc est 4. Non. ejusdem mensis. Advixit verò Abbas simul, & Pontifex ad diem 4. Kal. *Aprilis* insequentis anni 1058.; cum jamdudum circa Natalis Domini Festivitatem, anni scilicet antecedentis, gravi languore detentus, in Monasterio degens *Cassinensi*, potestatem fecisset Prioribus novi Abbatis eligendi; qui *Desiderium* præficiendum esse constituerunt, ipsomet *Stephano* electionem comprobante; sed tali conditione, ut ille Abbatiam non antea susciperet, quam e *Constantipolitana* legatione eodem tempori ei commissa, fuisset reversus. Pontifice autem post tres menses vita functo, *Desiderius*, qui ex *Italia* nondum discesserat, a suscepto desistens itinere, designatam Præfecturam statim adivit, ut mox declarabo.

Fridericus ab an. 1057. ad ann. 1058.

Fridericus sedit ab 10. Kal. *Junii* ad 4. Kal. *Aprilis* per subscriptos annos.

An.*Ch.*	Ind.	*Frid.*	An.*Ch.*	Ind.	*Frid.*
1057	10	1	1058	11	Continuat an. 1. non exact.

DESIDERIUS.

Desiderius ab an. 1058. ad ann. 1087.

UT Ostiensis perhibet lib. 3. cap. 1. & seqq. *ex Nobilissima* Beneventanorum *Principum origine sanguinis lineam ducens*, juxta inferius descriptum annorum ordinem, primum Monachus, dein Abbas *Cassinensis*, ac tandem *Romanus* factus est Pontifex, nomine dictus *Victor* 3. Hic natus in anno ferè 1027., vocatusque *Dauferius*, atque *in anno circiter vigesimo suæ ætatis*: *Christi* 1046., patre a *Nortmannis* perempto orbatus, e solitaria, quam eodem tempore delegerat, vita a matre vi abductus; *perque annum penè integrum*: nempe 1047. sub arcta custodia servatus, exque ea in anno dilapsus 1048. ætatis suæ 22. Salernitanum*que ad Principem* Guaimarium, *consanguinitate sibi propinquum, accedens, petensque, ut quoniam in patria vivere Monachus non sibi permittebatur, Deo quiete servire apud illum liceret*, voti compos, ad Monasterium Sanctæ Trinitatis, quod ad *Cavam* nuncupatur, se volente, ab eodem Principe transmissus fuerat: cum mater filium a proposito dimovere non valens, ab illo impetravit, patrocinio etiam fulta *Beneventani* Principis *Landulfi*, scilicet 6. (mallem. *Pandulfi*: nempe. 3. patris ejus) ut saltem *Beneventum* rediret, atque apud Monasterium S. *Sophiæ* sub Monastica, ut expetebat, professione degeret; quod ipse non recusavit, *sicque tunc primum mutato nomine* Desiderius *appellari cœpit, nam usque ad id tempus* Dauferius *vocabatur*. Ibi autem *per aliquot annos* commoratus (puta tres, & ad annum usque ætatis suæ 25.: *Christi* 1051.) ad Monasterium *Tremitense*, in Insulis *Diomedeis* situm, se contulit; ubi *non parvum tempus* (haud quidem diuturnius sesquianno, vel circa) exegit; unde abiens in exitu ferè anni 1052. ætatis suæ 26.; *& aliquandiu apud* Trasimundum *Comitem*, *Theatinum* videlicet, ejusque uxorem *sibi affinem* hospitatus: hoc est usque ad initium Mensis *Februarii* anni 1053. ætatis suæ 27.; *ab ea die ad tertiam Dominicam post Pascha per tres circiter menses* apud montis *Majellæ* Solitarios mansit; ac tandem iterum ad S. *Sophiæ* Monasterium rediit. *Post verò non multos dies*, Papa *Leone* 9. e partibus ultramontanis regresso, ac *Beneventi* degente, eidem factus valde familiaris, *in Altaris etiam officio illi adhæsit, & Euangelium ad ejus Missas legit*: eopse scilicet anno 1053. quo idem Pontifex Mense *Junio* a *Nortmannis* in *Apulia* bello victus, post novem circiter menses *Romam* repedavit, & in anno obiit 1054. At *Desiderius* deinde in languorem decidens, *Salernum* petiit, ibique aliquantisper commoratus, *Beneventum* ad S. *Sophiam* remeavit, & *aliquantulo tempore exacto*, quoniam rumor increbuerat, *Victorem* Papam 2. ab ultramontanis partibus *Romam* advenisse (advenit *Victor* in anno 1055. ætatis *Desiderii* 29.) ad illum *Florentiæ* tunc degentem accessit, eodem scilicet anno Synodum celebrantem *Florentinam*; ibique per

Desiderius ab an. 1058. ad ann. 1087.

per aliquantulum tempus manens, ad *Petrum* non ante multos dies; id est in exitu præfati anni 1055. electum Abbatem *Cassinensem*, literis ejusdem Papæ illi commendatus, recessit, ineunte videlicet anno 1056. ætatis suæ 30. *a quo decenter susceptus, ac Monasticam consecrationem adeptus, in eodem Monasterio aliquandiu honestè est conversatus; nec multo post ad* Capuanum *Monasterium est transmissus Præpositus. Sed cum* Pandulfus *ipsius civitatis Princeps* (nempe quintus, quem hinc adparet non antea defunctum) *indigna quædam, juxta priorum temporum consuetudinem, ei vellet injungere*, ipse *Capua* secedens, ad *Richardum* se contulit, *Aversanum* Comitem, *tunc præfatam urbem obsidione expugnantem; sicque in Obedientiis*, seu dicas Ecclesiis, ac prædiis sitis extra urbem, eidemque *Campano* S. *Benedicti* Monasterio subjectis, *aliquandiu* se continuit. Verum *Frederico Cassinensem* Abbatiam obtinente in anno 1057., atque in Summum Pontificem eodem anno ordinato, ad illum *in mense* Augusto præfati anni, ætatis verò suæ 31. perrexit; a quo *paucis diebus elapsis* infirmus *Cassinum* rediit; quò *post quatuor circiter menses* idem Pontifex se contulit, deque novo Abbate eligendo circa ipsam Natalis Domini festivitatem Monachis potestatem fecit; qui *Desiderium* conclamarunt, ipsi Pontifici jam pridem apud *Beneventum* tempore *Leonis* 9. & nuper in *Cassinensi* Monasterio *ante non plenum biennium*, tempore Abbatis *Petri*, etiam familiarius notum. Abbatiæ tamen administrationem haud ille ante obitum præfati Papæ suscepit ex causa superius in *Frederico* exposita; cœpitque sedere a die Paschatis, anni 1058., quæ tunc incidit in 13. Kal. *Maji*. *Romanum* postea Pontificatum cum in Pentecoste anni 1086. hoc est 9. Kal. *Junii*, recusasset, suscepisset autem, fuissetque consecratus *anno* 1087. 13. *Kal.* Aprilis, *die Dominico in* Ramis Palmarum, nomen sortitus *Victoris* 3.: Abbatiam nihilominus ad prædecessoris exemplum non dimisit, sed ad obitum usque retinuit; qui, si Petro Diacono in Auctario ad *Ostiensem* lib. 3. cap. 71. juxta fidem scripti exemplaris, & editionis *Neapolitanæ* steterimus, *migravit ad Dominum* 16. *Kal.* Octobris, *anno Domini* 1087. *a Patris autem* Benedicti *anno DLXXIX.* (restituo. *DLIX.* ut declaratum est, ubi de Constructione Monasterii *Cassinensis*) *cum præfuisset in hujus Monasterii regimine annis* 29. *mensibus* 4. *diebus* 16. *In Sede vero Apostolica ab ipso suæ electionis exordio, anno uno, sacrationis mensibus quatuor, diebus septem:* Sin autem diligentiorem sequemur calculum, descriptum in Indice præfixo Codici 202. sedit Abbas (tempora ipsius Pontificatus præterita ibi fuere, quæ nec *Petrus* diligenter admodum computavit) supra jam dictos annos 29. integris mensibus quinque. Sed omnium diligentissimè auctor alterius Indicis illi dat *annos XXIX. menses IV. dies XXVIII.* (sic enim ibi dierum numerus restituendus est, qui modo habet dies *XXII.*) quod sanè annorum, mensium, & dierum intervallum defluxisse deprehenditur a 13. Kal. *Maji*, & a Paschate anni 1058., ad 16. Kal. *Octobris* antedicti anni 1087. Editus Anonymus *Cassinensis* ex consueto errore annum susceptæ a *Desiderio* Abbatiæ anticipat, ac pariter dimissæ; sicuti intermedia etiam tempora, & gesta omnia antevertit, excepto anno Dedicationis majoris Ecclesiæ *Cassinensis*, in anno celebratæ 1071.; in quo cum *Ostiensi* benè convenit, hoc ipso anno illam actam perhibens: sic nempe eo loci ab ejusdem editionis Auctore recensitus, qui præfatæ celeberrimæ consecrationis annum memoriter, ac promptè retinebat; scriptumque exemplar, numero signatum 47., ex quo, ut in *Theobaldo* dixi, natus est ejusmodi anticipationis error, ibi solummodo in *Christi* annis haberi adverterat depravatum. Sed præstat nunc nonnullos Abb. *Desiderii* actus, descriptos ab Ostiensi, ad ejusdem Auctoris normam, seriatim, & per tempora exponere. Qui lib. 3. cap. 12. inter priora ejus gesta notat, quod *ille* Adenulfo Cajetano *Duci gratiam Principis conciliaverit*: nempe *Richardi* primi; qui ex Comite *Aversæ Campanum* Principatum limitata quadam potestate in anno obtinuit 1058.; plenissimè autem in anno 1062.; post quem annum, in anno videlicet 1063., atque exacto mense *Majo*, qui *Desiderii* fuit annus 6.; *Richardum* cum *Adenulfo* concordasse, eique Ducatum *Cajetanum* retinere, ignotis nunc conditionibus, permisisse, intelligere est ex innumeris antiquis Chartulis; in quibus ipse una cum filio *Jordano*, æque Principatus dignitate insignito, Dux etiam *Cajetæ* ab anno jam dicto 1063. appellari cœpit: quo simul tempore *Romanam Campaniam* pervaserat, de quo fusè alio loco. *At* Desiderius, inquit Ostiensis lib. 3. cap. 28. *anno ordinationis suæ nono, Divinæ Incarnationis millesimo sexagesimo sexto, mense* Martio, *Indictione quarta, Beati* Benedicti *Ecclesiam tam parvitate, quam deformitate thesauro tanto, tantæque Fratrum congregationi incongruam, evertere a fundamentis aggressus* (editus Anonymus *Cassinensis* hæc figit ad annum 1065. suo more) ipsam magnificentius instaurandam suscepit; quam *intra quinquennii spatium absolutam*, ut idem perhibet Auctor cap. 30., solemnitate maxima dedicandam a Summo Pontifice *Alexandro* 2. curavit, *die Kalendarum* Octobrium, *anno Incarnationis Divinæ* 1071., *Indictione* x. *die Sabbathi. Transactis verò* (verba pariter sunt Ostiensis, sed in Descriptione consecrationum Ecclesiarum *Cassinensium* una cum Quatuor antiquis Chronologis *Neapoli* sub Ignoti auctoris nomine edita) *a præfata Dedicatione tribus annis, totidemque mensibus, anno videlicet a Salvatoris Nativitate* 1075. *incipiente, tertio Nonas* Januarii *Ecclesiam B.* Bartholomæi *Apostoli, quæ ad Occidentalem partem Majoris Ecclesiæ satis decenter sita erat, cum grandi iterum lætitia dedicari fecit a* Joanne *Episcopo* Sorano (hic fuerat ejusdem Cœnobii Monachus, ut Petrus Diaconus habet in Auctario ad *Ostiensem* lib. 3. cap. 34. eandem describens consecrationem). *Quo etiam anno* (nempe 1075.) *post octo circiter menses, reliquæ duæ Basilicæ in extremis exterioris Atrii, Turrium modo, hinc inde locatæ, pari studio, & honore sacratæ fuerunt* 4. *Idus* Septembris, &c. quæ etiam repetit idem *Petrus* loco prædicto. Atque hæc de *Desiderio*. Cæterum idem *Petrus* injustè a viro docto reprehenditur, quod lib. 3. cap. 42. præpostero ordine quandam a *Campanis* Clericis, seu dicas Canonicis cum Monachis *Cassinensibus* disceptationem *Capuæ* habitam coram *Gregorio* 7. in *anno*, ut ipse putat, *sui Pontificatus primo, Christi* scilicet 1093.: quo sanè anno fuit *Capuæ Gregorius*, retulerit post Synodum ab eodem Summo Pontifice *Romæ* coactam. Nam Petrus de ea *Romana* Synodo est ibi locutus, in qua statutum est (ejusdem Auctoris sunt verba) *ut siquis a Laico Ecclesiæ investituram acciperet, dans, & accipiens anathemate plecteretur*. At illam in anno *Christi* 1078. 6. Pontificatus *Gregorii*, 13. Cal. *Decembris*, Indictione 2. celebratam constat; cujus Acta habentur lib. 6. Epistolarum ejusdem Papæ post Epist. 5. Quo simul anno, Kal. *Junii*, Indictione 1. *Gregorius Capuæ* adstitit, ut ex ipsius Epist. 1. prædicti lib. 6. aperitur: nempe, ni fallor, cum Principe tunc agens

Desiderius ab an. 1058. ad ann. 1087.

Desiderius ab an. 1058. ad ann. 1087.

Desiderius ab an. 1058. ad ann. 1087.

agens *Jordano* de comprimendo Duce *Roberto Guisc.* bonorum *Romanæ* Ecclesiæ invasore; in quem eodem tempore etiam conjuraverunt plurimi ejus Comites; nam dicto anno 1078. *Jordani* pater *Richardus*, & ipse Pontifici olim infensus, ab excommunicatione solutus decesserat 8. Id. *Aprilis*, quinta Feria in Cœna Domini. *Petrus* verò post descriptam *Romanam* Synodum statim de Clericis, & Monachis invicem altercantibus verba fecit; nempe tempus non motæ, sed decisæ litis attendens, quæ definita videtur in eadem Synodo; extat enim in ipsius Petri Registro pag. 21. *Gregorii* 7. Privilegium, *datum* Romæ *anno 6. sui Pontificatus*, 7. *Idus* Decembris *Indictione* 2. *quo censuit præfatus Apostolicus* (verbis etiam dicam Petri) *tam Archiepiscopum, quam & Capuanos Clericos in perpetuum ab illa quæstione quiescere*, &c.

Desiderius *ab an.* 1058. *ad ann.* 1087.

Desiderius sed. a 13. Kal. *Maji* ad 16. Kal. *Octobr.* per hos ann.

An. *Ch.*	Ind.	*Desid.*	An. *Ch.*	Ind.	*Desid.*	An. *Ch.*	Ind.	*Desid.*
1058	11	1	1069	7	12	1080	3	23
1059	12	2	1070	8	13	1081	4	24
1060	13	3	1071	9	14	1082	5	25
1061	14	4	1072	10	15	1083	6	26
1062	15	5	1073	11	16	1084	7	27
1063	1	6	1074	12	17	1085	8	28
1064	2	7	1075	13	18	1086	9	29
1065	3	8	1076	14	19	1087	10	30
1066	4	9	1077	15	20	An. 30. non exactus.		
1067	5	10	1078	1	21			
1068	6	11	1079	2	22			

ODERISIUS.

Oderisius *ab an.* 1087. *ad ann.* 1105.

TRiduo antequam *Desiderius*, qui & *Victor* 3. vita decessisset, omnium Monachorum unamini voto, ut Petrus Diaconus tradit lib. 3. cap. 71. Abbas ab eodem Pontifice fuit constitutus; sive, ut minutiori sermone idem habet Auctor lib. 4. cap. 1. *Cum Papa graviter infirmaretur, in Capitulo Fratrum se deferri in lecto præcepit; ibique admonuit Fratres, ut juxta quod B.* Benedicti *Regula præcepit, Abbatem sibi de ipsa Congregatione eligerent. Inter Fratres vero habito consilio, omnes pari consensu prædictum* Oderisium, *qui ex* Marsorum *Comitum origine lineam sanguinis ducebat, ad tantum ordinem recipiendum dignum proclamantes, elegere. Quod cum prædicto Papæ* Victori *retulissent, ipse voluntatem eorum, & electionem valde laudavit, eundemque protinus vocari faciens, omnino invitum per Virgam, & Regulam de Abbatia investituit; in qua sedit annis decem & octo, mensibus duobus, diebus decem & octo.* Sic *Petrus* ibi. Sed Index in Codice 202. præscriptos quidem annos, & menses *Oderisio* adsignat, nullos tamen addit dies, ex librarii fortè incuria; quos alter Index levi varietate notat 17. nam hic Abbas obiit, eodem testante Petro lib. 3. cap. 24.; quarto Nonas *Decembris*, scilicet anno 1105. Etsi Anonymus *Cassinensis* in Codice edito annum electionis ipsius, æque ac obitus, non suo, sed alieno ut solet, anticipat, errore: *Porrò cum ab hac Dedicatione* (sic pergit Ostiensis in superius laudata Descriptione post expositam consecrationem binarum Ecclesiarum novissimè actam, curante Abbate *Desiderio* in anno 1075.) *annus jam quartusdecimus, & ab Incarnatione Dominica millesimus, & nonagesimus volveretur* (annos supputat 14. nescio qua deceptus fallacia, qui ex ipsiusmet calculo fuerunt quindecim, menses duo, & dies octo) *tribus jam annis, & tribus ac sexaginta diebus a transitu Reverendæ memoriæ* Desiderii *Abbatis elapsis, præsidente, atque jubente Domno* Oderisio *Reverentissimo successore ipsius, dedicata est Ecclesia S. Confessoris* Christi Martini, *quam prædictus Abbas* Desiderius *mirifice, ac pulcherrime in sexdecim marmoreis columnis erexerat* (totidem columnas numerat *Petrus Diac.* lib. 4. cap. 8. qui lib. 3. cap. 34. decem & octo fuisse declarat) *Dedicata est autem* 14. *Kal.* Decembris: *ipsa videlicet die Octavarum ejusdem Confessoris* Christi Martini, *Feria secunda.* Hæc ille, ipsissimisque verbis *Petrus* lib. 4. cap. 8. ex fide M. S. Codicis, & utriusque antiquioris Editionis; hoc tamen excepto, quod *annos* 14. *a Dedicatione Majoris Ecclesiæ*, hoc est ab anno 1071. elapsos tradit; quos *Ostiensis*, ut dictum est, supputaverat ab recentiori consecratione minorum Ecclesiarum in exteriori Atrio sitarum, atque ab anno 1075. Ex quo manifestè intelligimus, haud hunc ipsum *Petrum*, ut alii sibi persuaserunt, ejusmodi Descriptionis fuisse Auctorem; sed quem dixi *Ostiensem*, qui palam id testatur, cum ibidem spondet, se *alio loco*, nempe in grandiori Chronico, quod re complevit lib. 3. cap. 28. & seqq. *cum reliquis operibus prædicti Domni Abbatis* Desiderii *latius expositurum, quanta gloria, quantaque frequentia major illa Ecclesia fuerit consecrata.* Et verò quisquis ejusce descriptionis putandus sit Auctor, ille quidem *propriis oculis visa* se adfirmat, haud cum *Petri* ævo comparanda; qui in anno *Christi* 1115. primum suæ ætatis agebat lustrum, eodemque tempore B. *Benedicto* fuit oblatus: de quo dicam infra in Abb. *Girardo*: *At annis post ista tribus* (sic Ostiensis ubi supra post descriptam consecrationem Ecclesiæ S. *Martini*, in anno actam 1090.) *& tribus insuper, ac septuaginta diebus exactis, anno scilicet Incarnationis Dominicæ* 1094., *Indictione secunda, Mensis* Januarii *die trigesima, secunda Feria* (Characteres hi omnes jam dicto competunt *Christi* anno) *dedicata est Ecclesia B.* Andreæ *Apostoli, præsidente Abbate* Oderisio: *ea nimirum die* (hoc est recurrente) *qua Castrum, quod* Frattæ *dicitur, recepimus; quod videlicet triennio antè* (in anno 1091.) *a vicinis* Normannis *furatum nobis fuerat, atque pervasum, sed die* . . . . (suppleo. 3. *Kal.* Februarii) *Domino auxiliante, receptum, atque ob sempiternam illius triumphi memoriam in eadem die* (anniversaria, ut dixi, ac transacto triennio) *consecrationis hoc solemne statutum.* Sic ibi. Nec in alium annum hanc Dedicationem retulisse videtur editus Anonymus *Cassinensis*, consueto anticipationis errore eam notans ad annum 1093.; ad quem etiam & ad Indictionem nihilominus secundam, diemque *Januarii* trigesimam eam refert *Petrus Diaconus* lib. 4. cap. 9. in universis Editionibus, & in manu exarato exemplari; sed mente certè lapsus; nec advertens Indictionem secundam haud competere anno a se descripto, sed anno 1094., cui ritè assignat *Ostiensis*: ipseque suo se gladio confodit *Petrus*, consecrationem actam consentiens triennio postquam Castrum *Frattarum* fuerat recuperatum; ipsius autem amissionem, & recuperationem certis temporum characteribus circumscriptam, in annum rejiciens 1091.: perhibet enim Castrum deperditum *in Festivitate S.* Priscæ hoc est 15. Kal. *Februarii, perque integram hebdomadam*, ad diem scilicet 7. Kal. ejusdem mensis, invalorem commonitum ab Abbate, ut illud redderet; *& quarta tandem die*, tertio videlicet Kal. mensis antedicti, fuisse a Monachis receptum; *septima verò die*, nempe ab transacta hebdomada illa, hoc est 4. Non. *Februarii, dum præfatus Abbas cum Papa* Urbano Capuæ *esset, Rainaldum Ridellum Castri usurpatorem publicè eidem Abbati satisfecisse*; qua die Pu-

Oderisius *ab an.* 1087. *ad ann.* 1105.

Purificationis B. *Mariæ* festum colebatur: *Urbanus* autem *Beneventum* tunc pergebat ad Synodum ibi jam dicto anno 1091. celebrandam. Cæterum *hoc præsidente Abbate* (Petri sunt quoque verba lib. 4. cap. 23.) *anno Domini millesimo centesimo tertio, septimodecimo anno promotionis suæ, dedicata est Ecclesia S.* Stephani, *Nonis* Decembris, *&c.*

Oderisius ab an. 1087. ad ann. 1105. *Oderisius* sedit a 16. Kal. *Octobris* ad 4. Non. *Decembris* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Oder.*	An. *Ch.*	Ind.	*Oder.*	An. *Ch.*	Ind.	*Oder.*
1087	10	1	1094	2	8	1101	9	15
1088	11	2	1095	3	9	1102	10	16
1089	12	3	1096	4	10	1103	11	17
1090	13	4	1097	5	11	1104	12	18
1091	14	5	1098	6	12	1105	13	19
1092	15	6	1099	7	13	An. 19. non		
1093	1	7	1100	8	14	exactus.		

O T H O.

Otho ab an. 1105. ad ann. 1107. EX *nobilissima* Fundensium *Consulum prosapia ortus, Abbas hujus Monasterii tricesimus nonus, sedit anno uno, mensibus decem; electus eodem tempore, quo Princeps* Capuæ Richardus (scilicet 2.) *infirmitate gravissima laborabat: qua ingravescente, vita decessit. Quo etiam tempore defuncto quarto Imp.* Henrico. Henricus *quintus, filius ejus* Romani *Imperii gubernacula regenda suscepit.* Sic Petrus Diaconus lib. 4. cap. 26. Epocham, & spatium Abbatiæ *Othonis* probè consignat, quem dein cap. 30. perhibet obiisse Kal. *Octobr.* nempe anno 1107., exactis, quos ei imputaverat, anno uno, & mensibus decem, ab 4. Nonas *Decembris*, anni scilicet 1105.; quot etiam illi imputat uterque Abbatum Index. At cum vides a *Petro Othonis* electionem comparari cum anno obitus Principis *Richardi*, & Imperatoris *Henrici* quarti, qui aliis dicitur tertius, sic ejus verba accipienda esse adverte: ut *Richardum* intelligas tempore prædictæ electionis, atque initio mensis *Decembris*, anno 1105. infirmitate detentum, diem obiisse in exordio sequentis anni 1106.; sicut aptiori loco declarabitur, quo etiam anno, mense *Augusti Henricum* vita decessisse, Auctores adfirmant omnes. Refellas hinc oportet editionem Anonymi *Cassinensis*, in qua consueto errore *Othonis* electio notatur ad annum 1106.; Principisque *Richardi* 2. obitus ad annum 1105.

Otho ab an. 1105. ad ann. 1107. *Otho* sedit ab 4. Nonas *Decembris* ad Kal. *Octobris* per subscriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Oth.*	An. *Ch.*	Ind.	*Oth.*	
1105	13	1	1107	15		Continuat an. 2.
1106	14	2				non exactus.

B R U N O.

Bruno ab ann. 1107. ad an. 1111. EX *illustri* Astensium *civium prosapia ortus, & ex Episcopo* Signino *Monachus factus* Cassinensis, *est tandem electus Abbas ejusdem Monasterii quadragesimus, quadragesimo quarto die ab* Othonis *Abbatis depositione extante; seditque annis tribus, mensibus decem.* Petrus Diaconus lib. 4. cap. 31. Abbatiam igitur suscepit *Bruno* Idibus *Novembris*, anno 1107.; vel die sequenti; a qua die computatis ejus sedis annis & mensibus antedictis, illam ad Idus usque *Septembris* retinuisse videtur. Verum Indices supra tres annos ei adsignant menses undecim, ita ut *Brunonem* Abbatia se abdicasse innuant mense *Octobri*: ad Pontificis enim *Paschalis* 2. imperium ipsam dimisit, ut pluribus tradit idem *Petrus* lib. 4. cap. 42. qui diem silet abdicationis. De hoc autem quid-

A quid sentias, edito Anonymo *Cassinensi* haud assentiri poteris, exordium hujus Abbatis in anno statuenti 1106., exitum vero in anno 1110.; qui suo more hæc tempora antevertit.

Bruno sedit ab Idibus *Novembris* ad Idus vel *Septembris*, vel *Octobris* per subscriptos annos. Bruno ab an. 1107. ad ann. 1111.

An. *Ch.*	Ind.	*Bru.*	An. *Ch.*	Ind.	*Bru.*	An. *Ch.*	Ind.	*Bru.*
1107	15	1	1109	2	3	1111	4	
1108	1	2	1110	3	4	Continuat an. 4. non exact.		

G I R A R D U S.

B EX *nobilissima* Marsorum *Comitum progenie originem ducens, hujus Monasterii Abbas quadragesimus primus, sedit annis undecim, mensibus tribus.* Petrus Diac. lib. 4. cap. 43. Index vero in Codice 202. nudum hujus, & sequentis Abbatis nomen exhibet, nec ulterius progreditur. At alter levi a *Petro*, discrepantia ei assignat annos undecim, menses duos, dies viginti octo; quem obiisse 16. Kal. *Februarii*, anno videlicet 1123., idem *Petrus* scribit lib. 4. cap. 77. quo pacto electum demonstrat 16. Kal. *Novembris*, anno 1111. quando prædecessorem *Brunonem* Abbatia se abdicasse, expositum est supra. *His porrò temporibus* (verba sunt præfati Auctoris lib. 4. cap. 66. Monachatus sui initia enarrantis) Petrus Diaconus *anno Dominicæ Incarnationis quintodecimo, centesimo, atque millesimo, primo ætatis suæ lustro* (restitue. *secundo.* ut constabit in subsequenti *Oderisio*) *a parentibus suis B.* Benedicto *oblatus, & a jam dicto* Girardo *susceptus, sub eodem per annos bis quatuor eruditus est*: scilicet ad exitum usque prædicti Abbatis; & ad annum 1123. Ex quo etiam apparet consuetus in editione Anonymi *Cassinensis* error, ubi *Girardi* electio, & obitus integro anno citius figitur. Girardus ab an. 1111. ad ann. 1123. C

D *Girardus* sedit ab 16. Kal. *Novembris* ad 16. Kal. *Februarii* per subscriptos annos. Girardus ab an. 1111. ad ann. 1123.

An. *Ch.*	Ind.	*Gir.*	An. *Ch.*	Ind.	*Gir.*	An. *Ch.*	Ind.	*Gir.*
1111	4	1	1116	9	6	1121	14	11
1112	5	2	1117	10	7	1122	15	12
1113	6	3	1118	11	8	1123	1	
1114	7	4	1119	12	9	Continuat an.		
1115	8	5	1120	13	10	12. non exact.		

O D E R I S I U S.

HUjus nominis secundus, atque *a B.* Benedicto *quadragesimus, & secundus Abbas, ex* Sangrorum *Comitum prosapia suæ originis lineam ducens, sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quindecim.* Petrus Diaconus lib. 4. cap. 78. A quo nonnihil discrepat Index, qui reliquam Abbatum seriem repræsentat, dans *Oderisio* 2. supra annos, & menses prædictos, alios dies viginti sex. Sed hæc discrepantia paucos dies, annos proturbat illius sedis; quem de Abbatia expulsum aliquanto post Pascha, in anno scilicet 1126., eo anno celebratum 3. Idus *Aprilis*, idem *Petrus* tradit lib. 4. cap. 83.; parumque refert, an ille ad Prid. Kal.; an ad 3. Idus *Junii* sederit; vel ob id præcipue, quod varia hæc supputatio ad concordiam redit in subsequenti Abbate *Nicolao*; exque ea nullum sanè procedit incommodum. Idem autem *Petrus* designatam a me *Oderisii* 2. Epocham demonstrabat, Meteora illa in anno visa 1123. Prid. Non. *Aprilis* (in Chronico Anonymi *Cassin.* consueto errore notantur ad annum antecedentem) & a se descripta lib. 4. cap. 76., ad ipsius Abbatis tempus referens, haud quidem multò ante electi; quandoquidem addit, *tunc temporis* Pandulfum *Comitem* de Sexto *jurejurando firmasse eidem* Oderisio Oderisius 2. ab an. 1123. ad ann. 1126. E F

totam ex integro Abbatiam, &c. quæ confirmatio, ex conſueto more, in exordio ſuſcepti muneris acta videtur. Parique ratione idem Auctor cap. 92. ea, quæ geſta fuerant in anno 1124. ad ætatem retulit ejuſdem Abbatis; unde nec ejus electionem apud editum Anonymum *Caſſinenſem* ad annum 1122.: expulſionem vero ad annum 1125., congruè repræſentatam intelligimus; nec ipſum *Petrum* lib. 4. cap. 66. ſinè mendo eſſe, dicentem, ſe in anno 1115. *primo ſuæ ætatis luſtro*, hoc eſt quinquennem, B. *Benedicto* fuiſſe oblatum; & in *vigeſimo primo anno* ſuæ vitæ ſcripſiſſe Paſſionem B. Martyris *Marci*, & Sociorum ad Abb. *Oderiſium*; nam ſic ille, ſibi pugnans, *Oderiſii* ſedem produxiſſet ad annum *Chriſti* decimum ſextum ſupra milleſimum centeſimum decimum quintum: hoc eſt ad annum 1131. quo, ut manifeſtum eſt, viceſimum primum ſuæ ætatis egiſſet annum, in ipſis etiam Actis S. *Marci* manu exaratis iterum a ſe inculcatum. Reſtituas igitur oportet loco jam dicto, *ſecundum* luſtrum agentem, ac decennem, *Petrum* Sacro Monachorum cœtui aggregatum, ceſſabitque omnis inconvenientia, ut conſideranti patet.

Oderiſius 2. *ab an.* 1123. *ad ann.* 1126.

Oderiſius 2. ſedit a 16. Kal. *Februarii* ad Prid. Kal. ſive ad 3. Idus *Junii* per ſubſcriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Oder.*	An. *Ch.*	Ind.	*Oder.*	
1123	1	1	1125	3	3	Non exactus.
1124	2	2	1126	4	4	

NICOLAUS.

Nicolaus *ab an.* 1126. *ad ann.* 1127.

NAtione Tuſculanus *ſedit anno uno, menſe uno, diebus ſexdecim.* Petrus Diac. lib. 4. c. 89. Hujus ſedem, ſive cum eodem Auctore, ut ſuperius indicabam, ſupputes a Prid. Kal. ſive cum Indice Abbatum, a 3. Idus *Junii*, anni 1126., diem planè 17. Kal. *Auguſti* anni 1127. non eſt tranſgreſſus, nam Index ille ad *Petri* rediens concordiam, imputat ei poſt annum, & menſem dies non plures, quam ſex. Dies tamen electionis ſucceſſoris ejus *Senioreti* ſi attendatur, ceſſiſſe Abbatiæ dicendum erit *Nicolaum* 4. Idus *Julii*; ſed his nimis ſcrupuloſè non inſiſto. De Anonymi autem *Caſſinenſis* male curata editione magis curo, de qua nil addam nunc amplius: cum ex hactenus dictis, annorum errorem in *Theobaldo* expoſitum, perpetuò in ea inſidere, jam facile deprehendi poſſit. Sed utinam nec uno modo, nec frequentiſſimè ibi quoque peccatum.

Nicolaus *ab an.* 1126. *ad ann.* 1127.

Nicolaus ſedit a Prid. Kal. ſeu a 3. Idus *Junii* ad 4. Idus *Julii* per ſubſcriptos annos.

An. *Ch.*	Ind.	*Nic.*	An. *Ch.*	Ind.	*Nic.*	
1126	4	1	1127	5	2	Non exact.

SENIORETUS.

Senioretus *ab an.* 1127. *ad ann.* 1137.

HUjus Cœnobii Abbas a B. Benedicto *Quadrageſimusquartus, ſedit annis novem, menſibus ſex, diebus decem, & novem: electus* 4. *Idus* Julias. Petrus Diac. lib. 4. cap. 94. cui concordat Index Abbatum. Sed ſemetipſum refellit *Petrus* lib. 4. cap. 104. in *Caſſinenſi* exemplari, & in antiquioribus editionibus tradens, *Senioretum* deceſſiſſe *quinta Feria, Idus* Februarii, anno videlicet 1137.; a qua die retrocedendo ad 4. Idus *Julias* anni 1127. dinumerantur anni 9. menſes 7. dies 4.: Sique contra fidem ſcripti Codicis cum editione *Neapolitana* prædicto cap. 104. ſive 103. pro *Idus* legas. *Nonis* Februarii, *Feria quinta*, ſex quidem ille poſt novem annos ſe-

A diſſet menſibus, ſed diebus inſuper vigintiquatuor, ut ratiocinanti patet. Cujus nihilominus noviſſimæ editionis lectionem ad *Petri* mentem magis accedere, non inficior; qui electum ſucceſſorem *Rainaldum* poſt ſex dies ab obitu *Senioreti*, cum Feſtum S. *Scholaſticæ* celebraretur, ſcilicet 4. Idus *Februarii*, diſertè docet lib. 4. cap. 104. ſive 105. Verum anno 1137. quo obiit *Senioretus*, haud dies Nonarum, ſed Pridie Nonas *Februarii* in quintam incidit Feriam; ad quam planè diem adnotatur ejus mors in Emortuali *Caſſinenſi* omnibus Auctoribus præterendo; nec idem *Petrus* in alium annum *Senioreti* obitum
B retulit, tradens cap. 100. ſive 101. tunc tertium diem poſt Feſtivitatem Epiphaniæ, hoc eſt 6. Idus *Januarii* in ſextam Feriam incurriſſe.

Senioret. ſedit a 4. Idus *Julias* ad Pr. Non. *Januarii* per hos annos.

Senioretus *ab an.* 1127. *ad ann.* 1137.

An. *Ch.*	Ind.	*Senioret.*	An. *Ch.*	Ind.	*Senioret.*	An. *Ch.*	Ind.	*Senior.*
1127	5	1	1131	9	5	1135	13	9
1128	6	2	1132	10	6	1136	14	10
1129	7	3	1133	11	7	1137	15	
1130	8	4	1134	12	8	Continuat an. 10. non exact.		

Rainaldus Etruſcus *per ſchiſma in an.* 1137.

C DEFUNCTO *SENIORETO*, inquit Petrus Diac. lib. 4. cap. 104.; *jam ſex dies tranſierant, cum ad Feſtum S. Virginis* Chriſti Scholaſticæ *Fratres undique ad Monaſterium convenientes, & de electione Abbatis inter ſe tractantes, dividuntur in partes: & una quidem* Rainaldum Calamentanum, *qui poſt Abbas extitit, alia* Rainaldum Etrurienſem *eligere diſponebant.* Sic *Petrus*, qui poſt hæc alterum ex his duobus a ſe dictis *Rainaldis* tandem electum, ſed adeo implexo expoſuit ſermone, ut qui ejus Chronici *Venetam*, omniumque primam editionem curavit, minus benè Auctoris mentem aſſecutus, *Calamentano* tunc per ſchiſma commiſſam Abba-
D tiam, ſibi perſuaſerit; in quam ſententiam *Petri* etiam textum reformavit; ſed illum Editio *Neapolitana* in primitivam, ſcriptoque exemplari concordiorem reſtituit lectionem, nullatenus tamen ab iis, qui Seriem Abbatum *Caſſinenſium* poſtea deſcripſerunt, attentius examinatam. En Petri germana verba. *Cum inter ſe*, inquit, *Fratres plurima conferrent, viſum demum Prioribus eſt, ut electio differretur, uſquequo ad Regem* Rogerium, Romanum*que Pontificem tunc* Piſis *remorantem, Nuntios deſtinarent; per quos* Caſſinenſis *Cœnobii fortunam notificare, & ſuper tali negotio illorum conſilium præſtolari valerent. Sed cum ad*
E *hoc alteram partem flectere nullo modo poſſent (contradicentibus, & renuentibus aliis, qui ſupradictum* Rainaldum Calamentanum *eligere diſpoſuerant) eundem* Rainaldum *apprehendentes, in Patris* Benedicti *Cathedra illum locantes, ſibi in Abbatem conſtituunt.* Docti itaque viri perſuaſum habentes, τὸ *eundem* Rainaldum ad *Calamentanum* proximè quidem, ſed in Parentheſi haud ſibi obſervata, deſcriptum referri, non autem ad antecedentem *Etrurienſem*, non hunc, ſed illum tunc per ſchiſma Abbatem conſtitutum putaverunt;

Rainaldus Etruſcus *per ſchiſma in an.* 1137.

quorum interpretationem a *Petri* mente, & a vero quam longiſſimè aberrare, manifeſta aucto-
F ritate probatur editi Anonymi *Caſſinenſis*; qui ad annum 1136. (jam noſti reſtituendum eſſe 1137.) defuncto Abb. *Senioreto*, ſubrogatum in ejus locum ait *Rainaldum Tuſcum*: iſtoque eodem anno depoſito, ſuffectum *Guibaldum*: ac *Guibaldo* ſe abdicante, *Rainaldum* alterum fuiſſe ſubſtitutum; quod etiam perhibet in binis ſcriptis exemplaribus: quin ſententia clariori *Rainaldum Tuſcum*, ſive *Etrurienſem*, *Guibaldi* anteceſſorem, ſucceſſorem verò *Rainaldum* facit *Calamentanum*, in

in Codice scilicet 47. his verbis: *Obiit* Senioretus *Abbas*. Rainaldus Tuscus *fit Abbas*, &c. Rainaldus *hujus loci electus deponitur*. Guibaldus *ordinatur*, *qui post XLVI. dies recedit*. Rainaldus Cotim. *fit Abbas*. In Cod. autem 198. eadem sic. Rainaldus *hujus loci electus deponitur*; Guibaldus *ordinatur*, *qui post XL. dies recedit*. Rainaldus Colemt. *fit Abbas*. Nec compendiaria illa verba. Cotim. Colemt. aliud exprimunt vocabulum, quam. *Colimentanus*. sicut in *Italica* Dissertatione de *Colimentanæ* familiæ origine a me ante triennium habita expositum est: qua Auctores alterius opinionis persuasos sententiam mutasse, ac per me profecisse (suntque de hoc mihi tum *Neapoli* tum alibi testes plurimi, & locupletissimi) non possum non lætari. Sed redeo ad *Rainaldum*, qui in schismate electus, ipseque *Anacletiani* schismatis fautor, a Pontifice *Innocentio* 2. eodem anno 1137. *Cassinensi* in Monasterio una cum Imp. *Lothario* 3. commorante, canonicè depositus est, ut *Petrus Diac.* prodit lib. 4. cap. 123. *Venetæ*, & *Parisiensis* Editionis: sequenti scilicet die post sextam Feriam quatuor temporum, mense *Septembri*: cum per Cardinales, eodem tradente Auctore cap. 121. & 122. ipsius causa examinata fuisset *per quartam*, *& quintam Feriam tertiæ hebdomadis mensis prædicti*, *secundo post Festum S. Crucis die*, *& per sextam quoque Feriam quatuor temporum*, hoc est 17. 16. & 15. Kal. *Octobris*, in quos dies præfatæ Feriæ anno jam dicto inciderunt. Sedit igitur *Rainaldus Tuscus* a 4. Idus *Februarii* ad 14. Kal. *Octobris*: mensibus scilicet septem, & diebus septem. Nec hic contraria habet editio *Neapolitana*, licet in multis extremo hoc loco contra fidem scripti exemplaris manca, quæ plenè exhibent priores editiones; illaque si cum *Baronio* Apocrypha judicabis, non *Petro*, sed ejusce universi Chronici sæpe dicto censori adscribas par est; nam continenti textu, eademque manu, qua superiora, nec non posteriora, & quidem antiqua, exarata fuisse, apparet. Sed in præfata etiam *Neapolitana* editione multa alia post hæc desunt, nulla censura a *Baronio* notata, nullumque in scripto exemplari assertæ novitatis indicium præ se ferentia.

Rainaldus E-truscus per schisma in an. 1137.

GUIBALDUS.

Guibaldus *in an.* 1137.

EX Abbate *Stabulensi* Abbas *Cassinensis* post depositionem *Rainaldi Etrusci* electus est, commorantibus adhuc in *Cassinensi* Monasterio *Innocentio*; & *Lothario* prædictis; qui illinc discesserunt octavo postquam advenerant die, ac Festum S. Martyris *Mauritii*, quod agitur 10. Kal. *Octobris*; in Ecclesia S. *Petri* Apostoli apud *Aquinum* celebrarunt. Ista pluribus *Petrus Diac.* lib. 4. cap. 125. & 126. juxta priores editiones, & scriptum exemplar; quæ, & plura alia his conjuncta desunt in Editione *Neapolitana*. Abbatiam igitur *Guibaldus* suscepit 13. Kal. prædicti mensis, quam sponte dimisit 4. Non. *Novembris* ejusdem anni, ut idem Auctor perhibet lib. 4. cap. 110. sivè 128.; cum sedisset diebus 44.; quot etiam dies ei assignat Anonymus *Cassinensis* in M. S. Codice 47.; sed in Codice 199. diminute solos dies 40., verbis superius relatis in *Rainaldo Tusco*.

RAINALDUS.

Rainaldus Calamentanus *ab an.* 1137.

CUm jam duodecim dies a *Guibaldi* discessu transiissent, a Monachis in Abbatem est electus, die videlicet Iduum *Novembris*, *Petro Diacono* referente lib. 4. cap. 111. sive cap. 129.; Abbatiamque ad obitum usque, cum esset simul Cardinalis, perpetuis tenuit annis 29.; nam anno *Christi* decessit 1166. ut in Chronico habetur Anonymi *Cassinensis*, eo loci minimè depravato, ut dixi in Abbate *Theobaldo*. *Hic autem* Rainaldus (ejusdem Petri sunt verba) *e nobilissimo* Marsorum *Comitum genere*, *in* Valeria *scilicet Provincia sanguinis sui lineam ducens*, *tertio ætatis suæ lustro sub* Oderisio 2. *Beato* Benedicto *fuerat oblatus*, &c. Fuit igitur ordinatus Abbas in anno suæ vitæ, ferè, vicesimo octavo; gentilitio nomine appellatus *Colimentanus*, ut superius exposui. Ex cujus gente quatuorcentum quinquaginta abhinc annis præsignis familia. *Barilis*. nuncupata, *Neapoli* antehac, & etiamnum multijugi dignitate clara prodiit. Atque hæc de Abbatibus *Cassinensibus* satis; namque nec *Petrus Diacon.* Chronicon ipsius Monasterii post *Leonem* Cardinalem *Ostiensem* ulterius produxit; ad cujus facem hic Chronologicus Canon est a me institutus.

Rainaldus Calamentanus *ab an.* 1137.

FINIS SERIEI ABBATUM CASSINENSIUM.



DESCRIPTIO MONTIS CASSINI.

MONS CASSINAS, non tam olim inani Dæmonum cultu horrificus, spissaque superstitiosæ gentilitatis caligine nebulosus; quam nunc D. BENEDICTI domicilio jucundus, ac Euangelii splendore latè per orbem diffuso, clarus: *Samnii* in extremis finibus, *Latio* æque, ac *Campaniæ* confinis, duobus passuum millibus ab imo ad summum fastigiatur cacumen; situ omni ex parte præclaro ad aspectum. Qua orientem respicit; ad *Apenninos* montes brevis quidem tractus; sed ita opimus; ut soli fertilitate, cœli clementia, varietate fructuum, rerum omnium denique copia, feracissimis *Falerno*, *Massico*, *Vesuvio* montibus, si non antecellat, facilè comparandus. A Septentrione minus culta attingit juga, aspera quippe rupibus, frequentibusque dumis mira inter se densitate coëuntibus, verùm perpetua fruticum viriditate, intuentium oculis gratissima, ac multitudine pastionis alendo pecori uberrima, quibus imminet *Cairus* mons, celso adeo vertice, ut sudo vix, & sereno cœlo nubibus careat. Quà meridiem spectat, in uberrimos *Suessæ*, & *Massici* montis sinus longè, lateque prospectus, locorumque pulcherrima facies. Ad Montis primo radices; Latumiæ, ex quibus Alabastrites, variis maculis interstinctus, copiosè effoditur: vasta mox, ac læta frugibus sese offert planities, quam fluvius rapidus a proximo *Apennino* erumpens, multorumque fontium scaturigine auctus, per octo millia passuum sinuosis mæandris interluit, multisque aquarum derivationibus fœcundat, donec in *Lirim* evolutus, variata sæpius inde forma, modò vagus mollia prata, & amœnos colles æquabili lapsu distinguit, modò coarctatus oblongam vallem; hinc atque inde umbrosa sylva cum ipsis ascendente montibus, ingenti murmure pererrat, iterumque latissimis campis tumidus diffunditur, ac tandem prope *Minturnas* (nunc vulgo *Trajectum*) celebre quondam oppidum, spatioso alveo in mare *Tyrrhenum*, non procul *Cajeta*, illabitur. Nec minus in sui admirationem rapit curiosum occidentalis plaga, exspatiantibus latè *Aquinatibus*, *Fregellanis*que campis, quorum immensitate fagitata oculorum acies, descriptione, ac varietate, veluti gratissimo quodam pabulo, mirum in modum reficitur; siquidem quocumque fertur, nihil ad animi oblectationem desiderat; hinc procera delectant nemora, pictaque floribus prata, illinc convestiti vitibus colles, segetibusque campi nitentes, atque omni arborum genere distincti; quæ in tam varias coëunt figuras, ut artificiosa manu pingi eas vix posse crederes; nam nunc directæ in lineam, digestæ in quincuncem, transversæ in decussim pulcherrimè consurgunt; nunc obliquæ labyrinthos, densæ lucos, quasi arte topiaria tonsiles referunt. Hæc omnia, ad delicias ne quid requiri posset, inclyti omnes, viridissimo riparum vestitu ornant, frondosi montes, murorum adinstar, undequaque sepiunt, quos depressæ convalles multoties intersecantes, velut portæ, mare detegunt, campos aperiunt, novosque montes jucunda admodum specie demonstrant. Universa regio, si quæ alia per *Italiam*, venationi, aucupio, piscatui aptissima. Sed satis jam foris spatiatus, ut eo, unde digressus, revertar in edito *Cassini* vertice amœna agri planities, magna ex parte quâ natura negavit æquabilitatem; igne, & scalpris lapidicinarum æquata, optimæ qualitatis vitem, olivam, ficum admittit; viridantibus semper lauro, pino, cupresso ornatur; tenera paulò inferius ad aquilonem, & occasum vinea protuberantibus distincta pulvinis, lætisque utrinque, quasi margine, intersepta arboribus; ab ima valle in clivum leniter assurgit; pomario cum aspectu jucundo, tum fructu grato pro coronide clauditur; in ea tamquam umbilicus, arbores miræ proceritatis, inflexis inter se, implicatisque ad cacumen ramis, tentorii formam exprimunt; in medio, e vivo, solidoque lapide, octangulatum monopodium, ambientibus totidem columnis, octo accubantium capax, ac prope dulcis aquæ puteus, ne minus unda, quam umbra refrigerari possint vinitores, brevi hinc intervallo ad austrum alia in aprica convalle, silvigeris jugis undique coronata, jacet, a S. RACHISIO, ex Rege *Langobardorum*, *Cassinate* Monacho olim plantata, ac nuper in ejus memoriam renovata, atque addita in honorem sacra Æde cum hac inscriptione.

RACHISII LANGOBARDORVM REGIS, ET MONACHI
VINEAM,
REGIA MANV OLIM CONSITAM, ET EXCVLTAM,
VT REGIVM CHRISTIANÆ ABIECTIONIS EXEMPLVM
IN POSTERVM MEMORIA REVIRESCERET,
POST NONGENTOS ANNOS IN EODEM SOLO,
ÆDICVLA ETIAM CONSTRVCTA,
REPASTINANDAM CVRAVIT ABBAS CASINI ANGELVS
ANNO M. D. C. L. X.

Utri-



1. *Mons Casinus.*
2. *Monasterium.*

Sacri Montis CASINI ac Monasterii Prospectus.

3. *Mons Cairus alius Caira.*
4. *Urbs Sancti Germani.*

Utrique vineæ imminet ex specula, & quodam modo minatur sacrum Cœnobium valido muro clausum; quacumque aditur, oppido, qua verò intratur, munitissimæ arci adsimile. Duæ in primis occurrunt portæ, altera duplici asserum ordine, altera simplici, sed solidiore tignorum confecta, ferreisque obfirmata repagulis. recta hinc via, partim sub obscuro fornice, ipsa vetustate commendabili, ubi ad sinistram hæc marmorea inscriptio ex *Angelo* Abbate, hujus nominis sexto, hospitem invitat.

FORNICEM SAXIS ASPERVM, AC DEPRESSVM,
TANTÆ MOLI ADITVM ANGVSTVM
NE MIRERIS HOSPES,
AVGVSTVM FECIT PATRIARCHÆ SANCTITAS,
VENERARE POTIVS, ET SOSPES
INGREDERE.

Ad dexteram simulacrum marmoreum S. BENEDICTI in Ædicula conspicitur, cum his versibus, in ambiente signum lapide, incisis.

Mortuus hic puer est, Benedicti voce revixit:
Tacta silex cubiti subsedit pondere sacri;
Plenâ oleo phialâ signantur saxa cadenti;
Bis centum modii farinæ manè videntur.

Partim deinde inter apertos muros sursum versus ad portam ferream ducit, non leve contra quoscumque insultus munimentum. A primo ingressu vestibulum picturis concinnum panditur; mox amplum atrium cum cisterna in medio, capacitate, & opere conspicua, in circuitu, arcuatæ saxo pilæ spatiosam porticum efficiunt, subdialemque deambulationem sustinent (vulgò *Paradisum* nominant) crassiore arena; & gypso suppactam, ac lapideis utrinque clathris jucundo prospectu ornatam. ab atrio ad propylæum columnis, signisque nobile, triginta novem lapideis gradibus, latitudine atrii suam longitudinem definientibus, ascenditur; ubi cincta parastadibus maculosi marmoris porta, quadratum peristylium aperit, nobilitatum columnis marmoreis, elegantem in modum undequaque dispositis, oppositisque ad parietes grandibus heroum statuis, subscripto suo cuique nomine, & titulo, sic, ut sub uno aspectu hic mireris, & magna cum animi voluptate recognoscas summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, pluriumque aliorum illustrium memoriam, quam ob egregia in *Cassinates* merita, renovari jussit *Angelus de Nuce* Abbas, describique supra portam propylæi hæc in marmore.

HEROIBVS
BENEMERENTIBVS
CASINATES
PROPRIÆ PIETATIS ARGVMENTVM,
MONIMENTVM ALIENÆ.

Hoc peristylium, a læva intrantium, respicit peregrinorum (qui undique *Cassinum* confluunt) Xenodochium, & Nosocomium; a dextera Monachorum triclinium, a postica, porticum. ab antica parte, sacram ædem; cujus æneæ valvæ, incisis argenteis literis, totam Cœnobii ditionem, distinctis oppidorum, cæterarumque possessionum nominibus, indicant, ædemque pandunt: Ab utroque latere ad sanctuarium usque, pilæ, novo architecturæ genere, quadrati lapidis a fundamento ad octo cubitorum altitudinem, lateritiæ inde ad antes structuræ, maximam templi testudinem suffulciunt, quarum singulis, ubi desinit lapis, binæ teretes appositæ columnæ arcus utrinque sustinent, quos ad extremitatem vaga pilarum epistylia separant, ornantque cementitiæ coronæ, a quibus elegans fenestrarum ordo ad fornicem, scalpturato albario decoratum, consurgit. Duæ templi alæ, depressiores quidem media, sed architecturæ, & artis plasticæ elegantia nihilo inferiores; in unaquaque quinque convexa hemisphæria numerantur, totidem arcubus distincta, a pilis ad sacella transversis, quorum unum, D. BERTHARII nuncupatum, omni ex parte spectabile admirationem simul, ac venerationem sui ingerit hospiti; parietibus vario marmore, simulacris, & figuris, ornatis, marmoratis; inauratisque hemisphærio, & arcu; ara pretiosis lapidum crustis convestita; pavimento, cancellisque materia, & artificio splendidis; in quo tres arcæ marmoreæ, totidem sanctorum *Cassinatum* exuvias condunt, una D. BERTHARII sub ipsa ara obtutui patens, per transennam ex ære inauratam: duæ reliquæ ad latera VICTORIS TERTII, & APOLLINARIS, suprastantibus statuis, unâ habitu Pontificio, alterâ Monastico. Sunt & duo alia Sacella pari substructione, &

magnificentia inchoata, ſed nondum ad faſtigium perducta. Teſſellatum antiqui operis totum templi pavimentum, a quo triplici graduum ordine ſanctuarium ſtratum varii coloris marmore ſcanditur; medium ſcilicet octo latis ex obſcuro alabaſtrite, extrema ſeptem ſtrictioribus, reliqua intervalla, ſecto diverſo lapide peregregiè in cruſtas, ab imo ad crepidinem, ſepiente, elatis inde modicæ altitudinis ex ſolido porphyrite, & pario, ſtylis cancellatim compactis. In medio ſanctuario ara maxima ſub qua ſacra D. D. BENEDICTI & SCHOLASTICÆ quieſcunt pignora; in pulcherrimam molem, præſertim odeum verſus, aſſurgit, multiplici lævigati marmoris genere conſtructam, atque ex pretioſo lapide teſtulis ornatam, belle adeo diſpoſitis, atque commixtis in lilia, & roſas, ut prope intuentium pene fallat aſpectum: duo marmorei Atlantes ad extremitates hinc inde collocati totam Machinam omnium membrorum nixu ſufferre, premique onere, ſumma ſculptoris laude, videntur. In medio arculus depictis S. BENEDICTI, ac ſororis molliter cubantium imaginibus ſedem præbet, baſimque ſuperimpoſito lydio lapidi, qui his ex *Angelo* Abbate jam ſæpe nominato, aureis loquitur notis.

BENEDICTVM ET SCHOLASTICAM.
VNO IN TERRIS PARTV EDITOS,
VNA IN DEVM PIETATE COELO REDDITOS
VNVS HIC EXCIPIT TVMVLVS
MORTALIS DEPOSITI PRO ÆTERNITATE
CVSTOS.

Ante arculum, modicum aſarotum cum deſcendentibus gradibus, ex auricalco clathrati cancelli obſepiunt, e quibus tredecim prominentia candelabra perpetuo ardentes continent lychnos. Utrumque ſanctuarii latus claudunt ſumptoſiſſima mauſolæa VIDI FERAMOSCÆ, ubi ex marmore hæc leguntur.

Dum facio infelix æterno funera fletu,
Creverunt lacrymis hæc monumenta meis,
Queis niſi molliſſem, triſtiſſ. corda rigerem
Ipſa etiam heic toto corpore facta ſilex.

VIDO FERAMOSCE
MENN. REGVLO Q. C. V. FER. D. T. SEPE
ISABELLA CASTREOTA
CONIVGI CARISS.
F.
V. A. LII. M. VII. D. VI. H. IX.
H. M. H. N. S.

Alterum *Petri Medici Leonis* X. fratris hoc appoſito Epitaphio.

PETRO MEDICI MAGNI LAVRENTII F. LEONIS
X. PONT. MAX. FRATRI, CLEMENTIS VII.
PATRVELI, QVI QVVM GALLORVM CASTRA
SEQVERETVR, EX ADVERSO PRÆLIO AD LYRIS
OSTIVM NAVFRAGIO PERIIT ANNO ÆT.
XXXIII. COSMVS MEDICES FLORENTIÆ DVX
PONI CVRAVIT MDLII.

Quatuor ingentes pilæ paribus ab invicem, & Ara intervallis totidem fulciunt arcus, quorum duo ſanctuarii laterum, duo templi, & odei terminant fornices, his incumbens tholus in modum coni ad ſummum faſtigiatus, in exiguo petaſo, & plumbeo orbe definit, forinſecus laminis, & imbricibus plumbeis obductus; interius pellucidis in gyro ſpecularibus, multoque auro renidens, abeuntem in Beatorum cœtum *Benedictum*, miraque piorum præmia, & gaudia, egregia pictura oſtentat: nec chori minor venuſtas, nam quod tholo lenocinio picturæ cedit, hoc auro, & figlino opere compenſat; cui ornamenta ſunt quoque Monachorum ſedilia, vermiculato conſerta emblemate; a tergo e vivis lapidibus quadrata turris, æneis campanis deſtinata ſedes; huic ſubjacet ædicula ſanctæ *Annæ* Monachorum conditorium. ſub ipſo odeo aliud ſubterraneum (*tugurium* S. BENEDICTI vocant) totum picturis, & ſubſelliis ſculptura inſignibus adornatum, tria habet ſacella, unum in adverſa fronte ſub ipſo ſanctuario, atque adeo Ara maxima, in honorem S. BENEDICTI effoſſum, munitumque æneo clathro, ex quo in granatorum ſimilitudinem, lychniculi die, ac nocte collucentes loci venerationem indicant; Duo utrimque in extremis ad orientem angulis PLACIDI, & MAVRI nominata; a quibus recta hinc inde viginti octo gradibus ſuperius ædis lithoſtrotum ſcanditur, perfoſſis ad utrum-

utrumque parietem, politisque encausto cuniculis, quos excipiunt duæ portæ postibus, & coronis ex *Laconico* marmore nobiles, quarum prima amplissimum sacrarium non minus pictis tabulis, sectili pavimento, pluteis, armariisque elegantissimè sculptis conspicuum, quàm plurimorum cælitum sanctissimis exuviis, thecis argenteis inclusis venerabile: Secunda quadratum Xystum albario opere miri candoris decoratum, quo nihil hybernæ deambulationi accommodatius; nam ab interiori ambitu vitreis orbibus undequaque lumen recipit, clauditur ab uno latere grandi exedra, Bibliotheca, & aula calefactoria; ab alio duplici cænatione (vasta interposita culina) modica una, sed eleganti laqueario contecta; altera excelsa, & longa pedes CL. Geometricos, cujus in vestibulo duo artificiosi utrinque fontes intrantium manibus, æneis siphunculis, inter marmoreas columnellas, e faucibus leonum protentis, aquam infundunt, rursusque excipiunt, ex solido lapide maximus labris, lytoglyphi ferramento politè excavatis; Ultimam frontem ingens occupat a *Leandro Bassano* depicta tabula, in qua artis potentia provocat naturam: a duobus reliquis, communi pariete jungitur hinc templo, inde dormitorio, quod ab ortu ad occasum longissimè excurrit (uti & aliud a meridie ad septentrionem speciosa porticu terminatum) dormitorium excipit lyceum, ludo literario literarumque professoribus destinatum; Hoc, pars Cœnobii nobiliorum hospitio detenta, spatiosis ambulacris, apertis podiis, pictis conclavibus illustris. Hinc choclide descenditur ad Patrum Valetudinarium par hospitio architectura, & cubiculorum numero; Cui octo gradibus supereminet concamerata porticus, & Aula Abbatis structura, & ornatu spectabilis, sed quæ non excedunt religiosam modestiam. A porticu longè patens ad ortum in pensili podio desinit dormitorium, a quo aliud transversum ad Aquilonem extenditur, dispositis, sicut in suprema contignatione, ad orientem, meridionalemque Solem, eleganti ordine, cellis cœnobiticis, quibus subjecta in modum Xysti jugata vinea, amœnitate, & umbra summopere oblectat animum. Medium inter dormitorium, & sacram Ædem aliud peristylium, grandi cisterna, structilibus columnis, & parastatis insigne, totius machinæ centrum efficit, habetque ad opposita latera odeum, singulis anni temporibus, nocturnis canticis aptissimum, lignile, pistrinum, furnum, hypocaustum, cellam vinariam, e regione dormitorii alias cellulas fundamentis templi adjectas, ac usibus famulorum accommodatas; omnia polito cæmento, vel quadrato lapide fornicibus tecta. ab extremis angulis duplex ad superiorem xystum ascensus, ut ad inferiorem cryptoporticnm descensus, unica ad orientem transenna lumen, & auras recipientem; cui ex parte meridiana adhærent aromataria officina, sutrina, tonstrina, (nam Fabri ferrarii, lignarii, lapidicidæ, ne meditationi, aut studio vacantes strepitu inquietent, ad aquilonem remotè laborant). Tonstrinam sequuntur tabularium; quo summorum Pontificum, Imperatorum Diplomata, cæteraque Cœnobii Monumenta continentur; atque variæ habitationes senibus exauthoratis magistratu tantum concessæ, quæ hyeme retinent calorem, prohibent æstate; has terminat Turris illa, antiqua BENEDICTI sedes, tot cœlestium arcanorum olim conscia, tot miraculorum testis, qua hodie nihil *Casini*, quod magis propter pulchritudinem visendum, propter religionem colendum putatur, tribus constat conclavibus, primi pavimentum constratum est lævibus laterculis vitro litis; secundi quadrato lapide ex nigro, alboque lævoris eximii marmore; ultimi asarotum lydio, & pario, aliis interrasis, vermiculatisque pretiosis lapidibus, dubium, materia mirabilius, an arte: concamerationes omnes, aut marmorato opere, aut auro decorantur; parietes crystallinis specularibus, tabellisque pulcherrimè pictis ubique nitent. Turrem a porta separat plana area, in qua ingentium columnarum de porphyrite, & thephirite lapide fragmenta satis arguunt antiquam Cœnobii magnificentiam.



FLA-

FLAVII ALEXII UGONII,

Nobilissimi civis Brixiani,

DE DIGNITATE, ATQUE PRÆSTANTIA

REIPUBLICÆ CASSINENSIS.

AD CARDINALEM POLUM;

Præsulem Amplissimum.

A PRÆCLARISSIMARUM omnium rerum auctor semper fuit *Deus*, Præsul amplissime, cum me ergo ille ipse commonefecerit, ut de dignitate, atque præstantia Reip. *Cassinensis* exararem, quæ mihi ille dictaverat, tibi quoque ut hæc elogia nuncuparem, jam ipse decreverat. idque, ut arbitror, pluribus de causis: sed hac potissimum, cum merito tu quidem & amplissimum dignitatis gradum in ecclesia Dei obtineas, & summo quodam amore illam utique prosequaris; ita ut tui consilio, auctoritate, atque sententia perpetuo tuendam, atque ampliandam susceperis. ad te igitur hæc elogia currunt, non ut discas quod diu jam optime noveris; quippe cum plus dierum cum monachis, cum solitariis, quam cum sæcularibus hominibus vixeris: sed ut dicta amplissimo tui judicio, atque fideli testimonio approbes, & approbata legenda præbeas; ut ædificentur, qui in isto floridissimo regno manent radicati in *Christo*, & a nullis se sinunt tempestatibus divelli, neque abstrahi a doctrinis illorum, qui tanquam *Philistæi*, obstruunt puteos *Jacob*: arcam Domini capiunt, & furantur sacra: sed dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit fideles suos. quæ jam dira undique persecutionum rabie premebatur, modo in solio gloriæ, in throno justitiæ bonorum omnium plausu, atque consensu sedet regina gentium, & domina populorum. tu vero, qui cum propheta factus fueras, tanquam passer solitarius in tecto, & declinaveras a facie regis; cum desperatæ nimirum essent res, & nulla omnino esset salus, neque remedium malis, tandem magno cum triumpho tanquam rex, & pastor animarum rediisti, unde tam gravi, & communi omnium luctu, atque mærore discesseras; præstet igitur vobis Deus temporum pacem, atque tranquillitatem, & ut oves, quæ perierant, consilio, auctoritate, & diligentia vestra reducatis in ovile *Christi*, & ad pascua ecclesiæ in obedientiam Dei; qui habitare facit unanimes in domo sponsæ suæ sanctæ: quæ una est columba, & speciosa in facie dilecti.

Postquam igitur venit ille desideratus cunctis gentibus; de quo justi, & electi omnes, qui sub lege, & ante legem fuerunt, in tam magna, & longa exspectatione suspensi, cordis magis affectu, quam voce dicebant: Rorate cœli desuper, & nubes pluvant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem; qui exultavit ut gigas ad currendam viam, & a summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus, usque ad summum ejus: ineffabili tandem cordis affectu osculatus est sponsam suam: quæ tota in desiderio ejus posita, atque accensa dicebat: Stipate me malis, fulcite me floribus, qui amore ejus langueo: & en dilectus meus loquitur mihi, & ego illi, jam per *Moysen*, jam per prophetas mihi loquebatur, modo per seipsum mihi loquitur: & introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem, tunc utique vetera omnia mysteria impleta sunt: tunc voces prophetarum siluerunt, scissoque velamine templi, cæremonialia omnia cessaverunt; & sparso denique in toto terrarum orbe verbi Dei semine (notus enim erat prius in *Judæa* Deus, & in *Israël* magnum nomen ejus) tunc ager ecclesiæ, tunc campi sanctorum pullulare cæperunt germina vitæ, & pro conditione personarum fructum facere alium B quidem centesimum, alium sexagesimum, & alium trigesimum. varia enim sunt dona spiritus, variaque sunt munera divina, & varii gradus, atque ordines Sanctorum, sicut enim differt stella a stella in claritate, ita merita sanctorum in firmamento ecclesiæ. alia namque est lux solis, alia lunæ, & alia denique stellarum: sed unum, atque idem omnes in illo, qui est candor lucis æternæ. ipse namque est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Apostoli igitur, qui fuerunt fundamenta ecclesiæ, & tanquam cœli, qui enarrant gloriam Dei, magnum utique locum te- C nent. magnum Prophetæ, & Patriarchæ omnes, magnum illi, qui transierunt per ignem, & aquam, & salvi facti sunt; sed quia in ædificio isto spirituali, & in cœlesti illa *Hierusalem*, quæ vivis ex lapidibus construitur, non omnes possunt esse columnæ illæ marmoreæ, quæ nullis quassantur tempestatibus, neque plateæ, & muri ejus ex auro purissimo, neque portæ, quæ nitent margaritis, præclarum subinde locum sortiuntur confessores omnes. viduæ quoque, & illæ quæ nubunt in *Christo*; quæque salvantur per generationem filiorum, & justi denique D omnes. bonus enim est Deus, & bona fecit, & bono nulla cujusquam boni invidia est, immo quicquid boni, quicquid pulchri in electos quosque transfusum est, id omne a summo illo totius bonitatis, atque pulchritudinis fonte emanat. quid enim habet homo, quod non accepit, & si accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? diversi igitur sunt ordines Angelorum; & diversi gradus sanctorum, sed unum omnes in capite illo, qui est primogenitus in multis fratribus, & qui nimirum constitutus est Rex super *Syon* montem Sanctum Dei, prædicans præceptum ejus. Omnes igitur electi sancti, & omnino E beati, sicut & ipse sanctus est, qui eos sanctificavit: sed qui plus omnibus laboraverunt, consequens est, ut majori etiam gloria, & claritate divina ditentur; in occidentalibus igitur partibus plures Deo grati, atque Sanctissimi viri in Vinea Domini laboraverunt; sed inter istos velu-

ti ſol micans clariſſimus extitit monachorum dux ille *Benedictus*, *Nurſiæ* nobiliſſima ex proſapia ortus, qui ad imitationem Sanctiſſimi viri *Baſilii Magni* Doctoris *Græci*, præclaram quoque ipſe compoſuit regulam: nam ſicut ille vitæ ſanctitate, & excellentia doctrinæ totam illuſtraverat *Græciam*: ita iſte omnes *Italiæ* partes miraculorum corruſcationibus, & præclariſſimis morum inſtitutis perornavit: ita ut multi inclyti viri ad illum utique confluerent, filioſque ei in *Chriſto* domino erudiendos traderent; ſic namque *Placidum* martyrem, *Maurum*que beatiſſimum habuit: opera ſcilicet, conſilio, & voluntate patrum: qui & Conſulares homines erant, & primi fere inter *Romanos* optimates habebantur. *Chriſti* igitur, & Dei imitator factus, qui tacet antequam faciat, facit, antequam dicat, primum in ſeipſo mandata omnia Euangelica, & juſtificationes Domini expreſſit, & numeros omnes implevit, ſummumque gradum perfectionis attigit; cunctaque ei proſpere admodum ſucceſſerunt, tanquam optimo negociatori quærenti bonas Margaritas: qui inventa una pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Omnia igitur potuit in eo, qui nos confortat, *Chriſto* Domino: fuitque tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum exhibet in tempore ſuo, & folium ejus non defluit, & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur: plantatioque Domini fuit, & præelectus a Deo, vocatus a *Chriſto*, ſpecimen omnium virtutum, & exemplar totius bonitatis *Chriſtianæ* ſeſe denique exhibuit, & veluti ſydus quoddam fulgidiſſimum in Eccleſiæ firmamento extitit: fuitque dignus, qui poſt *Chriſtum*, poſt Apoſtolos, leges, atque præſcripta daret vivendi ſecundum Deum, & ſecundum hominem *Chriſtum*. & quam primum exemplo *Chriſti* (ut jam diximus) in ſe ipſo expreſſerat regulam, eam denique aliis (ſic Deo volente, & dictante Spiritu Sancto) promulgavit implendam, quæ declaratio ſermonum Domini fuit, invitans homines ad culmen Euangelicæ perfectionis; multa namque ex conſilio, & multa ex præcepto obſervanda traduntur. ex præcepto diligimus Deum, diligimus proximum, nudum veſtimus, eſurientem paſcimus; & cuncta miſericordiæ opera adimplemus: ex præcepto peccata omnia vitamus, fidem, ſpem, & charitatem habemus, nihilque ſupra Deum, neque agros, neque filios, neque uxorem amamus, ſed omnia in *Chriſto*, & per *Chriſtum* diligimus. ex conſilio (calcato in limine domus patre, & matre) ſiccis oculis ad vexillum *Chriſti* confugimus. ex conſilio in cœnobiis, in cellulis, per cacumina montium, per deſerta terrarum, vel ſoli cum angelis, & paſtoribus, vel ſociati cum aliis præelectis a Deo, & vocatis a *Chriſto* ſub communi regula vel degimus, vel peregrinamur. ex conſilio nihil utique cogitamus de hoc mundo, ſed mundus nobis cum apoſtolo crucifixus eſt, & nos mundo: illudque ſæpiſſime in mente, & in ore volvimus: jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet; & unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. ex conſilio non modo quæ habemus, ſed etiam quæ habere, & deſiderare poſſumus, penitus renuntiamus, & venditis omnibus, pauperibus, & egenis omnia noſtra impartimus; ſervantes illud *Chriſti* ad juvenem dictum (qui gloriabatur ſeſe totam adimpleviſſe legem) ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pau-

A peribus, & veni ſequere me. cum enim ipſe dives eſſet in omnibus (nam Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo) pauper tamen pro nobis factus eſt. ex conſilio illud eſt *Pauli*: de virginibus præceptum non habeo, conſilium autem do, ut virgines, quæ nubere volunt, nubant in *Chriſto*. ex conſilio omnia religioſorum vota fiunt; ſed tamen omnino ſervanda, ut facta fuerint; cum nefas ſit mentiri Deo, vovete, & reddite domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera, divinus ille Vates dicebat: Deus enim non irridetur. & nemo mittens manum ad

B aratrum (ut Euangelica verba teſtantur) & retro aſpiciens, dignus eſt regno cœlorum. nam uxor *Loth* converſa fuit in ſtatuam ſalis, eo quod reſpexerit ad id, quod jam Domini mandato reliquerat. ſed quid dulcius, quam totum ſeſe conſecrare Deo, penituſque ſe *Chriſti* legibus ſubdere? nam ſervire Deo, regnare eſt. & lex Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis: juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: timor Domini ſanctus, permanet in ſæculum ſæculi: judicia Domini vera, juſtificata in

C ſemetipſa: deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & favum. magnum quid mundus arbitratur potiri libertate civili, & eſſe dominum rerum: ſed quid majus, quam morum libertate potiri, & ſui ipſius eſſe dominum? majorem quippe laudem meretur qui ſe ipſum vicerit, quàm qui vicerit civitates, atque provincias. quam enim homo dabit commutationem pro anima ſua, etiamſi univerſum mundum lucretur? magnum quid etiam philoſophi ipſi exiſtimant bene, & honeſte vivere, illudque omnibus credendum proponunt, in quo virtus ſit,

D ei nihil deeſſe ad bene, beateque vivendum. ſed quid majus, quam ſedere continuo ad pedes Domini, & audire verbum illius, ita ut & nos poſſimus dicere: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, adhortabatur rex, & propheta, beatus vir, qui ſperat in eo. homo enim ad hoc factus fuerat, ut frueretur Deo, ſed quia peccavit, hac valle lacrymarum potitus eſt, pugnaque ei cum mundo, & cum ſe ipſo indicta manet, & colluctatio non modo adverſus carnem, & ſanguinem, ſed etiam adverſus principes, &

E poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum. ſentiebatque ideo apoſtolus legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, ut non quæcunque vellet faceret. & apoſtolus *Petrus* fideles admonebat dicens: ſobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens, circumit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide, & *Chriſtus* ad diſcipulos: Satan expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. ſed confidere in illo nos oportet, quia ipſe nobiſcum manet, uſque ad conſummationem ſæculi. ut ergo ſecurius curramus in ſtadio hujus vitæ,

F & ſtemus fortiter in bello, & pugnemus cum antiquo ſerpente, viam nobis multi ſancti viri oſtenderunt, qua itur ad Deum, ſine tanto diſcrimine rerum, & qua fores noſtræ clauduntur, ne intret mors ad animas noſtras: quaque ſubtrahuntur occaſiones pene omnes peccandi, & fomes malorum, declinando hominum conſortia, mulierumque familiaritates. ſi enim *David* non vidiſſet *Berſabeam*, neque deſideraſſet, neque peccaſſet. ita *Salomon*, ſi cum peregrinis mulieribus non ſe commiſcuiſſet, ad idola colenda

non declinasset. Sed quid de matre nostra *Eva?* quæ cum vidisset, quod bonum esset lignum vetitum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, cepit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo. qui ipse quoque comedit, sicque mors intravit per fenestras nostras. prius enim poterat *Adam* non mori, non peccare, & non deserere Deum: peccavit, quia ipse voluit, ceciditque ab originali sua justitia, & maledictis omnibus subjectus fuit. viri igitur isti sanctissimi cum viderent hominem ab adolescentia sua pronum ad malum, erexerunt cœnobia, abditos construxerunt recessus, quò homines sese possent recipere; leges, ac præscripta condiderunt, quibus illi bene, ac præclare sese valerent constituere, turbas utique populorum declinantes, malorumque consortia fugientes, simulque cum propheta dicentes: Odi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo: omne enim, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. qui igitur talia vitæ instituta condiderunt, Magnus (ut diximus) *Basilius* fuit: hocque idem fecit divus ille *Augustinus*, duoque illa luminaria ecclesiæ *Dominicus* beatus, & verus ille paupertatis amator *Franciscus*: sub quorum magisterio multi utique docti, atque sanctissimi viri floruerunt, & modo florent, doctrina scilicet, & moribus, & amplissimis dignitatum muneribus. quæ instituta vitæ & a sacris patrum conciliis, & a summis pontificibus comprobata fuerunt, ut bona, & sancta, nihilque a lege Dei, & mandatis, & justificationibus Domini aberrantia. sed quo plausu, quo favore, quibus auspiciis incœperit nomen, vita, & præclara *Benedicti* sanctissimi instituta florere, non ita facile dictu est. oleum effusum fuit nomen suum: ideo non modo adolescentulæ animæ dilexerunt illum, sed mundi rectores, regesque, & principes terræ illum utique miro cordis affectu venerabantur, atque colebant: ita ut nulla esset pars terrarum, in qua cœnobia sub ejus nomine, & norma constructa non essent. modo etiam *Germania* tota, *Hispaniæ*que ipsæ, *Anglia* insuper, & *Gallia* plena sunt undique celeberrimis, ditissimisque cœnobiis, sub ejus nomine constructis. sed quid in *Italia*? cum cœtus virorum, tot consortia mulierum sub ejus institutis undique degant? sed cum inter alia ei donatum fuerit Castrum illud *Cassinum* in *Campaniæ* provincia situm, ubi gloriosissime & vixit, & mortuus, & sepultus fuit. hinc ex denominatione loci, & tutela, & norma tanti patris congregatio, quæ dicitur *Cassinensis*, nomen, & originem accepit: quæ quantum inter alias præclarissimorum virorum congregationes floruerit, tot sancti pontifices, tot probatissimi Cardinales, tot Patriarchæ, & Episcopi clarissimi docent, qui ejus monachi fuerunt. ut taceam de regibus, de principibus, & de nobilibus hujus mundi, qui, dimisso regno, magnisque opibus, & principatu, sese monachos fecerunt. diutius namque ipsa per multa annorum spatia optime gubernavit ecclesiam Dei. ita doctissimis, ita sanctissimis, & probatissimis quibusque viris plena semper fuit. modo etiam in tam pravis moribus, & in tam corruptis temporibus redolet nescio quid antiquæ illius dignitatis, atque excellentiæ, optimis nimirum fulta legibus, plena bonis moribus, præclaris ornata institutis: & Dei nutu, atque favore, hoc utique præcipuum habet, ut diutius in ea nihil mali residere queat; sed ut mare, ita ipsa immunda omnia ad litus projicit. ocium igitur a suis penitus relegatum esse videtur, utpote quæ semper vel in aliqua honesta corporis exercitatio-

A ne vel in divinis laudibus eos omnes occupatos
teneat: literarumque studiis operam dare jubet,
& in omnibus præclaris disciplinis ad statum mo-
nasticum pertinentibus (amplissima mercede con-
ductis adhoc doctissimis, ac præstantissimis qui-
busque viris) suos omnes erudire, & nobilitare
studet. sed neque idcirco concionari, neque pu-
blice legere, neque disputationibus incumbere
eos sinit, idque duabus de causis, primum quia
hoc esset contra instituta majorum, qui solitarii,
non populares, qui contemplativi, non activi
esse voluerunt: deinde quia id minime necessarium
esse conspicit, cum multæ aliæ congregationes
B ad hoc studere suos jubeant, ut omnia ista mu-
nera obire queant. talique de causa, quamvis
multa cœnobia sita habeat in urbibus, in oppi-
dis, raro utique (nisi quantum necessitas exege-
rit) cum sæcularibus hominibus versantur: raro
per urbes, & per oppida discurrunt: mulieri-
busque omnibus sub pœna censuræ perpetuo in-
terdicta manent sua omnia domicilia. hospitali-
tatem cum omnibus ita a *Christo* commendatam,
& Apostoli voce prædicatam, larga manu, &
hilari vultu promptissime exercet: pauperes
Christi præ foribus semper habet, illosque nu-
trit, vestit, & recreat: cum peregrinis, cum
C domesticis, & cum divitibus hujus mundi be-
nigne admodum, & liberaliter sese gerit, nul-
lumque sinit abire, qui, si honesta petierit,
non obtineat: facultatesque suas omnes vel in his
rebus, vel in erigendis cœnobiis, & construen-
dis ecclesiis Dei, in iisque parandis, quæ perti-
nent ad ministerium *Christi*, dispensat: felici-
busque admodum auspiciis quotidie ei crescunt
divitiæ: idque cum Dei virtute, tum summa e-
jus cura, atque diligentia. nullus enim paterfa-
milias tam diligens, tam sapiens esse videtur,
qui ita bene sua omnia curet, dispenset, ampli-
D ficet, & conservet, ut ipsa facit. sui omnes a-
postolicam nimirum præ se ferunt regulam: &
habentes victum, & vestitum, nihil aliud requi-
runt: & apud se neque aliquid pecuniarum, ne-
que cujuslibet rei aliquid tenent: sed in victu,
cultu, & vestitu frugalitatem illam, atque me-
diocritatem ita a sapientibus viris laudatam, ob-
nixe admodum sectantur, in commune omnia
habentes: parumque non est, ita continentes
esse in tantis opibus, atque divitiis, quæ non
minus cæteris *Christi* membris, & fidelibus,
quam suis distribuuntur. Sed quid de ejus re-
giminis forma dicam, cum regiam illam speciem
E præ se ferat, quæ ita a probatissimis viris lauda-
tur? quæ constat ex regia, & senatoria potesta-
te. quælibet igitur cœnobia pulcherrimam ad-
modum reipublicæ formam tenent. locum præsi-
dis refert Abbas. senatorum locum referunt quidam
electi ad hoc, ut adjuvent tanquam membra uti-
lia ad bene illa regenda: & in gravioribus rebus
ita juniores, ut seniores conveniunt ad deliberan-
dum id, quod magis utile, magisque honestum,
& necessarium visum fuerit. sicque totum cor-
pus hujuscemodi congregationis regitur. loco
regis unus eligitur, qui *præsidens* nuncupatur:
loco senatus octo alii, qui a definiendis rebus
F omnibus, *definitores* dicuntur idque consilio,
auctoritate, atque sententia omnium prælato-
rum. ipsique novem viri summa cum potestate,
negocia omnia expediunt, leges, & statuta con-
dunt, cœnobiaque omnia, prout visum fuerit,
ordinare satagunt; dignitates conferunt; præ-
latique, & monachi omnes vel confirmantur ab
istis, ubi jam assignati fuerant, vel ad alia lo-
ca habitanda mittuntur: & si quid mali,
si quid contra optimam vivendi formam
na-

natum fuerit, continuo vel ipsi, vel opera patrum, qui per singulos annos visitant, provincias eradicare omnino contendunt, ut omnia in ipsa rep. ordinate fiant, beneque & honeste cuncta procedant, tota igitur libera esse videtur ipsa resp. purumque imperium habet, & nemini subjecta, nisi soli Deo, & summo ejus vicario Pontifici maximo: gaudetque privilegiis, & libertate pontificia, regali, & imperatoria, multaque oppida, & aliquas civitates sub se habet, multorumque beneficiorum liberam tenet collationem, cum immunitate suorum reddituum, & diplomatibus amplissimis: multaque cœnobia sanctarum virginum in sui tutela, & protectione habet: & in tam magna rerum licentia, nihil utique contra Deum, nihil utique contra leges, & decreta principum agitur: sed omnia bene, & omnia sancte proce-

A dunt. lucentque ejus merita, & præclara ejus opera tanquam stellæ in ipso firmamento, & nomen ejus in ecclesia Dei; in scena hujus mundi est odor vitæ ad vitam multorum credentium in *Christo*, idque totum ex ejus gratia, qui est fons omnium bonorum, atque ex ejus viri meritis, illam in ædificium *Christi* fundavit, atque stabilivit supra firmam petram, ita ut neque a pluviis, neque a ventis divelli possit a lapide illo angulari, qui est *Christus* dominus; donec veniat dies illa, in qua tota integra, atque pacata simul cum clarissimo Duce suo fiet unum in *Christo*:
B Deo penitus unita, & angelorum choris sociata, atque ita demum tota læta, & gaudens, in ævo illo sempiterno sæpius decantabit: Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Deus fundavit eam in æternum.

FINIS OPUSCULI *FLAVII ALEXII UGONII* DE DIGNITATE ATQUE PRÆSTANTIA REIPUBLICÆ *CASSINENSIS*.

PETRI DIACONI,

Monachi, ac Bibliothecarii Sacri Cassinensis *Archisteri*;

DE

VIRIS ILLUSTRIBUS CASSINENSIBUS

OPUSCULUM:

Ex celeberrima Bibliotheca *Barbarina* olim depromptum, *notisque illustratum*,

Studio & Opera

JOANNIS BAPTISTÆ MARI,

Romani, S. Angeli in foro Piscium Canonici.

Illustrissimo & Reverendissimo,

D. JOANNI BAPTISTÆ BARSOTTO de PUCCINIS

Præposito *Isnensi*, Protonotario Apostolico, S. Cæs. Majestatis Consiliario, ac Eminentissimi Cardinalis ab *Harrach* Cubiculi Præfecto.

JOANNES BAPTISTA MARUS F.



Ccedit ad te (Illustrissime Domine) Libellus iste gemina de causa, sponte mea, & jure suo: Etenim tantam in te humanitatem, sapientiam, nobilitatemque in te omnes suspicimus, ut non minus Orbis universus literatorum tibi per benevolentiam connectatur, quam olim Catena *Homerica* tellus cœlo conjuncta fuit; neque id mirum mihi, qui singularem tuam indolem perspexi, per quam instauratur apud nos *Pythagoricus* ille concentus, quem apud superos auditum Veteres memorant. Virtutibus scilicet ac nobilitate abundas, quæ tam jucundè, tam amabiliter, tam canorè penes homines accipiuntur, ut harmoniam plusquam terrestrem efficiant. Testatur genus, & proavos tuos non modo Lucensis patria, quæ agnoscit in tuis sanguinem suum, sed illa nobilium animarum parens, & altrix *Polonia*, quæ *Joannem Baptistam Puccinum* avum tuum *Italicorum* secretorum apud Augustum *Sigismun-*

dum conſpexit & participem & interpretem, quem in *Germaniam* ad *Ferdinandum* II. Cæſarem alioſque complures Principes legavit Regiæ voluntatis adminiſtrum gratum omnibus, nec ſine ornamento, ac prærogativa ab ipſo Cæſare, Principibuſque dimiſſum. Tuas verò virtutes ſi per modeſtiam licet, non ſola *Roma*, non ſola *Germania*, ſed omnes pene Provinciæ ad quas fama tuæ dexteritatis pervenit, laudant & probant. *Bohemia* certe debet tantum tuæ fidei ac prudentiæ, ut Eminentiſſimus *Pragæ* Archiepiſcopus non aliũm delegerit, ac velit *Romæ* ſuarum rerum curatorem quam te. Nunquam orationis finem facerem ſi vellem reliqua vel innata, vel collata tibi a Principibus ornamenta deſcribere; & præterea tuæ modeſtiæ injuriam facerem, & fortaſſe feci; ſed hæc fuere indicanda, ut conſtaret Libellum iſtum ſponte ſua ad te accedere: Magnes eſt virtus. Non modo corda, ſed etiam opuſcula hoc magnete trahuntur.

Verum non modo ſponte ſua, ſed etiam jure ſuo ad te properat, tibique debetur. Quiſnam ignorat quantum ames ſacram Divi *Benedicti* Familiam? quanta mediteris ad illius ſplendorem augendum? quanta pietate *Sublacenſe* Cœnobium frequentes, colas & venereris? Nec immeritò. Hic enim ſummus ille *Chriſtianæ* Sanctimoniæ Athleta & Magiſter per ingens miraculum venenata pocula eluſit, *Stygias* inſidias evaſit, tam inſignis deque Eccleſia optimè meriti Ordinis fundamenta jecit; quodque ſtupendum eſt, tot in dies e Cœlo largitur fluenta gratiarum, ut videatur eſſe locus hujuſmodi officina cœleſtis liberalitatis; ut omittam Summorum Pontificum *Paſchalis* II. *Urbani* V. *Leonis* IX. *Clementis* III. & VI. *Eugenii* IV. *Joannis* X. *Benedicti* VI. ac ipſius Sancti *Gregorii Magni* teſtimonia quibus *Sublacenſe Benedicti* Sacrarium commendatur, tanquam & Eccleſiæ theſaurus, & *Benedictinæ* Familiæ Seminarium.

Porrò hic liber eſt ſcriptus a *Petro Diacono* Monacho, ac Bibliothecario *Caſinenſi*, nec aliud complectitur quam notitiam lucubrationum moreſque Virorum Illuſtrium *Caſinenſium*, hoc eſt propria & immortalia ornamenta ejuſdem Ordinis, cui tu tantum tribuis, adeoque ad te jure ſuo accedit, tuo etiam patrocinio & ære ſublevandus. Vale.

L E C T O R I.



DIALOGOS Victoris *Papæ Tertii, olim* Deſiderii *Abbatis* Caſinenſis, *inter blattas & tineas conflictantes, annis præteritis e* Vaticana *Bibliotheca depromptos, cum in lucem protraxerimus; quidam diobolaris ſciolus illis perlectis, virtutes* Caſinenſium *nos nimis extollere conqueſtus eſt; critica fronte aſſerens, perpauca, aut nulla fuiſſe ea, ad quæ perſcribendà & pervulganda ingenium* Caſinenſes *contulerint; neminemque ferè ſe in gravioribus conſcribendi laboribus exercuiſſe, honeſtiſſimæque gloriæ ſtimulis concitatum aliquid exaraſſe. Hactenus nimis profectò patienter hominem inſulſius obtrectantem audivimus; cujuſque etiamſi omnia dicta referre vellemus, planè eſſet otio noſtro abuti, præſertim cum ſcriptis prodigia ſe editurum elato ſupercilio promiſerit.*

O rem ridiculam, *Cato*, & jocoſam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!

Licet enim Ordo Monaſticus ſemper obtrectatores ſuos habuerit, ut rectè prodiderunt SS. Hieronymus *pluribus in locis, &* Chryſoſtomus *in illo præclaro vitæ Monaſticæ Clypeo, & alii antiquiores: nunquam tamen audacius hoc noſtro ſeculo id factum eſt ab impudentibus Hæreticis, apud quos in tantam devenit deteſtationem idem Monaſticus Ordo: ut nonnulli ſolo intuitu a librorum quamvis optimorum lectione abſtineant, quòd Monachi nomine ſint tantum prænotati; locumque etiam proverbio plerumque faciant,* Monacho indoctior. *Quæ riſum quoque movere poſſent* Heraclito *obſtinate lugenti: immò nec defuit quidam miſogramma; qui in deteſtationem, atque derogationem Monachorum ſcribere non erubuerit, verecundante charta, & ipſo atramento in minium verſo ad tantum impudentiæ promptuarium, nonnullos Sanctos Patres monaſtico titulo deſignatos, ut opera eorum in dubium revocaret, nunquam fuiſſe in Monachorum numerum adſcitos; de-*

dementissimè existimans tam solidum, validumque esse hoc unicum, enerve, ac ficulneum argumentum, ut exolutus perinde fuerit onere cætera probandi. Et quamvis nimis falsa non sint refellenda, ne videantur posse esse credibilia, ut rectè dixit Sanctus Athanasius *epistola ad* Epictetum, *approbante S.* Epiphanio *hæres.* 77. *Attamen nos ne in superbiam vel ignorantiam silentium nostrum (licet noscamus, quam nobis sit curta supellex) iste nugivendulus accepturus sit, haud ignorantes insuper multos homines esse, judicii parum firmi, qui nihil audiunt, legúntve, quod non credant, nisi refutatum sciunt; nulla interposita mora, memores Ulpiani sententiæ de verb. signif. L.* 12. *§.* 1. Minus solvit, qui tardius solvit: nam & tempore minus solvitur; *præclarique etiam magni auctoris dicti,* Barbaris cunctatio servilis: statim exequi, regium. *Opusculum istud pro re nata inter tenebras delitescens de Viris Illustribus* Casinensibus *a Clarissimo Viro* Petro Diacono *Monacho, ac Bibliothecario ejusdem Cœnobii conscriptum, hactenus ineditum, a pluribusque viris eruditis diu quoque expetitum, nobis e celeberrima* Barberina *Bibliotheca suppeditatum, singulari humanitate, ac beneficentia Viri Clarissimi* Caroli Moroni; *ad maledicta istius obtrectatoris evertenda, ipsumque convincendum, tibi verò benigne Lector, & bono publico promulgandum duximus; cui etiam ob argumenti similitudinem adjungimus Supplementum manu exaratum Virorum pariter Illustrium* Casinensium, *per* Placidum Romanum *Monachum, ac Diaconum ejusdem Archisterii conflatum. Parvum quidem, atque exiguum fatemur; (neque enim res tam numero & magnitudine, quam pretio, & pondere, æstimandæ sunt) sed accurate, cogitateque scriptum a nostro* Petro, *qui anno MCXV. quo in vivis agebat, multa prodidit, quæ historiam Ecclesiæ illustrant, ut legere est apud* Leonem Ostiensem *in Chronico* Casinensi, *cujus tertium librum ipse supplevit, & quartum ei adjecit: pergratum, ac utile futurum etiam iis, qui scientiarum studiis ducuntur, auctorum, librorumque cognitione capiuntur; multa sane in hoc opusculo, maximeque in nostris indicantur notis, quæ publicam merentur lucem, dum ex abditis diversorum educitur veterum Scriptorum notitia, quorum libri intercidisse credebantur; qua spreta librorum auctorum notione, in tenebris forsan perpetuo jacuissent; & ut tumulus corpus contegit, sic nomen eorum in omnem fere ætatem obruisset, eorumque dein lucubrationes in privatis sepultæ Bibliothecis remansissent, magno certè rei literariæ damno; cum hac tempestate magna doctrinæ pars existimanda sit, scire, qui libri Auctorum legendi, qui non legendi sint: Necessarium enim est haud ignorare, qui scripserint & de quibus scripserint, fontesque nosse, unde hauriri possint ea, quæ vel ad scientias alendas, virtutes procreandas, vel detestanda vitia, magno usui sint futura; cum absque Bibliothecis ferme inermis sit Religio, & inanis sapientia. Hæc autem consideratio, & per se jucunda, ac ingenuo homine digna est, cum ad delectum Auctorum, tum ad excitandos animos studiosorum plurimum faciat: quemadmodum* Miltiadis *trophæa* Themistoclem *dormientem excitabant: sic doctorum hominum volumina, quæ in hoc libello commemorantur, ad laborem, laudemque studiosorum animos inflammare debebunt: & sicut omni solatio viri docti privari videntur, cum illis lectio interdicitur, ut olim nonnullis irrogatum hoc pœnæ genus legitur a* Tiberio *apud Suetonium:* Quibusdam *inquit,* custodiæ traditis, non modo studendi solatium ademptum; sed etiam sermonis, & colloquii usus: *sic omne solamen ex lectione recipiunt. Fassus est id Angelicus Doctor, qui Sacrarum Literarum monimenta tanti faciebat, ut de more diceret,* Se unius Beati *Chrysostomi* homilias, urbi *Parisiensi* divitiis omnibus refertissimæ, sed vel ipsis Imperiis, serio anteponere. *Libri profectò veluti studiorum instrumenta medullitus delectant, colloquuntur, consulunt, & viva quadam nobis, atque arguta familiaritate junguntur.* Sola denique scripta sunt, quæ mortales quadam famæ immortalitate perpetuant, & actibus veterum, quos traducunt ad posteros, nullam permittunt obrepere vetustatem, *docet Petrus Blesensis epist.* 77. *Unde verè Martialis:*

Chartis, nec furta nocent, nec secula præsunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Possidius namque in calce vitæ Sancti Augustini, *ejus perpetuam fore memoriam ob libros conscriptos, haud falsus vates confirmavit; adducto etiam hoc secularis Poëtæ de se loquentis epitaphio, quod tumulo suo adscribi voluit.*

Vivere post obitum vatem, vis nosse, viator?
Quod legis; ecce loquor: vox tua, nempe mea est.

Præterea operæ pretium est nosse, non solum innumerabiles ferè Monachos ex hac nobilissima Academia Casinensi *prodiisse cujusvis doctrinæ genere refertos; verum etiam assidua fuisse diligentia, pietate, ac intentione, Sanctorum Patrum, aliorumque Virorum doctorum volumina exscribendi; ut postea in rebus dubiis ad m. ss.* Codices, *& antiquos impressos, ex quibus veræ lectiones restituuntur; tanquam ad oracula quædam tutissimè viri docti, ac eruditi confugere valerent; quod lege caverunt prudentissimi Imperatores* Theodosius *&* Valentinianus *lib.* 1. Theodos. *de responsis Prudentum: cum non modò auctoribus plerisque deficimur, sed etiam hi, qui ad manus, non æquè omnes emendati sunt.*

sunt. Unde planè ridiculi censeri debent, qui emendato ne, an inemendato libro utantur, sua nihil putant interesse; cum certe si depravatis utimur codicibus, nil aliud supersit, nisi, ut Ixioni *similes umbram pro re, errorem pro scientia amplectamur. Præmissa hac igitur animadversione, subnectanda venit hæc observatio, tantam nempe diligentiam in accurate exscribendo fidelium illam prisci ævi pietatem adjunxisse; ut nec promiscuè omnibus Evangelium, Psalterium, aut Missale exscribere licitum fuerit; sed perfectæ ætatis homines huic muneri eligebantur, ut errores magis caverent. Quod notatum legitur in capitulari* Aquisgranensi *cap.* 72. Si opus est Euangelium, vel Psalterium, & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia. *Et quidem nullus labor, qui manibus exercetur, magis Monachis convenit, quam officium scribendi; cum illud sit manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare. Vide quæ* Gerson *late disputavit integro libro de laude scriptorum, hoc est exscriptorum, sive amanuensium; ac* Trithemium, *qui pariter integrum de laudibus ipsorum conscripsit librum: adi* Theophilum Raynaudum *Societatis* Jesu, *alterum penè* Didymum Chalcenterum, *de bonis, ac malis libris partit.* 3. *erot.* 4. *fol.* 309. *Tantaque etiam industria, ac studio incredibili insuper usi esse traduntur; ut continuo velut uno opere eandem incudem diu, noctuque tundentes, scriptos codices aliqui artificiose conglutinarent, mira animi attentione corrigerent alii, rubro cæteri exornarent;* Theodosii *Imperatoris exemplum imitantes, qui cum a publicis vacaret, libros sacros tanta elegantia scriberet, ut* Calligraphi *nomen indè acceperit; testis est* Raderus *in Aula Sacra cap.* 6. *Immo illotis manibus Sacros codices contingere, piaculum ulterius existimaverint. Quod simile quidpiam etiam a Gentilibus factitatum reperimus; ita tamen, ut præter manus, etiam pedes, aures que lustrarent. Plutarchus orat* 2. *de esu carnium ita loquitur:* Quamquam nos fortasse peccamus, qui libros istos attingimus, non lustratis manibus, pedibus, auribus. *Quum verè gratus Divinæ bonitati esset labor iste exscribendi, perspicuo, ac evidenti miraculo declaratus agnoscitur; dum* Trithemius *memorat de laudibus scriptor. man. cap.* 6. *fuisse in quodam Cœnobio* Benedictinorum *quendam Monachum, qui in scribendis ad ornatum Bibliothecæ voluminibus, sedulum, elaboratumque ponebat studium; ita ut quotiescunque a divino potuisset vacare officio, ad secreta cellæ se conferens huic sancto labori insisteret; unde & multa Sanctorum opuscula cum ingenti devotione descripserit. Hujus mortui ossa cum post multos annos exhumarentur, tres digiti dexteræ manus, quibus tot volumina scripserat, tam integri, & incorrupti inventi sunt, ac si eodem tempore sepulchro fuissent impositi; reliquum autem corpus, ut moris est, consumptum ad ossa fuerit. Simile etiam factum de* Richardo Anglo Præmonstratensi, *legere est apud* Cæsarium *lib.* 12. *cap* 47. *Hinc viri pietate ac eruditione insignes, Divinam providentiam tanti habere laborem istum exscribendi animadvertentes (ne multa Sanctorum Patrum, Ecclesiasticorumque Scriptorum monumenta perirent, quod facile evenisset, nisi Monachorum opera ad posteros fuissent transmissa) iu florentissimam Academiam* Cassinensem, *veluti literarum tunc temporis Seminarium, innumerabilem pene m. ss. ac impressorum copiam transtulerunt; ita ut hodie in tota* Italia, *nulla sit paulò celebrior Bibliotheca, quæ non aliqua ex parte ipsorum nobilibus thesauris locupletetur. Vide quæ notavit noster* Petrus *in auctario histor.* Cassinens. *lib.* 3. *cap.* 62. *edit.* Venetæ *de libris, quos solum* Desiderius *Abbas, deinde* Victor *Papa Tertius, exscribi curavit; & tunc non immeritò fidem nobis dabis; velleque propterea sacrum Asceterium* Cassinense *eruditionis merita laude spoliare, est rem manifestam negare; non secus atque olim* Zeno *motum e rerum natura sustulit, nivi candorem detraxit* Anaxagoras; *& Soli concessam ab omnibus Astronomis magnitudinem,* Epicurus. *Facessant denique hæc ludicra risu potius despicanda, quam disputatione seria confutanda; & producamus post fabulam tantam istius polymythi sycophantæ, id, quod illustris ille ecclesiasticæ antiquitatis præco Cardinalis Baronius tom.* IX. *anno DCCXVI. suis Annalibus de* Cassinensibus *intexuit:* Sed & illud, *inquit,* absque trepidatione mendacii asseri jure potest: nullum unquam toto *Christiano* Orbe extitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atque doctrina tanta numerositate, ad regimen sanctæ Apostolicæ Sedis adsciti fuerint; ut planè dici possit, fuisse idem aliquando Seminarium sacrorum Antistitum, prout quæ suo loco dicturi sumus, manifestè docebunt. *Vertat nunc igitur se in omnes formas Proteus iste, &* Cassinensium *Academiam, ut libet, oppugnet simul cum iis, qui in ipsa fæce ignorantiæ volutati, omnibusque pudoris repagulis perfractis, otiosam appellarunt, omnisque rei literariæ expertem etiam crediderunt. Hæc tibi, benigne Lector, significare voluimus, umbraticos impugnatores, dentesque* Theoninos Cassinense *Archisterium Cœnobitarum sanctitate, ac doctrina celeberrimum non metuere, cum tantorum Doctorum refugium sibi ipsi patere videat; totque ex se tanquam præclaros genuisse filios, qui ingenii sui monumentis, omnique bonarum literarum genere* Christi *Ecclesiam locupletarunt. Veritas defensore non eget, & mendacium plerumque cadere nullo impellente, ac se ipsum subvertere, dixisse* Augustinum *memor esto. Demum ne mireris obnixè precamur, si non cunctos noster* Petrus *scriptores* Cassinenses, *& omnes eorum, quorum meminit, lucubrationes recensuerit; præsertim cum pedem e navigio ponere animus ei non fuerit; quod facilè dignoscimus e scriptis ejus, uti e vestigio* Hercules: *sed pro certò*

tò habendum, multa diversorum Scriptorum monumenta, superstite Petro, *adhuc in diversis privatis Bibliothecis latitasse, omniaque propterea legere, aut expiscari ex animi sententia non valuisse; maximè hominem publicis, privatisque negotiis districtum; commodiori tempore omnes annotaturum. Et si fortè, mi Lector; hæc minus ad gustum tuum; en patrocinium: scias quod ab indiligentiæ crimine tueri eum possumus, non solum exemplo, quod neque* Trithemius, *aut* Pantaleo, *aut* Cornelius Callidius, *cùm de* Germanis; *neque* Sammarthanus *cùm de* Gallis; *neque* Ferd. Matamorus, *cùm de* Hispanis; *neque* Folieta, *cùm de* Liguribus; *neque* Miræus, *cùm de* Flandris; *neque* Hebediesu, *cùm de* Chaldæis (*beneficio Vir. Clar.* Abrahami Ecchellensis *ex tenebris, atque obscura caligine anno præterito eductus, eruditissimisque notis illustratus*) *neque alii, cùm de Civibus suis, aut sociis scriberent; omnes tunc simul complexi sunt; quos majori forsan adhibita diligentia, aut fortuna magis propitia complecti potuissent: verum etiam sententia* Varronis, *qui ajebat, neminem reprehensum esse, qui stipulam reliquisset ad spicilegium: quod confirmavit Columella de Re rustica:* In magna sylva, *inquiens*, boni venatoris est, feras indagare: quamplurimas capere. neque cuiquam culpæ fuit, non omnes cepisse; *præsertim, cùm munere suo quisquis bene fungitur, si avido Lectori famem utcunque sedat, quamvis non penitus eximat. Et ut rem dicamus; si olim Civem unum servanti civica donabatur; quamnam coronam plectere debebunt musici omnes* Κισσοφόροι *nostro* Petro, *dum non unius, sed plurium illustrium virorum nomina ab interitu vindicavit, thesaurosque elucidavit invisos? uni sapienti notum est, quanti res quæque taxanda sit. Denique superfluam rem etiam nos non agere, cùm jam de Scriptoribus* Casinentibus Trithemius, Arnoldus Wion, *aliique abundè quoque id præstiterint, in eorum indice non tam solicitos fuisse, inscius ne sis, quin multos non agnoverint; & quos agnovisse, se referunt, singula accuratè eorum postea non recitasse opuscula. Fruere igitur, studiose Lector,* Casinensium *laboribus, tibique persuadeas: quòd si amor, studiumque literarum te incendit (licet fateamur ingenuè, multos literarum cepisse tædium; quia vident ea facta esse inimicorum retia, quæ honesti erant animi instrumenta) ex polymathiæ* Casinensis *thesauris aliqua istorum Heroum literariorum scripta transcribere, vel excusa, cum m. s. conferre; scito nostris temporibus librorum pretium te non remoraturum; sicuti de* Platone *legitur, qui tres* Philolai Pythagorici *libros decem millibus denarium, etiam in difficultate rei familiaris, est mercatus, ex quibus plura in suum deinde* Timæum *usurpavit, ut auctor est Jurisconsultus* Gallus *Antiq.* Roman. *lib. 4. par 2. cap. 16. & de* Aristotele, *qui creditur libros pauculos* Speusippi *emisse tribus talentis* Atticis, *quorum summa fit apud* Romanos *H S. duo & septuaginta millia, teste* A. Gellio *lib. 3. cap. 17. Nec etiam animum tuum perturbatum, ignavumque reddere debebit exemplum* Nicolai *V. Summi Pontificis, qui ducatorum quinque millia ad se Euangelium D:* Matthæi Hebraicum *afferenti promiserat, ut scribit* Eckius *homil. de S.* Matthæo; *cùm* Casinenses *non inducti pecunia, sed* studio *gloriæ divinæ, benevolentia, ac liberalitate paratos se offerunt tibi illa prodere; & tanquam te veterum scriniorum excussorem, manuscriptorumque exemplarium conquisitorem agnoscentes, ad illa evulganda cohortabuntur, impellent, gratique animi calcaribus insuper perurgebunt. Reminisci quoque te volumus, favore, non odio, dignam hanc nostram esse propensissimam benè de Republica literaria merendi voluntatem; dum totum nostrum studium hisce thesauris reperiendis, tuo, & bono publico impendimus. Ave mi Lector, & fave.*

INDEX
SCRIPTORUM ALPHABETICUS.

ER-

PROLOGUS.



OACTUS assiduis tuis imperiis, Pandulphe *Præsul venerande, arduam, difficillimamque rem apicibus exarare sum orsus; Illustrium scilicet Virorum* Casinensis *Archisterii librum. Opusculum isto in tempore novum, oblivionique penè jam traditum; quod utinam qui perspexerint, cum quanta cordis id mœstitia scripserim, advertere valeant: Nam stupor, & hebetudo ingens nostri opplevit pectoris arcem, cur a sexcentis ferme jam annorum curriculis in* Casinensi *Gymnasio non extiterit, qui hunc vilibus saltem mandaret schedulis librum; & hoc non causa inscitiæ, sed laborem, ac detrahentium linguas fugiendo accidit. Nunc enim illud Deiloqui est consummatum oraculum; in quo perspicimus homines semetipsos amantes, & quæ sua sunt quærentes, non quæ* Iesu Christi, *detractionique ardentissime operam dantes. Et primo quidem a* Tranquillo, Græco*que* Apollonio *cœptum, sed ab Illustrissimis Viris* Hieronymo, Gennadio, *atque* Isidoro, *apud* Romanos *ad finem est usque perductum. Et quamvis ab aliis nihil est tam operose actum, quod non* Hieronymi *eloquentia superet; post istorum tamen e mundo recessum, nullus inventus est, qui illud ad calcem perduceret.* Guido *præterea noster institutor, moribus vitaque præcipuus, ante ferme septennium, opusculum scribere aggressus est istud; sed laboriosum inibi videns jacere materias, ea dimisit facilitate, qua cœperat: quod si ille, longe me in sermone, sensuque præpollens, rem cœptam dimisit; ego quia acumine mentis iners, sermoneque impolitus, & variis rebus sum implicatus, quid acturus sum? Sed ad ea quæ imminent, stylus sequens vertatur.*

P E-

PETRUS DIACONUS,

Monachus, & *Bibliothecarius* Casinensis,

DE

VIRIS ILLUSTRIBUS,

EJUSDEM SACRI ARCHISTERII.

CAPUT I.

BENEDICTUS Monachorum institutor, Vir egregius, ac post Apostolos singularis, Provinciæ *Nursiæ* extitit oriundus; ex patre *Eupropio* nomine, matre *Abundantia*, avo *Justiniano*, nutrice *Cyrilla*. Postquam duodecim Monasteria *Christo* adjuvante construxit temporibus *Justiniani* Imperatoris, prædictas cellas sub Præpositis ordinans, divino ad se facto responso, duobus Angelis comitantibus, ad Euangelium prædicandum, paganosque ad *Christum* convertendos, *Casinum* advenit; ubi templa idolorum destruens, Cœnobium construens, circummanentes paganos ad *Christum* convertit. Scripsit autem jam senex in eodem *Casinensi* Cœnobio Monachorum *Regulam*, discretione præcipuam, sermone luculentam, *epistolas* verò duas; primam ad *Remigium Rhemensem* Archiepiscopum; secundam ad *Maurum* suum discipulum, quem in *Galliis* ad prædicandum direxerat, elegantissimo sermone composuit. Fuit autem temporibus *Anastasii*, *Zenonis*, *Justini*, & *Justiniani* Imperatorum; sepultus verò est in *Casino* in Ecclesia S. *Joannis Baptistæ* ante altare, ubi a toto Orbe venerabiliter honoratur.

ANNOTATIO.

NUrsiæ *ex Patre* Anicio Eupropio, *&* Abundantia *matre*, *ex illustri* Riguardatorum *familia*, *unica* Nursini *Comitis filia*, *facultatumque ejus*, *ac cognominis hærede*, *Sanctus* Benedictus *Natione* Romanus, *Monachorum in Occidente antesignanus ac princeps*, *eodem cum sorore* Scholastica *partu nascitur anno Domini CCCCLXXX. quibus editis*, *mortua est mater*; *quasi jam satis vixisset*, *cum tantos talesque relinqueret posteros*; *nec alia videretur nupsisse causa*, *quam ut talium Sanctorum fieret mater. Ejus res gestas non solum S.* Gregorius *Papa* Magnus, *omnium virtutum Magister*, *fuse prosequutus est lib.* 2. *Dialogor.* (*quem* Gregorii *librum* Ingolstadienses Græco-latinum *annis superioribus publicarunt*) *verùm etiam ambitioso quasi præconio* Alexander *Secundus*, Victor *Secundus*, *Summi Pontifices*; Joannes Trithemius, *Card.* Baronius, *ac* Arnoldus Wion, *qui* Lignum Vitæ *duobus tomis complexus est*, *in quo propago tanti Patris accuratissimè conscripta est*, *copiosè tradiderunt. Videndus etiam* Benedictus Hæftenius, *Monasterii* Affligeniensis *Præpositus lib. disquisit. Monast. prolegom.* 1. *in vita Sancti* Benedicti, *diffusè de eo agens.*

Præter memorata a nostro Petro *conscripsit etiam Patriarcha* Benedictus, De Ordine Monasterii, *qualiter*, *inquit*, *a Fratribus religiosè ac studiose conversari*, *ac Domino militare oportet*, *librum unum*, *qui incipit.* In primis nocturnis horis. *Hic verò liber una cum Regula excusus fuit apud* Junctas Venetiis *anno MDXCIII. in* XVI. *parte folii*, *procurante* Arnoldo Wione, *quamvis in hoc opusculo quædam occurrant verba*, *quæ suspicionem ingerunt*, *ut S.* Benedicto *non videatur hic liber tribuendus*; *pro qua re lege dictum* Hæftenium *fol.* 1062. *Literis etiam consignavit sermonem in discessu Sancti* Mauri, *cujus initium.* Si tristandum, dilectissimi, *qui integer habetur in Martyrologio* Benedictinorum Arnoldi Wionis *ad diem* XVI. Januarii: *Sermonem pariter in passione Sancti* Placidi, *& Sociorum his verbis:* Sicut Patris est gaudere. *Hic verò excusus est in epistola* Siculorum *ad Sanctum* Benedictum, *quæ ad calcem* Casinensis *Chronici editionis* Venetæ *fuit adtexta. Supradicta opuscula simul colligata reperies in novissima Bibliotheca Sanctorum Patrum*, *& postremo loco in Theologia Regular. Cl. Viri Patris* Caramuelis *Ord.* Cisterciensis, *doctissimis etiam illustrata commentariis. Notandum verò quod licet epistola ad S.* Remigium, *quæ in fine d. Chronic.* Casin. *& alibi legitur*, *in dubium a Card.* Baronio *tom.* 6. *annal. anno DVII. unà cum tota historia revocetur*; *lapsumque ex nominum similitudine irrepsisse putet: attamen cum eam veram* Petrus Thiræus *lib. singul. de Dæmoniacis agnoscat*, *nec post edita* Baronii *scripta quidquam insinuet dubitationis*, *defendendo etiam eam* Antonius *de* Yepes *in Chr. Ord.* Balduinus Moreau *in opusculis Sancti* Benedicti, *&* Georgius Colvenerius *in scholiis ad* Flodoardi *historiam*; *lectoris propterea judicio relinquimus*, *ut ipse suapte diligentia discernat*, *quid verè Sancto* Benedicto *tribuendum*, *quidve illi abjudicandum censeat. Non est autem hoc loco silentii tenebris involvendum*, *quod novissimè ad huic epistolæ fidem adstruendam dictus* Hæftenius *comm. ad vitam S.* Benedicti *cap.* 16. *disq. monast. se invenisse refert*, *in antiquo videlicet m. s. Cod. Bibl. Monast. Sancti* Martini Tornaci, *alteram epistolam Monachorum* Rhemensium *post quingentos annos a Sancti* Benedicti *obitu ad* Casinenses *perscriptam*, *quam totam ibi integram reddit. Denique an verè cunctæ supradictæ lucubrationes genuini sint fœtus S.* Benedicti, *discutitur solita diligentia*,

tia, eruditione, ac doctrina a præfato Caramuele *in Theolog. Reg. pag. 2. ideo lectorem ad eum remittimus.*

Vixit Sanctus Benedictus *annos LXIII. cum habitasset* Nursiæ *annos septem*, Romæ *septem*, Sublaci *triginta quinque*, Casini *quatuordecim*; *stans atque erectus in templo inter discipulorum manus (editis prius perfectæ administrationis copiosis actibus, relictis pietatis præclaris monimentis, ac congestis innumeris meritorum manipulis) efflat animam, quæ illustri via ad Cœlum deduci visa est, anno Domini DXLIII. die* XXI. Martii, *hora tertia matutina, & sepulchro appositum epitaphium, ut refert* Sylvester Maurolicus *lib.* 1. *hist. sac. omnium relig. de Sancto* Benedicto *agens.*

Nursia me genuit, specus obtulit alta, *Casini*
Me rapuit vertex, aula beata tenet.

Cæterùm, de die & anno obitus S. Benedicti *extat controversia, quam affert & dissolvit rei Chronologicæ peritissimus Vir* Dionysius Petavius *in Rationario temporum par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 14. *illucque amandamus lectorem plenioris discussionis hujus puncti avidum.*

CAPUT II.

FAUSTUS ejusdem Patris Discipulus, septennis in *Casino* oblatus, & a Sanctissimo *Benedicto* cum *Mauro Casinensi* Præposito in *Gallias* directus, post suam reversionem, Beati *Mauri* vitam ex jussione Abbatis *Theodori* lucidissime valde composuit. Claruit autem temporibus supradictorum Imperatorum, sepultus autem est in Monasterio *Lateranensi.*

ANNOTATIO.

S*anctus* Faustus *natione* Italus, *Divi* Benedicti *primarius assecla, ac symmysta, sensuum, affectionumque mortificatione fuit tanta, ut supra imitationem fuisse videretur. Cùm septem annorum esset, Divo* Benedicto *a parentibus suis fuit oblatus; a quo tandem post perfectam regularis propositi institutionem, cum B.* Mauro *missus fuit in* Gallias *anno salutis DXLII.* Arnoldi Wionis *annorum calculo; at juxta computum Ecclesiæ, anno DXXXV. ad construendum Cœnobium, ubi in magna sanctitate multis annis conversatus, tandem ad* Lateranense *Monasterium est regressus. Testatur id etiam Martyrologium* Gallicanum *Cl. V.* Andreæ Saussay *in supplemento ad diem* XV. Febr. *his verbis.* Depositio Sancti *Fausti* Monachi *Casinensis*, Discipuli Sancti *Benedicti*, qui aliquandiu in Cœnobio *Glanofolii* in *Andegavensi* præsulatu ad *Lygerim*, sub Sancti *Mauri* disciplina conversatus, postea redux in *Italiam* apud *Casinum*, suum cursum finivit, &c.

Is erat per hæc tempora calamitosissima Italiæ *status, ut* Langobardis *crudeliter ubique grassantibus, nulla urbs tam munita, nullus locus tam remotus inveniretur, quò illi suis incursionibus non perrumperent. Neque Cœnobium* Casinense *cladis acerbissimam calamitatem effugere potuit; quam etiam Sanctus* Benedictus *prænunciaverat. Itaque fugientes Monachi ex eodem Cœnobio* Romam *profecti sunt, &* Pelagium *secundum Pontificem adiverunt, ab eoque benignè accepti, juxta* Lateranense *Patriarchium, Monasterium in honorem S S.* Joannis *Apostoli, & Euangelistæ, ac* Pancratii *Mart. construxerunt, ibique spatio centum triginta annorum habitarunt; in quo degens S.* Faustus *vitam S.* Mauri *Abbatis in* Gallia *condiscipuli sui, qui septuagenario major in Cœlum migraverat an. Dom. DLXXXIV. juxta verò Chronolog. Cl. V.* Guesnay *in vita S.* Joannis Cassiani, *anno DLXV. luculentissimè literis consignavit, sub* Christi *anno DCVI. quod colligitur ex præfatione, in qua sic loquitur ipse* Faustus: Hoc opusculum Beatissimo Papæ *Bonifatio* ostendi; quod ipse Sanctissimus Pontifex approbans laude dignum duxit, suaque sancta auctoritate roboravit. *Fuit is* Bonifatius *Papa III. ut* Leo Ost. *Chron.* Casin. *lib.* 1. *cap.* 3. *testatur, qui anno DCVI. sedere cœpit, & anno eodem decessit, succedente* Bonifatio *IV. Papa. Unde corrigendus* Trithemius *de script. Eccles. in verbo*, Faustus, *qui ad* Bonifatium *II. scripsisse refert. Edita est ea vita a* Lippomanno, *&* Surio *ad diem* XV. Jan. *& a* Mombritio *tom.* 2. *Vide Acta Sanctorum V. Cl.* Bollandi *ad hanc diem, in quibus vita, translatio, ac miracula S.* Mauri *accurate descripta leguntur. Adi etiam notas V. Cl.* Joannis Tamayo *in Martyrol.* Hispan. *ad diem* XIV. Januar. *Observavit tamen* Hugo Menardus *in notis Mart.* Bened. *prædicta acta esse corrupta; tu tamen illum consule. Extare etiam in Bibliotheca* Carmelitarum Excalceatorum Claromontensium *in* Arvernia, *vitam m. s. Sancti* Mauri *metro, & prosa scriptam per* Odonem. *Libellum miraculorum ejusdem: sermonem de translatione ejusdem in Monasterium* Fossatense, *docet Vir Clar.* Philippus Labbeus *Societatis* Jesu *in nova Bibliot. m. s. s. librorum edita* Parisiis *anno præt. pag.* 206. *De gestis* Fausti *agit* Sigebertus *cap.* 32. *de script. Eccles. Martyrol.* Benedict. *sub die* XV. Febr. Galesinus, Maurolycus, *&* Trithem. *de Vir. Illustr. Ord. S.* Bened. *lib.* 2. *cap.* 2. *& lib.* 3. *cap.* 3. Leo Ost. *lib.* 1. *cap.* 3. *Hist.* Casin. Vincent. *in specul. hist. lib.* 21. *cap.* 68. *&* 69. *V. Cl.* Gerardus Jo. Vossius *de hist.* Lat. *lib.* 2. *cap.* 24. *Ad lucis æternæ præmia evocatus fuit S.* Faustus *circa annum Domini DCXX.*

CAPUT III.

M*ARCUS* Patris *Benedicti* discipulus, & *Casinensis* Monachus, Vir egregius, & in Scripturis apprimè eruditus. De Adventu Sanctissimi *Benedicti* ad *Casinum*; de situ loci, constructioneque Cœnobii, elegantissimos *versus* composuit.

ANNOTATIO.

M*Arcus a S.* Benedicto *familiarissime dilectus vir ad poëticam artem extollendam a natura progenitus, moribus & conversatione præclarus, ac in literis etiam secularibus peritissimus: Et ne* Marci *auctoritas a nonnullis parvi habeatur, tanquam obscuri alicujus Scriptoris, hic producere de eo quorun-*

rundam veterum Scriptorum testimonia non alienum duximus. Paulus Diaconus lib. 1. *cap.* 26. *de gestis* Langob. *sic ait.* Hæc omnia ex *Marci* poëtæ carmine sumpsi, qui apud eundem Patrem (*Benedictum*) huc veniens aliquot versus in ejus laudem composuit. *Eadem referuntur ab* Aldrevaldo *lib.* 1. *cap.* 4. *de mirac. S.* Bened. *Sanctus* Petrus Damianus *serm.* 8. *in vigilia S.* Benedicti. Hæc plane de *Marci*, ejusdem, videlicet D. *Benedicti*, discipuli venusto carmine jam defloravimus. *Vide etiam* Sigibertum *de script. Eccles. cap.* 33. *Præter recensita a nostro* Petro, *quæ inedita remanserunt, scripsit etiam versibus heroicis ejusdem Sancti* A Benedicti *magistri sui nonnulla miracula a Divo* Gregorio *Papa primo omissa: quæ carmina cum diu delituissent, excusa, modo reperiuntur in tertio poëmatum volumine D.* Prosperi Martinengi Romæ *anno* MDXC. *in* 4. *studio, & opera* Arnoldi Wionis, *ut ipse testatur lib. Lig. vitæ; quæque* Mantuæ *in Cœnobio Sancti* Benedicti *inventa etiam refert. Scripsit insuper* Gnomas *impressas* Haganoæ *anno* MDXXXI. *& alia quædam opuscula conversa per* Joannem Picum, *edita sunt* Parisiis *ann.* MDLXIII. *in* 8. *Claruit eodem ferè tempore, quo S.* Faustus *id est, usque ad Imperium* Heraclii *Augusti anno Domini* DCX.

CAPUT IV.

SEBASTIANUS B. *Benedicti* Monachus, *Hieronymi* doctoris egregii *vitam* describens, legendam Ecclesiis tradidit: in qua, quæ ei a puero institutio, quale in juventute studium, quæ in senectute ei scientia fuerit, lucidissime satis demonstrat.

ANNOTATIO.

Vita Sancti Hieronymi *Ecclesiæ Doctoris maximi, pluribus referta mendaciis, quæ sine auctore vagatur, teste Card.* Baronio *ad annum* CCCCXX. *num.* 49. *non videtur tribuenda nostro* Sebastiano, *ut aliqui perperam arbitratu suo scriptis fecerunt; cum tantum ab ipso literis demandata fuerit vita æqualis sui S.* Hieronymi *discipuli S.* Benedicti, *non au-* A *tem Ecclesiæ Doctoris; illamque deinde Cœnobiis* Benedictinis *legendam tradidisse scribit* Arnoldus *lib. Ligni vitæ. Vide* Gerardum Jo. Vossium, *diffusæ, reconditæque eruditionis virum, lib. de hist.* Latinis *in* Sebastiano. *Floruit circa annum Dom.* DLX.

CAPUT V.

SIMPLICIUS Sanctissimi *Benedicti* discipulus, ac post eum in *Casino* Abbas effectus: Regulam, quam suus magister ediderat, publice legendam omnibus Monachis tradidit: *Versus* quoque nonnullos de eadem re descripsit. Fuit verò temporibus *Justini Junioris,* sepultus autem in *Casino* juxta corpus B. *Benedicti.*

ANNOTATIO.

Sanctus Simplicius *Abbas ab obitu Divi* Benedicti *tertius, ut docet S.* Greg. *lib.* 2. *Dial. in princ. Vir cœlestibus charismatibus præditus, omnique testimonio sanctitatis illustris.* Versus, *quos in laudem Regulæ Sancti* Benedicti *descripsit, una cum diversis aliis Sanctorum Monachorum Regulis, in lucem propediem dabit vir præcellentis doctrinæ, & summus Ecclesiasticæ antiquitatis assertor ac vindex* Lucas Holsteinius. *Vide quæ annotarunt* Hæftenius *in tract.* 6. *disquis.* 1. *de regulæ S.* Benedicti *promulgatione in* Simplicio, Matthæus Lauretus *de existentia corporis S.* Benedicti *in Cœnobio* Casin. *cap.* 5. Hugo Menardus *de origine & incremento* Ord. *S.* Bened. *pag.* 870. *ac* Antonius de Yepes *in chron.* Bened. *fol.* 337. *de sera promulgatione dictæ Regulæ, ubi argumenta eruditissimi* Antonii Gallonii *in Apolog. de Monachatu S.* Greg. *adver-* A *sus Abbatem* Constantinum Cajetanum *enervant, ejusque diluunt objectionem. Ad auspicatissimum locum indeterminatæ Beatitudinis transivit* Simplicius *circa annum Dom.* DLXXVI. *miraculis coruscans; sepultus est* Casini *una cum* Constantino *Abbate suo prædecessore juxta sui magistri corpus. Horum corpora primum a* Desiderio *Abbate, postea* Victore *Papa* III. *una cum sacris cineribus* Carolomani *Regis, ac Monachi, inventa sunt anno Dom.* MLXXI. *ut ex nostro* Petro Diacono *sermone m. s. de Octava S.* Benedicti *habetur. Vide V. Cl.* Marcum Scipionem *in Elog. Abb.* Casin. *in* Simplicio; B *eum etiam commemorant* Trithem. *de vir. illustr. Ord. S.* Bened. *lib.* 3. *cap.* 10. Leo Ost. *lib.* 1. *cap.* 2. *hist.* Casin. Anastas. Biblioth. *Monachus in libello de translat. S.* Bened. *& iterum noster* Petrus *lib. m. s. de ortu & vita Just.* Casin. *cap.* 10.

CAPUT VI.

LAURENTIUS ejusdem Cœnobii Monachus, scientia antecessorum suorum post Sanctissimum *Benedictum* nulli inferior, factus Episcopus, Beati *Mauri* vitam, ac *Castrensis* Episcopi passionem *versibus* adornavit: Historiam quoque S. *Wenzeslai*, & sermonem de B. *Benedicti* vigilia elegantem composuit.

ANNOTATIO.

Opuscula Laurentii *Monachi* Casinensis, *deinceps Episcopi, incertæ tamen sedis, extare* Casini *m. s. uti & alia quædam in sexto pluteo ad dextram Bibliothecæ, testatur* Arnoldus Wion *lib. Lig. vit.* A *Historiæ S. Martyris* Wenzeslai *Ducis* Bohemorum, *habitu Monachi* Benedictini, *sed non professione, auctore* Laurentio, *meminit* Baron. *in Martyrol. ad diem* XXVIII. Septembris, *illamque etiam*

m. s. in nostro exili m. s. s. sacrorum penario asservamus tali lemmate : Dominus, ac Redemptor noster humanis visibus, &c. *Quam si vota & spes nostras Deus Opt. Max. fortunaverit, una cum aliis Sanctorum vitis hactenus ineditis bono publico proferendam dabimus. Scripsisse praeterea praefationem in doctrinas* Dorothei, *constareque in Bibl. SS. Patrum tom. 2. edit. 2. auctor est* Possevinus *in Apparatu in verbo*, Laurentius; *sed* Vossius *de hist.* Lat. *fatetur, se non satis assequi mentem* Possevini, *vel mirificè eum rationem fugere; nam noster* Petrus Diaconus, *quem de hoc* Laurentio *Monacho scripsisse refert, vixit circa annum Dom.* MCXLV. *at ille* Laurentius Monachus, *qui auctor est praefationis* Dorothei, *admodum recens est; nam ait interpretem* Dorothei *esse* Hilarionem *Monachum* Casinensem : *at* Hilario *ille floruit circa ann. Dom.* MDXVI. *annis quadringentis quinquaginta & amplius post* Petrum Casinensem. *De vita S.* Castrensis *Episcopi & Mart. consule Cl. V.* Michaëlem Monachum *in Sanctuario* Cupuano. *Floruit* Laurentius *circa ann. Dom.* CML.

CAPUT VII.

CYPRIANUS Presbyter sub *Petronace* Abbate in eodem Cœnobio Monachus factus, de B. *Benedicti* miraculis *hymnum* in ejus festivitate cantandum descripsit. Claruit autem temporibus *Leonis*, *Constantini*, & *Hirene* Imperatorum.

ANNOTATIO.

Hymnus, quem composuit Cyprianus *de B.* Benedicto, *in Bibl.* Casin. *tali servatur exordio.* Aureo solis radio perennis, &c. *teste* Arnoldo Wione *lib. Lig. vit. Scripsit & alia nonnulla. Vivebat ann. Dom.* DCCLX.

CAPUT VIII.

PAULUS Aquilejensis Patriarchii Diaconus, Regisque *Desiderii* notarius, sub *Theodemario* Abbate ad *Casinum* perveniens, monasticumque schema suscipiens, sanctitate, gravitate suo tempore singularis, philosophia quoque a pueritia eruditus. Composuit in laudem Beatissimi *Benedicti Versus* elegiaco metro digestos: *Hymnos* quoque Sancti *Joan. Baptistae*, Sanctique *Benedicti* : *Versus* ad *Carolum* Imperatorem, ad *Arichis Beneventanum* Principem; Sanctique *Fortunati* Episcopi elegantes descripsit: *Homilias* quoque quinquaginta: Sancti Pontificis *Gregorii vitam*: in Regula Sancti *Benedicti* expositionem: ac de ingressu *Langobardorum* in *Italiam*, origine, regnoque eorum, *Historiam* valde luculentam edidit. In historia autem *Eutropii* quamplurima adjunxit. Universas etiam lectiunculas a principio mundi usque ad suam ætatem, una cum annali computo rhithmicè composuit. Fuit autem temporibus *Caroli* Imperatoris. Sepultus est in eodem Cœnobio juxta Ecclesiam Sancti *Benedicti* ante Capitulum.

ANNOTATIO.

PAulus *cognomento* Winfrid *ex* Langobardorum *gente originem duxit*, Warnefridi, *ac* Theodelindæ *filius*; *Vir Apostolicus, ac Antistes doctissimus, appellatus a* Gaspare Barthio: *meritò Polyhistor, qui pene innumera miræ, ac exquisitæ eruditionis monimenta suo eximio ingenio, acri judicio, ac prudentia singulari prodidit: & ne quid a Lectore curioso de* Paulo *desiderari possit, verba damus* Leonis Ost. *in Chron.* Cas. *lib.* I. *cap.* 15. Eo tempore, *inquit*, quo primum in *Italiam Langobardi* ingressi sunt, cum eis etiam *Paulus* venit, & a puero disciplinis liberalibus eruditus maximum in Curia *Desiderii* ultimi Regis *Langobardorum* ob suam industriam, familiaritatis locum obtinuit: Cancellarius dicti Regis, atque *Aquilejensis* Patriarchii Diaconus extitit; (*hinc* Paulo Diaconi *cognomen ab adepta dignitate inditum, perpetuo adhæsit, licet hoc non attendat* Raphael Volaterranus, *nam pro diversis habet nostrum* Paulum *historiæ* Langobardicæ *Scriptorem, &* Paulum Diaconum Aquilejensem.) Hic post captam *Papiam*, cum Regi quoque *Carolo* pro sua prudentia admodum carus, & familiaris effectus est, ac non multo post cum accusatus apud eundem Regem fuisset a quibusdam invidis, quod eum propter fidelitatem *Desiderii* Domini sui voluisset occidere, fecit eum idem Rex comprehendere, & coram se adduci: quem cum interrogasset, utrum vera essent, quæ super morte sua de eo dicerentur, constanter respondit, se pro certo fidelissimum Domini sui fuisse, & in eadem se fidelitate cum vita perseverare: ad hæc Rex subitò ira succensus, præcepit eum manibus sine mora privari; sed mox in se reversus, & reminiscens sagacitatis ejus atque prudentiæ, suspirans ait: Et si ejus manus abscindimus, ubi tam elegantem Scriptorem reperiemus? & ait proceribus assistentibus sibi: Dicite quid super hoc vobis videtur: at illi; Jubete, inquiunt, ut eruantur ejus oculi, ne aliquando aliquas alicui contra vos literas dirigat. Et ubi, vel quando, ait Rex, tam insignem historiographum, aut poëtam invenire valebimus? illi vero videntes circa illum Regis compassionem, ac benevolentiam; suaserunt tandem, ut in *Diomedis* insulam, quæ hodie a tribus montibus *Tremiti* dicitur, eum exiliaret. Factumque est, ubi cum per aliquot annos exul mansisset, tandem ad Monasterium *Casinense*, celebri sanctitatis fama notissimum clam perrexit, ibique Monachus factus, pie & religiosè vitam duxit, ac diu superstes in senectute bona in pace quievit, cum innocentiæ, humilitati, silentioque ultra humanum modum operam dedisset. *Sic dictus* Leo Ost.

Plura alia veneratione digna, insigniaque virtutum monumenta immortalitati consecrasse fertur, quæ ad notitiam nostri Petri *non pervenerant: videlicet* Vitam *Sancti* Benedicti *metricè scriptam, quam inve-*

venies apud eundem Paulum lib. 1. cap. 26. de gestis Langob. Arnoldus Wion mentionem facit cujusdam poëmatis de vita Sancti Benedicti a Paulo Diacono conscripti, cujus singuli distichi iisdem quibus incipiunt, desinunt verbis, quod integrum affert Aymonius serm. de S. Benedicto, ubi etiam ejusdem Pauli hymnum affert singula miracula Divi Benedicti continentem. Exaravit insuper Paulus vitam Sancti Mauri Abb. miro quodam artificio descriptam: sic exorditur.

Dux, via, vita tuis, decus, & laus, gloria, virtus,
Jesu, lux lucis, Dux, via, vita tuis.
Tu facis omnipotens, animalia muta profari,
Quod tibi cunque placet, tu facis omnipotens.
Da precor ut referam, sancti magnalia Mauri,
Quæ per te gessit, da precor, ut referam, &c.

Vitamque etiam S. Scholasticæ Virginis, mandante Carolo Magno Imperatore, quæ integra in tertio poëmatum libro habentur Prosperi Martinengii, lectorem propterea curiosum ad eum remittimus. Sicuti etiam jussu ejusdem Caroli (qui anno DCCCXIV. 5. Kalend. Febr. Aquisgrani diem clausit extremum ætatis annorum LXXI.) ordinavit historias, & lectiones per totum annum singulis festivitatibus Sanctorum congruentes: quæ ejus dispositio ab Ecclesia tota observata est, & usque ad hæc nostra tempora inviolabiliter custodita; servatur apud nos hæc etiam ordinationis nota m. s. Vide epistolam Caroli Imperatoris de hac ordinatione scribentis, quæ homiliario Alcuini præponitur. Præterea de eadem S. Scholastica nonnullos composuit versus, qui habentur in Matyrolog. Arnoldi Wionis ad diem 10. Febr. Vitam etiam S. Arnulphi Metensis Episcopi, qui fuit primò Præfectus domus Regis Francorum, postea Metensium Episcopus, quæ apud Surium tomo IV. ad diem 16. Augu st. & apud Bedam tom. 3. reperitur, licet falsò ipsi Bedæ adscribatur. Librum de gestis Episcoporum Metensium editum per Marquardum Freherum in corpore hist. Franc. indicat ipsemet Paulus scripsisse lib. 6. de gestis Langob. cap. 16. De gestis Episcoporum Papiensium librum unum, quem se vidisse testatur Galesinus. Ad Carolum Imperatorem epistolam unam, quæ m. s. in Biblioth. Casin. ad dextram scamno 3. nu. 179. servatur. Vitam S. Cypriani Episcopi, & Mart. quæ habetur in prolegomenis Jacobi Pamelii ad S. Cypriani opera. Versus ad Arichem Principem Beneventanum generum Desiderii Regis typis modò cusi reperiuntur apud Virum Cl. Camillum Peregrinum rerum antiquarum indagatorem indefessum, historicumque insignem in hist. Principum Langob. col. 151. Divorum etiam aliquot facinora, laudesque luculentis versibus celebravit: Quo in genere carmen in S. Joannem Baptistam tutelarem suum, patronumque Regni Langobardorum maxime excellit, cujus pietate, ac numeris Romana Ecclesia delectata recitandum proposuit, estque inter sacratos hymnos elegantia, & venustate facile princeps: sic exorditur.

Ut queant laxis resonare fibris, &c.

Composuit & hymnum de passione S. Mercurii ac etiam alterum in translatione corporis Beneventum: primum refert Petrus Pipernus Beneventanus lib. 5. cap. 20. de effectibus magicis. Extat pariter hymnus Alcaicus Dactylicus e vet. m. s. Lang. Eccles. Benevent. ritu in festo Assumptæ Virg. Deip. decantari solitus, a nostro Paulo, ut asseritur, scriptus, incipit.

Quis possit amplo famine præpotens, &c.

Insuper aliqua fragmenta m. s. sub nomine Pauli Diaconi, mutila tamen, & hiulca nos custodimus; videlicet, vitam Germani sanctissimi Constantinopolitani Patriarchæ per Paulum Diaconum historicum scriptam. In transitu Petri Damiani, de dimittendo Episcopatu orationem, in qua fit mentio de S. Arnulpho Metensi Episcopo. Vitam S. Petri Damasceni Episcopi, & Mart. nec non alterius Petri pariter Mart. per Paulum Diaconum scriptam. Alia etiam opuscula nec dum prælo subjecta, Casinatem Biblioth. exornant, videlicet Cod. m. s. sign. num. 146. præfixus est sermo Pauli Diaconi in Euang. Nemo accendit lucernam, &c. incipit. His sancti Euangelii verbis, &c. Item Cod. 145. pag. 198. vita S. Gregorii Papæ I. tribus libris conscripta per Paulum Diaconum, incipit. Gregorius Urbe Romulea patre Gordiano. finit. Iduum Martiarum regnante, &c. Item Cod. 305. ejusdem Pauli Diaconi sermo de B. Virgine, incipit. Licet omnium Sanctorum, &c. Ejusdem sermo in illud Euangelii. Simile est Regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere, &c. incipit. Præsens Sancti Euangelii lectio, &c. Hæc verò homilia inter opuscula Sanctorum aliquot Patrum per Thomam Gallettum edita habetur Lugduni an. 1615. pag. 450. Sicuti etiam in celeberrima Bibliotheca Medicea plut. XVII. extare inter octo volumina homiliarum diversorum auctorum nonnullas Pauli Diaconi homilias refert Henricus Ernstius in Catal. Medic. Biblioth. In eodem Archivio Casin. adsunt commentaria m. s. s. in fol. Pauli Diaconi in Regulam S. Benedicti, ubi in fronte habetur pictura vetustissima Sancti Benedicti, & Joannis Abbatis, cui Regulam tradit, licet commentarium prædictum Hugo Menardus Ruthardo Monacho Rabani, & Strabi auditori tribuendum esse notarit. Vide disquis. Monast. Hæfteni lib. 2. tract. 5. disquis. 4. Item epistola Pauli Diaconi ad Carolum Magnum, nomine Theodemari, & Casin. Congreg. scripta, de qua Ost. in Chron. Subjungitur etiam in eodem Codice m. s. sylloge quædam chronologica ejusdem, ut nonnulli putant, Pauli, quam simul cum quadam historiola sub titulo ignoti Casinensis vir Cl. Camillus Peregr. hist. Princ. Langob. ultimo loco in lucem edidit. Epistolarum ad diversos librum unum scripsisse etiam fertur.

Observandum denique est, auctorem miscellæ falsò dici Paulum Diaconum, Baron. tom. 5. Annal. & Bellarm. de Scriptor. Eccles. probant. Vide notas eruditissimi Auberti Miræi in Sigibertum de script. Eccles. cap. 80. & præcipuè Vossium de hist. Latin. in Paulo & de natali anno Christi dissert. 7. pag. 5. Camillum Peregr. hist. Princip. Langob. qui Paulum callide non produxisse historiam Langob. ad sua tempora observavit, sicut etiam nonnulla alia silentio obvelasse. Alphonsus Ciacon. in vitis Pontificum in Leone. Habet, inquit, auctor miscellæ Paulus, vel potius Joannes Diaconus. Sed utcunque sit de nomine Scriptoris, certè, quod in omnibus ferè m. s. s. Cod. nomen Pauli, non Joannis legitur.

Claruit Paulus anno Dom. DCCLXXIV. cum innocentiæ, humilitati, silentioque ultra humanum modum operam dedisset, atque in Casinensi Monasterio usque ad finem vitæ ardue satis, ac districtissime vixisset; sepultus est Casini ante Capitulum, gloriosis emicans meritorum maximorum insignibus, testatur noster Petrus lib. m. s. de ortu, & vita Justor. Casin. cap. 25. Extant Caroli Magni literæ metro exaratæ nostro Paulo, in quibus de susceptæ vitæ ratione per ipsum, sacrique Cœnobii Casin. sanctitate mirificè gratulatur: quarum literarum partem hic inserimus, ut clarissimi Imperatoris in eruditos homines singularis humanitas; deque Sacri Archisterii Casin. sanctitate præclara existimatio agnoscatur. Est hujusmodi.

Hinc celer egrediens, celeri mea charta volatu
Per sylvas, & colles, valles quoque præpete cursu,
Alma Deo chari Benedicti tecta require;
Est nam certa quies fessis venientibus illuc.

Hic olus hospitibus, piscis, hic panis abundat,
Pax pia, mens humilis, pulchra & concordia Fratrum,
Laus, amor, & cultus *Christi* simul omnibus horis.
Dic Patri, & Sociis cunctis, salvete, valete.
Colla mei *Pauli* gaudendo amplecte benignè,
Dicito multoties, salve Pater optime, salve.

De Paulo *mentionem habent* Leo Ost. *Chron.* Casin. *lib.* 1. *cap.* 17. Sigibert. *cap.* 80. Trith. *de Vir. Illustribus Ord. S.* Bened. *lib.* 2. *cap.* 30. Arnold. *lib.* 5. *cap.* 91. *Lig. vitæ.* Th. Dempsterus *in notis antiquitat.* Roman. *Ipse* Paulus *de se ipso multis in locis, & alii innumeri. In pervetusto Cod. m. s. legimus*, Paulum *fuisse Diaconum S. R. E. Cardinalem, uti etiam dicto lib. m. s. nostri* Petri *de ortu, & vita Justorum* Casin. *in c.* 25. *inscriptione his verbis :* De *Paulo Diacono*, atque Cardinali, &c. *Quem fucum exscriptores, sive amanuenses lectori facere voluisse existimamus, dum e nullis tabulis Ecclesiasticis in numerum Cardinalium adscitum colligimus. Vel potius scrupulum istum injectum fuisse credendum a* Martino Polono *in præfatione suæ Chronicæ, dum in opere de gestis Imperatorum & Pontificum nominat quendam* Paulum Diaconum Romanum, *& Cardinalem: iste tamen dissolvitur nodus, quod noster* Paulus *fuit Diaconus* Aquilejensis, *& postea Monachus* Casinensis ; *at iste, ex quo profecit* Martinus, *vocatur* Romanus *Diaconus, & Cardinalis. Vide* Vossium *de histor* Latin.

Extat epitaphium Pauli Diaconi *versibus exornatum ab* Hilderico *Monacho & Abbate* Casin. *discipulo prædicti* Pauli; *quod tibi, singulari humanitate V. Cl.* Caroli Borelli *Cler. Regul. Minor. nobis suppeditatum, ex antiquo m. s. Cod. sign.* 256. *Biblioth.* Casin. *depromptum, nunc primum in lucem damus.*

Epitaphium Pauli Diaconi.

Perspicua clarum nimium cum fama per ævum
A Astra simul junctum pangant te cœtibus almis;
Veridicos *Levita* tuos quis summe triumphos
Lucifluis *Paule* potuit depromere dictis?
Ut tua, sed lector properans huc noscat, & hospes
Sacrato tumulo requiescere membra sub isto,
Laudis amande tuæ summatim carmine digno
Almificos actus dignum est reserare canendo.
Eximio dudum *Bardorum* stemmate gentis
Viribus, atque armis, quæ tunc opibusq; per Orbem
Insignis fuerat, sumpsisti generis ortum;
Tam digna est, postquam nitidos ubi sæpe *Timavi*
Amnis habet cursus, genitus tu prole fuisti:
B Divino instinctu regalis protinus aula
Ob decus & lumen patriæ te sumpsit alendum;
Cum tua post *Tibridem* populis & regibus altis
Tunc placida cunctis vita, studiumque maneret,
Omnia sophiæ cœpisti culmina sacræ,
Rege monente pio *Ratchis*, penetrare decenter
Plurima captasses digne cum dogmata, cujus
Resplendens cunctos, superis ut *Phebus* ab astris
Arctoas rutilo decorasti lumine gentes:
Hæc sint jam nimium, fluidi cum gloria sæcli
Condignis ditaret ovans te sedule gazis,
Lucis ob æternæ vitam sine fine beatam
Audacter sprevisti hujus devotus honores;
C Regis & immensi fretus pietate polorum
Vernanti huc Domino properasti pectore *Christo*
Subdita colla dare *Benedicti* ad septa beati;
Exemplis mox compta tuis ubi concio sacra
Tum jubar ut fulgens cœpit radiare coruscis,
In te nam pietas jugiter, dilectio dulcis,
Nectareus & pacis amor, patientia victrix,
Simplicitas solers nimium, concordia summa,
Omne simulque bonũ semper venerande manebat:
Nunc ideo Cœli te gemmea regna retentant,
Sideream retinens pariter per sæcla coronam.
Hoc tibi posco, sacer, gratum sit carmen honoris,
D *Hilderic* en cecini quod lacrymando tuus;
Quem requiem captare tuis fac quæso perennem
Sacratis precibus semper amande Pater.

CAPUT IX.

HILDERICUS ejusdem *Pauli Diaconi* auditor. De origine Præceptoris sui, vita, institutione, doctrina, religione, habitu, lucidissimos *Versus* composuit.

ANNOTATIO.

Fuit deinde Abbas Casinen. Hildericus, *& eodem mense, quo electus, obiit, scilicet anno Dom.* DCCCXXXIV. *cum sedisset diebus decem & se-* A *ptem :* Versus, *quos composuit de* Paulo, *supra retulimus.*

CAPUT X.

THEOPHANUS Diaconus, Vir eruditissimus, ac disertissimus; de constructione Cœnobii Domini Salvatoris: de adventu Sancti *Benedicti* ad *Casinum*, ac de miraculis per eum inibi factis: & in laudem Sanctæ Dei Genitricis, & de constructione Monasterii *Sanctæ Mariæ* in *Plumbariola Versus* mirificos edidit. *Vixit sub* Ludovico Pio *Imperatore anno Dom. DCCCLV.*

CAPUT XI.

BASSATIUS Casinensis Cœnobii Abbas vir Scripturis Sanctis deditus, & notitia ecclesiastici dogmatis sufficienter instructus; composuit nitido satis & aperto sermone quosdam tractatus: fuit autem tempore *Ludovici* Imperatoris.

ANNOTATIO.

Opuscula, quæ Bassatius *Abbas* Benedictinus *decimus octavus scripsisse exponitur, quænam contineant, non explicat* Petrus: *nisi intelligere veli-* A *mus, quod cum suo tempore ordinem monasticum aliqua jam ex parte corruptum in* Liguria, Burgundia, *&* Germania *vidisset, sermonibus ac doctrinis cor-*

correxisset. Naturæ concessit non sine opinione sanctitatis, Casini, *anno Dom.* DCCCLVI. *die* XVI. *Kalend.* Aprilis, & *in Capitulo Fratrum juxta æ-* A *dem Divi* Benedicti, *quam magnifico ornatu decoraverat, sepultus est.*

CAPUT XII.

BERTHARIUS, supradicti *Bassatii* discipulus, ac post eum Abbas *Casinensis* effectus; vir genere, & literis nobilis, honestatis, religionis, ac martyrii corona perspicuus: Scripsit non contemnenda opuscula, sed præcipua sunt illa, quæ Abbas jam constitutus edidit. De Sancto *Luca* Euangelista sermonem: de Beata *Scholastica* homiliam descripsit: librum quoque difficillimum sententiarum tam veteris, quam novi testamenti patravit, ipsumque *Anticimenon* appellavit. De vita autem, & obitu, ac miraculis Sanctissimi *Benedicti*, nec non ad *Angelbergam* Augustam, aliosque suos amicos *versus* mirificos fecit. Sed cum peccatis Christicolarum exigentibus, justo Dei judicio *Italia* ab *Ismaelitis* devastaretur, solusque contra eorum sævitiam ob defensionem *Christianorum* per decem & septem annos & . . . . . . acerrimè expugnaret; consilio *Saraceni* habito clam navem ascendunt, & ad Monasterium Domini *Salvatoris*, quod situm est ad pedem *Casini* Montis, venientes, Ecclesiam intrant, ibique *Bertharium* Martyrem *Christi* reperiunt. Cumque ad eum venissent, dixerunt. Tu es *Bertharius*, qui usque nunc *Christianos* defendisti, ac pro illorum liberatione ad Imperatorem bis ultra montes perrexisti? justum est ergo, ut pro eis mortem suscipias, ac pro fide Dei tui. Hæc cum dixissent, ab eisdem *Saracenis* juxta altare S. *Martini* pro fide *Christi* capite truncatus est. Passus est autem temporibus *Ludovici* Imperatoris; sepultum verò est ejus sacratissimum corpus juxta Ecclesiam Sancti *Joannis Baptistæ* in Capitulo *Casinensi.*

ANNOTATIO.

Sanctus Bertharius, *ab ipsis* Francorum *Regibus ortum ducens, vir raræ sanctitatis, & inculpatæ vitæ laudibus conspicuus, clam suis, domo, ac patria digreditur, illud Poëtæ veteris animo semper agitans,* A

Qui vult esse pius, regalibus exeat aulis,

Religiosa peregrinatione inde usque e Galliis Casinum *suscepta; quo simul ac pervenit, res suas seculum habere jussit, omniaque illius ornamenta, opes, dignitates (quæ propter summam* Bertharii *nobilitatem, modestiam, ingenium, ipsi non dubia spe proponebantur) tanquam stercus arbitratus, nudus ad* Christi *nudi crucem confugit, &* Benedictinis *ad-* B *dictus est* Casini: *deinde vero* Bassatio *Abbate demortuo, communi Patrum consensu Abbas eligitur anno Dom.* DCCCLVI. *Per hæc enim tempora* Bertharius *a* Saracenis, *qui* Italiam *invaserant, plures est perpessus injurias; nempe quod auxilia adversus illos ex* Gallia, *& aliunde advocasset, frequenterque in eos egressus, ac impetum faciens, a finibus illis avertisset; unde in se odium immane concitatum fuit. Quadam igitur die* Lyri *amne advecti* Saraceni, Bertharium *in majori æde Cœnobii Sancti* Germani *celebrantem repente adorti, cum aliquot Monachis obtruncant* XI. *Kalend.* Novem- C bris *anno Dom.* DCCCLXXXIII. *sedente* Ludovico *Imperatore* Arnulphi *Imperatoris Quarti filio, cum annis* XXVIII. *non exactis, Monasterio* Casinensi, *impleto cumulo meritorum, præfuisset. Consule* Leonem Ost. *lib.* I. *cap.* 46. *Chron.* Casin. Carolum Sigonium *de Regno* Italiæ *lib.* 6. & Camillum Peregr. *histor. Princip.* Langob. *in serie Abb.* Casin. *in* Berthario. *Ejus martyrii acta ab* Ignatio Pragensi *Monast.* Casin. *Priore conscripta hactenus inedita apud nos servantur tali exordio.* Tempore, quo sacrum Imperium ad tuendas res Ecclesiæ *Romanæ*, &c *Ejusdem S.* Berthari *vitæ* D *per dictum* Ignatium *exaratæ, notisque* Constantini Cajetani *illustratæ meminit etiam* Labbeus *in nova Bibliot. m. s. s. librorum pag.* 365. *Martyrol.* Gallicanum *sub die* XXII. Octobris, *Sancti* Bertharii *etiam mentionem facit. De vita, & translatione Reliquiarum Sancti* Bertharii *ad Montem* Casinum, *vide Martyrol.* Wionis *ad diem* XXII. Octobris & II. Decembris.

Scripsit S. Bertharius *Philosophus, ac Medicus insignis, ante conversionem suam multa versibus, & soluta oratione: nempe de Medicina, & Grammatica, videlicet de innumeris morbis hinc inde collecta volumina duo. De Grammatica libros aliquot.*

Sed postea studium mutans, animarumque Medicus constitutus, fecit Sermonum, & Homiliarum librum unum, qui adest m. s. in Biblioth. Casin. *Cod. sig. num.* 107. *De S.* Matth a *Apostolo sermonem unum, cujus initium.* Inclytam, & gloriosam festivitatem; *vide tamen notas* Michaëlis Monachi *ad Kalendarium quintum sub die vigesima quarta* Februarii *Sanctuarii* Capuani.

De Sancto Romano *Abbate sermonem unum, exordium est.* Adest nobis dies, &c. *cujus etiam mentionem facit* Arnoldus Wion *ad Martyrol.* Bened. *sub die* XXII. Maji: *quæ supradicta opuscula ac tractatus ad notitiam* Petri *non venerant.*

Sermo de S. Luca *Euangelista, quem noster* Petrus *indicavit, habetur in Breviario Ord. S.* Benedicti, *ac etiam in Biblioth.* Vallicellana, *testatur Card.* Baron. *in Martyrolog. ad diem* XVIII. Octobris.

Versus ad Angelbergam *Augustam, uti etiam de vita, & obitu Sanctissimi* Benedicti, *excusi sunt* Romæ *anno Dom.* MDXC. & *in tertio poematum volumine* Prosperi Martinengii *simul cum duobus aliis poëtis, qui nondum erant impressi, reperiuntur; habenturque etiam in notis Martyrolog.* Benedict. Arnoldi Wionis *ad diem* XXI. Martii.

Liber, cui nomen fecit Antikeimenon idest *contrariorum sive contrapositorum libri utriusque testamenti, extat impressus* Coloniæ *anno Domini* MDXXXIII. *in* 8°. *incerto auctore: ignotum enim tunc erat nomen nostri S.* Bertharii *iis, qui in lucem dictum librum prodiderunt, sic exorditur.* Cum in Genesi septem primi dies legantur. *Meminere hujus libri Leo Ost. lib.* I. *c.* 32. *his verbis.* Hic (*videlicet* Bertharius) apprime literatus, nonnullos tractatus, atque sermones, nec non & versus in Sanctorum laude composuit. Cujus & *Anticimenon* de plurimis tam veteris, quam novi testamenti quæstionibus hic habetur: *Et* Fabianus Justinianus *in suo indice universali litera A. fol.* 30. *in-*

inscio tamen nomine auctoris. Custoditur etiam liber iste manu exaratus literis Langob. *sub nomine nostri S.* Bertharii *in Bibl.* Aniciana. *Ejus opuscula penes Abb.* Constantinum Cajetanum *extitisse, scribit V. Clar.* Leo Allatius *omnigena eruditione egregie, docteque instructus librorumque helluo lib. de* A *Viris Illustribus, cui titulum fecit.* Apes Urbanæ, *in verbo* Constantinus.

Agunt de S. Berthario Ost. *loco cit.* Trith. *de Viris Illustribus*, Sigonius *de Regno* Italiæ *lib.* 6. *aliique.*

CAPUT XIII.

AUTHPERTUS ejusdem Cœnobii Abbas Vir disertus, & valde eruditus, inter multa, & præclara ingenii sui monumenta in laudem S. *Matthiæ* Apostoli, nec non de Purificatione Sanctæ Dei Genetricis, aliorumque Sanctorum *homilias* valde pulchras composuit. Fuit autem temporibus *Lotharii* Imperatoris.

ANNOTATIO.

AUthpertus *Abbas decimus septimus Ord. S.* Benedicti *creatus die* XVI. Octobris *anno* DCCCXXXIV. *præfuit annis tribus: subductus est e mortalium cœtu* X. *Kal.* Martii *ann.* DCCCXXXVII. *&* Casini *sepultus, regnante* Lothario *Imperatore. Vir fuit moribus compositus, religione præstans, ingenio non infelix, & literaturæ non ignobilis, teste* Leone Ost. *in Chron. lib.* 1. *c.* 25. *edit.* Ven. *Bibliothecam quam habebat optimis cujusque generis libris instructam, cum sarcinam mortalem exueret,* Casinensibus *legavit. Traduntur enim dono data inter cætera, ab* Authperto *infrascripta raræ eruditionis monimenta, videlicet: Diversæ homiliæ* B *m. s. s. S.* Epiphanii *Episcopi extant in Cod. sig. n.* 305. *pariter in Cod.* 232. *adest liber S.* Gregorii Nysseni *Episcopi de conditione hominis, ex versione* Dionysii *Abbatis.* Incipit epist. *Dionysii* ad *Egipium* Presbyt. Domino sanctissimo, & a me plurimum venerando. *Inhæret præterea eidem Cod.* 232. *liber de vita Christiana* Fastidii Britannorum *Episcopi, qui in Cod.* Vatican. 551. *vocatur* Fastidiosus, *incipit.* Ut ego peccator, & ultimus, insipientior cæteris, &c. *sunt fol.* 14. *in* 4°. *de quo* Gennadius *de Script. Eccles. cap.* 56. *Vide* Vossium *de hist.* Lat. *lib.* 2. *cap.* 19. *in* Dionysio; *Sicuti* C *in scamno* 5. *ad sinistram Cod. sig. n.* 29. Auxilii *Presb. Etymologicum habetur, liber egregius vetustissimus. Et in eodem scamno Cod sign. n.* 30. *sequuntur ejusdem* Auxilii *Presb. varia Theologica erudita: nempe primo quæst.* 137. *in Exameron. Secundo, aliæ quæstiones ferme omnes de Genesi. Tertio, capitula differentiarum* 36. *Quarto, de distinctione quatuor vitiorum. Quinto, de Trinitate, per quæstiones, & responsiones, ubi deinde ferme omnia nomina explicat, quæ in rebus ecclesiasticis versantur, ut quid Neophytus, quid Cathecumenus, quid Competens. Sexto, de officiis divinis, per in-* D *terrogationem & responsionem, ut unde dicta sit missa, &c. Unde statio, & quid inter stationem & jejunium intersit, quid abstinentia, &c. Quænam sit Xerophagia, & quæ reconciliatio, &c. Quæ supradicta m. s. s. opuscula, sicuti pene infinita alia, quæ hodie Bibliothecam* Casinens. *exornant, magnifico munere fuere a nostro* Authperto *donata asserunt nonnulli, sunt enim Bibliothecæ in Monasteriis, velut Armamentaria militiæ spiritualis, & gazophylacia thesaurorum Religiosorum.*

Scripsit Authpertus *præter exposita a nostro* Petro *diversas insuper homilias, & sermones scilicet de Assumptione B.* Mariæ, *tali exordio.* Adest nobis dilectissimi. *De Nativitate ejusdem, sive sermonem communem in ejus festivitatibus, qui incipit.* Celebritas hodierna. *Sermonem in festo omnium Sanctorum, incipit.* Adest dilectissimi, &c. *Habentur hi sermones m. s. in Biblioth.* Casin. *Cod. sign. nu.* 305. *Sermo vero in laudem S.* Matthiæ *Apostoli, ineditus adhuc creditur.*

Circumferuntur sub nomine nostri Authperti *Abbatis, sed perperam, infrascripta m. s. s. opuscula: videlicet. Sermo de Cupiditate viris secularibus valde utilis, habens scripturarum testimonia octoginta. Incipit.* Sanctorum Ecclesiam. *Sermo in Purificatione B.* Mariæ *Virginis, qui extat impressus quoque in* Alcuini *Homiliario.* Si subtiliter a fidelibus. *Sermo in Dedicatione Ecclesiæ.* Vidi Civitatem Sanctam *Hierusalem. Oratio contra septies septena vitia.* Summa & incomprehensibilis natura. *Homilia in illud Euangelii S.* Marci. Assumpsit *Iesus Petrum* & *Jacobum*, & *Joannem. Quæ in Breviario Ecclesiæ* Atinensis *literis* Langob. *in tres Lectiones distincta habetur sub die sexta* Augusti. Solet nonnunquam evenire. *Vita Sanctorum Patrum* Paldonis, Tatonis, *&* Tasonis *Monasterii Sancti* Vincentii *de* Vulturno *Abbatum.* Humani generis primus parens. *De qua vide catalog. Sanctor.* Ferrarii *ad diem* XI. Januarii, XI. Decembris, *&* Bollandum *sub die* XI. Jan. *Quæ præfata opuscula male nostro* Authperto *attribuuntur cum suum agnoscant auctorem* Ambrosium Autbertum *alias* Ansbertum *Monachum & Abbatem S.* Vincentii *de* Vulturno *prope* Capuam *fluvio, qui claruit anno Domini* DCCCXC. *Fuitque Magister in humanioribus* Caroli Magni, *de quo* Sigibertus *de script. Eccles. cap.* 91. *&* Aubertus Miræus *in auct. de script. cap.* 257. *cujusque etiam extant lucubrationes nonnullæ impressæ* Coloniæ *anno Dom.* MDXXXVI. *in fol. Certe quod supramemorata opuscula, quæ nos manu exarata, etiam asservamus; præferunt nomen* Ambrosii Authperti *Abbatis Sancti* Vincentii, *non* Casinensis.

Porro Authpertus *iste in Bibliotheca philosophica, & alibi a nonnullis appellatur* Rupertus, *quem, inquiunt, vixisse anno* MXL. *sed duplex hic lapsus est, nimirum in nomine, & in annorum numero; quippe in* Casinensium *Abbatum Catalogo nullus* Rupertus *invenitur, & anno* MXL. Richerius *Abbas Monasterio* Casinensi *præerat.*

CAPUT XIV.

ERCHEMPERTUS Diaconus, parvulus & ipse B. *Benedicto* oblatus, de destructione, & renovatione *Casinensis* Cœnobii, nec non de *Ismaëlitarum* incursione *historiam* necessariam satis composuit. Fuit verò tempore *Ludovici* Imperatoris.

ANNO-

A N N O T A T I O.

Erchempertus, *ab aliis* Herempertus, *seu* Herembertus, *e* Langobardorum *illustri stirpe, genus sumens e* Beneventanis *Ducibus*, *Pater ejus* Radelgarius, *abavus* Rodoalt, *patruus* Radolphus *vocabatur. Vir fuit sanguinis splendore & doctrina non ignobilis*, *historiæque scientissimus; ad humanæ tamen vitæ incommoda solum natus. Scripsit* Chronicon, *sive historiam* Langobardorum, *cujus prototypon putatur periisse; tempore tamen* Desiderii *Abbatis* Casin. *qui postea fuit* Victor *Papa III. exscriptum fuisse*, *ita ipso mandante*, *testatur noster* Petrus *in auctario Chron.* Casin. *lib.* 3. *cap.* 62. *edit.* Venet. *Fusioris enim hujus historiæ epitomen*, *seu potius auctarium ad histor.* Pauli Diaconi *de gestis* Langob. *ad ann.* DCCCLXXXVIII. *ab ipsomet* Erchemperto *confectum*, *ut creditur*, *Vir Clar.* Antonius Caracciolus *ex Ord. Cler. Reg. primum ex m. s. Codice* Vaticano *edidit*, *notisque illustravit*, *& typis* Neapoli *anno* MDCXXVI. *in* 4°. *publicavit una cum Chron.* Lupi Protospatæ, Falconis Beneventani, *aliorumque. Verum postremo loco eruditissimus* Camillus Peregrinus *suæ* Lang. *hist. prædictum Chron. seu Epitomen scholiis ornatum solita diligentia*, *ac eruditione attexuit: unde qui plura volet*, *apparatum*, *notasque ejusdem consulere poterit. Vide etiam* Philippum Labbeum *in nova Bibl. m. s. librorum par.* 1. *pag.* 10. *&* 366.

Scripsit insuper Erchempertus *Carmen de vita* Landulphi *Episcopi* Capuani, *de quo vide Sanctuarium* Capuan. Michaëlis Monachi, *ac etiam prænotatum* Peregrinum *in præfat. ad dict. histor. pag.* 15.

Ab eodem pariter Erchemperto *literis consignata putantur Acta traslationis Sancti* Matthæi *Apostoli*, *& ea fortasse censentur*, *quæ edidit* Columna *Archiepiscopus* Salernitanus; *verum prædicta acta*, *quæ m. s. penes nos sunt*, *præferunt nomen* Paulini Legionensis *sive* Londinensis *Episcopi in* Britannia: *initium est. Matthæus* Euangelista & Apostolus cum primum in *Judæam*, &c.

Observandum etiam est, *non extare opuscula*, *quibus noster* Petrus *titulum fecit*, *de destructione & renovatione* Casinensis *Cœnobii; nec non de* Ismaëlitarum *incursione: nisi velimus dicere*, *in prædicto Chronico*, *sive historia*, *utramque descriptam fuisse cladem. Adi Vir. Clar.* Vossium *de hist.* Lat. *lib.* 3. *Denique* Leo Ostien. *in* Chron. Casinensi *sæpe meminit* Erchemperti, *e quo plurima desumpsisse videtur*, *ut lib.* 1. *cap.* 9. *&* 19. 49. *Et Card.* Baron. *ex* Erchemperti *historia multa pariter hausisse*, *atque in suos annales inseruisse*, *facile videre est. Lege ipsum ad ann.* DCCCLXXI. DCCCLXXII. DCCCLXXIIII. *&* DCCCCXII.

Quoto autem signate anno Erchempertus *mortalis corporis deposuerit pondus*, *ignoratur: licet quidem opinari ann.* DCCCLXXXIX. *dum exeuntem annum* DCCCLXXXVIII. *viderat*, *descripseratque nec ulterius historiam produxerat suam*, *quam se producturum promiserat; & sic nostrum* Petrum *non libasse historiam* Erchemperti, *suspicatur præfatus* Peregrinus, *dum claruisse refert sub* Ludovico *Imperatore*, *cum illum vixisse sub* Carolo II. *compertum habeamus.* Carolus *enim imperavit ab anno* DCCCLXXXI. *ad annum* DCCCXCVIII.

C A P U T XV.

JOANNES supradicti *Casinensis* Cœnobii Abbas, Vir nobilis carne, & spiritu. De persecutionibus ejusdem Cœnobii, & de miraculis inibi factis, *Chronicam* succinctam, sed valdè necessariam loco descripsit. Sepultus verò est in Monasterio *Capuano*.

A N N O T A T I O.

Joannes *Abbas* Capuæ, *illustri loco natus*, *Principum* Landulfi *Primi*, *&* Atenulfi *Secundi consanguineus*, *vir animo infractus*, *literis eruditus*, *& ut eruditione*, *sic & sanctitate insignis*, *ex Archidiacono* Capuano *Monachus* Casinensis: *quo tempore*, *scilicet anno Dom.* CMXV. *Cœnobio* Casinensi *a* Saracenis *vastato*, *Monachi* Capuæ *habitabant*, *ob singularem morum maturitatem Abbas creatus est. Cœli limina petiit omni virtute prælucens*, *anno Dom.* CMXXXIV. *ac in* Capuano *Cœnobio tumulatus est*, *Sanctorumque dein* Casinensium *fastis sub pridie Kalendis* Aprilis *adscriptus legitur. Meminit* Ferrarius *in novo catalogo Sanctorum. De eo scribunt* Leo Ost. *Chron. lib.* 1. *cap.* 56. 57. *&* 58. *noster* Petrus *lib. m. s. de ortu*, *& vita Just.* Casin. *cap.* 36. *&* Vossius *de histor.* Lat. *lib.* 3. *Vide Sanctuar.* Capuanum Michaëlis Monachi *pag.* 157. *ubi diffuse de* Joanne *agit.*

Chronicon, *quod descripsit de persecutionibus Cœnobii* Casin. *& de miraculis inibi factis*, *ineditum adhuc remanet*, *illudque existimatur*, *quo in prologo sui Chron. usum se dixit Ostiensis his verbis*: Adhibui præcipue Chronica *Joannis* Abbatis, qui primus in *Capua* nova Monasterium nostrum construxit. Camillus Peregrinus *histor. Princip.* Langobard. *fol.* 122. *aliud Chronicon postremorum Comitum* Capuæ *hactenus ineditum in lucem evulgavit sub nomine nostri* Joannis *Abbatis*, *licet autographum nomine ipsius* Joannis *careret; quod haud raro antiquis Scriptoribus*, *& maxime Monachis*, *in more fuit*, *ut in editione librorum modestiæ ergo*, *nomen celarent suum; notarunt Viri Clarissimi* Sixtus Senensis *in sua Biblioth. lib.* 4. *in verbo*, Mammotreptus, *ac* Theophilus Raynandus *in* Raymundo Jordano *qui hactenus* Idiotæ *nomen præferebat.*

C A P U T XVI.

THEODORICUS Casinensis gymnasii Presbyter, Vir inter Scriptotes Ecclesiasticos non immeritò prædicandus: *Historiam* Sancti Confessoris *Christi Firmani*, & *hymnum* in laudem Beatissimi *Mauri* venusto stylo descripsit.

ANNOTATIO.

QUisnam fuerit Sanctus Firmanus, *qui scire desiderat, consulat Card.* Baron. *in annal. Eccles. ad ann.* CMXCIII. *qui citat etiam S.* Petrum Damianum, *ante cujus tempora vixit. Unde* Ferrarius *in catalogo Sanctorum sub die* XI. Martii *sic legit. Firmanus. Firmii* in *Piceno* natus, admirabili floruit sanctitate, qui inter sanctos Confessores, non solemni ritu, sed sola altaris, sacellive erectione relatus est. *Arnoldus Wion lib.* 2. *cap.* 78. *Lig. vit. in* Theodorico *hæc refert.* N. *Theodoricus* Monachus, & Sacerdos Monasterii *Casinensis* scripsit de vita Sancti *Firmiani* Episcopi lib. I. De S. *Mauro* Abbate hymnum unum. Vossius *de histor.* Lat. *in* Theodorico, *nuncupat* Firminum, *& ait fuisse primum* Ambianensem *in* Galliis *Episcopum, qui temporibus* Diocletiani *martyrio decessit* VII. *Kalend.* Octobris*: utrique tamen decepti, ut credimus, ob solam nominis similitudinem, aut ob depravati forsitan codicis lectionem.* Theodoricus *enim noster, Sancti* Firmani *Confessoris Ord. S.* Benedicti *vitam descripsit, non au-* A *tem* Firmiani *Episcopi, aut* Firmini *pariter Episcopi. Fuit quidem* Firmanus *Monachus, & Abbas Monasterii Sancti* Sabini *in* Firmana *Civitate, at non Episcopus; decessitque ante* Leonem *Papam* IX. *Olim in Cathedrali* Firmana *huic Sancto dedicatum visebatur altare, & in Ecclesia S.* Jacobi *ad radices Montis* Gerionis *magno populorum concursu ejus festum celebrabatur, cui item visendum sane altare consecraverant. Legitur præterea* Ubertus *Episcopus* Firmanus *non solum Ecclesiam Sancti* Michaëlis *Archangeli prope mare in fundo* Rejano *sitam anno Domini* MXVI. *Abbati* Firmano, *& Monachis S.* Benedicti *concessisse;* B *verum etiam multa alia bona, prædiaque anno* MX. *tradit* Leo Ost. *in Chron. lib.* 2. *cap.* 26. *Vide eruditissimum* Ughellum, *virtutibus omnibus per insignem, ac in cumulandis Ecclesiasticis monumentis perpetuum cultorem, diligentissimumque indagatorem, tom.* 2. Ital. sacr. *in catal. Episc.* Firmanorum *in* Uberto. *Claruit* Theodoricus *circa annum Dom.* MXII.

CAPUT XVII.

STEPHANUS S. R. E. Pontifex, vir eruditissimus, ac singularis, prius quidem S. R. E. Cancellarius, ac dicti *Casinensis* Cœnobii Abbas effectus, post *Richerii* transitum, carne simul & spiritu nobilissimus, dum causa consecrationis suæ ad Urbem *Romam* pergeret; defuncto *Victore*, Ecclesiæ Præsule, a Cardinalibus, & Episcopis *Romanus* Pontifex eligitur. Scripsit apud *Constantinopolim* adversus *Michaëlem* ejusdem Urbis abusivum Patriarcham una cum *Uberto* librum de Corpore Domini, in quo omnia, quæ *Græci* adversus *Latinorum* sacrificium delatrabant, destruxit. Alium etiam librum de eadem re edidit adversus quendam Monachum *Constantinopolitanum*. Claruit verò temporibus *Constantini*, & *Henrici* Imperatorum; sepultusque est in Civitate *Florentiæ*, ubi multa signa usque in hodiernum diem per eum Deus patrare non cessat.

ANNOTATIO.

STephanus *Papa Decimus, antea* Fridericus *e nobilissima Familia* Lotharingiæ, (*aliqui nonum legunt, eo quia Pontificum catalogo* Stephanum *hujus nominis secundum* Zachariæ *Pontificis successorem non adscribunt, cum dies tres solummodo in Pontificatu transegerit: quæ ratio non debet certe illum ab albo Summorum Pontificum expungere.*) *Fuit itaque Frater magni* Gotthifredi *Regis* Hierosolymitani: *Vir quidem nobilitate sanguinis satis notus, sed animi splendore & doctrina multo magis clarus.* A Leone *Papa* IX. *ejus consanguineo, Cardinalis Diaconus S.* Mariæ *in Domnica anno Dom.* ML. *ac etiam S. R. E. Cancellarius; & Bibliothecarius creatus legitur:* Constantinopolim *mittitur,* Græcam *Ecclesiam cum* Latina *conciliaturus;* Michaëlem Cærularium *Patriarcham ejusdem urbis deposuit, & anathematis vinculo innodavit; inde rediens, seculique tædio affectus, verum pro certo habens illud Philosophi a* Plutarcho *singulari commentario celebratum,* Latens vive. Casinum *petit; ubi positis honorum insignibus ad exactam religiosæ humilitatis legem se totum composuit: Et post biennium communibus Monachorum suffragiis creatur Abbas in locum* Richerii *anno* MLVII. IV. *Kalend.* Junii *die* Veneris *post Pentecosten; deposito* Petro, *qui præpropere fuerat intrusus. Quare delati muneris confirmationem petiturus* (*nec enim fas erat* Casinatem *Præfecturam* Romani *Pontificis injussu adire*) Florentiam *ubi per eos dies* Victor *Papa II. degebat, se contulit, a quo non solum Abbas* (*quod quærebatur*) A *sed iterum etiam Cardinalis tit. Sancti* Chrisogoni, *ex Archidiacono S.* Mariæ *in Domnica, factus Presbyter secunda promotione, isque solus, præter opinionem & votum renunciatur anno* MLVII. *In reditu igitur e* Tuscia, *dum* Romæ *etiam subsisteret, nunciato* Victoris *obitu, per* Bonifacium *Episcopum* Albanensem, *mirifica sacri Senatus conspiratione in demortui Pontificis locum sublegitur, adeo invitus ac reluctans, ut per vim ex hospitio ad Basilicam S.* Petri *ad vincula educendus fuerit, Pontificatumque ipsi procurantibus ajebat mærens.* De me non potestis agere, nisi quod B permiserit Deus, & absque illius nutu, nec mihi dare, nec auferre istud potestis. *Postridie ingenti omnium ordinum acclamatione, ac lætitia in* Vaticano *consecratus,* Stephani *Decimi appellatione insignitur anno Dom.* MLVII. *die Sabbathi* II. Augusti, *quoniam festum Sancti* Stephani *Papæ & Mart. eo die celebrabatur. Ita* Fridericus *nondum quadriennio Monachus, hoc anno intra unum propemodum mensem, & Abbas* Casinensis, *& Card. S. R. E. ac tandem Summus Pontifex renunciatur. Rem illico* Christianam, *quam perinvitus susceperat, prudentissime temperavit; siquidem adjecto animo ad veteris* C *disciplinæ instaurationem, multa pie, prudenterque constituit, & præcipue contra concubinatum, aliaque plurima Cleri vitia; unde omnes clericos* Romæ *degentes, qui post interdictum Papæ* Leonis *incontinentes extiterant, de conventu Clericorum & choro Ecclesiæ præcepit exire; & qui inobedientes ejus san-*

sanctissimæ ordinationi resistebant, Deus ultionum in eos signa demonstrabat, ut notavit noster Petrus *lib. m. s. de ortu & vit. Justor.* Casin. *cap.* 58. *de quodam Presbytero, qui juxta Canonicam B.* Cæciliæ Transtyberim *habitans, fœminam abjicere non acquiescebat, vana & frivola hæc judicans statuta.* Dum itaque incolumis, *inquit* Petrus, vegetus, ac sanus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit; sed repentina divinæ ultionis animadversione percussus, subitanea morte mortuus est. *Falsorum Monachorum item ac Sanctimonialium vitam idem Pontifex reprehendit, & correxit.* Simoniacam *hæresim in æternum damnavit.* Mediolanensem *Ecclesiam, quæ per ducentos fere annos a subjectione* Romanæ *Ecclesiæ insolenter se subtraxerat, eidem obtemperantem fecit. Denique dum se totum in depravatis moribus corrigendis accommodasset, infirmæ tamen semper valetudinis,* Florentiæ *singulari omnium dolore ac luctu vitam cum morte, vel retro potius commutavit an.* MLVIII. *die* XXVIII. Aprilis, *ibique sepultus in Cathedrali Ecclesia S.* Reparatæ, *absque ulla inscriptione, cum sedisset decem menses, totoque etiam vitæ spatio Abbatia* Casinensi *sibi reservata; constituto tamen illic ejusdem Cœnobii Monacho* Desiderio *Vicesgerente, qui postea* Victor *Papa III. est appellatus, exemplo* Leonis *Papæ IX. qui sibi Episcopatum* Tullensem *quoad vixit retinuerat, dato suffraganeo. Sanctum* Petrum Damianum *Sabbatho quatuor temporum* Martii *in Collegium Cardinalium renitentem cooptavit ac in Episcopum* Ostiensem *etiam consecravit, ut proinde ipse Damianus in epistola ad* Nicolaum II. Suum *vocaverit* persecutorem *Stephanum. Uti etiam* Hildebrandum *S. R. E. Archidiaconum,* Sanctum *Satanam, utpote bona intentione adversarium, nimirum, quod votis de repetenda eremo conceptis pertinaciter obstitisset, datis literis ad* Alexandrum *Papam II.*

Res gestas Stephani *scripserunt* Sigibertus *in Chron. ad ann.* MLVIII. Leo Ostiens. *in Chron. lib.* 2. *cap.* 77. 96. 98. 100. 101. *qui suo tempore multa patrata fuisse ad ejus sepulchrum miracula scribit. Ejus sanctitas memoratur in Martyrologiis* Arnoldi Wionis, Hugonis Menardi, & Andreæ Saussay. *Vide etiam* Lambertum Schafnaburgensem *in hist.* Germ. *ad ann.* MLVIII. Frizonem *in* Gallia *purpurata*, Sigonium *de Regno* Ital. *lib.* 9. *aliosque.*

Scripsit præter memorata a Petro, *epistolam ad* Gervasium Barbet *Archiepiscopum* XLIII. Rhemensem, *habetur tom.* 3. *Bibliot. Patrum & tom.* 7. *Concil. apud* Baron. *ad an.* MLVII. *num.* 33. *ac* Papyrium Massonum: *sed male ad* Wilhelmum *pro* Gervasio *dicitur, cum nullus reperiatur hoc nomine toto illo seculo* Rhemensis *Archiepiscopus.*

Diplomata varia Pontificia fertur scripsisse, dum Bibliothecarii, ac Cancellarii S. R. E. officio fungeretur. Ejus decreta leguntur Coloniæ *excusa cum aliis, teste* Possevino *in Apparatu. Si plura de scriptis* Stephani *videre optas, adeas* Rupipozeum *Episcopum* Pictaviensem *in nomenclatura Card.* Possevinum *in dict. Apparat. &* Claudium Robertum *in* Gervasio Barbet.

CAPUT XVIII.

VICTOR, & ipse Apostolicæ Sedis Pontifex, *Casinensis* Abbas, compunctione timoris Dei plenus, castitate singularis, professione & opere Monachus, in nuptiis sponsam suam relinquens, eremum petiit, ibique sanctæ religionis habitum sumpsit: cujus fugam rapido furore insequentes parentes, eum repertum veste monastica exuunt, militaribusque illum tegminibus induentes, ad ejus genitricis domum *Samnium* usque deducunt. Inde igitur, nacta quadam hora aufugiens *Sanctæ Trinitatis* Cœnobium petiit. Inde igitur *Magellæ* eremum, ac dein Montem *Casinum* adveniens, monasticam isthic consecrationem accepit. Factus deinde Abbas, totum *Casinum* Cœnobium renovavit. De *miraculis* præterea, quæ a B. *Benedicto*, & a Monachis *Casinensibus* gesta sunt, una cum *Theophilo Diacono* libros edidit quatuor. Cantum etiam B. *Mauri* composuit, in quibus qui vult artis Grammaticæ tramitem, & Monochordi sonori Magade reperiet notas: Factus dehinc Sedis Apostolicæ Pontifex scripsit ad *Philippum* Regem *Francorum*, ad *Ugonem Cluniacensem* Abbatem quamplures epistolas. Claruit autem temporibus Imperatorum *Michaëlis*, *Constantini*, *Alexii*, atque *Henrici*. Sepultus vero est in absyda Capituli *Casinensis.*

ANNOTATIO.

VIctor *Papa Tertius, in seculo* Dauferius, *deinde Monachus,* Desiderius *vocatus;* Samnis Beneventani *Principis unica proles originem trahens ex familia* Epiphania *natus anno Dom.* MXXVII. *a primis annis amores suos, ac delicias in cœlo collocans, in eremum clam secedit (erat enim seculi rigidus aspernator) deinde inter* Casinates *opera* Romani *Pontificis admissus fuit, nil aliud in votis habens, quam latere, & nesciri: unde de illo vere dici poterat, quod hodie in effigie* Thomæ Kempensis *legitur.* In omnibus requiem quæsivi, sed non inveni, nisi in abditis recessibus, & libellis. *Non multo post igitur, videlicet anno* MLVI. *ætatis suæ* XXX. *Abbas* Casinensis *eligitur, (qui ante electionem S.* Benedictum *sibi hilari vultu, manu porrecta innuentem, & juxta se considere jubentem per visum aspexit: quæ visio* Casinensis *Cœnobii eum Abbatem futurum indicabat) & a* Romano *Pontifice in procurandis magni momenti negotiis ad* Michaëlem *Imperatorem Legatus mittitur; e qua legatione postea regressus, administrationem denuo Cœnobii* Casinensis *suscepit, & a* Nicolao *Papa II. anno Dom.* MLIX. *inter Cardinales, tit. S.* Cæciliæ *cooptatur. Extincto apud* Salernum Gregorio VII. Desiderius *omnium consensu,* Christianæ *Reipub. præficitur, quo, ille, accepto nuncio, tanquam repentinæ calamitatis inopinato casu perculsus, nunquam persuaderi potuit, ut electioni assentiretur, disertè contestans, se Pontificem esse nolle, & deposita cruce, chlamyde coccinea, ceterisque Pontificiis ornamentis, præter albam, quam renitenti non potuerunt imponere,* Casinum *generosa seculi fuga, ad suos remigrat: sed quia deliberatum erat, neminem alium, ipso superstite ac vivo, ad illud dignitatis culmen evehere, importunis Cleri, Principumque precibus victus Pontificatum admittit an. Dom.* MLXXXVI. IX. *Kalend.* Junii, *qui minime postea consecrari passus est, usque ad* XIII. *Kalend.* A-

prilis *die Dominico in* Ramis palmarum, *in Diaconia S.* Luciæ *ad* Septisolium *ann.* MLXXXVII. *Quo tempore, dum* Victor *rem divinam faciebat in Monasterio* Casinensi, *ad gloriæ immortalis conscendit sublimitatem anno ætatis suæ* LX. XVI. *Kalend.* Octobris (*veneno in calicem infuso*, Henrici IV. *Imp. & Pseudopapæ insidiis suspicantur nonnulli. Vide* Genebr. *lib.* 4. *Chron.*) *Dignus vivere annorum seriem innumerabilem, cum præfuisset in Sede Apostolica ab ipso suæ electionis exordio annum unum, a consecratione menses quatuor, dies septem, & in Martyrologio* Benedictino *sub die* XVI. Septemb. *adscriptus hoc elogio.* In Monasterio Ca- A sinensi obitus Beati *Victoris* Papæ Tertii, sanctitate vitæ & miraculorum gloria clarissimi. Michaël Constantinopolitanus *Imperat.* Victorem *nostrum fama notissimum venerabatur, eique nuntios, & plura munera misit, postulans, ut pro se, filiis, & Imperii statu Deum exoraret.* Leo Ost. *in prologo lib.* 3. *Chron.* Casin. *admirabilem, & singularem sui Ordinis virum* Desiderium *appellavit, & Sanctus* Petrus Damiani *Archangelum Monachorum. Ejus sepulchrum visitur in Capella Sancti* Berthari *Abbat. & Martyr. ad sinistrum Altaris cornu, hoc ornatum epitaphio.*

QVI FVERIM, VEL QVID, QVALIS, QVANTVSQVE, DOCERI
SI QVIS FORTE VELIT, AVREA SCRIPTA DOCENT.
STIRPS MIHI MAGNATVM, *BENEVENTVS* PATRIA, NOMEN
EST *DESIDERIVS*, TVQVE *CASINE* DECVS.
INTACTAM SPONSAM, MATREM, PATRIAMQVE PROPINQVOS,
SPERNENS, HVC PROPERO, MONACHVS EFFICIOR.
ABBAS DEHINC FACTVS, STVDVI PRO TEMPORE, TOTVM,
(VT NVNC ASPICITVR) HVNC RENOVARE LOCVM.
INTEREA FVERAM *ROMANA* CLARVS IN VRBE
PRESBYTER ECCLESIÆ, *PETRE* BEATE, TVÆ.
HOC SENIS LVSTRIS, MINVS ANNO, FVNCTVS HONORE
VICTOR, APOSTOLICVM SCANDO DEHINC SOLIVM.
QVATVOR, ET SEMIS, VIX MENSIBVS INDE PERACTIS,
BIS SEX LVSTRA GERENS, MORTVVS HIC TVMVLOR,
SOLIS VIRGINEO STABAT LVX VLTIMA SIGNO,
CVM ME SOL VERVS HINC TVLIT IPSE DEVS.

Multa dum vixit scripsisse fertur, inter quæ adsunt tantum Dialogi sub hoc programmate evulgati. Victoris Tertii *Rom.* Pontif. olim *Desiderii* Abbatis *Casinensis* Dialogi. *Diversa enim miracula in eis a S.* Benedicto, *aliisve Monachis in* Casinensi *Cœnobio, & alibi patrata leguntur, quos annis superioribus* Romæ *in* 8. *forma in lucem e* Vatic. *Biblioth. depromptos edidimus, notisque illustravimus.*

Cantus, quem de Sancto Mauro *composuit (erat enim Musices & Medicæ artis peritissimus) in Odeo Monasterii* Casin. *legitur: nota tamen, quod Magadium in dicto cantu indicatum, ea pars est lyræ,* B *in qua plectrum illiditur, ubi scilicet percussio chordarum fit manu dextera, ut* Budæus *notavit. Vide librum de Harmonia psallentis Ecclesiæ cap.* 17. §. 3. *nu.* 5. *circa finem, D.* Joannis Bona *Cong. S.* Bernardi *Ord.* Cisterc. *Abbatis dignissimi, viri omnigena literarum eruditione instructissimi; validisque præsidiis disciplinarum omnium tam metro, quam prosa nobiliter instructi.*

De rebus gestis Victoris *agunt* Leo Ost. *in Chron. lib.* 3. *per totum*, Binius *in* 7. *tom. Concil.* Sigonius *lib.* 3. *de Regno* Italiæ, Arnoldus Wion *lib.* 5. *pag.* 633. *Lign. vitæ.* Albertus Crantzius. Baron. *ad ann.* MLXXXVII. Camil. Pereg. *histor. Princ.* Langob. *in serie Abb.* Casin. *in* Desiderio, *aliique.*

CAPUT XIX.

ALPHANVS Salernitatus Archiepiscopus, & *Casinensis* Cœnobii Monachus, vir in Scripturis Sanctis eruditus, & notitia ecclesiasticorum dogmatum ad plenum instructus. Composuit nudo, & lucidissimo sermone passionem Sanctæ *Christinæ*, Hymnos præterea de eadem Virgine duos. De Sancto *Benedicto* versus ad *Pandulphum Marsorum* Episcopum. Cantus S. *Sabinæ.* Versus S. *Christinæ.* Sancti *Petri* Apostoli. In laudem Monachorum *Casinensium.* De situ, constructione ac renovatione ejusdem Cœnobii: metrum Sapphicum hendecasyllabum de S. *Mauro*; Item ejusdem hymnos; de Sancto *Matthæo* hymnos tres: de Sancto *Fortunato* duos: de S. *Nicolao*; ad *Attonem* Episcopum *Theatinum*; ad *Gisulphum* Principem *Salernitanum*; ad *Sigismundum* Monachum *Casinensem*; ad *Guilielmum* ejusdem loci grammaticum; ad *Guidonem* Fratrem Principis *Salernitani*; ad *Goffridum Aversanum* Episcopum; ad *Hildebrandum* Archidiaconum *Romanum*; ad *Romualdum* causidicum *Salernitanum*; ad *Rosfridum* Monachum *Casinensem*: metrum heroicum in honorem Sanctorum duodecim Fratrum; Confessionem metricam ejus; Versus de Ecclesia Sancti *Joannis Baptistæ* in *Casino*; Epitaphia quamplurima virorum insignium, & alia, quæ in nostram notitiam non venerunt. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum; sepultus vero est apud *Salernum.*

ANNOTATIO.

ALphanus Salernitanus, *primo Monachus* Casinensis, *deinde postulatione* Gisulfi *Principis, Abbas Monasterii S.* Benedicti Salerni, & *postremo ejusdem Civitatis Archiepiscopus renuncia-* A *tur anno Dom.* MLVII. *interfuisse enim legitur Concilio* Romano *sub* Nicolao *II. scientiæ tanto lumine cum sanctitate conjuncto præditus dicitur, ut illius seculi hominibus pro miraculo fuerit: Philosophus, Theologus,*

logus, ac Orator celeberrimæ opinionis, poëticæque artis disertissimus; Neque vero alienum ab Episcopi dignitate existimandum, quod in Dei laudibus Poëticam maxime adhibuisset, cum & Paulus *Gentium Doctor hymnis & canticis Deum celebrari jubeat; nec jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ exempla defuerunt. Quo in numero familiam ducunt* Damasus *Pontifex*, Nazianzenus, Damascenus, Paulinus, Fortunatus, Prosper, Sidonius, *cæterique Præsules. Lucubrationes, quas notavit noster* Petrus, *editæ habentur apud V. Cl.* Ughellum *in calce tom.* 2. Italiæ sacr. *demptis versibus, quos scripsit in laudem* Romualdi *Causidici, &* Sigismundi *Monachi* Casinens. *quos m. ss. servamus.*

Insuper exaravit Alphanus *præter recensita, quædam insignia profundi sensus opuscula, videlicet. De unione verbi Dei & hominis librum unum. De unione Corporis & Animæ librum unum. De quatuor humoribus corporis lib. unum. Extabant prædicta doctrinæ consummatissimæ monimenta in* Casin. *Biblioth. m. ss. in pluteo* 8. *ad sinistram; num vero hodie, nondum comperimus, quamvis illa cum diligentia ab antiquitatum Eccles. indagatoribus perquisiverimus. Passio Sanctorum Martyrum duodecim Fratrum* Beneventanorum, *licet non una die sint passi, quam metro heroico in honorem dictorum Sanctorum scripsit ad fratrem* Roffridum Casinensem *Monachum, legitur apud* Lippomannum *tom.* 4. *&* Sur. *tom.* 7. *sub die prima* Septembris, *cujus etiam mentionem facit* Galesinus *in not. ad* Mart. *servaturque etiam m. s. in nostro tenui literario penu.*

Notandum tamen est, quod non solum ex isto nostro m. s. exemplari versus editi emendantur; verum etiam ex aliis centum versibus hactenus ineditis metrum heroicum suppletur, sequitur enim.

Sic sacra temporibus Sanctorum corpora multis, &c. *Terminatur sic.*

Jam sistat opus milleno carmine clausum.

Historiam prædictam ad fidem dicti m. s. Cod. correctam, omnibusque numeris absolutam, Deo dante evulgabimus. Commentatus quoque est de aliis sanctis, quæ Trithemio *præterita* Possevinus *recenset.*

Aliorum hymnorum, & carminum libri una cum epitaphiis, partim excusi sunt in tertio tom. poëmatum Prosperi Martinengi *in* 4°. Romæ *ann.* MDLXXXIX. *& in annal. Card.* Baron. *tom.* 12. *partim vero in calce tomi* 2. Italiæ sacr. *Inter opuscula* Guaiferii Salernitani *Monachi* Casinens. *Cod. sign. num.* 280. *Biblioth.* Casin. *cuncta* Alphani *poëmata intexta nunc habentur.*

Claruit Alphanus *velut Sol cunctis fulgidus, virtutis exempla, felicitatisque tramitem subditis præmonstrans, ultimis* Henrici *Tertii, ac primis* Henrici *Quarti temporibus, anno scilicet Dom.* MLVII. *usque ad annum* MLXXXVI. *post vigesimum nonum annum sui Præsulatus, mense* Maji: *qui etiam fuit inter Sanctos relatus, inquit* Arnoldus Wion. *Hinc corrigendum Falconis Chronicon editum a Viro Clar.* Antonio Caracciolo, *in cujus indice hæc leguntur. Alphanus* Archiepiscopus *Salernitanus* obiit an. MCXXI. Succedente sibi *Romualdo* Chronici Scriptore *Falco* CCXX. Fuit Auctor Poëmatum, quæ servat Bibliotheca *Vaticana*, ut testatur *Baron.* tom. XII. ad annum MCXI. Diversus est ab *Alphano* illo seniori, qui consecratus est Archiepiscopus anno MLVIII. de quo *Leo Ost.* lib. 2. cap. 99. 100. *Noster enim* Alphanus, *qui auctor est poëmatum, fuit electus & consecratus Archiepiscopus* Salernitanus *a* Stephano *Papa* X. anno MLVII. *non autem senior* Alphanus, *clare docet* Leo. Ostien. *in Chron. lib.* 2. *cap.* 97. *ac etiam lib.* 3. *cap.* 7. 8. *&* 35. *adi* Vossium *de histor.* Lat. *in* Alphano.

CAPUT XX.

AMATUS Episcopus, & *Casinensis* Monachus, in scripturis disertissimus, & versificator admirabilis. Scripsit ad *Gregorium* Papam *versus* de gestis Apostolorum *Petri* & *Pauli*, & hos in quatuor libros divisit: fecit & de laude ejusdem Pontificis, de duodecim lapidibus, & civitate cœlesti *Hierusalem*. *Historiam* quoque *Nortmannorum* edidit, eandemque in libros octo divisit. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

Fuit Amatus *Provincia* Campania, *Scriptor sui temporis non contemnendus, ac deinceps Episcopus, incertæ tamen sedis. Scripsit ad* Gregorium VII. *Papam de gestis Apostolorum* Petri *&* Pauli. *Historiam* Nortmannorum *dicavit* Desiderio *Abbati, qui fuit* Victor *Papa III. testis est noster* Petrus *in auctario Chron.* Casin. *lib.* 3. *cap.* 35. *illamque hodie non extare, nisi m. s. in* Casinensi *Bibliot. affirmant aliqui, non exiguo sane historiæ ecclesiasticæ, ac prophanæ bono; cum in ea multa scitu digna accurateque descripta legantur præcipueque vero* Nortmannorum *ritus, ac res gestæ fideliter exaratæ explicentur. Animadverterunt enim curiosi, exteros fere accuratius, quam incolas, gentis cujusque mores, ritus, antiquitatem & observasse, & literis mandasse. Non longe abierimus.* Græci, Dionysius Halicarnasseus, Plutarchus Chæroneus, Dio Cassius, *&* Herodianus *copiosius, quam* Latini, Livius, *&* Paterculus, *cæterique in suo quisque genere res* Romanas. *Vivebat* Amatus *anno Dom.* MLXX. *sicuti per ea tempora inter* Casinates *sanctitate, & literis etiam florebant* Albericus, Constantinus, Guaiferius, *&* Alphanus.

CAPUT XXI.

ALBERICUS Diaconus, vir illius temporis singularis. Scripsit librum dictaminum, & salutationum. Hymnos in S. *Nicolai*, in Musica Dialogum. Librum de virginitate Sanctæ *Mariæ*: contra *Henricum* Imperatorem de electione *Romani* Pontificis, De Astronomia. Hymnos in S. *Crucis*, in Ascensionis, in Sancti *Pauli*, in S. *Apollinaris*: vitam S. *Scholasticæ*. Homiliam ejus, & hymnos, in Assumptionis S. *Mariæ* hymnos tres, in Sancti *Petri* hymnos: vitam S. *Dominici*: passionem S. *Mo-*

desti, & S. *Cæsarii:* Librum de Dialectica. Temporibus vero ejus facta est Synodus in Urbe *Roma* adversus *Berengarium* Diaconum Ecclesiæ *Andegavensis*, qui inter multa, quæ astruere nitebatur, dicebat, sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini figuram esse: cumque ei nullus resistere valeret, idem *Albericus* evocatur ad Synodum: quo dum venisset, post varia conflictationum genera, cum pars parti non cederet, idem *Albericus*, accepta hebdomadæ unius licentia, librum adversus eundem Diaconum de Corpore Domini edidit Sanctorum Patrum testimoniis roboratum, in quo omnes assertiones ejus destruxit, æternæque oblivioni tradidit. Fecit & versus in vitam S. *Scholasticæ*; Rhythmum in Pascha; de die Judicii, & de poenis inferni. Rhythmum de gaudio Paradisi. Epistolas quoque quamplurimas ad *Petrum Ostiensem* Episcopum. De die mortis. De monachis. Composuit & alia, quæ in nostram notitiam non venerunt. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum. Sepultus vero est in Urbe *Roma* juxta Ecclesiam *Sanctorum Quatuor Coronatorum*.

ANNOTATIO.

A Lbericus *Monachus* Casinensis *&* *S. R. E. Diaconus Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum a* Stephano *Papa. X. creatus*, *alii ab* Alexandro *II. Papa legunt*; *vir disertissimus*, *multisque virtutibus suo tempore clarus*, *quem iterum honorifico satis elogio idem noster* Petrus Diaconus *in auctario ad* Ost. *Chron. lib.* 3. *cap.* 35. *commemorat. Librum integræ vix hebdomadæ interjectu elaboratum adversus* Berengarium *Hæresiarcham de Corpore Domini*, *Patrum testimoniis roboratum edidit*, *quo ejus omnes assertiones omnino evertit*, *ipsumque devicit*, *ac profligavit secunda vice sub* Gregorio *Septimo anno* MLXXIX. *in Synodo* Romana; *ut tanti proinde Sacramenti defensor dici promeruerit*; *unde postea* Berengarius *rationibus potissimum* Alberici *superatus*, *ac victus*, *pœnitentia ductus*, *errorem suum confitens*, *suscepta peregrinatione toto tempore vitæ suæ satisfecit peccato*, *&* *anno Dom.* MLXXXVIII. *die Epiphaniæ obiit nonagenarius*, *&* *in templo S.* Cosmæ *apud* Turones *sepultus. Scribit* Claudius Robertus *in sua* Gallia Christiana, *ubi de Episcopis* Andegavensibus *agit. Vide notas Viri Clar.* Auberti Miræi *in* Sigibertum *cap.* 154. Berengarii *abjurationem habes cap. Ego* Berengarius, *de consecr. dict.* 2. *Aliam in regest.* Gregorii *VII. lib.* 3. *&* 6. *in Synodo*: *cui repetitioni*, *quid causam dederit*, *exponitur in Scholiis Conciliorum*, *quæ* Coloniæ *quatuor tomis sunt impressa. Vide* Bellarminum *lib.* 3. *de Euchar. cap.* 8. *col.* 3. Blondum *decad.* 2. *lib.* 3. Lanfrancum, *&* Guitmundum *contra* Bereng. *Notat Card.* Baron. *tom.* XI. *ann.* MLIX. Leonem Ostien. *nimis glorianter*, *ac valde mendaciter loquutum de* Alberico, *dum plus quam par est*, *de reportata gloriosa victoria in Synodo contra* Berengarium, *eidem* Alberico *tribuat*: *cujus objectionem refellit* Matthæus Lauretus *de exist. corp. S.* Benedicti *cap.* 42. *pag.* 204. *Plus etiam refert animadvertere*, *non esse* Leonis *ea*, *quæ notavit* Baron. *sed ejusdem nostri* Petri Diaconi, *qui post* Leonem *incipiens a renovatione Ecclesiæ Sancti* Martini, *id est lib.* 3. *cap.* 34. *edit.* Neapol. *Chronicon* Casinense *continuavit*; *in qua parte*, *videlicet cap.* 35. *laudes & elogia* Alberici *a* Petro *describuntur*, *sive denuo repetuntur.*

Meminit Alberici *noster* Petrus *lib. m. s. de vita Just.* Casin. *c.* 48. *in* Guaiferio *his verbis:* Cumque jam remunerationes laborum, perennemque coronam æternus dare ei (*Guaiferio*) Arbiter decrevisset, languore deprimitur: qui in lectulo jacens extremum vitæ spatium jamjam ad Dominum reversurus trahebat: nonnulli e fratribus circa lectum ipsius excubantes obitum ejus orationum precibus munire cœperunt. Cumque in hujus ministerio rei diei maximam partem pertransissent, surgens in medium *Albericus* Diaconus per *Iesu Christi* Domini nomen obtestari eundem *Guaiferium* cœpit, ut post suum e mundo recessum qualiter susceptus, quove in loco deputatus esset, eidem apparens revelare curaret; quo dicto, prædictus frater ex hoc mundo recessit. Post non multos autem dies idem *Guaiferius* eidem *Alberico* per visionem apparens dixit ad eum: In veritate scias, me ad vitam transisse æternam. *Hæc* Petrus.

Cunctæ lucubrationes Alberici *habentur m. s. in in Biblioth. Cœnobii* Sanctæ Crucis *Fratrum Minorum Conventualium Sancti* Francisci *Civitatis* Florentiæ. *Vita S.* Scholasticæ *habetur quoque m. s. in Biblioth.* Casin. *Cod. sign. num.* 146. *pag.* 253. *post quam sequitur ejusdem* Alberici *quædam homilia*, *incipit.* Audistis, fratres charissimi.

In vita Sancti Dominici *innumerabilium patratoris miraculorum*, *Monachi* Casinensis *ac Abbatis juxta* Soram *in* Italia (*licet habitu* Cistercienfium *pingatur*, *quem constat*, *diu ante* Cisterciensem *reformationem vixisse* Casinensibus Benedictinorum *institutis*) *per nostrum* Albericum *descripta*, *apud Vir. Cl.* Bollandum *tom.* 2. *sub die* XXII. Januarii, *nonnulla desiderantur*, *quæ ex nostro m. s. exemplari suppleri possent. Meminit* Baron. *Sancti* Dominici *anno* MXXXI. *&* Ferrarius *in catalogo Sanctorum.*

Cæterum verò notandum, *quod alius ab eo est* Albericus, *Monachus pariter* Casinensis, *qui scripsit de visione sua librum*, *natus anno* MCI. *circiter*; *legitur enim apud nostrum* Petrum *in auctario Chronici* Leonis Ostiensis *lib.* 4. *cap.* 66. Casinense *Cœnobium petiisse annum tunc agens ætatis suæ decimum*, *sub* Gerardo *Abbate*, *qui sedit ab ann.* MCXI. *usque ad annum* MCXXIII. Stephanus *verò Papa* X. *a quo in cœtum Cardinalium fuit cooptatus noster* Albericus, *obiit anno* MLVIII. *Unde diversus manifeste dignoscitur*, *&* *corrigendus* Bollandus *in prolegom. supradictæ vitæ Sancti* Dominici, *unum & eundem esse opinans. Insuper observandum nostrum* Albericum *Card. non scripsisse de visione sua librum*, *ut incogitate notarunt* Arnoldus Wion, Possevinus, Torrigius, *aliique quem utique indicasset noster* Petrus *in elencho lucubrationum* Alberici, *si literis demandasset*; *cum visionem habuerit illam* Albericus *puer natione* Campanus *ex Oppido* septem Fratrum, *qui postea Cœnobium* Casinense *petiit sub* Girardo *Abbate*, *ut dicemus infra in* Guidone *& notavit supradicta noster* Petrus *in auctario ad Chron.* Casin. *Paritérque corrigendus venit* Alphonsus Ciacon. *cæterique etiam*, *qui de Cardinalium gestis conscripserunt*, *notantes* Albericum *Cardinalem esse natione* Campanum *ex Oppido* septem Fratrum, *dum putant* Albericum Diaconum *Monachum* Casinensem, *dein Card. &* Albericum *puerum*, *unum & eundem esse*, *ex nominis similitudine*, *ut credimus*, *decepti.*

Extant Epistolæ S. Petri Damiani *ad nostrum* Albericum *tom.* I. *lib.* 2. *Epist. epist.* 20. 21. *in quibus quæstiones quasdam ab* Alberico *sibi propositas discu-*

cutit: laudat & Platina *in* Nicolao II. *vocans eum virum doctissimum.*

Florebat Albericus *ann. Dom.* MLXXXIV. *& ætas ex eo satis cognoscitur, quod* Gregorio *Papæ* VII. *calamum strinxerit adversus* Henricum IV.

CAPUT XXII.

ARIALDUS Casinensis Presbyter scripsit eleganti sermone quosdam tractatus; Fuit autem eo tempore quo & *Albericus. Claruit anno* MLXXX.

CAPUT XXIII.

CONSTANTINUS Africanus, ejusdem Cœnobii Monachus, philosophicis studiis plenissimè eruditus, Orientis, & Occidentis magister, novusque effulgens *Hippocrates.* De *Carthagine*, e qua ipse oriundus erat, egrediens, *Babyloniam* petiit, in qua Grammaticam, Dialecticam, Physicam, Geometriam, Arithmeticam, Mathematicam, Astronomiam, Necromantiam, Musicam, Physicamque, *Chaldæorum*, *Arabum*, *Persarum*, *Saracenorum* plenissimè edoctus est: inde discedens, *Indiam* adiit, eorumque se studiis erudiendum tradidit: & dum *Indorum* artes ad plenum edoctus fuisset, *Æthiopiam* petiit, ibique rursus *Æthiopicis* disciplinis eruditur Cumque affatim eorum studiis repletus fuisset, *Ægyptum* profectus est, ibique omnibus *Ægyptiorum* artibus ad plenum instruitur. Completis igitur in ediscendis hujusmodi studiis triginta & novem annorum curriculis, *Africam* reversus est; quem cum vidissent ita ad plenum omnibus gentium studiis eruditum, cogitaverunt occidere eum: quod *Constantinus* agnoscens clam navem ingressus *Salernum* advenit, ibique sub specie inopis aliquamdiu latuit: deinde a Fratre Regis *Babiloniorum*, qui tunc ibidem advenerat, agnitus, ac in magna honorificentia apud *Robertum* Ducem habitus est. Exinde vero *Constantinus* egrediens, *Casinense* Cœnobium petiit, atque a *Desiderio* Abbate libentissime susceptus Monachus factus est. In eodem verò Cœnobio positus, transtulit de diversis gentium linguis libros quam plurimos, in quibus præcipuè sunt *Pantegnum*, quod divisit in libros duodecim, in quo exposuit, quid medicum scire oporteat. *Practicam*, in qua posuit qualiter medicus custodiat sanitatem, & curet infirmitatem, quam divisit in libros duodecim. *Librum duodecim graduum. Diætam ciborum*; *librum febrium*, quem de *Arabica* lingua transtulit: librum de *urina.* De *interioribus membris*: De *coitu*: *Viaticum*, quem in septem divisit partes, primo de morbis faciei: de instrumentis: de stomachi & intestinorum infirmitatibus, de infirmitatibus epatis, renum, vesicæ, splenis & fellis. De his quæ in *genetivis membris nascuntur*: de omnibus quæ in exteriori cute nascuntur, exponens aphorismi librum: Tegni, Megategni, Microtegni, Antidotarium: *disputationes* Platonis, & Hippocratis *in sententiis. De simplici medicamine. De Gynæcia*, id est de membris, ac corporibus fœminarum: *de pulsibus*, *Prognostica*, *de experimentis*, glossas herbarum, & specierum; *Chirurgiam*: *librum* de *medicamine oculorum.* Hic vir quadraginta annis in ediscendis diversarum gentium studiis explevit, novissime verò senex, & plenus dierum in *Casino* obiit. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

Constantinus *ad eorum morem, qui a Dipsade morsi sunt, plenis faucibus avide, & sine intersperatione cunctas physicas disciplinas haurire constituit, ut omnes dein faterentur novum* Hippocratem *Orbi effulsisse; eamque ob causam* Hebræam, Syram, Chaldaicam, Græcam, Latinam, Italicam, Persicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, *&* Indicam *linguam discere curavit. Vir quidem suapte natura ad res difficiles, obscurasque in antiquorum libris pervestigandas valde propensus, ut nemo illum ætate sua vicerit, paucissimi æquarint, linguarumque omnium exacta notitia, quæ ad homines illustrandos una fere sufficere semper existimata est, exiguam partem in hujus Viri, vere polyglossi laudibus occupaverit, sed profecto pro tanti Viri laudibus, jejune, arideque. Ejus opera conquisita magno studio* Basileæ *apud* Henr. Petri *ann.* MDXXXVI. *in folio, excusa reperiuntur: extare etiam m. s. in Biblioth. Sancti* Germani de Pratis *Cod. sign. num.* 439. *scribit* Labbeus *in nova Biblioth. m. s. s. libr. pag.* 50. *uti etiam nonnulla in diversis Bibliot.* Patavinis *memorat V. Cl.* Thomasinus *Episcopus* Æmonensis *in Biblioth.* Patavina. *Claruit* Constantinus *temporibus Imperatorum* Michaëlis, Constantini, Alexii, *atque* Henrici *anno* MLXXII. *circiter. Vide nostrum* Petrum Diaconum *in auctario Chron.* Casin. *lib.* 3. *cap.* 35. Trithem. *de Script. Eccles. & de Vir. Illustr. Ord. S.* Bened. *lib.* 2. *cap.* 70. *&* Arnoldum Wionem *lib.* 5. *cap.* 98. *Lig. vitæ.*

CAPUT XXIV.

ADTO Constantini Africani auditor, & *Agnetis* Imperatricis Capellanus, ea, quæ supradictus *Constantinus* de diversis linguis transtulerat, cothurnato sermone in *Roma-*

manam linguam descripsit. Atto, *sive* Haito *vel* Hetto : *Varie enim id nomen scribitur.* *Floruit anno* MLXX.

CAPUT XXV.

PANDULPHUS Ostiensis Episcopus, parvulus & ipse in *Casino* B. *Benedicto* oblatus, scripsit sermones de totius anni festivitatibus: Rhythmum quoque in laudem Sanctæ *Mariæ* composuit, & alia nonnulla, quæ nostris in manibus necdum venerunt. Fuit verò temporibus *Alexii*, *Joannis*, *Henrici*, *Lotharii*que Imperatorum.

ANNOTATIO.

PAndulphus *Monachus* Casinensis *primum a* Paschale *Papa II. Presbyt. Cardinalis*, *deinde ab* Innocentio *Papa Secundo Episcopus* Ostiensis *creatus anno* MCXXXI. *obiit anno* MCXXXIV. *ut scribit* Arnoldus Wion *lib.* 2. *cap.* 9. *pag. mihi* 190. *Lign. vitæ*, *subdens hunc esse*, *cui noster* Petrus Diaconus *opusculum istud de Vir. Illustr.* Casin. *dedicarit*; *sed memoria ille quidem excidit*, *cum ille* A *fuerit Episcopus* Theanensis, *ut ex catalogo librorum ab eodemmet* Petro *prætexto in auctario histor.* Casin. *lib.* 4. *cap.* 66. *legitur*; *ex supramemorata temporis supputatione*, *aliisque difficultatibus labi forsan nostrum* Petrum *circa titulum Episcopatus observavit V. Clar.* Ughellus *in* Ital. sacr. *in catal. Episcop.* Ostiens. *adi*, *si lubet*, *ipsum.*

CAPUT XXVI.

PANDULPHUS Capuanus Presb. in *Casino* sub *Desiderio* Abb. Monachus factus, divina, sæcularique literatura eruditus scripsit ad *Petrum Salernitanum* Abbatem librum *de calculatione.* *Versus* de termino Paschæ *Hebræorum*; de circulo solari ad concurrentes inveniendos; de *Cyclo lunari*; de feria Paschæ *Hebræorum* invenienda; ad *annos Domini* inveniendos: qualiter sint *inveniendæ indictiones.* *De Luna* cujusque *diei invenienda* absque *Embolismorum contrarietate*: *Quomodo fallunt* qui se scire putant, quot horis, vel punctis *luna* in unaquaque nocte luceat. *Quibus modis cursus Solis* dividatur: quomodo efficiatur *bissextus*: ad ferias Kalendarum inveniendas: Qualiter vel unde regulæ ad ferias mensium inveniendas præcedant. *Quomodo regula terminorum* Hebræorum *ex cursu Solis inveniatur*: ad feriam uniuscujusque diei inveniendam. *De quatuor temporibus*, in *quibus datariis* solstitia veraciter esse debeant: ubi *æquinoctia* veraciter credantur esse. *Quomodo Adventus Domini* sit inveniendus. Ut *litera hebdomadarum* per totum annum memoriter inveniatur. *Quomodo Christus sit passus* in *tertio Kalendas* Aprilis. *Quomodo anni ab origine mundi omnes fallunt.* *Qualiter Luna quintadecima non potest ad illam diem*, qua facta fuit, *pertinere.* *De Assumptione S.* Mariæ. *De Agnete* Imperatrice. Fuit autem temporibus *Michaëlis*, & *Alexii* Imperatorum.

ANNOTATIO.

EX præfatis luculentis eruditionis, ac doctrinæ monimentis nonnulla asservari in Biblioth. Casinensi *Cod. sign.. num.* 3. *sub hoc Lemmate*, Cano- A nes mathematici, Camillus Peregrinus *virtute*, *doctrinaque ornatissimus*, *nobis humanissimis literis communicavit. Floruit* Pandulphus *anno Dom.* MLX.

CAPUT XXVII.

LANDENULPHUS Capuanus sub *Desiderio* Abbate Monachus factus est. Scripsit sermone simplici Librum, qui appellatur . . . . in quo introduxit Dominum, & Virginem *Mariam*. ac Sanctissimum *Benedictum* justis ac peccatoribus loquentes. Fuit eo tempore quo & *Alphanus.* *Claruit anno Domini* ML.

CAPUT XXVIII.

ODERISIUS Primus *Casinensis* Abbas, humilitate summus, castitate pudicus, spirituali lumine præditus, versificatorque mirabilis. Scripsit nonnulla, quæ quia præ manibus habentur, omitto referre. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

ODerisius Oderisii *Comitis* Marsorum *filius* Campanus, *ex Diac. Card. S.* Agathæ Nicolai II. *Papæ*, *Presbyt. Cardinali tit. Sancti* Cyriaci in Thermis, *& Abbas* Casin. *ab* Urbano A II. *ordinatus est ann.* MLXXXVII. XVI. *Kalend.* Octobris, *sanctitatis & doctrinæ meritis nobilitatus abiit ad præmium* IV. *nonas* Decembris MCV. *&* Casini *sepultus in Ecclesia Sancti* Benedicti. *Meminit*

minit Martyrolog. Benedict. *ad diem* XI. Decembris, *&* Ferrar. *in catalog. Sanctorum: ejus in antiquo lapide mentio fit in Ecclesia Sancti* Joannis *in* Venere *in agro* Lancianensi. Oderisii *maxima per literas usus est amicitia* Alexius Comnenus Constantinopolitanus *Imperator.* Henricum *IV. Cæsarem quamvis Ecclesiæ hostem, sui tamen Monasterii amicum & fautorem habuit. De gestis ejus, vide* Ost. *lib.* 3. *cap.* 15. *hist.* Casin. *&* Camill. Peregrin. *in serie Abb.* Casinens. *in* Oderisio. *Exstat epistola* Oderisii *ad Monachos* Floriacenses, *quam refert* Lauretus *de exist. corp. Sancti* Bened. *in Monast.* Casin. *cap.* 26. *pag.* 122.

CAPUT XXIX.

BENEDICTUS, qui & *Guaiferius*, *Salernitanus*, sanctitate & religione conspicuus, suavis eloquio, ingenio magnus, sermone facundus. Scripsit ad *Trojanum* Episcopum *vitam Sancti Secundini*, & *cantum* ejus. *Versus in laudem Psalterii. De miraculo illius, qui se ipsum occidit, & per Beatum* Jacobum *vitæ redditus est. De conversione quorundam* Salernitanorum. *De laude Sancti* Martini. *In laudem Sancti* Secundini. *Hymnos* de eodem. *Homiliam de* Adventu. *Sermones de Nativitate Domini. De Epiphania. De Cœna Domini; De Septuagesima. De Ramis palmarum. Passionem Sancti* Lucii *Papæ.* Claruit autem temporibus *Alexii* & *Henrici* Imperatorum, ac *Desiderii* Abbatis.

ANNOTATIO.

Opuscula m. s. Guaiferii *seu* Gauferii, *charactere* Langobardico *in priscis membranis exarata habentur in Bibliotheca* Casinensi *sub num.* 280. *hoc titulo præsignata.* Gauferii *Monachi* Casinensis Homiliæ. In Adventu Domini. *incipit. Verba sancti Euangelii.* In Nativitate Domini. *Ex Patre majestatis.* In Epiphania. *Sempiterni pudoris.* In Septuagesima. *Per parabolam conductoris.* In Ramis palmarum. *Singularem, & famosissimam.* In Cœna Domini. *Ad gloriosissimam Redemptoris.* Passio Sancti *Lucii* Papæ. *Fortissima & præclara virtutum studia.* Historia Sancti *Secundini* Episcopi *Trojani. De bono dilectionis. Quam in catalog. Sanctorum* Ferrarii *sub die* XI. Febr. *compendio descriptam etiam reperies. Sequuntur in eodem Cod. m. s. carmina* Gauferii, *videlicet.* In laudem Psalterii: *incipit.*

Verba fero vitæ, quæ verbum vita notavit.

De miraculo ejus, qui se ipsum occidit:

Mortis in immanem te mersit culpa, ruinam.

De Conversione quorundam Salernitanorum.

Res nova magna satis perhibetur facta Salerni.

In laudem Sancti *Martini* Episcopi.

Gemma Sacerdotum votis assiste tuorum.

In laudem S. *Secundini Trojani* Episcopi.

Adsis tota tuis festis festiva diebus.

Hymnum de eodem Sancto *Secundino.*

Christe Rex Regum, pretium piorum.

Cuncta præfata opuscula & carmina nos etiam manu exarata asservamus, bono publico proferenda.

De obitu Gauferii, *vide quæ notavimus supra in* Alberico. *Consule etiam nostrum* Petrum *in auct. Chron.* Casin. *lib.* 3. *cap.* 61. *edit.* Ven. *Claruit anno Domini* MLX.

CAPUT XXX.

LEO Ostiensis Episcopus & Bibliothecarius, a pueritia in *Casino* oblatus, sanctitate, & monasticis disciplinis ad plenum imbutus, & in divinis Scripturis apprime eruditus. Fecit *sermones de Pascha. De Nativitate. Historiam Peregrinorum: Historiam* Casinensis *Archisterii* divisam in libros quatuor. *Vitam Sancti* Mennatis, & alia quamplurima, quæ in nostram non venere notitiam. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

LEO Marsicanus Campanus, *a puero in Monte* Casino *Monachum induit, ubi tum ob vitæ sanctimoniam, tum ob eximiam sapientiæ literaturam celebris evasit: cumque ejusdem Monasterii Bibliothecarius ac Decanus esset, cooptatus est dein in Episcopum, & Card.* Ostiensem *a* Paschali *Papa II. anno Domini* MCI. *Hic ingentis animi fuit; vidensque Imperatorem* Henricum *IV. ex odio retinere* Paschalem, *populum contra illum in seditionem vertit. Concilio* Vastellensi *interfuit, majusque Altare S.* Laurentii *in* Lucina *consecravit, reconditis multorum Sanctorum reliquiis, & præcipue de craticula S.* Laurentii *cum ejusdem Martyris duabus sanguinis ampullis anno Domini* MCXII. *die* XV. Octobris, *ut ex antiquissima inscriptione ejusdem Ecclesiæ colligitur, quam postea in suos annales retulit Card.* Baron. *Inveniturque etiam nostrum* Leonem *subscripsisse acta Concilii* Laterani, *sub* Paschali *II.* V. *Kalendas* Aprilis. *Vide quæ notavit* Lauretus *de nostro* Leone *in Chron.* Casin. *pag.* 79. *Scripsit jubente* Oderisio Casin. *Abbate* Chronicon sui Monasterii *Casinensis, libris tribus, a temporibus S.* Benedicti *usque ad* Desiderium *Abbatem, qui postea* Victor *Papa Tertius fuit, qui dati sunt prælo* Venetiis *anno* MDXIII. *&* Parisiis: *postremo* Neapoli *anno* MDCXVI. *opera & notis* Matthæi Laureti Hispani *Monachi* Casinens. *quas quidem editiones collatis cum antiquissimo exemplari m. s. in* Casin. *Biblioth. servato, quod Chronicon* Casinense *appellatur, fuisse ab integritatis suæ deturbatas gradu, mendisque obsitas, facile cognoscere per se sedulus lector valebit. Accidere enim sæpe videmus, & magno Reipublicæ literariæ incommodo experimur, ut inter imprimendum quædam vel omittantur, vel addantur, vel in pejus mutentur, librariorum vel incuria, vel audacia, vel malitia, & animi perversitate: extat penes Vir. Clar.* Lucam Olsteinium *Chronicon* Leonis, *in quo variantes lectiones ad fidem plurium m. s. exemplarium sua manu ad oram editi libri adnotatas vidimus. Tu tamen consule (si res te solicitat) ea, quæ notarunt* Matthæus

thæus Lauretus *de exist. corp. S.* Bened. *in Monast.* Casin. *cap.* 41. *pag.* 148. Camillus Peregr. *in histor. Princip.* Langobard. *in serie Abb.* Casin. *in* Petronace: *& tunc sane proferes, in eruditorum sympolio limam ulteriorem etiam non esse desperandam.*

Animadvertendum est, Baronium *tom.* X. *annal. sub anno* Christi DCCCXCI. *observasse haud recte in dict. Chron. collocatum* Formosum *Pontificem Max. post* Hadrianum *ante* Stephanum, *quem non præcessisse, sed ei successisse exploratissimum est: deinde quod patraverit sacrilegium* Sergius *Papa schismaticus, id* Leo *tribuat laudatissimo Pontifici* Stephano, *&c. Quem tamen errorem ex depravato Codice facile irrepsisse arbitramur; vide dict.* Lauretum *in not. ad lib.* I. *cap.* 45. *Chron.* Casin. *& de exist. corp. Sancti* Bened. *d. cap.* 41. *a calumniis nonnullorum nostrum* Leonem *vindicantem.* Baronius *certe anno* MLIX. *vocat* Leonem, *scriptorem sui temporis integerrimum: & anno* MLXXVII. *sinceræ fidei scriptorem.*

Vita S. *Mennatis*, seu *Mennæ* Confessoris, *quam* Leonem *imperio* Oderisii *Abbatis scripsisse testatur* Petrus, *manu exarata, & typis nondum cusa penes nos servatur una cum translatione reliquiarum ipsius ad urbem* Cajatiam, *addita insuper exacta miraculorum ejus narratione, quam tibi bono publico cum aliis Sanctorum actis, Deo dante evulgandam dabimus, incipit.* Vitam & conversationem egregii Confessoris *Christi Mennatis*, &c. *De ejus sanctitate agit S.* Gregor. *lib.* 3. *Dialog. cap.* 26. *Martyrolog.* Rom. *sub die* XI. Novembris. Sigibert. *in Chron. ann.* DLXXIX.

Scripsisse insuper Leonem vitam *S.* Januarii *Monachi* Casin. *testatur* Arnoldus Wion *Lig. vit. lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 188. *quam etiam descriptam a nostro* Petro Diacono *lib. m. s. de ortu & vita* Just. Casin. *cap.* 31. *in vita S.* Guinizonis, *cujus fuit discipulus, invenies: vide etiam elogia Abb.* Casin. *M.* Ant. Scipionis *pag.* 322. *ceteræ vero lucubrationes ineditæ adhuc remanent.*

Decessit Leo *vir eximius, præclareque de studiis meritus, sacrique Senatus ornamentum* XI. *Kalend.* Aprilis *post ann.* MCXV. *ut plane perspici potest ex illo tempore, quo in vivis agebat; invenitur enim subscriptus Bullæ* Paschalis *II. Ecclesiæ* Marsorum *concessæ anno Dom.* MCXV. Ego Fr. *Leo* Episcopus *Ostiensis*.

CAPUT XXXI.

LEO S. R. E. Cardinalis Diaconus, & *Casinensis* Cœnobii Monachus, insignis studio, ac eloquentia; Scripsit ex nomine *Urbani* Papæ quamplures *Epistolas*, fecit & *Regestrum* ejus.

ANNOTATIO.

Creatur anno Dom. MCV. *a* Paschali *Papa* II. *scribit* Wion *lib.* 2. *Lig. vitæ cap.* 9. Ciacon. *vero ab* Urbano *Secundo: quamplures exaravit epistolas, quæ m. s. in* Vaticana *asservantur Bibliotheca, ex quibus viginti reperiuntur sub nomine* Urbani *II. scriptæ a nostro* Leone. *Earum meminit Card.* Baron. *tom.* XI. *anno Dom.* MLXXXVIII. *sub nomine tamen* Leonis Ostiensis: *extantque modo prædictæ epistolæ tom.* VII. *Concil.* Binii: *fecit & ejus* Regestum, *sed caremus eo. Notandum tandem est hic obiter, Card.* Baronium *supra cit. loco,* Possevinum *in suo Apparatu, aliosque mente lapsos fuisse, putantes* Leonem Marsicanum *Cardinalem, & Episcopum* Ostiensem, *eundem esse cum* Leone *nostro Cardinale Diacono; dum Regestum* Urbani, *ejusque epistolas, quas scriptis prodidit, attribuant* Leoni Ostiensi, *sicque ex duobus unum faciunt; decepti, ut arbitramur, ex ejusdem nominis nuncupatione, fereque eodem tempore promotione duorum Monachorum* Casinensium *in cœtum S. R. E. Cardinalium, indeque fuerit natus error.*

CAPUT XXXII.

GREGORIUS *Tarracinensis* Episcopus parvulus & ipse in *Casino* oblatus, memoria tenax, ingenio vivax, tantæ fuit gravitatis, suavitatis, ac eloquentiæ, ut a nonnullis Columna Ecclesiæ diceretur. Scripsit *passionem Sanctorum* Casti & Cassii: *Passionem S. Virginis* Restitutæ: *vitam Sancti Confessoris Christi* Gerardi: *Homiliam de assumptione Sanctissimæ Dei Genitricis* Mariæ: *Cantus Sanctorum* Casti & Cassii; *hymnos* eorum: *Versus de transitu peregrinorum ad sepulchrum Domini, & captione* Hierosolymitanæ *urbis* rogatu *Berardi Valvensis* pulcherrimos fecit. *Historiam* Jonæ: *Versus de Dedicationibus Ecclesiarum, festivitateque Paschali: De Sancto* Andrea. *Homilias de totius anni festivitatibus.* Fuit autem temporibus *Alexii, Henrici,* ac *Joannis* Imperatorum: sepultus vero est apud *Pipernensem* Ecclesiam.

ANNOTATIO.

Ecclesiæ Tarracinensi *Præpositus eligitur a* Paschali *Papa* II. *in quam postea noster* Gregorius *eximia admodum doctrina refertus, omnique scientia exornatus, virtutum semina inseruit, vitiorum elementa erasit, optimis præceptis moribusque subditos præcipue imbuens, & quo denique radii solis* Meliorem nullum illuxere alterum, *ut ex ejus operibus, quæ m. s. passim in multorum manibus versantur, dignoscitur. Interfuit Concilio* Vastellensi *anno* MCVI. *Idem Bullam quandam subscripsit* Pisanæ *Ecclesiæ indultam anno* MCXXVI. *Ipsum iterum commemorat noster* Petrus *in auctario Chron.* Casin. *lib.* 4. *cap.* 42.

Acta Sanctorum *Casti* & *Cassii, qui Episcopi habentur & coluntur a* Soranis, *scripta fuisse a nostro* Gregorio, *dum monasticum habitum gerebat, testatur Card.* Baron. *in Martyrolog.* Roman. *ad diem primam* Julii. Acta *vero* S. *Restitutæ* Virginis, & Martyr. *Romanæ, cujus festum pariter* Soræ *celebratur sub die* XXVII. Maji, *pariter a* Gregorio *conscripta, summatim in Catalogo Sanctorum* Ferrarii *leguntur.*

In

In Bibliotheca Casinensi *extat Codex m. s. signatus num.* 300. *in quo describitur* historia de via *Hierosolymis* qualiter recuperata sit, qualiterque etiam *Antiochia*, & eadem *Hierusalem* ab invasione Gentilium per fideles Christi liberatæ fuerint. *incipit. Tempore, quo* Alexius *Imperii* Constantinopolitani *regebat habenas, quo & beatæ recordationis* Urbanus *Papa II.* Romanæ *Sedis Pontificium administrabat, fuit quidam eremi accola in* Galliarum *regione*, Petrus *nomine*, &c. *Perducit historiam usque ad Regnum* Balduini. *Putant nonnulli, prædictam historiam esse* Gregorii, *qui rogatu* Berardi Valvensis, *etiam Versus de transitu* B *peregrinorum ad sepulchrum Domini, & captione* Hierosolymitanæ *Urbis ediderat.*

A

Notandum, nostrum Gregorium *longe diversum esse ab altero* Gregorio *pariter* Casinensi, *& Episcopo* Sinuessano, *de quo in sequenti: unde nonnulli ex ejusdem pariter nominis nuncupatione decepti ex duobus unum faciunt; dum opuscula, quæ literis consignavit noster* Gregorius, *sequenti* Gregorio *attribuunt; sed lapsus utique talis primo condonandus est* Possevino *in Apparat. in verb.* Gregorius, *deinde vero iis, qui de Scriptoribus post* Possevinum *conscripserunt.*

CAPUT XXXIII.

GREGORIUS *Sinvessanus* Episcopus, & *Casinensis* Monachus, magnus ingenio, præclarus eloquentia. *De captione* Casinensis *Cœnobii versus* descripsit mirificos, in quibus introduxit B. *Benedictum* ad Monachos *Casinenses* loquentem. Composuit & multa alia, quæ in nostras manus minimè venerunt. Fuit verò supradictis Imperatoribus: sepultus est in Episcopatu suo.

ANNOTATIO.

Hic fuit Episcopus Sinuessanus, *sic legendum putamus, non* Limessanus, *ut perperam in aliquibus Cod. m. s. scriptum notavimus. Floruit an-* A *no Dom.* MCXX. *circiter; vir in sacris literis doctus, ac poëticæ artis disertissimus: ejus opuscula m. s. in* Casin. *Biblioth. asservantur.*

CAPUT XXXIV.

BRUNO *Signiensis* Episcopus, & *Casinensis* Abbas, insignissimus, & splendidissimus Ecclesiæ defensor, & Doctor. Inter multa & præclara ingenii sui monumenta scripsit rogatu *Signiensium* Canonicorum *expositionem super Psalterium; super Genesim; super Exodum; super Leviticum; super Numerum, super Deuteronomium; super Esaiam; super Cantica Canticorum; super Judicum.* Fecit & sermones hos; *de laudibus Ecclesiæ in Dedicatione templi; de Paradiso, de Arca Noë; de Tabernaculo Fœderis; de Templo* Salomonis; *& de muliere, per quam Ecclesia significatur. De Civitate sancta* Hierusalem; *de Basilicis quæ ab Episcopis dedicantur.* Item *de Euangeliis; de ornamentis* Ecclesiæ; *de Fide, de Spe; de Charitate; de quatuor virtutibus; de humilitate; de misericordia, de pace, de patientia; de castitate, de obedientia; de abstinentia: Ubi Ecclesia ornatur; de novo mundo; de Cœlis novis; de nubibus novis; de montibus novis; de arboribus novis, de potestatibus novis, de mari & piscatoribus novis*, de avibus novis, *de fluminibus novis; de animalibus novis: De festivitatibus festivitatum*, id est, *de Sancta Trinitate sermones tres; de Nativitate Domini; de Circumcisione; de Epiphania; de octava Epiphaniæ; de palmis; de Cœna Domini; de Pascha, de Ascensione Domini; de Pentecoste; de Nativitate Sanctæ* Mariæ; *de Annunciatione; de Purificatione; de Assumptione ejus; de Virginibus sermones tres; de Martyribus* sermones septem: *homiliam in festivitatibus Confessorum; aliam in festivitate S.* Benedicti; cum sermonibus duobus *de Pontificibus; quatuor de S.* Angelo*: de Apostolis homilias quinque, de pluribus martyribus* tres; *de uno martyre* duas; *de dedicatione Ecclesiæ; in Adventu Domini; Dominica* secunda *de Adventu, Dominica* tertia, *de Annunciatione B.* Mariæ *homilias duas: de Dominica* quarta *de adventu: In vigilia Nativitatis Domini; in die homilias tres; in Sancti* Stephani; *in Sancti* Joannis *Euangelistæ; in festivitate Innocentium; Dominica prima post Natalem* Domini; *in octava Domini; in Epiphania: Dominica prima post Epiphaniam; Dominica tertia, quarta & quinta. In purificatione S.* Mariæ; *in Septuagesima; in Sexagesima; in Quinquagesima; in cinere & cilicio. Feria sexta, & Sabbatho in capite Quadragesimæ usque in cœnam Domini homilias quadraginta. In cœna Domini; in Sabbatho Sancto, in festivitate Paschali; in feria secunda, tertia, quarta, quinta & sexta, & Sabbatho; in octavis Paschalibus; in Dominica prima, secunda, tertia & quarta, post octavas Paschæ; in processione majori; in festivitate Apostolorum* Philippi & Jacobi; *in inventione Sanctæ* Crucis; *in S.* Angelo; *in Ascensione Domini, in Dominica prima post Ascensionem Domini; in Pentecoste; Dominica prima post octavam Pentecosten; Dominica secunda, tertia & quarta. In Sancti* Joannis *Baptistæ; in vigilia Apostolorum* Petri & Pauli, *& in die eorum; in Dominica prima post Natalem Apostolorum cum homiliis* XXIV. *In S.* Laurentio; *in Assumptione S.* Mariæ; *S.* Matthæi; *vigilia S.* Andreæ; *& in die ejusdem: sermonem de Sancta* Scholastica; *sermonem de translatione S.* Stephani *e Civitate* Constantinopolitana *ad Arcem* Romanam: *Versus in laudem S.* Mariæ; *homiliam in decollatione S.* Joannis

Baptistæ, *in Nativitate S.* Mariæ. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum. Sepultus est in Episcopatu suo apud Civitatem *Signiam.*

ANNOTATIO.

Sanctus Bruno Aste *natus est ex familia* Soleria *nobilissima, a* Gregorio *Septimo Episcopus* Signinus *creatur, in virtutum, ac doctrinæ præmium, quod* Berengarium *impie de Sacramento Altaris sentientem in publico* Romano *Concilio disputando profligasset: deinde desiderio vitæ contemplatricis tactus abdicato onere Episcopali Monachum* Casinensem *professus est anno* MCIV. *ubi postea omnium monachorum suffragio Abbas* Casinas *electus anno* MCVII. *idibus* Novembris, *ibique præfuit annis tribus & mensibus* X. *quibus exactis, ad Ecclesiam* Signinam, *quam perinvitus acceperat, rediit, Pontificis reverentia victus. Nos vero ne tanti Doctoris laudes culpa deteramus ingenii, calamique parum felicis, illum aliis mittimus laudandum. Opuscula* Brunonis *duobus distincta tomis in lucem prodierunt anno* MDCLI. Venetiis *studio & opera D.* Mauri Marchesii Casinensis *Decani scholiisque etiam illustrata: & licet non omnes lucubrationes, quæ in nostri* Petri *elencho descriptæ sunt, inibi legantur; multæ tamen, quas* Petrus *præteriit, ibi habentur: nonA nullæ vero m. s. extant* Taurini *in nobilissima ac celeberrima Bibliotheca Serenissimi* Sabaudiæ *Ducis, præsertim vero* Commentarius in cuncta quatuor Euangelia, *uti etiam aliqua in Biblioth. Illustrissimi D.* Caroli de Montchal *Archiepiscopi* Tolosani, *scribit* Philippus Labbeus *in nova Biblioth. m. s. librorum pag.* 199. *Forsan tempus, quod publica abscondit, & occulta manifestat, Dei miseratione orbem tantis ditabit continuo thesauris. Consule auctarium de script. Eccles.* Auberti Miræi *in* Brunone, *ac Vir. Clar.* Theophilum Raynaudum *Societatis* Jesu, *de malis, ac bonis libris* B *partit.* I. *erot.* 10. *in* Eusebio Emisseno, *& in* Brunone Cartus. *fol.* 133. *&* 138. *E valle miseriarum in montes æternitatis ascendit* Bruno *anno* MCXXV. XV. *Kalend.* Augusti, *cum multis tam in vita, quam in morte claruisset miraculis, relatus postea inter Sanctos a* Lucio *III. ut videre est in subjecta inscriptione marmorea, quæ in* Signina *Cathedrali spectatur.*

MEMORIÆ ÆTERNÆ BEATI *BRVNONIS*, QVEM *LVCIVS* III. PONTIF. MAX. CARD. ET EPISCOP. CONVENTVS *SIGNÆ* IN ECCLESIA BEATÆ *MARIÆ*, VBI DEFVNCTVM CORPVS QVIESCEBAT, INTER SANCTOS IVSSIT ADSCRIBI ANNO AB EIVS ABSCESSV LVIII. S. P. Q. S.

Meminit Martyrolog. Rom. *sub die* XVIII. Julii: *plura de eo noster* Petrus *in auctario Chron.* Casin. A *lib.* 4. *cap.* 31. *Vide etiam apparatum ad præfata edita opuscula Sancti* Brunonis.

CAPUT XXXV.

JOANNES Medicus, supradicti *Constantini Africani* discipulus, & *Casinensis* Monachus, vir in physica arte disertissimus, ac eruditissimus: post *Constantini* sui magistri transitum *Aphorismum* edidit *Physicis satis necessarium.* Fuit autem supradictis Imperat. Obiit autem apud *Neapolim*, ubi omnes libros *Constantini* sui magistri reliquit. *Claruit anno Dom.* MLXXII.

CAPUT XXXVI.

PAULUS e *Liguria Romanorum* provincia ortus; & ab ipsa infantia occulto Dei judicio lumine privatus, & ob hanc rem literis, & philosophicis studiis ignarus, tantum usque in hodiernum diem de se miraculum præbuit, ut ab omnibus alter *Didymus* appelletur. Hic postquam scripsit *altercationem* Romanorum, *&* Græcorum, *quæ facta est in Civitate* Constantinopolitana, sub *Oderisio* Abbate *Casinense* Cœnobium adiit temporibus *Paschalis* II. Papæ, & *Alexii* Imperatoris. *Super* Esaiam; *super* Hieremiam; *super reliquos Prophetas*; *super Psalterium*; *super* Matthæum; *super* Marcum; *super* Lucam; *super* Joannem; *super epistolas* Pauli; *super Apocalypsim.* Non solum autem Grammaticam, verum & reliquas artes auditu tantum plenissimè cordetenus didicit. Scripsit etiam *vitam S.* Ebizzonis *Monachi* Casinensis; qui *Hilarioni* similis fuit. Extant & alia ejus librorum volumina, quæ in nostras manus nondum venerunt. Obiit autem apud *Tiburtinam* Civitatem.

ANNOTATIO.

ULtimis Henrici *III. ac primis* Henrici *IV. temporibus, scilicet anno* MC. *Claruit* Paulus Genuensis, *ab eodemque nostro* Petro *in auctario hist.* Casin. *lib.* 3. *cap.* 47. Paulus Grammaticus *etiam vocitatus; qui etsi oculorum lumine esset orbatus, tanto tamen ingenii acumine fuit excultus, tantaque perspicuitate cæterorum sensuum extitit decoratus, ut ab omnibus venerari promeruerit, deque illo vere poterat dici:* Dominus illuminat cœcos.

Sanctus Ebizo *seu* Gebizo, *cujus* Vitam *descri*A *psit noster* Paulus, Colonia *oriundus fuit, & Monachus* Casinens. *sub* Desiderio *Abbate, inter præclara ejus gesta refertur, quod animam* Adonis *amici, quam dæmones ad supplicium trahebant, precibus liberaverit: notavit id etiam noster* Petrus *lib. m. s. de ortu, & vit. Justor.* Casin. *cap.* 51. *& in auctario histor.* Casin. *lib.* 3. *cap.* 47. *Vide* Hugonem Menardum *in martyrol.* Bened. *ad diem* 20. Octobris *ac lib.* I. *Dialog.* Victoris *Papæ III. pag.* 20. *Cætera opuscula, tempora nobis, ut credimus,* B *inviderunt, sed quid mirum? cum hisce temporibus inve-*

inveniantur viri, qui pro eruendis antiquitatum prophanarum quisquiliis non solum in viscera terræ penetrant, verum etiam viscera opum profundunt, thesauros vero invisos sacrorum monumentorum, A quæ animos beant, ita nauseant, ut obolo potius parcere velint, quam hasce literarias exquirere divitias.

CAPUT XXXVII.

BERNARDUS *Casinensis* Monachus liberalibus studiis optime eruditus scripsit *miracula Sancti Confessoris Christi* Amici Casinensis *Monachi*: fecit & alia multa, quæ recensere superfluum duximus. Obiit autem nostro penè sub tempore.

ANNOTATIO.

Vita Sancti *Amici* Confessoris, *quam* Bernardus *scripsit*, *inter nostra sacrorum monumenta m. s. hactenus inedita servatur*, *incipit*. Beatus *Amicus* genere nobili ortus in finibus Comitatus *Camerini*, &c. *Locus*, *in quo natus*, Arabona *in* Piceno (*nomen est Abbatiæ*) *apud Montem* Melonem, *nuncupatur*. *Ejus meminit Sanctus* Petrus Damiani, *ut* Baron. *annotavit ad ann.* DCCCCXCIII. A *ubi* Amicum *canonizatum esse*, *absque tamen solemni ritu Ecclesiæ scribit*. *Agitur dies festus die* III. Novembris, *multisque clarus miraculis fuit*. *Vide quæ observavit* Lauretus *in notis ad Chron.* Casin. *in calce libri tertii*, & Arnoldus Wion *in notis ad martyrol.* Bened. *Claruit* Bernardus *anno Dom.* MCXX.

CAPUT XXXVIII.

JOANNES *Diaconus* divina, & humana scriptura peritissimus, fecit *Versus in laudem Sanctæ Dei Genitricis*, & *Virginis* Mariæ; & alia quamplurima, quæ ad nostros obtutus nondum venere.

ANNOTATIO.

Diversus est noster Joannes *ab altero* Joanne *S. R. E. Diacono*, *qui a* Sigiberto *in catal. cap.* 106. *laudatur*, & Anastasio *S. R. E. Bibliothecario familiaris fuit*, *qui etiam sub annum* DCCCLXXIV. Libros quatuor de vita S. *Gregorii* A Magni Papæ *edidit*, gestaque *Clementis* Papæ *scripsit*, *quæ m. s. habentur in* Casin. *Biblioth.* *Vide* Vossium *de histor.* Lat. in Joanne Diacono; *maleque propterea nonnulli opuscula eorum confundunt inter se*, *dum ex duobus unum faciunt*.

CAPUT XXXIX.

PETRUS *Diaconus* institutor meus, declamator insignis, e Civitate *Theanensi*, de qua oriundus erat, egrediens, *Casinum* advenit, atque ab *Oderisio* Abbate Monachus factus est. Scripsit præterea in eodem Cœnobio positus, *sermonem de Septuagesima*: *de Dedicatione Ecclesiæ*: *de Nativitate Domini*: *de Epiphania*, & alios quamplurimos. *Claruit circa annum Dom.* MLXXX.

CAPUT XL.

LANDENULPHUS parvulus in *Casino* sub *Desiderio* Abbate B. *Benedicto* oblatus: ac in divinis scripturis plenissimè doctus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, *de renovatione* Casinensis *Cœnobii*, *seu Archisterii*, *ac regimine* Desiderii *Versus* mirificos fecit, quos idem *Desiderius* Abbas in circuitu Capituli, & Claustri describi præcepit. *Vivebat anno* MLX.

CAPUT XLI.

GUIDO *Casinensis* Presbyter, vir in humana eruditione clarissimus, religione, & vita probatissimus, scripsit *Historiam* Henrici *Imperatoris*; *Visionem* Alberici *Monachi* Casinensis; *Versus de* fortuna *ejusdem* . . . . præterea *quæ in historia* Casinensi *deerant a temporibus* scilicet Oderisii *primi usque ad hunc diem*, adjunxit.

ANNOTATIO.

Vivebat Guido *tempore* Girardi *Abbatis* Casinensis *anno Domini* MCXI. *inter elegantissimos scriptores sua tempestate præcipuus*. Visio *Alberici*, *de qua supra in* Alberico *Diac. Card. penes nos extat m. s. tali lemmate*. Quia nonnulli veritatem mendacio obumbrare consueverunt. *Summatim vero descripta a nostro* Petro *legitur in Chron.* Casin. *lib.* 4. *cap.* 68. *edit.* Venetæ *his verbis*: Hujus tempore (*id est* Girardi *Abbatis qui sedit ab anno* MCXI. *usque ad* MCXXIII.) in *Campaniæ* provincia insigne miraculum & antiquis per omnia simile contigit. Namque in castro *Sanctorum septem Fratrum*, *Albericus* quidam nobilis puer cum decimum ageret ætatis annum, morbo correptus ad

ad extrema perductus est. Quo tempore diebus novem, & totidem noctibus immobilis ac sine sensu quasi mortuus jacuit: hoc autem intervallo a B. *Petro* Apostolo; duobusque Angelis per loca pœnarum deductus ad infernale barathrum devenit. Demum ad Paradisi amœna delatus, vidit Sanctorum mansiones, atque in Cœlum sublevatus aëreum, & a B. *Petro* Apostolo sufficienter edoctus de veteri testamento, de peccatarum pœnis, gloriaque Sanctorum: vidit arcana quædam, quæ loqui prohibitus est: sicque per septuaginta duas provincias ab eodem Apostolo deductus, vitæ redditus est. Hujus visionem, qui cupit agnoscere, a *Guidone* hujus Monasterii Monacho descriptam, legat. Nos eam, quia per ora omnium vertitur, hic scribere omisimus. Ex hinc *Albericus* ipse, relictis seculi pompis, *Casinense* Cœnobium petiit, atque a A Patre *Girardo* gratissimo affectu susceptus, accepto sanctæ conversationis habitu, *Christo* Regi militiam professus est. Tanta vero (hodieque) abstinentia, tanta pollet gravitate morum, ut & peccatorum inspexisse pœnas, & Sanctorum gloriam vidisse nemo, qui dubitet. Nam ex illo tempore neque carnes aliquando gustavit, neque vinum bibit: nudisque semper incessit pedibus: atque in hac afflictione corporis, cordisque contritione, & humilitate nunc usque (*Anno* MCXV.) in *Casinensi* hoc monasterio permanet, ut multa illa, quæ alios lateant, vel metuenda, vel desideranda vidisse, etiamsi lingua taceat, vita loquatur. B *Huc usque* Petrus. Historia *Henrici*; *nescio quo infortunio nondum lucem viderit, dum hi, qui de rebus* Henrici *IV. & V. conscripserunt, de* Guidone *silentium altum habuerunt.*

CAPUT XLII.

ROBOAS Diaconus, parvulus in *Casino* a *Girardo* Abbate susceptus, scripsit rogatu quorundam amicorum suorum *sermones de totius anni festivitatibus*, ac *vitam Sancti Confessoris Christi* Leonardi. *Claruit* Roboas *sive* Noboas *anno* MCXX.

CAPUT XLIII.

PETRUS Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, & *Casinensis* Monachus, parvulus & ipse in *Casino* susceptus, rogatu *Petri Diaconi*, ac Bibliothecarii, *passionem Beati* Marci *versibus* adornavit.

ANNOTATIO.

PEtrus *S. R. E. Subdiaconus Cardinalis appellatur ab* Arnoldo Wione *lib. 2. cap. 9. Lig. vit. a quo autem Pontifice promotus, ignoratur, verum ab* Arnoldo *perperam nuncupatur S. R. E. Subdia-* A *conus Cardinalis, cum in tabulis Ecclesiasticis, Episcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinalis in Ecclesia* Romana *tantummodo legantur. Vivebat anno Domini* MCXX.

CAPUT XLIV.

RAINALDUS Casinensis Subdiaconus parvulus B. *Benedicto* oblatus, vir valde eruditus, & versificandi scientia antiquis per omnia comparandus, scripsit ad *Petrum Diaconum*, ac Bibliothecarium *Sanctissimi* Severi Casinatis *Episcopi in laudem Versus*: *Versus* quoque *de vita B.* Benedicti, *ac B.* Mauri. *Hymnos in laudem Sancti Confessoris Christi, atque Pontificis* Severi.

ANNOTATIO.

HYmni *excusi sunt in Breviariis* Casinensibus *an.* MDLXVIII. *&* MDLXXII. *Vide quæ de* Raynaldo *notarunt* Arnoldus *libro* 2. *cap.* 9. A *Lig. vitæ.* Vossius *de histor.* Lat. *lib.* 3. *cap.* 7. *pag.* 713. *&* Camill. Peregr. *hist. Princip. Langobard. in serie Abbatum* Casin. *in* Raynaldo.

Ex supplemento PETRI DIACONI *de Viris Illustribus.*

CAPUT XLV.

GELASIUS Sedis Apostolicæ Pontifex, parvulus in *Casino* sub *Desiderio* Abbate B. *Benedicto* oblatus, & ab *Alberico* Philosopho edoctus. Scripsit in eodem Cœnobio positus, *passionem Sancti* Erasmi, *Sanctæque* Anatoliæ: *passionem* quoque *S.* Cæsarii *versibus* adornavit. Factus dehinc S. R. E. Cancellarius descripsit *Registrum* Paschalis *Papæ* II. Demum verò in Apostolica Sede Pontifex factus, *Henricum* Imperatorem propter investituram Ecclesiarum excommunicavit, atque pro ordinandis Ecclesiasticis negotiis *Galliam* ingressus, apud *Cluniacense* Cœnobium obiit.

ANNOTATIO.

ANtea Joannes Cajetanus, *natione* Campanus, Crescentii *filius, nobili genere ortus, ex S. R. E.* A *Subdiacono, & præsignatore* Urbani *II. Diaconus Cardinalis Sanctæ* Mariæ *in* Cosmedin, *& S. R. E.* Can-

Cancellarius, ac Biblioth. Paschali *Papæ II. gratissimus extitit, cujus* senectutis baculus *vocabatur; demum Pontifex sub* Gelasii *II. nomine creatur ann.* MCXVIII. *die* XXII. Jan. *Justitiæ pater acclamatus. Post annum, & dies aliquot Pontificatus agens* Matiscone *in pleuresim incidit jussitque se lectica ferri in* Cluniacense *Cœnobium, ubi mortem oppetiit* IV. *Kalend.* Febr. *anno* MCXIX. *meritis inclytus, ac sanctitate insignis: strato humi corpore cinere ac cilicio cooperto, postea sepulto in monumento marmoreo opere* Tusco, *& lapide candido, cui* Petrus Pictaviensis *cognomento* Venerabilis *Abbas* Cluniacensis, *ac coætaneus nostri* Gelasii *sequens epitaphium posuit.*

VIR GRAVIS, ET SAPIENS, ACTV, VERBOQVE *JOANNES*,
CVM PRIVS EX MONACHO, PRO MVLTA STRENVITATE
ARCHILEVITA FORET, ET CANCELLARIVS VRBIS,
PRÆSVLE *PASCHALI* MERITIS AD SYDERA RAPTO,
PROMERVIT TANDEM SACRAM CONSCENDERE SEDEM,
DIGNVS POST PRIMVM *GELASIVS* ESSE SECVNDVS.
SED, QVIA REGE FVIT NON PRÆCIPIENTE LEVATVS,
HORRENDVM FREMVIT PRINCEPS: ET FILIA DVLCIS,
MORE SVO, PROFVGVM SVSCEPIT *GALLIA* PATREM.
SI LICVISSET EI (PRO CERTO CREDE) SVB IPSO
VIRTVS, ET PIETAS, ET HONESTAS CRESCERET OMNIS,
ET PAX ECCLESIÆ TOTO FLORERET IN ORBE.
NAM RAPVIT MORS ATRA VIRVM, CVM PONTIFICATVS
VIX AGERET PRIMVM PASTOR VENERABILIS ANNVM;
BINA DIES IAM RESTABAT, CVM *CLVNIACENSI*
DORMIIT IN PROPRIO *ROMANI* IVRIS ASYLO.
HIC IGITVR POSITVS DILECTOS INTER ALVMNOS,
CVM PATRIBVS SANCTIS REQVIESCIT, ET OPTAT, VT ORBIS
CONDITOR, ET IVDEX VENIAT QVANDOQVE POTENTER,
ET CINERES LAPSOS IN PRISTINA MEMBRA REFORMET.
FELIX INDE NIMIS SEMPER *CLVNIACE* MANEBIS,
QVOD PATER ORBIS APOSTOLICVS SVMMVSQVE SACERDOS
ECCLESIÆ, MATRISQVE TVÆ SPECIALIS, APVD TE
TRANSIIT AD SVPEROS, IN TE REQVIESCIT HVMATVS.
NEC MINVS HIC ETIAM FELICEM CREDIMVS ILLVM,
CVI DEDIT IPSE PIVS MAGNO PRO MVNERE CHRISTVS
VT MONACHI MONACHVM PATREM QVOQVE PIGNORA CARA
IVGITER ASPICERENT, LACRYMISQVE RIGANDO SEPVLCHRVM,
SACRIS IN PRECIBVS SPECIALEM SEMPER HABERENT.

De laudibus Gelasii *hæc notavit Card. Baronius anno* MCXIX. Post Martyres, qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter *Romanos* Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora sit passus: ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus. Gelasium *Sanctum* Joannettus *nuncupat, virum sanctissimum* Genebrardus: *Abbas* Urspergensis *virum prudentem, venerandum, Apostolicæ Sedi semper irreprensibiliter collaborantem. Vide* Gelasii *vitam a* Pandulpho Pisano *ejus synchrono conscriptam, studio & opera* Constantini Cajetani *editam: Martyrolog.* Gallicanum *ad diem* XXIX. Jan. *Martyrolog.* Wionis *ad dictam diem*, Sigonium *de Regno* Italiæ *lib.* x. *&* Hugonem Menardum *in not. ad Mart.* Bened. *sub die* XXVII. Jan. *qui a calumniis* Orderici Vitalis *Cœnobii* Uticensis, *seu Sancti* Ebrulfi *Monachi lib.* 12. *circa initium historiæ ecclesiasticæ* Normannorum Theopompino *scriptionis genere exaratæ*, Gelasium *Sanctissimum vindicat.*

Passio S. *Erasmi* Episcopi *&* Martyr. *typis excusa est* Romæ MDCXXXIX. *studio & opera præfati* Cajetani. Actorum SS. *Anatoliæ* ac *Cæsarii* rhythmice a *Gelasio* literis consignatorum *meminit* Baron. *in Martyrol. ad* XI. Julii, *quæ temporum injuria intercidisse existimamus.*

Ex epistolis, *quas scripsit*, quinque *refert* Binius *tom.* VII. *Concil. Vide* Baron. *tom.* XII. *annal. anno* MCXVIII. & MCXIX. Regestum *Paschalis* II. Papæ *ejus prædecessoris composuit*, *quod non extat, nisi m. s.*

CAPUT XLVI.

JOANNES Tiburtinus a *Girardo* Abb. in *Casino* susceptus, scripsit sermone simplici *sermones* de totius anni festivitatibus, fecit & alia nonnulla, quæ in nostram notitiam non venerunt. Obiit autem temporibus *Lotharii* Imperatoris. *Claruit anno* MCXX.

CAPUT XLVII.

PETRUS Diaconus *Casinensis* Chartularius, ac Bibliothecarius, quinquennis sub *Girardo* Abbate B. *Benedicto* oblatus a Patre *Ægidio* natione *Romano*, atque sub eodem Abbate per octo ferme annos eruditus est. Anno verò Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo vigesimo octavo, ætatis autem ejus vigesimo primo, cum *Oderisius Girardi* Abbatis successor Abbatiam reliquisset, ad exilium æmulorum suorum faciente invidia, directus est. In ipso autem dum esset exilio, rogatus ab *Adenulfo* ejusdem Urbis Comite, descripsit ad *Oderisium* Abbatem *Passionem B.* Marci, *& Sociorum*

rum ejus: *vitam egregii Confessoris* Falconis: *vitam Sancti* Placidi *discipuli S.* Benedicti. *Vitam Sancti* Apollinaris *Abbatis*: *vitam Sanctorum* Guinizonis, & Januarii: *Rhythmum de novissimis diebus*, in quo juxta literam videtur sequutum esse Apostolum *Joannem*, cum idem *Petrus* sciret juxta quod ibidem scriptum est, finitum pro infinito. *Destructionem & restaurationem* Atinæ *Urbis. In Beati* Marci *adjunxit historiam.* Scripsit etiam *sermones* hos: *De festivitate B.* Marci *sermones octo*; *sermonem in vigiliam ejus. De vigilia SS.* Nicandri, & Marciani. *Sermonem de cœna Domini. Duos in Parasceve*; *in Sabbatho sancto*; *Homiliam de Sancto* Benedicto *In Pascha*; *in Ascensione*; *in octava Sancti* Benedicti; *in Pentecoste*; *in festivitate S.* Joannis Baptistæ; *de S.* Petro, & Paulo; *de S* Laurentio: *in vigilia S.* Mariæ. *Librum Illustrium virorum Cœnobii* Casinensis; *miracula* Casinens. *Monachorum*, *quæ scripta adhuc minimè erant*, *descripsit. Historiam de eversione*, *seu restauratione Cœnobii Beati* Mauri *ex jussione Abbatis* Senioretti *emendavit*, in qua & *prologum* scripsit. Fecit & *prologum* in *libro privilegiorum* ex rogatu *Raynaldi* Subdiaconi *Casinensis. De Sancto* Nicandro *sermonem. De translatione Sancti* Stephani *Protomart. a Civitate* Constantinopolitana *ad Urbem* Romam. *De ortu & vita Justorum Cœnobii* Casin. *In festivitate omnium Sanctorum. De Nativitate Domini sermones duos. De S.* Stephano. *Chronica Cœnobii* Casin. a *renovatione Ecclesiæ B.* Martini *a* Desiderio *facta usque ad hunc diem. Astronomiam ex veteribus libris* collegit; Solinum *de miraculis breviavit. De generibus lapidum pretiosorum librum* exaravit. *Expositionem Regulæ in quatuor libros divisit. Scholia in veteri testamento. Epistolas duas ad* Lotharium *Imperatorem. Ad* Richizam *Imperatricem. Librum notarum ex parvo ampliorem fecit.* Vitruvium *de Architectura mundi abbreviavit. Librum* Heve *Regis* Arabum *de lapidibus transtulit. Hymnum de Sancta* Christina. *Vitam S.* Constantii *Episcopi. Epistolam ad* Conradum *Imperatorem. Visionem* Alberici *Monachi* Casin. *corruptam emendavit.* Scripsit & *vitam S.* Severi *Episcopi*, & *Confess.* ex rogatu *Raynaldi* Subdiaconi *Casin. De* S. Nicandro, & Marciano *sermonem de translatione*, & *Chronicam Consulum*, *Dictatorum*, & *Imperatorum* composuit. *Translationem B.* Marci *in Civitate* Atina, & *ejus miracula* exaravit. *Cantus Beati* Marci *composuit*, & *Sanctorum* Nicandri, & Marciani. Obiit autem in *Casino* & ibi sepultus est.

EXPLICIT LIBER DE VIRIS ILLUSTRIBUS CASINENSIBUS.

ANNOTATIO.

PEtrus Casinensis *Diaconus*, *Chartularius*, *Scriniarius*, *ac Bibliothecarius* Casinensis, *qui hunc de Viris Illustribus* Casinensibus *librum literis consignavit*, *ex Patre* Ægidio *natione* Romano, Gregorii Romanorum *Patritii*, *& Consulis Filio*, *ex Comitibus* Tusculanis, *vir fuit in sacris*, *humanisque literis taliter eruditus*, *ut inter elegantissimos scriptores sua tempestate præcipuus sit habitus*: *Excessit e vivis post annum* MCXL. *innumeros pene fœtus sui ingenii ad Reipub. literariæ commodum relinquens*, *quorum ob temporis injuriam*, *hominumque negligentiam nonnulli collapsi*, *ac dispersi sunt*, *eorum tamen indicem ipsemet* Petrus *lib.* 4. *Chron.* Casinens. *cap.* 68. *edit.* Venet. *pertexuit*: Vah! quam multa tempus atrox falce metit. *Nil aliud typis cusum modo legitur*, *nisi* supplementum ad 3. lib. Chron. *Casin. Leonis Ost.* & totus liber IV. eidem Chron. attextus: *exorsus noster* Petrus, *ubi* Leo *desierat*, *ab anno scilicet* MLXXXVI. *prosecutus usque ad annum* MCXXXVIII. *Et insuper* liber de notis literarum more *Romano* ad *Conradum Imperatorem editus* Venet. *anno* MDXXV. *studio* Nicolai Erythreï, *novissime verò* Hanoviæ *una cum auctoribus antiquis Grammaticæ* Latinæ *opera* Heliæ Putschii. *Nonnullæ lucubrationes*, *quæ prælo hactenus non sunt traditæ*, *in nostro sacrorum penario m. s. asservantur*, *quas commemorare hic non diffugimus*, & *sunt*:

De ortu & vita Justorum Casinensium, *incipit*: Benedictus signifer.

Scholia in diversas sententias. Veni Verbum Dei.

Scholia in quæstiones veteris testamenti. Mos est sanctæ Scripturæ tempora mutare.

Exhortatorium ad Monachos, *in quo ostendit*, A *quid custodire*, *quid cavere debeant*, & *de septem vitiis & virtutibus. De Patriarchis*: *de Rege* Ozia, & *de* Moyse: Omnibus, qui secundum Sancti *Benedicti* Regulam.

Rhythmus de novissimis diebus: Anno *Christi* passionis finito millesimo *Satanas Averni* Princeps solvetur a vinculis.

Altercatio pro Cœnobio Casinensi: Igitur dum in conspectu Imperatoris *Lotharii.*

Catalogus Regum, *Consulum*, *Dictatorum*, *Tribunorum*, *Patriciorum*, *ac Imperatorum gentis* B Trojanæ: *Saturnus Uranius.*

Epistola ad Lotharium *Imperatorem Abbatis* Casinensis *nomine* Guibaldi *missa*: Post innumeras solicitudines.

Epistola secunda ad eundem Imperatorem: In variis, multiplicibus, ac diversis tribulationibus constitutus.

Epistola consolatoria ad Richizam Romanam *Imperatricem.* Multoties Imperatrix invicta.

Epistola consolatoria ad Richizam *Imperatricem de* C *obitu* Lotharii *Tertii Imperatoris*: Licet nervus incisus doleat.

Epistola consolatoria ad Conradum *Imperatorem secundum de electione sua*: Benedictio, & claritas, & sapientia.

Sermo in Cœna Domini: Scripturis venerabilem Domini passionem.

Sermo in Parasceue: Hodie quadrifida fabrica Orbis innovatur.

Sermo in Sabbatho sancto: Sicut fuit *Jonas* in D ventre ceti.

Sermo in Resurrectione Domini: Resultet hodie Cœlum.

Sermo in Ascensione Domini: Hodie terrenis cœlestia sociantur. *Ser-*

Sermo in festo Pentecostes: Redemptoris nostri festivum diem.

Sermo in Nativitate S. Joannis Baptistæ: Hodie euangelica tuba fulsit in Orbe.

Sermo in Natali Apostolorum, Petri, & Pauli: Sanctissimus, ac felicissimus dies.

*Sermo de S.*Laurentio *Martyre:* Divini muneris sacratissimum hodie.

Sermo in vigilia Assumptionis Beatissimæ Virginis: Sacratissimæ, ac intemeratæ Genitricis.

Sermo in festivitate omnium Sanctorum: Hodie æterni Imperatoris claritas.

Sermo in Nativitate Domini: Hodie mundo salus redditur.

Alter sermo in Nativitate Domini: Hodie nobis pax vera refulsit.

Sermo singularis in octava S. Patris Benedicti, *ubi de miraculorum abundantia:* Egregii, atque pretiosissimi Confessoris *Benedicti.*

Vita Sancti Placidi *discipuli Sancti* Benedicti, *sive Regestum ejus compilatum a nostro* Petro *circa annum* MCXXX. *ubi prolixæ narrationes variorum de vita, & martyrio Sancti* Placidi, *de oblationibus* Tertulli, Justiniani *Imperatoris, &* Vitaliani *Papæ habentur.*

Vita S. Severi *Episcopi* Casinensis *ad* Signorettum *Abbatem:* Quia vestra injussus potestate.

Vita Sancti Apollinaris *Abbatis ad* Raynaldum Casinensis *Cœnobii Diaconum:* Nimium admiranda.

Vita Sanctorum Guinizonis, & Januarii *ad* Richardum *Monachum: Guinizonis* ortum vitam, obitumque descripturus.

Sermo in vigilia S. Marci Atinensis *Episcopi:* Vigilias pretiosissimi Martyris & Pontificis *Marci.*

De Sanctis Atinatibus, *scilicet* Marco *Episcopo*, Nicandro & Marciano, *eorumque miraculis: Domitiano* Imperatore Ecclesiam persequente.

Sermo in eorundem Martyrum festivitate; Sanctam, venerandamque fratres carissimi.

De B. Marco Atinensi *Episcopo seorsum a* Nicandro & Marciano *sermones: Primus incipit:* Unius idem est initium, celebritas, & gaudium; *alter vero:* Maximus Prophetarum.

Hæc supramemorata opuscula, quæ m. s. servamus, communi orbis bono in lucem exitura speramus.

Exaravit insuper noster Petrus vitam Sancti *Leonis Papæ* ad *Innocentium* Papam Secundum: *librum etiam* de locis sanctis, *sive* Itinerarium Terræ Sanctæ, *continet septem folia. Librum pariter*, in quo descripti sunt fasti consulares, & series Imperatorum, Pontificum, atque Abbatum *Casinensium. Præterea* expositionem in Regulam Sancti *Benedicti, opus satis magnum; Cujus unicum fragmentum refertur a Viro Clar.* Joanne Bona *lib. de Harmonia Psallentis Ecclesiæ cap.* 12. §. 2. *de Officio parvo Beatæ Virginis* Mariæ *pag.* 244. *Item* Regestum *pervetustum. sign. num.* 86. *characteribus* Langobardicis *in membranis scriptum ex mandato* Senioretti *Abbatis, habens folia* 259. *in quo continentur multa* diplomata Monasterio *Casinensi* a *Romanis* Pontificibus Imperatoribus, Regibus, Principibus concessa. *Custodiuntur supradicta opuscula m. s. in* Casinensi *Biblioth. scamno primo ad lævam ingredientibus.*

De scriptis, laudibus, & vita nostri Petri Diaconi, *qui diversus est ab altero* Petro Diacono *pariter* Casinensi, *qui* vitam S. *Athanasii Neapolitani* descripsit; *agunt* Leo Ost. *histor.* Casin. Trithemius, *Card.* Baron. Possevinus *in suo Apparatu*, Arnoldus Wion *lib. Ligni vitæ*, Camill. Peregr. *in histor. Princip.* Langobard. *pluribus in locis, aliique quamplures. Vide etiam dictum lib. de Harmonia Psallentis Ecclesiæ in verbo* Petrus, *cui præfixa est rara, & exquisita notitia multorum auctorum cum librorum censura.*

FINIS ANNOTATIONUM IN PETRUM DIACONUM.

SUPPLEMENTUM VIRORUM ILLUSTRIUM MONASTERII CASINENSIS CONFLATUM

Per Domnum

PLACIDUM ROMANUM,

Monachum & Diaconum Casinensem.

CAPUT I.



RICHARDVS *Casinensis* Abbas & Cardinalis scripsit expositionem supra Regulam sanctissimi Patris Nostri *Benedicti.* Claruit anno Dom. MCCLVI. & sepultus est *Casini*, cum sedisset annis septem.

ANNOTATIO.

Sepulchrum marmoreum Richardi Hannibaldensis *de* Molaria *Domini Arcis* Molariæ *in* Latio *infra Montes* Tusculanos, *nobilis* Romani, *Diaconi Cardinalis* Sancti Angeli *hodie visitur in Basilica* Lateranensi *cum hac veteri inscriptione.*

MEMORIÆ RICHARDI HANNIBALDENSIS DE MOLARIA S. R. E. ARCHIDIACONI CARDINALIS SANCTI ANGELI, QVI A GREGORIO PAPA NONO CREATVS ROMÆ ANN. MCCXL. OBIIT LVGDVNI IN CONCILIO GENERALI ANN. DOMINI MCCLXXIV.

Extat in Biblioth. Casinensi præfata expositio super Regulam Sancti *Benedicti.*

CAPUT II.

BERNARDVS *Gallus* Abbas *Casinensis*; Scripsit & ipse *super Regulam Sancti* Benedicti. Edidit quoque *Speculum Monachorum.* Fecit etiam *Regesta duo, unum collationum beneficiorum, & officiorum:* Alterum, *omnium inquisitionum jurium, & bonorum in Castris, & Villis Monasterii* Casinensis. Floruit anno MCCLXXXII. Sepultus vero est in *Casino*, cum sedisset annis viginti duobus.

ANNOTATIO.

BErnardus Ayglerius Gallus *Monachus Cœnobii* Saviniacensis, *diœcesis* Lugdunensis Innocentii *Papæ* IV. extitit Capellanus, *& anno* MCCLVI. *Abbas Sancti* Honorati *Insulæ* Lirinensis, *deinde jussu* Urbani *IV. anno* MCCLXIII. *electus Abbas* Casinensis, *postmodum in cœtum Cardinalium adlectus ab eodem* Urbano *asserunt nonnulli, alii verò, quod probabilius, a* Clemente *Papa* IV. *Vide notam Abb.* Ughelli *ad* Ciac. *in* Clement. *IV.* Frizonem *in* Gallia *Purpurata, &* Arnoldum Wionem *lib.* 2. *cap.* 9. *Lig. vitæ pag.* 217. *Unum verò notandum est, quod noster* Bernardus Ayglerius *fuit a* Ciacono, *&* Panvinio *in Elencho Cardinalium prætermissus, nec inter purpuratos nominatus, eo quod, ipsi putaverint* Clementem *Papam* IV. *nullum creavisse Cardinalem, ut asserit eruditissimus* Petrus Coretinus *in Chronologia Episcoporum* Viterbiensium, *ideoque in Sede vacante* Clementis *IV.* Ciaconus *decem & septem Cardinales numeravit, ac propriis nominibus expressit non recensito nostro* Ayglerio, *cum re vera decem & octo fuerint, quod colligit idem* Coretinus *ex quodam diplomate asservato in Archivio Civitatis* Viterbiensis, *quod tibi damus ex originali transcriptum singulari humanitate Vir. Clar.* Dominici Magri Melitensis *Canonici* Viterbiensis *Cathedralis, in quo* Henrico *Cardinali* Ostiensi *(qui summam in Jure Canonico edidit, quamque vulgo ob excellentiam* Ostiensem *vocamus) conceditur facultas exeundi e Conclavi a cæteris Collegis, qui præter dictum* Henricum *sunt decem & septem, ut clare habetur ex decem & septem sigillis ex cera rubra pendentibus cum Sanctorum imaginibus temporum injuria consumptis in infrascripto diplomate. Ex his infert dictus* Coretinus *omnes in Conclavi fuisse decem & octo, inter quos erat noster* Bernardus *creatus unica promotione a* Clemente *Quarto cum sigillum* Henrici *non extitisse credendum sit, qui facultatem exeundi e Conclavi petebat, assensum verò non præstabat, pro cujus signo sigillum in diplomate apponebatur. Ex tunc enim Conclavis usus invaluit, qui usque ad hæc nostra tempora perseverat; nam antea Cardinales conveniebant summo mane in Cathedrali Ecclesia ibique suffragia pro eligendo Summo Pontifice ferebant, quibus peractis ad eorum domicilia revertebantur.* Viterbienses *autem hortatu Sancti* Bonaventuræ, *qui tunc ibi degebat, Duce* Raynerio Gatto *Civitatis portis obseratis, & Cardinalibus ipsis in Episcopale Palatium prope Cathedralem constructum, adductis, omnes ibidem die Pentecostes incluserunt: sicque Conclavis originem traxit, ut* Panvinius *etiam cum* Ciacono *affirmat. Sed quia pervicaces ac obstinati nihilominus ad electionem se demonstrabant,* Raynerius Gattus *tunc Civitatis* Viterbiensis *Capitaneus, ac Conclavis custos, quique alimenta necessaria Patribus quotidie subministrabat, discooperta aula Palatii, ut legitur in præinserto diplomate his verbis :* Datum *Viterbii* in Palatio discooperto, *Cardinales*

A *ad Pontificis electionem iniendam aëris injuria rerumque penuria compulit, edoctus a Card.* Joanne Anglo *cognomento de* Toleto *Monacho Ordin.* Cisterc. *Episcopo* Portuensi, *quem aliqui perperam de* Franciogia *nuncupant, qui ad Sociorum discordiam exprobrandam Palatium supradictum, in quo electio fieri debebat, tecto & lateribus nudandum, quibusdam salibus facetis jactis, prædicabat; ut* Papirius Massonius, Panvinius, Ughellus *tom.* 1. Ital. sacr. *in elencho Episcoporum* Portuensium *in* Joanne *fol.* 162. Odoricus Raynaldus *ad annum Domini* MCCLXXI. *num.* 12. *referunt, adeo ut perrupta*
B *animorum duritie prævio compromisso inter eos inito* Thealdum *de* Vicecomitibus Placentinum *Archidiaconum* Leodiensem *extra eorundem Patrum numerum, & tunc in* Syria *pro* Christi *fide commorantem die prima* Septembris MCCLXXI. *Pontificem creaverint sub nomine* Gregorii *Decimi post longam duorum annorum, novem mensium ac unius diei, Sedis vacationem.*

Exemplum præfati diplomatis est hujusmodi.

NOs miseratione divina Episcopi, Presbyteri,
C & Diaconi Sacrosanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Card. Infirmitati Venerabilis Fratris nostri H. *Ostiensis*, & *Velletrensis* Episcopi Fraterno compatientes affectu, vobis *Alberto* de *Monte Bono* Potestati, & *Raynerio Gatto*, qui pro Capitaneo *Viterbiensium* te geris, & Communi *Viterbiensium* tenore præsentium sub debito fidelitatis, quo nobis, & Ecclesiæ *Romanæ* tenemini districte præcipiendo mandamus, quatenus cum idem Episcopus juri, & voto sibi competentibus in electione *Romani* Pontificis renunciaverit coram nobis quantum ad præsentem vacationem duntaxat, volens, ut non obstante ejus absentia, sine ipso hac
D vice libere procedamus ad providendum *Romanæ* Ecclesiæ de Pastore ratam habiturus, & gratam electionem, seu provisionem, quam de *Romano* Pontifice absque ipso, & ejus requisitione duxerimus faciendam, ac instanter petierit vobis mandari, ut de Palatio, in quo sumus inclusi, ipsum permitteretis exire, eumdem Episcopum de ipso Palatio statim egredi libere permittatis, nec ipsum de cætero aliquatenus detineatis invitum. Datum *Viterbii* in Palatio discooperto Episcopatus *Viterbiensis* VI. Idus *Junii* anno Do-
E mini MCCLXX. Apostolica Sede Vacante.

Loco † † † † † † † † † † † † † † † † † sigillorum pendentium ex cera rubra numero decem & septem.

Hunc certe Bernardum Carolus *Primus Rex* Franciæ *illustri prudentiæ ac virtutis fama notissimum plurimi fecit, cumque iter in* Italiam *susciperet, eundem voluit & itineris comitem, & suorum participem,*

ticipem, ac moderatorem consiliorum. Quanti etiam habuerit Urbanus *Papa* IV. *nostrum* Bernardum, *ex literis ejusdem* Urbani *ad ipsum, cognoscere est; ex pluribus unam refert eruditissimus* Marcus Antonius Scipio *in elog. Abbat.* Casinens. *in* Bernardo. *Inter opuscula, quæ scripsit, solum extat typis cusum* Speculum Monachorum, in tres partes di- A visum; Venetiis, *&* Coloniæ *anno* MDXX. *in* 16°. Liber super Regulam Sancti *Benedicti habetur m. s.* Casini, *& in Cœnobio Sancti* Benedicti Mantuano: *reliquæ verò lucubrationes in Archivio* Casin. *m. s. reperiuntur. Obiit* Bernardus Casini *pridie nonas* Aprilis *anno* MCCLXXXII. *ibidemque sepultus.*

CAPUT III.

IGNATIUS *Florentinus*, Monachus Monasterii *Florentiæ*, & Abbas *Casinensis*, nobilitate insignis, & in Divinis, & humanis scientiis apprime eruditus. Scripsit *sermonem pulcherrimum in honorem Sanctissimi* Benedicti eumque coram magno Monasterii, & populi cœtu habuit, quando solemniter capta est possessio Monasterii *Casinensis*, sub *Eusebio Mutinensi* ejusdem Cœnobii Abbate, anno Domini MDV. Scripsit & *carmen Sapphicum in honorem, & laudem Sanctissimæ Trinitatis.* Edidit quoque *hymnos in honorem* S. Bertharii *Martyris, & Abbatis* Casinensis. Claruit temporibus *Leonis* X. cujus dicebatur affinis. Sepultus verò est in Abbatia Civitatis *Florentiæ*, cum sedisset annos novem in hac *Casinensi* Abbatia.

ANNOTATIO.

DE Ignatio *filio* Manfredi *ex nobilissima* Squarcialuporum *Familia oriundo, viro doctissimo, ac divini cultus zelantissimo, hæc scribit Michaël Pocciantius in catalogo Scriptorum* Florentinorum: *Ignatius Squarcialupus* Monachus *Benedictinus* ejusdem Congregationis Generalis Abb. amplissimus, vir vitæ sanctitate, & bonarum literarum scientia clarus, atque poëta illustris, cujus ingenium omnibus jugiter admirandum extitit: elaboravit tam metro, quam prosa, opuscula quædam, quibus memoriam sui posteritati commendavit, e quibus ista feruntur:

De Virginitate hymnus carminibus exametris.

Epistola Divi Benedicti *ad* Scholasticam Hetruscis *versibus* exarata. *Orationes* multis in locis suæ Congregationis in solatium Patrum habitæ.

Rursus *hymni nonnulli*, inter quos præcipuus extat ille *in honorem Sanctissimæ Trinitatis*, quem Patres *Casinenses* suis in Ecclesiis concinunt: & quædam alia.

A Mors eum ex humanis abstulit *Florentiæ* MDXX. cujus ossa in Abbatia *Florentina* conquiescunt.

Hæc de Ignatio Pocciantius. *Præter memorata, conscripsit etiam* Ignatius, *teste* Arnoldo *lib.* I. *cap.* 16. *Ligni vitæ pag.* 29. 30. *infrascripta opuscula.* De visione Illustr. Principis *Ferrandi Gonsalvi* compendium *libr.* I. *Divinam Illustris* Ferrandi. De aggregatione Monasteriorum *Siciliæ* ad Congregationem *Casinensem* sermon. I. *Superat vires moles. Extabant his proximis annis penes Abbatem* Constantinum Cajetanum. Carmen Sapphicum in honorem Sanctissimæ Trini- B tatis, & de Sancto *Berthario* hymni *habentur m. s. in Biblioth.* Casinens. *De eo agunt* Arnoldus *lib.* I. *cap.* 15. 16. *lib.* 5. *cap.* 8. Covaccius *lib.* 6. Petrus Recordatus *dial.* 4. *pag.* 457 *Diplomata* Leonis X. *sub datum* Romæ *anno* MDXIV. *anno* II. *sui Pontific.* Scipio *in elog. Abbat.* Casinens. *fol.* 215.

CAPUT IV.

BENEDICTUS de Sancto *Severino* Monachus *Casinensis*, in Philosophia & Divinis Scripturis apprimè eruditus. Fuit temporibus *Caroli* V. & sepultus est in *Casino. Claruit anno Dom.* MDXX.

CAPUT V.

JUSTINUS *Hispanus* Monachus professus Monasterii S. *Justinæ*, & hujus Cœnobii Abbas nonagesimus septimus, vir in philosophia, & divinis scientiis doctissimus, ac historiæ amator. Fuit temporibus *Caroli* V. Imperatoris, & sepultus est in Monasterio S. *Justinæ*, cum sedisset anno uno in hoc Cœnobio. *Claruit anno Domini* MDXXII.

CAPUT VI.

AUGUSTINUS *Paduanus* Monachus professus Monasterii S. *Justinæ*, & Abbas *Casinensis* nonagesimus nonus, vir in philosophia, ac divinis scientiis doctissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit *Brixiæ*, & sepultus est in Monasterio S. *Faustini*, cum sedisset in Abbatia *Casinensi* annis tribus.

ANNOTATIO.

ABbas Casinensis *nonagesimus octavus, originem ducens ex familia* Bonfiliorum: *claruit* A *anno* MDXXX. *Vide elog.* Marc. Ant. Scipionis *pag.* 225.

CAPUT VII.

INNOCENTIUS de *Novaria*, professus Monachus Monasterii *Florentiæ*, & hujus monasterii Abbas centesimus quartus, vir disertus & valdè eruditus in divinis Scripturis: Verum in Philosophia & Mathesi versatissimus. Claruit temporibus *Caroli* V. & *Maximiliani* Imperatorum. Obiit *Venetiis*, & sepultus est in monasterio S. *Georgii*, cum sedisset in hoc monasterio annis tribus.

ANNOTATIO.

INnocentius *filius* Nicolai Novariensis, *vir linguis* Græcis, Hebraicis, Chaldæis, *ac* Latinis *optime versatus & in omnibus scientis eruditus.* A *Decessit anno* MDLVII. *Agunt de eo* Wion. *lib.* I. *cap.* 16. *lib.* 5. *cap.* 8. Ulmus, *atque* Marcus Antonius Scipio *in elog. Abbatum* Casinensium.

CAPUT VIII.

ANGELUS Sangrinus Abbas & restaurator Cœnobii *Casinensis* sub *Vincentio Neapolitano* Abbate hujus monasterii: Monachus ab adolescentia in *Casino* factus est, vir reverendus & omni bonitate, & sanctitate redimitus, religione, & vita probatus, & in divinis scripturis versatissimus, Poëta insignis & admirabilis. Scripsit innumera pene opera, inter quæ hæc tantum brevitati consulens referam. *Carmen heroicum* de ineffabili *Iesu* nomine. *Meditationes septem* in septem novissima verba *Iesu Christi* eodem genere carminis exaratas: similiter *de misericordia, amore & bonitate* Dei erga peccatores: *De spe peccatoris* in Deum: *Speculum peccatoris*: *Paræneses* sex in hebdomada sancta: *De nominibus* Iesu. De *contemptu divitiarum*, & *vanitate humanæ vitæ*. *Elegias duodecim de* Iesu *pietate*, & *amore* in peccatores. *Triumphum divini amoris*. *Carmen sapphicum* in *Nativitate Domini*, & in *omnes* alias ejusdem *festivitates*. *Epicedium* in *mortem Domini*: De Iesu *beneficiis* in *homines*. Scripsit & librum unum diverso carminum genere de *laudibus* B. Mariæ *Virginis*. Extant quoque libri duo, in quibus *celeberrima nonnulla Sanctorum*, & *Sanctarum* sacra vario describuntur metro; eorumque gesta, hymnidicis proferuntur modulis. *Aureas* etiam, divinasque *sententias* ex *Davidis* Psalmis excerptas *elegiaco carmine* conscripsit. Insuper *vitam* Sanctissimi Patris Nostri *Benedicti*, *carmine heroico* conscripsit. *Elegias duodecim* de *passione Domini*: *Paraphrasim vario metri genere excultam* in Psalterium *Davidis* Regis. De *martyrio Monachi*: *Vitam* B. *Guillelmi* Anachoretæ *carmine sapphico*: *Vitam* Sancti Patris *Benedicti*, Sanctorum *Mauri*, *Placidi*, & *Joannis Baptistæ carmine heroico*. *Vitam* aliam Sanctissimi *Benedicti* carmine *sapphico*, & soluta oratione *moralem expositionem* continentem. Tractatum *orationis quadraginta horarum*: Et *Psalterium* gloriosæ *Virginis* Mariæ *carmine sapphico*: Scripsit etiam quamplura alia poëtica, quæ longum esset singula enarrare. Edidit etiam *dialogos*, *homilias*, & *sermones* multos soluta oratione. Vivit usque hodie & septuagesimum octavum excessit annum.

ANNOTATIO.

AB oppido Sangri *familia de* Faggis *ortus est* Angelus, *qui*, (*si* Platonis *illud verum est*, *nomina rebus plerumque convenire*) Angeli *instar fuit*, *priscæ quidem virtutis*, *ac sanctitatis exemplar*, *temporis avarissimus*, *& diligens*, *horarumque pervigil distributor*, *poetica facultate usque adeo pollebat*, *ut quidquid libuisset*, *facile atque ubertim pene extemporaneo carmine enunciaret*. *Opuscula quæ edidit*, *teruntur passim eruditorum manibus impressa* Coloniæ Agrippinæ. Psalmos David *mira Paraphrasis* arte *colligavit imitatione* Hebræorum, *quos nu-* A *meris decurrere auctor est* Hieronymus, *ut &* Jobi *pleraque*, *&* Hieremiæ *Threnos*: *extat impressa paraph. ista* Venetiis MDXL. *&* *Basileæ* MDLXI. Romæ *vero* MDLXXXVII. *in* 4°. *excusa est* vita *Sancti* Benedicti *carmine heroico*. *Tractatus* quadraginta horarum *habetur impressus* Florentiæ MDLXXXVII. *in* 12°. *&* Tridenti *in* 16°. *Obiit* Casini *an.* MDXCIII. *ætatis suæ* XCIII. *cujus corpus anno octavo postquam terræ mandatum fuerat*, *integrum illæsumque se vidisse in sepulchro testati sunt nonnulli.*

CAPUT IX.

HONORATUS Hisperniensis, ex familia *Fascitella*, in *Casino* Monachus susceptus est sub *Vincentio Neapolitano*. Postea vero creatus est Episcopus de *Insula* in *Calabria*, Vir in *Græcis*, humanis, & divinis literis versatissimus. Poëta insignis. Scripsit quamplurima opera, quæ temporum calamitate ad manus nostras non devenerunt. Floruit temporibus *Caroli* Quinti, & *Maximiliani* Imperatorum.

ANNOTATIO.

MArci *filius natus anno* MDII. *laudatus a* Bembo, Joanne Casa, Flaminio, *aliisque doctissimis viris*; *cujus etiam poëmata lepidissima le-* A *guntur apud* Jovium *in elog. Suntque impressa quoque in delitiis Poëtarum* Italorum. *Insigne edidit opus de* factis Alphonsi Avoli *Marchionis* Vasti. *An-*

Anno Domini MDLI. *die* XXX. Jan. *a* Julio *Papa* III. *ornatus Infula Episcopali* ; *præceptor datus* Innocentio Montio *Card. ejusdem Pontificis Nepoti adoptivo. Meminere* Joannuccius Gerus *lib.* I. *Poëtarum Illustr.* Italiæ, & Caramella *in suo Museo Illustriorum Poëtarum hoc disticho.*

Lacteus est vates. Cur lacteus? undeque lactis
Nomen habet? versu est candidus atque tener.

Interfuit Concilio Tridentino. Romæ *obiit mense* Martio MDLXIV. *ibidemque sepultus postquam Episcopatum resignaverat anno* MDLXII.

CAPUT X.

GREGORIUS de *Viterbio*, Monachus *Casinensis*, utriusque Juris doctissimus. Floruit temporibus dictorum Imperatorum, & sepultus est in *Casino*.

ANNOTATIO.

MEminit Arnoldus *lib.* 2. *Ligni vitæ*, *de script. Eccles. litera G. hoc lemmate.* D. *Gregorius Viterbiensis* I. V. D. & Monachus Congregationis *Casinensis*, alias S. *Justinæ* de *Padua*, qui claruit anno Dom. MDXL. Scripsit tam pie, quam docte, super *Euangelium* Joannis: In principio erat verbum, homilias, sive sermones tres, qui sic incipiunt. I. *Dicibilis sermo de indicibili Verbo in verbis dicibilibus.* II. *In principio erat Verbum.* III. *Non licet filiis veritatis.* Sunt m. s. s. apud D. *Constantinum Syracusanum* Monachum *Catanensem. Ita* Arnoldus.

CAPUT XI.

BENEDICTUS *Canophilus Sangrinus* Monachus in *Casino* factus est sub *Ignatio Florentino* Abbate *Casinensi*, vir utriusque Juris doctissimus. Scripsit quamplurimos libros in *Jure Canonico.* Edidit quoque *Repertorium* quoddam in *Jure Civili* ; & *extractum* de *foro fori*, & *foro poli*, qui quidem est impressus. Claruit temporibus *Caroli* V. & sepultus est in *Casino.*

ANNOTATIO.

BEnedictus Canophilus *de* Castro Sangri *fecit* Compendium Juris Civilis, *ac* Canonici, & summam rerum. *Scripsit etiam* Repetitionem *super* primum Decretalium *de* Constitut. fori & poli, *qui tractatus excusus est* Venetiis *anno* MDXLII. *in* 8°. *quem* Bernardinus Bonfius *I. V. D. Lector ordinarius*, *ac Decanus* Patavinus *testatur a doctissimo* Marco Mantua, *aliisque clarissimis viris in* Patavina *Academia examinatum*, *approbatum*, *commendatumque merito fuisse. Scripsit etiam de* privilegiis *Ecclesiæ*, & *ecclesiasticarum personarum. De* criminibus *in Deum*, & *proximum*, & *pœnis eorum. Floruit anno Domini* MDL.

CAPUT XII.

CHRYSOSTOMUS de S. *Gemiliano Calaber*, Monachus *Casinensis* factus sub *Chrysostomo Neapolitano* Abbate, postea Archiepiscopus *Ragusinus* creatus est; vir sanctitate insignis, reformator Monasteriorum *Insulæ Melitæ* prope *Ragusium*, in scientiis doctissimus: sed & in *Græca* lingua valde eruditus. Transtulit diversos tractatus a *Græco* in *Latinum* sermonem. Claruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit *Ragusii* temporibus nostris, & sepultus est in suo Archiepiscopatu.

ANNOTATIO.

CHrysostomus *fuit electus Archiepiscopus*, *cedente* Ludovico Beccatello Bononiensi *die* XXI. Octobris MDLXIV. *ut ex actis Consistor.*

CAPUT XIII.

FLAVIUS de *Ferraria* Monachus *Casinensis*, & postea Episcopus *Ravellensis*, *Græca* & *Latina* lingua valde instructus, a Papa *Julio* III. plurimum dilectus, atque ob hoc ab eodem Episcopus creatus est. Floruit temporibus *Maximiliani* Imperatoris.

ANNOTATIO.

HUnc non bene Flavium *vocat noster* Placidus, *uti etiam* Arnoldus Wion *lib.* 2. *Ligni vit. cum* Hercules Tombesius *in catalogo* Ravellensium *Episcoporum nominetur. Episcopali dignitate insignitus legitur anno Dom.* MDLV. *die* XVIII. Septembris. Ferrariæ *obiit anno* MDLXX. *ibique sepultus in Ecclesia Sancti* Francisci. *Testatur* Marcus Antonius Guarinus *in Compend. histor. Ecclesiarum* Ferrarien. *lib.* 4. *pag.* 247. & *Vir Clar.* Ughellus *in Episcopis* Ravellensibus *se legisse meminit insculpta in ejus tumulo hæc pauca verba vernacula lingua*:

HERCOLE TAMBUSI VESCOVO MDLXX.

CAPUT XIV.

SEVERUS *Averſanus*, in *Caſino* Monachus ſub *Chryſoſtomo* Abbate ſuſceptus, vir in Philoſophia verſatiſſimus, & in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimus. Floruit temporibus ſupradicti Imperatoris, & ſepultus eſt in *Caſino* in Cœmeterio S. *Annæ*. *Claruit anno Domini* MDLXX.

CAPUT XV.

LUCAS *Fratenſis* Monachus in *Caſino* ſub *Chryſoſtomo* Abbate factus eſt. Vir acer ingenio, & in Divinis Scripturis, & in Philoſophia doctiſſimus. Claruit temporibus *Maximiliani* Imperatoris, & ſepultus eſt in Monaſterio S. *Benedicti Mantuanæ* Diœceſis, in quo Philoſophiam publice docuit. *Floruit anno* MDLXX.

CAPUT XVI.

HIERONYMUS patria *Neapolitanus*, ex nobili & Illuſtri *Caracciolorum* familia oriundus Monachus ab adoleſcentia factus eſt ſub *Hieronymo* de *Monte Rubeo*. Vir humilitate ſummus, caſtitate pudicus, prudentia, animi magnitudine, morum gravitate, ac religionis converſatione inſignis: nobilis carne, ſed nobilior ſpiritu, humanis & divinis literis ſufficienter inſtructus. Floruit temporibus noſtris, & adhuc vivit, Abbaſque titularis exiſtit. *Anno* MDLXX. *clareſcebat.*

CAPUT XVII.

PAULUS de *Alta-Villa*, Monachus in *Caſino* ſuſceptus ſub *Hieronymo* de *Placentia* Abbate: vir in *Græcis*, *Hebraicis*, & *Latinis* literis doctiſſimus, memoria tenax, ingenio vivax. Fuit temporibus noſtris, & ſepultus eſt in *Caſino*, in Cœmeterio Sanctæ *Annæ*. *Claruit anno* MDLXXX.

CAPUT XVIII.

MATTHIAS de *Bergamo*, *Caſinenſis* Monachus, vir in Divinis Literis verſatus, & memoria adeo pollebat, ut plures novi, & veteris teſtamenti libros memoriter recitaret. Obiit temporibus noſtris, & ſepultus in *Caſino*, in Cœmeterio S. *Annæ*. *Claruit anno* MDLXXVII.

CAPUT XIX.

BENEDICTUS de Sancto *Germano*, in *Caſino* ſub *Hieronymo* de *Placentia* Abbate, Monachus factus eſt. Vir egregius, & ingenio magnus: in *Latinis*, *Græcis*, & *Hebraicis* literis valde eruditus, in Philoſophia autem & Theologia doctiſſimus: adeo ut ſuis temporibus in noſtra Congregatione nemini fuerit ſecundus. Scripſit *Commentaria* in *Pſalterium Hebraicum*, in *epiſtolam Pauli* ad *Romanos*. *Tractatum* de *uſuris*: edidit quoque *expoſitiones ſuper Pſalmos*. Scripſit præterea *ſuper libros Perhiermenias*, *Priorum* & *Poſteriorum* Ariſtotelis, *ſuper libros* de *anima ejuſdem*: Eſt quoque in lucem editus, & impreſſioni traditus ipſius *tractatus de imitatione* Ciceronis. Extant *diſputationes* in *libros Prædicamentorum* Ariſtotelis, & pulcherrimum illud opus, quod inſcribitur *Proverbia animalium*. Scripſit etiam *Apologiam contra calumniantes ejus opera*. Claruit noſtris temporibus, & adhuc vivit. *Anno Domini* MDLXX.

CAPUT XX.

BERNARDUS de *Janua*, Monachus *Caſinenſis* factus eſt ſub *Hieronymo* de *Placentia* hujus Monaſterii Abbate: Vir diſertus & eruditus in Philoſophia, & Divinis Scripturis. Fuit temporibus *Maximiliani* Imperatoris, & ſepultus in *Caſino*. *Claruit anno Domini* MDLXX.

CAPUT XXI.

ANTONIUS *Frachenſis* Monachus in *Caſino*, ſub *Lauro* de *Mantua* hujus Cœnobii Abbate ſuſceptus eſt. Vir acri, & magno ingenio, in *Græcis* & humanis literis

literis versatissimus, in Jure etiam Pontificio valde instructus. Scripsit quoddam *Repertorium Polyanthea* dictum, alphabeti ordine distinctum pro Archivio *Casinensi*: in quo quidem opusculo & jurisdictiones, & dignitates, & quæcunque bona fuerint vel sint monasterii *Casinensis*, facile est invenire. Edidit quoque librum quendam confinium bonorum *Casinensis* Cœnobii, sed morte præventus, imperfectum reliquit: qui postea a me *Placido Romano* Monacho *Casinensi* repurgatus, & perfectus fuit. Floruit temporibus *Maximiliani* Imperatoris, & sepultus est in Monasterio Sancti *Liberatoris* de *Majella*. *Floruit anno Domini* MDLXXV.

CAPUT XXII.

LUCAS ANTONIUS de *Firmo*, in *Casino* sub *Hieronymo* de *Placentia* Abbate Monachus factus est, vir in Philosophia, & Medicina doctissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit *Cajetæ* temporibus nostris, & sepultus est in Monasterio *Sancti Angeli*. *Anno* MDLXX.

CAPUT XXIII.

PIUS Patria *Neapolitanus*, ex nobili, & antiqua Familia *Lottheriorum* Civitatis *Florentiæ* ducens originem, Monachus in *Casino* factus est, sub *Innocentio* de *Novario* hujus Cœnobii Abbate. Vir religione, & bonitate perspicuus, in Divinis Scripturis doctus, & notitia Juris Civilis, & Ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus: Qui cum XXV. annis religiosè, laudabiliter vixisset, in nostra Congregatione *Casinensi* existens, Prior Sancti *Severini* in Civitate *Neapoli* a Papa *Gregorio* XIII. Episcopus *Fundanus* creatus est, de quo quia adhuc vivit, meum judicium subtraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.

ANNOTATIO.

Creatus Episcopus anno MDLXXVI. XXX. Januarii. *Vir religione & bonitate perspicuus, acerrimus Ecclesiasticæ libertatis defensor. Decessit* Casini MDXCII. *ibique tumulatus quiescit.*

CAPUT XXIV.

THEOPHILUS Senensis in *Casino* sub *Angelo Sangrino* Abbate Monachus factus est, vir ingenio perspicax, in scientiis valde eruditus, verùm in Philosophia, Mathematica, & Theologia doctissimus, adeo ut suis temporibus in Congregatione nostra *Casinensi* admirabilis haberetur. Floruit temporibus nostris & adhuc vivit. Hic bis vocatus a *Romano* Pontifice fuit, ut ejus opera in quibusdam Ecclesiasticis negotiis uteretur. Edidit tractatum de *nova restitutione Kalendarii*.

ANNOTATIO.

THeophili Martii *nobilis* Senensis *meminit* Petrus Recordatus *histor. Monasticæ*. Romæ *in Basilica Sancti* Pauli *Pœnitentiæ ministris* Pontificiis *a* Gregorio XIII. *adscriptus legitur. De ejus laudibus scripsit Fr.* Isidorus Ugurgierius Azolinus *Ord. Præd. lib. cui nomen præfixit.* Pompe Sanese *tit.* XXI. *pag.* 667. *Extat apud nos tractatus m. s. de* Reformatione Kalendarii, *incipit.* Magna quidem aggredi laudabile est. *Obiit* Casini *anno* MDLXXXVI.

CAPUT XXV.

BENEDICTUS Capuanus in *Casino* sub *Angelo Sangrino* Abbate Monachus susceptus est, vir discretus, & valde eruditus in divinis & humanis literis. Verum in scribendis carminibus materna lingua Poëta insignis, & nostris temporibus admirabilis. Edidit librum unum carminum materna lingua, in quo martyrium D. *Agnetis*, *Agathæ*, *Luciæ*, *Justinæ* & *Catharinæ* decantat. Scripsit quoque eadem lingua & metro tractatum de cogitatione mortis: *Triumphum Martyrum*, *Confessorum* & *Virginum*: Librum unum *piorum carminum* diverso metri genere. Extat etiam ejusdem *Tragœdia* Jephtæ *Ducis* Israëlitici *populi*. Scripsit & *Commentaria in* Dantem *Poëtam*. Edidit quoque *librum* unum *epistolarum* materna lingua. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit.

ANNOTATIO.

Claruit Benedictus *anno Dom.* MDLXX. *Originem ducens ex nobili familia de* Wa. *Passiones Sanctarum* Agnetis, Agathæ, Justinæ, *&* Catharinæ *typis cusæ sunt* Florentiæ *anno* MDLXXXVII. *in* 4°. *sicuti* Jephte *Tragœdia.*

CA-

CAPUT XXVI.

JOANNES Euangelista patria *Neapolitanus*, ex nobili *Mormiliorum* familia oriundus, Monachus in *Casino* ab *Ignatio Neapolitano* susceptus est. Vir ingenio perspicax, & divina, & humana eruditione valde instructus. Verùm in versificandi scientia antiquis per omnia comparandus. Scripsit quamplurimos tractatus. *Librum* scilicet, in quo continentur *præcipuæ Domini festivitates*, vario *metri genere* illustratæ. Librum *de laude gloriosæ Virginis* Mariæ, in cujus calce ejus *Psalterium elegiaco carmine* concinitur. Librum, qui *nonnullorum Sanctorum vitas*, *hymnosque* vario *carminum genere* continet. Extat, & alius ejusdem liber *carminum*, in quo illa præsertim opuscula continentur; De *insigni* Christianorum *victoria contra* Turcas *temporibus* Maximiliani *Imperatoris*, & Pii *V. Pontif. Max. De laudibus* Casinensis *Juventutis:* Ibidemque *liber odarum* appenditur, & in fine continetur *liber Tristium*, ubi suas, & amicorum ærumnas elegiace decantat: sunt & *quatuor* ejusdem *Eclogæ*. Scripsit præterea innumera *Epigrammata*. Edidit quoque *declamationes* & *sermones* aliquot, *homilias duas prosa oratione*. Item *expositionem* in *epistolam* D. Pauli *ad* Romanos: & in *librum Perihermenias* Aristotelis. Materna autem lingua quamplurima pia *carmina de laudibus gloriosæ Virginis* Mariæ, & usque in præsentem diem scribit.

ANNOTATIO.

Scripsit etiam de Sancta Febronia *Virg. & Martyr.* versus, *qui habentur impressi* Romæ MDLXXXIX *una cum operibus* Prosperi Martinengi. *Memorata opuscula m. s. uti etiam multa alia se legisse testatur lib.* 2. *Lig. vit. pag.* 430. Arnoldus Wion, *dum* Casini *morabatur. Meminit &* Possevinus *in suo Apparatu. Clarescebat anno* MDXC.

CAPUT XXVII.

THOMAS ab *Ebulo*, *Casinensis* Monachus, sub *Angelo Sangrino* Abbate factus est. Vir prudentia & ingenio insignis: In philosophia, & Divinis Scripturis doctissimus. Scripsit *librum Synodalium*: *Librum examinis Confessorum*, & *promovendorum ad sacros ordines*, & *eorum*, *qui mittendi sunt ad parochiales Ecclesias*. Edidit quoque materna lingua *Conciones quinquaginta*. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit, & Vicarius generalis in tota Diœcesi *Casinensi* existit. *Obiit post annum* MDLXXIV. *Casini.*

CAPUT XXVIII.

HIERONYMUS ex nobili *Sersalium* familia Civitatis *Cosentiæ* originem ducens, in *Casino* sub *Hieronymo* de *Placentia* hujus sacri Cœnobii Abbate Monachus effectus est. Vir callido quidem, & subtili ingenio, in humanis & divinis literis mediocriter eruditus; verum in rerum humanarum experientia, & in peragendis negotiis insignis, & admirabilis. Floruit temporibus nostris, & hujus *Casinensis* Cœnobii Abbas extitit. Sepultus verò est *Parmæ* in Monasterio S. *Joannis Euangelistæ*, ubi Capitulum generale nostræ Congregationis celebratur. *In anno Domini* MDLXXVII.

CAPUT XXIX.

APOLLINARIS a *Bauco* ab adolescentia sub *Lauro* de *Mantua* Abbate in *Casino* Monachalem vestem induit, ubi per triginta fermè annos angelicam potius, quam humanam vitam duxit. Hic vir vitæ integerrimæ, humanis & divinis literis satis instructus, adeo in Scripturis Sacris deditus erat, ùt exercitationis causa, atque ne otio torpesceret, ex *veteri*, & *novo testamento*, *atque ex diversis Catholicis*, *Orthodoxisque Patribus innumeras aureas sententias* excerpserit & scripserit. Decanus præterea in hoc *Casinensi* Monasterio existens, novitiorum curam invitus, ac renitens suscepit. Tali igitur fungens officio, me licet indignum *Casinensium* Monachorum cœtui adscripsit, sub Domino *Matthia* de *Lignano*, hujus Cœnobii Abbate, cum viginti essem annorum, in anno Domini MDLXX. De hoc magistro meo illud silentio non prætereundum esse judicavi, quod ad vitæ integritatem & puritatem pertinet. Nam talis ejus vita fuit, ut mortis suæ tempore, in vigilia scilicet Nativitatis S. *Joannis* Baptistæ, cum in Missa, Gloria in excelsis Deo cantaretur in Ecclesia, ejus anima ab ergastulo corporis egrediens in Cœlum ab Angelis deferri cerneretur. Sepultus verò est in Cœmeterio Sanctæ *Annæ*. Anno Domini MDLXXXI.

CA-

CAPUT XXX.

ANDREAS a *Sueſſa*, Juvenis præclaræ indolis, & vivacis ingenii, de civitate *Neapolitana*, ubi a parentibus ſtudiis literarum erudiendus traditus fuerat, egrediens, *Caſinum* advenit, atque ab *Iſidoro* de *Placentia* hujus ſacri Cœnobii Abbate, Monachus factus eſt. Hic exiguus quidem corpore, ſed ingenio magnus, ab ipſo ferè ſuæ converſationis initio, ob ſui ingenii vivacitatem, & rerum mundanarum experientiam, cum ſingulari quadam prudentia, ac ſolertia conjunctam, multis annis hujus noſtri Monaſterii negotiis operam dedit. Inter multa præclara ingenii ſui monumenta, exiſtens in regimine Terræ noſtræ *Citrarii* ſcripſit *Regeſta duo omnium Jurium*, *& bonorum*, quæ in præſentiarum in eadem Terra a noſtro monaſterio poſſidentur. Humanis inſuper, & divinis literis apprimè eruditus, magnam ſuam apud omnes adhuc vivens exſpectationem concitavit. Vivit etiam & temporibus noſtris hujus *Caſinenſis* monaſterii Præpoſitus exiſtit. *Floruit anno Domini* MDLXXVIII.

CAPUT XXXI.

GREGORIUS *Corteſius Mutinenſis*, Abbas primum Sancti *Petri* de *Peruſio*, deinde Sancti *Benedicti* de *Mantua*, & S. R. E. Cardinalis a Papa *Paulo* Tertio creatus, anno Dom. MDXLII. Vir utriuſque Juris Doctor, & in divinis ſcripturis valde inſtructus. Scripſit quamplurima carmina in laudem Divi *Petri*, quæ impreſſa reperiuntur. Obiit *Romæ*, & ſepultus eſt in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum anno Domini MDLXXXIV.

Explicit Supplementum Domni Placidi Romani, *& Diaconi*, *de viris Illuſtribus Cœnobii* Caſinenſis.

ANNOTATIO.

A *Nobiliſſima Familia* Corteſiorum *ortum ſuum habuit a quodam Imperiali Vicario nomine* Ludovici Cortes, *inter* Gallos *nobiliſſimi*; *qui cum eſſet a conſiliis* Pipini *Regis* Italiæ, Caroli *filii*, *Civitatem* Mutinam *inhabitaverat*. *Ex ea* Gregorius *noſter natus eſt*; *vir quidem* Græcis, Latiniſque *literis inſtructiſſimus*. Severum Varinum Placentinum *Monachum* Ciſtercienſem, *raræ & exquiſitæ eruditionis virum*, *præceptorem habuit*. *Ab ineunte ætate Civili*, *Canonicoque Juri operam dedit*, *& apud* Joannem Medicem *Cardinalem*, *poſtea* Leonem *Papam Decimum audiendarum Cauſarum munus exercuit*. *Demum cum* Ro- B manæ *aulæ pertæſus ad ſua priſtina ſtudia rediiſſet*, *ex divino etiam inſtinctu*, Caſinenſibus *Monachis nomen dedit*. *Ejus poſtea virtutis*, *probitatis*, *ac ſcientiæ fama inductus* Paulus *Papa Tertius*, *in Collegium Cardinalium adſcivit*, *incredibili totius Senatus conſenſu*, *anno Domini* MDXLII. *die* XI. Junii *tit. Sancti* Cyriaci *in* Thermis, *&* Urbinatenſium *Præſul eſt etiam dictus*: *privilegio inſuper conceſſo*, *ut purpureo cultu ſibi uti liceret*, *tametſi Monachus* Benedictinus *eſſet*, *quod etiam conceſſerat Card.* Philippo *a* Camera Gallo *pariter* Bene- C dictino. *Plurima hujus viri clariſſimi monumenta relicta ſunt*, *videlicet*.

Quod Sanctus *Petrus Romæ* fuerit, ad *Hadrianum* Sextum lib. I.

Epiſtolarum Familiarium lib. I.

Hi duo impreſſi ſunt Venetiis *apud* Franciſcum Franciſcium Senenſem *anno Domini* MDLXXIII. *in* 4°.

De *Theologica Inſtitutione* lib.

Hymnorum diverſo metro lib. I.

Carmen Sapphicum de vita Sancti Honorati *Archiepiſcopi* Arelatenſis.

Hymnus in Deiparam Virginem.

In Divum Honoratum *Carmen.*

In Lerinam *Inſulam Carmen.*

D *De poteſtate Eccleſiaſtica* tract.

De peccato originali.

De direptione urbis Genuenſis.

De Theologia & Philoſophia multa.

Lerinenſis *Inſulæ*, *& Cœnobii laudes.*

Poëmata *quædam ad imitationem* Catulli.

Prodierunt ex Aldi *officina cum* Sanazarii *de partu Virginis lib.*

Sancti *Baſilii* de Virginitate liber e *Græco* in *Latinum* idioma, ejus opera perlegitur.

De Viris Illuſtribus Ordinis Monaſtici lib. I. *qui furto ſublatus ideo non habetur*, *refert* Arnoldus Wion *lib.* 2. *Lig. vit pag.* 216. *Et alia multa ſcripſiſſe fertur*, *quæ temporum injuria*, *hominumque negligentia perierunt.*

Libri quatuor in ſententias Petri Lombardi *perperam a Nomenclatore Card. a* Torrigio *lib. de Script. S. R. E. Card. & ab aliis attribuuntur noſtro* Gregorio, *cum ſuum agnoſcant auctorem* Paulum Corteſium *Protonotarium Apoſtolicum.*

Extant diverſæ epiſtolæ Dionyſii Faucherii *Monachi* Lerin. *in laudem noſtri* Gregorii *in Chronolog.* Lerin. *Quanti autem integritatem ejus*, *doctrinam*, *ac prudentiam incomparabilem ſupradictus* Paulus *Pontifex fecerit*, *ex miris laudibus*, *quibus eum coboneſtavit*, *quando in cœtum Cardinalium adlegit*, *agnoſces*: *audi ipſum cum eo loquentem*: Hodie in his ſacris jejuniis, atque in Conſiſtorio noſtro ſecreto, inducti ſingulari tua probitate, religione, integritate, ac doctrina, te S. R. E. Cardinalem, cum Dei nomine, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium conſilio, creavimus, &c. *Meminere* Corteſii Sadoletus, *&* Bembus; *quorum alter doctiſſimum*, *alter excellentis doctrinæ virum appellat*, *ingeniique prope divini*. *Vide etiam quæ notavit eruditiſſimus* d'Auberi *in hiſtor. generali Cardinalium* Gallico *idiomate conſcripta par.* 4. *edita* Pariſiis 1647. *Obiit* Romæ *anno Domini* MDXLVIII. XI. *Kalendas* Octobris, *ſepultuſque eſt apud Eccleſiam* Sanctorum Apoſtolorum *ante altare Sanctæ* Eugeniæ.

LUPI PROTOSPATÆ, RERUM IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM,

Ab Anno Salutis 860. *usque ad* 1102.

BREVE CHRONICON,

CUM APPENDICE INCERTI AUCTORIS USQUE AD ANN. 1519.

Adjectæ sunt Variæ Lectiones ex M. S. Cod. Italico *Illustriss. Ducis* Andriæ, *Notæque* A. Carraccioli; *ut* & Camilli Peregrinii *Notæ* & *Castigationes.*

CAMILLUS PEREGRINIUS LECTORI SALUTEM.



ABsoluta jam serie Abbatum *Casinensium*, locisque in vetusto ejusdem Monasterii Chronico, quæ in temporum designatione difficiliora occurrunt, expositis pluribusque Auctoribus ejusdem materiæ insuper adjunctis, in mentem venit utilem nunc quoque operam me tibi posse locare, si strictim, ac velut in transcursu Anonymi Monachi *Casinensis* Chronicon, olim paulo negligentius procusum, cognatum quod esse præfato Chronico *Cassinensi*, latere neminem puto, quantum in præsens per otium licet, etiam recenserem. Manus autem operi extemplo cum admovissem, nam instabat Typographus, nec multi id mihi futurum erat laboris, quippe prolixiores Notulas in Quatuor illos una editos antiquos Chronologos jam pridem a me elucubratas in scrinio servabam, religione quadam sum tactus, censuique nefas esse, quoniam *Erchemperti* Historiam mea diligentia suæ integritati, & sinceritati restitutam Typis iterum commiseram, *Lupo* simul *Protospatæ*, nec non *Falconi Beneventano*, qui præfatum Chronicorum complent quaternionem, currenti licet calamo, meam pariter opem non præstare, quos a librariis male etiam habitos, dolens non uno in loco exposueram. Vicit itaque postrema hæc cogitatio, depravatasque lectiones, quas in Chronicis illis castigaveram, una cum ipsis Chronicis, publici juris facere constitui: quamvis ignarus non sim, alias in iis plures, præsertim in *Lupo*, curationis indignas, sed non absque scriptorum Codicum auxilio tentandas, remanere. Qui meus in Te, tuaque studia amor sit tibi acceptus, rogo, Vale.



J U-

JUDICIUM ANTONII CARACCIOLI DE LUPO PROTOSPATA.



Eperi hoc breve Chronicon inter antiquas Schedas Joannis Francisci Rubei, *viri quidem non legum solummodo sed humanarum etiam literarum apprime periti. Porrò cum ea ipsa, quæ hoc Chronico continentur, habeat vulgari lingua Diarium illud, in M. S. Cod. Ducis* Andriæ, *quod continuatur a* Juliano Passaro, *existimo, vel* Passarum *ipsum, vel alium aliquem e* Latino *in vulgarem* Italicum *vertisse sermonem, & quod is quo usus est liber nullum præferret Chronici hujus auctorem, nemini proinde supposuisse hunc fœtum. Nos igitur & primi typis committimus, &* Latine, *uti a* Lupo Protospata *compositum hoc Chronicon sive Diarium est, publici juris facimus. Et hic sane libellus utilis erit ad* Apuliæ *potissimum turbas, cladesque noscendas.*

Quisnam autem Auctor iste fuerit, nullo hactenus extante nostratium Scripturarum Nomenclatore, equidem divinare non possum. Conjicio tamen civem fuisse Barensem, *& genere* Græcum. *Prius ex eo colligo, quod in rebus* Barensibus *crebro versatur, & quod simpliciter, ac quasi antonomasticos ad ann.* 886. *&* 890. Barii *Dynastam, Principem vocat.* Græcum *autem genus prodit, tum quia sæpe græcissat, uti eruditus lector observare poterit, tum etiam, quia* Græcos *impense se ostendit amare, cum ad annum* 1015. *Dei misericordiam potentiamque laudat, quod* Robertum Nortmannorum *Ducem adversus Imperatorem* Græcorum *cum ingenti classe trajicere parantem, inopinato profluvio ventris extinxerit. Vox præterea* Protospata *idipsum forte innuit, sive stirpis nomen fuerit, sive Officii. Et verisimile est, virum genere* Græcum, *& in* Apulia *ortum, Protospatarium (sic enim habet Cod.* Andr. *non* Protospatam) *fuisse Strategi sive Catapani* Apuliæ *hoc est, Palatinorum militum Primipilum. Hoc ipso Chronico legitur* Sergius *Protospata, &* Joannicius *Protospata, vel, ut utrobique habet Cod.* Andr. *Protospatarius. De qua voce, & dignitate multa afferunt ex* Codino Meursius, Pontanus, Bullengerus, *& qui antea dici debuit, doctissimus* Pancirola. *Hos, qui plura volet, adeat.*



LUPI PROTOSPATÆ[1], RERUM IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM,

Ab Anno Salutis 860. *usque ad* 1102.

BREVE CHRONICON,

CUM APPENDICE INCERTI AUCTORIS USQUE AD ANN. 1519.

Adjectæ sunt Variæ Lectiones ex M. S. Cod. Italico *Illustriss. Ducis* Andriæ, *Notæque* A. Carraccioli; *ut* & Camilli Peregrinii *Notæ* & *Castigationes.*

Anno 860. Indictione VIII. comprehensa est Civitas *Barum* ab Imperatore *Constantinopolitano* [2].

Anno 861. Indict. VIIII. Mortuus est *Michaël* Imperator, & surrexit *Basilius Parascensumenus* filius ejus, & regnavit ann. 21. ipse solus, & ann. 9. cum filiis suis.

Anno 866. intravit *Ludovicus* Imp. *Beneventum.*

(*a*) Anno 867. incensa est *Matera* a *Ludovico* Imperatore, & idem Imperator intravit Civitatem *Oriam.*

Anno 868. Indictione prima exierunt *Agareni* a *Baro* Civitate per *Francos*, tertia die intrante mensis *Febr.* eodemque anno comprehensus est prædictus *Ludovicus* in *Benevento.*

An-

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) Zonaras *hoc anno figit obitum* Michaëlis, *& initium imperii Basilii. Sed* Græcorum *calculus dissidet a calculo* Latinorum, *ut notat Baronius Tomo* 7. *ad an.* Christi 610.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] Hic Auctor genere *Apulus*, in cujus regionis rebus est, fere totus, *Materensis* civis nonnullis reputatus est, ex illa dicendi forma sibi usurpata ad ann. 1023. persuasis: Urbanus *Papa venit in* Materam. Nescio cur hoc eodem argumento non illum fecerint *Antiochenum*, qui ad an. 1098. dicat. Christiani *bellando venerunt usque* Antiochiam. At latinissime dictum, *venire.* pro. *ire.* tritum est: illud minus, quod observavit *Salmasius* ad *Hadrianum Spartiani. redire.* pro. *ire.* sicut. *reddere.* pro. *tradere.* Apud præsentes etiam *Italos* priora illa duo vocabula sæpe confundi, vel pueri norunt. Alii autem *Lupum* crediderunt *Barensem*; *quod ille simpliciter, ac quasi antonomasticos ad an.* 886. *&* 890. Barii *Dynastam Principem vocat.* Ab his minime dissentirem, in rebus enim *Barensibus* multus est *Lupus*, si *Barii*, non *Beneventi* Princeps fuisset *Ajo* ille utrobique descriptus. Erit igitur, dices, *Beneventanus.* Erit, quibus ea argumentatio probatur; eaque etiam genere *Græcus*, *quia sæpe Græcissat*, *ac* Græcos *impense se ostendit amare.* Mihi autem *Apulus* est; quam gentem diu *Græcis*, variaque fortuna olim subditam, & commixtam, pleraque illorum vocabula quotidiano etiam in sermone usurpasse, ac ut fieri per factionem solet, plerosque *Apulos* etiam post sæcula *Græcorum* amorem animo servasse, non est difficendum. Verùm fuerit ne munere, an gente dictus. *Protospata:* fueritque ex *Græci* Proto-

A spatarii muneris nomine gentile deductum suæ genti nomen, comperti nil habeo. Illud novi, in antiquissimi operis lapidea columma apud *Brundusium*, referente *Scipione Ammirato* ubi de Logotheta, & Protonotario, insculptum literis sequioris ævi haberi hoc Epigramma: *Protospata Lupus.* ni inverso ordine legendum sit. *Lupus Protospata.* utpote in orbiculata superficie descriptum, in qua non facile dixeris, quid primum, quid secundum. Si is fuit hic noster, certe vel patria, vel incolatu, aliave occasione *Brundusinus* censendus est. Hæc de Auctoris ge-

B nere: de ætate vide ad an. 1088.

[2] *An.* 861. *Ind.* 9. *Mortuus est* Michaël. *Imp. & surrexit* Basilius Parascensumenus, *filius ejus*] *Michaëlis* obitum alii omnes notant ad an. 867. At *Basilius*, quem *Michaël* in filium adoptavit, pridem fuerat ipsius παρεγκοιμώμενος, *Paracœmomenus.* Latinè. *Accubitor.* quæ vox in Hist. Miscella lib. 17. in hanc simul significationem usurpata, atque in. *Paracœmumenum.* detorta, præsenti est loco restituenda; itemque in *Luitprandi* Legatione, ubi leviori errato legitur. *Paracœnomenus*; & in anti-

C quis quibusdam schedis, quæ habent. *Paracemimenus.* Parum circumspectè nonnulli id verbi verterunt. *Cubicularius. Meursium* vide in Gloss. qui *Xylandrum* suggillat; estque eadem censura dignus *Glaber Rodulfus* lib. 4. cap. 2. & *Codini* interpres *Gretserus* cap. 2. num. 6.; qui postmodum in Commentario ejusdem operis, *Paracœmomenum* nulla attentiori observatione, *Accubitorem cubiculi*, esse exponit. Alii nil melius in Hist. *Curopalatis Præfectum Regii cubiculi.* Ab hujus munere aliud fuit munus *Paramonarii*; qui *Latine. Stationarius*, & *Mansionarius*; deque eo

D alibi in Notis ad antiquum Rituale *Campanæ* Ecclesiæ Cathedralis: nam alter personæ: alter domus custodiæ, & servitio invigilabat.

Anno 875. intraverunt *Græci Barum* menſe *Decembr.* die Natalis Domini, feria 3. & *Gregorius* Stratigo, qui & Bajulus dicebatur [1].

Anno 880. exierunt *Agareni* de *Tarento.*

(*a*) Anno 884. Indic. 2. ſurrexit *Alo* Princeps menſe *Octobris* [2].

Anno 885. mortuus eſt *Baſilius* Imper. & cæperunt regere *Leo*, & *Alexander* filii ejus ann. 26. ſoli, cum eo vero ann. 9.

Anno 886. facta fuit proditio in *Baro menſe Junii*, quando Princeps fecit prælium cum Stratigo *Trapezi*, & *Græcis* [3].

Anno 890. obiit *Alo* Princeps, & ſurrexit *Urſus* frater ejus [4].

Anno 891. intraverunt *Græci Beneventum* menſe *Octobris*, & Stratigo *Sabbatichi* in *Siponto* menſe *Junii.*

Anno 894. exierunt *Græci* de *Benevento* menſe *Aug.* per *Francos* [5].

Anno 900. deſcendit *Meliſianus* Stratigo in *Apulia.*

(*b*) Anno 901. deſcendit *Abraham* Rex *Sarracenorum* in *Calabriam*, & ivit *Coſentiam* Civitatem, (*c*) & percuſſus eſt ictu fulguris.

Anno 912. complentur ab obitu S. *Martini* anni 51 [6].

Anno 913. Ind. prima coronatus eſt *Conſtantius* Imp. filius prædicti *Leonis*, qui regnavit ann. 47. [7]

An-

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod. Duc.* Andr. Alo *creatus eſt Princeps* Barii.

(*b*) *Id accidit juxta* Latinorum *calculum an.* 909. *Vid.* Jo. Diac. *in Actis tranſl. S.* Severini *Abb. & ex eo* Summont. *lib.* 1.

(*c*) *Cod.* Andr. *& cum perveniſſet ad Eccleſiam S.* Pancratii, *fulgure ictus obiit.* Summontius *lib.* 1. *Hiſt.* Neap. *ex Cod.* Andr. *figit obitum hujus Regis* Abrahami *ad an.* 902.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

1 *An.* 875. *Intraverunt* Græci Barum, *menſe* Decembri, *die Natalis Domini*, *Feria* 3.] Reſtituto. *an.* 876. *Intraverunt* &c. quo anno *Chriſti* Natalis incidit in Feriam. 3. *Erchempertus* Num. 38. iſta aliquantò fuſius, actaque dicit, non multo poſtquam Imp. *Ludovicus Lotharii* filius ex hac *Cis-Tyberina Italia* ultimum diſceſſit, deceſſitque, qui in anno ſane obiit 875. Vide Chronol. Comitum *Capuæ* N. 5. par. 13. & 14.

2 *An.* 884. *Ind.* 2. *ſurrexit* Alo *Princeps*, *menſe* Octobris] Si menſe *Octobris*: ergo Indictione 3.; quæ numerari cœpta ab antecedente *Septembri.* Sed non. *Alo.* nec Princeps *Barii*, ut autumant. Cujus Dynaſtiæ nomen ſenſim, & per tempora inductum *Nortmannorum*, ſero Auctoribus expreſſe uſurpatum legitur; ex alia nimirum paulo antiquiori nuncupatione *Ducis*, & *Principis* Apuliæ, & Italiæ natum, de quo nonnihil infra ad an. 1042. ſed uberius alibi: quandoque enim fuit *Apuliæ* caput *Barium.* Scribe igitur. *ſurrexit* Aio: ille inquam, qui Princeps fuit *Beneventi* poſt *Radelchim* 2.; de quo *Erchempertus* Num. 48. *Oſtienſis* lib. 1. cap. 45. aliique recentioribus etſi bene noti, parum tamen bene obſervati; quibus omni ceſſante argumento reputatus ille eſt *Barenſis.* *Alo* autem ex. *Aio.* eodem factum eſt errore, quo in Anonymo *Caſin.* ad an. 1125. *Sulu.* pro. *Suiu.* oppidi nomen ad dexteram *Lyris* ripam a medicinalibus aquis clarum: & in *Oſtienſi* lib. 1. cap. 17. & 18. *Calazzano.* lib. 2. cap. 26. *Papinlanus.* pro. *Papinianus.* lib. eod. cap. 72. *Decinlanum.* pro. *Decinianum.* & lib. 3. cap. 19. *Minlanenſis.* pro. *Minianenſis.* quod etiam nomen reſtitui debet apud eundem Auctorem l. 2. cap. 63.; pro quo Editio *Neapolitana* habet: *Mutelanenſis*: *Veneta* autem vero magis accedens. *Minlanenſis*: antiqui enim Librarii minuſculum. *i.* eadem altitudine, qua minuſculum. *l.* depingentes, anſam errandi minus attentis lectoribus dedere; qui nihilominus hanc in iis differentiam ſervarunt: nempe parvulum. *l.* ab

A ima parte, ut modò etiam fit, leviter dextrorſum inflectentes.

3 *An.* 886. *Facta fuit proditio in* Baro *menſe* Junii, *quando Princeps fecit prælium cum Stratigo* Trapezi, & Græcis.] De hac proditione, ac *Barenſium* rebellione *Erchempertus* Num. 76. deque regione a Principe *Beneventi Ajone* tunc pervaſa *Cedrenus* pag. 489. qui id refert ad an. 2. Imperii *Leonis* 6. (hic fuit *Chriſti* 887.) eundemque Principem primitivo, ac deſueto nomine appellat *Ducem*, & depravatè Ἀγγαίων. *Angæum.* Certè in *Lupo* annus 886. vacillat. confer etiam *Erchempertum*

B dicto loco cum Chronico Comitum *Capuæ* Num. 9. Cæterum adverſus Principem *Ajonem* miſſum ab Imperatore *Conſtantinum*, dignitate Patritium, idem *Cedrenus Erchemperto* concordans perhibet; quem ipſe unaque *Lupus* a munere ſimul, & dignitate appellat *Græco* vocabulo. τὸν Τραπέζην. *Trapezim.* id eſt *Dapiferum.* ſic enim vertunt id verbi in *Nicephoro Gregora* lib. 7.

4 *An.* 890. *Obiit Alo Princeps*, & *ſurrexit* Urſus *frater ejus.*] Idem hic eſt *Ajo*, de quo ſupra, *Beneventi* Princeps; poſt quem *Urſus* quidem ſurrexit, ſed ejus filius, non frater. Vide

C Fragm. Anonymi *Beneventani* Num. 1. & Chronicon S. *Sophiæ* Par. 2. Num. 12.

5 *An.* 894. *Exierunt* Græci *de* Benevento *menſe* Auguſti *per* Francos.] Nempe per Ducem *Spoletii Guidonem.* Quanto autem tempore *Græci Beneventum*, in anno a ſe pervaſam 891. menſe *Octobris*, obtinuerint, variant Anonymus *Salern.* Par. 4. Num. 4. & ſeq. *Oſtienſis* lib. 1. cap. 48. & Chron. S. *Sophiæ* Par. 2. Num. 13. & 15. Sed in hoc conveniunt, non minorem eis ſpatium tribuentes annorum quatuor. Igitur exierunt *Græci* in anno 895. de quo in Principum *Beneventi*

D Chronologia pluribus.

6 *An.* 912. *Complentur ab obitu S.* Martini *anni* 51.] Suppleo Typographi defectum, ſcriboque. *anni* 510. nam *Lupus* æque ac *Sigebertus* Sancti *Martini* obitum ad *Chriſti* annum retuliſſe videtur 402. *Rigordus* de Geſtis *Philippi* Auguſti a cæteris omnibus abſurdiſſime diſcrepans, quos vide apud *Petavium* in de Doctrina, & in Rationario temporum Part. 2. lib. 4. cap. 12. fluxiſſe tradit ab Incarnatione Domini uſque ad tranſitum S. *Martini* annos 445. a cujus morte *Franci* conſueverunt tempora ſupputare, ut pridem ob-

E ſervavit *Baronius* ad an. 351.

7 *An.* 913. *Ind.* 1. *coronatus eſt* Conſtantius *Imp.* &c.] Verè hic dictus eſt *Conſtantinus*, non *Conſtantius.* utriuſque tamen nominis ob affinitatem ſæpe invicem facta eſt confuſio, quod docti viri notarunt: ſicuti nomen quoque *Maximini* Imp.

Ff 3 tranſ-

(*a*) Anno 916. exierunt *Agareni* de *Gariliano*, & sunt anni 350. quo intraverunt *Langobardi* in *Italiam* sub *Alboun* Rege eorum [1].

Anno 916. explentur 40. anni, ex quo *Agareni* introierunt in *Italiam* [2].

Anno 920. introierunt *Ungari*, ideſt *Unni* in *Italiam* menſe *Februarii*.

(*b*) Anno 921. Interiit *Urſileo* Stratigo in prælio de *Aſculo* menſe *Aprilis*, & apprehendit *Pandulphum Apuleo* [3].

(*c*) Anno 924. capta eſt *Oria* a *Sarracenis* menſe *Julii*, & interfecerunt cunctas mulieres, reliquos vero deduxerunt in *Africam* cunctos venundantes. *Cod.* Andr. *& hoc anno* Euſebius *obiit* Cluſii.

(*d*) Anno 926. comprehendit *Michaël Sclabus Sipontum* menſe *Julii* [4].

Anno 927. fuit excidium *Tarenti* patratum, & perempti ſunt omnes viriliter pugnando: reliqui vero deportati ſunt in *Africam*. Id factum eſt menſe *Auguſti* in feſtivitate Sanctæ *Mariæ* [5].

Anno 929. Indict. 2. *Pandulphus*, & *Guaymarius* (*e*) Principes intraverunt in *Apuliam* [6].

Anno 936. venerunt *Ungari Capuam*.

Anno 939. obſcuratus eſt Sol, & apparuerunt ſtellæ menſe *Julii* (*f*) aſtante tres dies, feria 3. ad horas tres, Luna 29.

(*g*) Anno 940. introierunt *Ungari*, vel *Unni* in *Italiam* menſe *Aprilis*, & factum eſt

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Reponerem for.* 918. *Sed pag. ſequ. eundem numerum* 916. *firmat hic Auctor. Vid. ad an.* 966.

(*b*) *Cod.* Andr. *Commiſſum eſt prælium in Civitate* Aſculi, *inter* Pandulphum, *qui captus eſt*, *&* Urſileonem *Strategum*, *qui interiit.*

(*c*) *Cod.* Andr. *pro* Landulpho *ſemper habet* Neldulphum: *ſed vitio, ut puto, librarii.*

(*d*) *Cod.* Andr. Itatachel Slavorum *Rex cum ſuo exercitu obſedit*, *& cepit* Sipontum, *menſe* Julio, *die S.* Felicitatis, *feria* 2.

(*e*) *Cod.* Andr. *Principes* Langobardorum.

(*f*) *Cod.* Andr. *menſe* Julio, *die* 3. *fer.* 3. *hora* 3. *Luna* 29.

(*g*) *De hac* Ungarorum *excurſione* Sigonius *lib.* 6.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

tranſivit in. *Maximiani* in Actis S. *Barbaræ* apud antiquum *Capuæ* Breviarium; ibique in Actis etiam legitur S. *Rufini Campanos* aliquos *Langobardos* ejuſdem Divi *Rufini* nomen cum nomine commutaſſe S. *Rufi.*

[1] *An.* 916. *exierunt* Agareni *de* Gariliano, *& ſunt anni* 350. *ex quo intraverunt* Langobardi *in* Italiam.] Sunt hæc invicem ſeparanda. *Agarenorum* exterminatio de *Gariliano* ad annum referenda eſt 915. de quo vide Seriem Abbatum *Caſin.* in *Joanne.* 1. Collectio autem annorum ab adventu gentis *Langobardicæ* figenda ad annum eſt 916. nempe juxta *Lupi* computum, quem pari calculo, ad an. 966. & ad ann. 1083. *Langobardorum* Epocham ad annum *Chriſti* retuliſſe volunt 566. Ibi tamen vide. & ad Anon. *Caſin.* ad an. 1172.

[2] *An.* 916. *explentur* 40. *an. ex quo* Agareni *introierunt in* Italiam.] Otioſe repetitur annus *Chriſti* 916. nam Auctor antecedentem, præſentemque collectionem ſub unico notarat contextu. D Sed hæc ſumma annorum 40. neque ex vero, neque ad *Lupi* eſt mentem, qui dixerat: Agarenos *a* Baro *exiiſſe in an.* 868. *Saraceni* enim *Barium* advenerunt in anno fere 840. *Erchempertum* vide Num. 16. Ignotum *Caſin.* Num. 4. & quæ ibi notavi ad oram, ubi legendum. *An annos*, &c. ambigue, & per interrogationem.

[3] *An.* 921. *Interiit* Urſileo *Stratigo in prælio de* Aſculo, *menſe* Aprilis, *& apprehendit* Pandulfum Apuleo.] Si in prælio illo interiit Dux *Græcus*, certe *Landulphus* Princeps (nullus enim tunc in hac *Cis-Tyberina Italia* vivebat *Pandulfus*) apprehendit, hoc eſt cepit *Apuliam*; nec ipſe ab ignoto hoc *Apuleone* apprehenſus, hoc eſt captivus factus eſt. Sane Princeps *Pandulfus*, qui a *Græcis* tempore Imp. *Othonis*. 1. bello victus in illorum venit poteſtatem, ac duobus non integris annis in vinculis tentus eſt, de quo Anonymus *Salern.* Part. 7. num. 4. & 6. cum hoc, ſive dicas *Landulfo*, ſive *Pandulfo*. confundendus non eſt. Eſt autem de eo capiendus *Cedrenus* pag. 536. apud quem tamen depravate appellatur. Δανδοῦλφος. *Dandulphus.* & imperite. Ῥὴξ *Rex.* eademque cum ſimul perhibeat *Curopalates*, eodem vitio laborat. Nec de alio Principe *Luitprandus Ticinenſis* in Legatione, ubi perhibet, *Principem* Landulfum *ſeptennio poteſtative* Apuliam *ſibi ſubjugaſſe.*

[4] *An.* 926. *Comprehendit* Michaël Sclabus Sipontum, *menſe* Julii] Scriptus Codex Ducis *Andriæ* addit captam *Sipontum die Sanctæ* Felicitatis, *Feria* 2. quæ in Kalendariis notatur 6. Idus *Julii*; vereque deſcripto anno dies illa in ſecundam incidit Feriam: quod noto, ut hinc conſtet, *Lupum* non ſemper in annis *Chriſti* ab aliis diſcrepare. Vide etiam hic ad annum 1053.

[5] *An.* 927. *Fuit excidium* Tarenti *patratum*, &c.] Hæc *Marinus Freccia* de Subfeudis lib. 1. cap. de Prov. & Civit. Regni, ut pleraque alia C ex hoc Auctore mutuatus, in annum refert 928. cujus Codices qua ipſius, qua Typographi incuria multis cum ſcateant mendis, caute ad hanc *Lupi* cenſuram ſunt adhibendi.

[6] *An.* 929. *Ind.* 2. Pandulfus *&* Guaimarius *Principes intraverunt in* Apuliam] Iſta paulo fuſius in Anonymo *Salernitano* inedito; apud quem non *Pandulfus*, ſed ut dicebam. *Landulfus Guaimario* Principi *Salernitano* novo fœdere junctus, *Apuliam* iterum invaſit: ſive jam pervaſam armis retinere ſtuduit. Quia ab Imp. *Leone* 6. jam pridem in an. 910. Patritiatus honore decoratus, cum ab *Græcis*, ut ſuperius dictum eſt, in anno deſciviſſet 921. iterum ad officium poſtea rediit; namque in Tabulario *Campanæ* Eccleſiæ S. *Angeli* in *Formis* data legitur antiqua chartula *in anno* 26. *Imp.* Conſtantini, *Principatus* Landulfi *anno* 35. Atenulfi *fratris* 25. Atenulfi *filii anno* . . . . . *menſe* Aprilis, *Indictione octava. Capuæ.* quæ de anno eſt *Chriſti* 935. conſimileſque alias plures obſervare eſt per ſubſequentes annos ad annum uſque 30. *Imp.* Conſtantini; 40. Landulfi; 30. Atenulfi *ejus fratris*; 7. Atenulfi *filii* (ſcribo 8.) 1. Landulfi *filii ſuperius dicti* Landulfi, *menſe* Febr. *Ind.* 13. hoc eſt ad annum E *Chriſti* 943. quo anno iterum ad arma *Græci*, ac *Langobardi* redierunt, ut infra ex *Lupo.*

est prælium in *Matera* a *Græcis* cnm *Langobardis* cum Stratigo *Imogalapto* & negavit eum *Pao* in mari [1].

Anno 942. obiit *Pandulphus* Princeps die 10. mensis *Aprilis* [2].

Anno 945. Ind. 3. ceciderunt *Romanus*, & *Ubo* mense *Decembri*, & perierunt *Ungari* a Rege *Othone* [3].

Anno 946. factum est homicidium *Bari* mense *Decembris*, inter Cives.

Anno 947. Introierunt *Ungari* in *Italiam*, & perrexerunt usque *Hydruntum*. Et *Platopidi* (*a*) sedit in Civitate *Cupersani*, & fuit eo anno bonus introitus (*b*) per omnem terram.

Anno 950. obsederunt *Græci Asculum*, & obtinuerunt.

Anno 951. (*c*) *Malachianus* fecit prælium in *Calabria* cum *Sarracenis*, & cecidit.

Anno 955. descendit *Marianus* Patritius in *Apuliam*.

Anno 956. Incensi sunt (*d*) *Murancius* Cleri, & *Excelsula* in *Baro* [4].

Anno 960. Indict. 3. obiit *Constantinus* Imp. qui regnavit ann. 47. & surrexit *Romanus* filius ejus, & fuit prælium inter (*e*) *Adralistum*, & *Ismaël*.

Anno

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod.* Andr. Platopondius.
(*b*) *Cod.* Andr. *boum interitus.*
(*c*) *For.* Melesianus, *idem qui supra ad ann.* 900.
(*d*) *Cod.* Andr. Marraccius *de* Cremero, *&* Fesulus *combusti sunt* Barii.
(*e*) *Cod.* Andr. Adrascum.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 940. *Factum est prælium in* Matera *a* Græcis *cum* Langobardis *cum Stratigo* Imogalapto, *&* *negavit eum* Pao *in mari*] Fueritne *Græcis* hujus Ducis nomen ex nomine ductum Ὁμογάλακτος: sive dicas agnomen; quod valet. *Collactaneus.* non definio. At illud. *negavit.* vel stat pro. *necavit*: promiscua enim fuere elementa. *c.* & *g.* ut in *Sico.* & *Sigo. Acerentia*, & *Agerentia*, &c. de quo alibi: vel stat pro. *in aquis necare*, & *submergere.* Leges *Alamannorum* Tit. 84. §. 3. *si quis aliquam clausuram in aquam fecerit*, *& ipsa aqua inflaverit*, *& ibi alicujus pecus negaverit*, &c. sed ibi intransitive. *Pao* autem quisquis ille, si modo sincera ea est lectio, Strategum videtur necasse. De *Langobardis* nil certi statuo, copiæ ne illæ fuerint præfati Principis *Landulfi*, an *Salernitani* Principis *Gisulfi*, qui ætate triennis, sive quadriennis *Guaimario* 2. patri successerat in anno 933. sub tutore *Prisco*. Sed vide an ad hos referas annos, quæ *Luitprandus* lib. 4. cap. 4. Sanè antiqua Chartula apud nostri *Michaëlis Monachi* Sanctuarium pag. 634. data legitur *anno* 33. *Imp.* Constantini; 43. *Principatus* Landulfi (scribendum 41.) 9. Atenulfi *ejus filii.* *&* 2. Landulfi *alterius filii prædicti* Landulfi. *mense* Magio, *Indict.* 14. quæ de anno est *Christi* 941. Illa igitur ætate nostrates Principes *Langobardi* varia usi fortuna, modo *Græcis* hostes, modo obnoxii fuere: nunquam tamen ditionem universam amiserunt. Idem *Luitprandus* in Legatione Imperatorem *Nicephorum* sibi exprobasse ait, quod *Principum* Capuæ, *&* Beneventi *Patres*, *&* *Avi suo Imperio tributa persolverint.* Nec doctissimo assentior Baronio, qui in Annal. ad an. 942. num. 11. *eo tempore*, inquit, Constantinopolitanos *potitos esse* Calabria, Apulia, *atque ea* Campaniæ *parte*, *quam* Volturnus *alluit*, *posita antea sub ditione Ducum* Langobardorum Beneventi, *&* Capuæ. Pro me certe ipsum stat Privilegium ab eodem *Baronio* ibidem ex Chronico S. *Vincentii* ad Fontes *Volturni* relatum; quo Impp. *Romanus*, & *Constantinus die* 2. Aprilis *Indictione* 15. (hic est annus *Christi* 942) *indulsere præfatæ Ecclesiæ*, *&* *Monasteriis*, *quæ sub ea sunt mansione*, *ut excusarentur ab omni tentatione* (scribo. *datione.*)

A *angaria publica*, *&* *ab ipsis Patritiis*, *&* *Strategis* Græcorum. &c. *Insuper ab ipsis* Langobardis *Patritiis*, *Castaldeis*, *vel ab omni homine* Græco, *&* Langobardo, *cui creditur servitium publicum* Patritiorum *Langobardorum* appellatione nostrates certe veniunt Principes, ea tunc dignitate, dum *Græcis* parebant, decorati. Quod cum dicam, minime tamen *Beneventanos* Dynastas, nec *Salernitanos* omnem tunc retinuisse antiquam ditionem pronuncio, de quibus alibi fuse.

[2] *An.* 942. *Obiit* Pandulfus *Princeps die* 10. *mensis* Aprilis] Editus Codex suæ insistit lectioni, ego meæ, & insuper scribo. *An.* 943. *obiit* Landulfus, &c. nam de hoc Principe ad annum usque 43. *ejus Principatus*, 3. *Kal.* Februarii, *Indictione.* 1. qui fuit *Christi* jam dictus annus 943, mentionem in Chartulis legi, ulterius vero nullam.

[3] *An.* 945. *Ind.* 3. *ceciderunt* Romanus, *&* Ubo *mense* Decembri] Horum alter *Græcorum* Imp; alter Rex *Italiæ*, quorum obitus ad unum referri non debuit annum. Cecidit *Romanus* anno 944. mense *Decembri*, Indictione 3. inchoata. *Ubo*, sive *Ugo*, vel *Uvo*, nam idem, in anno sequenti; licet alii illum defunctum dicant aliquanto post. *Ubo* autem, ut dixi, & *Uvo*, & *Ugo* ob literarum. *b. v.* & *g.* affinitatem idem valent. In Catalogo Pontificum *Romanorum* in M. S. Cod. S. *Mariæ* Monialium *Capuæ* in *Eutychiano*: *Iste constituit fruges super Altare tantum Favæ*, *&* *Ubæ benedicerentur*, pro. *Fabæ.* & *Uvæ.* In Actis S. *Sebastiani* Martyris apud *Campanum* Breviarium Lucina *Matrona religiosissima* ex viso monita *levans eum*, *posuit in Pavone suo.* Glossis *Isidori*, *Pavo.* dicitur. *Pabo*, quod esse interpretatur. *Vehiculum unius rotæ.* pro quo non oportebat substituere, *posuit in Pilento suo.* Sicuti nec mutandum ibidem fuit. *adduxit ad domum suam per scalam excelsam.* pro. *add. in dom. suam in insula excelsa*, *ubi manebat in Palatio.* Nec *in Hippodromum Palatii.* pro *in Epidromum.* nec tandem. *pendens in unco:* pro. *pendens in gonpho:* sive. *gompho*, ἐν γόμφῳ hoc est, *Clavo*, quæ sinceræ erant antiquorum omnium Codicum lectiones. *Epidromus* sane, sive *Hypodromus*, longe aliud ab *Hippodromo*: disparitatem observavit *Sirmondus* ad *Sidonium*, & ex eo *La Cerda* in Adverf. Sacris. De ejusmodi consimili Porticu, quæ locus facta est tormentorum, *Synesius* epist. 57. & *Suidas* ubi de *Menandro* Protectore. In Palatio autem, scilicet in *Romanæ* urbis decima regione, hoc appellata vocabulo, Insulas fuisse duo millia sexcentum quadraginta quatuor, *P. Victor* auctor est. Sed hæc obiter.

[4] *An.* 956. *Incensi sunt* Murancius *Cleri*, *&* Excelsula *in* Baro] Melior videtur lectio in Cod.

Ducis

Anno 961. capta est Insula *Cretes* a *Græcis* sub *Romano*, mense *Martii*, & (*a*) *Titabomen* capta est a *Sarracenis*, & obscuratus est Sol.

Anno 963. obiit *Romanus* Imperator, & elevatus est *Nichiphorus*, qui regnavit ann. 7. & *Otho* Rex intravit *Romam*, & obscuratus est Sol.

Anno 965. introivit (*b*) *Manuyci* Patritius in *Siciliam*, & ibi mortuus est [1].

Anno 966. Introivit *Nichiphorus* (*c*) Magister in Civitatem *Bari*, & sunt anni 400. ex quo (*d*) introierunt *Langobardi* in *Italiam* [2].

Anno 967. descendit *Otho* Rex, & senex, pater *Othonis* Regis, qui (*e*) pugnavit cum *Bulcassimo Sarracenorum* Rege, & interfecit eum [3].

Anno 969. introivit *Otho* Rex in *Apuliam* mense *Martii*, & obsedit Civitatem *Bari* irrito conatu, & in alio anno intravit in *Calabriam* mense *Octobris*, & Sol obscuratus est mense *Decembris*.

Anno 970. occidit *Simischi Nichiforum* Imp. & elevatus est ille.

Anno 972. pugnavit *Asto* filius *Transamundi Marchisii* cum (*f*) 40. mil. *Sarracenorum*. *Caytus* eorum *Bucobolus* vocabatur, & vicit *Asto* cum 60. suis prosequens *Agarenos* usque *Tarentum*.

Anno 973. Ind. 1. (*g*) obiit *Passarus* Protospata.

Anno 975. *Ismaël* interfectus est, & *Zacharias Botuntum* cæpit.

Anno 976. obsederunt *Sarraceni Gravinam* irrito conatu, & obiit *Simischi* Imp. qui & *Joannes*, & cæperunt regnare *Basilius*, & *Constantinus* germani.

Anno 977. incenderunt *Agareni* Civitatem *Oriæ*, & cunctum vulgus in *Siciliam* deduxerunt.

Anno 978. mortuus est *Joannes* Episcopus, & surrexit *Pao* Archiepiscopus.

Anno 979. Occidit *Porphyrius* Protospata *Andream* Episcopum *Oretanum* mense *Augusti*.

(*h*) Anno 981. fecit prælium *Otho* Rex cum *Sarracenis* in *Calabria* in Civitate *Cotruna*, & mortui sunt ibi 40. mil. *Pœnorum* cum Rege eorum, nomine *Bulcassimus*.

Anno

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod.* Andr. Zatrobomen.

(*b*) *Cod.* Andr. Manuël.

(*c*) *Cod.* Andr. *non addit*, *Magister*.

(*d*) *Id intellige a capta in* Italiam *expeditione: nam alioqui Historici fere omnes consentiunt*, Langobardos *cum* Alboino *ingressos esse* Italiam *an.* 568. *die* 2. April. *fer.* 2. *post Pascha*, *Indict.* 1.

Ita etiam intelligo hunc Scriptorem infra ad an. 1083. *Sed dicere etiam possumus* (*quod fortassis propius erit* Protospatæ *menti*) Græcos, *ut acute* Herwartus *observat*, Christi *Epocham biennio citius figere. Denique facile fuit*, *hunc scriptorem falli*, *ob* Dionysii *corruptum a librario Cyclum: quod sphalma etiamnum extat apud* Bedam *Tomo* 3. *Ibi enim Cyclus* Dionysii *habet Pascham Kal.* Aprilis *non anno* 568. *ut* Paulus Diac. *refert lib.* 2. *cap.* 7. *sed ann.* 566. *Vide*, *Lector*, *quanti referat emendatos libros habere.*

(*e*) *Cod.* Andr. *Pugnavit cum* Bulcassimo Sarracenorum *Rege*, *&* *interfecit eum*, *&* *in eo prælio perierunt XL. millia hominum.*

(*f*) *Cod.* Andr. 14. *millia* Sarracenorum *Dux eorum dicebatur* Bucobolus.: *&* Otho *in subsidium misit sex millia suos: prosequens* Agarenos Tarentum *usque.*

(*g*) *Cod.* Andr. *Anno* 975. *obiit* Passarus *Protospatarius.* Ismaël *interfectus est*, *&* Zacharias Bituntum *cepit.*

(*h*) *Cod.* Andr. *anno* 981. Sipontini, *&* Asculani *præliati sunt in* Valle Sentilli.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

Ducis *Andriæ*. Marraccius *de* Cremero, *&* Fesulus. &c. *Freccia* id figit ad an. 966; sed ex Typographi vitio; atque cum Indictione componit 14; quæ in annum incidit 956. combustos dicens *Barii Marancium*, & *Thesulum* magnos Duces.

[1] *An.* 965. *Introivit* Manuyci *Patritius in* Siciliam, *& ibi mortuus est*] Cod. *Andr.* habet. *Manuel.* a quo stat etiam *Cedrenus* pag. 539.

[2] *An.* 966. *Introivit* Nichiphorus *Magister in civitatem* Bari, *& sunt anni* 400. *ex quo introierunt* Langobardi *in* Italiam.] *Nicephorus* iste in vita B. *Nili* e *Græco* in *Latinum* versa ab *Caryophilo*. *Magister*. (honoris, & muneris id nomen) dictus etiam reperitur; *qui regebat utramque Provinciam*, Italiam, *&* Calabriam *nostram* (sic ibi) cumque *Chelandia* (navigia sunt) fabricari fecisset, incensa sunt a *Rossanensibus*, qui B. *Nili* intercessione vindictam effugerunt. *Lupus* autem tum hoc loco, tum supra ad an. 916, tum tandem infra ad an. 1083. constanti, eademque perversa sententia Epocham *Langobardorum* ad annum statuisse videtur *Christi* 566; nam constat ex Paulo Diac. lib. 2. cap. 6. sive 7. *Alboinum* illorum Regem e *Pannonia* cum omni suo Populo egressum, *Italicum* iter arripuisse mense *Aprili*, *per Indictionem primam*, *alio die post sanctum Pascha*; *cujus festivitas eo anno*, *juxta calculi rationem*, *ipsis Kal.* Aprilibus *fuit*; *cum jam a Domini Incarnatione anni quingenti sexaginta octo essent evoluti.* Hæc *Paulus*, tempora perite consignans. Veruntamen alia quadam interpretatione *Lupi* verba esse excipienda, ejusque textum in annorum numeris depravatum haberi, dicam ad an. 1083.

[3] *An.* 967. *Descendit* Otho *Rex*, *& senex*, *pater* Othonis *Regis*, *qui pugnavit cum* Bulcassimo Saracenorum *Rege*, *& interfecit eum*] Codex *Andr.* addit, *& in eo prælio perierunt* 40. *millia hominum.* Utraque autem simul juncta Editus *Lupi* Codex iterat ad an. 981. de quo etiam dixi in Historia Principum *Langobardorum* pag. 221. sed ibi, ne textum ad meæ sententiæ præsidium, quam tunc firmare conabar, viderer castigare, indefinitum manere volui, ad quem annum hæc sint absolute referenda: modo cum constet, tum ex ibidem, tum ex dictis in Serie Abb. *Casinensium*, ubi de *Aligerno*, *Othonem* 2. a *Lupo* appellatum. *senem.* ad discrimen *Othonis* 3. qui *puer* dictus est, vere in anno 981. cum *Saracenis* in *Calabria* prospere conflixisse: cumque in omnibus antiquis monumentis nulla de altero, anteriorique illo conflictu sit mentio, nec de adventu quidem ipsius Imperatoris in hanc *Cis-Tyberinam Italiam* ante annum 968. delenda hæc prorsus esse, tamquam loco non suo posita, constanter pronuncio.

Anno 982. tradita est Civitas *Barii* in manus *Chalochyri* Patritii, (*a*) qui & *Delfina*, a duobus fratribus *Sergio*, & *Theophilacto* mense *Junii* XI. die; & *Otho* Rex obiit *Romæ*.

Anno 983. apprehendit (*b*) prædictus *Delfina*, Patritius, Civitatem *Asculum* mense *Decembris*.

Anno 985. Descendit *Romanus* Patritius cum filio suo in *Apuliam*.

Anno 986. comprehenderunt *Sarraceni* (*c*) Sanctam *Chiriachi* Civitatem, & dissipaverunt *Calabriam* totam [1].

Anno 987. occisus est (*d*) *Sergius* Protospata a *Barensibus* mense *Februarii*, & mortuus est (*e*) *Adraliscus* a *Nicolao Crioti* mense *Augusti* XV. die, & obscuratus est Sol [2].

Anno 988. Indict. prima depopulaverunt *Sarraceni* Vicos *Barenses*, & viros, ac mulieres in *Siciliam* captivos duxerunt.

Anno 989. descendit *Joannes* Patricius, qui & *Ammiropolus*, & occidit *Leonem Cannatum*, & *Nicolaum Critis*, & *Porphyrium*.

Anno 990. occisus est *Bubalus*, (*f*) & *Petrus* Exubitus mense *Martii*.

Anno 991. fecit bellum (*g*) *Asto* Comes cum *Sarracenis* in *Tarento*, & ibi cecidit ille cum multis *Barensibus*.

Anno 992. magna fames per totam *Italiam*, & annonæ caritas.

Anno 993. defunctus est *Pao* Archiepiscopus, & *Chrysostomus* elevatus est [3].

Anno 994. obsessa est *Matera* a *Sarracenis* tribus mensibus, & quarto capta ab eis. *Cod.* Andr. *in qua mulier quædam fame coacta proprium comedit filium.*

Anno 997. occisus est *Marcho Theodorus* Excubitus in Civitate *Oriæ* a *Smaragdo*, & *Petro* germanis [4].

Anno 998. venit (*h*) *Busitus* Coytus cum prædicto *Smaragdo Barum* mense *Octobris*, & prædictus *Smaragdus* Eques intravit *Barum* per vim a porta Occidentali, & exiit iterum: tunc *Busitus* cognita fraude discessit [5].

Anno 999. descendit (*i*) *Trachamotus* Catapanus [6], qui & *Gregorius*, & obsedit Civitatem *Gravinam*, & comprehendit *Theophilactum*.

Anno Domini 1000. Indic. 13. captus est prædictus *Smaragdus* a *Trachamoto* mense *Julii* XI. die, & obiit Rex *Otho Romæ*.

Anno 1002. obsedit *Saphi* Caytus *Barum* 2. *Maji* usque ad Sanctum *Lucam* mense *Octobris*, tunc liberata est per *Petrum* Ducem *Veneticorum* [7]. *Cod.* Andr. *a bona memoria dictum.*

Anno 1003. Indict. prima *Sarraceni* obsederunt Montem *Scaviosum* mense *Martii*: & nihil profecerunt.

Anno 1005. rediit *Durachium* in manus Imperatoris per *Theodorum*.

Anno 1006. descendit (*k*) *Xyphea* Catapanus mense *Julii* [8].

Anno

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod* Andr. *qui & Prima.*
(*b*) *Cod.* Andr. *prædictus Prima.*
(*c*) *Cod.* Andr. *Sanctam Civitatem* Hyeracem.
(*d*) *Cod.* Andr. Sergius *Protospatarius.*
(*e*) *Cod.* Andr. Adralistus *a* Nicolao *de* Crito.
(*f*) *Cod.* Andr. & Petrus Porphyrus.
(*g*) *Cod.* Andr. Otho *Comes.*
(*h*) *Cod.* Andr. Busichius *Caycus.*
(*i*) *Cod.* Andr. Tratamorus.
(*k*) *Cod.* Andr. *in* Apuliam.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 986. *Comprehenderunt* Saraceni *Sanctam* Chiriachi *civitatem*] *Constantinus Porphyrog.* De Them. lib. 2. Them. 10. oppidulum nomine dicit. Sanctæ *Cyriacæ*, scribendum igitur in *Lupo*: *Sanctæ* Cyriacæ *civitatem.*

[2] *An.* 987. *occisus est* Sergius *Protospata a* Barensibus *mense* Februarii, &c.] *Freccia* addit: *Indictione* 5. *die* 15. Februarii.

[3] *Ann.* 994. *Obsessa est* Matera *a* Saracenis. &c.] *Freccia* hoc ad an. refert 996.

[4] *An.* 997. *Occisus est* Marcho Theodorus *Excubitus*, &c.] Latine. *Excubitor*, sed populari tunc sermone. *Escubito*: unde in Latinam formam. *Excubitus*: sed non *Latine.* Nec aliter leges ad an. 990. & 1017. ubi depravate. *Exubitus*, muneris nomen in Aula *Græci* Imperatoris, de quo frequens mentio in Historia Miscel-

A la, & apud alios. id valet, quod *corporis custos*, & *vigil.* quo munere plures simul erant, unde. *Comes Excubitorum.* Et apud Constant. Porph. De Them. l. 1. Th. 12. *Præfectus Regii agminis, quod Excubitorum dicitur.*

[5] *An.* 998. *Venit* Busitus, &c. *Et prædictus* Smaragdus *Eques intravit* Barum *per vim a Porta Occidentali*, *& exiit iterum*, &c.] *Freccia* sic. *Indictione* 11. (scribe 12.) Smaragdus *vi per Portam Orientalem ingressus est* Barim, *& cognitis insidiis, recessit.*

[6] *An.* 999. *Descendit* Trachamotus *Catapanus*,

B &c.] Codex Andr. *Tratamorus.* Freccia. *Drachamotus.*

[7] *An.* 1002. *Obsedit* Saphi *Caytus* Barum 2. Maji *usque ad* S. Lucam *mense* Octobris : *tunc liberata est per* Petrum *Ducem* Veneticorum] Freccia. & *auxilio* Petri, *dicti Bonæ memoriæ liberata est*, sic etiam Codex *Andr.* Est autem *Caytus*, sive *Gaytus*, militaris muneris nomen apud *Saracenos.* Idem Lupus ad an. 972. *Caytus eorum* Bucobulus *vocabatur*, & apud *Ugonem Falcandum* sæpe, estque hoc *Saphi* nomen hic restituendum ad an. 1009. ubi modo legitur. *Cayti Sati.* Cæ-

C terum, *Kaisus*, in Hist. *Nonnosi* apud *Photium* proprio nomine sic dictus vir fuit Princeps *Saracenorum.*

[8] *An.* 1006. *Descendit* Xyphea *Catapanus mense* Julii] *Freccia* habet. *Siphea Catapanus capta* Apulia, Bari *obiit.* Sed de ejus obitu *Lupus* anno sequenti. Codex *Andr. Descendit in* Apuliam Xyphea, &c.

Anno 1007. defunctus est prædictus Catapanus in Civitate *Bari.*

Anno 1008. descendit (*a*) *Curcua* Patritius mense *Maji* [1].

Anno 1009. cecidit maxima nix, ex qua siccaverunt arbores olivæ, & pisces, & volatilia mortua sunt, & mense *Maji* incepta est rebellio, & mense *Augusti* apprehenderunt *Sarraceni* Civitatem *Cosentiam* rupto fœdere nomine Cayti *Sati.*

Anno 1010. [2] obiit *Curcua*, & descendit *Basilius* Catapanus cum *Macedonibus* mense *Martii*, & *Syllistus* incendit multos homines in Civitate *Trani.*

Cod. Andr. *eodem anno* 1010. Langobardia *rebellavit a Cæsare opera* Melo *Ducis: isque accurrens præliatus est* Botunti *contra* Barenses, *ubi ipsi obierunt*, & Ismael *præliatus est cum* Græcis *in Monte* Pelusio, *ubi peremptus est Dux.*

Cod. Andr. Basilius *Catapanus* Barium *obsidione cinxit a die* XI. Aprilis *usque ad* XI. Junii, & *cæpit eam cum quibusdam conditionibus.*

Anno 1014. venit *Henricus* Imp. *Romam* mense *Februarii*, & *Caßanus* incensa est mense *Augusti.*

Anno 1015. apparuit Cometa mense *Februarii*, & *Samuel* Rex obiit, & filius regnavit.

Anno 1016. occisus est filius prædicti *Samuelis* (*b*) ab ejus consobrina filio *Aroni*, & regnavit ipse, & Civitas *Salernum* obsessa est a *Sarracenis* per mare, & per terram: & nihil profecerunt.

Anno 1017. obiit *Butunti* (*c*) *Mesardoniti* Catapanus, & mense *Novembris* interfectus est *Leo* frater *Argiri*, & descendit *Turnichi* Catapanus mense *Maji*, & fecit prælium cum *Melo*, & *Normannis*. *Leo Patianus* Exubitus [3] iterum mense *Julii* 22. die prælium fecit prædictus *Turnichius* Catapanus, & vicit *Melum*, & *Normannos*, & mortuus est *Patianus* ibi.

Anno 1018. Indict. prima descendit *Basilius* Catapanus, qui & *Bugianus* [4], & *Abalautius* Patricius mense *Decembris*, & *Ligorius* (*d*) *Tepoteriti* fecit prælium *Trani*, & occisus est ibi *Joannatius* Protospata, & *Romoald* captus est, & in *Constantinopolim* deportatus est.

Anno 1019. fecit prælium supradictus *Bugianus* mense *Octobris* cum *Francis*, & vicit, & *Melus* fugiit cum aliquibus *Francis* ad *Enricum* Imp. *Cod.* Andr. & *hoc prælium factum est ad Civitatem* Cannensem.

Anno 1020. descenderunt *Sarraceni* cum *Rayca*, & obsederunt *Bisinianum*, & illud apprehenderunt. Et hoc anno mortuus est ipse *Amira*, & *Melus* Dux *Apuliæ.*

Anno 1021. captus est (*e*) *Dattus*, & intravit in Civitatem *Barum* equitatus in Asina, 15. *Junii.*

Anno 1022. venit *Enricus* Imp. *Beneventum* mense *Martii*, & obsedit *Trojam* in *Capitinata.*

Anno 1023. Venit *Rayca* (*f*) cum *Saffari Criti Barum* mense *Junii*, & obsedit eam uno die: & amoti exinde comprehenderunt (*g*) *Palagianum* oppidum, & fabricatum est Castellum in *Motula.*

Anno 1024. factum est signum magnum in Episcopio *Acherontino* sub præsule secundo *Stephano Materiensi* in 5. die Paschæ [5]: Crucifixus enim magnus argenteus concussus est tribus vicibus capite, brachiis, & pedibus, cunctis hoc aspicientibus, & cecidit nix magna. Et transfretavit *Bugianus* in (*h*) *Curbathia*, & comprehendit ipsam Principissam uxorem (*i*) *Cosmici*, & direxit illam *Constantinopolim*, & mortuus est hoc anno *Enricus* Imp. & surrexit *Conus* nepos ejus.

Cod. Andr. 1027. *Despotus* Nicus *in* Italiam *descendit cum ingentibus copiis* Russorum, Wandalorum, Turcarum, Bulgarorum, Brunchorum, Polonorum, Macedonum,

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod.* Andr. Cursira.
(*b*) *Cod.* Andr. *a* Fierada *ejus consobrino filio* Arronii.
(*c*) *Cod.* Andr. Basilius *Catapanus.*
(*d*) *Cod.* Andr. *de* Zepotericon.
(*e*) *Cod.* Andr. *Rayca.*
(*f*) *Cod.* Andr. *cum* Caphare *de* Crito.
(*g*) *Cod* Andr. Corilianum.
(*h*) *Cod.* Andr. *Corbachia.*
(*i*) *Cod.* Andr. *Cisigni.*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1008. *Descendit* Curcua *Patritius Mense* Maji] Non de hoc *Curcua Cedrenus* pag. 558. multo minus pag. 509. 512. 516. & 519. ubi de tertio quodam, & utroque antiquiori *Joanne Curcua*, de quo etiam *Constantinus Porph.* de Adm. Imp. cap. 45. Forte hic noster ex illorum gente.

A [2] *An.* 1010. ex Cod. *Andr.* Basilius *Catapanus* Barium *obsidione cinxit a die* 11. Aprilis *usque ad* 11. Junii, & *cepit eam cum quibusdam conditionibus.*] *Freccia* hæc ad annum notat 1013. his verbis. *Die* 11. Aprilis *obsessa* Bari *a* Basilio *Catapano*, & *habita ea pacifice, facta est sedes magnorum virorum* Græcorum.

[3] *An.* 1017. *Obiit* Butunti, &c. Leo Patianus *Exubitus*, &c.] Lege *Excubitus*, ut sup. ad an. 997. qui *Guillelmo Apulo* lib. 1. proprio nomine dicitur. *Pacianus.*

[4] *An.* 1018. *Indict.* 1. *Descendit* Basilius *Catapanus, qui* & Bugianus, &c.] *Bugianus* hic, &
B infra est *Lupo*, qui *Ostiensi* lib. 2. cap. 37. 38. 50. 51. & 57. *Bolanus*, & in manu exarato exemplari tum *Bobanus*, tum *Bojanus*. Guillelmo Apulo lib. 1. *Bagianus.*

[5] *An.* 1024. *Factum est signum*, &c. *in* 5. *die Paschæ*, &c.] Freccia, *in die Sancto Paschæ.*

num, *aliarumque nationum*, *ad* Siciliam *capiendam. Captum est autem* Rhegium, & *ob Civium peccata, destructum est a* Vulcano *Catapano. Et* Basilius *Imp. obiit anno secundo. Itaque* Græci *recesserunt die S.* Martini. *Jam vero* Basilius, *vivens renuntiavit Imperio, sibi substituens* Romanum, *cui uxorem dedit* Zoam *filiam suam* [1].

Anno 1028. descendit *Oresti Chetoniti* mense *Aprilis*, & tunc obiit *Barensis* Episcopus *Joannes*, & factus est *Bisancius* Archiepiscopus [2].

Anno 1029. venit *Eustachius* cum filiis *Basilico*, & *Mandatora*, & elegit Catapanum *Christophorum*, & *Orestes* prædictus ascendit in *Constantinopolim* cum *Bugiano*, & mortuus est *Constantinus* Imperator in vigilia S. *Martini*, & se vivente imposuit in Sede sua *Romanum*, & dedit ei uxorem *Zoëm* filiam suam. Tandem *Rayca* & *Saffari* obsederunt castellum *Obbianum*, qui *Obbianenses* extraneos tradentes pacificaverunt cum ipsis, & mense *Julii* venit *Potho* Catapanus, fecitque pugnam cum *Rayca* in *Baro*. *Cod.* Andr. & *hoc anno obiit* [3] Guaimarius Salerni *Princeps*.

Anno 1031. mense *Junii* comprehenderunt *Sarraceni Cassianum*. *Cod.* Andr. *in terra* Hydruntina, & tertio die mensis *Julii* fecit prælium (*a*) *Potho* cum *Sarracenis*, & ceciderunt *Græci*.

Anno 1032. descendit *Ichiacon*, & *Chetoniti*, & secum adduxit ipsos *Anacolichium*.

Anno 1033. Indict. prima die prima mensis *Maji* descendit *Constantinus* Protospata, qui & *Opo* vocabatur Catapanus *Italiæ* [4].

Anno 1034. die XI. *Aprilis* obiit *Romanus* Imp. & surrexit *Michaël* Imp.

Cod. Andr. *Anno* 1035. *die Epiphaniæ obiit* Constantinopoli Byzantius *Episcopus* Barensis. *Qui sane fuit Orphanorum pater*, & *primariæ Ecclesiæ* Barensis *Fundator*, *Cunstosque Civitatis*, *ejusque egregius propugnator adversus* Græcos. *Electusque est Episcopus* Romulantes *Protospatarius*, *sed is* Aprili *mense ab Imperatore* Constantinopolim *evocatus exul obiit*, & *in ejus locum electus est* Nicolaus.

Anno 1038. Descendit *Michaël* Patricius, & Dux, qui & *Sfrondili* vocabatur, & transfretavit cum *Maniachi* Patricio in *Siciliam* [5].

(*b*) Anno 1039. mense *Februarii* descendit *Nichiphorus* Catapanus, qui & *Dulchianus* dicebatur [6].

Anno

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod.* Andr. *Protocapanus.*

(*b*) *Cod.* Andr. *Anno* 1039. *Obiit* Asculi Nicephorus *Catapanus die* XI. Januarii, & *die* 5. Martii *occisus est* Michaël *a* Chato, *qui* & Chirofatus *vocabatur*, *sub Castro* Mottulæ. *Ipseque* & *alii omnes septima die venerunt* Barum *una cum* Argyro *filio* Meli, *isteque* Argyrus *captivum fecit* Musandrum, *virum inter eos primarium*, & *in carcerem trusit. E contra* Romanus Materanus *obsedit* Argyrum *intra* Barum, & Musandrum *vinxit manibus*, & Barum *cum eo intravit.*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1027. ex Cod. *Andr. Despotus* Nicus, &c. & Basilius *Imp. obiit anno secundo*, & infra. *Jam vero* Basilius *vivens renuntiavit Imperio*, *sibi substituens* Romanum, *cui uxorem dedit* Zoam, *filiam suam.*] Igitur utrobique scribendum. *Constantinus*, non. *Basilius*, quod clarum vel ex ipsomet *Lupo* ad an. 1029. quo sane anno, sive extremo anno antecedenti *Constantinus* iste obiit, suffecto sibi *Romano*, &c.

C [2] *An.* 1028. *Descendit* Oresti, &c. *Et factus est* Bisancius *Archiepiscopus.*] Infra ad an. 1035. *Byzantius*, & ad an. 1071. vir alter cognominis *Bysantius.*

[3] *An.* 1029. *Venit* Eustachius, &c. Ex Cod. Andr. *Et hoc anno obiit* Guaimarius Salerni *Princeps.*] At hujus *Guaimarii* obitus in annum incidit 1031. quod ex *Salernitanorum* PP. constat Chronologia. Igitur vel luxatus censendus est *Lupi* textus in Codice illo; vel ejusmodi notula ad oram Autographi, sive alterius antiqui exemplaris primum depicta, quæ ad annum 1031. erat

D referenda, in textum demum illata, ac loco est descripta non suo. Sic quoque pari errore, & anticipatione etiam pari altera notula obitum ex eodem Codice demonstrans Imp. *Constantini*, to-

A to biennio, ut prædixi, veram præit temporis rationem.

[4] *An.* 1033. *Ind.* 1. *die* 1. *mensis* Maji *descendit* Constantinus *Protospata*, *qui* & Opo *vocabatur*, *Catapanus* Italiæ.] Hic dictus videtur. *Leo Opus Cedreno* pag. 604. & 610. De nominis *Italiæ* usurpatione, qua *Opo* appellatur: Italiæ *Catapanus* vide infra ad an. 1042. & 1083.

[5] *An.* 1038. *Descendit* Michaël *Patritius*, & *Dux*, *qui* & Sphrondyli *vocabatur*, & *transfretavit cum* Maniachi *Patritio in* Siciliam] *Ostiensi* lib. 2. cap. 67. præsens *Maniachi*, est. *Moniacus.*

B Sed Gaufredo Malat. lib. 1. cap. 7. *Maniacus.* Cedreno pag. 623. Γεώργιος ὁ Μανιάκης *Georgius Maniaces.* At *Michaël* ille priori loco demonstratus, tu vide an dicendus. *Sphondylus.* Σφόνδυλος quod *Latine* sonat. *Verticillus*, cognomen viro, forte, natum a pedum pernicitate, & quod mentis quadam velut vertigine actus, diutius uno haud consisteret in loco. Hac certe de causa vir ille, *Campanus* civis, e Pago *Le Curte*: *Vincentius*. . . . in Hist. *Pauli Jovii* lib. 26. clarus ob servatam suis latrociniis a fame *Neapolim* ab *Odecto Fuxio Lautreco* obsessam in an. 1528, *Verticillus* dictus

C est: nominis occasionem latius tradente *Leonardo Sanctorio Casertano* in Hist. sui temporis inedita. De eodem autem *Michaële Cedrenus* pag. 597. & seqq.

[6] *An.* 1039. *Mense* Februarii *descendit* Nichiphorus *Catapanus*, *qui* & Dulchianus *dicebatur*] Melior lectio Codicis *Andr.* quæ *Nicephorum* a *Dulchiano* distinguit, illius obitum ad jam dictum notans annum, & diem 11. *Januarii*: & ad an. 1041. *descensum*, sive adventum: Michaëlis *Protospatarii e* Sicilia *in* Lombardiam, & *inde in* Apuliam, *qui etiam* Dulchianus *vocabatur*. Hic

D absolute dicitur, *Ducalianus* Ostiensi lib. 2. cap. 67. Μιχαὴλ πρωτοσπαθάριος ὁ Δοκειανός. Michaël *Protospatharius* Doceanus *Cedreno* pag. 623. *Michaël Dochianus* Guillelmo Apulo lib. 1. Quem e

Anno 1040. prædictus *Dulchianus* excussit *Contractos* de *Apulia* [1], & prædicti *Contracti* occiderunt *Chirifactora Crithiri* Imperatorem subtus *Mutulam*, & *Romanum Materiensem* mense *Maji* eoque mense obsedit *Argyrus* filius *Meli Barum* civitatem, & percussit *Musandrum*, & ligavit eum vinculo, & introivit cum eo *Barum*, & *Contracti* dispersi sunt.

(*a*) Anno 1041. descendit *Dulchianus* a *Sicilia*, ivitque *Asculum*, & mense *Martii Ardumus Lambardus* convocavit *Normannos*, in *Apulia* in Civitate *Melfiæ* [2], & prædictus *Dulchianus* fecit prælium cum *Normannis*, & ceciderunt *Græci*, & mense *Maji* iterum præliati sunt *Normanni* fer. IIII. cum *Græcis*, & fugit *Dulchianus* in *Barum*.

Anno 1042. venit . . . mense *Augusto*; fecitque bellum cum *Normannis* 3. die mensis *Septembris*, & comprehensus est ille ibi, & in *Melfiam* deportatus est. Et mense *Decembris* obiit *Michaël* Imper. & elevatus est Cæsar Nepos ejus nomine *Michaël* Imp. & mense *Febr.* factus est *Argyrus Barensis*, Princeps, & Dux *Italiæ* [4]. Et mense *Aprilis* descendit *Maniachus* Magister *Tarentum*, & mense *Junii Monopolim* abiitque ad Civitatem *Materam*, & fecit ibi grande homicidium, & mense *Septembris Gulielmus* ele-

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod.* Andr. 1041. Michaël *Protospatarius descendit e* Sicilia *in* Lombardiam, *& inde in* Apuliam. *Is etiam* Dulchianus *vocabatur*, *& mense* Novembri *exiit* Asculo, *& intravit* Barum: *isque jussit suspendi cives quatuor* Barenses [3], *primarios viros*, *super murum* Bituntinæ *portæ*. *Et die* 17. Martii *una cum* Arduino Lombardo *congregavit exercitum in Civitate* Melphiæ, *& fer.* 3. *prope fluvium* Beneventi *factum est ab eis prælium cum* Normannis: *& perierunt multi* Græci Russi, *&* Offacani. Dulchianus *autem cum reliquiis sui exercitus fugit ad Montem* Pelusium. *Postea mensis* Martii *die* 4. *collectis omnibus* Græcis *apud* Aufidum *amnem sub* Monte majori *commissum est atrox prælium*, *in quo etiam* Græci *profligati sunt*; *plurimique* Natalitæ, Offacani, Russi, Calabri, Lombardi, *&* Apuli *occisi sunt*. *Ibique obiit* Angelus *Sacerdos*, *&* Stephanus *Archiepiscopus* Tarentinus. *Traduntque ii*, *qui prælio adfuere*, *obiisse ea die ad* 4. *millia* Nortmannorum, *&* 8. *millia* Græcorum, *qui adeo consumpti fuere*, *ut vix domestici aliquot servitores* Michaëlis *jam dicti vivi remanserint*: *iique semivivi ob metum crudelium* Nortmannorum. *Accersivit igitur e* Sicilia *subsidiarios milites* Calabros*que cum* Macedonio, *&* Paulo. *Quibus collectis cum aliis in* Catuna *Montis* Pelusii, *ecce descendit in* Apuliam *Catapanus filius* Budiani: *&* Michaël *jussu Imperatoris in* Siciliam, *unde venerat*, *reversus est*.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

Sicilia in *Lombardiam* transfretasse, sic accipe, ut de *Lombardia* id dictum capias eadem acceptione, qua ipse etiam *Lupus* in Cod. *Andr.* ad an. 1010. dixerat, *Lombardiam*, hoc est *Apuliam*, *rebellasse a Cæsare*, *opera* Meli *Ducis*. Et apud *Ostiensem* lib. 2. cap. 2. Marianus quidam *Imperialis Anthipatus*, *Patritius*, *& Stratigo* Calabriæ, *atque* Langobardiæ *sigillum fecit* Aligerno *Abbati* Cassinensi, &c. de cujus nominis usurpatione alibi pluribus; quam non advertens *Lupi* librarius, deque *Lombardia Sub-Alpina* illum locutum reputans, glossulam hanc addidit, *& inde in Apuliam*; quod nempe vidisset *Dulchiano* deinde in *Apulia* rem fuisse: quæ vacat.

[1] *An.* 1040. *Prædictus* Dulchianus *excussit* Contractos *de* Apulia; &c.] Hæc in annum referenda videntur 1041; quo e *Sicilia Dulchianum* advenisse, jam dictum est. At *Contractos Antonius Caracciolus* Clericus Regularis tum generis claritate, tum eruditione præsignis, dictos putat depravatè pro. *Contragos*; *Theophanem*que, sive Historiam dicas Miscellam Auctorem pro se laudat lib. 19. in qua sanè de *Bulgaria* magna, & *Contragis* supra *Meotides* Paludes habitantibus. At qua occasione ad nos longissime ab eis dissitos, quove itinere ultimis his temporibus pervenerit gens, alias quoque huc progressa, quæ nobiscum A mansit sub ætate *Beneventani* Ducis *Romualdi*, de quo in *Dissertationibus de Finibus Ducatus* Beneventani *ad Orientem*, *& ad Septemtrionem*, nil *Caracciolus*. An auxiliares *Græcorum* fuerant, sicut *Offacani*, & *Russi*; de quibus *Lupus* ad an. 1041. ex Cod. *Andr.*?

[2] *An.* 1041. *Descendit* Dulchianus *a* Sicilia, *ivitque* Asculum; *& mense* Martii Ardumus Lambardus *convocavit* Normannos, &c.] Ostiensis lib. 2. c. 67. Arduinus *quidam* Lombardus, *de famulis scilicet Sancti* Ambrosii, &c. hoc est, ut tunc etiam dicebant; *de familia Archiepiscopi* Me-B diolanensis. Anastasius Bibl. in *Silverio*. *Eodem tempore tanta fames fuit per universum mundum*, *ut* Dacius *Episcopus civitatis* Mediolanensis *relatione sua hoc evidenter narraverit*; *quòd in partibus* Liguriæ *mulieres filios suos comedissent penuria famis*, *quas retulit ex Ecclesiæ suæ fuisse familia*. Vide *Sigonium* de Reg. *Ital.* lib. 7. ubi de *Othone*. 1. *Arduinus* autem ille *Lombardus*, ac *Insuber*, sive *Ligur* (nam in *Liguria Mediolanum* aliquando, ut dicam ad Anonymum *Cassinensem* anno 1135.) *Guillelmo Apulo* lib. 1. *Harduynus*: *Gaufredo* autem *Malaterræ* lib. 1. cap. 8. dicitur C *Arduinus Italus*.

[3] *An.* 1041. ex Cod. *Andr.* Michaël *Protospatarius*, &c. *isque jussit suspendi cives quatuor* Barenses.] Falso Freccia, *cives omnes*.

[4] *An.* 1042. *Venit*. . . . . *mense* Augusto, *fecitque bellum cum* Normannis, &c. *& mense* Februarii *factus est* Argyrus Barensis *Princeps*, *& Dux* Italiæ, &c.] *Græcum* Patritium, qui in prælio captus est, appellat *Bojoannem Cedrenus* pag. 623. & 624. Sed *Guillelmus Apulus* lib. 1. & *Ostiensis* lib. 2. cap. 67. *Exaugustum*: cognomine ex occasione, forte, illi imposito. At a *Lupo* cum vides, *Barensem Argirum* hoc loco appellatum D *Principem*, *& Ducem* Italiæ; & infra ad an. 1051. absolutè. *Ducem*, femina hinc agnoscere poteris *Barensis* Principatus: de quo plene alibi; ibique simul exponam, *Italiæ* nomine apud eundem Auctorem, aliosque plures ipsius æquales, haud omnem duplici mari, & *Alpibus* clausam demonstrari *Italiam*; sed *Apuliam*, cujus *Barium* tunc fuit caput; & quandoque *Italiam* duntaxat *Cis-Tyberinam*: qua nimirum acceptione *Rogerius*, & uterque *Guillelmus*, Rex *Siciliæ*, & *Italiæ*, ignota aliis, diuque frustra hujusmodi nuncupationis ratione quæsita, multotiens dictus reperitur. E Certe *Italiæ* vocabulo in Vita B. *Nili* verbis relatis ad an. 966. *Apulia*, *Græcis* tunc possessa, denotatur: & *Lupo* metipsi ad an. 1033, & 1051. quem confer cum *Ostiensi* l. 3. c. 10. initio. Et me vide infra ad *Falconem Benev.*

electus est Comes *Materæ*; & hoc anno depontus est prædictus Cæsar *Michaël* a Regno, & excæcatus est, *Zoes*, & *Theodoræ* sororum jussione, & *Constantinus Monomachus* factus est Imperator, & 3. die mense *Julii* capta est *Juvenaties* ab *Argyro* Duce, & mense *Augusti* ivit prædictus *Argyrus* ad obsidionem *Trani*, seditque super eam mense uno.

Anno 1043. reversa est Civitas *Barum* in manus Imp. & mense *Septembris* descendit *Pardus* Patricius cum multo auro, quem *Maniaches* fecit occidi, seque Imp. ab omnibus appellari, & mense *Octobris* venit *Barum*, minimeque illum recepit. Mense vero *Februarii* descendit *Theodorus Canus* Magister, & Catapanus, & *Maniaches* prædictus perrexit *Dyrrachium*.

Anno 1044. *Guillelmus* filius *Tancredi* descendit cum *Guarimari* Principe in *Calabriam*, feceruntque ipsum *Squillacii* Castellum.

Anno 1046. perrexit *Argyrus* Patricius *Constantinopolim*, & *Palatinus* Catapanus, qui & *Eustasius*, revocavit omnes exiliatos ad *Barum*, perrexitque *Tarentum*, & 8. die in *Trano* mense *Maji* commisit prælium cum *Normannis*, & ceciderunt *Græci*, & hoc anno venit *Conus* Rex *Alemannorum* [1] *Romam*, eo quod erant ibi tres Pontifices, *Sylvester* in Ecclesia S. *Petri*: in *Luterano*, *Gregorius*; & *Benedictus* in *Tusculano*, quibus ejectis confirmatus est ibi Papa nomine *Clemens* a prædicto Imperatore; deinde dictus Imp. venit *Beneventum*; *Beneventani* vero ad ejus injuriam absciderunt strenutas equi ejus, hoc etiam anno obiit *Guidelmus*, & frater ejus *Drogo* factus est Comes.

Anno 1047. apprehensum est oppidum *Scyra* a *Guarangis* mense *Octobris*, & mense *Decembris* depopulaverunt *Litium*, & mense *Junii* dictus Papa *Benedictus* per poculum, veneno occidit Papam *Clementem*.

Anno 1050. Indict. 3. obiit *Zoë* Imp. soror *Theodoræ*, quæ fuerunt filiæ *Constantini* Imp. *Zoë* enim habuit viros tres, primum *Romanum*, secundum *Michaëlem*, tertium *Constantinum Monomachum*. regnavit cum his tribus viris ann. 22. Post mortem vero prædictæ *Zoës* regnavit ipse *Constantinus* Imperator cum *Theodora* sua cognata jam novem annis.

Anno 1051. Descendit *Argyrus* Magister *Vesti*, & Dux *Italiæ* filius *Meli* mense *Martii*, & abiit *Barum*, & non receperunt illum *Adralistus*, ac *Romoaldus* cum *Petro* ejus germano; sed non post multum temporis *Barenses* receperunt eum sine voluntate *Adralisti*, & aliorum. Sed *Adralistus* fugit. *Romoaldus* vero, & *Petrus* fratres ab *Argyro* sunt comprehensi, & catenis vincti *Constantinopolim* deportati sunt. Hoc anno *Drogo* occisus est in Monte *Ilari* a suo compatre, & frater ejus *Umfredus* factus est Comes.

Anno 1053. in fer. 6. mense *Junii Normanni* fecerunt bellum cum *Alemannis* [2], quos Papa *Leo* adduxerat, & vicerunt, & fuit hoc anno magna fames in *Italia*.

Anno 1054. obiit *Sico* Protospata *Materiensis*.

Anno 1055. obiit *Constantinus* Imperator, qui & *Monomachus*.

Anno 1056. cæpit regnare Regina prædicta *Theodora* Augusta soror *Zoës* Imperatricis. Et *Umfreda* obiit, & *Robertus* frater ejus factus est Dux, & obiit *Petrus* Archiepiscopus *Consentiæ* [3].

Anno 1057. mortua est *Theodora* Augusta, & *Michaël Bringa* factus est Imperator.

Anno 1058. *Tromby* Patricius fecit occidere *Scribonem* in Civitate *Cotroni*.

Anno 1059. Mortuus est *Bringa* Imp. & *Isachius Oconnus* factus est Imperator [4].

Anno

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1046. *Perrexit* Argyrus, &c. *Et anno venit* Conus *Rex* Alemannorum Romam, &c.] *Ostiensi* lib. 2. c. 57. *Conus* est pater hujus Regis; qui c. 78. & 79. hæc refert in an. 1047.

[2] *An.* 1053. *in Feria* 6. *mense* Junii Normanni *fecerunt bellum cum* Alemannis.] Die scilicet 18. præfati mensis; ut tradit *Hermannus Contractus* in Chron.; quæ vere hoc anno in sextam incidit Feriam. *Lupus* igitur non semel communem *Christi* Æram tenuit. Sed vide an. 1082, & 1083.

[3] *An.* 1056. *Cœpit regnare Regina*, &c. *Et* Umfreda *obiit*; *&* Robertus *frater ejus factus est Dux*. &c.] Supra ad an. 1051. *Umfredus*, infra ad an. 1079. *Filius Umfredæ*: nempe cum vulgo hujus viri nomen efferretur, *Umfreda*; *Latine* dicebatur. *Umfredus*; quæ varietas etiam in Chartulis antiquis inspicitur; in quibus insuper tum ipse, tum *Drogo* ejus frater, & antecessor, *Ducis* titulo, & simul *Comitis* insignitus legitur. A Hoc autem noto, ne falso dici putes, *Robertum* factum *Ducem* post *Umfredi* mortem, quem *Ostiensis* lib. 3. cap. 16. *Ducem* cœpisse appellari perhibet post captam *Rhegium* urbem, nam uterque bene; *Ostiensis* enim solemnem inaugurationem denotavit, de qua etiam *Gaufredus Malaterra* lib. 1. cap. 36. & *Guillelmus Apulus* lib. 2. *Lupus* vero, & Chartulæ vulgi consuetudinem, qua primi *Nortmannorum* ductores promiscue *Comites*, *Duces*que dici consueverunt. Eademque varietate idem *Lupus* ad an. 1064. *Robertum Comitem*, non *Ducem* nuncupavit; fuere enim Co- B *mites Drogo*, aliique ex gentis institutione, de qua *Ostiensis* lib. 2. cap. 67: *Duces* autem ex usurpatione, & ad exemplum *Apuliensium*, qui suos Præfectos dixere quoque *Duces*; unde in hoc *Lupi* Chronico ad an. 1042. Argyrus *Dux* Italiæ.

[4] *An.* 1059. *Mortuus est* Bringa *Imp. &* Isachius Oconnus *factus est Imperator*] Scribendum. *Isacius Comnenus*. De annis autem Imperatorum nil dico, quia non semper ex librariorum culpa, quorum menda mens est castigare, varius ab aliis videtur *Lupus*.

Anno 1060. elevatus eſt Imperator *Conſtantinus Ducas.*

Anno 1061. *Robertus* Dux cæpit Civitatem *Acheruntiam.*

Anno 1062. factus eſt Papa *Alexander Lucanus* [1], & *Robertus* intravit Dux in Civitatem *Oriæ*, & iterum apprehendit *Brunduſium*, & ipſum *Miriarcham.*

Anno 1063. comprehenſa eſt Civitas *Tarenti* a *Normannis.*

Anno 1064. comprehenſa eſt *Matera* a *Roberto* Comite menſe *Aprilis.*

Anno 1065. *Robertus* Dux intravit *Siciliam*, & interfecit *Agarenorum* multitudinem, & tulit obſidionem ex Civitate *Panhormo.*

Anno 1066. *Loffredus* Comes filius *Petronii* voluit ire in *Romaniam* cum multa gente, ſed obſtetit illi quidam ductor *Græcorum* nomine *Mabrica*, & Princeps *Richardus* intravit Terram *Campaniæ*, obſeditque *Ciparanum*, & comprehendit eum, & devaſtando uſque *Romam* pervenit.

Anno 1067. menſe *Maji* mortuus eſt *Conſtantinus Ducas* Imp. & *Michaël* filius ejus ſuſcepit Imperium, & apparuit ſtella cometa, & Comes *Normanniæ Robertus* fecit bellum cum *Arnaldo* Rege *Anglorum*, & vicit *Robertus*, qui & factus eſt Rex ſuper gentem *Anglorum.*

Anno 1068. 16. *Februarii Robertus* Dux obſedit Civitatem *Montiſpiloſi*, ubi nihil proficiens cum paucis abiit *Obbianum*, & recepit eam, & traditione cujuſdam *Gottofredi* intravit ipſe Dux in dictam Civitatem *Montiſpiloſi.*

Anno 1069. menſe *Septembris* prædictus Dux obſedit *Barum*, & *Romanus Diogenes*, qui cum prædicto *Michaële* privigno ſuo tenebat Imperium, fraude prædicti *Michaëlis* privigni ſui apud quandam Civitatem *Armeniæ* comprehenſus, & cæcatus eſt [2].

Anno 1070. menſe *Januarii* magnum homicidium actum eſt *Brunduſii*, nam *Normanni* volentes eam comprehendere, tenti ſunt ex eis quadraginta cum aliis eorum miniſtris quadraginta tribus, & capita omnium prædictorum ad Imperatorem portata ſunt.

Anno 1071. *Robertus* Dux intravit *Brunduſiopolim*, dimiſſa ante *Barum* obſidione, nam ipſe Dux fecit fieri pontem in mari, quantus concluderet portum prædictum Urbis *Bari* [3]. Hoc etiam anno dolo cujuſdam *Argirichi* filii *Joannazzi* occiſus eſt *Byſantius* cognomento *Guinderlichus* in *Baro*, & 15. die *Aprilis* cæpit *Robertus* Dux Civitatem *Bari*, & menſe *Julii* Dux prædictus tranſmeavit *Adriatici* maris pelagum, perrexitque *Siciliam* cum 58. navibus.

Anno 1072. menſe *Junii* die 10. intravit *Robertus* Dux *Panhormum* in *Sicilia.*

Anno 1073. intraverunt primo *Normanni* in *Trano* in octava Epiphaniæ cum *Petrono* Comite, ſed *Robertus* Dux, ejecto *Petrono*, introivit in eam ipſe Civitatem in Purificatione Sanctæ *Mariæ.*

Anno 1076. comprehenſus eſt quidam nepos *Africani* Regis a *Rogerio* fratre Ducis, qui præerat *Siciliæ* cum 150. navibus in Civitate *Mazaria*, & dedit prædictus Dux filiam ſuam, nurum ad Imperatorem *Conſtantinopolitanum.*

Anno 1077. obſeſſa eſt Civitas *Salerni* a *Roberto* Duce *Normanno*, & comprehenſa eſt ab eo [4].

Anno 1078. Indict. 1. obſeſſa eſt *Neapolis* a *Richardo* Principe, & minime comprehenſa: & *Robertus* Dux obſedit *Beneventum*, ſed ejus obſedio diſſipata eſt a *Rodulpho Pipino* Comite, & hoc anno obiit prædictus *Richardus* Princeps [5]. Anno

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1062. *Factus eſt Papa* Alexander Lucanus, &c.] *Alexander* hujus nominis ſecundus, patria *Mediolanenſis*, urbis *Lucæ* fuerat Epiſcopus unde *Latine* exit. *Lucenſis*; nam *Lucanus* e *Lucania* fit regione. Sed hic *Græciſmus* eſt, ut etiam apud *Agathiam* lib. 1. ad finem bis. Λουκανοί; Etſi *Cluverius* in Ant. *Ital.* lib. 2. c. 3. vult utrobique legendum Λουκανοὶ quod tamen, ſe fatente ubi de *Minturnis*, *Romano* ore ſonat. *Lucani.*

[2] *An.* 1069 *menſe* Septembris *prædictus Dux* (Robertus) *obſedit* Barum, & Romanus Diogenes, &c. *comprehenſus*, & *excæcatus eſt*] *Freccia* obſeſſam *Barium* dicit in an. 1060. *Gaufredus Malaterra* lib. 2. cap. 40. in an. 1067. quo ſane anno id oportet contigiſſe, ſi vera ſint, quæ de *Barenſis* obſidionis intervallo tradidit *Guillelmus Apulus* inferius producendus. *Romanum* autem *Diogenem* non hoc, neque ſequenti anno comprehenſum volunt. ſed in ann. 1071; de quo nil ſtatuo, ex cauſa paulo ante expoſita.

[3] *An.* 1071. Robertus *Dux.* &c. & 15. *die* Aprilis *cepit* Robertus *Dux civitatem* Bari, &c.] A *Gaufredus Malaterra* lib. 2. cap. 43. *Barium* a Duce *Roberto* captam dicit in an. 1070. qui obſeſſam dixerat in an. 1067. Et ſane integro triennio (quadriennio circiter *Oſtienſis* lib. 3. cap. 16.) ad eam ſubigendam inſudatum, tradit etiam *Guillelmus Apulus* lib. 3. *Lupi* quidem ſive lectio, ſive ſententia ex hoc quoque capite vacillat; quod in anno 1071, quando dedicata eſt *Caſſinenſis* major Eccleſia, Dux *Robertus*, ut *Oſtienſis* auctor eſt lib. 3. cap. 30. *Panormum* oppugnabat: *Barii* autem deditionem *Panormitanam* expugnationem præceſſiſſe, idem *Oſtienſis* jam dicto lib. 3. cap. B 16. *Gaufredus Malat.* lib. 2. cap. 45. & *Guillelmus Apulus* lib. 3. exponunt; atque *Gaufredus* expreſſe captam *Panormum* dicit in an. 1071. *Lupus* tamen, ſibi conſtans, in an. 1072.

[4] *An.* 1077. *Obſeſſa eſt civitas* Salerni *a* Roberto *Duce* Normanno, & *comprehenſa eſt ab eo.*] Variant Auctores de anno captæ a *Roberto Salernitanæ* urbis, quorum ſententiæ in Chronologia Principum ejuſdem urbis ex profeſſo erunt mihi examinandæ. Dicam nunc, ſive *Lupum* hallucinatum, ſive ipſius librarium; namque alteruter nimis etiam ſero captam ponit, ut jam declaravi, C *Panormum.*

[5] *An.* 1078. *Ind.* 1. *obſeſſa eſt* Neapolis *a* Richardo

Anno 1079. intravit *Petronus* in *Tranum*, & *Barum* rebellavit, ejecto exinde præside Ducis, & *Bajalardus* filius *Umfredæ* comprehendit *Asculum*. Et ejectus est Imperator prædictus *Michaël* a Regno, & *Botaniates* quidam factus est Imperator, qui & abstulit prædicti *Michaëlis* uxorem, & abusus est ea, & fuit hoc anno mortalitas hominum in *Matera*.

Anno 1080. Inventum est corpus B. *Canionis* in *Acherontia* ab *Arnaldo* Archiepiscopo, & idem Archiepiscopus construere cæpit novum Episcopium, idest Ecclesiam Sanctæ Dei Matris *Mariæ*. Hoc anno *Barum* Civitas reversa est in potestatem *Roberti* Ducis, & idem Dux obsedit Civitatem *Tarentum*, & mense *Aprilis* comprehendit eam, & iterum obsedit *Castellanetam*, & cæpit eam. Et hoc anno Imperator *Michaël* descendit in *Apuliam*, quærendo auxilium a *Roberto* Duce contra *Botaniatem*, & mense *Julii* 27. die mortuus est *Robertus* Comes eximius, & ejecti sunt *Normanni* a *Matera* secundò, & cæpit regnare *Loffredus* Comes filius ejus, pro eo in *Matera*, in vigilia Sanctæ *Mariæ* mense *Augusti*.

Anno 1081. *Robertus* Dux intravit *Tricharim* mense *Octobris*, & eodem mense *Archirizi* perrexit ad *Michaëlem* Regem *Sclavorum*, deditque ejus filio ejus filiam in uxorem, & *Robertus* Dux cum prædicto *Michaële* Imp. perrexit *Hydruntum*; missisque antea navibus in Insula *Corife*, quæ apprehenderunt eam, ubi & ipse paululum una cum Imp. transfretavit, posueruntque mense *Julii* ante *Dyrrachium* obsidionem per mare, & per terram, quam stolus *Veneticorum* veniens dissipavit, aperuitque *Dyrracenis* mare. Hoc anno *Botaniates* factus est monachus, & *Alexius* factus est Imp. & *Alemannorum* Rex *Enricus* venit *Romam*, ut ejiceret exinde Papam *Gregorium*.

Anno 1082. hoc anno complentur ab initio mundi 6281. ab Urbe condita 824 [1]. *Alexius* Imperator collecto grandi exercitu iniit bellum cum *Roberto* Duce haud longe a *Dyrrachio*, & terga versus fugit, cecideruntque in ea pugna plusquam 6000. ex suis, fuerunt autem in ejus exercitu 70. mil. hominum, & dominante isto *Alexio* Imp. Episcopus *Rubensis* nomine *Guislibertus* donavit Priori *Montispilosi* Ecclesiam Sancti *Sabini*, quæ est in Civitate *Rubi*, qui prior tenebatur omni anno ad quatuor libras ceræ in die Sabbati Sancti, & mittere unum hominem equestrem ad suas expensas, quando Episcopus *Rubensis* ibat ad *Barum*, seu ad *Canusium*, & mense *Januarii* *Robertus* Dux cæpit Civitatem *Dyrrachium* traditione quorumdam *Veneticorum*: & hoc tempore prædictus Rex *Henricus* obsedit *Romam*, ut vi introiret, & faceret ibidem Papam *Ravennensem* Archiepiscopum, sed minime potuit; & Dux rediens ab *Epidauro* sub lecto sibi *Boamundo* filio suo perrexit *Romam* ferens auxilium Papæ *Gregorio*, cum Rex jam in partibus moraretur *Lombardiæ*, ad debellandam *Mathildæ* Provinciam, quæ cum Papa tenebat *Gregorio*. Hoc anno *Bajalardus* perrexit ad *Constantinopolitanum* Imperatorem *Alexium* causa auxilii; & eo anno die 16. *Maji* dedicatum est in *Matera* novum Templum in honore Sancti *Eustasii* ab *Arnaldo* Archiepiscopo sub Domino *Stephano* Abbate auctore ipsius Templi.

Anno 1083. hoc anno complentur 517. anni, ex quo intraverunt *Langobardi* in *Italiam*, & cyclus Solaris 28. & cyclus Lunaris 17. & cyclus novennalis primus, & Epacta Luna.. [2] & hoc tem-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

chardo *Principe*, *& minime comprehensa. Et* Robertus *Dux obsedit* Beneventum; *sed ejus obsidio dissipata est a* Rodulpho Pipino *Comite. Et hoc anno obiit prædictus* Richardus *Princeps.*] Minime Princeps *Capuæ Richardus* eodem anno, quo *Neapolim* obsedit, vita functus est; sed *Neapolim* aggressus initio mensis *Maji*, anno 1077. obiit quinta feria Cœnæ Domini, anno 1078. hoc est Nonis *Aprilis*; de quibus alibi fuse. Pro me certe stant tum alia monumenta, tum Anonymus *Cassinensis*, consueta nimirum cautione capiendus, quam exposui in *Serie* Abbatum *Cassinensium* in *Theobaldo*. Nec annus firmatæ *Beneventanæ* obsidionis cum anno confundendus est disjectæ; quos distinguit *Petrus Diac.* in Auctario ad *Ostiensem* lib. 3. cap. 44; perhibens insuper Principem *Capuæ Jordanum*, qui *Richardo* patri successerat in mense *Aprilis*, castra a Duce *Roberto* in *Beneventum* metata dissipasse; conspirantibus cum illo universis Comitibus *Apuliæ*. *Lupum* tamen mendacii non arguo, quod *Rodulfum Pipinum*, aliis *Rainulfum*, hujus dissolutæ obsidionis faciat auctorem; nam cum *Jordano Rainulfum* ejus patruum in *Robertum* hoc tempore conjurasse,

A *Guillelmus Apulus* lib. 3. tradit. Sed *Petrus Diac.* *Jordano* rem omnem adscribit, qui ille dignitate major: *Lupus Rainulfo*, quia hic ætate, & consilio. Chronicon autem S. *Sophiæ* Par, 3. Num. 14. nullo pacto conciliari *Petro* valet, in quo habetur, *Robertum* e *Beneventana* obsidione expulsum 6. *Id.* April. *Ind.* 1. hoc est triduo post obitum Principis *Richardi*; qua die Pascha dicto anno 1078. est celebratum. *Romualdus Sal.* neutri, nec *Lupo* in omnibus concordat.

[1] *An.* 1082. *Hoc anno complentur ab initio Mundi* 6281. *Urbe Condita* 824, &c.] In consignandis annis mundi *Lupus* secutus est *Eusebium Cæsariensem*, *Christi* Natalem ad annum mundi referentem 5199. qui cum adnotato *Christi* anno 1082. jam dictam summam conficit annorum 6281. Anni vero Urbis conditæ diminuti admodum sunt in *Lupo* ob librarii incuriam, qui antiquas numerales notas in prisco exemplari repræsentatas hac forma. MDCCCXXXIIII. ac præ antiquitate, forte, exoletas, interpretatus est. DCCCXXIIII. recentioribusque notis reddidit. 824. Sane *Lupus* in hac, quam dico, summa annorum 1834. *Christi* Natalem ad annum Urbis statuisse videtur 752. cujus sententiæ plerique etiam inter antiquos fuere Auctores.

[2] *An.* 1083. *Hoc anno complentur* 517. *anni*, *ex quo*

tempore *Romani* a Papæ *Gregorii* societate discedentes Legatos ad prædictum direxerunt Regem, quo eum *Romæ* mitterent: sed Dux hoc anticipans direxit plusquam triginta millia solidorum *Romam*, quatenus sibi eos, Papæque reconciliaret, quod & factum est. Attamen Rex *Romam* adveniens, cæpit totam regionem trans *Tyberim*, in qua Apostolorum Principis eminet Templum: & mense *Junii* relicto ibidem præsidio suo, ac filio in castello, quod ipse illic statim construxit, ad debellandum *Gregorium* Papam, qui in *Laterano*, ac in *Cælio* monte se continebat, cum quadraginta obsidibus *Roma* secessit in partes *Tusciæ*; & Dux in mense *Maji* posuit ante *Cannas* Civitatem *Apuliæ* obsidionem, & mense *Julii* comprehendit eam.

Anno 1084. *Robertus* Dux, collecta multitudine *Normannorum*, *Langobardorum*, aliarumque gentium, perrexit *Romam*, ut Papam *Gregorium* dura obsidione retentum liberaret, quod & factum est. nam *Romam* adveniens & Urbis maximam partem cæpit, & Papam exinde viriliter abstrahens secum devexit *Salernum*.

Anno 1085. prædictus Dux grandi apparatu navium, hominumque innumerabili exercitu *Brundusiopolim* veniens, deposita ibidem navali machinatione ingressus est *Adriaticum* pelagus, perrexitque in Insulam nomine *Cassiopim*, ubi stolus *Veneticorum*, & filius Ducis *Venetiæ* cum plurimis navibus erat infestus Duci *Roberto*: sed bello in mari inter eos confecto, victoria ad *Normannos* concessit. Cæsa sunt in ea pugna plusquam quinque millia hominum. præterea naves quinque captæ; & duæ cum hominibus submersæ sunt, ita ut qui gladium potuere evadere bellatoris, pelagi eos vorago glutiret.

Hoc anno mense *Maji* prædictus Papa *Gregorius* dum *Salerni* moraretur, diem clausit extremum, quo moriente tanta fertur grandinum, tonitruumque extitisse procella, ut omnes illic positi hujusmodi turbinibus putarent interire. Mense *Julii* dum jam dictus Dux moraretur in loco, qui dicitur, *Veneti victi*, a devictis *Venetis*, exercitusque ejus ob quandam Civitatem capiendam in *Cephalonia* moraretur Insula, ipse autem in prædicto loco cum parte exercitus resideret, præparans se qualiter cum grandi apparatu navium, & militum innumera multitudine ad Regiam tenderet navigio Civitatem, jussu misericordiosissimi, & Omnipotentis Dei, qui dissipat, ac reprobat cogitationes, vel consilia Principum, non ex suo procedentia, profluvio ventris extinctus est.

Anno 1086. *Rogerius* filius prædicti *Roberti* Ducis factus est Dux.

Anno 1087. mense *Maji* corpus Beatissimi *Nicolai Mirensis* Archiepiscopi a quibusdam *Barensibus* a prædicta *Mirea* ablatum, in *Barum* devectum, caput Civitatum *Apuliæ*. Hoc anno Abbas *Desiderius* Sancti *Benedicti* montis *Cassini*, consensu quorumdam Nobilium *Romanorum* factus est Papa *Romanus*, vivente adhuc *Clemente* Antipapa, qui fuerat *Ravennæ* Episcopus.

Anno 1088. mense *Septembris* factus est grandis terremotus per totam *Apuliam*, ita ut in quibusdam locis turres, ac domos ruisse feratur [1]; tunc enim cæpta est guerra inter *Rogerium* Ducem & *Boamundum* fratrem ejus, hoc anno comprehensa est *Syracusa*, *Siciliæ* quondam caput, a *Rogerio* Comite, in qua fertur homines comesos, & infantes, ob diuturnitatem obsidionis.

Anno 1089. facta est Synodus omnium *Apuliensium*, *Calabrorum*, ac *Brutiorum* Episcoporum in Civitate *Melfiæ*, ubi affuit etiam Dux *Rogerius* cum universis Comitibus *Apuliæ*, ac *Calabriæ*, & aliarum Provinciarum, in qua statutum est, ut Sancta *Trevia* retineretur ab omnibus subjectis [2]. Hoc anno obiit *Ursus Barensis* Archiepiscopus, &

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

quo intraverunt Langobardi *in* Italiam. *Et cyclus Solaris* 28. &c. *Et cyclus novennalis primus*, *& epacta Luna*. . . . &c.] Annum *Christi* 1083. certis, & sine errore characteribus consignat. Legendum tamen. *Cyclus decemnovennalis primus*, *& epacta Luna* 11. Quo anno completos cum dicat ab ingressu *Langobardorum* in *Italiam* annos 517, constantissime illorum Epocham ad annum statuit *Christi* 566; sicut etiam fecit ad an. 916, & 966. quæ statuenda fuerat ad an. 568. At *Lupus* appellatione *Italiæ*, ut dixi ad an. 1042. *Apuliam* solet demonstrare; quam sane *Beneventani Langobardi* sub Duce *Romualdo*, ut *Paulus Diac.* perhibet lib. 6. cap. 1. primum invasere, cæso apud *Siciliam* a suis Imperatore *Constantio* in anno 668, qui *Lupo* fuit annus 666; juxta eandem nimirum supputationem, qua prædictus annus 568. illi fuit 566. Hac igitur mente *Lupus* cum in anno 1083. exactos scripsisset ab *Langobardorum* adventu in *Italiam* annos 417: in anno

A 966. annos 300: in anno 916. annos 250: novitius librarius, cui communis tantum præfatæ gentis in *Italiam* accessus, communisque ac protrita vocabuli *Italiæ* acceptio, nec alia erat nota, censorem agens, centenarium addidit, annosque 417. reddidit 517; annos 300. fecit 400; annos vero 250. ad 350. produxit; ac juxta suum captum illo etiam priori in loco ad annum 916. *Alboini* Regis pro *Romualdi* Ducis substituit nomen.

[1] *An.* 1088. *mense* Septembris *factus est grandis terræmotus per totam* Apuliam, *ita ut in quibusdam locis Turres, & domus ruisse feratur*, &c.] En ætas Auctoris, quam pinguior in his annis

B detegit etiam ejus stylus. Cæterum *Lupus* præsenti anno captas quoque *Syracusas* tradit a Comite *Siciliæ Rogerio*: sed *Gaufredus Malat.* lib. 4. cap. 2. id rejicit in annum 1085; qui lib. 3. cap. 41. annum quoque obitus Ducis *Roberti* anticipavit, defunctum illum perhibens in anno 1084: nec dum a *Rogerio* receptis *Syracusis*.

[2] *An.* 1089. *Facta est Synodus omnium* Apuliensium,

& Papa *Urbanus* nomine, venit in Civitatem *Barum*, & consecravit illic confessionem Sancti *Nicolai*, & *Heliam* Archiepiscopum, vivente adhuc prædicto Anti-Papa *Clemente*, & consecravit *Brundusinam* Ecclesiam prædictus Papa *Urbanus*.

Anno 1090. mense *Augusti Acherontia* admirandum in modum cremata est a se ipsa, & mortuus est *Jordanus* Princeps.

Anno 1091. jurata est a *Normannis* Trevia Dei. *Cod.* Andr. *Et finiunt ab. O. C. anni* 6291. *Epacta* 19 [1].

Anno 1092. cum obsideretur *Ories* Civitas a *Boamundo* auxilio quorumdam, *Orietani* obsidionem dissipaverunt, & ipso *Boamundo* fugam petente, cunctum ejus apparatum, & signa cæperunt.

Anno 1093. Indict. prima obiit *Eugenia* Abbatissa Sancti *Benedicti* Monasterii *Materiensis* mense *Octobris*, & eodem mense *Urbanus* Papa (*a*) venit in *Materam*, & applicuit ad cœnobium Sancti *Eustachii* cum grandi plebe hominum.

Anno 1095. mense *Aprilis* in nocte diei 4. subito visi sunt igniculi cadere de cœlo, quasi stellæ per totam *Apuliam*, qui repleverunt universam superficiem terræ, & extunc cæperunt *Galliæ* populi, imo totius *Italiæ* pergere ad sepulchrum Domini cum armis ferentes in humero dextro Crucis signum.

Anno 1096. *Rogerius* Comes *Siciliæ* cum 20. mil. *Saracenorum*, & cum innumera multitudine aliarum gentium, & universi Comites *Apuliæ* obsederunt *Amalphim*, & cum ibi perseverarent, subito inspiratione Dei *Boamundus* cum aliis Comitibus, & plusquam 500. Equitibus facientibus sibi signum Crucis super panno in humero dextro reliquerunt obsidionem, & transfretantes perrexerunt in Regiam Urbem [2], quatenus cum

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Ex his verbis*, Agnellus Pacca, *vir eruditus*, *arguit Auctorem hujus Chronici fuisse Civem* Materanum *sed ego nihilominus arbitror potius* Bariensem. *Utut fuerit*, Apulus *certe fuisse videtur.*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

sium, Calabrorum, *ac* Brutiorum *Episcoporum in civitate* Melfiæ, &c. *In qua statutum est, ut Sancta Trevia retineretur ab omnibus subjectis*, &c.] Baronius Concilium *Melfitanum* ad annum figit 1090, *Romualdi Salernitani* Chronicon laudans; cujus sunt verba: *Anno Dominicæ Incarnat.* 1090. *Indictione* 13. *Mense* Septembris, Urbanus *Papa Synodum celebravit in civitate* Melfiæ; *in qua* Rogerius *Dux ligius ejus homo effectus*, &c. De mense acti Concilii concordat Joannes Archidiaconus *Barensis* apud eundem *Baronium* ad an. 1091. num. 14. *Electo*, inquit, Elia *in Archiepiscopum* Barii *voluntate*, *atque consensu Ducis* Rogerii, *filii Ducis* Roberti, Melfiam *Papam* Urbanum *adivimus*, *qui ibidem Synodum celebrabat mense* Septembri; *quem rogavimus*, *ut usque* Barum *descenderet*, *prædictumque consecraret* Eliam *in Archiepiscopatus honorem*, *Domino* Boamundo *eundem Papam nobiscum deprecante*, *qui eo tempore* Barum *jam suo tenebat sub dominio*, &c. At *Eliam* in Archiepiscopum ordinatum constat ab *Urbano in anno* 2. *sui Pontificatus*, Christi 1089. *Indict.* 13. *die* 9. Octobris: *Baronio* metipso Bullam consecrationis referente ad annum modo dictum num. 5. & seqq. *Lupus* igitur rei gestæ æqualis *Melfitanam* Synodum rite in annum refert 1089: imperite *Romualdus* ad ann. 1090. qui integro fere seculo posterior fuit. Verum ex librarii id accidisse culpa, non dubito, qui unitatis notam detraxit, annosque a *Romualdo* descriptos MLXXXIX: reddidit. MLXXXX, sicuti ex adjecta liquet Indictione 13, cœpta numerari a mense *Septembri*, quo Synodus *Melfitana* est celebrata. *Trojanum* autem Concilium a *Petro Diac.* memoratum lib. 4. c. 7. (ni hoc sit illud ipsum, quod idem *Romualdus* ibidem actum notat in anno 1093) dicendum hinc est, ab *Urbano* coactum in anno antecedenti; alterutroque in anno eundem Pontificem ad Comitem *Siciliæ Rogerium* accessisse, de quo *Gaufredus Malaterra* lib. 4. cap. 13: nil vero *Baronius*. At

A quod *Lupus* habet de *Trevia*, sive pace, & induciis in *Melfitana* Synodo statutis, nescio an id capiam de inita tunc concordia, ac fœdere inter *Apuliæ* Ducem *Rogerium*, ejusque fratrem *Boamundum*, inter quos idem Auctor, adstipulatorem habens *Romualdum*, exortum, cœptumque dixerat bellum in anno 1088. *Gaufredus* sanè lib. 4. cap. 10. conciliato sfratres ait post biennii dissensionem, non tamen post annum 1086. *Joannes* Archidiaconus verbis supra relatis illos concordes fuisse innuit tempore *Melfitanæ* Synodi, tradens *Boamundum* sub suo dominio tunc *Barium* habuisse:
B quam ipse ex novi fœderis lege obtinuit, ut idem perhibet *Gaufredus* loco jam dicto.

[1] *An.* 1091. *Jurata est a* Normannis *Trevia Dei.* Ex Cod. *Andr. Et finiunt ab* O. C. *anni* 6291. *Epacta* 19.] Postquam Dux *Rogerius* cum fratre concordaverat *Boamundo*, nulla inter *Nortmannos* nova emerserant adhuc bella. *Trevia* igitur ista iterato inita an vacet, exque notula ad libri oram depicta in textum immigraverit, velim, Lector, expendas; qui facile advertere
C etiam potes, annum *Christi* 1091. cum anno Orbis Conditi concurrere 6290; quo anno Epacta fuit 9; nam salutis annus 1082, ut *Lupum* supputasse vidimus, fuit mundi 6281.

[2] *An.* 1096. Rogerius *Comes* Siciliæ *cum* 20. *mil.* Saracenorum, *& cum innumera multitudine aliarum gentium*; *& universi Comites* Apuliæ *obsiderunt* Amalphim, *& cum ibi perseverarent*, *subito inspiratione Dei* Boamundus *cum aliis Comitibus*, &c. *reliquerunt obsidionem*, *& transfretantes perrexerunt in Regiam urbem*, &c.] Petrum Diac. lib. 4. cap. 11. *Boamundum* tunc fuisse dicit *una*
D *cum patruo suo Comite* Rogerio *in expeditione in partes* Campaniæ; cui vir magnus *Baronius* inhæret, deque *Capua* tunc in deditionem accepta ab utroque *Rogerio*, & a Principe *Richardo* 2. illum capit. Neutri ego assentior; nam pro *Lupo* stat *Petrus Tudebodus* in Hist. de *Hierosolymitano* itinere lib. 1: itemque *Gaufredus Malaterra* lib. 4. c. 24, qui *Malphi*, & *Malfam*, pro *Amalfiam* dicunt, nam utroque modo efferebatur id nomen; remque minutius *Gaufredus* enarrat, deque anno etiam subscribit *Lupo*: illum adi. *Capuæ* autem obsidio, & deditio minime in ann. 1096; sed
E post fuit, de qua statim. *Torquatus Tassius*, ut Parergon hoc addam, summus absque controver-

cum *Alexii* Imp. auxilio bellando cum paganis, pergerent *Hieruſalem* ad Sanctum Sepulchrum noſtri Redemptoris.

Anno 1097. *Boamundus* cum Comite Sancti *Egidii*, & cum Comite *Normanniæ*, & aliis Comitibus Occidentis cum innumera multitudine menſe *Aprilis* a Regia Urbe ſe moventes transfretaverunt, & cæperunt omnem terram, quam *Turchi* Impp. abſtulerant, & facto bello cum *Turchis*, victoriam *Chriſtus* ſuis conceſſit *Chriſtianis*. fertur enim fuiſſe Paganos 150. mil. Hoc actum eſt circa *Niceam* Civitatem.

Anno 1098. menſe *Octobris* apparuit ſtella Cometes, & *Chriſtiani* bellando venerunt uſque *Antiochiam*, & obſederunt eam, & menſe *Aprilis* comprehendentes interfecerunt ibi pluſquam 60. mil. hominum, iterumque commiſſa pugna *Chriſtiani* vicerunt, & cæperunt multa ſpolia *Turcorum*; Et hoc anno comprehenſa eſt *Capua* a *Rogerio* Comite menſe *Martii* [1].

Anno

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

ſia Vates, mihique hæreditario quodam jure impenſe cultus, poëtica uſus licentia, *Tancredum Boamundi* nepotem octingentos e *Campania*, nempe quæ *felix*, & *beata* antiquis dicta eſt, ad ſacrum *Hieroſolymitanum* bellum equites duxiſſe, perhibet; quos illi ſolos, nec alios plures aliunde quæſitos adſcribit:

„ *Gli ottocento à cavallo, à cui fa ſcorta,*
„ *Laſciar le piagge di Campagna amene,*
„ *Pompa maggior de la natura, e i colli,*
„ *Che vagheggia il Tirren, fertili, e molli.*

nam nec *Tancredo*, nec *Boamundo* ulla unquam in hæc loca poteſtas fuit, præfatique temporis in inſtanti *Capuam* Princeps genere *Langobardus*, *Neapolim* vero Dux ſuus obtinebat, ſolamque *Averſam*, novam urbem, in anno *Chriſti* trigeſimo ſupra milleſimum conditam, & ſiqua alia minora oppida *Nortmanni*, alterius tamen generis, poſſidebant.

[1] *An.* 1098. *Menſe* Octobris *apparuit Stella Cometes. Et* Chriſtiani *bellando venerunt uſque* Antiochiam, *& obſederunt eam, & menſe* Aprilis *comprehendentes*, &c. *Et hoc anno comprehenſa eſt* Capua *a* Rogerio *Comite, Menſe* Martii] De anno captæ *Antiochiæ* conſentit *Guillelmus Tyrius* l. 5; & recentiores omnes: non ſic de menſe, id referentes ad diem 3. *Junii*, quæ in anno jam dicto incidit in Feriam quintam, ut bene notat Anonymus *Caſſinenſis*, non quartam, ut habet *Ordoricus Vitalis* lib. 9. Idem tamen Anonymus perperam ad annum id figit 1096. *Petri Diaconi* ſcilicet errorem ſecutus lib. 4. cap. 16. Igitur in *Lupo* menſis. *Aprilis*, ſuppoſitus eſt pro. *Junii*: ſicuti ad eandem normam hoc pariter loco dicitur, *Capuam* captam a Comite *Rogerio* menſe *Martii*, qui *Aprilem* præit, pro *Maji*, qui antecedit *Junium*. Nam Comes ille, ut *Gaufredus Malaterra* auctor eſt lib. 4. cap. 26. cum *Pharum* tranſiſſet prima hebdomada *Aprilis*, feſtumque Pentecoſtes celebraſſet cis *Beneventum*, juxta fluenta *Sabati*, quod ante diem 10. *Maji* celebrari nunquam contingit, *Capuam* dein pervenit; quam ſimul cum Duce *Apuliæ Rogerio*, & cum Principe *Richardo* 2. acriter obſidens, *poſt quadraginta obſidionis dies*, ut inquit Romualdus Salern. & Anonymus Caſſin. *æſtivo tempore*, ut Petrus Diac. lib. 4. cap. 10. cui ſuffragatur *Edinerus* in Vita S. *Anſelmi* lib. 2. apud *Surium* 10. Kal. *Maji*, deditione facta obtinuit, reddiditque *Richardo*, qui poſt *Jordani* patris obitum, ac ineunte anno 1091. ab ea fuerat pulſus. *Capua* itaque recuperata eſt, ut citius, extremo menſe *Majo*, atque ingruente Æſtate, numerandi cum videantur quadraginta dies obſidionis non ab acceſſu Comitis, ſed ab die, qua Princeps *Richardus* 2. qui *Averſam* proximam urbem retinuerat, *Capuam* ſolus circumvallaverat; nam alioquin receptam eam

A fuiſſe, dicendum eſt, menſe *Junii*: quod equidem non recuſaverim, ſi in *Lupo* menſis *Martii* reſtitui debeat. *Junii*: non *Maji*. Verum enimvero menſem *Martium* pro *Majo* ſæpe alias ſuppoſitum, manifeſtum eſt; idque ex ea, forte, occaſione natum, quod nomina propria cum ſub *Nortmannorum* ætate capitalibus tantummodo literis depictis compendiarentur, *Martius* menſis ſic deſcriptus, pro *Majo* a recentioribus librariis ſæpenumero eſt acceptus. Sicut in Kalendario antiqui etiam Breviarii *Campani*, in quo Feſtum S. *Potentianæ* Virginis perperam notatur ad diem
B 19. *Martii*, quod colitur 19. *Maji*. Et in percelebri quoque Diplomate præfati Comitis *Rogerii* apud *Surium* die 5. *Octobris*, in quo habetur, ſtructas in eum, dum in *Capuæ* manebat obſidione, inſidias *Kal. Martii*; ubi legendum eſſe. *Kal. Maji*, jam olim docti cenſuerunt viri: etſi nec talis caſtigatio omnem removet ſcrupulum, ſi vera expoſuit nobis *Gaufredus*, *Rogerium* dicens, Pentecoſten celebraſſe prope fluenta *Sabati*, dein autem *Capuam* perveniſſe. At hoc ipſo in Diplomate aliud inſidere mendum, legendumque in eo opinor, *Rogerium* reverſum *vigeſimanona* Junii
C *menſis* Squillacium (non *Julii*: niſi mavis, *nona* Julii.) *perhabita* Capuæ *civitate, & per quindenam continuam fuiſſe ibidem infirmatum*; Privilegiumque feciſſe *die* 2. Auguſti, *anno ab Incarnatione Domini* 1098. *Indictione* 6. (male nonnulli edunt. *Indictione* 7.) *confirmante* Joanne Squillacenſis *ſedis Epiſcopo*, *reſidente juxta fores Eccleſiæ*. Nec cum viro docto ſentiendum eſt, Privilegium datum quidem in anno 1098. minimè tamen *Capuam* obſeſſam, receptamque, ut *Lupus* perhibet, eodem anno; ſed anno antecedenti: ſicut Gaufredus Malaterra, qui ejuſce obſidionis
D tempore *affirmat*, *ibi imprægnatam in anno* MXCVII. *Comitiſſam* Adelaſiam *de Comite* Rogerio: haud, inquam, annus dati Diplomatis ab anno *Campanæ* obſidionis, ægrotantiſque Comitis *Rogerii* diſtinguendus videtur; nec Comes ultroneam ſuam donationem poſt ſuſceptum beneficium in annum ſequentem diſtuliſſe, nulla interim expoſita ejuſmodi dilationis occaſione, quæ ſanè nulla: quinimmo convenientiſſimè dixerimus, non revoluto, nec anniverſario anno *Rogerium* rediiſſe *Squillacium*; ſed cum primum e *Capua* illuc appulit, ac per valetudinem valuit, præfatum Pri-
E vilegium indulſiſſe. At *Gaufredus*, dices, *Capuam* obſeſſam in anno MXCVII: anno ſcilicet ante datum Diploma, in ſuperius relatis verbis exponit. Ita quidem, ſi ea notula *Gaufredi*, nec Gloſſula reputanda ſit ocioſi alicujus adnotatoris, quæ ut facilè eſt obſervare, e libri ora in textum traducta, continentem ejuſce Auctoris narrationem importune perturbat, ac dividit. En *Malaterræ* integer, qui huc facit, locus e lib. 4. c. 26. & quidem ad ipſius *Cæſarauguſtanæ* editionis exemplum religioſe expreſſus. *Ipſe autem Comes*, inquit, *omni diluculo ante lucem ſurgens, utrumque exer-*

Anno 1099. mense *Octobris* Papa *Urbanus* congregavit universam Synodum in Civitate *Bari*, in qua fuerunt 185. Episcopi, & mense *Junii* in festivitate S. *Petri* Apostoli comprehensa est *Hierusalem* Civitas a *Christianis*, & omnes, quos ibi invenerunt, occiderunt [1]. Fertur autem occisa ibi esse 200. mil. hominum, & tunc levaverunt sibi *Christia-*

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

exercitum, *pontem transeundo* (quem nempe super *Volturnum* construxerat, ut suo exercitui, & Ducis *Rogerii*, Principisque *Richardi* communis, facilisque pateret via, qui trans flumen ad Septemtrionem *Capuam* obsidebant) *invisens*, *utrum attenti essent ad excubias*, *visum ibat*. *Porro ipsi rubore perfundebantur*, *quod juvenes ipsi*, *& ad quos peculiarius negotium attinebat*, *segniores forent*: *Comite provectioris ætatis*, *& corporis plagarum*, *laborumque asperitatis viro vigilantiore existente*. *Nam & ab omni exercitu ejus vigilantia admirationi erat*, *omnesque in ejus exemplo vigilantiores reddebantur*.

Anno Dominicæ Incarnationis MXCVII. *ibi se impraegnavit Comitissa* Adelasia *de Comite* Rogerio.

Cap. 27. *Cum ista aguntur*, *Papa* Urbanus *colloquium Ducis*, *& Comitis desiderans*, *a* Roma *progrediens*, Capuam, *ubi obsessionem tenebant*, *venit*. Sic ibi. Sed esto, talia ipse adnotarit *Gaufredus*: simulque detur, nec de Comite *Rogerio* præfati Comitis *Rogerii* filio tunc a matre concepto, quod aliquando consentientibus mihi acris ingenii viris sum opinatus, quemque *Gaufredus* ejusmodi dignitate auctum certe non vidit, ibi esse sermonem, sed de patre *Rogerio*: an satis certi erimus, numeros annorum *Christi* sincere, nec depravatos, diminutosque vel a librariis, vel a Typographo nobis fuisse repræsentatos, a quibus consimilia alibi commissa menda frequentissimè dolemus? sane *Gaufredus*, qui in Præfatione libri 2. & lib. 4. cap 18. temporum, annorumque ordinem servaturum se professus est, cum exposuisset eodem lib. 4. c. 25. quæ in anno gesta fuerant MXCVII. mense *Maji*, dein cap. 26. & seqq. quibus obsidionem, deditionemque *Capuæ* enarrat, retulisse videtur, quæ successive, nec ante acciderunt. At Comitem *Rogerium* in prima hebdomada *Aprilis Pharum* transisse, continentique itinere *Capuam* pervenisse, tradit. Subsequenti igitur anno *Christi* MXCVIII. id evenisse oportet. Sit autem & hoc nullius roboris argumentum: an ipsimet *Gaufredo*, a cujus dicto lis hæc omnis pendet, fides erit deneganda; qui anno Incarnationis millesimo nonagesimo septimo, mense *Majo* Comitem *Rogerium*, non *Capuæ* in Castris præsentem facit, sed filiam suam e *Sicilia Alamanno* Regi *Ungarorum* (*Colomannum* dicit *Antonius Albizius* in Stemm. Principum *Christ.*; cujus unicam, neque hanc facit uxorem) matrimonio conjungendam maritimo itinere transmisisse sub ducatu *Henrici* Episcopi *Lescastrensis* (certe *Leocatensis*) aperto manifestat sermone? minime itaque hic Auctor alio anno *Capuam* obsessam a Comite *Rogerio*, quam eodem, quo *Lupus*, statuit: itemque non alio, quam dati ab eodem Comite Diplomatis, de quo dictum est; quibus ineditum antiquum *Cavense* consentit Chronicon, & Anonymus quoque *Cassin.* sed caute interpretandus, ut ibi dicam.

[1] *An.* 1099. *mense* Octobris *Papa* Urbanus *congregavit universam Synodum in civitate* Bari; *in qua fuerunt* 185. *Episcopi*, *& mense* Junii *in festivitate S.* Petri *Apostoli comprehensa est* Hierusalem *civitas a* Christianis, &c.] Distinguenda sunt ista, Synodusque *Barensis* ad annum antecedentem est A referenda, quam actam eodem anno, quo *Capua* a Comite *Rogerio*, ejusque asseclis est expugnata, ex Edinero in Vita S. *Anselmi* lib. 2. aperitur, nullo tamen anno palam ibi exposito, sed jam dicto tantummodo mense celebrati Concilii. *Deinde*, inquit, *soluta obsidione* (*Capuæ* scilicet) *multa prece* Anselmus *Papam* (*Urbanum* qui, ut verbis dicam Gaufredi, *colloquium Ducis*, *& Comitis desiderans*, *a* Roma *progrediens*, *apud* Capuam, *ubi sessionem tenebant*, *venit*) *ad hoc flectere conatus est*, *quatenus ab onere Pontificali eum absolveret*, *& quieti liberum vacare concederet*. *Verum* B *cum quantum ad effectum ad nihilum laborasset*, *fretus benedictione ejus*, Sclaviam *reversus est* (Pagum nempe in Diœcesi *Calatina*, vulgo. *Li Schiavi*, in *Campanæ* Ecclesiæ, sive dicas *Campani* tunc Principatus Provincia eidem Auctori antea descriptum, quo *Anselmus* Æstivi caloris inclementiam vitans, divertetat; indeque a Duce *Rogerio* accersitus, ad Castra super *Capuam* ab eo firmata accesserat, soluta autem obsidione, iterum illuc se receperat) *opperiens tempus Concilii*, *quod idem Papa apud* Barum *Kalendis* Octobris *erat celebraturus*. Hæc *Edinerus*. Et vero quinam potuit C *Urbanus* Concilium in civitate *Barii* congregare in anno 1099. mense *Octobris*, cum diem obierit, *Lupo* metipso fatente, mense *Julii* eodem anno, quod sane verum: celebrata nimirum *Romana* Synodo, quam dicunt Tertiam *Urbani*, in 3. hebdomada post Pascha, de qua Bertoldus Constantiensis jam dicto anno his verbis? Romæ, inquit, *Dominus Papa generalem Synodum centum quinquaginta Episcoporum*, *Abbatum*, *& clericorum innumerabilium tertia hebdomada post Pascha collegit*, &c. Quæ Synodus distinguenda haud videtur ab illa, quam Secundam appellant, actamque volunt post *Barensem*, in tertia simul hebdomada D post Pascha, verba pro se laudantes præfati *Edineri* loco antedicto, quæ sunt: *Finito*, inquit, *Concilio* Barensi, Romam *cum Apostolico profecti sumus*. *Transactis autem aliquantis diebus*, *venit* Romam Willelmus *ille*, *cujus in exitu* Angliæ *memoriam fecimus*. *Inter alia hoc effecit apud Apostolicum*, *ut inducias Regi* Angliæ *daret usque ad festum* S. Michaëlis *Archangeli*. *Quod* Anselmus *agnoscens*, *illico* Lugdunum *redire volebat*; *sed prohibitus a Papa est propter Concilium*, *quod se tertia hebdomada Paschæ* Romæ *habiturum statuerat*: Haud, inquam, *Romanum*, quod post *Barense* celebratum ab *Urbano* est Concilium, in duo est discandum; nam ejusmodi duplicitatem simplex, u- E nusque annus, qui intercessit inter *Capuæ* obsidionem, quam proxime *Barensis* Synodus est subsecuta, & *Urbani* obitum, non admittit; dierumque uniformitas, quibus tum *Romana* Synodus a *Bertoldo* descripta, tum quæ ab *Edinero*, est celebrata, de earum unitate dubitare me non sinit. *Guillelmum Malmesburiensem* sane de priori illo Concilio loquutum dum putant, in quo idem Auctor perhibet, *Papam cum omnibus sententiam excommunicationis vibrasse in Laicos investitores Ecclesiarum*, *& investitos a laicis*; *& in taliter* F *investitos consecrantes*, *& in illos*, *qui pro Ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt*, hoc ipso argumento antedictam a me utriusque Synodi unitatem confirmant; inter Canones enim prædicti Concilii 3. *Rom.* apud *Binium*, T. 7. p. 1. celebrati an. 1099. *Pr. Kal. Maji*: in Sabatho scilicet prid. Dominicam 3. post Pascha dicti anni,

Christiani Regem *Gottofridum*, qui fuerat (*a*) *Suevorum* Dux, & mense *Julii* prædictus Papa *Urbanus* obiit, & electus est *Paschalis* Papa.

Anno 1100. Mortuus est *Gottofridus* prædictus ab Urso egrediens a saltu, quem antea ipse fortiter ferierat.

Anno 1101. comprehensa est *Cæsarea* a *Christianis*, & ad solum usque perducta, & mense *Septembris* mortuus est *Goffridus* Comes, & (*b*) *Alexander* filius ejus intravit *Materam*, &. . . . . incæperunt habitari a *Montensibus*. Hoc anno obiit *Arnaldus* Archiepiscopus *Acherontinus*, & *Rogerius* Comes *Siciliæ* mense *Julii*.

Anno 1102. Indict. 10. mense *Novembris* obiit *Stephanus* Abbas *Materiensis*, & *Simeon* Abbas successit ei, & mense *Maji* electus est *Petrus Acherontinus* Archiepiscopus.

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Cod.* Andr. *Dux* Helvetiorum.
(*b*) *Cod.* Andr. Alexius.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

quem *Urbani* postremum fuisse statuunt, cum de 2. nulla extare acta, adfirment omnes, subsequens legitur Canon, sententiæ haud dissimilis ab *Malmesburiensis* enunciato. *Nullus Abbas* (verba sunt Canonis) *nullus Ecclesiarum Præpositus*, *quæ juris sunt Ecclesiastici a Laicis accipere sine Episcopi concessione præsumat*. Unam itaque *Romanam* Synodum post *Barensem*, ac post annum 1098. *Urbanus* celebravit, in anno nimirum 1099. Quo anno, ut ad *Lupum* redeam, nullo errore expugnatam ipse asserit *Hierosolymam*; sed diem prave consignat, cùm id inciderit in Idus *Junii*, ut *Tyrius* habet lib. 8. c. 5. & 18. aliique nulla discrepantia.

FINIS BREVIS CHRONICI *LUPI PROTOSPATÆ.*

APPENDIX [1]
INCERTI AUCTORIS,
e Rubei *Cod. papyraceo.*



ANno 1212. succedit *Federicus* secundus Imperator, ab *Honorio* Papa confirmatur, obiit anno 1253.

Anno 1253. succedit *Conradus*, regnat anno uno, veneno necatur a *Manfredo.*

Anno 1253. *Manfredus* succedit, regnat annis 13. a *Carolo* interfectus fuit, qui regnat annis 17.

Anno 1267. *Carolus Ludovici* frater a *Clemente* Quarto fit Rex, ut solvat 40. mil. aureorum pro feudo.

Anno 1281. intitulatur hic *Carolus* Rex *Hierusalem* propter *Mariam Antiochiæ* Regis filiam.

Anno 1284. succedit, & in Regnum *Ungariæ* pro uxore regnat annis 26. obiit anno 1309.

Anno 1309. succedit *Rubertus*, regnat annis 33. in S. *Clara* sepultus.

Anno 1333. *Andreas Ungariæ* Regis frater regnat annis 3. laqueo perimitur, sepultus est in Episcopatu *Neapolitano* in Capp. S. *Loysii*, relicta *Joanna* uxore.

Anno 1347. *Joanna* prædicta alio consobrino nupta, cum quo vixit annis 26. adoptat *Ludovicum Andegavensem*, dat *Avinionem* Ecclesiæ, & Ecclesia relaxat censum.

Anno 1365. *Clemens* Quartus 4. Kalendas *Julii* anno primo Pontificatus sui concessit perpetuo hoc Regnum Domino *Carolo* Comiti *Andegavensi* filio Domini *Ludovici* VIII. Regis *Francorum* fratris Sancti *Ludovici*.

Anno 1380. *Carolus* Regio genere natus ex primo *Carolo*, succedit, & Reginam necat.

Anno 1382. succedit in Regno *Ungariæ*, & dolo necatur 1383.

Anno 1384. *Ladislaus* succedit, regnat annis 29. veneno perit anno 1414. moritur in *Castronovo*, sed sepelitur in S. *Joanne* ad *Carbonetum*.

Anno

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] AD APPENDICEM *LUPI*, quæ justius Appendix ad Chronicon Anonymi *Cassinensis* dicenda est, namque istud in anno substitit 1212, a quo ipsa exorditur, paucula hæc in patriæ meæ gratiam observo, plurimis aliis omissis, quæ æque ac ista, non librariorum incuriæ, sed Auctoris imperitiæ videntur imputanda, mihique pro suscepti operis munere minime inpræsentiarum sunt castiganda.

Anno 1414. *Joanna* Secunda succedit, regnat annis 21. repudiat virum *Jacobum* de *Marcha*. Regnum dividitur; alii, & plures sequuntur *Alphonsum*, alii *Ludovicum Andegavensem*.

Anno 1433. 15. *Decembris* filia Regis *Catholici* venit *Neapolim* ad videndum Reginam prædictam.

Anno 1434. 26. *Novembris* die Dominico, obiit *Ludovicus* Tertius unicus filius D. Reginæ, Dux *Calabriæ*, & *Andegaviæ*.

Anno 1435. 2. *Februarii* hora 3. noctis obiit Regina *Joanna* Secunda sepulta in *Annuntiata*; relicto .... & gubernatoribus Regni. Publice Titulus Justitiæ erat hoc modo: Sub Reginæ gubernatur Respublica Regni *Siciliæ*, seu ordinatorum præclaræ memoriæ per Serenissimam Reginam *Ungariæ*, *Hierusalem*, & *Siciliæ* Reginam anno primo. Per dictam mortem succedunt *Renatus Andegavensis*, & *Alphonsus* adoptivi.

Anno 1435. Venit *Alphonsus* 5. *Augusti*, & a *Joanne* capitur.

Anno 1438. 19. *Maji* venit *Renatus Neapolim*, & regnat annis 7. cum infinitis malis.

Anno 1438. 3. *Augusti Renatus* vadit ad campum versus *Aprutium* pro pacando Regno; ultimo *Septembris* liberatus venit ad obsidendum *Neapolim*; die 17. *Novembris* ejusdem anni prope *Sanctum Angelum* in *Arena* interfectus infans *Castiliæ* frater *Alphonsi* ictu bombardæ sepultus in Monasterio de *Carmelo*, propter quod discessit ab obsidione 29. ejusdem mensis, & fuit captus.

Anno 1442. 2. *Junii* intravit *Alphonsus* per puteum prope S. *Sophiam* in domo *Citelli*, expulso *Renato*, qui fugit in arcem novam, & inde per mare cæpit regnare a die mortis Reginæ.

Anno 1452. venit Imp. *Federicus Neapolim* cum magnis triumphis.

Anno 1456. 5. *Decembris* hora 11. magnus terremotus, qui adæquavit aliquas terras solo, & maxime damnificavit *Neapolim*, & destruxit Ecclesiam S. *Joannis Majoris*, & alias domos.

Anno 1459. 16. *Julii* pestis per sex menses: moritur *Alphonsus* Primus in arce *Ovi*, demum multos post annos reducitur ad Sanctum *Dominicum* cum pompa.

Anno 1459. equitavit Rex *Ferdinandus* Primus per Civitatem regnat annis 26 [1].

Anno 1459. 25. *Octobris*. Armata Ducis *Joannis* filii *Renati* cum XIX triremibus apparuit in maritima *Neap.* in *Dohana salis*, & recessit inglorius.

Anno 1465. Venit *Neapolim Hippolyta Sfortia* uxor *Alphonsi* Secundi.

Anno 1470. *Elionora Ferdinandi* filia nupsit *Herculi Estensi*.

Anno 1476. *Beatrix Aragonia Ferdinandi* filia Regi *Ungariæ* nupsit. 18. *Septembris* exit ad Virum.

Anno 1477. prima *Septembris Joanna* Tertia soror *Catholici* Regis uxor *Ferdinandi* primi venit ad Virum.

Anno 1480. *Hydruntum* capitur a *Turcis* 27. *Julii*.

Anno. . . 23. *Januarii Ferdinandus* Secundus equitavit ut Rex, & duxit *Joannam* Quartam Infantam ejus amitam, & filiam *Ferdinandi* primi ex *Joanna* Tertia uxore.

Anno 1484. 22. *Augusti* moritur Papa *Xystus*. Eo anno 25. *Augusti* venit *Neapolim* D. *Franciscus* de *Arragonia* filius Regis *Ferdinandi*.

Anno 1490. Regnum *Granatæ* capitur.

Anno 1494. 25. *Januarii* obiit *Ferdinandus* Primus & sepultus est in Tribuna Sancti *Dominici*, ubi & cadaver *Alphonsi* erat. Isto anno fuit repertus *Tarenti* liber Sancti *Cataldi* consistens in tribus laminis plumbeis, videlicet, duabus extremis semiscriptis, & media scripta ex utroque latere, qui præsentatus fuit Domino Regi loquens de dicti Regis repentina morte, & sic fuit repente mortuus. Eo die *Alphonsus* Secundus ex prima uxore equitavit Rex, & eo anno legitur coronatus per legatos in Episcopatu cum magno triumpho.

Anno 1495. *Alphonsus* sentiens adventum *Gallorum*, diffidens auxilio Magnatum, qui eum oderant, sponte reliquit filio Regnum, ipse in *Siciliam* secedit. . . . ubi moritur in *Messana*. 23. *Januarii* discessit *Neapoli*.

Anno 1495. *Carolus* Octavus cum 80. mill. armatis capta vi *Cajeta*, eaque devastata, & data in sanguinem militibus, Regnum obtinuit, expulit *Ferdinandum* in *Isclam*, intravit *Neapolim* 22. *Februarii* in Castro *Capuano*, sanavit plures *Neapolitanos* morbo schrophularum. Eo anno quia Cives *Neapolitani* sufferre non poterant injurias *Gallorum*, 7. *Julii* redeuntem cum classe Regem *Ferdinandum* Secundum receperunt per portam *Mercati*, *Gallis* undique trucidatis; & ipse *Carolus* versus *Galliam* se salvavit, alias de eo, & exercitu suo actum fuisset.

Anno

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An. 1459. Equitavit Rex* Ferdinandus *Primus per civitatem. Regnat an. 26.*] At cætera antiqua omnia monumenta *Alfonsum Ferdinandi* primi patrem vita functum notant anno 1458. *Quo mortuo*, inquit Jovianus Pontanus de bello Neapol. lib. 1. *Reguli*, *civitatesque missis Oratoribus*, Capuæ *conventu habito* (*nam pestilentia* Neapolim *infestabatur*) *in* Ferdinandi *verba de more juravere.*

Anno 1496. 7. *Octobris* moritur strenuissimus *Ferdinandus* Secundus, & sepultus est in S. *Dominico*; eo anno, & die equitavit Rex *Federicus* in Civitate *Capuæ*, quia *Neapoli* erat pestis [1]. Regnat annis quatuor cum Serenissima *Isabella Baucia* uxore, ex qua genitis tribus filiis masculis, & duabus femellis expulsus ad *Ludovicum* Regem vadit, casu ejus domo igne combusta prius, postea moritur.

Anno 1502. 4. *Augusti* convenientibus contra *Federicum Ludovico Franciæ* Rege, Duce *Mediolani*, Catholico *Ferdinando*; & uxore, misso Domino de *Obegni* per *Franciam* cum magno exercitu *Neapolim*, & *Consalvo Ferdinando* cum alio in *Calabriam* Regnum obtinent. Facta est divisio Regni, facta deditione *Neapolis*. *Capua* prædata est per *Gallos* nolentibus Civibus se dedere.

Anno 1503. quia Regnum non capit duos, commissis pluribus stragibus, die *Veneris Aprilis*, in *Cirignola* victi *Galli*, iterum mense *Decembri* in *Garigliano*. Denique cum victorioso exercitu intravit *Neapolim* Prorex magnus Capitaneus 16. *Maji* die *Martis* hora xx. & demum una die quasi per duas horas cæpit *Arcem novam*: Aliæ se dederunt.

Anno 1503. mense *Decembris* habita est notitia mortis Reginæ *Isabellæ*, superstite *Joanna* filia, & *Ferdinandus* duxit aliam uxorem.

Anno 1506. prima *Novembris* die Dominico venerunt in Regno Rex *Catholicus*, & Regina *Germana*, de *Foix* uxor ejus cum quatuordecim triremibus, & aliis lignis: Intravit Civitatem rupta porta, sub pallio aureo, arcubusque triumphalibus per totam Civitatem ostendens lætitiam, dedit ei omnes gabellas, quas rehabuit, pro 30. mil. aureorum. Eodem anno 4. *Junii* discesserunt Rex, & Regina cum Illust. Magno Capitaneo, relicto *Joanne* de *Aragonia* Comite *Ripecursiæ* in Regno.

Anno 1507. 16. *Maji* Captus est piscis *Neapoli* centum cantariorum, de quo factum est oleum.

Anno 1508. 14. *Septembris* rediit *Neapolim Beatrix* Serenissima Regina *Ungariæ*. Moritur, & in Sancto *Petro* Martyre sepelitur, cum per prius venisset de *Ungaria*.

Anno 1511. 2. *Novembris* Vicerex Regni descendit *Bononiam* cum exercitu pro tuitione Ecclesiæ contra *Gallos*.

Anno 1513. 21. *Februarii* moritur *Julius* Papa Secundus hora 6. Eodem anno, 21. *Martii*, creatur Papa *Joannes* de *Medicis*, qui creatus Pontifex de natione *Florentina*, vocatur *Leo* X.

Anno 1514. mense *Novembris Tyberis* inundavit, & eodem anno 2. *Decembris Isabella Estensis* filia *Eleonoræ Aragoniæ* uxor Marchionis *Mantuæ*, equester venit *Neapolim* ad videndum Reginam, & discessit *Neapoli* 15. ejusdem.

Anno

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1496. 7. Octobris *moritur strenuissimus* Ferdinandus *secundus*, &c. *Eo anno*, *&* *die equitavit Rex* Federicus *in civitate* Capuæ, *quia* Neapoli *erat pestis*, &c.] Qui potuit eadem die *Capuam Fridericus* advolare, Barones Regni, ut oportebat, secum habens, quem ad eandem urbem ea sane die literas dedisse de suscepto a se Regno post mortem Nepotis *Campana* monumenta, ipsæque ejus, quæ extant in ejusdem urbis Archivo literæ, testantur? Certe ex actis Regiæ Cancellariæ coronatum illum solemni ritu *Capuæ* constat *in Ecclesia Cathedrali per manus Apostolici Legati* Cæsaris *Cardinalis* Borgiæ 4. *Idus* Augusti, *anno* 1497. *Indict.* 15. *præsentibus Archiepiscopo* Consentino, *Pontificis tunc* Alexandri 6. *a secretis*, *&* *quamplurimis Prælatis*, *Archiepiscopis*, *&* *Episcopis*, *atque nonnullis Oratoribus: videlicet Oratore Regis* Romanorum, *Regis* Hispaniæ, Venetiarum, *&* *Ducis* Mediolani; Prospero Columna *Duce* Trajecti, Fabritio Columna *Duce* Tagliacozzi, Alfonso *de* Aragona *de* Piccolomineis *Duce* Amalfiæ, Ferdinando Francisco Guevara *Marchione* Piscariæ, Trojano Caraczulo *Duce* Melfiæ, Alberico Carrafa *Duce* Ariani, Andrea *de* Altavilla *Duce* Termularum, Francisco *de* Ursinis *Duce* Gravinæ, Petracono Caraczulo *Comite* Pulicini, Joanne Thoma Carrafa *Comite* Mataloni, Trojano *de* Cabanellis *Comite* Montellæ, Bellisario *de* Acquaviva *Comite* Neritoni, Marco Antonio Caraczulo *Comite* Neocastri, Joanne

A Carrafa *Comite* Policastri, Vito Pisanello *Regio Secretario*, Antonio Grisono *Regio Camerario*, Roberto Bonifacio *Milite*, *&* *aliis Donnicellis*, *Baronibus*, *&* *Militibus*, &c. Sylvester Guarinus Aversanus in Diario sui temporis nondum edito, *Italice* descripto, de eadem *Frederici* Coronatione sic habet: *Giovedi à* 10. *di Agosto* 1497. *La Maesta del Signore Re Federico se incoronao allo Vescovato di Capua alle* 17. *hore con gran triunfe*; *&* *lo Legato*, *che lo ie à coronare*, *era figlio à Papa Alesandro*, *ch'era Cardinale de Valentia*, *dove foro assai Baruni*, *&* *gentilhuomini bene in ordine*; *ma*
B *non ci fu nullo Barone di casa Sanseverino. E dopo la Maesta sua cavalcao per Capua*, *e lo Signore Feranno d' Aragona gettava una sorte di moneta*, *che valeva mezzo carlino*, *quale moneta haveva da una banda un libro dentro una fiamma di foco*, *e lo motto diceva*: Recedant vetera. *dall' altra ci era una corona*, *e lo motto diceva*: A Domino datum est istud. *Domenica a di* 13. *sua Maesta fece uno bello convito alli Barune*, *&* *allo Cardinale di Valentia*, *&* *fecero gran festa*, *&* *triunfe. Et Lunedi sua Maesta se ne andao in Napoli insieme con lo Cardinale. Allo convito si trovao lo Prencipe di Bisigna-*
C *no di casa Sanseverino.* Hæc ille. Id tamen verum est, quod Notarius *Cæsar Malfitanus* de *Neapoli* in Protocollo de an. 1496. sic adnotavit pag. 39. *Die*, inquit, *septimo* Octobris 1496. *mortuus fuit Rex* Ferdinandus 2. *Et in eodem die equitavit Serenissimus Rex* Federicus; *qui Rex fuit benedictus eodem die per Reverendissimum* Alexandrum Carrafam *Archiepiscopum* Neapolitanum.

Anno 1516. 23. *Januarii* obiit Rex *Catholicus*, & eo die successit *Joanna*, & *Carolus*, maximus ejus filius.

Anno 1517. 7. *Januarii*, die *Mercurii*, prima hora noctis obiit *Joanna* Tertia, soror *Catholici* Regis.

Anno 1518. 28. *Augusti*, obiit *Joanna* Quarta filia *Joannæ* Tertiæ prædictæ, die Sabbati.

Anno 1519. 12. *Januarii* Moritur *Maximilianus* Imperator.

Eodem anno 7. *Julii* habita est notitia per litteras, qualiter est electus *Carolus* Rex *Romanorum*, & Imperator.

FINIS APPENDICIS INCERTI AUCTORIS AD *PROTOSPATAM.*

ANONYMI MONACHI CASSINENSIS, RERUM IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM, BREVE CHRONICON,

Ab anno Christi M. *usque ad* MCCXII.

E duobus Codd. mm. ss. 47. & 199. qui sunt in *Cassinensi* Cœnobio diligenter exceptum.

Additæ sunt Appendiculæ aliquot ex Codd. mm. ss. ejusdem Bibliothecæ Cassinensis, *Notæque* A. Caraccioli; *ut &* Camilli Peregrinii *Notæ & Castigationes.*

JUDICIUM ANTONII CARACCIOLI DE ANONYMO MONACHO CASSINENSI.



Es, suæ, & superioris ætatis, easque præcipue, quæ ad Cassinensem *ditionem sibi visæ sunt pertinere, accurate literis mandavit hic Monachus. In Cod. m. s. e quo dum in religiosissimo* Cassinensi *Cœnobio essem, excepi, non est Auctoris nomen. Haud rarò id antiquis Scriptoribus, & maximè Monachis, in more fuit, ut in editione librorum, modestiæ ergo, nomen cælarent suum. Atqui hunc scriptorem fuisse Monachum* Cassinensem, *produnt aperte verba ejus ad ann.* 1139. *Idem Rex* Rogerius *ad hoc* (Cassinense) *Cœnobium venit* 3. *Kal.* Aprilis: *cui per chartulam* Roccha *de* Bancia *traditur pro* Pontecurvo, *quem dicebat injuste a nobis detineri. Et ad ann.* 1201. *Abbatem* Cassinensem, *suum vocat Abbatem. Extendit autem hoc Chronicon usque ad ann.* 1195. *quo, ut opinor, ipse vivebat. Gratiæ profecto huic habendæ sunt, quod multa narret, quæ nemo alius scripsit. Plura ego non habeo, quæ de Chronographo anonymo, & hactenus inedito, dicam. Porro hominum gestorumque hoc Chronico descriptorum clariorem notitiam dat Nomenclator quem in Propylæis præfiximus Operi* [1].

ANO-

[1] Antiqui Chronologi quatuor *dicto.*

ANONYMI MONACHI CASSINENSIS [1], RERUM IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM, BREVE CHRONICON,

Ab anno Christi. M. *usque ad* MCCXII.



Nno 1000. *Otho* Imperator puer *Beneventum* venit. (†) Quidam *Nortmanni Hierosolymis* venientes, *Salernum* a *Sarracenis* liberarunt.

1001. Ob-

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(†) *Quæ Cod.* Cassinen. 199. *plura habet*, *ea* † *notavimus.*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] Uni Anonymo, *Cassinensi* Monacho, universum hoc adscribitur Chronicon, quod ab anno *Christi* millesimo nulla satis congrua, quam cognoverim, occasione deductum, ad annum pervenit 1212. Auctorisque sui nullo nomine prodito, est non in uno ejusdem Monasterii manu exarato Codice, sed nec integrum, nec ad eandem prorsus normam, descriptum. Namque ejus pars, quæ ad annum pertingit 1152. in Codice habetur signato num. 47. librariique sane errore ab anno 1034. ad finem usque fœdissimam, ac fere perpetuam unius anni anticipationem fovet. Subsequentem verò partem ab anno 1154. ad annum 1195. Codex exhibet signatus num. 199. qui simul anteriora illa continet ab anno millesimo, non tamen eadem prava annorum consignatione perturbata: quippe qui recentius, nec inepte, fuerit ut plurimum castigatus, sicut frequentes in eo rasuræ, locisque quibus oportuit, nova superinducta scriptura demonstrant. Postrema tandem pars scripto Codici adsuta est Chronicorum *Leonis Ostiensis*, & *Petri Diaconi*, quæ non ab anno 1195. ad quem subsistit modò dictus Codex 199. sed ab anno exorditur 1153. ita ut Auctarium, sive continuatio haud putanda illa sit Chronici descripti in Codice 199. sed Chronici in Codice 47. qualis plane esse videtur, eundem cum servet Prochronismum ad annum usque 1188. quo vitio, ut dixi, prior pars illa in præfato Codice 47. simul laborat: ex occasione nimirum, mihi iterum in Serie Abbatum *Cassinensium*, in *Theobaldo* exposita; quod *anni Dominicæ Incarnationis*, *& Indictiones*, *& cætera* (minio depicta) *quæ debuerant nigræ scripturæ* (scilicet singulis per singulos annos narratiunculis) *præponi*, *fuerunt postposita* ad jam dictum usque annum 1188. ad quem librarius hæc monuit his ipsis ver-

A bis; dicens insuper, subsequentia suo quæque loco fuisse descripta. *Debinc vero*, inquit, *præponuntur anni Domini*, *& cætera*, nam anni etsi nullis eventibus clari, suo nihilominus ordine notati ibidem fuerant. Aspectus igitur, & ordo præfati Chronici in antiquis exemplaribus, omissa illorum minutiori, sed ad rem nihilo utiliori descriptione, est plane, quem dixi. Ex iis vero ejus editio, quæ adhuc unica habetur, subscripto ordine cum processerit; nempe pars ejus, quæ ad annum pervenit 1152. cum fuerit deprompta ex Cod. 47. subsequens autem pars ad annum
B usque 1195. ex Cod. 199. reliqua tandem ex tertio superius dicto Codice manarit, factum hinc est, & prior pars illa, ad sui Archetypi instar, male consignatos annos nil melius repræsentarit; cætera autem pars, quæ ad exemplum Codicum notæ melioris expressa est, haud talem contraxerit deformitatem. Sed utinam priscus librarius, qui ex deperdito nunc Autographo novum ante alios omnes exscripsit exemplum; sive illud hoc fuerit, quod in Codice habetur 199. sive aliud (nam exemplum in Codice 47. exaratum ex alterutro effluxisse videtur, quod ulterius produ-
C cendum quoque fuerat, sicuti adsutæ ibi, consuetisque lineis interstinctæ, scribendoque accommodatæ membranæ, quæ nunc vacuæ, indicant: nec sane Codex 199. & ipse olim mendosus, Prototypum dicendus) utinam, inquam, notulas ut reor, ad antiquissimi exemplaris oram postea descriptas, recens librarius in exaratum a se Antigraphum inducens, eas ad respondentes *Christi* annos attentiori cura retulisset! quam inconvenientiam non censor ille, qui annos in Cod. 199. paucis exceptis, rite direxit, nec alius postmodum advertit; unde multa in annis disparata, ab-
D surdissime simul congesta præsenti in Chronico nunc habentur, quæ minime credam, a primævo ejus Auctore, viro non prorsus inerudito, adeo inepte fuisse consarcinata. Sanè in *Lupo* quoque, ne aliena, remotioraque a nobis dem exempla, non semel hunc ipsum commissum errorem, suis locis probatum est; quod etiam de annotata ibidem collectione annorum ab obitu S. *Martini* ad annum *Christi* 912. sentiendum judico: quæ haud



1001. Obiit *Otho* tertius Imperator *Sutri*, & *Henricus* filius patrui sui fit Rex [1].

† Beatus *Dominicus* migravit ad *Christum* [2].

1002. Hoc anno venerunt *Sarraceni* super *Capuam*.

1004. Terremotus ingens per XV. & eo amplius dies hunc montem exagitavit, ita ut in nonnullis locis Ecclesiam scinderet [3].

1007. Obiit *Landulphus* Princeps *Capuanus*.

1010. Obiit *Joannes* Abbas *Beneventi* [4].

1014. *Henricus* Rex venit *Romam*, & coronatus est a Papa *Benedicto*. Et *Pandulphus* Princeps . . . . [5].

1016. Luna versa est in sanguinem.

1017. † *Nortmanni*, *Melo* duce, cæperunt expugnare *Apuliam*.

1021. *Dattus* captus est a *Græcis* in turri *Gariliani*.

1022. *Henricus* Imperator venit *Italiam*, & super *Trojam*. *Theobaldum* ordinavit Abbatem. *Pandulphum* fecit Principem, qui fuit. Comes *Theanensis* *Pandulphum* Principem vinctum secum absportavit. Obiit *Athenulphus* Abbas.

1025. Ob-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

haud ab eodem Auctore, genere *Apulo*, sed ex *Francorum* more a viro *Franco* ad oram prisci exemplaris fuerit, procedentibus annis, exarata; exque Codice illo in alios dein manarit. Verùm quid te diutius moror? Nostri ne *Cassinensis* Anonymi, quæ nunc habentur in membranis exemplaria, alia aliis vicissim cum sint pinguiora, non id clare probant? ipsa nimirum a suis librariis, sive ab iis, qui denuo hoc opusculum describendum curarunt, par arbitrio fuisse qua aucta, qua decurtata? Chronicon sane metipsum ad annum usque 1137. ex *Ostiensis*, & *Petri Diaconi* Chronicis defloratum, nec ab unico continuatum *Cassinensi* Monacho, observatu difficile non est: quod perinde est, ac varie a variis fuisse acceptum; nam quisquis illud ad annum produxit 1195. *Cassinensem* Abbatem *Roffridum*, tunc viventem, absolute *Abbatem* appellat: secus autem, qui annos supplevit ad 1208. qui *Domnum* illum, & *nostrum Abbatem* dicit. At reliquos quatuor annos neutrum, sed tertium quendam Monachum habuisse existimo adnotatorem; qui primi continuatoris morem sequutus, nec præmemoratum *Roffridum*, nec ejus successorem *Petrum* honestiori alio, quam simplici *Abbatis* titulo condecorat. Hanc porro auctorum multiplicitatem ex aliis etiam probare possem adminiculis, sed id tanti non est; eruntque hæc ad rem præsentem satis.

[1] *An.* 1001. *Obiit* Otho *tertius Imperator* Sutri &c.] Ostiensis lib. 2. cap. 24. obiisse dicit *Othonem apud* Paternum, *non longe a civitate* Castellana, sed annum non admodum clare prodit; cui de loco consentiunt plerique alii antiqui, de anno nihilominus subscribentes huic Anonymo. Alii tamen ab iis discrepant, quos sequitur, ac D tuetur *Baronius*, defunctum illum perhibentes anno sequenti. Sed Auctorum non semper nunc observo discrepantias, qui exules, exoletasque studiosius aucupor lectiones, & fugitivas. Hoc non prætaream, in Codice 199. deficere τὸ *Sutri*: in quo etiam deficiunt nonnulla deinceps alia, quæ Codex habet 47. locis infra descriptis, eaque hoc loco congerere, opportunum duxi. In Codice igitur 199. hæc desiderantur. Ad an. 1010. *Obiit* Joannes, &c. ad ann. 1022. *obiit* Athenulphus *Abbas*. ad an. 1066. Campaniam. ad an. 1089. *B.* Martini ad an. 1093. *Ecclesia S.* Andreæ, &c. ad an. 1107. *Castrum* Terami, &c. ad an. 1125. *Castellum* Suiu. &c. ad an 1129. *ivit.* ad an. 1136. *pæne. totam. quatuor*, ad an. 1145. *apud* ad an. 1146. *alii a* Turcis *occisi sunt*. ad an. 1150. *obiit* Sybilla *Regina*. ad an. 1151. *multi*, *&*. ad an. 1152. *Sol passus est Eclipsim.* & infra. *Rex* Hierosolymitanus *cepit civitatem* Ascalonam. *Rex* Rogerius, &c. Item deficiunt ista alia, quæ ter- E

A tius Codex habet. Ad an. 1158. Cassinensis. ad an. 1162. *Rex* Siciliæ, &c. ad an. 1176. Andriæ. & ad an. 1183. *Ecclesiæ*. Hæc curiosius notare non piguit, ut haberes, quæ quibus differant utraque scripta hujus Anonymi exemplaria, nam editus Codex affixo indicavit signo salutis. †. quæ non sunt in Cod. 47. utque ex his noscas, quam varie, ut prædixi, præsens a librariis Chronicon fuerit acceptum.

[2] *An.* 1001. Ex Cod. 199. *Beatus* Dominicus *migravit ad* Christum.] Ipse falleris, non me fallis, Anonyme: ni tuus librarius, quod magis credam, sit falsi (saltem oscitantiæ) accusandus. B *Ostiensis* sane lib. 2. cap. 60. ex quo tu ista, præfatum B. *Dominicum*, Monachum *Cassinensem*, ad Dominum migrasse perhibet in anno 1031. idemque inedita Acta ejusdem Divi, ac *Petrus* Diac. adstruit lib. 3. cap. 39. bis. Manifestum adeo errorem nullus certe, nisi librarius, commisit; qui, ut infra alias sæpe, notulam ad antiquissimi exemplaris oram exaratam, novum in codicem intulit, & in locum non suum: quoniam scilicet illam inter binas columnas, ut loquuntur, defixam, qua forma præfatus Codex erat, ni fallor, descriptus: cum nesciret ad annum referen- C dam 1031. ad respondentem ex adverso latere annum retulit 1001. qui in opposita columna erat notatus. Codex quidem *Ostiensi*, & *Petro Diacono* adsutus, ex amplissimis compactus membranis, etiam per columnas exaratus habetur.

[3] *An.* 1004. *Terremotus ingens*, &c.] *Ostiensis* lib. 2. cap. 25. id refert in annum octavum Abbatis *Joannis*, qui hic fuit *Christi* 1004. Vide Seriem Abbatum.

[4] Post annum 1010. est supplendus annus 1011. a Typographo omissus; ad quem tum Codex 47. tum 199. hæc habent. *Sol defecit*, *& fames valida fuit.*

[5] *An.* 1014. Henricus *Rex*, &c. *Et* Pandulphus *Princeps*. . . .] In exemplaribus nulla est lacuna, quæ hanc plenam habent sententiam. θ. Pandulphus *Princeps*, hoc est. *Obiit*. Symbolica igitur quæ erat obitus *Pandulfi* nota, cum visa fuisset. &. textum persuasit mancum: de quo miror; nam Typographus ejusdem notulæ usurpatam significationem, quæ ab *Lipsio* De recta Pronunc. L. L. cap. 14. aliisque affatim exposita est, bene callens, ad an. 1077. obitum *Richardi*; ad an. 1104. obitum *Oderisii*; ad an. 1117. obitum *Paschalis*; ad an. 1122. obitum *Girardi*, & alibi pluries, per. *obiit*. expressit, qui per θ. in scriptis exemplaribus constanter fuerant demonstrati. Sane in Chronico *Ceccanensi* nondum edito, quod ex loco, ubi primum repertum, vocant *Fossæ novæ*, in quo alia multa totidem syllabis atque in hoc enarrantur, hæc ipsa de *Henrici* Regis coronatione & Principis *Pandulfi* obitu absque ullo defectu hoc anno habentur.

C. Peregr.

1025. Obiit Domnus *Henricus* Imperator, & *Pandulphus* Princeps solutus vinculis, anno uno obsedit *Capuam* cum *Græcis*, & tandem recepit eam [1].

1027. Idem *Pandulphus* Princeps ingressus est *Neapolim*, & obtinuit eam anno uno, & mensibus quinque [2].

1029. Luna quintadecima obscurata est.

1033. Solis pars maxima obscurata est in ipsa festivitate S. *Petri* [3].

1034. Obiit *Theobaldus* Abbas [4].

1035. *Basilius* fit Abbas.

1036. Sexto Kal. *Febr.* Mons *Vesuvius* eructavit incendium, ita ut usque ad mare discurreret [5].

1037. *Conradus* Imperator ingressus est *Capuam* Vigilia Pentecostes, & in Pentecoste coronatus est. *Athenulphus* Episcopus reconciliatur [6]. *Pandulphus* Princeps exiliatur. *Guaimarius* fit Princeps, & *Richerius* Abbas.

1038. Ob-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1025. *Obiit Domnus* Henricus *Imperator*; *&* Pandulphus *Princeps solutus vinculis, anno uno obsedit* Capuam *cum* Græcis, *& tandem recepit eam.*] Scripta exemplaria. *vi recepit.* quibus favet *Ostiensis* lib. 2. cap. 57. sed per sesquiannum obsessam tradit: uter verius, dicam in Principum *Capuæ* Chronologia.

[2] *An.* 1027. *Idem* Pandulphus *Princeps ingressus est* Neapolim, *& obtinuit eam anno uno, & mensibus quinque.*] Ostiensis loco antedicto. *Tenuitque* Neapolim Capuanus *Princeps per annos ferme tres.* Igitur in Anonymo scriptum prius fuerat. *obtinuit eam an.* II. *& mens.* V. altera autem unitatis nota in vetustissimo codice exoleta, recentiores librarii scripsere. *anno uno*, &c.

[3] *An.* 1033. *Solis pars maxima obscurata est in ipsa festivitate* S. Petri.] *Ex certa Astronomicarum Tabularum observatione*, inquit Baronius ad. 1033. num. 9. *constat hanc Solis Eclipsim contigisse hoc anno*, 3. *Kal.* Julii, *ipsa die Apostolorum* Petri, *&* Pauli: ut eam *Glaber Rodulfus* consignavit lib. 4. cap. 9. Dein *Helgaldum* reprehendit, ac *Sigebertum*, illam referentes ad an. 1032. Et Astronomorum quidem calculos pro *Glabro* ibi, ac pro nostro Anonymo hic stare, negandum non est. At Glaber nec sibi de anno prædictæ Eclipsis admodum constare, hinc intelligi potest; quod ipse antedicto loco tradat, iterum quoque *post annos* IV. (scribe. *VI.* hoc est in an. 1039.) *factam Eclipsim Solis*, *undecima die Kalendarum* Septembrium, *feria* 4. *hora* 6. *atque Luna*, *ut semper fit*, *vicesima octava*: *eodemque nihilominus anno* Conradum *apud* Saxoniam Romanorum *obiisse Imperatorem.* Nam lib. 5. cap. 1. *Conradi* obitum refert ad annum *Millesimum quadragesimum primum Incarnationis Dominicæ*, *quo extitit Terminus Paschalis duodecimo Kalendarum* Aprilium, *& ipse dies undecimo.* idque adnotare se dicit, *quoniam nec communis unquam sit temperior*, festus scilicet dies Paschæ. Nec ignoro, *Baronium* censuisse vitio librariorum ibi scriptum. *anno* MXLI. pro. *undequadragesimo*: veruntamen Tabulæ Ecclesiasticæ docent, Pascha XI. Kal. *Aprilis* celebratum in ipso, quem *Glabri* Codex designat, anno 1041. non 1039. nec de male consignata die Paschatis librarios argues, quos ipse *Glaber* tuetur, dicens, hoc solemne nunquam tempestivius die fieri antedicta, quod verum.

[4] *An.* 1034. *Obiit* Theobaldus *Abbas*] Hinc annorum ordo præposterus est in Codice 47. atque adeo in Codice edito *Theobaldum* obiisse anno sequenti, perhibet *Ostiensis* lib. 2. cap. 62. exque certissimo annorum calculo probatum est in Serie Abbatum *Cassinensium.*

[5] *An.* 1036. *Sexto Kal. Febr. Mons* Vesuvius

A *eructavit incendium*, &c.] Non de hac *Vesuvii* eruptione Ostiensis lib. 2. cap. 82. cum dicit. *Quo mortuo*, (*Pandulfo* scilicet *Campano* Principe hujus nominis quarto, quem obiisse in anno 1050. X. Kal. sive IX. Kal. *Martii*, alio dicam loco) *Mons* Vesuvius *in flammas erupit*: &c. nam pergit. *sequenti anno prædictus Pontifex* (*Leo* 9. hoc est secundo anno sui Pontificatus, nam de primo dixerat paulo ante cap. 80.) *iterum ad hoc Monasterium venit in Vigiliis* S. Petri; *& die sequenti*, *& altero Apostolorum* Petri, *&* Pauli *missas celebravit. Cumque die illo* (tertio nimirum a vigi-
B liis præfatis, ipsoque die Commemorationis *S. Pauli*: trigesimo *Junii* (*Sabbatum esset*) in anno 1050.) *ad Fratrum mandatum ingressus*, *duodecim Monachis pedes lavit*, &c. De eadem sane eruptione ineditum Chronicon *Cavense* totidem verbis, sed ad an. MXXXI. pro MXXXVII. qui in nostro etiam Anonymo est restituendus, ut constat ex dictis. Porro hanc *Vesuvii* conflagrationem, quæ in cunctis *Ostiensis* Codicibus loco legitur superius indicato, nec non *Solitarii* visionem ibidem descriptam, haud *Pandulfo* 4. sed *Pandulfo* cognomine *Caputferreo* competere, in Hist. PP. *Langobardorum* col. 142. seq. & in Serie Abb. *Cassin.* in *Aligerno*
C abunde est probatum. Cujus quidem eruptionis in anno factæ 1050. unico præfati auctoris, si tamen ejus, cessante nunc testimonio, expungant illam e *Vesuvianorum* incendiorum Catalogo, quicumque novissimas ejusce montis flammas literis consignarunt, ac Petro Damiani fidem injuste negatam, commodent necesse est, perhibenti ipsam contigisse sub *Othonis* 2. in *Cis-Tyberinam Italiam* adventum hoc est in an. 981. qui *cum Opusculum dictator exararet*, ab præsente sibi *Desiderio* tunc *Cassinensi* Abbate, sinceræ vir fidei ab æque sincero enarratore, & Anachoretæ visio-
D nem, & montis incendia juxta seriem a se expositam, se accepisse, testatur. Ego sane jam pridem in *Italica* Dissertatione *De nativis* Campaniæ *incendiis*, quam flagrante *Vesuvio* in anno 1631. extemporaneam habui, domique servo, cum pleraque nec post ab aliis super ea re observata exposuissem, *Petro Damiani* standum, currenti licet calamo, pronunciavi.

[6] *An.* 1037. Conradus *Imperator ingressus est* Capuam *Vigilia Pentecostes*, *& in Pentecoste coronatus est.* Athenulphus *Episcopus reconciliatur* &c.] Ostiensis lib. 2. cap. 64. de adveniente *Conrado Capuam* hoc anno (anno inquam 1018. qui de-
E pravato Anonymo est 1037.) *Imperator*, inquit, Capuam *in ipsis Vigiliis Sanctæ Pentecostes intravit. Altera die civitatem egressus*, *apud* Capuam *veterem tentoria figit.* Igitur urbe egressus est, postquam sacris interfuisset mane celebratis, inter quorum solemnia fuit coronatus. Cur autem non *Romæ* coronatus est *Conradus*? Dices; quia non tunc primum vel in Regem, vel in Imperato-

1038. Obiit *Conradus* Imperator, *Heinricus* filius ejus imperat.

1041. Luna XIII. obscurata est per quinque horas V. Idus *Febr.* cum nulla nubes appareret in cœlo [1].

1044. *Richerius* Abbas ejecit *Normannos* de terra Sancti *Benedicti.*

1046. *Heinricus* Imperator venit *Capuam*, & reddidit eam *Pandulpho* Principi juniori.

1049. Hoc anno *Leo* Papa ordinatus est [2].

1051. *Guaimarius* Princeps interficitur, & *Bonifacius* Marchio [3].

1052. *Leo* Papa cum *Normannis* in *Apulia* dimicavit.

1053. *Leo* Papa obiit.

1054. *Victor* Papa fit. *Richerius* Abbas defungitur, & *Petrus* Abbas ordinatur.

1056. *Federicus* fit Abbas, qui & postmodum *Stephanus* Papa.

1057. Hoc anno defuncto *Stephano* Papa, & hujus Monasterii Abbate, Domnus *Desiderius* omnium Fratrum unanimitate Abbas est ordinatus.

1058. *Nicolaus* Papa ordinatur.

1060. Obiit *Nicolaus* Papa.

1061. *Alexander* Papa ordinatur. *Richardus* intravit *Capuam*, & factus est Princeps XII. Kal. *Junii* [4].

1062. Lu-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

torem est ille sublimatus; quem Regem salutatum perhibent anno 1026. Imperatorem anno sequenti; sed solemnitas quædam ejus fuit tum Regiæ, tum Imperialis coronationis, agi, ac repeti solita in celebrioribus anni diebus, quam Anonymus hic noster, itemque *Cavensis* ineditus Chronologus compendioso adnotarunt sermone, *Ostiensis* vero omnino præteriit, utpote ex frequenti, ut dixi, consuetudine rem satis notam. *Sigebertus* sane coronatum eundem hunc *Conradum* perhibet anno antecedenti, die pariter Pentecostes ad Missam apud *Mediolanum*. *Lotharius* quoque Imperator in anno 1137. mense *Septembri* cum in civitate esset S. *Germani* ad pedes *Cassini* Montis, missumque delegasset ad Monachos in superiori Monasterio degentes, qui eis nunciaret, se postridie Montem ascensurum, *ipse coronam Patritiatus accepturus, in Civitate remansit: quippe tunc Exaltationis Sanctæ Crucis agebatur celebritas*, quæ sunt verba *Petri Diaconi* in Auct. ad. *Ostien.* lib. 4. cap. 120. *Venetæ*, & *Parisiensis* editionis, atque scripti etiam exemplaris. *Robertus* de *Monte* in antiquo Codice apud *Juretum* ad *Ivonis* epist. 70. de Monasterio scribens S. *Joannis Laudunensis*: *Tantæ vero dignitatis*, inquit, *erat eadem Abbatia, ut quandocunque Rex* Francorum *in diebus solemnibus* Lauduni *coronandus esset, in ipsa præcipuè* (malim. *præcipuam*) *coronam auream portaret*. *Sugerius* quoque in *Ludovico Crasso* frequenter iteratas Regiarum coronationum celebritates prodit, tradens, Remensem *Ecclesiam contendisse primæ Regiæ coronæ provincias* (*primitias* legit idem *Juretus* ad *Ivonis* pariter epist. 189. sed absque necessitate, qui aliis etiam in locis immerito eundem Auctorem vexat, etsi non injuste multotiens illum castiget) *ad se pertinere, & spectare*; nam de coronationibus, quæ ex more repetebantur, non curabant *Remenses*. Ex hoc itaque ritu coronatus est *Capuæ Conradus*. Sed quod noster addit de reconciliato tunc Episcopo *Atenolfo*, id accipe de *Campano* Archiepiscopo eo nomine appellato, quem Princeps *Pandulfus* 4. ut perhibet Ostiensis lib. 2. cap. 64. olim *carceri mancipaverat, præfatus autem Imperator sedi suæ restituit*; sive ut Historiæ *Neapolitanæ Latinus* Auctor, ubi de *Capuæ* Archiepiscopis col. 302. exposuit, *Archiepiscopum fecit, & elegit*, pro se *Cavense* ineditum laudans Chronicon, in quo tamen nil tale.

[1] *An.* 1041. *Luna* XIII. *obscurata est per quinque horas, V. Idus* Febr. *cum nulla nubes appareret in Cœlo*] Scripti Codd. *V. Idus* Januarii. Sed

A Annus certe ex more anticipatus in Codice 47. restituendus est 1042. ut habet Codex 199. Præsens autem Lunæ deliquium haud ex luminarium oppositione factum videtur; siquidem frustra, ac falso obscurata ea diceretur, *cum nulla nubes appareret in Cœlo, essetque decima tertia*. Astronomi sane docent, me vero Plinius lib. 2. cap. 13. *Lunæ defectum non fieri, nisi plena, semperque citra quam proxime fuerit.*

[2] *An.* 1049. *Hoc anno* Leo *Papa ordinatus est.*] Alii etiam antiqui, ipseque *Ostiensis* lib. 2. c. 80. & seqq. quo auctore usus est hic noster, electum

B *Leonem* tradunt descripto anno 1049. Anonymus tamen novam hac vice tenens supputationem, in Codice 199. annum electi *Leonis* designat 1050. qui in Codice 47. est 1049. more ibi consueto.

[3] *An.* 1051. Guaimarius *Princeps interficitur, &* Bonifacius *Marchio.*] Alter *Salerni* Princeps, alter *Mantuæ* Marchio. Utriusque autem cædes in Cod. 199. ad an. notatur 1052. quo *Hermannus Contractus* rei gestæ coævus *Bonifacium* peremptum prodit. Sed *Guaimarium* tunc quoque nece sublatum Chronicon exponit *Cavense*, quod

C etiam ex Ostiensi intelligi potest, perhibente l. 2. c. 84. *eodem anno illum occisum, quo inter* Leonem 9. *&* Henricum 2. *facta est commutatio de* Benevento, *& Episcopio* Bambergensi; quæ ex præfato *Hermanno* in exeuntem an. 1052. est referenda. Sed de his alibi.

[4] *An.* 1061. Alexander *Papa ordinatur.* Richardus *intravit* Capuam, *& factus est Princeps* XII. *Kal.* Junii] *Nicolaus* in anno decessit 1061, extremo, ut volunt, *Junio*; cui subrogatus est *Alexander* post tres circiter menses, quod tradit *Ostiensis* lib. 3. cap. 21. Noster igitur more non

D suo, sed sui librarii, annum anticipans, obitum cum notasset *Nicolai* ad annum 1060. electionem *Alexandri* minimè in sequentem debuit referre. Qui anno etiam citius *Richardum* ex *Aversæ* Comite Principem *Capuæ* factum prodit; namque ille in anno 1058, ut ex antiquis Tabulis, & ex *Romualdo Salernitano* manifestum est, *Capuam*, sed limitata quadam potestate, obtinuit: plenissime autem in anno 1062. quod Anonymus hoc loco notat, fusiusque Ostiensis lib. 3. cap. 16. perhibens simul, *Richardum* a *Nicolao* 2. apud *Melfiam*, *Apuliæ* urbem, Concilium celebrante in anno 1059.

E *Capuæ* Principatum obtinuisse. *Iisdem quoque diebus*, inquit, *&* Richardo *Principatum* Capuanum, *&* Roberto *Ducatum* Apuliæ, *&* Calabriæ, *atque* Siciliæ *confirmavit, cum sacramento, fidelitate* Romanæ *Ecclesiæ ab eis primo recepta*, &c. *Confirmavit*, inquit, quod noto, ne rem secus ac gesta traditur, quis capiat, hujus scilicet verbi

1062. Luna quintadecima Eclypsim passa est V. Idus *Novembris*.

1065. Hoc anno Domnus *Desiderius* Abbas cæpit ædificare Ecclesiam Sancti *Benedicti* in hoc Monte *Cassinensi*.

1066. Stella Cometes apparuit. *Gotfridus* Dux cum exercitu venit *Campaniam* usque *Aquinum*. *Richardus* Princeps terram *Marsorum* intravit [1].

1071. Ecclesia nova Sancti *Benedicti* dedicata est ab *Alexandro* Papa die Kalendarum *Octobrium* cum quinque altaribus sanctis [2].

1072. *Alexander* Papa defungitur, & *Ildeprandus* Archidiaconus in Papam *Gregorium* ordinatur mense *Aprili*.

1074. Nocte Natalis Domini captus est prædictus Papa super sanctum altare a quibusdam *Romanis*, sed vi, & constantia omnium *Romanorum* eodem die receptus est.

1075. Venit hoc anno *Robertus* Dux super *Salernum* pridie Nonas *Maji*, & obsedit eam terra, marique, & cæpit eam die Idus *Decembris* [3].

1076. Hoc anno *Richardus* Princeps cæpit obsidere *Neapolim* principio mensis *Maji* [4].

1077. (*a*) *Richardus* Princeps obiit *Capuæ* quinta feria Cœnæ Domini, & *Neapolis* obsidione soluta est, & *Jordanus* fit Princeps.

1080. *Heinricus* Rex valida manu venit *Romam*, sed obsistentibus *Romanis* cum Papa *Gregorio* sine effectu regressus est. *Robertus* Dux *Romaniam* debellaturus ingreditur.

1082. *Heinricus* Rex iterum *Romam* veniens, Porticum S. *Petri* vi captam ex parte de-

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Breve quoddam Chronicon* Catanei *manu exscriptum ponit obitum* Richardi *Principis ad ann.* 1080. Protospata *autem ad an.* 1077.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

usus frequenti tunc usurpatione; qua dicebant, *firmari*, & *confirmari*, quod firmiter, vel in perpetuum possidendum concedebatur: idem enim est *perpetuum*, quod *firmum*; quocirca ipsa concessionum Præcepta passim *firmitatis apices* olim appellata, ipseque subsignandi actus, uti nunc etiam vulgo, per *firmare*, & *confirmare* exponebatur: nempe quod scriptione firmarentur, perpetuoque mansura fierent ore promissa. Ostiensis lib. I. c. 28. *Princeps* Radelchis, *&* Siconolfus *Pactum divisionis Principatus inter se firmantes*, &c. Capitulare demonstrans a me in Historia Principum *Langobardorum* evulgatum. Falco Beneventanus ad an. 1121. *Pontifex* Callixtus *consilio invento*, Salernum *ivit quinto die intrante mensis* Septembris, *ut pacis firmamentum cum Duce* Guillelmo, *&* Rogerio *Comite confirmaret*. Et ut innumera alia exempla missa faciam, in Epistola etiam Episcoporum ad Regem *Ludovicum* inter Capitula *Caroli Calvi* num. 23. §. 8. *Capitula, quæ habemus cum vestris fratribus, accepistis, & in Chirographo apud* Marsnam *manu propria confirmastis. Contra quod si forte aliquis egit, non propterea vos immunes eritis, si illud, quod teste Domino pepigistis, & confirmastis, observare, quod absit, non studueritis.* Sed hoc ex Sacræ Scripturæ manavit phrasi; in qua *confirmare sermonem*, *verba*, *petitiones*, & hujusmodi alia multa in eandem sententiam est observare. Unicum Regii Prophetæ non omittam locum Psalmo 116. quo Gentiles, & *Judæos* invitat Psaltes ad collaudandum Dominum; *quoniam*, inquit, *confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.* Namque appellatione. *confirmatæ misericordiæ*. *Christus Iesus* demonstratur, promissus Patribus, ut exponit Apostolus ad Rom. 15. *Dico* inquit, Christum Iesum *ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*, &c.

[1] An. 1066. *Stella Cometes apparuit.* Gotfridus *Dux cum exercitu venit* Campaniam *usque* Aquinum. Richardus *Princeps Terram* Marsorum *intravit.*] Præpostero ordine Anonymus ista, nec

A scio an ex librarii culpa. *Ostiensis* sane lib. 3. cap. 25. qui eadem fusius, nullo tamen anno exposito, *Gotfridum Tusciæ* Marchionem, aliis *Godefridum* (fuit hic Dux quoque *Lotharingiæ*) adversus *Richardum Romanam Campaniam*, *Romæque* vicina loca invadentem processisse tradit, sed tandem cum eo concordatum *ad Pontem S.* Angeli, *qui dicitur* Todici. Plura ubi vide. *Lupus Protospata Richardum* intrasse Terram *Campaniæ*, obsedisse, ac comprehendisse *Ciparanum*, & devastando usque *Romam* pervenisse in anno 1066. est auctor; quo etiam anno insignem apparuisse Come-

B tem per totam hebdomadam Paschæ, alii quoque antiqui tradunt. Dein itaque in anno 1067. *Gotfridus Richardo* obviam venit, qui annus Anonymo nostro ex consueta anticipatione est 1066. Cæterum quod Ostiensis de *Gotfridi* Marchionis munere ibi perhibet, nimirum consuevisse illum quoties ex *Transalpinis* regionibus *Rex* Italiam *deberet intrare, cum sua militia Regem præire*, ex parte etiam tangit Nicephorus Gregoras lib. 7. sed Marchionis dignitatem exterus, ac *Græcus* scriptor non bene callens. *Marchiones*, inquit, *qui non clari sunt apud* Latinos, *cum dignitatis gradum te-*

C *nent, quem apud* Romanos (*Græcos* sic appellat) *is qui vexillum Imperatoris gestat.* Et infra. *Marchioni perpetuum munus attributum, ut novo Imperatori vexillum præferat.* Marchiones quidem haud magno in honore primitus fuere, utpote nec inter potestates nec dignitates connumerati, quales soli Reges, Duces, vel Principes, atque Comites: sed tandem & ipsi in dignitate.

[2] *An.* 1071. *Ecclesia nova* S. Benedicti *dedicata est ab* Alexandro *Papa, die Kalendarum* Octobrium *cum quinque Altaribus sanctis*] In Codice 47. annus notatur 1070. qui in Codice 199. est 1071. itemque in *Ostiensi* lib. 3. cap. 30. a quo

D perhibetur, Kalendas *Octobris* eo anno incidisse in Sabbatum, quod verum. Manifestum errorem in re celebri facile advertit, castigavitque qui hujus Chronici editionem curavit *Caracciolus*. Scribendum tamen erat. *Cum quinque altaribus suis.* non. *sanctis.* ad fidem scilicet utriusque manu exarati Codicis.

[3] *An.* 1075. *Venit hoc anno* Robertus *Dux super* Salernum, &c.] Annus ad Anonymi mentem restituendus 1076. quem Codex 199. designat, eundemque adstruit *Romualdus Salern.* sequentem vero *Lupus*, qui audiendus non est,

E ut ibi dixi. Sed de his plenius alio loco.

[4] *An.* 1076. *Hoc anno* Richardus *Princeps cæpit obsidere* Neapolim *principio mensis* Maji.] Non hoc

destruxit, & Archiepiscopum *Ravennensem* invasorem Ecclesiæ *Romanæ* constituit.

1083. Idem Rex a quibusdam *Romanis* intromissus, post duos menses a *Roberto* Duce fugatus est [1]. Idem Dux Papam *Gregorium* de Urbe erutum *Salernum* perduxit.

1084. Fames & mortalitas maxima fuit. *Gregorius* Papa apud *Salernum* moritur: & *Robertus* Dux.

1085. XIII. Kalendas *Martii* noctis initio stella clarissima in circulum primæ Lunæ ingressa est. *Desiderius* Abbas *Romæ* in Papam *Victorem* eligitur die Pentecostes.

1086. *Desiderius* Abbas Papa ordinatur VII. Idus *Maji*, qui postea in hoc Monasterio, ordinato Abbate *Oderisio*, post tertium diem moritur. *Pisani* apud *Africam* certantes *Sarracenos* vicerunt.

1087. *Otho Ostiensis* Episcopus in Papam *Urbanum* eligitur IV. Idus *Martii* [2].

1089. Ecclesia S. *Martini* dedicata est a *Joanne Tusculanensi* Episcopo die Octavarum ejusdem B. *Martini*. Obiit *Jordanus* Princeps [3].

1090. Castrum *Frattæ* a *Normannis* furatur [4], & a nostris duodecimo die, magna Dei virtute, receptum est. *Capuani* rebellaverunt.

1093. Ecclesia S. *Andreæ* Apostoli dedicata est a *Raynaldo* Episcopo *Cajetano* III. Kal. *Febr.* [5].

1094. Stellæ de cœlo innumerabiles quasi pluere Mense *Aprili* prope diem versus Occidentalem plagam Cœli, ubique terrarum [6].

1095. Innumera *Francorum*, & *Ultramontanorum* multitudo mare transivit.

1096. Stella Cometes apparuit. Hoc anno Urbs *Antiochena* a *Christianis* capta est III. Non. *Junii*, quinta feria [7].

1097. Civitas *Hierusalem* capta est a *Christianis* Idibus *Julii*. Dux *Rogerius* cum Comite *Rogerio Capuam* per quadraginta dies obsidentes receperunt, & *Richardo Jordani* filio

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

hoc anno, sed sequenti obsessam a *Campano* Principe *Neapolim*, notant Codex 199. *Romualdus Salern.*; & Chronicon *Cavense*. At Codex 47. & ex eo editus, suum servant errorem. Vide quæ de his, deque obitu *Richardi* dixi ad *Lupum*, ne actum hic agam.

[1] *An.* 1083. *Idem Rex a quibusdam* Romanis *intromissus* &c.] Scripti Codd. *Idem Rex* Romam *a quibusdam* Romanis, &c.

[2] *An.* 1087. Otto Ostiensis *Episcopus in Papam* Urbanum *eligitur* IV. *Idus* Martii.] *Quarta feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ, octavo scilicet Idus* Martii *congregati sunt apud* Tarracinam, Campaniæ *civitatem* Ecclesiæ Ordines pro eligendo *Romano* Pontifice *Victoris* tertii successore; electusque tunc est *Urbanus* 2. *subsequenti die Dominico*, 4. *Id.* Martii, ut tradit Petrus Diac. in Auctar. ad *Ostiensem* lib. 4. cap. 2. quem Anonymus hic noster ab anno 1075. & in subsequentibus habet Auctorem. Quadrant ista omnia in annum 1088. quod noto, ut commissum semel in hoc Chronico Prochronismum constantissime fuisse observatum pateat.

[3] *An.* 1089. *Ecclesia S.* Martini *dedicata est*, &c. *Obiit* Jordanus *Princeps.*] In Serie Abbatum *Cassinensium*, ubi de *Oderisio*, dictum est, Ecclesiam S. *Martini* dedicatam anno 1090. *Perque idem tempus*, inquit Petrus Diac. lib. 4. cap. 10. Jordanus *Princeps cum universam fere* Campaniam *a jure Sedis Apostolicæ subductam in deditionem accepisset*, *apud* Pipernum *vita decessit*, &c. Obiit itaque *Jordanus* jam dicto anno, quod *Lupus* quoque perhibet, atque ut *Campana* Emortualia notant, 13. *Kal.* Decembris, *Cassinense* die sequenti: *Campani* autem ineunte novo anno 1091. adversus *Richardum* 2. ejus filium rebellarunt, sed Anonymus noster utrumque annum ex librarii errore antevertit. *Romualdus Salernitanus* defunctum dicit *Jordanum Indictione* 14. scilicet inchoata, *anno Principatus* 13. nempe a morte *Richardi* patris, eodemque non exacto; apud quem annus *Christi* unitate excedit, restituique debet MXC. qui in calamo exaratis exemplaribus est MXCI. Auctor Chronici *Cavensis*, simulque alter Chro-

A nici *Ceccanensis* Auctor, dum calamo parcunt, in unum eundemque annum, & *Jordani* mortem, & *Campanorum* defectionem retulere: ille in annum 1091. hic in antecedentem.

[4] *An.* 1090. *Castrum* Frattæ *a* Normannis *furatur*, &c.] Scripti Codd. unaque Descriptio consecrationum Ecclesiarum *Cassinensium* habent *furatum*.

[5] *An.* 1093. *Ecclesia S.* Andreæ *Apostoli*, &c.] Vide Seriem Abb. *Cassin.* in *Oderisio*.

[6] *An.* 1094. *Stellæ de cœlo innumerabiles quasi pluere mense* Aprili, &c.] Typographi sane defectum facile supplebis ex scriptis Codd. *quasi pluere visæ sunt*, *mense* Aprili, &c. At annus *Christi*
B notandus 1095. tum ex *Lupo*, *Sigeberto*, aliisque, qui annus restituendus etiam est in Fragmento Historiæ *Francorum* a *Roberto* ad mortem *Philippi* Regis; tum ex Petro Diacono lib. 4. c. 11. *Anno autem*, inquit, *Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo quinto*, *Prid. Non.* Aprilis, *quarta Feria post octavas Paschæ* (eo anno litera Dominicalis fuit. G. Pascha vero vigesima quinta die *Martii*) *a quarta ferme vigilia noctis usque in crepusculum stellæ innumerabiles de cœlo versus occidentalem plagam ubique terrarum cadere visæ sunt.*

C [7] *An.* 1096. *Stella Cometes apparuit. Hoc anno urbs* Antiochena *a* Christianis *capta est tertio Non.* Junii, *quinta Feria.*] Non repetam, quæ ad *Lupum* dixi de anno captæ *Antiochiæ*. Hoc addam, minime ab *Sigeberto*, nonnullisque aliis, ut ab *Lupo*, nostroque fit Anonymo, nec non ab *Petro Diacono* lib. 4. c. 16. ejusce urbis expugnationem in eundem annum referri, quo visus est Cometes mense *Octobri*, sed in annum sequentem, *Christi* nimirum 1098. Addam insuper, præsentem in Codice 47, & in hoc Typis evulgato annum 1096. esse 1097. in Codice 199. ad Auctoris scilicet, ut solet, mentem; qui *Antiochiam*
D anno expugnatam 1098. retulit ad antecedentem, *Petrum Diac.* sequutus, annos eo loci deducentem ab *Christi* Nativitate, consentemque, eos ab aliis ductos ab Incarnatione: pravè enim ejus Codices editi, ineditique pro anno 1097. annum nunc repræsentant 1096. in eundem videlicet, & concessionem referentes Comitissæ *Adelgrimæ*, de qua ibi, & Cometes apparitionem, victoriamque de *Antiochia* a *Christianis* susceptam.

filio restituerunt. Eo anno via ignea per totam noctem in cœlo apparuit V. Kalend. *Octobris* [1].

1098. Luna duodecima in ortu suo defectum passa paulatim redintegrata est Nonis *Junii*, & *Urbanus* Papa moritur. *Paschalis* fit Papa [2].

1099. *Guibertus* Hæresiarcha invasor *Romanæ* Ecclesiæ moritur [3].

1104. Do-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1097. *Civitas* Hierusalem *capta est a* Christianis *Idibus* Julii. *Dux* Rogerius *cum Comite* Rogerio Capuam *per quadraginta dies obsidentes receperunt*, & Richardo Jordani *filio restituerunt. Eo anno via ignea per totam noctem in cœlo apparuit V. Kal.* Octobris.] De more annum anticipat Codex 47, & ex eo editus. Non sic Codex 199, in quo ista sub anno sunt 1098. Et sane, quod ad *Capuæ* spectat expugnationem, omnino bene, ut pluribus ad *Lupum* est demonstratum. Idque non ut cætera alia ex *Petro* est mutuatus Anonymus, qui lib. 4. cap. 10. rem, non annum consignavit; & cap. 16 *Hierusalem* captam, ac igneam in cœlo viam noctu visam dixit *sequenti tempore* ab anno devictæ *Antiochiæ*, hoc est ab anno Nativitatis 1097, qui fuit Incarnationis 1098; nempe hujus verbi. *Incarnationis*, pro. *Nativitatis*, usurpatam in contextu custodiens acceptionem; quam nihilominus non perpetuo servavit, sæpe etiam tum in antecedentibus, tum in subsequentibus iis concordans, quos putabat annos supputasse ab Epocha *Christi* concepti, ut non uno constat experimento, deformem fovens, si cum aliis conferatur, inconstantiam. *Hierosolymam* sanè *Christiani* anno ceperunt 1099. ac die, quam Anonymus designat, Chronologis universis consentientibus. Cæterum his, quæ ad *Lupum* de poëtica *Torquati Tassii* observabam fictione, dicentis *Tancredum Boemundi* nepotem octingentos e *Campania*, nec aliunde alios ad *Hierosolymitanum* hoc bellum equites duxisse, notula subjungenda erat in schedula mihi descripta, quæ Typographo omissa, haud commode tunc valuit, festinante prælo, suo loco reponi: eam nunc oportune visum hic dare, quæ talis. Sane si Fulconi in Hist. gestorum viæ *Hierosolymitanæ* est fides, *Itali* omnes cis *Alpes*, nempe

„ —— Ligures, Itali, Tusci, *pariterque* Sabini,
„ Umbri, Lucani, Calabri *simul atque* Sabelli,
„ Aurunci, Volsci, *vel qui memorantur* Etrusci,
„ *Quæque etiam gentes sparguntur in* Apula *rura*,
„ *Queis conferre manus visum est in prælia dura*,
„ *Sub jugo* Tancredi, & Boimundi *corripuere*,
„ *Et contra fidei refugas patria arma tulere.*

idest sub utriusque signis sponte militarunt. Willelmus etiam Tyrius lib. 2. cap. 13. ubi de eodem *Boamundo*: *Adhæserunt eis*, inquit, & *ejus Castris se adjunxerunt tam de* Italia, *quam de aliis Provinciis viri nobiles*, & *potentes plurimi*. Quamvis *Robertus* Monachus in Hist. *Hierosol.* lib. 2. plures quidem confluxisse ad *Boamundum*, ac perinde ad *Tancredum*, sed non alios dicit, quam *optimates* Apuliæ, Calabriæ, *ac* Siciliæ, hos scilicet *cum clientibus suis*, ut loquitur Ordericus Vitalis in Hist. Eccles. lib. 9.

[2] *An.* 1098. *Luna duodecima in ortu suo defectum passa*, &c. *Et* Urbanus *Papa moritur.* Paschalis *fit Papa*] Ista in Codice 47. more consueto, sub hoc sunt anno, quæ in Codice 199. sub anno sunt 1099. quo *Urbanum* 2. vita functum, eodemque electum *Paschalem*, certe non ante, constans est antiquorum omnium sententia. *Petrus Diaconus* igitur, qui lib. 4. c. 18. una conspirantibus ejus omnibus exemplaribus, hæc retulit in annum *Dominicæ Incarnationis* 1098. annos, utiterum supra auspicatus est ab *Christi* Nativitate, non autem ab Annunciatione; quam pariter servavit supputationem, annum consignans obitus Antipapæ *Guiberti*, de quo statim.

[3] *An.* 1099. Guibertus *Hæresiarcha invasor* Romanæ *Sedis moritur*] Bene anno sequenti ab ordinatione *Paschalis*: sed *Christi* 1100, ut habet Codex 199 non 1099. ut Codex 47, & ex eo Editus. Quibus nil suffragatur *Petrus Diac.* lib. 4. c. 20. sive 21, quin nec, ut volunt, *Guiberti* mortem anno millesimo centesimo posteriorem facit verbis illis, quæ in editione *Veneta*, ac *Parisiensi* diminute, in *Neapolitana* diminute simul, ac depravate, longeque aliter atque in manu descripto sunt Codice. *Porrò*, inquit Petrus in exemplari *Cassinensi*, *cum a Papæ* Gregorii *septimi decimus sextus*, & Victoris *tertii decimus quartus*, & *secundi* Urbani *transitu*, *ac subrogatione* Paschalis *secundi secundus jam annus esset elapsus*, & *ab Incarnatione Dominica centesimus*, & *nonagesimus nonus volveretur*, Guibertus *Hæresiarcha invasor* Romanæ *Ecclesiæ vita privatus est*. Nam *Petrus* hoc loco, ut sæpe etiam in superioribus, annos Dominicæ Incarnationis non ab anno *Christi* concepti, qua Epocha alios Auctores mortem *Guiberti* in annum referentes 1100. malo ordine usos putavit; sed ab anno supputavit *Christi* nati: nempe eorundem sic castigans quem existimabat errorem. Quam planè sententiam adscribendam illi esse, haud dubito (nec aliter ejus consistere poterunt dicta) qui tradat lib. 3. cap. 71. Papam *Victorem* 3. defunctum *anno Domini* 1087. (scilicet ab Incarnatione, qui fuit a Nativitate 1080.) verbis autem paulò ante relatis affirmet, revolutos ab ejusdem *Victoris* ad *Guiberti* decessum (hoc est ad annum, ut prædixi, Nativitatis 1099, Incarnationis 1100.) annos *quatuordecim*: in eadem nimirum hac summa ipso anno 1087, simul collecto. Sicuti eodem prorsus calculandi modo ab obitu Papæ *Gregorii* 7. id est ab anno 1085. ad obitum *Guiberti* annos supputavit *sexdecim*; itemque ab obitu *Urbani* 2. a se descripto, ut superius exposui, ad annum Nativitatis 1098. Incarnationis 1099. colligit ad *Guibertum* decedentem *annos duos*, quem obiisse anno, sive dicas Nativitatis 1099. sive Incarnationis 1100. adeo claro pronunciavit sermone, ut virum demirer magnum asserentem, *Petrum* retulisse *Guiberti* mortem ad an. 1101. A qua nec stat, ni fallor, sententia, ut putant, Dodechinus in vita Comitissæ *Mathildis*, tradens præfatum Antipapam, qui

„ —— *per viginti tres annos denique* Christi
„ *Ecclesiam nisu toto turbarat iniquus*,

defunctum,

„ *Post annos binos*, Urbanus *erat quod ab isto*
„ *Sæclo portatus*, *cœlique choro sociatus*:

Nam viginti tres annos motarum a *Guiberto* rerum non ab anno numerat, ut bene observavit idem vir clarissimus *Baronius*, quo ille sedit Pseudopapa, quod contigit ab anno 1080; sed ex quo, ut reor, excommunicatus, atque ab Archiepiscopali dignitate in *Romana* Synodo depositus fuit, anno 1078. Catholicamque in Ecclesiam, & in *Gregorium* 7. ejusque successores indesinenter exarsit.

1104. Domnus *Odorisius* Abbas acquisivit Oppidum *Pontiscurvi*, & Castellum *Vitecosi*. Obiit *Odorisius* Abbas. *Otho* fit Abbas.

1105. Stella Cometes apparuit, & *Heinricus* Rex defungitur. *Heinricus* filius ejus imperat. Obiit *Richardus* Secundus Princeps. *Robertus* fit Princeps [1].

1106. Luna quartadecima obscurata est. Obiit *Otho* Abbas. *Bruno Signinus* Episcopus Abbatiam suscipit.

1107. Castrum *Terami* a Comitibus *Aquinensibus* invasum est, sed a nostris quintodecimo die receptum est.

1109. Stella Cometes apparuit.

1110. *Heinricus* prædictus Rex cum magno exercitu *Romam* veniens *Paschalem* Papam cum multis aliis capit; ad ultimum coronatus abscedit [2]. *Bruno* Episcopus Abbatiam dimittit: *Girardus* fit Abbas: obiit *Rogerius* Dux, & *Boamundus* frater ejus.

1114. *Gerardus* Abbas Oppidum (*a*) *Suivum* [3] acquisivit. *Pisani Majoricam*, & *Minoricam* insulas debellantes cæperunt.

1116. Terremotus magni fuerunt; ita quod multa ædificia per diversa loca corruerunt, multi mortui sunt, lampades Ecclesiarum moveri visæ sunt. Luna quartadecima obscurata est.

1117. Obiit *Paschalis* Papa, *Joannes* Cancellarius eligitur in Papam *Gelasium*; tunc & Rex *Romam* occurrens, *Burdinum* invasorem submittit.

1118. Obiit

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI*.

(*a*) For. *Supinum*.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII*.

[1] *An.* 1105. *Stella Cometes apparuit. Et* Heinricus *Rex defungitur*, &c. *Obiit* Richardus *secundus Princeps*. Robertus *fit Princeps*.] De anno obitus *Henrici*, deque *Richardi* in Serie Abbatum *Cassin.* est nonnihil dictum. *Robertum* autem *Richardi* fratrem, ac successorem administrationem quidem Principatus post ejus mortem, sed minime Principis nomen illico assumpsisse, ex antiquo Diplomate discimus, in Archivo Monasterii S. *Laurentii Aversanæ* urbis adservato; quod datum asseritur *Anno Dominicæ Incarnationis* 1106. *mense* Aprili, *per Indictionem* 14. ejusque initio sic legitur. *Ego* Robertus *filius bonæ memoriæ* Jordani *Principis*, *Procurator scilicet Principatus* Capuæ *cum subscriptis Baronibus*, *& cæteris aliis per interventum* Goffridi *de* Mediania *concedo*, &c. In Principem vero illum consecratum anno 1107, mense fere *Aprili* (certe non ante *Martium*, nec post *Majum*) plures docent antiquæ Chartulæ alibi commodius producendæ. At *Richardo* 2. etiam vivente, *Robertus* Principatum videtur concupitus; nam *anno* 1104. *surrexit contra Principem germanum suum*: quæ sunt verba in Chronico *Ceccanensi* anno prædicto. Nec melioribus est ille artibus, *Richardo* defuncto, *Capuam* adeptus; quippe (sic in Chronico *Cavensi*) *Anno* MCV. (scribo MCVI.) Richardus *Princeps*, *filius* Jordani *obiit*. Robertus *filius* Jordani *invasit* Capuam, *& ex parte eam succendit*, *nocte* 4. *Idus* Januarii. Nimirum *Richardo* eodem mense, ut *Romualdus Salernitanus* auctor est, vita functo. *Campanos* itaque inopino incendio perculsos (quo pariter stratagemate usus olim *Richardus* primus, atque *Henricus* Imp. ille *Teanum*, hic *Romam* subegit, ut apud *Ostiensem* observo lib. 3. cap. 16. & 52.) facilius in *Roberti* potestatem devenisse, non insolens suggerit conjectura.

[2] 1110. Henricus *prædictus Rex cum magno exercitu* Romam *veniens*, Paschalem *Papam cum multis aliis capit*; *ad ultimum coronatus abscedit*, &c.] Scripti Codd. *ad ult. fine facto coron. absc.* Sed Codex 47. more suo hæc anno citius; Codex vero 199. ad an. 1111; ad quem etiam eadem referunt summa concordia antiqui Auctores omnes, & quod mireris, Petrus ipse Diaconus

A lib. 4. cap. 35. qui suo illo jam dicto calculo per integrum annum solebat præire: *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* 1110, *Indictione* 3. (incidit hæc sanè Indictio in annum, quem a Nativitate dicimus 1110) *mense* Junio, *sexto ejusdem*, *Stella Cometes apparuit*, proximo autem cap. 36. tradit *Henricum* advenisse *Romam* 3. *Idus* Februarii (scilicet sequenti anno 1111) *Sabbato videlicet ante Quadragesimam*. Quo charactere manifestissime annum a *Christi* Nativitate designat 1111. Hanc viri inconstantiam superius dolebam, quæ infra iterum nos vexabit.

B [3] *An.* 1114. Gerardus *Abbas oppidum* Suivum *acquisivit*, &c.] Ne cum viro docto legendum crede. *Supinum*. Sed. *Suium*, ut scriptus uterque Anonymi Codex, itemque *Petrus Diac.* habet lib. 4. c. 54. oppidulum nimirum, quod est ad *Lirim* flumen, vulgo. *Suio*; ubi calentes aquæ, de quibus capiendus Plinius lib. 2. cap. 103. *Sed & fontium*, inquit, *plurimorum natura mira est fervore*; *idque etiam in jugis* Alpium, *ipsoque in mari inter* Italiam, *&* Ænariam, *ut in* Bajano

C *sinu*, *& in* Liri *fluvio*, *multisque aliis*. Nescio an ex his aquis idem *Liris sulfureus* dictus sit Silio Italico lib. 8. apud quem lib. 12.

„ —— *fumantem texere giganta* Fregellæ.

urbs scilicet & ista olim ad *Lirim*, sed supra *Suium* (ipsique *Silio* supra *Aquinum*, ne miscuisse eum credas loca) ad Septemtrionem mill. pass. plus minus 18; fumantem enim Gigantem ab urbe *Fregellis* comprimi, ac tegi, id valet juxta consuetam antiquis affabulationem, quod locum suapte natura subterraneos, peremnesque alere ignes; ex quibus quidem ignitis locis tum sulfureos odo-

D res, tum fervidas emanare aquas, experimento non uno constat. Sed redeo ad Petrum Diaconum, in cujus *Cassinensi* exemplari, & in editione *Neapolitana* acquisitum legitur *Suium* a *Gerardo*, *cum jam ab Incarnat. Domini annus millesimus*, *centesimus*, *ac quintusdecimus elaberetur*, *undecimo Kal.* Martii, ad quem simul annum id descriptum habetur in Cod. 199. At ille *elabentem* appellans annum, qui ad undecimum Kal. *Martii* pervenerat diem, ab eodem mense annos *Christi* se ducere, atque ab ejus Incarnatione strictissime accepta, aperit quam manifestissimè; quam

E pariter servat supputationem cap. 55. celebratam perhibens a Papa *Paschali* 2. *Trojanam* Synodum *sequenti anno* post receptum ab Abb. *Gerardo* antedictum oppidum *Suium*: nempe anno 1116. cum tamen acta illa fuerit, *Petro* metipso consentiente, anno 1115, ut dicam ad *Falconem*.

1118. Obiit *Gelasius* Papa apud *Cluniacum*, & *Guido Viennensis* Episcopus a Cardinalibus in eodem loco in Papam *Calixtum* eligitur [1].

1119. Idem *Papa Romam* veniens honorifice exceptus est. Obiit *Robertus* Princeps, & *Richardus* filius ejus ungitur, quo paulo post mortuo *Jordanus* patruus ejus fit Princeps. Terremotus magni per plures dies in terra S. *Benedicti*, & circumquaque fuerunt, ita ut ædificia multa ruerent [2].

1120. *Calixtus* Papa *Burdinum* apud *Sutrium* captum, apud *Cavas* custodiæ mancipavit [3].

1121. Idem Papa eundem *Burdinum* de *Cava* extractum in *Janula* custodiendum tradidit.

1122. Obiit *Gerardus* Abbas, & *Odorisius* fit Abbas. Stellæ innumeræ quasi pluere visæ sunt pridie Non. *Aprilis* hora matutina [4].

1123. Castrum *Pica* ab *Odorisio* Abbate acquiritur, & a *Calixto* Papa, & *Jordano* Principe Sancto *Benedicto* confirmatur. Obiit *Calixto* Papa, & *Lambertus Ostiensis* Episcopus in Papam eligitur *Honorium*.

1124. *Richardus* de *Caleno* terram S. *Benedicti* hostiliter ingressus Castella ejus incendit. Prædictus Papa *Burdinum* de *Janula* tractum in *Fumonem* relegavit. *Heinricus* Rex obiit: *Lotharius* fit Rex.

1125. *Odorisio* a Papa excommunicato, homines S. *Germani* Monasterium istud fraudulenter invadunt, ipsoque depulso, *Nicolaus* ingreditur. *Rocca* de *Janula* destruitur. Castellum *Sulu* a filio *Richardo* de *Aquila* occupatur [5].

1126. *Castellum novum* a *Landenulpho* de *Spinio* occupatur. *Castrum novum* recuperatur. *Odorisius* Abbatiam foris jurat. Castrum *Terellæ* ædificatur. *Nicolaus* expellitur. *Seniorettus* fit Abbas. Dux *Guilielmus*, & *Jordanus* Princeps obierunt. *Robertus* fit Princeps [6].

1127. Papa

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1118. *Obiit* Gelasius *Papa*, &c. Guido Viennensis *Episcopus*, &c.] Scribe, ut in utroque manu exarato exemplari. Viennensis *Archiepiscopus*.

[2] *An.* 1119. *Idem Papa* (Calixtus.) Romam *veniens*, *honorifice exceptus est*. *Obiit* Robertus *Princeps*, *&* Richardus *filius ejus ungitur*. *Quo paulo post mortuo*, Jordanus *patruus ejus fit Princeps*. *Terræmotus magni*, &c.] *Romam* advenit *Calixtus*, nemine ex antiquis discrepante, anno 1120, nec aliter in Codice 199. in quo æque ac apud *Petrum Diac.* lib. 4. cap. 65. fine, *Roberti* etiam *Campani* Principis mors, *Richardi* filii ejus subrogatio, ac cætera superius descripta sub eodem habentur anno nunc dicto. *Falco* & ipse utrique consentit, qui nil de Terræmotu.

[3] *An.* 1120. Calixtus *Papa* Burdinum *apud* Sutrium *captum*, *apud* Cavas *custodiæ mancipavit.*] Jam nil dicam de anno capti *Burdini*, nam piget de commisso a librario in hoc Chronico Prochronismo totiens te admonere. Quod noto, hoc est; a nemine diligentius, quam ab nostro Anonymo loca descripta, in quibus *Burdinus* in vinculis detentus, ac servatus est. Apud *Cavas* custodiæ mancipatum illum nunc perhibet: inferius dicet translatum in *Janulam* (Arcis id nomen, quæ in declivi *Cassini* montis *Sancto Germano* imminet) ac tandem in *Fumonem*. *Petrus Diac.* lib. 4. cap. 68. nil de *Cavensi* custodia, nec *Sugerius* in *Ludovico* Rege; sed uterque tantum de *Janula*. Scriptus autem *Vaticanus* Codex apud *Baronium* nil de *Janula*; quin de arce *Fumonis* ad *Cavense* Monasterium dictum *Burdinum* notat, non e contra.

[4] *An.* 1122. *Obiit* Gerardus *Abbas*, *&* Oderisius *fit Abbas*. *Stellæ innumeræ quasi pluere visæ sunt Prid. Non.* Aprilis, *hora matutina.*] Hæc in Codice 196. ad annum sunt 1123. Et *Gerardi* sane obitum, *Oderisii*que subrogationem haud alio anno contigisse (vel ad *Petri Diaconi* mentem) in Serie Abbatum *Cassinensium* exposui. Qui tamen *Petrus* lib. 4. c. 81. Editionis *Venetæ*, &
A *Parisiensis*, atque in Codice manu descripto, stellas cadere visas dicens, tempore Abbatis *Oderisii* in anno 1122. annos *Christi* ab Epocha sibi pluries observata non duxit, sed consueta inconstantia annum antevertit, nulla coactus necessitate. Quem pariter Prochronismum commisit cap. 84. juxta præfatarum editionum descriptionem, atque Codicem *Cassinensem*; tradens Castrum, sive Oppidum *Pica* ab Abb. *Oderisio* receptum *in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo tertio*; eidemque Abbati deinde confirmatum a *Capuæ* Principe *Jordano*, literis commonito Papæ
B *Calixti*, sub ipsis ferme diebus obitus ejusdem Papæ qui e vivis discessit mense *Decembri*, anno 1124. Principis autem de eadem hac re Præceptum in Registro sane a Petro metipso exarato pag. 317. a tergo datum legitur *anno* 1125, *mense* Februario, *Indict.* 3. *anno sui Principatus quinto.* Quæ omnia Anonymus in Codice 199. congrue ad annum notavit 1124. sed nil de Præcepto Principis.

[5] 1125. Odorisio *a Papa excommunicato* &c. *Castellum* Sulu *a filio* Richardi *de* Aquila *occupatur.*] De his *Petrus Diac.* lib. 4. cap. 88. & seqq. sed
C annum nullum manifeste exponit. In Cod. 199; & in Serie Abbatum a me descripta hic annus est 1126. *Suiu* autem (Castellum scilicet, de quo dixi ad an. 1114.) non. *Sulu.* scribendum monui ad *Lupum* an. 884. quod *Petri Diac.* etiam dictis relato nunc loco firmatur.

[6] *An.* 1126. Castellum novum *a* Landenulpho *de* Spinio *occupatur*. Castrum novum *recuperatur*; Odorisius *Abbatiam foris jurat*. *Castrum* Terellæ *ædificatur*. Nicolaus *expellitur*. Seniorettus *fit Abbas*. *Dux* Guilielmus, *&* Jordanus *Princeps obierunt*. Robertus *fit Princeps.*] Uterque
D scriptus Codex post *Castrum novum* occupatum a *Landonulfo*, qui est *Adenulfus* Petro Diac. lib. 4. cap. 91. addit. *Castrum* Pica *redditur*: eodem testante *Petro* ibidem. Sed Codex 47. annum præveniens, hæc ad 1126, alter rite ad an. 1127. refert. In Serie quidem Abbatum probatum est, *Oderisium* 2. depulsum an. 1126. quem sequenti anno Abbatiam foras jurasse, vel ut *Petrus Diac.* habet lib. 4. cap. 92; in manu *Romani* Apostoli-

ci

1127. Papa in *Apuliam* contra Comitem *Rogerium*, qui Ducatum occupaverat cum expeditione properat. Ad ultimum, facta concordia, Ducatum ejus confirmavit.

1128. *Rogerius* Dux capit *Trojam*, & fere totam *Apuliam*, & *Capuanus* Princeps illi hominium fecit [1].

1129. Obiit *Honorius* Papa, & eo die sunt electi *Gregorius* S. *Angeli* in Papam *Innocentium*, & *Petrus* Cardinalis S. *Mariæ* trans *Tiberim* in *Anacletum*: & *Innocentius* ultra montes perrexit. *Anacletus* in *Apuliam* ivit, qui Ducem *Rogerium* Regem constituit.

1130. Rex *Rogerius* expugnat, & capit *Amalphim* [2].

1131, *Rogerius* Rex expugnavit *Barium*, & cum Principe, & Comite pugnans apud *Nuceriam* superatur maxima strage utrorumque. Rex *Lotharius* *Italiam* ingressus est.

1132. *Lotharius* Rex venit *Romam*, & accipiens coronam ab *Innocentio* reversus est. Sol fere totus obscuratus a sexta hora usque ad Nonam IV. Nonas *Augusti*. *Rogerius* Rex ingressus est *Apuliam*, & Comites *Conversanensem*, & *Andrianensem* exhæredavit [3].

1133. *Ro-*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

ci illam refutasse, rerum deinde gestarum series dictat. Eo etiam loco exposui, Abbatem *Nicolaum* dicto anno dejectum 1127. Nec Ducem *Apuliæ Guilielmum* alio defunctum anno, *Capuæ*que Principem *Robertum* 2. patri *Jordano* successisse, ex *Falcone*, ut antiquas nunc non recitem Chartulas, est manifestum. Omittendum tamen haud judico, a *Petro Diac.* lib. 4. cap. 90. in editione *Neapolitana*, & in exemplari *Cassinensi* annos præfato Duci adscribi *fere XVI.* (Chronicon *Salernitanum* a me editum tribuit annos 17: puta inchoatos) quos priores ejus editiones depravate præ se ferunt XII; siquidem *Guilielmus* post patrem *Rogerium* defunctum 8. Kal. *Martii*, anno IV, obiit 17. Kal. *Augusti*, anno 1127.

[1] *An.* 1128. Rogerius *Dux cepit* Trojam, *& fere totam* Apuliam. *Et* Capuanus *Princeps illi hominium fecit.*] Nil de his *Petrus Diaconus*, quæ noster ex aliis est mutuatus, & in Codice 199. ad annum adnotata habes 1129. De capta autem *Troja* ab *Apuliæ* tunc Duce, eodemque *Siciliæ* Comite *Rogerio* *Alexander Telesf.* lib. 1. cap. 18. 19. & 24; quo postremo loco de *hominio* etiam ei facto a *Capuæ* Principe *Roberto* 2. his verbis: *Tunc temporis*, inquit, *&* Robertus Capuanorum *Princeps solo nominis sui terrore constrictus*, *suo subditur dominio.* Ne tamen credas, Principem sponte, nullaque coactum necessitate *Rogerio* se subdidisse, in quem ille jura dominii sibi ex *Apuliæ* olim Duce *Rogerio*, *Roberti Guiscardi* filio, nata reposcebat; nam Princeps *Richardus* 2. in anno 1098. *causa auxilii*, ut Gaufredi Malaterræ dicam verbis lib. 4. cap. 26. *quod ab ipso sperabat* (nempe ad *Capuam* recuperandam) *homo Ducis factus fuerat*, &c. At *Telesinus* definitum repetitæ hujus deditionis annum etsi non exponit, a nostro nihilominus haud abit; uterque enim Auctor perhibet, *Rogerium* statim post desponsam sibi a *Campano* Principe subjectionem, Ducis, Comitisque nomen, & dignitatem sprevisse, seque in Regem coronari, atque inungi curasse, in anno 1130, auctoritate accedente Pseudopapæ *Anacleti* 2, qui eodem anno, 16 Kal. *Martii* *Romanam* sedem invaserat, *Beneventi*que constitutus 5. Kal. *Octobris* Diploma subscripsit de Regio titulo *Rogerio* impertiendo: Anacletus (inquit noster in Codice edito, & in Cod. 47. ad ann. 1129; sed in Cod. 199. ad ann. 1130.) *in* Apuliam *ivit*, *qui Ducem* Rogerium *Regem constituit*: scilicet deinde apud *Panormum* coronandum; in quam etiam sententiam *Petrus Diac.* lib. 4. c. 97. capiendus est, cum dicit ab *Anacleto* tributam *Ro-*

A *gerio* coronam, simulque factum tunc ei Privilegium. Audi Falconem ad an. 1130. *Eodem anno*, inquit, *prædictus* Anacletus *venit* Beneventum: *deinde* Abellinum *civitatem ivit* (medius hic est locus inter *Beneventum*, & *Salernum*, e qua Dux digressus advenienti ad se *Anacleto* obviam est factus) *& cum prædicto Duce* Rogerio *stabilivit*, *ut eum Regem coronaret* Siciliæ. *Et his statutis*, Anacletus *ille* Beneventum revertitur (tunc itaque exaratum fuit præmemoratum Diploma) *& Dux ipse* Salernum, *deinde* Siciliam *remeavit*. *Anno igitur ipso prædictus* Anacletus *Cardinalem*

B *suum*, Comitem *nomine*, *ad Ducem illum direxit*, *quem die Nativitatis Domini in civitate* Palermitana *in Regem coronavit*, &c. *Alexander* etiam *Telesf.* lib. 2. cap. 3. *Rogerium* dicto jam die apud *Panormum* solemnissima pompa Regem salutatum affirmat; ex quorum Auctorum consensu redarguas oportet, qui hæc bis acta tradidere: primum in anno 1129, iterum in ann. 1130. sane *Rogerius* Ducis adhuc titulo utebatur, cum *Privilegium fecit S.* Benedicto *per manum* Guarnerii Mazariensis *Decani in anno Domini millesimo centesimo tricesimo*, de quo *Petrus Diac.* lib. 4. cap. 96.

C [2] *An.* 1130. *Rex* Rogerius *expugnat*, *& capit* Amalphim.] In Codice 199 hæc ad annum sunt 1131; quæ non alio tempore gesta, ex *Falcone* intelligimus: perhibente Regem *Rogerium* illico post coronationem exercitu congregato *Amalfim* obsedisse, obtinuisseque. Verum *Falco* ad annum id notat 1130, cum debuisset ad ineuntem annum 1131; quod factum scias, quoniam ipse annos a mense *Martio* auspicatur. Expugnata igitur fuit *Amalfis* per mensem, vel *Januarium*, vel *Februarium*, anno prædicto. qua subacta, inquit Alexander Telesf. lib. 2. cap. 11; Rogerius *victor*

D Salernum *revertitur.* Illuc *Anacletus*, *Benevento* discedens (manserat enim *Beneventi*, Conciliumque in Natali celebraverat) illum adivit, si Falconis recte mentem capio loco relato: *Quibus omnibus*, inquit, *ita peractis*, *prædictus* Anacletus *die Kalendarum* Martiarum Salernum *ivit*; *deinde consilio accepto*, Romam *redeundi disposuit.*

[3] *An.* 1132. Lotharius *Rex venit* Romam, &c. *Sol fere totus obscuratus a sexta hora usque ad nonam IV. Nonas* Augusti. Rogerius *Rex ingressus est* Apuliam, *& Comites* Conversanensem, *&* Andrianensem *exhæredavit.*] Eodem anno, quo *Lo-*

E *tharius Romam* veniens coronatus est in Imperatorem a Pontifice *Innocentio* 2, Solis defectum 4. Non. *Augusti*, feria 6, hora 6, factum quoque ponit *Robertus* de *Monte* in Append. ad *Sigebertum*, sed ad *Christi* annum rejicit 1133; ad quem pariter annum hæc in Chronico notantur *Ceccanen-*

1133. *Robertus* Princeps abiit *Pisas*, & Rex *Rogerius* venit super Principatum, & Comitem *Raynonem*, Principatum cæpit, Comiti dimisit terram & reddidit ei Comitissam [1].

1134. Princeps a *Pisis* stipatus navali exercitu venit *Neapolim*. *Aversani* reddiderunt se ei, contra quem *Rogerius* Rex veniens fugavit eum, & *Aversam* in cinerem redegit. *Raynoni*, & *Tugoni* Comitatum abstulit, *Rayno* Comes *Neapolim* fugit [2].

1135. Rex *Rogerius* *Alfuso* filio *Capuanum* Principatum tradidit. Imperator *Lotharius* *Liguriam* ingreditur [3]. terremotus magni in hoc loco sunt.

1136. Obiit

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

si, & in nostri Anonymi Codice 199; ibique Solem obscuratum perhibetur ab hora *septima*; itemque a Rege *Rogerio*, *exhæredatos Comites* Conversanensem, & Andrensem (*Andrensem* etiam hunc dicit Alexander Teles. lib. 2. pluribus locis, nomineque *Gosridum*, qui Falconi est *Giffredus*) in Codice vero 47. *Comites* Conversanenses, numero multitudinis, ut apud Romualdum Salernit. *Rex* Rogerius, inquit, *iterum in* Apuliam *rediit* (scilicet anno sequenti postquam ad flumen *Sarnum* a *Campano* Principe *Roberto*, & a *Rainulfo* Comite bello victus in anno 1132. *Siciliam* se receperat) Conversanenses *obsedit*, *eorum Civitates*, *& Castella viriliter expugnavit*, *& quosdam ex eis captos in* Siciliam *misit*. Ex genere itaque *Conversanensium* Comitum præter *Tancredum* ejusce Civitatis tunc Dynastam, prodiisse hinc intelligimus *Alexandrum* Comitem *Materæ*, & *Goffredum* Comitem *Andrensem*, sive dicas *Andriæ*; in quos omnes *Rogerium* eodem hoc anno, quo Imp *Lotharius Romam* advenerat, feliciter pugnasse, vinctosque eos *Siciliam* misisse, *Goffredum* scilicet, & *Tancredum*, *Alexander Teles.* lib. 2. cap. 33. & seqq; atque *Falco* ad an. 1133. pluribus tradunt. *Tancredo* autem a Rege in anno 1132. Civitates, & oppida dolo erepta, illumque ad transmarinas partes destinatum (*Hierosolymam* ad terminum statutum properaturum habet *Telesinus* lib. 2. cap. 21.) unaque prædictum *Goffredum* ad maximam afflictionem redactum, idem perhibet *Falco*, quæ alter modo laudatus Auctor non dissimulat, sed omnem rei gestæ invidiam in Comites multorum criminum reos convertit, quos in Regem iterum postmodum rebellasse, ultimamque rerum suarum cladem, Anonymo huic nostro præsenti anno descriptam, juste pertulisse, utpote perjurii reos, exponit.

[1] *An.* 1133. Robertus *Princeps abiit* Pisas, &c.] Princeps *Capuæ Robertus* bis *Pisas* petierat anno 1133. primum solus, secundum cum Pontifice *Innocentio*, mense *Septembri*. De his *Falco* ad annum prædictum. In anno dein 1134. illuc tertium profectus, a *Rogerio* interim Principatu est exutus, a quo Terra omnis *Raynoni*, sive dicas *Raynulfo*, ut aliis, & nostro etiam infra ad an. 1138. dictus reperitur, pridem erepta, atque uxor *Mathildis* est ei reddita, eodem referente Auctore, & rei gestæ annum qui præterit, *Alexandro Telesino* lib. 2. cap. 54. & seqq. In nostro itaque Anonymo hæc ad annum figi debent 1134, fide etiam accedente Codicis 199.

[2] *An.* 1134. *Princeps a* Pisis *stipatus navali exercitu*, *venit* Neapolim. Aversani *reddiderunt se ei*; *contra quem* Rogerius *Rex veniens*, *fugavit eum*, *&* Aversam *in cinerem redegit*. Raynoni, *&* Tugoni *Comitatum abstulit*. Rayno *Comes* Neapolim *fugit*.] In Codice 199. hæc sunt ad an 1135; & in Chronico pariter *Ceccanensi*, atque in Falcone. Hujus sunt verba: *Hoc anno*, inquit, *Princeps ipse septimo die stante mensis* Aprilis *cum*

A *viginti navigiis* Neapolim *venit*, *& comprehendit* Aversam, & cætera fusius *Alexandro* etiam Telesino relata lib. 3. cap. 1. & seqq. Ambo autem manu exarati Anonymi Codd. non. *Tugoni*: sed. *Ugoni* Comitatum ereptum notant; quem *Telesinus* lib. 2. cap. 64. Comitem appellat *Bojanensem*: hoc est. *Boviani*; illumque haud in an. 1135, quo *Aversa* incensa est, Regi *terras suas universas dimisisse*, *quas* Bifernus *fluvius Orientem versus præterfluit*; *nec non* Castellum maris, *situm scilicet*, *quo fluvius* Volturnus *cursus sui finem designat*: sed eodem tempore, quo *Rayno*, sive
B *Raynulfus* est ei reconciliatus: nempe in anno 1134. Hic autem *Rayno* cum ab Rege iterum defecisset, nec hilum in illum proficere posset, *Neapolim* se recepit dicto anno 1135; teste *Falcone*, quod verbis superius relatis notabat noster.

[3] *An.* 1135. *Rex* Rogerius Alfuso *filio* Capuanum *Principatum tradidit*. *Imper.* Lotharius Liguriam *ingreditur*, &c.] Iste *Alfusus*, sic etiam dictus *Petro Diac.* lib. 4. cap. 97, est *Amfusus* in Codice 199. tum hoc loco, tum ad an. 1144; nec aliter in antiquis Chartulis, & apud Alexan-
C drum Teles. cui tamen dicitur. *Anfusus*, ab nomine appellatus, ut Hieronymus Surita conjectatur, *Alfonsi* Regis *Hispaniarum*, ejus Avi materni, quod nomen Wolfgangus Lazius de Migr. Gent. lib. 10. detortum putavit, ex *Ildifonso*; atque hoc ex. *Hildibuntzo*: vocabulo *Gothico*, *a favore* scilicet, *& amore fœderis*. Sane apud *Paulum Diac.* lib. 6. cap. ult. *Anfusus* dictus est vir quidam ex sorore nepos *Luitprandi* Regis *Langobardorum*: & apud editum a me Ignotum *Cassin.* Num. 8. legitur de *Alfonse Saracenorum Lybicorum* Duce, sed hæc obiter. At Rex *Rogerius*
D *Amfusum* filium tertio loco genitum, & adhuc puerum *Capuæ* constituit Principem, cum haberet (verba sunt Alexandri Teles. lib. 3. cap. 27.) *alios duos liberos adolescentiores*, *ad suscipiendum militiæ cingulum utrosque adultos*; *quorum unum*, *qui erat primogenitus omnium fratrum*, Rogerium *nomine*, *jam Ducali honore*, *alium autem* (*Tancredum* appellatum) *Principatu* Barensi *provexerat*, &c. *Campanus* itaque Principatus post *Barensem* a Rege acquisitus, juniori obtigit filio *Amfuso*, cui Ducatus paulò post *Neapolitanus* est etiam a patre contributus, ut alibi fusius. Quod autem ad consignatum ejusce rei gestæ annum
E spectat, in Codice 199. notatur, institutum Principem *Amfusum*, Imperatoremque *Lotharium* in *Liguriam* advenisse uno, eodemque anno 1136. sed de *Lotharii* adventu postea videbimus. *Amfusum* vero Principis dignitate a patre decoratum statim post urbem *Neapolim* ab eodem Rege terra, marique, sed frustra, oppugnatam, (id in anno contigit 1135, mense *Septembri*, auctore *Falcone*, qui tamen nil de *Amfuso*) atque antequam idem *Rogerius*, *mare ingressus*, Siciliam, *cum immensa expeditione Veris tempore ad expugnandam rursus* Neapolim *reversurus*, *repetisset*, creden-
F dum oculato est testi Alexandro Teles. lib. prædicto cap. 27. & seqq. Nostri itaque Anonymi tex-

1136. Obiit *Seniorettus* Abbas. *Raynaldus Tuscus* fit Abbas. Imperator *Barium* us-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

textus hac parte luxatus censendus certe est, novique *Campani* Principis inauguratio ad jam dictum annum 1135. figenda, Kalendis *Octobris*, vel circa; quod etiam ex observata in antiquis Chartulis serie annorum ejus Principatus clarissime aperitur. Sed *Lotharii* in *Liguriam*, atque in *Italiam* adventus rectissimè quidem in Codice 199. ad annum notatur 1136: quippe *mense* Novembri, *Indictione* 15, vergente scilicet præfato anno, positus ille apud *Roncalias* (planus, ac patens est campus non longe a *Placentia* super *Padum Othoni Frisingensi* in *Friderico* lib. 2. cap. 12. & *Gunthero* lib. 2.) legem condidit *de Feudo non alienando*, descriptam lib. 2. Feudorum Tit. 52: nec non, sub alio tamen titulo, lib. 3. LL. *Langob.* Tit. ult. Falco etiam diserte pro hac stat sententia, ex cujus narratione ista, quæ huc faciunt, excerpo: *Anno*, inquit, 1136 *Dominicæ Incarnat. & septimo Papæ* Innocentii *præfatus Imperator* (Lotharius) *Apostolico* Innocentio *mandavit*, *ut eum præstolaretur*, *quia Domino favente*, *sicut promiserat*, *in festivitate S.* Jacobi *venire desponnebat* (scribo. *disponebat*) Et mox infra. *Princeps* Robertus *audiens Civitatem* Neapolim *famis periculo urgeri*, *cum quinque navigiis ad eandem civitatem venit*, *& Imperatoris adventum firmiter propalavit*, *& cursu celeri* Pisas *revertitur. Continuo ad Imperatorem festinans*, *invenit eum montes descendisse*, *& super Civitatem* Cremonam *castra sua posuisse.* &c. *Lotharius* itaque in anno 1136. in *Sub-Alpinam* pervenit *Italiam*, sive in *Galliam* dicas *Transpadanam* (est namque trans *Padum Cremona*) quam noster in utroque scripto Codice hoc loco, & ad annum 1147, more aliis tum suæ, tum aliquantò antiquioris ætatis frequenter usurpato, nomine appellavit *Liguriam*, etsi hæc olim ultra *Padum* non porrigebatur. Quocirca *Petrus Diac.* lib. 4. cap. 97. præsenti cum viveret, ac scriberet tempore, ulteriusque Chronicon suum cum non produxisset, cur in annum id retulerit 1135. nisi illum nunc pariter credam, sic castigandum communem duxisse errorem, quem in supputandis annis *Christi* cæteros omnes fovere, sibi persuaserat, haud habeo, quid aliud dicam. Nam possem equidem, ut alias feci, hanc quoque culpam in librarii caput convertere, fecissemque; ni visum, non semper, nec tuto nunc ad hujusmodi Asylum commodum confugiendi locum esse. At *Liguriæ* vocabulo campestrem *Sub-Alpinam*, ut dixi, hic denotari *Italiam*, & trans *Padum*, ambigendum non est; quam hujus nominis acceptionem non advertens vir doctus, substituendum credidit. *Liburiam*: putans Anonymum loquutum de *Campaniæ* uberrima regione, hoc vocabulo, sed post *Plinii Secundi* ætatem, nuncupata: *Clanio* scilicet amne, *Cumis*, *Puteolis*, *Neapoli*, *Acerris*que urbibus aliquando definita, quæ nihilominus sæpenumero in priscis monumentis, & præsertim in Registro Monasterii Monialium S. *Blasii* urbis *Aversæ*, atque in Historia Miscella lib. 16. dicta etiam reperitur: *Liguria*. Cumamos (sic ibi) Puteolanos, *& alios plurimos in* Liguria *degentes*, &c. ex consueto nimirum, mutuo, ac facili transitu, & conversione literæ. *b.* in *u*: &. *u.* ante. *u.* in *gu*; ita ut unum, idemque hoc *Liburiæ* nomen promiscue. *Livuria*, & *Ligaria.* olim scriptum, fueritque pronunciatum. *Liguriam* vero *Sub-Alpinam* trans *Padum* processisse, ex *Rigordo* intelligimus in *Phil.* Rege, cum inquit:

A *Eodem anno* 1213. *factum est bellum in* Liguria, *in territorio* Cremonensi, &c, quod etiam adstruit Otho Frising. lib. 7. cap. 14. de Imperatore loquens *Henrico. Verum*, inquit, Novariam, Liguriæ *civitatem*, *dum per* Longobardiam *pergeret*, *ceperat.* Sed & Notitia Imperii Occidentalis Cap. de Comite Sacr. Larg. nec non *Paulus Diac.* de Gest. *Langob.* lib. 2. cap. 11. sive 15, ut *Anastasium* mittam *Bibliothecarium* loco in Castigat. ad *Lupum* relato, qui *Mediolanum*, & ipsam trans *Padum* inter *Cremonam*, & *Novariam* sitam, *Liguribus*, & *Liguriæ* adsignant. Hinc
B Guntherus suum de Imp. *Friderico* Historicum Poëma: Ligurinum *vocavit*, *quia* Ænobarbo, ut Vossius notat de Historicis Latinis lib. 2. cap. 53. *negotium in primis fuerit cum urbe* Ligurina, *hoc est* Mediolano, *cujus incolas* Ligures *semper appellat.* Quin idem *Guntherus* lib. 2. *Ligurum* Metropolim eam constituit, simulque *Bernardus* Abb. *Bonævallis* in vita S. *Bernardi Clarævallensis* lib. 2. cap. 4. Cassiodorus insuper Variar. lib. 12. epist. 14. *Comum* ex hac eadem descriptione *quasi murum quendam* esse dixit *planæ* Liguriæ; *quæ*, inquit, *post tergum campestria cul-*
C *ta transmittit*, *amœnis vectatoribus apta*, *& victualibus copiis indulgenter accommoda*: *a fronte sexaginta millibus dulcissimi æqueris amœnitate perfruitur.* Hæc ille. Nec angustiores ejusce *Liguriæ* constituit fines *Cassiodoro* æqualis *Ennodius* in Vita B. *Epiphanii*, de cujus etiam ubertate, quæ populata a *Burgundionum* Rege fuerat *Gundobado* (de hac etiam clade idem Cassiodorus Var. lib. 12. epist. 28.) *Italiæ* Regem *Theodericum* ad ipsum *Epiphanium* sic loquentem facit: *Illa mater*, inquit, *humanæ messis* Liguria, *cui numerosa agricolarum solebat constare progenies*, *orbata*, *atque sterilis jeju-*
D *num cespitem nostris monstrat obtutibus. Transalpina* etiam *Gallia* post priscos, & exoletos *Ligures* suos recentiorem quoque habuit *Liguriam*, quam præfato *Cassiodoro* lib. 8. epist. 12. memorari observo. Sed eam a *Gregorio Turonensi* lib. 1. Mirac. cap. 92. epitheto *amœnissimi loci* appellatam cum video, Regemque *Alaricum* vehementer studuisse, ne ejus prospectus Regias ædes lateret, suspicione tangor, an omnis aspectu jucunda, & læta, ubertateque clara planities ex jucundissima, uberrimaque *Campaniæ Liguria*, sive *Liburia*, communi velut nomine. *Liguria.*
E fuerit nuncupata: haud secus, ac præfatus *Gregorius* lib. 2. Mirac. c. 35. & de Glor. Confess. c. 84. aliique mediæ ætatis Auctores, *Falerna vina* dixere, etiam quæ alibi, quam in *Falerno Campaniæ* agro nata, illorum tamen generositatem æquiparabant? Sicut *Paulinus* etiam *Nolanus* epist. 10. ad *Severum* appellavit *Viam Appiam* (ut complurium recentiorum paria de hujus nominis usurpatione prætercam nunc exempla) quæ ad *Appiæ* instar firmissimo silice inter *Neapolim*, & *Nolam* strata fuerat via; cum haud ille ignorasset, ut argumento est ejus locus in Carm. ad *Cytherium*,
F viam dictam propriè *Appiam Roma Capuam* ab *Appio* in Censura sua munitam, unde est denominata. Qua pariter figura idem bis relatus Cassiodorus Var. lib. 12. epist. 22. regionem *supra sinum maris* Ionii *constitutam*, *olivis refertam*, *segetibus ornatam*, *vite copiosam*, *non immeritò* Ravennæ Campaniam vocatam ait, *eamque* (nec alias nunc afferam *Campanias* consimili occasione, atque ab exemplo nostræ nomen olim mutuatas) *suas habere* Bajas. Scaliger fanè ad *Auson.* lib. 2. cap. 16. *Alpes* pro *Pyrenæis*, eidem Poëtæ, ac *Gellio* dictas observans, id nisi ex utrorumque montium pari magnitudine, ac munere, quo illi *Italiam* a *Gal-*

usque pervenit, cui pæne se tota *Apulia* tradidit [1]. *Innocentius* Papa cum Duce *Bojoariæ* per totam *Tusciam* iter agens omnibus ei se, præter *Romam*, usque *Beneventum* tradentibus apud *Barium* Imperatori jungitur. Papa, & Imperator, tradito Ducatu Comiti *Raynulpho*, revertuntur. *Raynaldus* hujus loci electus deponitur. *Guibaldus* ordinatur, qui post quadraginta quatuor dies recedit. *Raynaldus* fit Abbas. Obiit *Lotharius* Imperator.

1137. *Conradus* fit Imperator. Obiit *Petrus Leonis*; qui & *Anacletus* [2]; sed post duos menses fratres ejus cum suis elegerunt quendam *Gregorium* Hæresiarcham, qui post tres menses a Papa *Innocentio* deponitur. Rex *Rogerius* venit super *Raynulphum* Ducem *Apuliæ*, & exhæredavit *Alexandrum* de *Claromonte*. *Aliphas* redegit in cinerem, sicque in *Siciliam* reversus est.

1138. *Innocentius* Papa facta Synodo, *Anacleti* partem damnavit. Obiit *Raynulphus* Dux. Mons *Vesuvius* per quadraginta dies eructavit incendium [3]. *Rogerius* Rex venit *Apuliam* & cæpit eam præter *Barium*, & *Trojam* deinde venit *Minlanum*, contra quem Papa cum exercitu veniens juxta *Gallucium* in fugam versus comprehenditur, & quarto die pace facta confirmat illi totam terram a fluvio *Carnello*, & infra: filiisque Principatum, & Ducatum. *Castellum Sancti Angeli* igne crematur, & *Mortula*, cum S. *Salvatore*, & S. *Victore*, & S. *Petro* in *Fia*.

1139. Idem Rex ad hoc Monasterium venit III. Kalend. *Aprilis*, cui per chartulam *Rocca* de *Bantra* traditur pro *Ponte Curvo*, quem dicebat injuste a nobis detineri. *Castrum* quod *Pesmontis* dicitur cum *Cardito*, & *Camino* nobis tollitur.

1140. Terremotus factus est valde magnus.

1141. Hoc anno Rex iterum ad Monasterium venit IV. Non. *Novembr.* cum fratres facto signo ad Vesperam orationibus instarent, subito fulgur unum fratrem senem ante crucem sinistri chori stantem perculit, & occidit, & locum hunc multis in locis dissipavit [4].

1142. Lu-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

lia, hi *Galliam* ab *Hispania* discriminant, haud ij usurparunt Auctores. Sed ad nostrum jam institutum, a quo sumus digressi.

[1] *An.* 1136. *Obiit* Seniorettus *Abbas.* Raynaldus Tuscus *fit Abbas. Imperator* Barium *usque pervenit*, &c.] Cuncta hæc in Codice edito, & in *Cassinensi* 47. sub anno descripta 1136; rectius in Codice 199. ad annum notari 1137, ex paulò ante dictis, & ex exposita in Serie Abbatum *Cassin.* Chronologia satis constat: pro qua sententia stat quoque Auctorum ferè omnium unanimis consensus. Fit autem hine manifestum, ab imposturæ, ac falsitatis excusari non posse culpa, quæ *Sigonio* probata, suæque Historiæ Regni *Italiæ* inserta lib. 11: a *Baronio* damnata jure est disputatio Cardinalium cum *Petro Diacono* coram *Lothario* Imp. habita ad *Aquas Pensiles* (locus est in *Apulia*, vulgò tunc *Lago Pesole.* in Episcopatu *Venusino*) anno 1138, mense *Julii*, ad calcem Chronici ejusdem *Petri* attexta, iisque commixta, quæ eo loci ab ejusmodi disputatione prorsus aliena idem Auctor sincera fide descripserat: *Lotharium* scilicet dicens, una cum Papa *Innocentio* ex *Apulia* recedentem, perque *Cassinense* Monasterium mense *Septembri*, anno 1137, iter habentem, *Romam* recto itinere pervenisse, non aliàs *Cis-Tyberinam* hanc *Italiam* revisurum, qui apud *Clusam Liguriæ* (sic inquit) diem haud multo post obiit. Sed est & alia in Actis ejusce disputationis temporum dissonantia; cum sc. cap. 113. perhibetur, *Lotharium* in servitio *Innocentii* usque ad præfatæ disceptationis dies *per annum, & dimidium* in papilionibus commoratum (cap. 116. dicitur *per annum & menses duos*) nempe postquam ille *Italicum* susceperat iter; quod sane temporis intervallum trium fuisset annorum, si *Italiam* advenisset in anno 1135, ut *Petrus* statuit loco ad annum superiorem relato. Cæterum ambo scripti Anonymi Codices præterquam quod in annis, ut solent, in aliis hic quoque invicem variant; quæ in Serie Abbatum *Cassin.* sunt mihi enarrata, ubi de *Rainaldo Tusco*, & supra ad an. 1001. Lectionem

A autem Codicis 47. editus cum expressisset, compendiatam tamen vocem *Co⊥im.* omisit (in Codice 199. descripta ea etiam est, sed in hanc formam. *Colemt.*) qua genus Abb. *Rainaldi Colimentani*, successoris Abb. *Guiberti*, ibi exponebatur; tantique fuit me in Dissertatione quadam *Italice* descripta hoc advertisse, ut viri quidem diserti, sed ab criticæ studiis longe alieni, opinionem de *Rainaldo* hoc *Colimentano* diu sibi, sed & aliis pridem persuasam, præsenti tandem anno abjecerint, ac mutarint. Sed in utroque Anonymi Codice præter hæc est observandum, haud videri ex ipsius placito obitum

B *Lotharii* Imperatoris in eundem non referri annum, ad quem ibidem sublimatio notatur successoris ejus *Conradi*: qui cæterorum Auctorum insistens dictis, utraque sane ista sub uno anno 1138. continenti, ni fallor, descripserat textu; sed librarii per summam oscitantiam ea dispertierunt, præfatum annum electioni præficientes Regis *Conradi*, qui erat *Lotharii* morti præponendus.

[2] *An.* 1137. Conradus *fit Imperator. Obiit* Petrus Leonis, *qui &* Anacletus, &c.] Scripti Codices, sed singuli suum in annis servantes tenorem, hæc paulò plenius. *Obiit* Petrus *filius* Leonis,

C *qui &* Anacletus; *sed fere post duos menses fratres ejus cum suis elegerunt pro eo quendam* Gregorium, &c.

[3] *An.* 1138. Innocentius *Papa facta Synodo*, Anacleti *partem damnavit. Obiit* Raynulphus *Dux.* Vesuvius *per quadraginta dies eructavit incendium*, &c.] Et ista in Codice 199. recto ordine ad annum sunt 1139; in quo habetur *Vesuvium* per quadraginta *ferme* dies flammas eructasse. *Falco* id perhibet accidisse anno nunc dicto, 4. *Kal. Junii*, ignemque visum *per octo dies*; cinerem verò *per dies triginta*: rem scilicet minutiori narra-

D tione consignans, quippe qui eadem vixerit ætate. Est etiam in præfato Codice 199. descriptum nomen, *Miniani*: non *Minlani*, de quo dixi ad *Lupum*: nec ibidem. *S. Petro* in *Fia*: sed *S. Petro* in *fine.* ut item infra ad an. 1195: oppidum videlicet in *Cassinensis* ditionis confinio, quod ab *Teanensi*, ac *Venafrano* hanc dirimit Comitatu.

[4] *An.* 1141. *Hoc anno Rex iterum ad Monasterium venit. IV. Non.* Novembr. *cum fratres facto signo*

1142. Luna quartadecima obscurata est a prima hora noctis usque ad quartam [1]. Pridie Non. *Novembris* Ecclesia S. *Mariæ*; & S. *Alberti* dedicatur. Obiit *Innocentius* Papa. *Cælestinus* fit Papa. Rex iterum ad hunc locum venit. Terra *Marsorum* se ei tradidit. Thesaurum hujus loci omnem cum tabulis ante altare tollit, præter Crucem majorem cum Cyborio, & tribus tabulis altaris.

1143. *Cælestinus* Papa moritur, & *Girardus* Cardinalis *Sanctæ Crucis* in Papam *Lucium* eligitur [2] Rex iterum ad hunc locum veniens cum Papa loquitur; & discordans Papa recedit; Rex partem *Campaniæ* cum *Tarracina* cæpit. *Berrulas* obsedit: deinde quodam pacto facto, quæ cæperat, reddidit, *Siciliam* abiit. Obiit *Alfusus* Princeps; & frater ejus *Guilielmus* fit Princeps. Mare dulce factum est a *Cajeta* usque *Neapolim*. *Jordanus* filius *Petri Leonis* cum Senatoribus, & parte totius populi minoris contra Papam rebellat.

1144. Obiit *Lucius* Papa, & *Eugenius* ordinatur, qui tertio die suæ electionis nocte cum omnibus Cardinalibus, & Episcopis *Roma* egressus fugit, & apud *Faruensem* Abbatiam Pontifex consecratur, & apud *Bitervum* Pascha celebrans, ibique per octo menses remoratus, demum cum *Romanis* paciscens *Romam* reversus est. Stella Cometes apparuit.

1145. *Eugenius* Papa per *Transtyberim* exiens *Bitervum* devenit, & pacem cum *Romanis* reformans, muros *Tiburtinæ* Civitatis destrui præcepit, & apud Civitatem *Lucensem* abiit [3]. Rex *Rogerius* cepit *Tripolim*.

1146. Idem

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

signo ad Vesperam, &c.] In Codice 199. annus prænotatur 1142: Regemque ad *Cassinense* Monasterium advenisse III. *Non.* Novembris, ac *tacto signo ad Vesperam* (vulgo dicimus. *toccato il segno*) Fratrem unum fulmine peremptum: & reliqua.

[1] *An.* 1142. *Luna quartadecima obscurata est*, &c.] Refert hæc ad annum 1143. Codex 199: hoc ordine. *Luna quartadecima tota obscurata est a prima hora noctis usque ad quartam*, IIII. *Non.* Februarii. *Ecclesia S.* Mariæ, *& Sancti* Alberti *dedicatur*, &c.

[2] *An.* 1143. Cælestinus *Papa moritur*, &c.] *Cælestini* Pontificis obitus in annum incidit 1144, & mensem *Martium*. Quo quidem anno, sicut hoc etiam loco Anonymus tradit, *Amfusum Capuæ* Principem diem obiisse, eique a patre, ac Rege *Rogerio* suffectum, tum in eodem Principatu, tum in Ducatu *Neapolis* alterum filium, nomine *Guilielmum*, ex antiquis manifestum est chartulis. *Ugo* itaque *Falcandus* certe est memoria lapsus, *Guilielmum* hunc ex *Tarenti* Principe in Regni collegam, & successorem a patre dicens postea adscitum, quem rectius *Romualdus Salern.* (non tamen sine alio novo errore, de quo infra) ex *Capuæ* Principe in Regem evectum notat: dudum enim ante *Amfusi* mortem in fata etiam concesserat *Tancredus Tarentinus*, qui *Barensis* quoque dictus est Princeps; Duxque *Apuliæ Rogerius* in an. 1148. post *Amfusum* e vivis & ipse abierat, solusque patri remanserat præsens *Guilielmus*. Primævi sane Reges *Siciliæ* liberis secundo loco genitis *Campanum* Principatum tradere consueverunt. Sic ipse nunc dictus Rex *Rogerius Capuæ* Principem constituit *Guilielmum*, ex filiis tunc viventibus secundo loco natum (cur secundo filio *Tancredo Barensem* Principatum antea tradidisset, ad an. exposui 1135.) Sic *Guilielmus* iste cum esset Rex primum *Roberto* filio, eoque mortuo iterum *Henrico*, quarto loco natum, *Campani* Principatus honorem attribuit, primogenito scilicet *Rogerio*, qui in regnum successurus erat, prima vice *Apuliæ* Ducatu concesso: altera autem vice, quoniam ambo jam dicti majores natu ejus filii diem obierant, *Guilielmo* contradito, inter viventes ætatis sane provectioris. Quem ex rationabili causa usurpatum tunc fuisse putamus mo-

A rem; nam Ducalis ea dignitas ab eadem hac *Normanica* fuerat gente instituta, ejusque ditio *Campano* Principatu, utpote quæ sub se reliquam omnem tunc complectebatur *Italiam Cis-Tyberinam*, longe erat major; a quo honore ad Regiam ipse Regni primus institutor *Rogerius* ascenderat sublimitatem. Sed de his alias. Obitus igitur Pontificis *Cælestini*, atque Principis *Amfusi*, cæteraque in Anonymi Codice 47, & in edito sub anno descripta 1143, anno contigerunt sequenti, ad quem in Codice notantur 199. Hi vero ambo scripti Codices plura habent, quam editus, a quo B etiam variant in hanc formam. *Rex iterum ad hunc locum veniens*, Ceperanum *abiit*; *ubi cum Papa loquitur*, *& discordantes*, *Papa recedit*, &c.

[3] *An.* 1145. Eugenius *Papa per* Trans Tyberim *exiens*, Bitervum *devenit*, *& pacem cum* Romanis *reformans*, *muros* Tiburtinæ *Civitatis destrui præcepit*, &c.] Lege, ut in utroque *Cassinensi* exemplari. *pactum cum* Romanis *reformans*. Sic etiam infra ad an. 1148. sive 1149; Eugenius *Papa pactum cum* Romanis *reformans*, &c. Ad quem locum suppositum quoque legitur in Codice edito. *pacem cum* Romanis. Est autem. *pactum.* quod C quandoque. *Placitum.* dictum observo, tum induciæ, & pax ad definitum tempus, tunc quælibet animorum post quamcunque discrepantiam concordia sub certa lege. In Glossis ad Regulam S. *Benedicti* cap. 2. in manu descripto antiquo Codice Monasterii S. *Mariæ* Monialium urbis *Capuæ*. *Testamentum*, *Placitum*, *vel Pactum*. Glossæ Basilicorum. πάκτον, σύμφωνον. πάκτον, συνθήκη. πάντου, εἰρήνης. Hoc est. *Pactum*, *Consonans*. *Pactum*, *Fœdus*. *Pacto*, *Pace*. In eandemque plane significationem olim hoc vocabulum vulgo usurpari consuevisse, aperit Joannes Boccacius in D Fabella inscripta. *Tofano di Arezzo*. inquiens. *Et così à modo del villan matto*, *dopò danno fè patto*. Hinc apud Constantinum Porphyr. de Admin. Imp. cap. 9. πακτιῶται. id est, *fœderati*, sive *tributarii*. nam. *pacta*. res sunt etiam ipsæ ex inito pacto promissæ. In Historia Miscella lib. 19. *Muhavias Arabum* Princeps *dirigit Legatos ad Principem* Constantinum, *postulans pacem*; *& pollicetur annualia se Imperatori pacta laturum*. Et infra. *Convenit inter utrumque in scriptis fieri pacis cum juramento sermonem super consonantiam annui pacti*. Non oportebat igitur locum turbare E Anonymi. Sicuti nec ab Historia Erchemperti extremo fine, amputanda erant verba, quæ a me

 sunt

1146. Idem Papa *Burgundiam* ingressus a *Ludovico* Rege *Francorum* apud *Divionem* honorifice susceptus est, cum quo Pascha apud *Parisius* celebravit, ejusque tutelæ Regno *Francorum* dimisso, idem Rex cum magno exercitu *Hierosolymam* perrexit [1]: quo etiam anno *Conradus* Rex Secundus *Alamanniæ* cum ingenti exercitu per *Ungariam*, *Hierosolymam* profecturus, *Constantinopolim* devenit, ibique *Ludovico* Regi sociatus, & ab Imperatore *Emanuele* cognato suo honorifice suscepti per *Ieonium* desertum ingressi sunt, & quamplures de exercitu fame perierunt, alii a *Turcis* occisi sunt.

Sol obscuratus est IV. Kal. *Novembris*; *Eugenius* Papa *Antisiodorum* veniens, Monasterium S. *Mauri* sub obedientia Cœnobii *Cassinensis* manere confirmavit, Abbate prius ab obedientia Episcopi *Andegavensis* soluto; indeque *Treverim* veniens ab Archiepiscopis, & Proceribus *Alamanniæ* honorifice susceptus est. Rex *Rogerius* cæpit *Africam*.

1147. Idem Papa *Rhemis* Concilium celebrans quendam Hæresiarcham *Hispaniæ*, qui se *Christum* esse dicebat, perpetua custodia damnavit, sicque per *Liguriam* regressus est *Bitervum* [2]. *Conradus* Rex *Alamanniæ* cum *Ludovico* Rege *Hierosolymam* ingressus, & per aliquot dies ibi remoratus, congregato exercitu *Damascum* obsedit, sed fraude incolarum deceptus per *Constantinopolim*, & *Venetiam* in *Alemanniam* rediit. *Ludovicus* vero Rex *Antiochiam* reversus est. Abiit *Rogerius* Rex. *Guilielmus* frater ejus fit Dux.

1148. *Eugenius* Papa *Tusculanum*, ingressus fultus auxilio *Rogerii* Regis, *Romanos* sibi rebelles expugnat. *Ludovicus* Rex a partibus *Hierosolymitanis* reversus, & a Rege *Rogerio* apud *Potentiam* cum honore susceptus IV. Nonas *Octobris* ad hoc Monasterium venit, susceptusque honorifice, post diem recedens tertium, & apud *Tusculanum* cum Apostolico colloquens, *Franciam* rediit. *Eugenius* Papa pacem cum *Romanis* reformans *Romam* reversus est.

1149. *Eugenius* Papa Urbe egressus; *Campaniæ* moratus est. Aqua turbida pluit pridie Idus *Martii*. Luna obscurata est Idibus *Martii*. Sanguis pluit in festivitate S. *Joannis Baptistæ*.

1150. Obiit *Sibylla* Regina. Rex *Rogerius* constituit *Guilielmum* Ducem filium suum *Apuliæ* Regem.

1151. Obiit *Conradus* Rex. *Federicus* fit Rex. *Naassamonites* gens *Mauritaniæ* Regem suum ejusdem Provinciæ laqueo suspenderunt; deinde iter agentes nobilissimam Urbem

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

sunt restituta. *Cum autem*, inquit, *uterque se junxerit ad pactum*, *vel ad bellandum*, *quod deinceps egerint*, *præsenti Opusculo inseram.* in quibus. *pactum.* juxta priorem expositum est acceptionem. Sed de hoc, deque aliis pluribus *Latinobarbaris* vocabulis, quæ in Historiæ *Langobardorum* Principum libro primo occurrunt, commodius dicam in Glossario peculiari.

[1] *An.* 1146. *Idem Papa* Burgundiam *ingressus*, &c.] Annus ex Codice 199. restituendus 1147: & infra ex utroque *Cassinensi* exemplari legendum. *Iconium*: non. *Ieonium* & *Principibus* Alamanniæ: non. *Proceribus*.

[2] *An.* 1147. *Idem Papa* Rhemis *Concilium celebrans*, *quendam Hæresiarcham* Hispaniæ, *qui se* Christum *esse dicebat*, *perpetua custodia damnavit*, &c.] De impudentissimæ, vanissimæque hujus hæresis Auctore in Concilio damnato *Rhemensi* pluribus *Robertus* de *Monte* ad an. 1148; cui proprio vocabulo dicitur. *Eon. Willelmus* etiam *Neubrigensis* de Rebus *Anglicis* lib. 1. cap. 19; cui est *Eudo*: Gallice: *Eun.* & Otho Frising. in *Friderico* lib. 1. cap. 54. & 55; istique nuncupatur. *Eus*; quo pariter nomine ambo *Cassinenses* Codices illum indigetant, sic habentes. *Idem Papa* Rhemis *Concilium celebrans*, Eum *Hæresiarcham* Hispaniæ, *qui*, &c. Verba sunt præfati Roberti, nam aliorum nil opus dare. *A Papa* Eugenio Rhemis 11. *Kal.* Aprilis *Concilium celebratur*; *in quo Hæreticus quidam de* Brittannia *adductus*, *damnatur*; *qui se Prophetam*, *vel magnum quemlibet*, *& nomini suo alludens* (Eon *enim dicebatur*)

A Eum, *qui venturus est judicare vivos*, *& mortuos*, *& seculum per ignem*, *se esse dicebat*, &c. quæ ibi vide; & crassam deride viri procacissimi, ineptissimique nebulonis insipientiam: *ita plane* (dicam cum *Neubrigensi*) *ut* Eun, *&* Eum *nesciret distinguere.* Cæterum ex *Roberto* jam nosti Concilium hoc *Rhemense* actum esse in an. 1148; in quem etiam annum illud rejicit Codex 199. Eodemque ex exemplari scribendum inferius est. *Obiit Dux* Rogerius. Guilielmus *frater ejus fit Dux*: minime vero, ut habet editus. *Abiit* Rogerius *Rex*, &c. namque ibi sermo habetur de *Rogerio* filio

B Regis *Rogerii*, quem pater, se vivo, *Apuliæ* constituerat Ducem; quo mortuo alterum filium, *Guilielmum* nomine, *Capuæ* tunc Principem, in Ducem subrogavit; sed non hoc anno 1148, sicut in nostro Anonymo perperam librarii repræsentarunt, indiscrete simul componentes, quæ erant distinguenda, unoque sub anno minime fuerant notanda: verum in anno 1149, *Indictione* 12: quod antiquæ adstruunt Chartulæ, & *Romualdus* exponit *Salernitanus.* Hunc vero Ducem *Guilielmum* in anno postmodum 1151, mense *Maji* ab patre in Regem fuisse

C evectum, idem Anonymus in Codice 199, custoditaque in prænarratis chartulis dictat annorum ratio; a quibus nonnihil discrepat jam dictus Romualdus, cum tradat *Guilielmum* a *Rogerio* Regni collegam factum ex *Capuæ* Principe, quod sane falsum. *Biennio*, inquit, *antequam moreretur* (Rex *Rogerius*) Willelmum *filium suum*, Capuanorum *Principem*, *in Regem* Siciliæ *fecit inungi*, *& secum jussit pariter conregnare.* At acciderint hæc biennio ante Regis obitum, nec ne, nil modo dicam: vide infra.

Urbem *Buceam*, & multas alias Civitates tum vi, tum dolo cæperunt, Rege ejus fugato. *Eugenius* Papa cum *Romanis* paciscens *Romam* reversus est V. Idus *Octobris* [1]. Terremotus multi, & magni fuere. *Naassamonites* Regem *Buceæ* in *Constantina* Urbe captum suspendunt.

1152. Sol passus est Eclypsim. Obiit *Eugenius* Papa: & *Conradus* Episcopus *Sabinensis* consecratur in Papam *Anastasium*. Rex *Hierosolymitanus* cæpit Civitatem *Ascalonam*. Rex *Rogerius* cæpit Civitatem, quæ quondam *Ippone* Regium dicebatur: Abbas Monasterii Sancti *Mauri* ad hoc Monasterium ∴ ∴ ∴ ∴

Hactenus ex Cod. 47. Sequentia cum habet Codex 199.

1154. † Obiit Rex *Rogerius* mense *Februarii* die ultimo. Obiit *Anastasius* Papa, & *Adrianus* Papa eligitur [2].

1155. Exercitus Regis *Siciliæ* cum *Asclentino* Cancellario *Campaniam* ingreditur, & combussit *Ceperanum*, & *Babucum*, & loca vicina: deinde rediens, mœnia *Aquini*, & *Pontecurvi*, & aliorum Oppidorum dirui fecit, & omnes Monachos de Ecclesia foras expelli, exceptis duodecim [3]. Imperator *Theutonicus Romam* venit, & clam coronatus recess-

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1151. *Obiit* Conradus *Rex.* Federicus *fit Rex.* Naassamonites *gens*, &c. Eugenius *Papa cum* Romanis *paciscens*, Romam *reversus est V. Idus* Octobris, &c.] Non quinto Id. *Octobris*, sed. *Decembris* habet Codex 199: nec ad annum hæc notat 1151, sed 1152; cui præter cæteros alios tum antiquos, tum neotericos Auctores adstipulatur *Robertus* de *Monte*. Sed ille *Massemutos* appellat, quos noster hoc loco per errorem, de quo infra, *Naassamonites*: sed rectius ad annum 1160. *Masenutos*, & ad an. 1181. *Maxamutos*. Insuper est Roberto Rex *Bulgiæ*, qui nostro dicitur. *Rex Buceæ*: id est urbis in mari *Africano*, vulgo nunc. *Bugia*; e qua Rex *Massemutos* timens, *Constantinam* in mediterraneis (*Cirtam* putat Ortelius in Thesauro) se recepit; quæ interpretatus aliter est vir doctus.

[2] *An.* 1154. *Obiit Rex* Rogerius *mense* Februarii, *die ultimo. Obiit* Anastasius *Papa*, *&* Adrianus *Papa eligitur*] Liberi erimus tandem ab hac molestissima temporum observatione, in quam adeo frequenter adegit nos depravatus Codex *Cassinensis* 47, illo nunc deficiente in anno 1152, qui restitui debet 1153; quippe nulla posthac de annis ab Anonymo descriptis habenda erit nobis cura; quos in Codice 199, unde præsentis Chronici subsequens pars ad annum usque 1195, est desumpta, & in tertio illo superius mihi indicato Codice, ex quo postrema pars est accepta, recto ordine, sive ut circumspectiori verbo dicam, ad mentem auctoris procedere, non habeo, cur non credam. Et Regis *Rogerii* ante omnia annum, & diem obitus rite hic consignari, antiquæ Chartulæ, & Auctores consentiunt omnes: quin nec secus ejus Tumulus capiendus est, ut dicam ad an. 1172, nec ipse negat *Romualdus Salernitanus*, qui in aliam ab hac sententia a summo laudatur viro *Baronio*. *Guilielmum* enim verbis paulo ante relatis coronatum prodidit in Regem biennio ante *Rogerii* patris mortem: nempe rotundo ibi usus annorum numero; sed dein *Rogerii* designans obitum, non sic, inquiens: *Defuncto* Rogerio, Willelmus *filius*, *qui cum patre duobus annis*, *& mensibus decem regnaverat*, *illi in Regni administrationem successit*. *Guilielmus* itaque Rex coronatus in anno 1151, mense *Maji*, utique in exitu mensis *Februarii*, anno 1154, annos duos, & menses sui Regni decem numerabat. Porro eodem anno 1154, mense *Decembris* defunctum quoque Papam *Anastasium*, electumque *in Papam* (sic in Codice 199.) Adrianum, est scriptorum omnium constans assertio.

[3] *An.* 1155. *Exercitus Regis* Siciliæ *cum* Asclen-A tino *Cancellario* Campaniam *ingreditur*, *& combussit* Ceperanum, *&* Babucum, *& loca vicina. Deinde rediens*, *mœnia* Aquini, *&* Pontecurvi, *& aliorum oppidorum dirui fecit*, &c.] Sunt hæc gesta, atque ab *Ansclentino de Ecclesia* Cassinensi (sic scripti Codices) ejus Monachi abscedere jussi, novo Regis *Guilielmi* furore exardescente in Papam *Adrianum*; quoniam, ut inquit *Romualdus Salernitanus*, non Regem illum, sed dominum *Siciliæ* in literis ei datis appellaverat *Adrianus*. Quæ repellere, vindicareque damna, quinimmo toto *Guilielmum* Regno proturbare conveniens sibi Pontifex ducens, tum alios minores, B tum præcelsiores, præpotentesque ea tempestate in hac *Italia* Dynastas in illum commovit: Comitem videlicet *Lorotelli Robertum*, aliis dictum, de *Basevilla*; qui debitum, ut autumabat, sibi Regnum cœpit invadere, & *Richardum* cognomento de *Aquila* (*de Ling.* dicit Robertus de Monte) Comitem *Fundanum*: in *Petri Diaconi* Chronico antiquioris editionis lib. 4. cap. 106. appellatum. *Aquilanum*, qua vocabuli ambiguitate deceptus *Sigonius* lib. 11. de Reg. *Ital. Aquilanorum* nuncupatione perperam illum designavit. Cumque eodem tempore *Robertus* 2. *Capuæ* olim C Princeps, & *Andreas* Comes *Rupiscaninæ* (oppidi hoc nomen in Episcopatu *Allisano*) frater Comitis, & Ducis olim *Apuliæ Raynulfi* spe fulti *Friderici* Imp. qui *Romam* eopse anno ad suscipiendam Imperii coronam advenerat, ex longo decem, & octo annorum exilio ad avitas recuperandas ditiones animo intenderent, opportunoque etiam Papæ *Adriani* favore roborati, atque (verbis dicam nostri Anonymi) *audita morte Regis* Guilielmi (lectio hæc est e manu exaratis exemplaribus, quam firmant *Robertus* de *Monte*, *Ugo Falcandus*, & *Guntherus* in *Ligurino* lib. 5: non D autem, ut habet editus Codex. *audita morte Regis* Rogerii) *Comes* Andreas *cepit civitatem* Alifiæ. Robertus *de* Surrento *cepit omnem Principatum* Capuæ *usque* Neapolim, *&* Salernum. Fuit autem hic *Robertus* de *Surrento* idem ille Princeps hujus nominis secundus, qui in anno 1127, teste *Falcone*, ab *Campano* Archiepiscopo *juxta prædecessorum suorum Privilegium*, *præsente* Romano *Pontifice* Honorio *in Principatus honorem inunctus*, varios expertus deinde rerum casus, eidem *Falconi*, & *Alexandro Telesino* fuse descriptos, bis a Rege *Rogerio* Principatu exutus: primum scilicet in anno 1134, iterum in anno 1137, ad Imp. E *Conradum Lotharii* successorem profugus se trans *Alpes* receperat; quod *Sigonius* loco jam relato, nescio tamen ex quibus antiquis edoctus monumentis, adnotavit. Ibique, defuncto *Conrado*, ad hos usque annos manserat, ut Guilielmi Tyrii auctoritas persuadet lib. 18. cap. 2. *Exules quo-*

que

recessit. *Robertus* Comes *Lorotelli* Regnum cæpit invadere. Comes *Richardus* de *Aquila* cæpit *Suessam*, & *Theanum*. Audita morte Regis *Rogerii* Comes *Andreas* cæpit Comitatum *Alifiæ*. *Robertus* de *Surrento* cæpit omnem Principatum *Capuæ* usque *Neapolim*, & *Salernum*. *Adrianus* Papa adiit *Beneventum*. *Robertus* Comes *Lorotelli* cæpit totam marinam, & *Castrum Bari* diruit.

1156. *Wilelmus* Rex *Siciliæ* venit *Brundusium*, & cæpit illud mense *Maji*, die vigesimo octavo, & destruxit *Barum*, deinde venit *Beneventum* ad Papam *Adrianum*, cum quo paciscens secure permisit exire Regnum Comitem *Lorotelli*, & Comitem *Andriæ*, & alios socios eorum prece ipsius Papæ [1]. Quo audito *Robertus* de *Surrento* fugit, sed captus

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

que inquit, *quos tam ipse* (Guilielmus) *quam pater ejus de Regno ejiciens*, *bonis fecerat extorres paternis*, *viros inclytos*, *& armis potentes*, *Dominum videlicet* Robertum *de* Surrento *Principem* Campanum, *Comitem quoque* Andream *de* Rupecanina, *& alios multos exhortationibus suis* (*Adrianus* Papa) *provocaverat*, *ut in Regnum redirent*, *& ad jure hæreditario sibi debitas accederent possessiones*, &c. Idem etiam innuit, quamvis nostri *Roberti* nomen omnino reticet, Guntherus lib. 1; post descriptam *Friderici* Imp. electionem sic canens:

,, *Nec minus* Appuliæ Calabris *qui ex finibus*
,, *alti*
,, *Sanguinis hic aderant proceres*, *quos ille loco-*
,, *rum*
,, *Invasor patriis migrare* Rogerius *oris*
,, *Jusserat*, *& tota profugos regione fugarat*,
,, *Multaque flebiliter crudelia facta Tyranni*
,, *Dequesti*, *patria sese tellure fugatos*,
,, *Proscriptosque bonis.* —— Subdit autem.
,, *Accipit hæc lætus Princeps*, *gaudetque rogari*,
,, *Signaque trans* Alpes *post prima biennia ferre*
,, *Regia*, *communi Procerum juramine sancit*, &c.

Et lib. 4. enarrans receptas ab præfatis exulibus priscas suas ditiones:

,, *Interea patriis* Andreas *finibus exul*,
,, *Atque alii Proceres*, Siculus *quos ille Tyran-*
,, *nus*
,, Appuliæ *totis dudum proscripserat oris*,
,, *Seu postliminio* Romani *jure reversi*
,, *Principis*, *injecta fines*, *ereptaque dudum*
,, *Jura*, *manu*, *firmasque urbes*, *& castra te-*
nebant,
,, *Omnibus attonitis.* Et iterum lib. 5.
,, *Hic Comes* Andreas Capuæ, *proscriptaque*
,, *turba*
,, *Nuper ab exilio nostro sub Rege reversa*, &c.

Qui tamen postremus *Guntheri* locus *Capuam* quidem a suo anteriori domino receptam, etsi subobscure aperit; sed ejus simul detegit indiligentiam, qui nullum agnovisse videtur Principem *Robertum*; congeminatoque errore Comitem *Capuæ* facit *Andream* de *Rupecanina*, *Roberti* consanguineum: reclamante scilicet nostro Anonymo, jam dicto *Tyrio*, *Romualdo Salernitano*, & Ugone Falcando, qui non *Robertum* de *Surrento*, ut alii, sed *Robertum Surrentinum* illum dicit. quo indicio doctus, (alia nunc omitto pro mea hac opinione argumenta) ipsius *Falcandi* dictionem cultiorem alicubi modo haberi, quam ipse efformarit, passamque in multis judico novitatem. Hic itaque *Robertus* in anno vigesimo octavo, ex quo primum *Capuæ* Princeps fuerat salutatus, nempe in *anno* Christi 1155, *mense* Decembrio, *Indictione quarta* (ex antiquis Chartulis hæc est temporis designatio, quas omnium primus palam dedit amicus vir *Michaël Monachus* in suo Sanctuario) avitum Principatum tertia vice detinebat, quem in antecedente *Septembri* recuperarat: quamvis ple-

A rique recentiores, quorum antesignanus, ac princeps extitit *Thomas Fazellus* in Decade posteriore Rerum *Sicularum* lib. 7. cap. 4. hunc *Robertum* nuncupatum *de Surrento* alterum, ac diversum ab *Roberto* illo secundo, statuerunt, patriaque putarunt *Surrentinum*; sed hunc commenti virum, coacti simul sunt asserere Regi *Guilielmo* uno, eodemque prorsus tempore cum duplici *Roberto* pro *Campano* retinendo Principatu rem fuisse; quo dicto nil absurdius, nec ab antiquiorum narratione dissonantius. Verumtamen qua occasione *Campanus* Princeps *Robertus* hanc novam acceperit de-
B nominationem, comperti nil ego cum habeam, minus quidem perite viri cæterum docti egisse se videntur in re manifesta, quandoquidem sub ætate *Nortmannorum*, quorum tempore hæc acciderunt, haud cognomina ex urbibus, nisi aliquando possessis, desumi consueverunt; ex quo sane more in antiqua Chartula a superius dicto *Michaele Monacho* relata, *Philippus* quidam præsentis Principis *Roberti* 2. *avunculus*, idemque cognomine appellatus legitur *de Surrento*: quippe qui
C filius fuerat *Sergii* Principis *Surrenti*, ejusdemque *Sergii* filia, *Philippi* soror, conjugio copulata Principi *Capuæ Jordano* 2, secundum hunc genuit *Robertum*, quod ex vetusto Diplomate descripto in *Latina* Historia *Campaniæ* col. 96. attente idem amicus, & doctus vir observavit. Noster igitur *Robertus* vitam ducens exulem, ex ignota nunc occasione maternæ patriæ cognomen videtur usurpasse; qui cum filius fuisset *Jordani* 2, nepos *Jordani* 1, ac pronepos *Richardi* 1. *Campanorum* Principum *Nortmannorum*, *jure sibi hæreditario debitam*, ut Tyrius lo-
D quitur, *Campani* Principatus possessionem reposcebat; quod etiam affirmat Falcandus: Robertus, inquit, Surrentinus *a* Capuanis *suscipitur*, *& hæreditario ad se jure pertinentem occupat* Capuæ *Principatum*. Quæ jura minime ex materno, sed ex paterno genere ei competere potuisse, est satis, superque manifestum; nec in his diutius te, Lector, nunc moror.

[1] *An.* 1156. Wilielmus *Rex* Siciliæ *venit* Brundusium, &c.] Qua celeritate universum fere *Apuliæ* Ducatum, *Capuæ*que Principatum *Guilielmus* amiserat, eadem protinus recuperavit: sibi
E repente conciliato Papa *Adriano*, *cum quo*, ut noster perhibet, *paciscens*, *secure permisit exire Regnum Comitem* Lorotelli. *& Comitem* Andream (sic legendum hoc loco, & ad an. 1157, & 1158. bis; ex fide scriptorum Codd: non. *Comitem* Andriæ) *& alios socios eorum*, *prece ipsius Papæ*. Tyrius negat illis hoc permissum ex *Adriani* rogatu (Anonymo concordat *Romualdus*: *Falcandus* utrumque tacet) quinimmo tradit, *exclusos omnes alios a fœdere*, *qui Domini Papæ jussionibus tantis se laboribus immerserunt*, *& periculis*. *Blondus* nuperus auctor præ ista, quæ tractamus tempora,
F in Hist. Dec. 2. lib. 2. perfidiæ nostrates accusat Barones; quoniam inscio Pontifice, Regi concordaverant; quam plane narrationem ex *Adriani* Actis, sicut pleraque alia ibi a se descripta, est mutuatus; sed *Baronius* non hoc adversus *Tyrium* præ-

captus apud *Cajetam* in carcerem est ad *Siciliam* deportatus, ubi cæcatus est, & non post multum temporis obiit. *Adrianus* Papa coronavit *Beneventi* supradictum Regem *Wilelmum*, & confirmavit ei Regnum, & regalia B. *Petri* de Regno. Abbas *Raynaldus* recuperavit gratiam Domini Regis *Wilelmi* apud *Salernum*.

1157. Mense *Novembris* Comes *Andriæ* cæpit Terram *Fundanam*, & *Aquinum*, & terram S. *Benedicti*, deinde cæpit *Cominum*.

1158. Comes *Andriæ*, VI. die mense *Januario* cæpit Sanctum *Germanum*, & *Raynaldus Cassinensis* Abbas, & *Alfanus Capuanus* Archiepiscopus, & quamplures alii *Cassinum* conscenderunt [1]. Terram autem Sancti *Benedicti* reddidit se præfato Comiti *Andriæ*, qui sequenti die ascendit *Cassinum*, & acriter pugnavit, sed nihil profecit; postmodum exivit de Regno. Imperator *Constantinopolitanus* fecit pacem cum Rege *Siciliæ* usque ad triginta annos. *Theutonicus* Imperator in *Lombardiam* veniens, *Mediolanum*, & *Cremam* obsedit, quam tandem igne combussit.

1159. Obiit *Adrianus* Papa apud *Anagne*. *Rolandus* Cancellarius in Papam *Alexandrum* eligitur, & *Octavianus* a *Monticello* a paucis eligitur in Papam *Victorem*, qui perrexit ad Imperatorem *Theutonicum* in *Lombardiam*, & Papa *Alexander* mansit in *Campania*.

1160. Comes *Robertus* de *Loritello*, & Comes *Andreas* intraverunt in Regnum [2]: *Masenuti* cæperunt *Africam*. *Matthæus Borrellus* interfecit *Majorem* Ammiratum apud *Panormum*.

1161. Incarcerati de *Sicilia* per vim liberati sunt. *Buteria* rebellata est; sed Rex eam

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

præsidio Papam protegendum duxit, nam virum non fugit scientissimum, Barones illos sola fuga, atque exilio vitam salvasse; quorum omnium unus *Campanus* Princeps *Robertus* sub ipsa fuga captus *apud* Garilianum (sic noster habet in manu exaratis exemplaribus; male editus Codex. *apud* Cajetam) *in carcerem est ad* Siciliam *deportatus*, *ubi cæcatus est*, *& non post multum temporis obiit*. Tyrius de eodem: *Dum* Garilianum, inquit, *navigio transire parat*, *a suis vectoribus*, *cum suos jamjam transituros expectaret*, *captus est*, &c. Item Romualdus Saler. *Jam* Garilianum *fluvium pertransiens*, Richardus *de* Aquila *Comes* Fundanus, *qui homo ejusdem Principis erat* (conjuraverat & ipse in Regem) *positis insidiis ipsum cepit*. Falcandus *insuper*: *Per terram Comitis* Richardi *de* Aquila *secure transiens*, *in transitu fluminis ab eodem capi jussus*, *Regique traditus est*. *Eo facto* Richardus *gratiam ejus promeruit*. Sic uno consensu laudati Auctores. Sed indicta aliis omnibus notat Chronicon *Ceccanense* ad an. 1156. his verbis. *Captus est cum suo filio*, *& filia in* Trajectu. Et ad an. 1157. *Mense* Novembris *venit Comes* Andreas *cum* Romanis, Græcis, *& aliis multis*; *acquisivit totam terram* Fundanam *& cremavit* Trajectum *pro vindicta Principis*, &c. Eo enim loci scaphis trajici *Garilianus* multo ante hæc tempora consuevit; unde novo ibi oppido; quod non admodum ab ejusdem fluminis refugit ripa, exque vicinis *Minturnarum* crevit ruinis, factum est nomen. *Trajecta*; qua forma in Capitulari enunciatur Principis *Sicardi* de anno 836. Num. 13. Et *Roberti* quidem secundi hic fuit vitæ finis, postquam tertia tandem vice Principatum *Capuæ* detinuisset a mense *Septembri* anni 1155. ad *Junium* anni sequentis, mensibus fere novem; annumque numerare cum cœpisset, ut Chartulæ antiquæ non unæ sunt documento, *vigesimum nonum* ab suscepto post patrem *Jordanum* 2. Principatu, hoc est ab *Januario* anni 1127. Quocirca ex *Campanorum* Principum albo expungendus, qui nunquam in vivis fuit, nullisque priscis auctoribus est cognitus tertius, exterusque Princeps *Robertus*, ex patria sive urbe, sive gente falso recentioribus reputatus *De Surrento*. Cujus denominationis certa nos haud lateret nunc ratio, ni simul sub alto scriptorum omnium silentio,

A de quo miror, *Surrentinæ* urbis omnino per *Nortmannorum* tempora lateret, qui fuerint casus.

[1] *An.* 1158. *Comes* Andriæ *VI. die mense* Januario *cæpit* Sanctum Germanum, &c.] Jam paulo ante monui scribendum. *Comes* Andreas. estque idem nomen restituendum in *Roberto* de *Monte* ad an. 1156. Item inferius ex *Cassinensibus* exemplaribus lege. *Terra autem Sancti* Benedicti *reddidit se præfato Comiti* Andreæ, &c. non. *Terram*. ut in edito.

[2] *An.* 1160. *Comes* Robertus *de* Loritello, &c.] Totum hunc locum ad scriptorum Codicum for
B mam sic reforma. *Comes* Robertus *de* Loritellis, *& Comes* Andreas *intraverunt in Regnum*. Masemuti *ceperunt* Africam. Matthæus Bonellus *interfecit* Majonem *Ammiratum apud* Panormum. Quos autem noster ad an. 1151, sive 1152, bis dixerat. *Naassamonites*. pro. *Mnasæmonites*, rectius nunc appellat. *Masemutos*. nam horum sermo (quod testatur Livius Sanutus lib. 8. Geographiæ Terræ *Africæ* pag. 99. a ter.) nonnulla cum retineat vocabula *Araba*, plerique fuere, qui eos ex *Arabia Felici* in *Mauritaniam*, quam incolunt, *Tingitanam* (Regnum hodie fere est *Ma-*
C *rochi*, ad montem *Atlantem*) digressos putarunt, & origine *Sabæos*, vel ut alii appellant apud *Robertum* de *Monte* ad ann. 1152. *Moabitas*. At *Naassamonitæ* vel nulli unquam populi, vel iidem plane, ac *Mnasæmanes*, alias *Mæsæmanes*, Ptolemæo descripti Geogr. lib. 6. cap. 7. in Tab. 6. *Africæ* qui *Arabiæ* incolas illos facit. Sed in quodam Diplomate *Petri* Regis *Aragonum* apud *Baronium* ad an. 1097. num. 92. *moneta Masemutorum*, quæ auri unciam valebat, dicta cum sit. *Nassamutina*; est hinc intelligere, nomen ejus gentis varie olim fuisse detortum, quod alii etiam
D aliter pronunciant: *Musinudæ*. *Masmudæ*. &. *Mamudæ*. Cæterum in anno superius descripto captam ab iis accipe non eam *Africam*, latissimam ad Meridiem regionem,

„ —— Italiam *contra*, Tyberina*que longe Ostia*: sed urbem in ejus litore, nomine *Mahdia* incolis, ut perhibet *Fazellus* in Hist. *Siculæ* Dec. post. lib. 7. cap. 4. & alibi, *Tuneto* orientaliorem; de qua iterum noster ad an. 1086. sive 1087, *Romualdus Salern. Ugo Falcandus* non semel, *Robertus* de *Monte* ad an. 1180, *Petrus Diac.* in Auct. ad *Ostien.* lib. 3. cap. 69, nescioque an eadem acceptione S. *Gregorius Mag.* lib. 2. Ind. 10. epist. 30.

eam capiens destruxit. Mense *Augusti* Luna duodecima obscurata est.

1162. *Alexander* Papa per mare ivit in *Franciam*, & a Rege *Franciæ*, & *Anglorum* honorifice receptus est. *Federicus* Imperator destruxit *Mediolanum*, & subjugavit *Lombardiam*. Rex *Siciliæ* veniens in *Apuliam* destruxit *Tabernam*; deinde rediit in *Siciliam*; prius tamen præcepit custodiri diligenter Monasterium *Cassinense*.

1163. Mense Julii fer. 4. Sol. obscuratus est. *Rocca Gulielmi* recepta est ab aulicis Regis [1].

1164. Mense *Aprilis*, quartadecima die intrante, *Victor* schismaticus obiit apud *Lucam* [2]; & *Guido Cremensis* in Papam *Paschasium* ordinatur.

1165. *Alexander* Papa per mare de *Francia* rediens Urbem intravit, qui a maxima parte Senatus, & a populo *Romano* honorifice receptus est.

1166. Rex *Guilielmus* obiit decimaquinta die, mense *Maji*, & *Guilielmus* filius ejus coronatus est mense *Julii*. *Raynaldus* Abbas obiit mense *Octobris*. *Theodorus* electus est in Abbatem [3].

1167. Dum Imperator *Fredericus* oppugnaret *Anconam*, *Raynaldus* ejus Cancellarius expugnavit *Romanos*, ex quibus mille quingenti occisi sunt, vulnerati vero, & capti mille septingenti; quod audiens Imperator, capta *Ancona*, venit *Romam*, & combussit porticum S. *Petri*. *Alexander* Papa exiens Urbe, *Beneventum* venit. Mense *Septembris* obiit *Theodinus* Abbas, & fuit maxima mortalitas [4].

1168. *Guidus* [5] Abbas *Venusinus* ordinatus est in Abbatem *Cassinensem*. Comes *Gilbertus*, & *Berteraimus* filius ejus expulsi de Regno *Hierosolymam* perrexerunt. Abbas vero *Ægidius* depositus est a Papa *Alexandro*, & reliquit procurationem *Petro Cassinensi* Decano.

1169. *Robertus* Comes de *Loretello* cum Rege *Guilielmo* concordatus est. Multa mœnia diruta sunt a terremotu in diversis partibus.

1170. *Alexander* Papa rediens a *Benevento* recepit *Tusculanum* ad proprietatem *Romanæ* Ecclesiæ.

1171. *Dominicus* Abbas de *Sabucino* [6] *electus* est in *Cassinensem* Abbatem.

1172. *Dominicus* Abbas in Epiphania confirmatus est in Abbatem a Papa *Alexandro* apud *Tusculanum*. Luna decimaquarta obscurata est, & terremotus fuerunt. Rex *Guilielmus* cum Principe *Henrico* fratre suo venit in *Apuliam*, sed Princeps infirmatus rediit in *Siciliam*, & ibi mortuus est. [7]. Dominus Rex venit *Capuam*, & inde pergens *Salernum*, reversus est in *Siciliam*.

1174. Men-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1163. *Mense* Julii, &c. Rocca Guilielmi *recepta est ab aulicis Regis*] Scripti Codd. *a Balivis Regis*. scilicet. *a ministris Regis*. quod etiam sonat id verbi apud Petrum Diac. lib. 4. c. 103. *A Regis Balivis*, inquit, *securitate accepta*. Qui autem proprie fuerint *Balivi*, alias *Bajuli*, & *Baillivi*, eorumque Magistratus *Balia*, & quam multiplex etiam ejus nominis usurpatio, hujus non est loci aperire.

[2] *An.* 1164. *Mense* Aprilis, *quartadecima die intrante*, Victor *schismaticus obiit apud* Lucam, &c.] In Cod. 199. sed depravate. *quartadecima die in* Trano, &c.

[3] *An.* 1166. *Rex* Guilielmus *obiit*, &c. Theodorus *electus est in Abbatem*] Scribe, *Theodinus*. ut bene editus habet Codex ad an. sequentem, & utrobique ambo Scripti Codd.

[4] *An.* 1167. *Dum Imperator*. Fredericus, &c. *Et combussit Porticum S.* Petri. Alexander *Papa exiens urbe*, Beneventum *venit*. *Mense* Septembris *obiit* Theodinus *Abbas*, &c.] Uterque scriptus Codex *Cassin. & combussit Porticus S.* Petri. exque iis subsequentia sic distingue: Alexander *Papa exiens urbe*, Beneventum *venit Mense* Septembri. *Obiit* Theodinus *Abbas*, &c. *Roma* clam discesserat *Alexander*, mense *Augusti*, ut ejus perhibent Acta apud *Baronium* hoc anno, perque *Tarracinam*, & *Cajetam* transiens, non ante *Septembrem Beneventum* pervenit.

[5] *An.* 1168. Guido *Abbas* Venusinus *ordinatus est in Abbatem* Cassinensem, &c.] *Ægidius* dicitur, non *Guido* in M. SS. exemplaribus constanti A scriptura hic, & infra, quam ibi editus etiam retinet Codex.

[6] *An.* 1171. Dominicus *Abbas de* Sabucino, &c.] Scripti Codd. *de Sabucina*.

[7] *An.* 1172. Dominicus *Abbas in Epiphania confirmatus est in Abbatem*, &c. *Rex* Guilielmus *cum Principe* Henrico *fratre suo venit in* Apuliam; *sed Princeps infirmatus rediit in* Siciliam, *& ibi mortuus est*, &c.] Paulo pinguius hæc de Regis *Guilielmi* secundi in *Apuliam* adventu, deque morte ejus fratris *Henrici Romualdus Salernitanus*, quem dicit a patre *Guilielmo* primo institutum B Principem *Capuæ* post obitum alterius filii nomine *Roberti* (fuerat hic quoque *Campanus* Princeps ab anno 1158. nec dum novi quo anno decessit) annumque vitæ decimum tertium agentem præscripto anno 1172. fato functum assentitur. Diem ejus obitus sic præfert Emortuale *Cassinense*. XVI. *Kal.* Julii θ Henricus Capuanus *Princeps*, cujus extat etiamnum Tumulus in Ecclesia *Montis Regalis*, *Joanni Aloysio Lelli*, & *Georgio Gualtherio* in antiquis Tabulis *Siciliæ* relatus; ibique etsi defunctus ille perhibetur in anno *Christi* 1170, iis versibus.

„ *Mille decem decies, decies septem datus annus*
„ *Te tollit, postquam carnem pius induit Agnus.*

id *Romualdo*, nostroque haud adversatut Anonymo, qui communem *Christi* secuti sunt Æram. C Quandoquidem præfati Tumuli *Siculus* plane Auctor minime eandem, sed aliam *Siciliensibus* usu receptam usurpasse videtur Epocham, in Tumulo etiam Regis *Rogerii* observatam; in quo duo pariter anni prævertuntur, defunctusque traditur *Rogerius* in anno 1152, quem plures nostrates antiquæ chartulæ viventem faciunt in anno 1153, obiis-

1174. Mense *Aprilis Dominicus* Abbas obiit, *Petrus* Decanus electus est in Abbatem mense *Augusti*. Stolium Regis ivit *Alexandriam* [1]. *Fredericus* Imperator venit *Lombardiam*.

1176. *Christianus* Cancellarius Imperatoris, veniens super *Cellis* obsedit eam. Comes *Rogerius Andriæ*, & Comes *Tancredus* cum aliis Comitibus contra eum perrexerunt illuc.

1177. *Alexander* Papa ivit *Venetias*, & ibi fecit pacem cum Imperatore mense *Julii* in festo B. *Jacobi* Apostoli.

1178. *Joannes* Abbas *Stumensis*, qui vocabatur Papa *Calixtus* in decollatione B. *Joannis Baptistæ Tusculanum* ad pedes Domini *Alexandri* Papæ III. venit, quem postea Rectorem *Beneventi* constituit.

1179. *Alexander* Papa celebravit Concilium in Ecclesia *Lateranensi* mense *Martii*, ubi fuerunt Episcopi numero triginta & unus, exceptis Cardinalibus, qui fuerunt viginti duo, & exceptis Abbatibus, qui præ nimia multitudine numerari non potuerunt, ubi Sancta Synodus promulgavit capitula viginti septem [2].

1180. Hoc anno homines *Sancti Germani* perrexerunt ad Dominum Regem apud *Messanam*, ut concederet illis privilegium contra Monasterium, sed nihil profecerunt. *Lando* intrusus, qui est Papa *Innocentius* dictus, apud *Palumbaram* cum sociis captus, ad *Cavas* est in exilium deportatus.

1181. *Alexander* Papa obiit apud Civitatem *Castelli*, & *Ubaldus Ostiensis* Episcopus ordinatur in Papam *Lucium* apud *Velletrum*. Dominus noster Rex fecit treguam apud *Panormum* cum Rege *Maxamutorum* usque ad decem annos, mense *Augusti* [3].

1182. Tribus diebus infra octavam Epiphaniæ tam maxima venti procella desævit per totam *Italiam*, quod homines plures, & bestias interfecit, arbores exaruit, & herbas ad radices destruxit [4]. A quinque annis, & infra fames fuit tam valida per totam *Italiam*, quod diversis in partibus sauma tritici pro auri uncia non poterat inveniri, & omnium frugum terræ sterilitas maxima, & plures homines præ nimia fame herbas comedentes agrestes deperierunt.

1183. Rex *Guilielmus Siciliæ* Secundus, venit ad Montem *Cassinum* septimo Kalen. *Februarii*, & alio die versus *Capuam* remeavit [5]. *Lucius* Papa III. apud *Velletrum* promo-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

obiisseque complurium etiam Auctorum testimonio constat in anno 1154. ut dictum est supra. Eundem quoque calculum ab *Lupo* observatum in designanda Epocha adventus *Langobardorum* in *Italiam*, fuisseque integro biennio ab eo anticipatam, non hoc repetam loco. Quod quidem Prochronismum ad *Græcorum* sententiam, qui Natalem *Christi*, ut notavit *Joannes Georgius Herwartus* in nova sua Chronologia, biennio citius figunt, docto ne credas viro accommodatum. B Nam *Græci*, eodem *Herwarto* monitore cap. 208, 234, 237, 260. & alibi, suo illo ratiocinio ducti, *annos Christi biennio plus numerant, quam nos vulgò solemus*; & sane *Lupus Langobardorum* adventum, quem nostri ad annum figunt 568, minimè retulit ad annum 570, sed 566. Redeo itaque ad Principem *Henricum*, *Ugoni* etiam *Falcando* memoratum, ubi de Regis obitu *Guilielmi* I. *Qui*, inquit, Guilielmum *majorem filium post se Regni successorem constituit*: Henricum *verò Principatu* Capuæ, *quem dudum ei concesserat, voluit esse contentum*. Sic quidem cavit Rex ille, *Romualdo* C insuper id ipsum affirmante his verbis. *Testamentum fecit, in quo* Guilielmum *filium suum majorem, totius Regni hæredem instituit*, Henrico *alteri filio Principatum* Capuæ, *quem concesserat, confirmavit*. Quocirca ex certissimis documentis cum constet, fuisse hunc *Henricum Capuæ* Principem, investigent quæso eruditiores, cur ejus nomen datis tunc Chartulis, atque Notitiæ Judicati editæ a me lib. I. Hist. PP. *Langob.* col. 163. quæ de anno est 1171, quando ipse vivebat Princeps, præfixum de more haud fuerit. Nam quod sub tutore, Rege scilicet, ac fratre ejus *Guilielmo* 2, utpote ætate minor, ipse vixerit *Henricus*, erit D

A fortè, hæc rei gestæ ratio perquam verosimilis, at Regem, quem summæ bonitatis concelebrat fama, minus in fratrem benevolum: quin & injustum prodit, vel ex patris *Guilielmi* primi & *Rogerii* Avi exemplo; qui filiorum suorum *Amfusi*, *Guilielmi*, & *Roberti Capuæ* Principum nomina chartulis post sua superscribi permisere, voluereque. Sed de his alias.

[1] *An.* 1174. *Mense* Aprilis Dominicus *Abbas obiit*. Petrus *Decanus electus est in Abbatem mense* Augusti. *Stolium Regis ivit* Alexandriam, &c.] Interpungenda ista, ut in Codice 199. *electus est in Abbatem. Mense* Augusti *Stolium*, &c. Tertius scriptus Codex præter consuetam in singulis annis usque ad an. 1188. anticipationem, hoc loco annum præfert MCLXXII. & statim annum MCLXXIII. deinde iterum annum MCLXXII. utique mendose; quos ad oram nescio quis, sed juxta ibi servatum recensuit Prochronismum.

[2] *An.* 1179. Alexander *Papa celebravit Concilium*, &c. *ubi fuerunt Episcopi numero triginta, & unus*, &c.] Scripti Codd. *Episcopi numero* CCCI. &c. quibus adstipulatur *Guilielmus Tyrius* lib. 21. cap. 26.

[3] *An.* 1181. Alexander *Papa obiit*, &c. *Dominus noster Rex fecit treguam*, &c.] Vixit igitur hic Anonymus per tempora ejusdem Regis, & post. Cæterum qua occasione Rex *Guilielmus* 2. cum *Masemutorum*, & *Marochi* Rege inducias fecerit, quod hoc loco notat Anonymus, vide *Robertum* de *Monte* ad an. 1180.

[4] *An.* 1182. *Tribus diebus infra octavam Epiphaniæ*, &c. *ad radices destruxit*, &c.] Scribe. *extraxit*. & paulo post. *psauma tritici*. ut in exemplaribus.

[5] *An.* 1183. *Rex* Guilielmus Siciliæ *secundus venit ad Montem* Cassinum *septimo Kalen.* Februarii; *& alio die*, &c.] Mutilus est hic locus in Co-

movit *Guilielmum* Abbatem S. *Mariæ Regalis* de *Panormo* in Archiepiſcopum *Montis regalis*. *Chriſtianus Moguntinæ* Eccleſiæ Archiepiſcopus obiit apud *Tuſculanum*. Homines *Malſenſes* deſtruxerunt *Rapollam*.

1184. Nono Kalen. *Junii* Terremotus adeo magnus [1], & terribilis fuit per totam *Calabriam* in (*a*) *Valle* de *grati*, & vallem de ſinu Eccleſiæ omnes, & omnia ædificia murorum corruerunt, & *Rufus Cuſentinus* Archiepiſcopus, & multi alii ſub murorum præcipitio ſuffocati ſunt. *Caſſinenſis* Eccleſia commutationem fecit cum *Roberto Capu-taſino* de *Selectano* cum Caſtro *Fella*. *Lucius* Papa dimiſſo Comite *Bertoldo* ad defenſionem *Campaniæ*, per Vallem *Orbeti Veronam* acceſſit ad colloquium cum Imperatore.

1185. Pax firma inter Imperatorem *Fredericum*, & Regem *Guilielmum* facta eſt. Rex *Guilielmus Siciliæ* copioſum exercitum in *Romaniam* tranſmiſit, qui Civitatem *Durachiæ*, & Civitatem *Saloniquium* cæperunt. Præfatus Rex *Conſtantiam* amitam ſuam tranſmiſit in conjugem ad Illuſtrem Regem *Henricum* filium *Frederici* Imperatoris. Novum genus hominum, qui *Vendicoſi* dicebantur, in quadam parte Regni ſurrexit, quos prædictus Rex ſuſpendi fecit, & diverſis pœnis affligi. Supradicto ſtolio Regis, fraude, & vi *Græcorum* poſtmodum fortuna eſt adverſata. *Lucius* Papa apud *Veronam* obiit VII. Kalend. *Decemb.* & Archiepiſcopus *Mediolanenſis* in Papam *Urbanum* eſt ſubſtitutus. *Baldovinus* Rex *Hieroſolymitanus* obiit, & *Baldovinus* filius ſororis ejus eſt factus Rex. *Andronicus Conſtantinopolitanus* obiit, & *Iſacius* factus eſt Imperator.

1186. Domnus *Petrus* Sacerdos, & Abbas *Caſſinenſis* obiit VIII. Idus *Julii* [2].

1187. *Saladinus* menſe *Maji Chriſtianos* devicit; iterum in *Junio* in alio conflictu victoriam obtinuit. In *Septembri* 4. Idus *Hieruſalem* cæpit. Exiens Papa *Urbanus* de *Verona*, & *Ferrariam* veniens, obiit. Magiſter *Albertus Beneventanus*, Presbyter Cardinalis Sancti *Laurentii* in *Lucina*, & Sanctæ *Romanæ* Eccleſiæ Cancellarius, in Papam *Gregorium* Octavum eſt ſubſtitutus, & veniens in Civitatem *Piſanam* obiit V. Kalend. *Januarii* [3]. *Paulus* natione *Romanus*, & Epiſcopus (*b*) *Clandeſtinus* in Papam *Clementem* eſt ſubſtitutus.

1188. Papa *Clemens* a *Romanis* magnifice eſt receptus [4]. *Roffredus* de *Inſula* VII. Idus *Julii* in *Caſſinenſem* Abbatem honorifice eſt receptus.

1189. *Guilielmus* Rex *Siciliæ* ſine liberis, & teſtamento moritur. *Panormi* oritur inter *Chriſtianos*, & *Sarracenos* diſſenſio. *Sarraceni* multa ſuorum ſtrage facta exeunt, & inhabitant montana. *Roffredus Caſſinenſis* Abbas futurorum providens, cum vicinis Comitibus, & Baronibus confœderatur.

1190. *Tancredus* Comes *Licii* [5], qui apud *Trojam* cum quibuſdam aliis juraverat fidelitatem *Conſtantiæ* uxori *Henrici* Regis *Theutonicorum*, & filiæ quondam Regis *Rogerii*, *Panormum* vocatus a Magnatibus Curiæ, de aſſenſu, & favore Curiæ *Romanæ* coro-

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

(*a*) *Locus corruptus.* (*b*) Al. *Præneſtinus.*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

Codice edito, quem uterque ſcriptus integrum præfert ſic. *ven. ad Mon.* Caſſ. *ſept. Kal.* Febr. *ubi eo die pernoctans*, & *ſequenti die ibidem permanens*, *poſt Solis occaſum deſcendit. Alio die a S.* Germano *rediens*, *per* Mortulam . . . . . . *per* Sueſſam, *verſus* Capuam *remeavit*, &c. & infra. B *homines Amalfenſes*. non. *Malſenſes*.

[1] *An.* 1184. *Nono Kalen.* Junii *Terremotus*, &c.] Putabat vir doctus corrupta verba illa. *in Valle de grati*; ſed non ſunt: ſic enim dicta olim atque etiamnum dicitur Vallis, regioque percelebris in *Calabria* citeriori ſupra *Conſentiam* ad Septemtrionem, *Tarentinum* aduſque ſinum porrecta, quam præterfluit flumen *Crathis*, vulgo *Grati*, unde illi nomen, Regiiſque frequentiſſimè Tabulariis, nec non *Richardo* de S. *Germano* ad an. 1234. memorata. Corrupta certè ſunt verba illa. *Vallem de ſinu*; quorum loco neſcio an re- C ſtituendum. *Valle de Salina.* ſive. *Salinarum*, a *Gaufredo Malat.* lib. 1. cap. 21. deſcriptam prope urbem *Rhegium*: in *Calabria* ſcilicet ulteriori; ita ut utramque pene *Calabriam* Terræmotu hoc concuſſam fuiſſe intelligamus. Nec ſine mendo

A in Codice edito. *Caſtro Fella.* &c. *Comite Bertoldo.* quæ in manu ſcriptis ſunt. *Caſtro* Sella. &c. *Comite* Bertolfo.

[2] *An.* 1186. *Dominus* Petrus *Sacerdos*, &c.] Mancus locus, ſupplendus ex exemplaribus ſic. *Dom.* Petrus *de* Inſula *Sacerdos*, & *Abbas* Caſſinenſis *in ſancta confeſſione obiit*, &c.

[3] *An.* 1187. Saladinus *menſe* Maji, &c. & *veniens in civitatem* Piſanam *obiit* v. *Kal.* Januarii, &c.] Deeſt denarii nota, nam ſcripti Codd. defunctum notant Papam *Gregorium* XV. *Kal.* Januarii. eique ſubſtitutum *Paulum* Epiſcopum *Præneſtinum*. non. *Clandeſtinum*.

[4] *An.* 1188. *Papa* Clemens *a* Romanis, &c.] In tertio ſcripto Codice nulla ad hunc annum notantur geſta; ſed ea tantummodo Librarii legitur admonitio, ſuperius mihi bis deſcripta, qua ſuam ipſe faſſus incuriam, reliquos annos recto ordine digeſturum ſe ſpondet.

[5] *An.* 1190. Tancredus *Comes* Licii, &c.] Pluries hoc loco in edito Codice adverſus manu deſcriptos peccatum; in quibus: Rogerius, Andreas (*non.* Andriæ) & Richardus Caleni *Comites* &c. & infra. *Cui etiam munitiones blanditiis* Riccardi Acerrarum *Comitis cognati ſui inductæ ſe reddunt. Idem Comes* Romanorum, & Campaniæ, & *Regni collecto magno exercitu*, &c. poſtmodum *muniunt civitatem* Ariani. iterum. *fide rupta capit*; & *redit cum exercitu contra* Capuam, & Averſam, &c.

coronatur in Regem mense *Januarii*. *Rogerius Andriæ*, & *Richardus Caleni* Comites, melius suæ fidei memores cum quibusdam aliis *Tancredo* resistunt; sed differente suprascripto Rege *Henrico* in *Italiam* venire, *Tancredus Apuliam* fere totam, & *terram Laboris* sibi subjicit, cui etiam Munitiones, blanditiis *Acerrarum* Comitis cognati sui, inductæ,, se reddunt. Item Comes *Acerrarum*, de *Campania*, & Regno, collecto magno exercitu pro expugnandis *Capuanis*, & *Aversanis* terram S. *Benedicti* aggreditur. Rex *Henricus Henricum Testam* cum exercitu mittit in Regnum, qui per *Amiterninas*, & *Theatinas* oras, intrans, plurima loca incendio, prædaque consumpsit; qui junctus cum prædicto Comite *Rogerio* in *Apuliam* vadunt, locaque quamplurima depopulantur. *Cornitum* capiunt, & incolas compellunt exulare; contra quos exercitus *Tancredi* muniunt Civitatem *Airani*, & loca vicina metuentes, bello campestri pugnare. *Theutonici* vero aliquandiu eos obsidentes, tum æstatis fervore, tum penuria depressi, obsidionem solvunt, & de Regno exeunt. Comes *Acerrarum* invalescit: & supra dictum Comitem *Rogerium* dolo ad Concionem vocatum, fide rupta capit. Redit cum exercitu *Capuam*, & *Aversam*. *Capua* se reddit improvido consilio, sicut semper usa, cum jam Rex *Henricus*, cui favebat, appropinquaret. *Fredericus* Imperator *Romanorum*, supradicti Regis *Henrici* Pater, qui cum ingenti exercitu *Hierosolymam* iverat pugnaturus contra *Saladinum*, qui terram illam occupaverat, in flumine moritur. *Henricus* ejus filius *Italiam* ingreditur.

1191. Obiit Papa *Clemens* mense *Martii* [1]. *Jaquintus* Diaconus Cardinalis in Papam *Cælestinum* consecratur, a quo supradictus Rex *Henricus* apud Sanctum *Petrum* in Principem *Romanorum* coronatur mense *Aprili*. *Tusculanum Romanis* conceditur destruendum. *Henricus* Imperator una cum supradicta *Constantia* Imperatrice per *Campaniam* descendens in Regnum, *Roccam Arcis* violento capit insultu. Quod factum suos in audaciam, & nostros sic inducit in diffidentiam, ut jam nec loca munitissima de resistendo cogitentur: unde *Sorella*, *Atinum*, & *Castrum-Celli* non tam bello, quam stupore devictæ, se reddunt. Abbate *Roffredo* apud Montem *Cassinum* ad mortem poene infirmato, habito tractatu inter legatos Imperatoris, & Conventum *Cassinensem*, qui multum Imperatori favebat, vocati sunt homines S. *Germani*, & ibi de mandato Decani, & Conventus juraverunt. Imperator, & Imperatrix primum recta via, post Imperatorem per *Soram*, & *Atinum*, *Cassinum* venerunt. Conventus eis jurat, Abbas minimè, sed obsides dat. Post aliquot dies veniunt in *Terram Laboris*, nullo resistente, præter Civitatem *Neapolitanam*, in qua receptaverat se cum suo exercitu, supradictus Comes *Richardus*. Imperatrix *Salerni* recipitur, & moratur. Imperator *Neapolim* obsidet, a mense *Maji* usque ad mensem *Augusti*, & tum infirmatus obsidionem deserit. Per *Campaniam* redit *Cassinum*, pro Imperatrice mittit, sed eam *Salernitani*, fide rupta, detinentes ad Regem transmittunt. Imperator infirmus majori parte suorum aëris intemperie mortua, captis obsidibus de Sancto *Germano*, & secum ducto supradicto Abbate, redit in *Theutoniam* mense *Septembris*. Comes *Richardus* cum exercitu, & *Neapolitanis*, egrediens, *Capuam* capit Civium proditione, ubi multi de *Theutonicis* gladio pereunt. *Conradus Musca in cervello*, in Castro *Capuano* aliquandiu resistit; tandem compositus cum Comite cum suis exiit illæsus, *Capuæ* nobilibus, qui cum eo erant, carceri deputatis. Stultus *Paganus* Castellanum *Atini Theutonicum* egredientem gladio dejicit, & *Atinum* pro parte Regis occupat. Comes *Richardus* recuperata *Terra Laboris*, in *Venafro* Comitem *Rogerium Molisi* obsidet, quo se redempto ad S. *Germanum* venit, eumque quorumdam Civium Regi faventium, scelerata factione, obtinet. *Atenulphus Cassinensis* Decanus, relictus ab Abbate procurator in *Cassino* se recipit, & cum Monachis obsessus a Comite viriliter resistit. Comes, in *Damanium* Regis, capta Terra S. *Benedicti*, redit in *Terram Laboris*, mense *Novembri*. Legati Curiæ *Romanæ Cassinense* Monasterium, Decanum, & Monachos interdicunt; nec hoc tamen separat eos ab imperii charitate.

1192. Decanus cum *Diopulto* Castellano *Rocchæ Arcis*, mense *Januario*, collecto exercitu de *Campania*, & *Romanorum*, descendentes per montem invadunt Sanctum *Germanum* [2]. Balivi Regis, Monachi, & laici, Regis fautores in fugam se vertunt. Cæteri

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1191. *Obiit Papa* Clemens, &c.] Sub uno etiam fasce emendatiora ex scriptis Codd. hic dabo, quæ editus tum manca, tum depravata profert. Scribendum itaque. *Quod factum suos in audaciam, & nostros sic inducit in diffidentiam, ut jam loca, etiam munitissima, de resistendo non cogitarent. Unde* Sorella, Atinum, &c. deinde *& ibi de mandato Decani, & Conventus juraverunt* A *Imperatori. Imperatrix primum recta via post Imperatorem per* Soram, *&* Atinum, Cassinum *venit*, &c. infra vero. *obsidionem deserit. Per* Capuam *redit* Cassinum, &c.

[2] *An.* 1192. *Decanus cum* Diopulto, &c.] Et has cursim non magni momenti demonstro ex exemplaribus sinceras lectiones. *Cæteri non tam dominio resistere volentes, quam*, &c. aliquanto post. *capiunt* Palumbarum *&* Pinnatarium. mox. *præter Comitem* Celani. inferius. *violento insultu oppugnant.* postea. *violentos faciunt insultus*; *sed Decanus*, *sicut* in

teri non tam dominio resistere valentes, quam contra violentiam prædonum se tuentes, magna intrantium strage facta, eos repellunt, donec viso Decano, in manibus ejus, se reddunt. Juramento impunitatis a magnaribus exercitus recepto, qui tamen obsides capiunt, & auferunt victualia. Idem Castellanus *Soram* capit; deinde simul cum Decano capiunt *Plumbariolam*, & *Pinnatarium*, ubi multa strage facta inhabitant, & consumunt omnia. Rex *Tancredus* veniens in *Apuliam* vadit usque *Piscariam*; & totam inde Regni terram sibi subjicit, præter Comitem *Caleni*, cum quibusdam Baronibus, deinde per *terram Laboris* redit in *Siciliam*, relicto Capitanio *Richardo* Comite *Caleni*, qui jam se reddiderat. *Rogerius* de *Foresta* Castellanus *Atini* Castrum Sancti *Eliæ* capit. S. *Germanum* collecto exercitu ab una parte obsidet, & usque ad muros violento insultu expugnat: labores consumit, & exportat; *Caream*, & alias Villas igni commendat; sed ut prædictus Comes *Caleni* cum magno exercitu in obsidione Civitatis apud *Sanctum Angelum* diu moratur. Qui ex condicto pariter venientes, violentos facit insultus, sed Decanus sicut in monachatu monasticum, sic in bello militarem gerens animum, absente *Diopulto*, per se Urbem tuetur, suos animat, portas reserat, & vigili cura discurrens ad omnes insultus se objicit, ita ut, si possibile sit, uno momento portis omnibus adsistere cernatur, mense *Junii*; Comes autem contra constantiam, ac animositatem Decani se videns non proficere, ab insultu cessat, & de viribus diffidens spem in corruptela reponit, & quem bello non potuit expugnare, blanditiis, & muneribus attentat. Sed & Castellanus *Atini* captum a militibus Regis, Fratrem Decani variis tormentis affligit, cujus liberatio Decano offertur, aurum promittitur, cujuslibet in Regno dignitatis optio datur; sed fidelis animus, nec avaritiæ cedit, nec ambitioni; quinimo tormenta dissimulans jurat, se toleraturum magis ante oculos suspensionem Fratris, quam fidem Imperii, & Abbatis sui relicturum. Ille in Castellanum sævit, montana castra Sancti *Benedicti* capit, & depredatur. Imperator *Bertoldum* Comitem cum exercitu mittit in *Italiam*, & cum eo remittit supradictum Abbatem, sed *Bertoldus* in *Tuscia* demorans, milites Abbati concedit cum quibusdam rediens *Ceperani* adloquitur supradictam Imperatricem jam a Rege remissam, ducentibus eam Cardinalibus ad hoc missis a Papa, qui putabat *Romæ* cum ea de concordia tractare. Sed eadem Augusta Urbis declinat ingressum, & per *Tiburim* in partes *Spoleti* recipitur. Applicat Abbas cum militibus, qui die quadam cum Decano euntes *Atinum*, Cancellos diruunt, magnam partem *Atini* depredantur, & comburunt, cæpissentque castrum, si consilio Decani stetissent. Sed *Theutonicus* furor eodem, quo venit impetu, recessit. Iterum eadem via *Cominum* intrant, *Gallinarium* capiunt, & inhabitant, post dies aliquot milites, qui conduxerant Abbatem, recedunt, paucis remanentibus. Abbatia ex parte favet Abbati. *Castrum Sancti Angeli* solita perfidia induratum, hostiliter resistit, latrunculos conducit, qui per sylvas, & loca opportuna insidentes, prædam eis referant. Castellanus *Atini* iterum invalescit, montana castra S. *Benedicti* capit, & tam ipsa, quam *Castrum* Sancti *Eliæ* gladio, prædia igne dissipat, & affligit. Inter has angustias adeo fames invaluit, ut sæpe apud Sanctum *Germanum* venderetur coscina frumenti plusquam una uncia auri, & sauma vini similiter, & capisa olei tari quinque. *Diopultus* auxilio Abbatis collecto exercitu *Aquinum*, ubi milites Regis erant, obsidet, & militibus exeuntibus obtinet, inde sic invalescit, quod omnia vicinia usque *Suessam* deprædatur, & affligit. Prædictus *Bertoldus Amiternum*, & *Valvas* mense *Novembri* recipiens, subito descendit in Comitatum *Molisii*, & *Venafrum* primo insultu capiens, usque ad consumptionem inhabitat. Obtinet castra vicina in quorum quibusdam milites Regis capit. Rex *Angliæ Hierosolyma* rediens, in *Theutonia* captus, Imperatori datur. Post modicum liberatum, & secum retentum, Imperator, recepta ab eo fidelitate, coronat, & Regnum ejus auget.

1193. *Bertoldus*, relictis in Comitatu *Molisii Conrado Musca-in-cervello*, redit, & ducit in uxorem sororem Comitis *Berardi*, relictam Comitis *Roberti* de *Caserta* [1]. *Diopultus* in prædam discurrens versus *Campaniam*, gradientem contra se Comitem *Caleni* capit, & transductum in *Rocca Arcis* captivum servat, & præda tali gloriosus usquequaque per *Terram Laboris* licenter jam discurrit, & deprædatur. Suprascriptus Abbas, exercitu

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

in Monachatu monachicum, sic in bello, &c. ad hæc. *& Abbatis sui relicturum. Inde Castellanus sævit.* deinceps. *milites Abbati concedit, cum quibus rediens*, &c. demum. *coscina frumenti plusquam uncia auri, & psauma vini similiter, & capisa Olei tarenis V.*

[1] *An.* 1193. Bertoldus, *relictis in Comitatu* Molisii Conrado Musca- in- cervello, *redit*, &c.] Scripti Codd. Bertoldus *relic. in Comit.* Mol.

A Conrado Musca, & Diopulto, *redit*, &c. Facit hos quoque duplices *Bertoldi* administros *Richardus* de S. *Germano* ad an. 1193, a quo tamen secundus ordine non *Musca*, sed dicitur. *Muscaincervello* In Anonymo autem dein legendum. *egredientem contra se Comitem* Caleni. non. *gradientem.* & infra. *Pacto facto de reddendo se*, &c. & iterum. *venit ad Montem* Fusculum; non *Montem* Fuscum. postremo. *deinde obsidet* Aversam, *& ipsi se reddunt*. non. *obsidet* Torsam. quæ lectiones omnes sunt e manuscriptis Codicibus.

tu collecto, recuperat *Castellum-novum*, & alia vicina Castra, pacto de reddendo se statuto tempore, nisi erit eis a Rege succursum. *Castrum Sancti Angeli* foris devastat, *Bertoldus* redit in Comitatum *Molisii*. Rex *Tancredus* in *Apuliam* veniens recepit filiam Imperatoris *Constantinopolitani*, in uxorem *Rogerio* filio suo dudum in Regem coronato. Exinde, collecto exercitu, venit ad *Montemfuscum*, contra quem *Bertoldus* castra movens, tentoria figit apud *Paludam*, ubi die belli condicto pugnare volentem Regem, quidam de suis retrahunt. Inter moras autem exercitus Imperialis penuria coactus redit in Comitatum *Molisii*. Rex verò transiens vi capit *Roccham* Sanctæ *Aghates*, & Castrum *Sabiniani*, ubi plures de *Theutonicis* captos, extremo supplicio damnat. *Bertoldus Castrum Montis Rodonis* obsidet, quia fidem ruperat, sed die quadam suas machinas exterius instruens, de machina interiori emisso lapide percussus moritur. *Conradus* supradictus parte quadam exercitus dilapsa, Dux eligitur ab aliis. Obsidionem non deserit, donec Castrum vi capit, proditores in circuitu suspendit; consumptisque rebus Castrum ipsum incendio primum, deinde ruina usque ad solum evertit. Rex *Tancredus*, prosperis successibus animatus, venit in *Terram Laboris*, obsidet *Casertam*, donec Comes *Guilielmus* reddit se; deinde obsidet *Torsam*, & ipsi se reddunt, obsidibus datis. *Conradus* transit in Vallem *Forconi*, exercitum recreat, captis terris, quæ reddiderant se Regi. Rex venit *Theanum*, sperans ad se revocare supradictum Abbatem, sed vir consilii futurorum providus, & justitiæ conscius, nec muneribus Regis, nec terroribus Sedis Apostolicæ potuit inflecti. Rex ægritudine correptus rediit *Siciliam*, quo recedente, *Conradus Cominum* intrat, & devastat, & deducto Comite *Caleni*, recipit *Diopultus Roccham Montisdraconis*. *Conradus* vero in *Apuliam* transiens loca immunita cæpit, munita depredatur, & devastat.

1194. Suprascriptus *Rogerius*, filius *Tancredi* obiit, post quem & ipse coronato *Wilelmo* filio suo decessit [1]. Imperator exercitu collecto, mense *Junio*, *Italiam* ingreditur, *Pisis*, & *Januæ* parat exercitum navalem, & eo misso ipse in Regnum descendit, omnibus se reddentibus præter *Atinum*, & *Roccham Wilelmi*. *Capuani*, & *Aversani* nec se reddunt, nec obsidentur. *Neapolitani* ex pacto jam *Pisis* habito se reddunt. Imperator transiens, *Salernum* vi cæpit, & in ultionem suæ injuriæ habitatores partim gladio, partim carcere, nonnullos exilio damnat, rebus publicatis, & in prædam exercitus addictis. Deinde transit in *Apuliam*, & nullo resistente per *Calabriam* venit *Messanam*. *Wilelmus* novus Regulus dimisso palatio matri, recipit se in Castrum munitum, quod dicitur *Calatibilotta*. Quo viso populus *Panormitanus* Imperatorem vocat, at ille præmissis nuntiis, & fœdere facto cum Regina, de dando sibi Comitatu *Licii*, & filio Principatu *Tarenti*, properat, & magnifice *Panormum* ingrediens, in Palatium recipitur, nec multo post idem Regulus fortunam cum corona deponens, ad pedes ejus venit.

1195. Imperator solemni curia in Palatio habita, ostensis litteris, quas conspiratione quorundam Magnatum Regni factas dicebat adversus eum, eundem *Wilelmum* quondam Regem, modo Principem factum, & plures Comites, ac Regni Magnates in vincula conjecit [2] *Constantia* Imperatrix filium parit in *Marca Anconitana*, quem in auspicium cumulandæ improbitatis, inculcatis Avorum nominibus *Fredericum Rogerium*, seu *Rogerium Fredericum* vocat. *Roffridus Cassinensis* Abbas, non segnis, *Panormum* vadit, ibique donum *Atini*, & *Malveti* ab Imperatore suscipit, qui rediens obsidet *Atinum*. *Rogerius* suprascriptus videns se non posse resistere, reddit ipsi *Atinum*, recipiens *Castrum* S. *Petri* in fine. Imperator in *Apulia* redit, & conjunctus cum Imperatrice curiam solemnem habuit, qua finita ipse in *Theutoniam* rediit, Imperatrix in *Siciliam* vadit.

FINIS BREVIS CHRONICI ANONYMI MONACHI CASSINENSIS.

HOC

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1194. *Suprascriptus* Rogerius, &c.] Duo præter fidem Codicum *Cassinensium* male hic cusa: sed levia. alterum est. *& in præbendam exercitus addictis*. non. *in prædam*. alterum. *Calatabillota*. non *Calatibilotta*.

[2] *An.* 1195. *Imperator solemni Curia*, &c.] In Codice 199, qui hoc loco deficit, textus iste A ab edito admodum variat. Ibi sic habet. *quorundam Magnatum Regni factæ dicebantur*. item. *filium parit in* Marchia Anconitana *quem in auspicium cumulandæ probitatis incultatis duorum nominibus*, Fridericum Rogerium *: seu* &c. tertio. *Qui rediens obtinet* Atinum: quarto *reddit sibi* Atinum. quinto. *Imperator. in* Apuliam *redit*; *& conjunctus cum Imperatrice Curiam solemnem ibi habuit*, &c.

HOC CHRONICON

Videtur continuatum fuisse ab alio Scriptore, in alio Cod. num. 199. *in quo etiam scriptum est antiquis litteris* Langobard. *Chronicon* Cassinense Leonis Marsicani; *Continuatur autem hoc modo.*

1196. Dictus Imperator de *Alemannia* rediens ivit *Panormum*, ubi sicut Deo placuit, diem clausit extremum. Tunc exiens de Regno damnatæ memoriæ *Marcuvaldus* Consiliarius ejus, & aliquantulum commorans in *Marchia Anconitana*, mortua *Panormi* jam dicta Imperatrice rediens ille ad Regnum cum multo exercitu perditorum, & veniens cæpit *Sanctum Germanum*, & totam terram Sancti *Benedicti* dissipavit simul, & ex magna parte combussit, tradens spolia habitantium in ea, exercitui suo. Nonnulla quoque altaria, iniquorum manibus. Reliquiarum abstractione, violata sunt. Obsedit autem & Monasterium *Cassinense*, ubi se concluserant duo Cardinales, qui venerant ex parte Domni *Innocentii* III. cum multis militibus de *Campania* in auxilium terræ. Sed Domnus Abbas prædictus ferre non valens multitudinem virorum, & mulierum, qui se ibidem receperant, data illi pecunia numerata, fecit eum de terra exire, commendato ab illo dicto *Diopulto*, *Castello novo*, *Castello Fractarum*, & *Pontecurvo*.

1197. Vadit ille *Marcuvaldus Panormum*, & illic recipiens quasi in custodiam dictum filium Imperatoris, cum tribulasset multos ibi, & ipse miserabiliter expiravit.

1198. Dictus *Diopultus*, cui hæserat omnis ille exercitus perditorum, cum apud *Venafrum* jurasset satis solemniter treguam, & pacem Domino Abbati, & hominibus *Sancti Germani* per fraudem de nocte veniens cæpit *Sanctum Germanum*, & multos de habitatoribus captivos tenens, omnia diripuit, quæ inventa sunt, inferens quæcumque mala potuit, sicut erat moris ejus, omnibus Castellis Monasterii, & habitatoribus eorum. Exivit autem de Civitate, sed vix ibi poterat aliquis sine timore, & tremore habitare.

1201. *Gualterius* Comes *Brennensis* mittitur in Regnum a Domino Papa *Innocentio*, & fretus auxilio Abbatis nostri, dictum *Diopultum* apud *Capuam* cum multo exercitu contra eum venientem fugavit. Diripuit omnia, & cunctum ejus exercitum dissipavit, capiens nonnullos eorum, & alios in fugam convertens 4. Idus *Junii*. Civitas *Venafrana* tota combusta est in vigilia Sancti *Joannis Baptistæ*. Cum auxilio dicti Comitis *Gualterii* Dominus Abbas Castellum *Pontecurvum*, *Castellum novum*, & *Fractas* recuperavit, datis *Richardo* de *Aquila*, qui tenebat illa per dictum *Diopultum* Ecclesia Sancti *Magni* in vita ejus, & *Molendino* de *Reposorio* apud *Sanctum Germanum*, & tenimentis dicti *Petri* de *Manso*.

1202. Fames valida per Regnum exorta est, unde nonnulli hac inopia coarctati mortui sunt.

1203. Dictus *Diopultus* in Castello *Summæ*, tentus est, qui tandem evasit suis promissionibus deceptoriis. Comes *Richardus* de *Aquila* cæpit *Suessam*.

1204. Dictus Comes *Gualterius* cæpit *Tarracinam*, de *Salerno*, & licet aliquantis diebus ibi a *Diopulto* fuerit adeo coarctatus, ut carnes equorum cum suis compulsus sit edere, auxilio tamen Comitum, & Baronum, cum quibus juraverat homagium, liberatus est, & ipsum *Diopultum* cum suis omnibus de tota Civitate *Salerni* ignominiose fugavit, obseditque *Terram Majorem* per multos dies, & eos, qui se ibi concluserunt, ad omnem inopiam coarctavit [1].

1205. Mense *Januario* dictus Comes *Gualterius* apud *Sarnum* cum suis decumbens, minus caute, fortuna sibi novercante, fugatis suis omnibus, & de eis plurimis interfectis, captus est per *Diopultum*, & Generalem ejus, & conjectus in vincula, dicitur ibi diem clausisse extremum [2]. Triumphans de hoste *Diopultus*, & se ipsum humilians, obti-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

A

[1] *An.* 1204. *Dictus Comes* Gualterius *cæpit* Terracinam, *de* Salerno, &c.] Ab antiqua *Tarracina*, quæ in *Latio*, alia hæc *Terracina* de *Salerno*, novum oppidum in *Picentinis*, memoratum etiam *Richardo* de S. *Germ.* hoc anno, & ad an. 1226. Idcirco interpunctio illa in edito Codice omnino molesta. in quo etiam male cusum infra. *Terram Majorem.* pro. *Turrim Majorem*, de quo dixi in *Italica* Dissertatione. *De Portis.*

[2] *An.* 1205. *Mense* Januario *dictus Comes* Gualterius *apud* Sarnum *cum suis decumbens*, &c.] Non. *mense* Januario. sed. *mense* I. ut habet scriptus Codex: hoc est. *Junio.* Chronicon *Ceccanense* usurpato tunc more carmina solutæ commiscens orationi, expresse hunc Mensem notat:

„ *Quintus & annus Domini cum mille ducentis*,
„ *Et fuit undena* Junii *lux in prima mensis*,
„ *Hic octava datur Indictio, quæ renovatur*,
„ *Cum Comes est* Brammæ *Sarni devictus ad amnem.*
„ *Stultitia, casu, nec* Marte, *dolo superatur*, &c.

obtinuit, ut Dominus Papa, missis Nuntiis fecerit supradictum *Diopultum*, & suos ab excommunicatione absolvi, credens eum Ecclesiæ profuturum; Qui postmodum *Romam* perrexit, & a Domino Papa *Innocentio*, & a *Romanis* bene receptus est. postea reversus est *Salernum*.

1206. Hoc anno mense *Novembri* Comes *Diopultus* cum pluribus Regni ivit *Panormum*, & traditum est ei *Panormum* cum Rege: post modicum vero temporis Cancellarius *Gualterius* junctis *Theutonicis*, habuit Regem *Fredericum*.

1207. Hoc anno mense *Madii* Comes pugnavit cum *Neapolitanis*, & ex eis magnam stragem fecit.

1208. Mense *Januario*, in vigilia Epiphaniæ Dominus *Roffredus Cassinensis* Abbas Civitatem *Soræ*, quam homo perditissimus, & perfidissimus *Conradus* de *Marley Theutonicus* cum *Roccha* de *Sorella* . . . fuerat ab *Henrico* Imperatore VI. relictus Castellanus, *Pesclum solidum*, *Roccam Arcis*, & *Broccum* tenebat, conducta prædonum, & sibi similium manu, *Campaniam*, & adjacentia loca, & maximè Terram Sancti *Benedicti* depredabatur; in crepusculo diluculi cum gente ingressus est. Eo die per Civitatis transfugas, qui se receperant in . . . *Avellum*, quam-multæ Civitatis domus igne deflagravere. Illi autem de loco natura munitissimo a gente Abbatis expulsi, eodem die, in *Sorellæ Roccham* se receperunt. Alia igitur die *Castellum Brocci* expugnatum est, & *Arx Sorellæ* de *Planello* arctius est obsessa. Mense *Februarii* Arx dicta noctu expugnatur a nostris, uno tantum de nostris ab hostibus audaciter resistentibus, cæso. Captus *Conradus*, *Sorellæ* cum universis, qui fuerant illic inventi tenetur in vinculis, *Roccham Arcis*, & *Pescum solidum* reddere pro sua, suorumque qui tenebantur vincti, liberatione promittens. Prima igitur quinta feria Quadragesimæ, *Hugo* pro liberatione dicti *Conradi*, & suorum *Stephano* Camerario Domini Papæ *Innocentii*, & *Richardo* ejusdem germano *Roccham Arcis* assignat, recepta per eos a Domino Papa multa quantitate pecuniæ, & firmata personarum, & rerum securitate. Mense *Junii* Dominus Papa Urbem exiens ad *Sanctum Germanum* contendit, convocatisque illuc Civitatibus, Comitibus, & Magnatibus Regni, de Domini Regis *Frederici* succursu, & Regni pace tractavit, constitutis ad hoc capite, & magnis justitiariis *Apuliæ*, & *Terræ Laboris*, Comite *Petro Celano*, & Comite *Richardo Fundano* [1]. Deinde Montem *Cassinum* Dominus Papa conscendit, ibique diebus multis propter clementiam aëris immoratus, a Prædecessoribus suis indulta Monasterio privilegia renovavit, & quædam de novo concedens, alienata de pertinentibus ad Hospitale, Vestiariam, vel Infirmariam, sive Cellariam revocari posse clementer indulsit. Descendens igitur a monte, rogatu Domini *Petri* Decani *Cassinensis*, in Altare Sancti *Nicolai* de Sancti *Petri* Monasterio sacras Reliquias ipse recondidit in festo Beati *Jacobi*, VIII. Kalend. *Augusti*, sed quia propter ferventis æstatis inclementiam tædebat eum, constipante se turba celebrare divina, mandato suo celebravit Dominus *Albanensis*, & Dominus *Sabinensis*, facto sermone, devote venientibus in Anniversario quadraginta dies de criminalibus instituit relaxari. Occisum a suis *Philippum Alemanniæ* Regem interim nunciatur. Deinde *Soram* Dominus Papa contendit, & per *Atinum* cum Cardinalibus transiens, a Domino Abbate Eccesiæ Sanctæ *Mariæ* honorifice recipitur. Mense *Octobris Richardus Fundanus* Comes *Capuam* ∴ ∴ & Castellum obsidet. ∴ ∴ ∴ ∴ ∴
∴ ∴

Lacuna hic erat in Cassin. *Codice.*

1209. Mense *Septembri Otho* IV. Dux *Saxoniæ* Imperii diademate insignitur in Ecclesia S. *Petri* in Urbe *Roma* a Domino Papa *Innocentio* III. & tunc orta est seditio inter *Romanos*, & *Theutonicos*, *Romanis* quibusdam, & *Theutonicorum* pluribus interemptis. *Diopultus* Comes, Dux efficitur *Spoletanus*. Terremotus magni per loca. In *Valvis*, & *Rete* Provintiæ *Samnii*, munitiones diruuntur, & plura ædificia, & castella. *Fredericus* Rex *Siciliæ* duxit in uxorem sororem Regis *Aragonensis*. *Diopultus*

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1208. *Mense* Januario, *in Vigilia Epiphaniæ*, &c. *constitutis ad hoc capite*, *& magnis Justitiariis* Apuliæ, *&* Terræ Laboris *Comite* Petro Celano, *&* Richardo Fundano, &c.] Compendiatam in exemplari vocem: *Mag.* quæ explicanda fuerat. *Magistris*, exposita a Typographo imperite est. *Magnis*; quoniam septem, quæ suprema dicuntur Regni officia, passim *Magni* titulum nunc obtinet, ut *Magnus Justitiarius*, A &c. At olim *Magistri* appellabantur quicumque aliis præerant, quod planum; unde dictus etiam *Magister latronum* apud *Cæsarium Heisterbacensem* lib. 7. Mirac. cap. 59. Sane ambo præfati Comites cum administrarent Regni tutelam, sub hoc ipso titulo *Magistri Justitiarii* alter eorum, *Petrus Celanensis*, designatus legitur apud *Richardum* de Sancto *Germano*. Ex quo pariter Auctore *lacunam* haud magnam in eodem Anonymo ad finem præsentis anni commode poteris explere.

tus dictum Imperatorem *Othonem* introduxit in Regnum, cum *Petro* Comite *Celani*, & dedit ei *Salernum*, propter quod factus est ab eo Dux *Spoleti*. Hoc anno mense *Madio Roffridus* Abbas hujus loci mortuus est, & *Petrus*, cui prænomen erat *Comes* promotus est in Abbatem in Natale Sancti *Joannis Baptistæ*.

1210. Dictus Imperator contra juramentum; quod fecerat Domino Papæ *Innocentio*, Regnum intravit, & *Capuam*; propter quod Dominus Papa ipsum Imperatorem excommunicavit.

1211. Mense *Januario* obiit *Petrus Cassinensis* Abbas. Dominus Papa sententiam, quam tulerat in *Othonem* Imperatorem confirmat, excommunicans Canonicos *Capuanos*, quoniam ausi sunt celebrare Imperatore præsente, cui *Neapolitana* Civitas se donavit, eique in *Apuliam* descendenti Civitates, & Villæ omnes sponte jurarunt.

1212. Prædictus Imperator in *Alemanniam* rediit [1], eo quod ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Cætera desiderantur.

In eodem suprascripto Cod. 199. *Bibliothecæ* Cassinensis *sunt pagellæ aliquot ad finem libri, in quibus Appendiculas hasce scriptas reperi, quas subjicio.*

ANno Domini 1349. tertia Indict. die nono *Septembris*, fuit magnus terremotus in toto Regno *Siciliæ*, qualis non fuit ab initio mundi, nisi in morte *Christi*, & specialiter in Episcopatu *Cassinensi*, in tantum, quod totum monasterium funditus corruit, & remansit in eo nulla domus erecta; & omnia Castra Monasterii fuerunt diruta præter *Castrum Sancti Victoris*, & *Fractarum*. Id fuit hora Missæ. Itaque multi homines, & mulieres, & Sacerdotes, & Religiosi super altaria, & in Ecclesiis mortui sunt, præter eos, qui in propriis domibus, Castris, & Civitatibus obierunt. Civitas ergo Sancti *Germani* media corruit, præcipue illa pars, quæ erat in plano, seu paludibus, & in ea innumera multitudo hominum, ac mulierum mortua est.

1362. Indict. XV. Mense *Martii* stella Cometes apparuit in Oriente, & visa fuit per multos dies. Eodem anno, sequenti mense *Madii* obiit *Ludovicus* inclytus Rex *Siciliæ*, & sequenti mense *Junii* obiit *Ludovicus* de *Duratio* in Castro *Ovi Neapoli*, & immediate post mortem dicti Domini *Ludovici* de *Duratio* maxima mortalitas hominum sequuta est in Civitate *Neapoli*, & per totum Orbem, ita ut in multis locis Castra, & Villæ vacuæ, & desolatæ remanserint. Eodem anno mense *Augusto*, a principio fere ipsius mensis innumerabilis multitudo bruchorum ab Oriente venientes totam terram occupaverunt, & tanta fuit multitudo ipsorum, quod porci, & gallinæ, & murilegi eos comedebant, & duraverunt in partibus nostris per totum mensem prædictum, licet in partibus *Apuliæ* fuerint per totam æstatem præteritam, imo per tres sequentes annos duraverunt, non tamen generaliter, sed per loca, comedentes omnes herbas virides, & folia arborum.

Anno Dominicæ Incarnationis 1388. Indictione XI. *Januario* mense, die octava. Serotina hora una, & semis visæ fuerunt a parte Occidentis stellæ ire per Cœlum, sonitu horrifico versus *Neapolim*, & *Cajetam*, quæ quidem stellæ claritate erant præfulgidæ, & tanti splendoris, ut quando earum discursus fiebat, esse videbatur quasi medius dies, quantitate erant indiscretæ: nam aliquæ ipsarum tantæ quantitatis cernebantur, ac si essent magnæ trabes igneæ in numero fuerunt. . . . . .

Cætera desiderantur, huic explendæ lacunæ ducentorum annorum.

† *Item ex alio Cod. Chronici* Cassinen. *auctore* Leone Marsicano, *pagellis ante Chronici initium posito, hæc exscripsimus.*

Anno Domini 1500. die septimo *Januarii* hora diei tertia, & ultra, dum Missa celebraretur, fulmen erumpens a tecto portæ majori imminente, & etiam juxta altare majus pavimentum dissipans, Sacerdotem mysterio incumbentem adeo conterruit, ut fere exanimis remanserit, & juvenem quendam advenam non procul inde remotum in tantum afflatu perculsit, ut immobilem factum & humi prostratum perfracta fronte miserabiliter affecerit, partem insuper Campanilis, jam alias sæpe percussi, & collabentis dejecerit cum Campana majori.

Ex

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1212. *Prædictus Imperator in* Alemanniam *rediit, eo quod* . . . .] Sententiam Librarii defectu mancam, qui plura descripturus, pausam hic fecit, ex jam dicto *Sangermanensi* Chronologo sic supplebis, *eo quod quidam* Alemanniæ *Principes sibi rebellaverant.* Istaque ad hunc Anonymum satis.

Ex indicibus quibusdam emortualibus Religiosissimi Cœnobii Cassinensis *excerpsi Illustrium aliquot Virorum obitus certis diebus consignatos. Ejusmodi verò excerpta, quod ad rerum nostrarum Chronologiam quodammodo facere videantur, ea huic* Cassinensi *Chronico subjicere libuit. Habe igitur & pauca hæc, Lector, donec in tuorum studiorum commoda, si vita σὺν θεῷ salusque suppetet, plura, ac majara depromam.*

Ex Emortuali m. s. Mon. Cassinensis [1] *num.* 47.

VII. Idus *Januarii (a) θ. Carolus* Rex *Siciliæ* MCCLXXXV.
VIII. Kalendas *Februarii θ.* Rex *Ferdinandus* MCCCXCIV. In Conversione S. *Pauli*, hora 18.
Prid. Non. *Febr. θ. Raynaldus Barensis* Archiepiscopus, & Monachus.
Non. *Martii θ. Boemundus Antiochiæ* Princeps.
XIV. Kal. *Aprilis θ. Honorius* III. Papa.
X. Kal. *April. θ.* D. *Petrus* de *Capua* Diac. Card. S. *Georgii.*

Sunt in eadem Cassinensi *Bibliotheca opera hujus Card. nempe :* Epitome sententiarum, & Lexicon Concionatorum, *in expanso folio.*

V. Kal. *April. θ. Clemens* Papa III.
IV. Kal. *April. θ. Stephanus* Papa, qui & *Fredericus* Abbas hujus loci.
XVI. Kal. *Maji θ. Sigilgaita* Ducissa. Fuit hæc uxor *Roberti Guiscardi.*
XI. Kal. *Maji θ. Alexander* II. Papa.
IV. Non. *Maji θ. Carolus* Secundus Rex *Siciliæ.* MCCXIX.
Idib. *Maji. θ. Guilielmus* Rex *Siciliæ.*
VIII. Kal. *Junii θ.* Domnus *Gregorius* VII. Papa.
III. *Junii θ. Henricus* Imperator.
XVI. Kal. *Julii θ. Henricus Capuanus* Princeps.
IV. Kal. *Julii θ. Maria Turritanorum* Regina.
III. Kal. *Julii θ.* Domnus *Gentilis Neapolitanus* Archiepiscopus, & Monachus.
VIII. Idus *Julii θ.* Domnus *Eugenius* III. Papa.
XVI. Kal. *Augusti θ. Robertus Guiscardus* Dux.
V. Kal. *Augusti θ. Leopoldus* Dux *Austriæ*, & *Stiriæ.*
VIII. Idus *Augusti θ. Carolus Hungariæ* Rex Anno Domini MCCXCV. VIII. Indict.
XI. Kal. *Septemb. θ.* Domnus *Gregorius* PP. IX.
III. Kal. *Septembr. θ.* Domnus *Alexander* Papa III.
Kal. *Septembr. θ. Adrianus* Papa IV.
Non. *Septembr. θ. Rogerius* Comes *Tusciæ.*
XVI. Kalend. *Octobr. θ. Victor* Papa III. qui & *Desiderius*, Abbas hujus loci.
VIII. Kal. *Octob. θ. Innocentius* II. Papa.
III. Non. *Octob. θ. Henricus* Imperator.
VI. Idus *Octob. θ. Amfusus Capuanus* Princeps.
XIV. Kal. *Novemb. θ. Bonifacius* Papa VIII.
VIII. Idus *Novemb. θ. Ayglerius* Archiepiscopus *Neapol.* & Monachus.
XVI. Kal. *Decemb. θ. Guilielmus* Rex *Siciliæ.*
XIII. Kal. *Decemb. θ. Constantia* Imperatrix.
XII. Kal. *Decemb. θ. Jordanus* Princeps.
III. Non. *Decemb. θ. Anastasius* III. Papa, & *Lotharius* III. Imp.

VII. Idus

VARIÆ LECTIONES & NOTÆ *A. CARACCIOLI.*

A

(*a*) *Hoc est, obiit; Nam Nota hæc θ in judiciis θάνατον i.e. mortem significabat ad quod allusit Satyrographus.* Et potis es nigrum vitio præfigere Theta. *Mortem igitur sive obitum in hisce etiam emortualibus Indicibus significat.*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] Ad nomina vero illustrium virorum, quæ ex *Cassinensi* Emortuali excerpta, post Anonymum in Codice edito sunt appicta, non habeo, quod dicam; sed addenda iis pauca hæc alia judico ex eodem antiquo exemplari. Deque Descriptione dedicationis Ecclesiæ *Cassinensis*, quam idem ille quatuor Chronologorum Liber postea præfert, meum nec repetam judicium, in serie expositum Abbatum, ubi de *Desiderio*, & de *Oderisio* primo.

B

Kal. Januarii. θ. Landulfus *Princeps.*
XII. *Kal.* Febr. θ. Gerebertus *Archiepiscopus, & Monachus.*
II. *Non.* Febr. θ. Senioretus *Abb.*
VIII. *Id.* Apr. θ. Richardus *Princeps.*
II. *Non.* Maji. θ. Petronax *Abb. hujus loci.*
IIII. *Non.* Junii. θ. Gisulfus *Princeps.*
XVI. *Kal.* Junii. θ. Enricus Capuanus *Princeps.*
VI. *Id.* Jul. θ. Burrellus *Comes.*
X. *Kal.* Oct. θ. Andreas *Archiepiscopus.*
VIII. *Id.* Nov. θ. Regimprandus *Levita, & Abb. hujus loci.*
IX. *Kal.* Dec. θ. Aligernus *Sacerdos, & Abb. hujus loci.*
V. *Kal.* Dec. θ. Apollinaris *Sacerdos, & Abb. hujus loci.*
III. *Kal.* Dec. θ. Richerius *Sacerdos, & Abb. hujus loci.*
IX. *Kal.* Jan. θ. Gisulfus *Sacerdos, & Abb. hujus loci.*

C. Peregr.

VII. Idus *Decemb.* θ. *Otho* Imperator.
XIX. Kal. *Januar.* θ. *Calixtus* II. Papa, & *Agnes* Imperatrix.
XIV. Kal. *Januar.* θ. *Urbanus* V. Papa, & *Jordanus* II. Princeps.
Prid. Kal. *Januar.* θ. Domnus *Odilo Cluniacensis* Sacerdos, & Abbas.

Ex altero Emortuali præfixo Cod. m. s. ejusdem Bibliothecæ num. 334.

VI. Idus *Febr.* θ. *Helbiria* Regina, uxor *Magni* Regis *Siciliæ*, & *Apuliæ*.
VIII. Kal. *Martii* θ. *Rogerius* Dux.
III. Kal. *Martii* θ. *Rogerius* Rex *Siciliæ*.
X. Kal. *Julii* θ. *Rogerius* Comes *Siciliæ*.
XVI. Kal. *Augusti* θ. *Robertus* Dux *Apuliæ*.
VII. Kal. *Augusti* θ. *Kuraza* mater *Madii* magni *Ammirati Ammiratorum*.
III. Idus *Augusti* θ. *Drogo* Comes.
VI. Idus *Septemb.* θ. *Leo* pater *Ammirati Ammiratorum*.

ANONYMI,

Sed antiqui, & fide digni Scriptoris narratio celeberrrimæ consecrationis, & Dedicationis Ecclesiæ Cassinensis *ab* Alexandro II. *P. M. factæ, ex M. S. Cod.* 47. *Bibliothecæ* Cassinensis.

Operæpretium mihi videtur, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, qualiter hujus Sancti, & venerabilis Cœnobii nova Ecclesia, quove tempore, vel a quibus personis funditus renovata, constructa, & dedicata sit, ad posterorum memoriam literis utcumque mandare. Sicut enim detestandi sunt, qui ea, quæ noverunt cælanda, revelant, ita nihilominus ingrati sunt, qui ea, quæ multorum ædificationi profutura præviderint, cælant. Et quamvis non sicut decebit, id enarrare me posse confidam, melius tamen hac mea imperitia aliquo modo puto scribendum, quam ad non parvum nostrum dedecus, scribendi negligentia, reticendum.

Cum igitur Sanctissimi, & eximii Patris nostri *Benedicti* in hoc ejus venerabili Monasterio *Cassinensi*, quod ipse quondam strenuè, Deo duce, & fautore, primum construxerat, venerandæ memoriæ Domnus *Desiderius*, septimus, & tricesimus successor, divina dispositione ordinatus esset, Omnipotenti Deo adeo charus extitit, ac devotus, ut quod suo fideli famulo *Benedicto* olim promiserat, videlicet quod locus hic, quem tunc gentibus vastandum, diripiendumque tradere censuerat, in majorem, quam tunc erat, statum, famam, & gloriam venturus esset, constat ab hoc inchoari, & perfici voluisse; cui tantum suæ pietatis gratiam meritis Patris *Benedicti* concessit, ut inter ferocissimas *Nortmannorum* gentes, quæ non ante multos annos finitimas quasque, & contiguas terras occupaverant, tam pacificè, tamque quietè consisteret, ut non solum mediocres viri, verùm etiam ipsi eorum Principes, ac Duces libenter ei obedire, ejusque voluntati non aliter, quam sui patris, ac Domini in omnibus parere studerent, nullusque circumquaque manentium esset, qui non ejus gratiam, & benevolentiam desideraret. In tali igitur pace, ac tranquillitate divinitus constitutus, post nonnullas hujus sancti Cœnobii a se nobiliter ædificatas officinas, atque constructas, tandem aliquando ad renovandum a fundamentis Ecclesiam, quæ revera, & crescenti in dies Fratrum numero, parva, & pretiosissimo Beati Patris *Benedicti* corporis thesauro indecens erat, non sine divino instinctu animum adjecit, quæ videlicet, ut compendio loquar, anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto omni nisu, & studio ædificari cœpta cum atrio, & porticibus suis, in quinque annorum spatio, omni est gloria, & decore perfecta. Cujus quidem columnas omnes, universosque pavimenti lapides ab Urbe *Roma* magno labore, & non parvo pretio convexit, ipsamque Ecclesiam mirificis operibus, & pene temporibus istis incognitis artificibus, ex diversis Orbis partibus, & ab ipsa quoque Regia Urbe *Constantinopoli* maximo ære conductis, decentissimè decoravit.

Parietibus autem in circuitu pulchra colorum varietate depictis, Absidam, & arcum majorem, & atrium musivo pretiosissimo adornavit. Pavimentum verò totius Ecclesiæ tanta, tamque mirifica, & pene ineffabili cæsorum lapidum diversitate distinxit, ut non lapidibus, sed floribus solum vernare putes. Quæ omnia videri quidem, & admirari, ut dignum tamen est comprehendi vix ab aliquo possunt. Quantitatem autem ipsius Ecclesiæ, & qualitatem, seu ornamenta, quoniam non fuit mei propositi ex integro in hoc sermone describere, & alio loco cum reliquis operibus prædicti Domni Abbatis latius, Deo volente, comite vita, pandentur, id tantum quanta gloria, quantaque frequentia sit consecrata, pro posse narrabo.

Venerandæ memoriæ Domnus *Alexander* II. Papa eo tempore Sanctam *Romanam* Ecclesiam sapientissimè, & religiosissimè gubernabat. Hunc ergo Domnus Abbas, ut de-

decebat, devotiſſimus adiit, ut ad tantæ Eccleſiæ conſecrationem accedere dignaretur, oravit. Quo velociter, utpote præ cunctis ei familiarior impetrato, *Ildebrandum* quoque Archidiaconum, ac reliquos *Romanos* Epiſcopos, & Cardinales officioſiſſimè invitavit. Optimum autem mihi, & non contemnendum videtur, nomina, & numerum Epiſcoporum, & Magnatium aliquot, qui adfuere (cum univerſos non ſit facilè reminiſci) memoriæ tradere, quatenus eorum numeroſitate, innumera etiam populi multitudine, qui tunc undique terrarum confluxit, ipſius dedicationis gloria innoteſcat: Sunt autem hi.

Joannes Epiſcopus *Portuenſis.*
Joannes Epiſcopus *Tuſculanenſis.*
Vbaldus Epiſcopus *Sabinenſis.*
Alphanus Archiepiſcopus *Salernitanus.*
Ildebrandus Archiepiſcopus *Capuanus.*
Joannes Archiepiſcopus *Neapolitanus.*
Joannes Archiepiſcopus *Surrentinus.*
Girardus Archiepiſcopus *Sipontinus.*
Biſantius Archiepiſcopus *Tranenſis.*
Drogo Archiepiſcopus *Tarentinus.*
Eraſmus Epiſcopus *Signinus.*
Petrus Epiſcopus *Anagninus.*
Honeſtus Epiſcopus *Verolenſis.*
Ambroſius Epiſcopus *Tarracinenſis.*
Leo Epiſcopus *Cajetanus.*
Pandulphus Epiſcopus *Marſicanus.*
Palumbus Epiſcopus *Soranus.*
Martinus Epiſcopus *Aquinenſis.*
Guilielmus Epiſcopus *Theanenſis.*
Joannes Epiſcopus *Calenus*, ſive *Foriclaudienſis*,
Vt eſt in Bulla Alexandri II.
Petrus Epiſcopus *Venafranus.*
Goffridus Epiſcopus *Averſanus.*
Joannes Epiſcopus *Picænus.*
Maraldus Epiſcopus *Peſtanus.*
Albertus Epiſcopus *Bojanenſis.*
Rogerius Epiſcopus *Civitatenſis.*
Campo Epiſcopus *Draconarienſis.*
Stephanus Epiſcopus *Trojanus.*
Balduinus Epiſcopus *Melfitenſis.*
Joannes Epiſcopus *Cannenſis.*
Robertus Epiſcopus *Florentinenſis.*
Nicolaus Epiſcopus *Termulenſis.*

A *Guilielmus* Epiſcopus *Larinenſis.*
Petrus Epiſcopus *Guardienſis.*
Joannes Epiſcopus *Vigilienſis.*
Innacius Epiſcopus *Monorbienſis.*
Guilelmus, ſive *Guibertus* Epiſcopus *Rubbeſanus.*
Datro Epiſcopus *Oſtunenſis.*
Petrus Epiſcopus *Monopolitanus.*
Joannes Epiſcopus *Juvenatienſis.*
Maynardus Epiſcopus *Arianenſis.*
Arnaldus Epiſcopus *Archerontinus.*
B *Conſtans* Epiſcopus *Venuſinus.*
Vgo Epiſcopus *Hydruntinus.*
Goffridus Epiſcopus *Peruſinus.*
Theobaldus electus Caſtellanus, qui videlicet altero poſt dedicationem die Epiſcopus conſecratus eſt.
At ex originali diplomate Alexandri II. *quod eſt in Archivo* Caſſinenſi, *habentur præterea hi Prælati Eccleſiaſtici interfuiſſe huic Eccleſiæ* Caſſinenſis *conſecrationi, videlicet,*
C Ildebrandus *Archidiaconus S. R. E.*
Petrus Dam. Oſt. *Epiſcopus.*
Et poſt Epiſcopos omnes hi Cardinales ſubſcribunt jam dicto diplomati.
Ego Firminus *Card. S. R E.*
Leo *Card.* . . . .
Stephanus *Card. Presbyter.*
Landulphus *Card. Presbyter.*
Leo *Card. Presbyter, pro omnibus Presbyteris Cardinalibus, Diaconibus, & Clericis S. R. E.*
D

Monachorum verò quot millia cum ſuis Abbatibus ad tantæ feſtivitatis gloriam convenerint, nequaquam recoli, quia nec videri quidem omnes potuerunt.

Principes autem, *Capuani*, *Richardus*, & *Jordanus* filius ejus, & *Jordanus* Patruus, *Giſulphus* Princeps *Salernitanus*, *Pandulphus* Princeps *Beneventanus*, *Sergius* Dux *Surrentinus*, *Raynulphus* Comes. ∴ ∴ ∴

Cæterorum autem Potentium, Comitumque, ſeu nobilium omnium circumquaque terrarum tanta affuit multitudo, ut eorum numerum nedum nomina recenſere, multæ ocioſitatis indigeat. Quid autem populorum turbam memorem? quæ proculdubio tanta extitit, ut non modò totius Monaſterii ambitum, non modò omnium officinarum etiam tecta compleverit, ſed & ipſa quoque itinera ab ipſo vertice montis uſque ad radices ejus ita frequentia, conſtipatione ſua repleverit, ut vix alicui fortiſſimo aliquo modo inter eos gradiendi facultas eſſet.

Omnibus igitur his ſummo gaudio, præcipuaque devotione, tantæ feſtivitatis gratia congregatis, ſummo, ut oportuit, honore dedicata eſt præfata Eccleſia prima die kalend. *Octobrium*, die Sabbathi, anno Divinæ Incarnationis 1071. Ind. IX. cum quinque altaribus ſuis, ex quibus videlicet duo, id eſt S. *Benedicti*, & S. *Joannis* præfatus venerabilis Papa *Alexander* manu propria conſecravit: altare verò Sanctæ *Mariæ Joannes* Epiſcopus *Tuſculanenſis*; Sancti verò *Georgii Vbaldus* Epiſcopus *Sabinenſis*; Sancti autem *Nicolai Eraſmus* Epiſcopus *Signinus* conſecrarunt.

Peractis itaque omnibus, & Miſſa a *Romano* Pontifice ſolemniter celebrata, multiſque a populo oblatis donariis, & non tantum iis, qui tunc aderant, ſed & univerſis, qui per continuos octo Dedicationis dies feſtivitatis devotione conventuri eſſent, ab eodem Beatiſſimo Pontifice abſolutione data, unuſquiſque gaudens, & exultans receſſit ad pro-

pria. Hujus autem absolutionis gratia tanta devotione, tantaque frequentia per continuos octo dies huc undecumque concursum est, ut quasi non se fidelem putaret, qui particeps tantæ solemnitatis non fieret. Hæc omnia ita fuisse nemo legentium ambigat, quæ utique non ab aliis tradita, sed revera propriis oculis visa descripsimus. Transactis verò a Dedicatione hujus Ecclesiæ tribus annis, totidemque mensibus anno videlicet a Salvatoris nativitate 1075. incipiente III. Non. *Januarii* Ecclesia B. *Bartholomæi* Apostoli, quæ ad Occidentalem partem majoris Ecclesiæ satis decenter sita est, cum grandi iterum lætitia, & exultatione cunctorum fratrum honorificè dedicata est a *Joanne Sorano* Episcopo, ubi etiam non minima particula Brachii ejusdem Beati Apostoli in argentea capsella venerabiliter recondita est.

Eodem etiam anno post octo circiter menses reliquæ duæ Basilicæ pulcherrimæ in extremis exterioris atrii turrium modò hinc inde locatæ, pari studio, & honore sacratæ sunt 4. Idus *Septemb.* quarum alteram, quæ a dextra parte ad honorem B. Archangeli *Michaëlis* constructa est, prædictus *Joannes Soranus* Episcopus, alteram verò, quæ a læva, ad honorem B. Apostolorum Principis *Petri* fundata est, *Leo* Episcopus *Aquinensis* Divino numini, ipso Domno Abbate, omniumque Fratrum præsente conventu, cum magna lætitia, & devotione sacrarunt.

Porrò cum ab hac dedicatione annus jam quartus decimus, & ab Incarnatione Dominica millesimus, & nonagesimus volveretur, tribus jam annis, & tribus, ac sexaginta diebus, transitu reverendæ, ac semper honorificè memorandæ memoriæ *Desiderii* Abbatis elapsis, præsidente, atque jubente Domno *Oderisio* reverentissimo, atque dignissimo successore ipsius dedicata est Ecclesia Sancti Confessoris *Christi Martini*, quam prædictus venerabilis Abbas *Desiderius* in loco ipso, ubi olim a Beatissimo Abbate *Benedicto* constructa fuerat, circa portam scilicet Monasterii mirificè, ac pulcherrimè in sexdecim marmoreis columnis erexerat, quamque tam Musivo, quam etiam diversis picturarum coloribus optimè decoraverat. Dedicata est autem XIV. Kalend. *Decemb.* ipsa videlicet die octavarum ejusdem Beatissimi Confessoris *Christi Martini*, feria 2. cum tribus altariis suis, ingenti frequentia ordinis diversi virorum, & maxima universorum lætitia, quorum primum, atque præcipuum in honore ipsius B. *Martini* dedicavit vir venerabilis Domnus *Joannes* Episcopus *Tusculanensis*; illud autem, quod ad dexteram ipsius Basilicæ situm est, in honore S. *Erasmi* martyris consecravit Domnus *Raynaldus* Episcopus *Cajetanus*, qui ipso anno ex hoc nostro Monasterio eidem Ecclesiæ datus fuerat Episcopus: tertium verò, quod a parte sinistra statutum est, in honore gloriosi Confessoris *Christi Ambrosii* benedixit Domnus *Honestus*, Reverentissimus Episcopus *Verulanus.* Fuere autem cum eis in hac Dedicatione Episcopi etiam alii tres, id est *Lambertus Alatrinensis*, *Roffridus Soranus*, nec non & *Leo* Episcopus *Venafranus*. Quod autem tamdiu post Patris *Desiderii* transitum consecratio Basilicæ hujus dilata est, hoc fuit in causa; quia & picturæ partem aliquam, & pavimenti non modicam, ad complendum, morte præventus idem Abbas reliquerat. Quæ omnia successor illius studiosissime percomplere, & addere, quæ necessaria, curavit, & sic eam dedicari, quatenus præmissum est, honorificentissimè fecit.

Annis item post ista tribus, & tribus insuper, ac septuaginta diebus exactis, anno scilicet Incarnationis Dominicæ 1094. Indictione secunda mensis *Januarii* die trigesima, secunda feria, dedicata est Ecclesia Beati *Andreæ* Apostoli, præsidente, atque jubente jam dicto Abbate Domno *Oderisio*, qui eandem Basilicam a fundamentis extruxerat ab Orientali parte majoris Ecclesiæ inter Absidam, videlicet ipsius, & domum infirmorum habens cæmiterium Fratrum a latere dextro, a sinistro verò claustrum, licet parvulum, tamen pulcherrimum. Dedicata est autem a Dom. *Raynaldo Cajetano* Episcopo jam superius memorato cum ingenti devotione, & exultatione Fratrum universorum, ea nimirum die, qua castrum, quod *Frattæ* dicitur, ultra omnem spem, meritis Beatissimi Patris *Benedicti*, miseratione Divina, recepimus, quod videlicet triennio ante a vicinis *Nortmannis* furatum nobis fuerat, atque pervasum, sed die XIII. . . . . Domino auxiliante receptum, atque ob sempiternam illius triumphi memoriam in eadem die consecrationis hoc solemne statutum. Est autem prædicta Basilica instituta ad utilitatem infirmorum Fratrum, lignis quidem, ac tegulis firmissimè contignata, fenestris vitreis optimè decorata, diversis Sanctorum historiis, pulchra colorum varietate depicta, pavimento quoque multimoda incisione marmorum artificiosè constructa. Quodque omnibus his est longè præcipuum, multis ac præclaris tam Apostolorum, quam Martyrum, necnon & Confessorum Dei reliquiis studiosissimè consecrata. Quorum omnium nomina, cum reliquarum Ecclesiarum pignoribus pariter, suis in locis, Domino juvante, scribemus.

Ex his postremis verbis conjici forte potest, auctorem hujus narrationis fuisse Petrum Diaconum Cassinensem*: is enim hanc ipsam celeberrimam Dedicationem trium jamdictorum Altarium, videlicet Sancti* Martini, *Sancti* Erasmi, *& Sancti* Ambrosii, *recitatis sacrarum Reliquiarum nominibus, ritè describit lib.* 4. *Chron.* Cassinen. *cap.* 8. *Multa tamen hic diligens Lector reperiet, quæ in eo Chronico scripta non sunt: ac proinde nos actum nequaquam egisse existimabit.*

FINIS CONTINUATIONIS BREVIS CHRONICI ANONYMI MON. CASSIN.

JUDI-

FALCONIS BENEVENTANI CHRONICON.

JUDICIUM ANTONII CARACCIOLI DE FALCONE BENEVENTANO.

FALCO, trium superiorum, loco quidem postremus, diligenti tamen gestorum, locorumque enarratione, profectò primus habendus est. Is Notarius, eo tempore, insignis, & Sacri Palatii Scriba fuit: atque ab *Innocentio* II. P. M. ob fidei constantiam, qua Pontificias partes in maximis illis turbis tutatus fuerat, Judex suæ patriæ renuntiatus est. Hoc verò Chronico, quod ab anno 1102. ad 1140. producit, res sui temporis, easque præcipuè, quæ *Beneventi* contigerunt, adeo fusè, & accuratè describit, ut tibi, Lector, non legere, sed præsens esse videaris. Et nisi te stylus, barbarie horridus, arceat, cætera abs te laudatum iri *Falconem*, nullus dubito. *Baronio* sanè, & *Gordono* is placuisse videtur: quippe qui & calamo exceptum habuerint, & non semel ille in Annalibus, iste in Operis Chronologici posteriore Tomo citaverint. Hoc igitur & tu, studiose Lector, nunc primum aspiciente lucem, per me fruere, & Vale.

JULIUS DE SYNDICIS, BENEVENTANUS

Lectori.

PErvenit in manus nostras, Lector dulcissime, libellus quidam, cujus auctor Notarius Falco, *Scriba Sacri Palatii appellabatur: in quo Historiæ multæ totius Regni* Neapolitani *scriptæ sunt; præcipuè tamen* Beneventanorum *gesta inter se, uti civilia bella, ac etiam contra exteros* Normandos, *ut est videre ibidem. At quia corrosioni, & literarum obscuritati, successione longi temporis videbatur proximus, ut apparet ex defectu sui principii, & sui finis, utrinque enim paginæ duæ evulsæ, & deperditæ sunt, propterea ne tantum opus, & auctoris labor in nullam memoriam deveniant, exemplandi onus suscepi; commutando tamen characteres* Longobardorum *in* Latinos *nostros. Noli igitur mirari, si principium habet sine principio, & finem sine fine. Vale.*

apud Urbem *Romanam* eum ab honore privabat, quin etiam animos *Beneventanorum* sæpissime incitabat, ne præter licentiam Domini Papæ Archiepiscopatui consentirent. Tandem Concives hujusmodi deliramenta aspicientes, nec mora, fere centum nobilium,

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] Incultus, & semi quamvis barbarus, qui nunc recensendus mihi superest antiquus Chronologus *Falco*, nostratium nihilominus Historicorum mediæ ætatis ob fidelem, nec prorsus ineptam diligentiam facile Princeps, munere, ut ipse de se tradit ad an. 1133. & 1137. Notarius, & Scriba sacri *Beneventani* Palatii, tandemque sua in eadem patria urbe Judex, Chronicon, quod nunc principio, & fine mutilum habetur, exorsus ab anno mihi quandoque est visus 1077, in quo *Beneventanorum* Principum *Langobardorum* deficiente in *Landulfo 6.* successione, regi ea civitas cœpit a *Romano* Pontifice per Præfectos, vulgo tunc dictos *Rectores: post cujus Principis obitum* (inquit Anonymus S. *Sophiæ* Par. 3. Num. 15.) *recta est civitas per* Romanam *Ecclesiam*; namque in ejus demum devenerat potestatem ex causa exposita ab *Ostiensi* lib. 2. cap. 83. mihique ad Anonymum *Cassin.* ad an. 1051. cursim delibata. At cur ita putarem, in causa erat ipsius *Falconis* acephalus textus; qui ante omnia sermone abrupto præfert, *Beneventanos* fere centum viros, tum nobiles, tum honesto loco natos, quos *bonos homines* ipse Auctor appellat, *Romam* adiisse, ac Papam, sed frustra esse deprecatos, ut *Pastorem electum corroborare*, hoc est suo assensu robur ei, & potestatem dare *dignaretur*; quibus verbis de electo aliquo Archiepiscopo a *Beneventano* Populo, ac juxta Sacros Canones a Summo Pontifice confirmando, sermo ibi fieri videbatur; quod præfato anno 1077. contigisse conjectabam; quoniam in eodem Chronico proxime post dicta, ad annum scilicet 1107. notatur obitus *Beneventani* Archiepiscopi *Roffridi*, cui imputantur anni 31. menses 2. dies 20. indeque constare poterat, electionem a *Romano* Pontifice improbatam præcedere oportuisse præfati *Roffridi* sublimationem; qua ratione *Falco* suam describere Historiam ab exordio novi Archiepiscopi, simulque novi Pontificii regiminis convenientissime suscepisset; quam nunc haberemus ingenti hiatu ad annum usque 1103. fatiscentem. Rem tamen aliter se habere, postmodum judicavi; nimirum cum advertissem, *Petrum* Episcopum *Portuensem*, qui *Beneventi* tunc præsens, ut idem Auctor perhibet, *Beneventanos* in seditionem ob passam a Papa repulsam versos, eorumque arma vix effugerat, ad remotiora illa tempora minime referri posse; quibus *Portuensem* Episcopatum haud ipse obtinebat, qui ad eam dignitatem longe post evectus fuit a *Paschali* 2. sed *Joannes*. Opinionem itaque abjeci, saniorique consilio sum persuasus, *Beneventanos* Pastorem quidem, sed seculari, non autem Ecclesiastica potestate præditum, a Papa confirmandum petiisse, quem usitatiori vocabulo appellabant *Rectorem*; idque a *Falcone* metipso ibi simul exponi, non dubitavi: quandoquidem *Portuensis* ille Episcopus non multos post dies in gratiam rediens cum *Beneventanis*, ex eorundem petitione (verba sunt Falconis) *oravit Dominum Papam, ut Rectorem mitteret, qui*

A Rossemannum *Monachum Rectorem iterato constituit:* nimirum restituit, ut reor, quem *Beneventani* suscipere recusarant, unde processerat seditio; sicque lis ea omnis, ac jurgium conquievit. Verum enimvero de his cum ita statuam, haud tamen negaverim, Rectorem a *Beneventanis* electum dignitate Episcopum extitisse: namque ejus fautores demonstrabat *Falco*, dicens, civile bellum *inchoatum, eo quod pars Episcopi in Campanili* (Ecclesiæ Cathedralis) *ascendens, Palatium* Dacomarii (in inferiori urbis loco situm ad occidentem Hybernum, vulgo nunc dictum *la Commare*) *in quo Episcopus ille* (Portuensis) *morabatur*, B *fortiter expugnabat.* Rector itaque ille a *Beneventanis* expetitus, dignitate Episcopus fuit, idemque nomine appellatus *Riso*, ut idem exponit auctor. *Qui*, inquit, *ex parte* Risonis *videbantur, arma, & belli apparatus super Campanili imposuerunt.* Quocirca Rector a Papa interatò institutus cum fuerit monachus; observareque etiam in *Falcone* possimus, ejusdem urbis sæpius demandatam fuisse curam viris Cardinalibus, atque in anno 1120. *Rossemannum* Diaconum præfati *Rossemanni* filium ordinatum Rectorem a *Callixto* 2. nulla jam de Episcopo *Risone* tunc electo a *Beneventano* Populo reliqua nobis esse poterit C dubitatio. Haud igitur *Falco*, ut olim opinabar, *Beneventanam* Historiam, conjunctarum etiam rerum casus complectentem, ab excessu *Beneventani* Principis *Landulfi 6.* atque ab anno 1077: sed ex recentioribus est eam initiis auspicatus. Illa autem, nisi mea me iterum destituit conjectura, ea ipsa arbitror, quæ Pontificatus *Paschalis* 2. primordia etiam fuere, præsentemque *Falconis* textum uno, aut altero anno vix antecedunt; electus namque fuit *Paschalis*, *Urbani* 2. successor, mense *Augusti*, anno 1099. qui *in anno* 1102, *Indictione* 10. ut perhibet Romualdus Salernit. in Chronico, *simul cum* Apuliæ *Duce* Rogerio *obsedit* Beneventum *maximo cum exercitu: nec destitit,* D *donec eo, qui in eadem civitate principabatur, expulso, cepit ipsam civitatem.* Hos itaque suorum *Beneventanorum* casus adeo memorandos videri ne poterit *Falco* prætermisisse, qui eorundem Historiam per annos proxime subsecutos describendam susceperat? quique aliam opportuniorum scriptitandi occasionem nec seligere quidem valuisset? Quod nullo verisimili argumento inficiari cum possimus, consequens quoque est, ut credamus, una cum iis ab eo expositum, quis ille, *Romualdo* innominatus, fuerit Princeps, atque quo pacto, & anno, *Beneventanum* obtinuerit Principatum. At *Falconis* frustrata hæc vota haud prorsus irrita remanebunt; cujus defectus ex præfati E auctoris narratione, exque *Petri Diaconi* dictis suppleri utcumque poterit; qui in Auctario ad *Ostiens.* lib. 4. cap. 19. meminit cujusdam oblationis, quam circa annum 1098. fecerat B. *Benedicto*, ac Monasterio *Cassinensi* Anso *Rector* Beneventani *Principatus ad fidelitatem* Romanæ *Ecclesiæ, & nobiles viri fratres sui* Dauferius, *&* Atenulfus, Joannes, *&* Berardus, Petrus, & Alfanus *&* Luitprandus, *filii Donni* Dacomarii Beneventani *Præsidis.* Hic autem Rector *Anso* in ipso

lium, & bonorum hominum *Romam* miserunt, Dominum Papam precantes, ut Pastorem Electum corroborare dignaretur. Illi autem abeuntes, coram omnibus, videlicet in Sacrosancta Synodo, quam constituerat, eum indesinenter postulavere, quod minime obti-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

ipso Diplomate ejusce donationis, seu Præcepto, cujus Antigraphum extat in Registro ejusdem *Petri* pag. 283. non *Rector*, sed nuncupatur *Princeps:* quo etiam nomine est eidem Auctori ibidem dictus pag. 32. a ter. ubi recitatis literis, quas *Urbanus* 2. *Benevento* rediens *Romam*, dedit *Carissimo filio A.* Beneventanorum *Domino* (sic ibi) *apud* Ceperanum 3. *Non.* Novembris, eidem præcipiens, ut Monachorum *Cassinensium* jura super possessione Ecclesiæ S. *Sophiæ* ejusdem urbis sæpius examinata recognosceret, hanc notulam subjecit: *Sequenti anno*, inquit, *Papa defunctus est.* (scilicet in an. 1099.) Anzo *post biennium perdidit Principatum* (in anno 1101. quod *Romualdus* actum dicit anno sequenti) *& negotium istud eapropter mansit infectum.* Ista itaque gesta haud dubie initio sui Chronici fusius *Falco* exposuerat; quorum ordinem poterit nunc quisque pro arbitrio, ut verisimilius judicabit, conjectari. Verumtamen de meo hoc unum proferam, videri hunc *Ansonem*, sive *Anzonem*, ex Rectore, ut eum nuncupat *Petrus Diac.* in laudato Auctario, nomen Principis, atque dominium *Beneventi*, qua dissimulante, quà annuente Papa *Urbano* 2 usurpasse; qui illum non *Principem*, *sed* Beneventanorum *Dominum* in præfata epistola appellavit; idque a successore ejus *Paschali* nullo pacto fuisse toleratum: ex diuturniori enim ejusmodi Rectoratus Magistratu, quem *Ansonis* quoque pater *Dacomarius*, vir sane magni nominis, pridem obtinuerat, proclive ei fuerat receptam longissimo annorum curriculo in ea urbe, subinde civibus acceptissimam, concupiscere, & demum adipisci dignitatem. At *Falconis* Historiam pari propemodum fallacia, qua rebar eam ductam ab anno 1077, & ab exordio Archiepiscopatus *Roffridi*, productam ad *Guarmundi Beneventani* etiam Archiepiscopi initia, & ad annum 1142, in ejusdemque gratiam ab Auctore suo elucubratam, sum quandoque opinatus, quæ quidem nullo congruo fine in anno nunc subsistit 1140. Meaque mihi arridebat conjectura, quod ex *Baronii* observatione ad an. 1113. *Falconem* crederem, *in eadem* Beneventana *Ecclesia Clericatus munere functum*; qui eopse in opere ad annum 1124. Ecclesiasticum alloqui videbatur virum, atque in dignitate etiam constitutum, eum honorifico vocabulo Paternitatis compellans, inquit enim. *De miraculis autem, quæ ob prædicti patris nostri* Barbati *merita, honoremque* Iesus Christus *humani generis amator, nobis omnibus aspicientibus ostendere dignatus est, licet sermone inculto, Paternitati vestræ explicabo.* Et ad an. 1118. *De guerra,* inquit, Jordanis *Comitis supra memorati, si vestræ placuerit charitati, & Comitis* Rainulphi, *aliquid succincte narrabo*, parique ratione ad an. 1137. sic habet. *Aliud quoque non tegendum silentio fraternitati vestræ explicabo.* Atqui iis sane titulis, eaque dicendi forma haud decorum aliquem certum virum, sed quemlibet Lectorem modeste, & humaniter compellasse, censendus est: quippe ad an. 1114. id quamclarissime innuit, cum inquit: *Sed si Lectoris charitati asperum non videbitur, quod post illatam excommunicationem actum* Beneventi *sit, non prætereundum exarabo.* Et hanc itaque malesanam, sicut antecedentem, abjeci opinionem, de quo quid nunc statuam, nil prorsus habeo. I-

A pse autem *Falco* cur reputatus a *Baronio* fuerit clericali militiæ mancipatus, non equidem assequor; quem constat, ex laicali munere Notarii, & Scribæ sacri *Beneventani* Palatii, ut initio dixi, in Judicem *Beneventanum* adscitum: namque desitis Principibus, Curia *Beneventana* adhuc dici perseveravit *Sacrum Palatium*, ut ante annos tercentum Princeps *Arichis* instituerat; ac pleraque Palatina officia vel re, vel saltem nomine tenus remanserant, ut Comes Palatii: de quo idem luculentus testis est *Falco* ad an. 1114. & 1137. Cum autem ille se civitatis Judicem in anno 1133. ex consilio Rectoris, & Cardinalis *Girardi*,
B *Rolpotonis* Comestabuli, aliorumque sapientum civium factum, electumque prodit, perque Apostolicum *Innocentii* 2. Privilegium deinde confirmatum dicit, haud Prætorem definiendis litibus constitutum: sed in Decurionum, sive dicas Senatorum album credas relatum, qui per ea tempora plerisque in locis *Judices* appellabantur, unde etiamnum nobile *Capuæ* Forum servat antiquum ab ejusmodi Judicibus acceptum nomen. Et *Beneventanorum* quidem plurimorum Judicum frequens apud *Falconem* cum sit mentio, quos sæpe cum sapientibus viris conjungit, sæpe etiam ipsos absolute vocat sapientes: eorum tamen munus
C quamvis fortasse circa judicia quoque versabatur, ut *Cajetæ* olim observatum constat, cæteras nihilominus publicas contemplabat functiones; Pontificemque *Callixtum* 2. in an. 1120. *Beneventani* solemni pompa in suam urbem excipientes, *pedes ejus, & habenas equi cives quatuor a* Ponte Leproso *usque ad Portam S.* Laurentii (qua ab eo latere urbs aditur) *ducebant: deinde quatuor alii usque ad Episcopium: ab Episcopio autem quatuor Judices* Joannes, Persicus, ... (deficit Judicis nomen, qui tertio descriptus fuerat loco) *&* Landulphus *usque ad sacrum* Beneventanum *Palatium detulerunt.* Et in anno pariter 1137. *Judices* Beneventanæ *civitatis cum aliis civibus Regem*
D Rogerium *adeuntes, ad* Anacleti *fidelitatem, & ipsius Regis amorem civitatem submittunt* Beneventanam. Ad ejusmodi igitur Judicum ordinem, dicendum est, *Falconem* ex Notario fuisse evectum: pari ferme ratione ac vir nomine *Salernus* ex medico Judex *Salernitanæ* urbis legitur apud *Hugonem Falcandum* institutus, qui nihilominus medendi exercitia non deseruit. Et sane qui regendis civitatibus sua tunc ferebant suffragia, & præcipuum ordinem, ut olim Decuriones in Coloniis, *Romæ* vero Senatores, constituebant, Judicum nomine passim appellabantur; nam Rex *Guilielmus* 2. una cum matre sua *Margarita* lite-
E ras dans: Andreæ Stratigoto, *& Judicibus, & universo Populo* Messanensi, quas recitat idem *Falcandus*, universam urbem *Messanam* compellasse videtur; eodem pacto ac si antiquiori ritu dixisset. *Ordini, & Populo* Messanensi. Eandem formulam non alia mente pridem usurpavit Pontifex *Joannes* 8. cum Epistolam scriberet *Omnibus eximiis Judicibus, & universo Populo* Neapolitano, quæ inter ejus Decretales notatur num. 67. & simul in epist. 205. *Landulfum* assereret, *omnium Dei Sacerdotum, & Judicum, seu totius* Capuanæ *plebis voto, parique consensu*, fuisse electum ejusdem urbis Episcopum (stat. *seu.* hoc loco conjunctive pro. *&*. acceptione non infrequenti, ut
F opportuniori occasione exponam) Quorum quidem Judicum ordinem ex solis viris Patritiis con-

obtinere valuerunt. Videntes autem hoc, qui missi fuerant, indeque reversi corda aliorum movebant dicentes, Patres, Avos, Proavos nostros tantam injuriam passos nunquam fuisse. Sed quid plura? Qui ex parte *Risonis* videbantur, arma, & belli apparatus super campanili imposuerunt; audierant enim, quod *Petrus* ipse *Portuensis* Episcopus conjurationem fecisset, ut thesauros Ecclesiæ, & ejus bona virtute vellet diripere. Tunc Episcopus ipse in coclerio arma imponi aspiciens, tristis factus, suos vocari præcepit fideles, quatenus consulerent, quid super hoc tanto, talique negotio fieri debuisset. Interim bellum inchoatum est, eo quod pars Episcopi in campanili ascendens Palatium *Dacomarii*, in quo Episcopus ille morabatur, fortiter expugnabat; & Episcopi auxiliarii de Turre *Dacomarii* pugnantes invicem crudeliter præliati sunt, duo quidem juvenes in ipso conflictu animas reddidere. Postremo nocte adveniente, videns se Episcopus ipse circumventum, medio noctis silentio Monasterium S. *Sophiæ* cum quibusdam ascendit, ibique tempore non multo commoratus est. Præterea Cives metu coacti timentes, ne Episcopus ille eos apud Dominum Papam affligeret, eum coëgerunt, quoadusque eis fidem sacramento præberet, quod facturum promisit, oravitque Dominum Papam, ut Rectorem mitteret, qui *Rossemanum* Monachum Rectorem iterato constituit.

Anno 1103. XII. Indictionis.

Anno 1104. XIII. Indictionis.

Anno 1105. XIV. Indictionis, mense *Januario*, & *Februario* nix magna fuit, & fluminum inundatio, & stella Cometes ad Occasum apparuit: triduo enim post venit Papa *Beneventum*.

Sequenti anno obiit *Henricus Theutonicorum* Rex.

Anno 1107. mense *Septembri* I. Indict. obiit præfatus *Roffridus Beneventanus* Archiepiscopus, qui sedit triginta annis, & uno, mensibus duobus, diebus viginti.

In hoc anno, ipso mense *Septembris* obiit Abbas *Madelmus*, & hoc mense *Septembris* electus est *Bernardus* Abbas in festivitate S. *Angeli*.

Anno 1108. II. Indictionis sterilitas vini, mortalitasque animalium, & Papa *Paschalis* venit *Beneventum*, qui mense *Novembris* ordinavit *Landulphum* Archiepiscopum.

Anno 1109. III. Indictionis obiit *Formatus*. Pascha accidit VII. Kalendas *Majas* [1], & secundo die intrante mensis *Novembris* combustus est thesaurus S. *Mariæ*.

Anno 1110. IV. Indictionis *Henricus* Rex venit *Romam*, qui fraude, & dolo Papam *Paschalem* cepit, & Cardinales mense *Februario*. Eodem mense Dux *Rogerius* obiit, & *Boamundus* germanus suus [2].

Anno 1111. V. Indictionis.

Anno

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

stitisse, idem indicat Pontifex epist. 206. de eodem electo Episcopo ad *Guaiferium Salerni* Principem scribens, ac *Nobilium* appellans *Catervam*, quos in antecedenti *Judices* nuncupaverat. Hi tamen peculiari consuetudine tum *Neapoli*, tum *Cajetæ*, tum quoque *Pisis*: sed dispari nonnihil observatione, non hoc loco apte exponenda, dicti fuere *Consules*, unde nostro *Falconi* ad an. 1134, Alzopardus, *&* Canis *Consules* Pisanorum, deque *Neapolitanis* Consulibus aliis relata, sed non huic fini, nec modo succurrit quam bene exposita, obvia sunt exempla, quæ nunc repetere, non est opus. Haud tamen omittam, bis dici Anastasio Bibl. in *Hadriano Judices Cleri*, & *Judices Militiæ*, qui eidem ibi nominantur *Primates Ecclesiæ*, & in *Stephano* 2. *Optimates Militiæ*: utrumque nimirum *Romani* universi Populi ordinem, hoc est Ecclesiasticum, & Laicalem, Cleri, & Militiæ vocabulis denotans. Quos quidem Optimates ab præfato *Hadriano* obviam missos credam *Carolo Magno Romam* adventanti, cum *direxit in ejus occursum*, ut idem loquitur, *universos Judices ad fere triginta millia ab* Romana *urbe*; cujus itineris spatium ad numerum Judicum retulisse videtur parum lectioni attentus *Platina*, legendumque judicasse. *tria millia*: qui nec sic devitans immodicum cœtum Judicum, vocatos censuit hoc nomine eos, *qui nequaquam sordidis artibus impli-*

A *citi essent*, sed acceptione nunquam omnino observata. Deque his ipsis Judicibus, sive optimatibus Militiæ, idest Laicalis Populi *Romani*, capio Petrum Diac. in Auctar. ad *Ostiens.* lib. 4. cap. 37. qui eos ab dignitatibus, muneribusque appellat, *Bajulos*, *Cereostatarios* (sic ibi legendum, non. *Cereostarios*) *Stauroferos*, *Aquiliferos*, *Leoniferos*, *Lupiferos*, *Candidatos*, *Defensores*, *&* *Stratores*. Ex quibus intelligere erit, Judices non semper ad Judicia referendos esse, nostrumque simul *Falconem* haud Ecclesiasticorum Judicum consortio fuisse aggregatum, qui non *Cleri*, sed *civitatis* se Judicem affirmat institutum.

B Sed in his diutius jam non moror.

[1] *An.* 1109. *III. Indictionis obiit* Formatus. *Pascha accidit VII. Kalendas* Majas.] Annorum, Indictionumque hi non cohærent numeri; eademque disconvenientia præsens Chronicon laborat ab omnium primo, quo prænotatum habetur anno, ad an. 1112. Castigandas autem esse Indictiones, quæ rectum calculum unitate excedunt, tum ex iis, quæ infra dicam, tum ex die Paschatis hic descripto, palam constat. Namque in anno 1109. vere Pascha celebrari contigit VII. Kal. *Maji*, quod tempora subducentes non latebit.

[2] *An.* 1110. *IV. Indictionis.* Henricus *Rex*

C *venit* Romam, *qui fraude*, *&* *dolo Papam* Paschalem *cepit*, *&* *Cardinales mense* Februario. *Eodem mense Dux* Rogerius *obiit*, *&* Boamundus *germanus suus*] Ex recta antecedentium, & subsequentium annorum in præsenti Chronico descripta

. Anno 1112. VI. Indictionis mense *Martio* Papa *Paschalis* faciens *Romæ* Synodum fregit pactum, quod fecerat cum *Henrico* Rege [1]. Hoc anno inceptum est ædificium, vel ædificari Oratorium Sancti *Bartholomæi* Apostoli. . . . . . .

His & aliis ita decursis cernentes *Beneventani* se variis prædarum doloribus affligi, consilio habito, *Landulphum* Archiepiscopum, & *Joannem* Judicem ad præfatum Apostolicum delegaverunt, quatenus Cives illos tanta oppressos calamitate ad portum salutis erigere dignaretur; præcipue cum plerique *Beneventanorum* Civitatem intrinsecis conspirationibus sæpe turbavissent; scilicet quod alii *Landulphum Burrellum*, alii *Ansonem* Civitatis Rectorem sine Domini Papæ voluntate constituere satagebant. Apostolicus autem hæc audiens, nec mora, secundo die intrante mensis *Decembris* advenit *Beneventum*, qui mense *Februario* Synodum constituit. Synodo autem facta, cum in Sacro *Beneventano* Palatio assisteret, prædictamque conspirationem factam pro parte illius *Landulphi Burrelli* deprehendens, Concives vocari jussit, a quibus, quid agendum esset super hoc tanto, & tali negotio, subtiliter sciscitatus est, quomodo, ut diximus, conjuratio illa ad traditionem Civitatis, & detrimentum fore videbatur: & quod quidam Civium pro ipsius *Landulphi* auxilio turres Portæ summæ noctu cepissent; indeque munitionum ipsarum custodum ejicientes una tantum nocte eas virtute tenuerunt. Tandem, Deo opitulante, & *Beneventanorum* complurium fidelium solatio, quorum mens erat sanior, turres ipsæ vendicatæ sunt, & B. *Petro* restitutæ. At cives ipsi tale Domino Papæ dedere responsum, ut, quos suspectos haberet, vocaret, & ab eis pleniter

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

scripta serie hic plane est annus 1110. At ei non Indictio quarta, sed tertia: nec quos *Falco* appingit, competunt eventus, sed anno 1111. In antiquo *Vaticano* Codice apud *Baronium* captus notatur *Paschalis* ab *Henrico*: *Mense* Februario, *pridie Idus, anno Dominicæ Incarnationis* 1111. *Indictione* 4. *die Dominico*; cui antiqua monumenta prorsus omnia, & auctores consentiunt; sibique invicem bene congruunt temporum hi Characteres. *Rogerii* etiam Ducis, & *Boëmundi* obitum nec in antecedentem referunt annum *Petrus Diac.* in Auctar. ad *Ostiens.* lib. 4. cap. 40. *Romualdus Salernitanus*, Anonymus *Cassinensis* a me recensitus, & qui recentissime mihi innotuit, perque me post has Castigationes lucem primum aspiciet Ignotus, & antiquus civis *Barensis*, Chronici *Lupi Protosp.* fere Paraphrastes; qui præterea *Rogerium* mense quidem *Februarii*, ut hic dicitur; sed *Boëmundum* mense *Martii* defunctos notat, eique adstipulantur Emortualia Monasterii *Cassinensis* edita a *Caracciolo*. Minime itaque receptam aliis annorum supputationem servasse, censendus est *Falco*; qui sane haud annos ab *Januario*, sed a *Martio* auspicari deprehenditur; namque singulis fere præpositis annis mensem statim subjicere solet *Martium*; & quæ per *Januarium*, & *Februarium*, perque initia etiam *Martii* acciderunt, in eundem constanti tenore conjicit annum, in quem retulerat ea, quæ per menses contigerant anteriores. Sic nimirum ad annum observat 1112. ubi de *Paschali Beneventum* adveniente mense *Decembri*, ibique Synodum celebrante in *Februario*: nec non ad an. 1117. ubi de eodem Pontifice aliam Synodum ibidem habente mense *Aprili*, diem vero obeunte 11. Kal. *Februarii*. Et ad an. 1129. ubi de Pontifice *Honorio* eadem in urbe consecrante *Franconem* in Abbatem S. *Sophiæ* mense *Augusti*, ac decedente in *Februario*. Et præterea ad ann. 1121. 1127. 1130. 1131. 1132. 1135. 1137. & 1140. annos tum ultra *Decembrem* producit, tum ut dixi, ad *Martium* usque extendit etiam inchoatum; qui tamen col. 526. & ad ann. 1138. diem quartamdecimam, & decimamquintam prædicti mensis & ad ann. 1118. diem secundam novo anno imputat; ita ut annos non ab die, qua *Verbum caro factum est*, vigesimaquinta nimirum *Martii*; nec a die Nativitatis, vel Circumcisionis se ducere prodat; quos nihilominus ab communi Epocha ducit Nativitatis, ac juxta communem calculum congruas eis assignat Indictiones. quo sane pacto tertiam, non quartam Indictionem, ut editus Codex depravate repræsentat, rite adscripsit anno 1110; eamque pari passu ad *Martium* produxit anni sequentis; nec de cætero est sincerior alia lectio ibi expetenda.

[1] *Ann.* 1112. *VI. Indictionis Mense* Martio, &c.] Rescribe *V. Indictionis*, quod exigit temporum ratio superius exposita; & insuper Card. Baronius testatur ad an. 1140. sic haberi in hujus Chronici antiquo exemplari: Falco Beneventanus, inquit, *Chronicon suum in hunc usque annum perduxit, cœptum ab anno Redemptoris* 1112. *quinta Indictione.* At de ejus exordio sic quidem ibi pronuntiat: ad annum tamen 1113. ductum ipsum ait ab anno hoc ipso, perque annos dumtaxat 27, ad annum usque 1140. productum; ita ut antecedentium, quæ suo operi inutilia, & per se tum mutila, tum nimis jejuna esse cognoverat, nihili fecisse videatur. Cæterum in Falcone e verbis illis: *Hoc anno inceptum est ædificium, vel ædificari*, &c. expungendum est τὸ *ædificium.* quod orationi non quadrat, redundatque glossula; cum sit compendiati verbi. *ædific.* Apostolicus autem, hoc est *Romanus* Pontifex tunc *Paschalis* 2. *Beneventum*, ut *Falco* perhibet, cum advenisset initio Mensis *Decembris* hujus anni 1112. Synodum deinde ibidem celebravit in *Februario*, scilicet communis sequentis anni 1113. hisque consonat *Petrus Diac.* in Auct. ad *Ostiens.* lib. 4. cap. 48. qui præsentem adventum *Paschalis* in has partes numero facit secundum, priorem statuens in anno 1108. mense *Octobri*, ut tradit lib. eod. cap. 33. adsertoremque nostrum habet *Falconem*, dicentem tunc illum mense *Novembri* ordinasse *Landulfum* Archiepiscopum *Beneventi.* Quocirca hoc anno ab eodem Pontifice *Beneventum* pergente consecratam credam in urbe nuncupata S. *Agatha Gothorum*, Ecclesiam S. *Mennæ*, quam construxit *R. Comes*, hoc est *Robertus* filius *Rainulfi*, *Petro. Diac.* memoratus præfato lib. 4. cap. 25. licet in lapide, operis sane antiqui, nec imposturæ indicium præferente, ibi posito, legerim eam actam *anno ab Incarn. Dom.* MCIX, II. *Non.* Septembr. *Indict. quarta per manus Dom.* Paschalis *secundi PP.* quæ præterea temporum consignatio haud sibi constat; nec *Paschalem* eo anno, & mense ad nos accessisse, est qui prodat.

ter justitiam sumeret. Quid plura? Curia ordinata, vocantur malorum fautores, vocantur suspecti; tandem legitime sententia extensa, quosdam captos vidimus, quosdam ejectos, & domos quorumdam fisco deditas, quorumdam destructas. Istis taliter actis

Anno videlicet 113. supra millesimum, & XIV. anno Pontificatus supradicti Domini Papæ mense *Martio* VI. Indictionis Dominus ipse Apostolicus Civitatem *Beneventanam* variis prædarum persecutionibus ex omni parte oppressam aspiciens, & Civium bona a *Normandis* undique vicinantibus quotidie distrahi, & confundi cognoscens, consilio habito, *Landulphum* de *Græca* militem præstantem, & solertem Comestabulum *Beneventanorum* instituit [1], quatenus, Deo adjuvante, & ipsius prudentia Civitas a prædarum solita confusione, quæ sæpissime imminebat, & a conspirationum seditione contra Dominum Papam crebro erecta, secura in progenie, & progenies consisteret: cognoverat enim eum prudentem, & animosum, sagacisque ingenii virum, cujus auxilio, & solertia nedum *Beneventanorum* populus sibi ad regendum commissus, verum etiam pleraque *Langobardorum* habitatio a *Normandorum* servitute affligentium eripi, & liberari confidebat; Erat quippe *Landulphus* ipse bellicosi spiritus, & minorum injurias non patiens, inimicis omnibus quotidie minabatur. Nam si quis inimicorum illi injuriam, vel prædam inferret, mori prius velle desiderabat, quam impunitus aliquo modo inimicus recederet. Quid plura? *Landulphus* ipse Comestabulus, ex omni parte, virtute, & scientia redimitus colla nulli minantium flectere dignabatur. Cumque sicut prædictum est, *Landulphus* ille, Comestabiliæ honorem a supradicto Domino Papa *Paschali* acciperet, videns Castellum, quod quidam *Robertus*, qui *Sclavus* cognominabatur in monte *Sableta* construxerat, vir omnis malitiæ, & nequitiæ studio repletus, anxiando cum eo loquutus est, ut castellum illud destrueretur. Ob *Beneventanorum* enim guerram, & inimicitiam Civitatis, Castellum illud *Robertus* ipse construxerat mirabile, valdeque laboriosum. Ex cujus Castri residentibus multa Cives opprobria, damnorumque copiam perpessi fuerant, ita quidem, quod quidam concivium pro ipsius Castelli ædificio prædia, & possessiones, quas circa eundem montem habuerunt, perdidere. Castello itaque mirabiliter constructo, illic residentes cum ipsius *Roberti* servientibus quandoque *Beneventanos* capiebant; quandoque, quod crudelius est, peregrinis vitam cum eorum bonis auferebant. Prædictus igitur Apostolicus hæc *Romæ* audiens *Robertum* illum excommunicavit, donec Castellum illud Civitati contrarium delevisset, quod facere ipse *Robertus* contempsit. Quid plura? *Landulphus* ipse de *Græca* Comestabulus ordinatus, cum prædicto *Roberto* pactum incipiens, ipse quod cum prædicto Papa facere noluerat, Castellum illud destruxit, & funditus delevit, duobus videlicet equis optimis, & ducentis solidis datis. Deinde *Landulphus* ipse Comestabulus pactum cum Comite *Jordano* sacramento affirmans, quotidie virtutibus, & laudis præconio attollebatur.

Robertus itaque Princeps, & *Robertus*, & *Jordanus* Comites Castellum illud sic destructum, & *Landulphum* illum Comestabulum de die in diem virtute, & divitiis repleri aspicientes, invidiæ zelo ex odio *Langobardorum* perculsi, putantes se illius prudentia exhæredari, cum omnibus *Normandis* ex omni parte vicinantibus conjuravere, affirmantes se guerram *Beneventi* facturos, & prædam, donec *Landulphus* ipse *Beneventanorum* Comestabulus videretur. Sacramento ipso taliter confirmato innumeris cum militibus, & peditibus super *Beneventum* venerunt, duodecimo die intrante mensis *Augusti*, & in monte, qui *Guardia* dicitur, die una tantum, ac nocte castrametati sunt, credentes & illum ejicere, & Civitatem omnino depopulari, sed die ipso, quo applicuerunt, bellum inchoantes & superati sunt, & quidam eorum capti. Nocte autem insecuta, timore cælesti, & *Beneventanorum* terribiliter commoti, more latronum per devia fugientes, existimabant se nocte ipsa a *Beneventanis* capi, & turpiter teneri. Ita quidem ut sicut ex ore eorum complurium narrantium auditum est, si Comestabulus ipse

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Anno videlicet* 113. *supra millesimum.* &c. Landulphum *de* Græca, *militem præstantem*, & *solertem*, *Comestabulum* Beneventanorum *instituit*] Baronius hoc loco, & ad an. 1114. ex hoc Auctore appellat: Landulphum *de* Græcia. quod gentis nomen natum suspicor ab dominio oppidi olim *Græcia* nuncupati, in terra *Beneventana*, ut legitur in Regiæ Siclæ Tabulario; idque varie pronunciatum reor, qui a *Falcone* videam ad an. 1121. memorari *Gerardum* de *Græcis*; & ad an. 1137. *Thadæum* de la *Græca*, nobiles utique viros *Beneventanos*. Porro *Landulfus* honorem Comestabiliæ a Papa *Paschali*, nescio an dicam adhuc in hoc anno 1113. apud *Beneventum* commorante, accepisse videtur mense *Martii*; qui anno sequenti (cum ipso dicam Falcone) *posita Comestabilia domum secessit eodem mense, quo ordinatus est: unius solummodo anni spatio in honore perseverans.* Et vero haud hoc anno *Paschalis Beneventi* manens literas dedit 15. Kal. *Aprilis* ad Patriarcham *Antiochiæ*, a *Gvilielmo Tyr.* relatas lib. 11. cap. 27. sed in an. 1117. ut dicam post; qui alias etiam recitat datas ab eodem Pontifice eadem die ad Regem *Hierosolymitanorum*, non *Beneventi*, sed apud *Lateranum* commorante, manifesta contradictione, aliis non observata.

ipse cum *Beneventanorum*, & militum caterva Ecclesiam S. *Angeli* ad crucem transcenderet, vel vocis alicujus sonitus audiretur, & hostes, & hostium apparatus stipendia *Beneventanorum* in manibus proculdubio traderentur.

Illis autem *Normandis* sic abeuntibus, *Landulphus* ipse de *Græca* Comestabulus, inimicorum non ferens impugnationes, vicem reddens pro acceptis, haud mora, militum fere centum, & octuaginta numero armatorum collecto, & civium circiter quatuor millia multitudine congregata, Castellum, quod *Terrarubea* dicitur, adivit, quod igne, ferroque terratenus prostravit: ipsiusque Castri incendio *Robertus* quidam de *Sicilia* dictus, combustus obiit; sicque innumerabilem animalium, & aliarum rerum substantiam *Beneventum* magno cum gaudio perduxere. Non post multum vero temporis, iterum collecta Equitum, & Concivium cohorte, *Landulphus* ipse Castellum *Apicem* insilivit, cujus Castri, & molendina destruxit, & prædam animalium secum gaudens asportavit.

His omnibus ita perfectis, guerra *Normandorum* quorum mentionem fecimus durius incepta est; in qua *Landulphus* innumeram auri, & argenti copiam, & equorum distribuit. Interea dum Comestabulus ipse cum militum caterva prope pontem *Serretellæ* pro inimicorum insidiis custodisset, en adsunt equites *Roberti* Comitis fere quinquaginta, qui & pro dolo Civitatis inter fruteta morabantur. Quid dicam? insidiis ex utraque parte propalatis, conflictus inter eos habitus est. Tandem Dei misericordia superveniente, pars inimicorum terga vertens, in fugam conversa est, adeo quod de eorum equitibus duodecim captivos Comestabulus ipse cum armis omnibus eorum duxit. Præterea sicut diximus, guerra ex utraque parte fortiter inchoata, sæpissime hinc, & inde deprædatum est. Contigit autem die quadam, *Rao*, qui erat Dominus Castelli *Ceppalunis*, cum *Landulpho Burrello*, & aliis fere centum quinquaginta militibus, & peditum multitudine ad frangendam, ut ita dicam, arcaturiam ivit [1]. Cumque Comestabulus sic frangentes eos flumen *Sabbati* vidisset, tantam non ferens audaciam, in medium campi ad Ecclesiam sanctorum *septem Fratrum*, stipatus militum collegio exiit; ubi ad invicem decertatum est; sed peccatis supervenientibus pars Comestabuli ab insidiis inimicorum decepta, per planitiem illam persecuta corruit; ita quod duodecim milites Civitatis nobiles cum omni armorum apparatu, retenti sunt.

Istis omnibus, & aliis sic decursis, inimici omnes, qui pro guerra conjuraverant, videntes Comestabulum ipsum colla eis non flectentem, eis potius minari, & *Beneventanos* eum, & ejus præcepta jugiter sectari, cæperunt Civitatem plus solito distringere, præcipientes, ut omnes, quas possent, vineæ circum astantes inciderentur. Quod & factum est: insuper pauperes, aliosque Viros, quos invenirent, caperent: sententia quorum divulgata, plerique hominum capti sunt.

Anno 1114. mense *Martio* VII. Indictionis, dum vineæ sic incidebantur, & capiebantur homines, *Beneventanorum* quidam, invidiæ gladio compulsi miserunt ad prædictum Papam *Landulphum* Archiepiscopum, & *Rachisium* Sancti *Modesti* Abbatem, ut ei necessitatem ex omni parte, quam patiebantur, intimarent. Ipsi autem abeuntes, quam viderant afflictionem Domino Papæ patefecerunt, eum lacrymando precantes, ut gregi commisso sicut pastor bonus subvenire dignaretur. Necessitate autem Domino Papæ ostensa, eis præcepit, ut pacem Civitati, prout melius potuissent, facerent [2], & pauperibus subvenirent, ne *Petrus* Apostolus Civitatem acquisitam occasione perderet; quicquid autem de pacis consilio invenissent, ipsi remitterent. Archiepiscopus vero *Roma* reversus aliter quam acceperat, faciens, misit *Landulpho* Comestabulo dicens, ut condolens necessitati pauperum Comestabiliam deponeret, quoad usque Dominus Papa *Beneventum* veniret. Postea verò aut pretio, servitiisque, seu, civium precibus Papam ipsum precarentur, eumque honori pristino redderent: dummodo *Normandi* pacem facere nolint, sacramento, ut dictum est, eorum interveniente. *Landulphus* autem Comestabulus hoc audiens, in sacro *Beneventano* Palatio coram B. *Petri* fidelibus respondens ait, se nunquam Comestabiliam dimissurum, nisi manu ad manum captus esset, & per vim retentus. Insuper videre vellet, quam *Normandi* pacem *Beneventanis* facere voluissent, & Domino Papæ pacem ipsam descriptam delegaret, quicquid autem de pace præciperet, vel de Comestabilia ponenda ipse Domi-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Contigit autem die quadam* Rao &c. *ad frangendam, ut ita dicam, arcaturiam ivit.*] Palorum sepem in publicum, privatumve commodum structam ad arcendam, constringendamve perennis fluminis aquam *Falco* populari tunc vocabulo, plerisque etiamnum in locis usurpato, appellat. *Arcaturiam.*

[2] *An.* 1114. *Mense* Martio &c. *Necessitate autem* Romano *Papæ ostensa, eis præcepit.* &c.] Baronius legit. *Necessitate enim Domnus Papa eis præcepit.* &c. ex Auctoris plane idiotismo, optimoque ejusdem exemplari, quo est usus; a cujus tamen fide videtur alicubi discessisse, aliquantoque concinnius, & ad *Latinam* magis normam dictionem composuisse. Singula nunc non prosequar ejusmodi loca, sed ea tantum, quæ peculiarem exigent observationem, eritque mihi satis, indicium fecisse.

minus Papa coram omnibus faceret se executurum. Qualiter autem in sacro *Beneventano* Palatio Comestabulus ipse affuerit, retexam: Cum sicut prælatum est, Archiepiscopus *Roma* reversus fuisset, cum quo & *Petrus Portuensis* Episcopus, & *Romualdus* Diaconus, Sanctæ *Romanæ* Sedis Cardinales ab ipso Papa missi pro pace invenienda fuissent, absque mora, in ipso eorum adventu, eisque nondum hospitatis, populus ferina mente commotus Palatii *Dacomarii*, in quo Comestabulus habitabat, ascendens vociferabatur, dicens, quod pacem desideratam, nisi cito feceritis, omnino gladiis acceptis per plateas moriremur: Insuper minas, & opprobria Comestabulo inferebant, dicentes, eos pro unius hominis Comestabilia guerram passuros non esse, & sic turpiter vitam finire. Alia quidem die surgente, pars Archiepiscopi arma, & belli apparatus super Campanili imposuit, quatenus *Landulphum* armis, & lapidibus debellatum ejicerent. Seditionem itaque populi *Portuensis* Episcopus deprehendens cum eodem Comestabulo, & fidelibus B. *Petri* curiam Principis advenit, ibique in conspectu omnium taliter allocutus est: Afflictionem, & famis penuriam, quam diu pro fidelitate B. *Petri* passi estis, & patimini, Dominus noster Papa, & a quibusdam audivit, & ab Archiepiscopo deprehendit; unde sciatis eum toto mentis affectu contristari, & super audita mirabiliter dolere. Iccirco nos, & Archiepiscopum vestrum delegavit, quatenus, Deo adjuvante, pacem consequi valeatis. Propterea fidelitatem vestram monemus orando, ne superbia, aut furore moveamini, dum nos cum aliis sapientibus viris, pacis consilium vobis necessarium invenire possimus, tam enim grave, & laboriosum negotium nemo præcipiti animo agere poterit. Ideo nemo armis superveniat, quatenus, si Deo placuerit, pacem omni furore deposito invenire mereamur. Hæc, & alia hujusmodi eo loquente, vox populi ad sidera tollitur dicentis: Orationes istas, quas funditis, nos ullo modo audire non possumus, nisi pacem citissime nobis dederitis. Tunc alio die adveniente, populus dilationes, & inducias, quas ponebant non ferens, domum *Persici* Judicis aggreditur, quam ex toto destruxisset, sed quorundam amicorum auxilio evasit. *Portuensis* igitur Episcopus seditionem populi placare non valens, aurora alterius diei surgente recessit, Comestabulo præcipiens, ut Palatium Principis ascenderet, & sic populi sævientis rumorem evaderet: qui jussui ejus favens, taliter sacrum Palatium habitavit. Sed redeamus ad causam.

Archiepiscopus autem dicta Comestabuli audiens pacis firmamentum ordinatim describens, sicut postulaverat, ei mandavit. Audita namque serie scripturæ pacem continentis, ait Comestabulus, en pacis firmamentum optimum est; nunc Domino nostro mittatur, & sicut imperaverit, assequamur. Interea Archiepiscopus ipse, & Vir quidam nomine *Fulco*, in Episcopio sæpe complures Civium convocans dicebat: Nos Domino Papæ vestram patefecimus necessitatem, a quo & accepimus, ut finem cum *Normandis* faceremus; iccirco superfluum videtur pacem descriptam ad eum remitti. Civium verò quidam aliarum inimicitiarum odio repleti, animos aliorum incitantes palam exclamabant, se pro illius Comestabilia guerram passuros non esse. Consilio habito conjuraverunt intra Episcopium, quod *Landulphum* illum de *Græca* Comestabulum esse non consentient, exin, & dum Dominus Papa cum consilio *Nortmandorum* illum honori non reddidisset. Sacramento taliter eo invento, Archiepiscopus prædicto Comestabulo Episcopum *Abellinensem*, & quosdam Presbyterorum misit, ut honorem dimitteret, sicut dictum est, qui & similiter respondit. Deinde alia die Sabbati XIV. die intrante mensis *Martii* Comestabulus cum suorum caterva armatus in medium plateæ exivit dicens; quod videre vellem eos, qui me de Palatio, & honore ejicere minantur. Laudabilius quidem est sic animam reddere, quam ita turpiter, aut auri pondere promisso obstrictum, honorem acceptum dimittere. Audito igitur Archiepiscopus belli apparatu, & campana Palatii tristiter sonante, suos jussit vocari fautores, ut cum *Normandis*, quam posuerat pacem firmarent; si autem Comestabulus ipse resistere vellet, paratos eos haberet. Interim pars Archiepiscopi domum cujusdam fidelis Comestabuli aggreditur, quia eis non consentiebat; quod Comestabulus audiens, ut domum aggressam defenderet properavit, sicque eo viso bellum inceptum est civile, in tantum quod alii per campanilia, alii per tecta domorum, atque alii per plateas pugnarent. Postremo pars Archiepiscopi, fortuna conversa, victoriam capiens, Comestabulum illum cum suis usque ad palatium Principis secuta est, quosdam autem ex utraque parte vidimus vulneratos. Comestabulus itaque se in Palatio recipiens parumper ibi moratus est, donec Archiepiscopus ei fidem dare deberet in persona videlicet sua, & suorum sequentium. Cives interea protelationem hanc non ferentes, & quod sitibundo pectore pacem quærebant optatam, ei lapidibus minabantur, ut si cito de Palatio non descenderet, eum vi caperent, & membratim illum perimissent. Ipse autem *Landulphus* se circumventum aspiciens, se Archiepiscopo, & Civibus reddidit: insuper jurejurando firmavit, quod Comestabiliam, & Rectoraticum, aut aliquam Baliam publicam non acciperet, nisi bona voluntate Archiepiscopi, & *Roffredi* Archipresbyteri, & *Arechisii* Archidiaconi, & *Roffridi Foli-*

gaderi-

gaderisii, & *Roffridi* a *Porta aurea* [1], & *Gervasii*, & *Vitalis* filii *Joannis Galli*, & quod malum meritum Archiepiscopo, & omnibus *Beneventanis* non redderet, & si aliquis reddere vellet, disturbaret sine fraude, & malo ingenio. Quo facto, & a militibus, qui eum sequuti sunt, hujusmodi fides accepta est, & sic unusquisque ad propria remeavit, & *Landulphus* ille de *Græca* domum posita Comestabilia secessit, videlicet eodem mense *Martio*, quo ordinatus est, descendit, unius solummodo anni spatio in honore perseverans. Alia autem die surgente Dominica, postquam hæc peracta sunt, Comes adveniens *Robertus*, cum militum, & peditum multitudine in capite *Pontis majoris* sacramento ipse, & *Rao* Dominus *Ceppalonis*, & *Ugo* de *Castellopotonis* pacem promissam cunctis vitæ eorum diebus, confirmaverunt. Idipsum etiam *Jordanus* Comes, & *Robertus Sclavus*, & *Girardus* de *la Marra* juraverunt. Cumque sicut supra relatum est Archiepiscopus in persona Comestabuli, & aliorum videlicet militum, peditumque, velut ipse postulaverat securitatis verba dedisset, domum honore posito adiit, ipso namque Archiepiscopo, & *Beneventanis* videbatur, quod pacem diu desideratam lucrarentur. Deinde Comestabulus securitate accepta domi residens existimabat nihil aliud proculdubio agere, quam erga suam animam securiter impendere; erat enim, ut fati sumus, graviter vulneratus. Amici igitur ejus, & B. *Petri* fideles, quorum mens super illius contumelias, injuriasque fideliter contristabatur, die, noctuque, licet non in propatulo eum solabantur; hortantes, ne animus ejus circa accepta tristis foret, cum hæc quæ viderant, quæque facta super eo fuerant pro Beati *Petri* fidelitate perpessus fuisset. Archiepiscopus autem, ejusque fautores hæc audientes, suspicione quadam repleti, sperantes *Landulphum* consilium pro Comestabilia reintegranda accipere, ei sæpe, sæpiusque miserunt, ut Civitatem exiret, & amicorum consortia desereret, dum Dominus Papa eum, qualiter præmissum est, honori solito reddidisset. Tunc Comestabulus verba ferentibus, aliisque Concivibus palam exclamabat, quod super hujusmodi verbis miramur omnino, cum ab omni *Beneventanorum* cætu coactus Comestabiliam dimiserim, & promissam ab Archiepiscopo securitatem circa nos versari quoquomodo non viderim. Tandem Comestabulus populi sævientis videns pertinaciam, magis, magisque inflammari, consilio habito die Dominica in Ramis palmarum, aurora scilicet surgente, *Montemfuscum* paucis cum militibus expetivit. Deinde Archipræsulis conjuratio nondum perfidiæ inchoatæ fidem tribuens, *Joannem*, & *Persicum* Judices, aliosque Nobilium, & bonorum hominum sacramento perstrinxit, quo Comestabulus ipse juraverat, aliosque Civium timore omni remoto, putant eos inimicitiarum merita eis retribuere allegavit. Cumque istiusmodi facti, ultra quam credi potest, nefandi, prædicti Apostolici aures fama tetigisset, tactus dolore intrinsecus super dilecti filii sui Comestabuli expulsione, lacrymis, sicut audivimus, manantibus, spiritu infremuit, qui confestim Archipræsulem *Landulphum* ab omni, quod acceperat a Sede *Romana* officio coram omnibus deposuit, similiterque omnes suos sequaces anathematis vinculo, donec satisfecerint, alligavit. Sed si Lectoris charitati asperum non videbitur, quid post illatam excommunicationem actum *Beneventi* sit, non prætereundum exarabo. Deum enim testor, nihil aliud posuisse, præter quod viderim, & quod audiverim scripsisse.

Tali igitur anathematis sententia in B. *Petri* adversarios longe, lateque divulgata, delegavit præfatus Apostolicus *Beneventum Anastasium*. . . . & *Albanensem* Episcopum Cardinales *Romanæ* Sedis idoneos, cupiens, quid *Beneventanus* populus in animo haberet cognoscere [2]. Cardinalibus autem ipsis hospitatis, triduo post cætus omnis *Beneventa-*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] Roffridi Foligaderisii; & Roffridi *a* Porta Aurea] Scribo. *Roffridi Fili Gaiderisii*, qui ad an. 1130. absolutè dicitur. *Roffridus* de *Gaiderisio:* sic enim ibi legendum est; non autem de *Garderisio*. quippe apud *Langobardos* proprium virile nomen fuit *Gaideris*, quod *Latino* magis ore enunciabant. *Gaiderisus*, & *Gaiderisius*. Atque ex hoc *Falconis* loco intelligere est, quo pacto parentum nomina in filiorum, & in universæ tandem stirpis cognomina frequentissime olim transirent: nimirum quoniam ex genitorum nominibus gnati sic, vel sic communi quadam consuetudine denominabantur, ut ab aliis consimili appellatione in gente, vel in vicinia nuncupatis facilius discernerentur; quæ semel indita cognomenta firmius eis cum inhærerent, gentilitia demum devenere, haud tamen contracta illa vocula. *fili.* semper expressa, de quo exempla obvia sunt A satis. Plurima autem talia gentilitia ex parentum nominibus exorta cognomina facillime ab omnibus nunc cum internoscantur; sunt tamen nonnulla, quæ nisi antiquitatis peritioribus, nec iis omnia quidem, patent; nam propria illa vocabula ab communiori usu cum jam recesserint, vulgus haud ex ipsis, sed vel ex alia, vel ex ignota origine gentilitia processisse putat. Sed redeo ad *Falconem:* apud quem est hoc loco *Roffridus*, & ad an. 1119. *Alferius* cognomine dictus. *A Porta Aurea*,' quod genti inditum eadem plane occasione conjicio, qua apud *Salernum* nobilis quædam stirps a *Portæ Rotensis* custodia denominata fuit *De Porta*: promiscue enim Portæ urbium olim a suis custodibus, ut alibi exposui, B nomina desumebant; eisque sua aliquando impertiebantur.

[2] *Delegavit præfatus Apostolicus* Beneventum Anastasium. . . . . . & Albanensem *Episcopum Cardinales*, Romanæ *sedis idoneos. &c.*] Duplices Cardinales a Papa *Beneventum* missos præfert his

ventanorum in sacro *Beneventano* Palatio convenit, ibique omnia qualiter *Beneventi* acciderant negotia, & guerræ origo surrexerat coram Cardinalibus illis radicitus recitatum est. Quibus auditis *Anastasius* in verba prorumpens inquit. Ad videnda, Domini, & fratres, *Romæ* quæ audierat Dominus Papa noster negotia, & investiganda nos præcepto, sciatis esse delegatos. Unde prout melius, Deo annuente, poterimus, circa pacis, & utilitatis vestræ proficuum nos die, noctuque consilium, & auxilium præbebimus. Istis, & his similibus taliter prolatis, unusquisque ad propria remeavit. Diebus autem non multis elapsis, vir ille, cujus mentionem fecimus nomine *Fulco*, ex hujus sæculi ergastulo, anathematis vinculo irretitus, heu miser, migravit. His taliter actis, Cardinalis ipse *Romam* tetendit: cumque Cardinalis ipse *Anastasius Romam* peteret; Dominus Papa *Paschalis*, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus congregatis, mense *Octobri* post primum ejus regressum adveniente, *Ceperani* Concilium constituit, ad cujus Sacri Conventus frequentiam *Guilielmus* Dux, & *Robertus* Princeps, mille fere Equitum numero congregato perrexere. *Landulphus* verò de *Græca* Comestabulus literis Domini Papæ specialibus ad idem Sacrum Concilium accersitus honorifice commeavit. Qui a Domino Papa officiosissime susceptus est: hic namque fraudem devitans *Normandorum* navigio quodam securiter transfretavit. *Jordanus* autem Comes, timens multorum suorum pondere delictorum oneratus, ad tale, tantumque Concilium pergere, Legatos suos direxit. Archiepiscopus vero *Landulphus* suffraganeis suis convocatis, innumeraque auri, & argenti copia congregata, cum Comite *Roberto* ad conventum illum tetendit. Talibus igitur, & tantis Patribus, Proceribusque congregatis in medio conventus ipsius, die videlicet Sabbati Ducatum *Apuliæ*, *Calabriæ*, & *Siciliæ* Duci præfato Apostolicus concessit [1]. Concilio itaque mirabiliter ordinato, Apostolicus ipse coram omnibus super *Landulpho* Archipresule lacrymabiliter, & quod Comestabulum suum expulisset *Landulphum*, & quòd literis suis vocatus ad eum ire contempsisset, condolens conquerebatur. Ipse verò Archipresul nolens,

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

his verbis editus *Falconis* Codex; qui infra hac eadem pagina unum tantum *Anastasium* Cardinalem apud *Beneventanos* loquentem, *Benevento*que *Romam* recedentem facit. & sane unus, & idem *Anastasius* Cardinalis simul & *Albanensis* tunc erat Episcopus, quam lectionem, ac cætera in eandem sententiam concorditer descripta Baronius ex suo exhibet exemplari; & præterea verba illa: *cupiens quod* Beneventanus *populus in animo haberet cognoscere.* citat in hanc formam. *cupiens quod* Benev. *popul. deberet se recognoscere*, & infra. *nos pro certo sciatis:* non *præcepto.*

[1] *Ducatum* Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ *Duci præfato Apostolicus concessit*] Non Ducatum *Apuliæ*, sed Ducatum *Italiæ* legebat *Baronii* optimus Codex. Pontifex itaque, dices, universam *Italiam* Ducis concessit *Guilielmo* in Concilio *Ceperanensi ?* Id quidem apertum quia videbatur mendacium, Librarium persuasit, ut expuncto *Italiæ* nomine, alterum *Apuliæ* induceret; vel ob id maxime, quòd fortasse observasset, Petrum Diac. in Auctar. ad *Ostiens.* lib. 4. cap. 49. pro illa sua stare lectione: *In eodem Concilio*, inquit *Petrus*, *idem Apostolicus investivit* Gulielmum *Ducem de Ducatu* Apuliæ, *&* Calabriæ. At nescius erat ex *Græcorum* tunc idiotismo, nostratibus etiam *Italis* ob mutuam cum iis consuetudinem usurpato, communi *Italiæ* vocabulo a *Falcone Apuliam* solummodo demonstrari, quam *Langobardis*, perindeque *Italicis* Dynastis ipsi subtraxerant. Nec noverat ob id recentem *Calabriam*, sitam ad *mare Inferum*, tunc comprehensam sub eo vocabulo non fuisse, quoniam ea *Græcis* amissa nunquam fuerat, nec *Italis* unquam post *Justini* Junioris tempora possessa. Hoc autem si ex superius laudatis ad *Lupum* auctoribus, & ex *Lupo* metipso non cognoverat, potuisset plane ex non uno *Falconis* loco quammanifestissime intelligere; cui frequenter non cuncta duplici mari, & *Alpibus* cir-

A cumsepta *Italia*, sed una tantum *Apulia* eo nomine est. Dabo ejus in hanc sententiam non ambigua verba de *Lothario* Imp. demoliente Castellum a Rege *Rogerio* constructum apud *Barim*, ejusque defensores vi captos non uno mortis genere perimente: *De tali*, inquit, *tantaque victoria tota* Italia, *&* Calabria, Sicilia*que intonuit.* Quæ vocabuli usurpatio adeo obtinuit, ut universa etiam cis *Tyberim Italica* regio nonnunquam absolute dicta fuerit *Italia:* ut in antiqua chartula de anno 1091. in Archivo Monasterii *Cavensis*, quæ de quadam donatione est facta eidem Monasterio a *Guaimario de Jesuno Langobardorum* Principum *Salerni* prognato, cum ipse ibi, & filius ejus sacra religionis vota Deo nuncuparent: *Et*

B *si*, inquit præclarus vir ille, *ante nostram consecrationem mihi, & ipsi filio meo mors evenerit, in quocumque loco ab urbe* Roma *in istis partibus per totam pertinentiam* Italiæ, *statim*, &c. Atque hinc est, quod *Græco* Auctori *Nicephoro Gregoræ* constanti more *Carolus Andegavensis*, dicitur Rex *Italiæ*, qui, ut olim vulgo loquebantur, fuit Rex *Apuliæ*. At hæc bis jam constabilita, nec difficili, dubiove assensu doctis probata amicis viris, quibus cum ea dudum communicavi, supervacaneum certe est longiori sermone communire. Obiter tamen addam, nostræ huic *Italiæ* idem propemodum accidisse, cum absolute *Italia* est dicta, quod septem universæ *Italiæ* Provinciis pridem contigisse, norunt eruditiores; quæ absolutum *Ita-*

C *liæ* nomen sibi vendicarunt, quoniam eæ solæ magistratui parebant, Vicario *Italiæ* nuncupato, cæteræ cum essent Vicario Urbis subjectæ. Sed nec prætercam, nulla fallacia a *Falcone* esse proditum, confirmasse tunc apud *Ceperanum* Pontificem *Paschalem* Duci *Guilielmo* præter *Apuliam*, & *Calabriam*, *Siciliam* quoque *Petro Diac.* omissam, quam tunc ejus patruus obtinebat Comes *Rogerius*; nam *Guilielmus*, ut noster perhibet ad an 1122. *non dum medietatem suam* Palermitanæ *civitatis*, *&* Messanæ, *& totius* Calabriæ *eidem Comiti concesserat.*

lens, immo timens conventum illum sine loci, & officii restitutione ingredi, apud Insulam *Ceperani* proximam hospitatus est. At ubi Apostolicum conquerentem ipse comperiit, quosdam *Romanorum*, & Præfectum etiam vocari jussit, ut videlicet, utcumque potuissent, misericordiam a Domino Papa pro eo impetrarent: quin etiam dicebat Archiepiscopus se Domino Papæ ex omnibus illatis querimoniis satisfacturum, dummodo ei locum Concilii, & Officium restitueret. Hoc Apostolicus audito, consilio habito, & locum, & officium ei reintegravit; cumque taliter restitutus fuisset, absque mora, Conventum illum, die videlicet Lunæ cum Comite *Roberto* adivit. Quid plura? eum reintegratum per Diaconum quendam ad faciendam justitiam in præsentiarum Apostolicus vocari præcepit. Qui continuò surgens voce lacrymabili coram omnibus respondens inquit: Primitus gratias ago Deo, & B. *Petro*, & tibi Domino nostro Papæ *Paschali* de restitutione loci, & officii; nunc autem Domine Pater vestram imploro Paternitatem, ut misericordiam super me, quem Sanctitas vestra apud *Beneventanam* Sedem plantavit, habeatis. Apostolicus autem hoc audiens; Unde vis, inquit, ut misericordiam super vobis habeamus? & Archipræsul: Domine, quia audivi, vos erga me indignatos esse, quod cum me literis vestris accersiri jussistis, curiam vestram non adveni. Et Apostolicus; Quare, inquit, ut ipse asseris, vocatus curiam non advenisti? Ad hæc Archiepiscopus, Domine, inquit, Pater, timore coactus vestræ indignationis, & quorundam minantium, non adveni vocatus, & quod Legatos meos Episcopos quidem non accepisti, & alium quendam, quem prius direxeram, adversarii nostri verberibus afflixere. Ad hæc Apostolicus, Legatos tuos, quos dicis Episcopos, iccirco non exaudivi, quia justitiæ faciendæ verba non dixerant, immo mercedis causa pro vobis, venerant. Legatum autem alium, quem verberatum profiteris, nec vidi, neque ejus fama ullo modo ad nos pervenit. Cumque Archiepiscopus ipse ex omni parte detentum se veris aspexisset responsionibus, aliam adinvenit excusationem, dicens: Domine Pater terminum competentem mihi veniendi non tribuisti, unde, venire nec potui, nec, ut dixi, metu compulsus ausus fui, & Apostolicus: Sed quia literas nostras contempsisti, asseris te nunc non pro contemptu, metu autem ad nos non venisse. Competentem enim terminum veniendi proculdubio largitus fui, ab Idibus scilicet *Aprilis*, & sex mensium spatio interposito. Unde literas vocationis in medio legi præcepit: Verumtamen isti nostri deliberent, & quam dicis excusationem canonicam fuisse, discernant. Et præcepit quibusdam Cardinalibus quidem, & Archiepiscopis *Romanæ* Sedis Judicibus, ut in partem semoti super hujusmodi excusationem Archipræsulis sententiam extenderent. At ipsi in partem euntes sententiam illam diu ventilantes, taliter in conspectu omnium regressi Judices ipsi protulerunt. Domine Archiepiscope *Beneventane*, quoniam non pro contemptu, sed metu asseris vocatum ad Curiam, te non venisse, dicimus & judicamus hanc Canonicam non esse excusationem; judicio etenim talium, tantorumque Patrum extenso, capitula Sanctorum Patrum *Prædicatorum* coram omnibus exhiberi, & legi Apostolicus præcepit [1]; confirmata scilicet in Conventibus, & super contemptoribus ordinata. His ita perfectis, super tanto, & tali negotio a Cardinalibus, & Episcopis diu ventilatum est. Sed quid plura? Diaconus eum iteratò ad justitiam vocavit faciendam, qui continuo surgens: Vnde, inquit, & de quo accusor? Et Apostolicus: Quia suscepisti Regalia B. *Petri* extra nostram voluntatem, & claves tenuisti portarum, & Palatium invasisti, & *Landulphum* expulisti, & galeam sumpsisti, & clypeum, & *Fulconem* illum ad sacramentum impulisti. Hoc ipse Archiepiscopus audito respondit. Verè Regalia B. *Petri* non alia de causa accepi, nisi vestra pro fidelitate. Nam cum *Beneventi* aderas, Civitatem mihi commendasti. Portarum verò claves non ego susceperam, hunc sanè, qui eas retinet, fidelem tuum omnino confitemur. Clypeum profecto non accepi, galeam quidem tuli capitis pro munitione, ne aliquo lapide opprimerer. *Normandos*, ut dixistis, non introduxi. *Longobardos* verò sexdecim pro auxilio populi Civitatem ingredi feci. Sacramentum *Fulconis* jussu meo factum fuisse, & populi jusjurandum denego. His omnibus Apostolicus auditis, Cardinalibus iterum, & præfatis Judicibus præcepit, ut super omnibus istis, & super contemptu sententiam exprimerent. Cumque Archiepiscopus ipse hujusmodi præceptum, ut ita dicam, terribile audisset, *Guillelmum* Ducem supra memoratum, & *Robertum* Principem, & *Petrum* filium *Leonis*, nec non & Episcopos exorabat dicens: Domini Proceres, & Episcopi Confratres, Dominum nostrum Papam *Paschalem*, precor, orate, ne me in conspectu omnium taliter confundat, & dedecoratum dimittat; si verò ejus clemen-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Capitula Sanctorum Patrum* Prædicatorum *omnibus exhiberi, & legi Apostolicus præcepit.*] Aptius sane *Baronii* exemplar. *Capit. Sanct. Patrum* A *prædecessorum.* apud quem reliqua etiam narratio de *Beneventano* Archiepiscopo *Landulfo* in Concilio illo deposito, qua ad *Falconis* mentem, qua indecentiorem conversa sermonem pluribus, sed leviusculis locis, castigatior habetur.

mentiæ placuerit, exilium petam, vel mare transfretabo [1]. Tunc Proceres ipsi euntes pedibus Domini Papæ advoluti, sicut Archiepiscopus rogaverat, deprecati sunt, quod minimè obtinere valuerunt. At ipsi Judices ex præcepto euntes, licet dolendo, & protelando reversi tale super *Landulpho* dedere judicium. Judicibus enim ipsis, ut dixi, moram facientibus super sententia, præcepit Apostolicus adjurando,& per fidem, quam B. *Petro*, & ei deberent, quod canonicum esset dicendum, dicerent. At Episcopus *Portuensis* primus omnium licet ægre, & tantæ sententiæ dolore turbatus ait. Quoniam regalia B. *Petri* suscepisti, & claves Portarum tenuisti, & Palatium invasisti, & *Landulphum* expulisti, & Curiam venire vocatus contempsisti, judicamus super vos depositionis sententiam, quia contra B. *Petrum*, & Dominum nostrum Papam fecisti. Idipsum *Capuanus* Archiepiscopus, & *Gregorius* Cardinalis affirmavere. Volentibus autem aliis Judicibus eandem confirmare sententiam, *Landulphus* ipse e medio Conventus illius timore coactus, & sententiæ talis gladio perculsus surrexit. O qualem, si interesses Lector, fletum videres, & *Landulphi* illius pallidum aspiceres vultum: cum ex ore tantorum Judicum, qui decoratus *Beneventana* sede, & præ aliis gloriosus ubique fuerat, deponebatur. Quid dicam? subsellio ejus levato, metuendum illud Concilium, ut mente captus, dereliquit.

Hoc anno Ecclesia B. *Mariæ* de Episcopio ampliata est per consilium *Landulphi* de *Græca*. Hoc anno *Landulphus Beneventanus* Archiepiscopus captus est, & *Landulphus* de *Græca*, qui expulsus fuit de Civitate *Beneventana*, reversus est, accepta Comestabilia [2].

His omnibus, & aliis ita peractis, Apostolicus ipse IX. Kalendas *Septembris Trojam* teten-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Exilium petam, vel mare transfretabo.*] Conjunctive legit Baronius, *& mare transfretabo:* rei quidem congrua sententia. At nec disjunctiva hoc erat loco particula illa. *vel:* sicuti nec apud *Erchempertum* (domestica do exempla, in re non difficili, ut parcam verbis) in Descript. Regum *Italiæ* Num. 5. & in Historia *Langob.* Num. 1. Nec apud quotquot in antiquis Codicibus descripta habentur Sanctorum virorum gesta, quæ passim hanc præferunt Epigraphen. *Vita, vel obitus.* quod *Italice* sonat. *Vita, & morte.* Nec tandem apud Concilium *Taurinense* Canone 5. iis verbis. *Si quis ab ejus* (Felicis) *communione se voluerit sequestrare, in nostræ Sanctæ pacis consortium suscipiatur, juxta literas venerabilis memoriæ* Ambrosii, *vel* Romanæ *Ecclesiæ Sacerdotis dudum latas.* Super quæ inutilis fuit labor Hieronymi Aleandri junioris in Dissert. 2. cap. 3. de Region. Suburb. dicentis, *particulam. vel. eo loci declarandi vim obtinere; perinde ac si dictum fuisset* (hanc ille putat plenam verborum Conciliis sententiam) *juxta literas* Ambrosii, *vel ut verius dicamus*, Romanæ *Ecclesiæ Sacerdotis.* namque planus erit sensus, si juxta alias usurpatam ejus significationem conjunctionis vice posita credatur. Sed & disjunctiva illa pariter particula. *seu:* conjunctiva est, tum alibi, tum in Epitome Constitutionum *Carol. Mag.* Titul. de Metropolit. cap. 4. *Ut Episcopi*, sic ibi, *de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; seu & de viduis infra sua Parochia potestatem habeant corrigendi.* Ad quem locum frustra etiam est *Vitus Amerpachius*, putans. *seu.* *potuisse omitti; aut positum esse pro. imo.* stat enim ibi pro. *item.* Sed hæc per transcursum. Cæterum non longe post superius producta *Falconis* verba, mutilus est ejus textus. sic ex *Baronii* exemplari instaurandus. *At ipsi Judices ex præcepto euntes, licet dolendo, & protelando reversi sunt, ne tale super* Landulfum *Archiepiscopum darent judicium. Judicibus tamen ipsis, ut dixi.* &c.

[2] *Hoc anno Ecclesia B.* Mariæ *de Episcopio ampliata est per consilium* Landulphi *de* Græca. *Hoc anno* Landulphus Beneventanus *Archiepiscopus captus est, &* Landulphus *de* Græca, *qui expulsus*

A *fuit a civitate* Beneventana, *reversus est, accepta Comestabilia. His omnibus, & aliis ita peractis.* &c.] In antiquo exemplari fortasse scriptum fuerat. *Ecclesia B. M. de Episcopio*, quod Librario interpretari visum. B. *Mariæ*, at exponendum erat. *B. Maximi*; ut idem Falco ad an. 1123. argumento est, dicens; *eodem anno* Landulphum *de* Græca *supranominatum* XII. *Kal.* Decembris *obiisse, & ad Ecclesiam suam S.* Maximi *sepultum esse:* ni potius sit ibi *B. Mariæ* nomen restituendum. Diu autem anceps fui, præsens ne integra adnotatio sit *Falconi* tribuenda; an ab extraneo aliquo adnotatore ad ejus Codicis fuerit oram adpicta, ac de-
B mum ab imperito, novitioque Librario in textum inducta; quippe quæ antecedenti, subsequentique haud apte admodum cohæret sermoni: nec in *Falcone* apparet, *Landulfum* Archiepiscopum ante, vel post suam depositionem captum, ut hic asseritur, & in vincula conjectum fuisse, quem *Petrus Diac.* in Auct. sæpius dicto lib. 4. cap 49. palam proclamat, Papæ sententiam audire declinantem ex *Ceperanensi* Concilio ad *Cassinense* Cœnobium confugisse; & insuper non obscure indicat, ad suam usque restitutionem ibidem mansisse; cum affirmet, rogatu ejusdem Congregatio-
C nis Pontificii ordinem, & Papæ gratiam non diu post rursus habuisse; scilicet quando idem *Paschalis Roma Beneventum* in an. 1117. proficiscens, ad prædictum in itinere divertit Monasterium. Sed tandem visum est, *Petrum Diac.* præclari adeo Antistitis carcerem, sive liberam custodiam verecunde reticuisse, ac dissimulasse; qui de cætero hac ipsa in narratione suis est etiam Monachis blanditus, asserens illum in gradum suum restitutum rogatu Congregationis *Cassinensis:* cum tamen *Falco* tradat, antequam *Paschalis Beneventanum* iter arripuisset, ac subinde priusquam *Cas-*
D *sinum* concessisset, hoc est *in anno* 1116. *undecimo die intrante Mensis* Augusti *redintegratum in Archiepiscopatum*, quod *Baronius* gestum subdubitat in Concilio *Lateranensi*, celebrato jam dicto anno, mense *Martii*: quamvis ad annum dein 1117. *Petri* consentiat dicto. *Falconis* itaque præmissa adnotatio omnino spuria non est: omnino, inquam; etenim ut verum fatear, subolet ea mihi nescio quid concisæ orationis, quæ ex alia prolixiori in minorem verborum circuitum præter auctoris morem videtur redacta. & sane laxio-
rem

tetendit, ibique Concilium statuit, & firmavit [1], ad cujus sacri Conventus præsentiam fere omnes *Apuliæ* Proceres, Archiepiscopi, & Episcopi convenerunt. Conventu itaque sanctè ordinato, inter cætera, quæ ibi composita sunt, treuga Dei statuta est, adeo quod Comes *Jordanus*, & Comes de *Lauritello*, & alii Barones *Apuliæ* sacramento in præsentiarum firmaverunt treugam Dei ex tunc, & spatio annorum trium fore tenendam, & custodiendam [2]; sicque confirmato Concilio, & pie finito Papa *Beneventum* tertio die intrante mensis *Septembris* reversus est. Deinde Apostolicus ipse Civitatis negotia, quæ imminebant dijudicans, *Romam* reversus est septimo Kal. *Octobris*. Qui tunc Monasterium Sancti *Vincentii* dedicavit.

Anno 1116. ab Incarnatione Domini nostri *Iesu Christi*, & XVII. anno Pontificatus Domini *Paschalis* II. Summi Pontificis, & universalis Papæ mense *Martio* IX. Indictionis, Dominus noster prædictus Apostolicus *Romæ* Synodum statuit. Et hoc anno Præfectus Vrbis *Romæ* mense quidem *Martio* obiit, post cujus mortem civile bellum terribiliter ortum est, eò quod *Romani* audierant, quòd *Petrus* filius *Leonis*, Apostolici consilio filium suum Præfectum ordinare vellet [3]. Vnde *Romanorum* populus Præfecti de-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

rem ni eam formasset *Falco*, haud continuo illam usurpasset dicendi formam, ac subjecisset. *His omnibus, & aliis ita peractis*, quæ uberrimam præcessisse narrationem, qui non intelligat, erit nemo.

[1] *His omnibus, & aliis ita peractis, Apostolicus ipse* IX. *Kal.* Septembris Trojam *tetendit*; *ibique Concilium statuit, & firmavit.*] *His*, inquit, *omnibus, & aliis ita* (nimirum, *ut exposui*) *peractis* (scilicet tum in Concilio *Ceperanensi*, celebrato, ut ipsemet *Falco* adnotarat, mense *Octobri*, an. 1114. tum *per menses proxime post Concilium subsequutos*) *Apostolicus ipse* IX *Kal.* Septembris (anno videlicet 1115, quem nondum sermone attigerat) Trojam *tetendit*. &c. Est itaque his præfigendus jam dictus annus 1115; in quem etiam *Baronius* ex hoc Auctore præsentem conjicit Synodum *Trojanam*. At *Paschalis*, ut Petrus Diac. perhibet in laudato non semel Auctario lib. 4. cap. 55. *Mense* Majo Romam *egrediens*, *venit ad Monasterium* Cassinense, *ejusque Abbatem*, *tunc* Girardum, *secum ducens*, *Synodum celebraturus* Trojam *perrexit*, *indeque regrediens*, *Ecclesiam S.* Vincentii *juxta ortum* Volturni *fluminis solemniter dedicavit*. Sic ille. Et Falco insuper post prædicta subdit: *Confirmato autem Concilio*, *& pie finito*, *Papa* Beneventum *tertio die intrante mensis* Septembris *reversus est. Deinde* Romam *reversus est septimo Kal.* Octobris; *qui tunc Monasterium* S. Vincentii (hoc jam a *Petro* etiam intellexeramus) *dedicavit*. Igitur *Paschalis* a mense *Martio* in anno 1115, *Roma* absens moratus in his est locis per quatuor fere menses, cum Synodum habuit *Trojanam*; recitata namque *Petri* verba de alia Synodo in præfata urbe congregata, quam de exposita a *Falcone*, haud sunt intelligenda; quod amborum Auctorum de celebrata tunc a *Paschali* dedicatione Ecclesiæ *S. Vincentii* concors assertio manifeste probat. Et præterea, ut in Castigationibus ad Anonymum *Cassin.* ad an. 1114. observabam, *Petrus* dicens, Papam *Paschalem* sequenti anno postquam *Cassinenses* Monachi Castellum *Suium* recuperarunt, quod cap. 54. accidisse perhibet in an. 1115. (sic enim ejus scriptus Codex, & editio præfert *Neapolitana*) statuens, inquam, Papam *Roma* discessisse sequenti anno hoc est *Christi* 1116, *Trojanum* Concilium celebraturum, communem Epocham *Christi* nati observatam a *Falcone* anno certe præit; quo fit, ut *Falconi* de tempore præfati Concilii non adversetur. Qui insuper spontanea confessione coactum illud detegit in an. 1115. dum cap. 60. & 61. ait *Paschalem* sociato sibi Abbate *Cassinensi* *Romam* reversum (ex Synodo nimirum jam dicta) disposuisse *mediante Quadragesima* alteram ibi Synodum celebrare; ac deinde *loco cessisse* ob turbas a *Romanis* motas, occasione Præfecti, se invito, instituti; tandemque in an. 1117. urbem egressum (ad eam enim prius ipse iterum se contulerat, ut fatendum est, idque *Falco* non tacet) *Beneventum* recessisse, ut *Romam* advenientem Regem devitaret *Henricum*: *Paschalis*, inquam, præfati Regis occursum si in dicto anno 1117. declinavit, in quem cæteri etiam omnes id conjiciunt Auctores, & præsertim *Falco*, qui illum mense *Aprili Beneventi* constitisse affirmat, utique postquam Concilium in Quadragesima antecedentis anni 1116. *Romæ* habuerat, eam deseruerat, repetiveratque urbem, ac subinde in anteacto an. 1115. *Trojæ*, ut prædictum est, præsens fuerat. Quæ autem tunc bis *Beneventum* pertransiens ibi egerit *Paschalis*, in *Falcone* desiderantur.

[2] Treuga *Dei statuta est*, *adeo quod Comes* Jordanus, *& Comes de* Lauritello, *& alii Barones* Apuliæ *sacramento in præsentiarum firmaverunt treugam Dei*. &c.] Sic etiam infra ad an. 1123. *Treugam Dei tenendam posuerunt*. hoc est, inducias, sive pacem pepigerunt. Guilielmus Neubr. lib. 5. cap. 3. *Induciis*, *quas* Treugas *vocant*. Tyrius lib. 1. cap. 13. *Pax*, *quæ verbo vulgari* Treuga *dicitur*. Ea plane sic dicta; scriptaque est aliis etiam Auctoribus; & insuper *Treuva* nostro Auctori bis ad an. 1120; ubi per Typographi forte errorem modo habet. *Treuna*. Ad *Lupum* dixi promiscua fuisse G & V: sicut in *Ugo*, & *Uvo*. &c. Igitur *Treuga*, & *Treuva* idem. Sed V ante V transibat quandoque in G unde, *Tregua*, *Italice* nunc effertur. At in *Ivone Carnot.* epist. 90. & in *Lupo Protosp.* ad an. 1089. & 1091. forma magis *Latina* appellatur. *Trevia*, quem auctorem cum castigarem, subdubitavi, de qua Trevia ille erat capiendus; tunc enim ad memoranda *Nortmannorum* Procerum bella mentem cum haberem, non adverti sermonem ibi fieri de conciliatis iis Dynastis ob privata odia, causasve alias civilibus armis mutuo confligentibus: quo morbo immane quantum *Prælati omnes*: hoc est quicumque præsidendi aliis munus, & dignitatem obtinebant, per *Langobardorum* tempora, sicut Par. 2. Num. 3. ineditus testatur Anonymus *Salernitanus*, ubi de Principe *Beneventi Sicone*, sed & per *Nortmannorum* ætatem, ut ex præfato *Lupo*, & *Falcone* constat, laborarunt! Quibus nil modestius se gesserunt inferioris homines conditionis: *Alexandrum Telesinum*, ut alios prætereaam, vide lib. 1. cap. 21.

[3] *An.* 1116. *ab Incarnatione Dom. nostri* Iesu Chri-

defuncti filium ad Præfecturæ honorem erexerunt. Quo ordinato ad prædictum Papam *Paschalem* miserunt, suppliciter postulantes, quatenus eorum ordinationi assensum ipse præberet, & corroboraret. Apostolicus autem nullo modo eis assensum tribuit. *Romani* itaque hæc agnoscentes conjuratione facta, mirabilia domorum ædificia, & turres complures radicitus prostraverunt; eorum quidem, qui cum *Petro Leonis* ad id faciendum conjurabant. Unde factum est, ut *Ptolemeus* Præfecti Avunculus, & alii Barones Apostolici castra invaderent, & tenerent. Contigit autem die quadam, quod Præfectus ipse militum fere quinquaginta collegio stipatus ad explorandum milites, quos Apostolicus miserat, extra Vrbem perrexisset. Comestabulus autem Apostolicus hoc deprehendens, ex improviso eos aggreditur, prostravit, & Præfectum comprehendit. *Ptolemeus* igitur memorati nepotis captionem audiens absque mora, militibus sumptis, Papæ præfatum Comestabulum invadens, nepotem, qui captivus ferebatur, absolvit, & secum gaudens ad propria perduxit. Dum hæc, & alia *Romæ* agerentur, præfatus Apostolicus Vrbem exivit, qui apud Castrum quoddam, *Setium* nomine, commoratus est. Viderat siquidem seditionem illam magis, ac magis inflammari, & *Petrum Leonis* de die in diem acriter expugnari. Diebus autem non multis elapsis, Apostolicus ipse seditionem illam placari, & minui aspiciens, consilio accepto, militibus collectis, *Romam* ingressus est, deinde Palatium *Lateranense* ingreditur, ibique Missarum solemnia decantavit. Cum autem ipse Vrbem ingressus fuisset, *Romanorum* cœtus, qui ei rebellis extiterat, fere ad ejus imperium, & voluntatem conversus est; sicque Apostolicus ipse tranquillitate inventa *Romam* securus habitavit. His taliter actis, prædictus Apostolicus *Landulphum*, quem deposuerat, undecimo die intrante mensis *Augusti* redintegravit, ad Archiepiscopatum.

Anno 1117. Dominicæ Incarnationis, & XVIII. Pontificatus Domini *Paschalis*, mense *Aprili* ipse Papa Synodum *Beneventi* celebravit [1].

Hoc anno *Riso Barensis* Archiepiscopus ab *Argyro* cive *Barensi* trucidatus est in via *Canusina*.

Hoc anno *Paschalis* Papa obiit undecimo Kalendas *Februarii*, & *Gelasius* Papa eligitur.

An-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

Christi, & *XVII. anno Pontificatus Domini* Paschalis *II.* &c. *Et hoc anno Præfectus urbis* Romæ *mense quidem* Martio *obiit.* &c.] Credam ne *Falconem* mendacem, an ejus textum luxatum; an potius hæc ab ipso rite ad an. tradi 1116. relata aliis ad annum antecedentem; quæ acta fuisse *anno pacis quinto*, initæ nimirum inter Papam *Paschalem*, & Regem *Henricum* mense *Aprilis* an. 1111, *Petrus* perhibet Biblioth. apud *Baronium*, & in an. 16. Pontificatus ejusdem Papæ, qui etiam *Falconi* reputatur *Christi* jam dictus 1115?

[1] *An.* 1117. &c. *Mense* Aprili *ipse Papa Synodum* Beneventi *celebravit*, &c.] Sane haud *Trojæ*, sed *Beneventi* manens *Paschalis* literas dedit hoc anno, tum ad Episcopos, Regemque *Angliæ Henricum*, 9. Kal. *Aprilis*, quas refert ex *Malmesburiensi Baronius*: tum ad Patriarcham *Antiochiæ* 15. Kal. ejusdem Mensis; nam scriptæ hæ fuere, ut res, de qua in iis agitur, manifestat, post alias pridem ad Regem *Hierosolymitanorum* directas 5. Kal. *Julii*: aliasque ad præfatum Patriarcham ab eodem Pontifice datas 7. Idus *Augusti*, quas omnes *Guilielmus Tyrius* lib. 11. cap. 27. recitat, & ad annum refert 1115; sed plane posteriores illæ ad Patriarcham (cur non etiam anteriores, sic nimirum locorum distantia, actæque rei dictante difficultate?) transacto præfato anno transmissæ fuere; quæ ut prædixi, datæ leguntur apud *Beneventum* 15. Kal. *Aprilis*, ac subinde in an. 1117. *Paschalis* enim haud antea in eam urbem rediit post an. 1115. Sibique, non mihi, idem *Tyrius* pugnat, alias his socias Papæ epistolas præferens, eadem die non *Beneventi*, sed apud *Lateranum* ad prædictum Patriarcham datas. At de *Beneventana* superius descripta Synodo, quæ in literis etiam memoratur *Gelasii* 2. ad *Galliæ* Archiepiscopos, Episcopos &c: relatis a *Baronio* ex A præfato *Malmesburiensi*: non de antecedenti *Trojana* capiendus est Petrus Bibl. in vita *Paschalis* iis verbis: *Dominus Papa*, inquit, *celebrato Concilio, quod in partibus* Apuliæ *congregaverat, rediens cum* Nortmannorum *exercitu in* Campaniam (quæ scilicet *Latium* olim fuit appellata) Pillum, Pullanumque (Petrus Diac. lib. 4. cap. 61. *Pylium* vocat, peractaque hæc dicit *diebus Pentecostes*: sed ipse Bibliothecarius: *Autumnus*, ait, *instabat*, & calor, & æstus senem Pontificem dissolvebat: mallem itaque. *Æstas instabat*. Et. *Pullanum* certe est. *Palianum*) *in maritimis oppidum S.* Silvestri *in sui deditionem convertit*. B Nec turbet te, quod dicat, *in* Apuliæ *partibus*, Concilium illud congregatum, in quibus haud censetur *Beneventum*; nam tunc, & aliquanto etiam post, passim unius *Apuliæ* absoluto nomine cunctam *Italiam* cis *Tyberim* exteri occidentales nuncuparunt, exque illorum usurpatione etiam incolæ; quandoquidem *Nortmanni* ob res primum in *Apulia* præclare, & feliciter gestas longinquorum ora ad se solos, & ad unam *Apuliam* converterant. Cæterum *Barensis* Archiepiscopi *Risonis* necem, *Falconi* leviter hic libatam, Ignotus ejusdem urbis C civis fusius in suo Chronico superius laudato præsenti anno patratam exponit. In quem etiam annum noster obitum referens Papæ *Paschalis*, id juxta servatam a se annorum facit rationem; nam obiit ille, ut perhibet præfatus Bibliothecarius, 15. Kal. *Februarii*, collocatusque est 11. Kal. (hunc humationis ejus in diem mortis idem noster immutavit) hoc est desinente anno *Falconiano* 1117, & inchoante communi 1118. Ex hac autem, quam præsens *Falconis* textus ad descriptum annum strictissimam præfert narrationem, deciderunt, quæ ipse infra ad an. 1119. col. 544. & seq. D se pridem adnotasse ait de excidio *Montis Militis*, & *Montis Aperti*. Sane ea nisi ex hoc, non ex alio excidisse videntur loco.

Anno 1118. ab Incarnatione Domini nostri *Iesu Christi*, & anno primo Pontificatus Domini *Gelasii* II. Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense *Martio*, XI. Indictionis: Factum est, cum præfatus Pontifex *Gelasius* ad Pontificale solium fere totius Populi *Romani* unanimi voto, & concordia eligeretur, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus circa *Romanam* sedem morantibus, Missos *Apuliæ* quoque partibus delegavit, ut ad ejus Consecrationis diem convenirent. Erat quippe, ut retulimus, cum electus fuit, Diaconus, & Cancellarius; qui quidem non nisi in Canonico jejunii tempore constituto consecrari poterat. Legatione itaque accepta Episcopus *Trojanæ*, Archiepiscopus *Sipontinæ* Civitatis, & alii complures ad ipsius consecrationis solemnitatem properaverunt. Sed priusquam memoratus electus *Gelasius* consecrationis acciperet dignitatem, Rex præfatus *Henricus*, instructis insidiis, noctis silentio *Romam* ingreditur mensis *Martii* secundo die ingrediente. Apostolicus itaque Regis ipsius ingressum sic latenter deprehendens, reminiscens, qualiter Rex ipse Dominum Papam *Paschalem* ejus prædecessorem, & Cardinales fraude, & dolo cepisset, absque mora, Cardinalibus convocatis, fluvium *Tyberis* ingressus est; deinde prosperis ventis mare sulcantes pervenerunt *Calenum* [1]. Rex autem Apostolici egressum cognoscens, ei apud *Calenum* delegavit, quatenus Vrbem reverteretur, quoniam ad ejus consecrationem libentissimè interesse, & corroborare desiderarent. Pontifex autem *Gelasius* nequitiam ejus, & perfidiæ telum longe, lateque cognoscens Miramur, inquit, super talis, tantique viri legationibus, cum ad nos venturum se die Resurrectionis nuper transmiserit. Nunc vero nocturno tempore, & ante condictum tempus comperimus eum adventasse. Ego vero, Deo annuente, Consecrationis accipiam firmitatem. Dehinc me, ubicumqve voluerit, paratum ad propositum negotiationis inveniet. Quo audito, qui missi fuerant, ad Regem reversi sunt festinanter, atque omnia, quæ a prædicto Pontifice audierant, Regi renunciaverunt. Deinde electus ille *Gelasius* die constituto a Cardinalibus, qui cum eo exierant, canonice, & ordinate consecratus est apud *Calenum* mense *Martio* superius memorato. Rex autem Pontificis ipsius responsum audiens, pestifero invento consilio, Archiepiscopum quendam *Hispanum* in Pontificem, & ut ita dicam, invasorem Ecclesiæ constituit, & consecravit. O nefas, & terribile periculum, Rex ille, qui *Romanæ* sedis, & totius Catholicæ Ecclesiæ defensor, & adjutor fieri deberet, novam hæresim, & dira mortis genera per universum Orbem induxit. *Romanorum* igitur complures, quorum mens erga Ecclesiæ *Romanæ* fidelitatem fixa manebat, visa hujusmodi hæresi, & cognita, ajebat. Heu miseri, cum nos ex longo nostrorum Patrum vetusto ritu sine alicujus Regis adventu, & licentia, Pastorem eligebamus, consecrabamus, quem volebamus, nunc autem sine Regis permissu jam amplius alium neque eligere, neque consecrare ausi erimus. Deinde præfatus, & alii *Romanorum* Nobiles, *Gelasio* canonice ordinato, apud *Calenum*, legaverunt dicentes [2]: Vestræ notescat Paternitati Pater, & Do-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Deinde prosperis ventis mare sulcantes pervenerunt* Calenum.] Ergo ne *Roma Calenum* marino pervenit itinere *Gelasius*? Equidem *Plinius* lib. 3. cap. 5. mediterraneam eam urbem facit; sed quid *Plinius*? Auctores prorsus omnes a mari eam longius removent, quam non sic, sed primitivo vocabulo (derivativum est enim *Calenum*) appellant, *Cales*; ita ut de *Caleno* municipio, cive, agro, vino, prælo, aqua, &c. multa apud veteres cum habeatur mentio, vix præter *Plinium*, alium reperies, qui absolutum præferat *Caleni* nomen. In quo fœde sunt lapsi omnes fere recentiores, vel *Cales* a *Caleno* pessime distinguendo, vel utramque urbem unam recte quidem faciendo, sed perverse *Calenum* nunc esse *Carinulam* (& ipsam mediterraneam) reputando, quæ sane est *Calvi*. At errorem ex Auctoribus videntur hausisse, qui per ætatem vixerunt *Nortmannorum*, *Carinulam*que omnium primi appellare *Latino* eloquio cœperunt *Calenum*; quam novam urbem *Langobardi* ante annos octingentos duobus fere milliariis ad Septentrionem secedentes ab antiqua, nec scio quo casu consumpta *Foro Claudio*, appellata quæ prius fuerat *Forum Poplium*, ut est apud Ptolemæum Georgr. lib. 3. Tab. 6 *Europæ*, sive *Forum Popilium*, ut apud Dionysium Halicarn. lib. 1: sed apud Plinium lib. 14. cap. 6. *Colonia Sylana*, nunc inanis locus, dictus *Civita rotta*, munitiori in secessu construxerunt, ac denominarunt *Calinium*, sed de his fusius alibi. Interim verò nunquam ad mare cum fuerit *Calenum*, nec ambiguum sit, Papam *Gelasium* tunc ad patriam urbem *Cajetam* se recepisse, haud difficili conjectura in *Falcone* nomen *Cajetæ* esse restituendum apparet; in qua aliquantisper ille commoratus, in Sacerdotem primum, & mox in Papam consecratus est *infra Kalendas* Martii, ut perhibet Pandulfus Pisanus in ejus vita: ut vero Petrus habet Diac. lib. 4. cap. 64. *in Quadragesima*; at noster magis signate. *in Canonico jejunii tempore*, hoc est in quatuor temporum Veris: Diaconus enim ille adhuc erat cum in Papam fuit electus; quo anno 1118. dies Cinerum incidit in diem nonum, non infra *Martii* octavas.

[2] *Deinde præfatus, & alii* Romanorum *Nobiles.* &c.] Locus palam mutilus, sed & corruptus in voce *Calenum*, ut prædixi. Quæ autem hic desint, haud facile divinaverim: non abnuerim tamen epistolæ Auctores extitisse eosdem *Romanos* Proceres, qui *Gelasium*, ut prædictus *Pandulfus Pisanus* perhibet, e manibus eripuerant *Cencii Frangepanis*: eam vero per nuncium missam Papa *Capuæ* manens accepit, ubi proximum Pascha solemni pompa celebravit, eodem *Pandulfo*, & *Petro Diac.* perhibente lib. 4. cap. 64. qui etiam ibidem Synodum habens, damnavit Regem *Henricum*, & Idolum ejus, Antipapam scilicet *Burdinum*

& Domine, nos, & nostros amicos consecrationi illius excommunicati Viri in Pontificem scelestum constituti, nullatenus consilii, & auxilii manus dedisse. Et sciatis, quoniam, Deo opitulante, Regis illius, viri iniquissimi machinationes, & consilia in proximo delebuntur, & vos, Deo propitio, erroris, & malignitatis destructor ad sedem propriam, & locum cum lætitia, & honore revertemini. His taliter actis: prædictus *Landulphus* de *Græca* olim *Beneventanus* Comestabulus, literas suas apud memoratum *Gelasium* notificando, rectorem *Stephanum Beneventanum*, ex quo ipse depositus fuerat, justitiam egentibus non fecisse, insuper etiam domos suas, & possessiones a *Beneventanis* dirutas nuntiavit.

Hoc anno prædictus Papa *Gelasius Gallias* ivit secundo die mensis *Septembris* intrante, & *Pisas* applicuit: cumque sicut relatum est, Pontifex *Gelasius* apud Civitatem *Pisanam* ivisset, & Archiepiscopum Civitatis consecrasset, inito consilio, navem ingressus est; deinde, divina gubernante clementia, ventis secundis, *ultramontanas* partes transfretavit. Continuo Archiepiscopi omnes, & Episcopi, Proceresque alii gaudio cum ineffabili, & honore immenso susceperunt. Taliter igitur *Gelasius* acceptus, cum prædicto *Anglorum* Rege confabulatus est [1]. Dehinc Apostolicus ipse stabilivit, ut in sequenti mense *Martio* Synodum cum Patribus *Franciæ*, *Theutonici*sque celebraret, ibique de Sacerdotii, & Regni discidio, longe, lateque, habito, Spiritu Sancto mediante, loquerentur. Quantas autem divitias, & munera argenti, & auri partibus in illis Apostolicus ille lucratus est, si sigillatim describere vellem, prius me tempus desereret, quam copia recitandi. Sed antequam terminus statutus Synodum celebrandi advenisset, apud Monasterium S. *Petri*, quod vocatur *Clunia*, ubi diligenter morabatur, ægritudinis mole detentus est. Confestim se infirmitatis validæ dissolutione teneri persentiens *Palestrinum* acciri jussit Episcopum, & imponere illi tanti honoris culmen *Romanæ* Sedis *satagebat* [2]. Prævidebat enim, se, ut fragilitatis est, corpore dissolvi. Audiens itaque Episcopus ipse hujusmodi verba Pontificem proferentem; Absit, inquit, omnino absit, ut tanti honoris, ponderisque cacumen indignus ego, & infelix suscipiam: præcipue cum auxilio Dei, & sæcularium virtute divitiarum, *Romana* sedes temporibus nostris, sub persecutionis flagello dedita, defendi oporteat, & muniri. Si vero meis acquiescere velitis consiliis, *Viennensem* Archiepiscopum, Virum utique Religiosum, prudentisque animi, & sæcularibus ornatum virtutibus, ad tale, tantumque Patrocinium eligamus. Dei namque consilio, & B. *Petri* meritis, & Viri hujus solatio *Romanam* sedem sub tantæ persecutionis periculo diutissime oppressam, credimus ad serenitatem, triumphumque sublevari. Quid multa? & *Gelasio* Pontifici infirmanti, & cæteris Cardinalibus, aliisque omnibus Episcopi sermo complacuit; nec mora, Archiepiscopum illum accersiri jubent, ut dicta factis compleant, & perseverent. Quia vero vocatus viribus totis renuit, seseque tanti officii culmine indignum clamitabat, tamen cælesti clementia ordinante, ad Pontificalem Infulam, *Gelasio* ægrotante, & volente, promovetur. Die verò altera adveniente *Gelasius* Pontifex, IV. videlicet Kalendas *Februarii*, apud prædictum Monasterium feliciter ex hujus mundi ergastulo migravit ad Dominum.

Protinus, consilio invento, Cardinales, qui illic aderant *Petro Portuensi* Episcopo, quem Pontifex *Gelasius Romæ* Vicarium dimiserat, & ipsius *Gelasii* obitum, & qualiter Archiepiscopum illum in Pontificem *Callistum* elegerant, studiose delegaverunt. *Portuensis* autem Episcopus literis acceptis super ipsius Apostolici morte lacrymis manantibus valde contristatus est. Illico Cardinales cum eo manentes, pluresque *Romanorum* fidelium con-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

num ut ait Abbas *Uspergensis*. Et fortasse eodem tempore: Landulphus *de* Græca, *olim.* Beneventanus *Comestabulus*, ut noster subjicit antedictis, *literas suas apud memoratum* Gelasium *notificando*, *Rectorem* Stephanum Beneventanum, *ex quo ipse depositus fuerat*, *justitiam egentibus*, *non fecisse*, *nuntiavit*. At quo pacto contigerit, ut *Landulfus* denuo ejiceretur, postquam in an. 1114. iterum præfatam acceperat Comestabiliam, in *Falcone* non legitur; intelligereque tantum datur, id patratum in an. 1117. nam in an. 1120. mense *Augusti* a Pontifice *Callixto Beneventum* revocatus fuit, *cum per triennium* Montem Fuscum *habitasset*.

[1] *Taliter igitur* Gelasius *acceptus*, *cum prædicto* Anglorum *Rege confabulatus est*] *Anglorum* Rex, qui tunc erat *Henricus* I. haud *Falconi* antehac fuerat memoratus: quin illum *Gelasius* in *Gallias*

A profectus alloqui minime valuit, qui post Synodum apud *Viennam Allobrogum* collectam ineunte anno 1119. ne *Gallorum* quidem Regem, nisi per nuntios literasque quivit compellare, minores tantum Principes coram alloquutus. Certe res qui descripsere præfati *Henrici*, illum præterquam cum *Callixto* 2 apud *Gisortium*, & cum *Innocentio* 2. apud *Carnotum*, & *Rothomagum*, colloquium cum alio *Romano* Pontifice habuisse, non adnotarunt. Mancus itaque, & præterea depravatus est hoc loco *Falco*: nam de confabulatione inter Regem, & Papam per in-

B ternuntios habita si eum capias, ineptissimi sermonis ipsum facis reum; qui nec silere debuisset, consimili ratione *Gelasium* tunc etiam *Gallorum* Regem convenisse.

[2] *Confestim se infirmitatis validæ dissolutione teneri persentiens.* &c.] Universus hic sermo usque ad præsentis anni finem in plusculis variat apud *Baronium*: locos confer, eamque sequere, quam sinceriorem reputabis lectionem.

convocans *Capitolium* aſcendit, ibique litteras miſſas oſtendit, & legi præcepit. Quibus lectis, una voce, & concordia Dominum laudavere Omnipotentem, quod eis virum prudentem, & ornatum moribus in Pontificem largitus eſt. De obitu vero Apoſtolici *Gelaſii* valde turbati ſunt. His ita geſtis, conſilii ſtudio invento, præfatus Epiſcopus *Landulpho Beneventano* Antiſtiti, & *Ugoni* Cardinali *Beneventum* regenti, Clero, & populo *Beneventano Gelaſii* mortem, & *Calliſti* electionem ordinatim mittere curavit. Continuo *Landulphus* Antiſtes, Cives, Presbyteroſque omnes, & Epiſcopii clericos ad ſacrum fecit vocari Palatium, ut eis ordinem rei annunciaret, quibus accitis, literas illas legi juſſit, & exponi; nec mora, prædicti *Calliſti* electionem unanimiter laudantes commendaverunt. Deinde Te Deum laudamus canendo proruperunt; ſicque Archiepiſcopus ipſe, & *Ugo* Cardinalis, Clericorumque turba copioſa, & civium multitudo a prædicto ſacro Palatio ad Epiſcopium canendo deſcenderunt. Poſtea vero eminentiori loco Antiſtes ille aſcendens, Cives exhortatus eſt, ut fidelitatis manum erga *Romanam* ſedem perpetuo conſervarent. Quo facto ad propria remearunt.

Anno 1119. & anno Primo Pontificatus Domini *Calliſti* ſecundi Summi Pontificis, & univerſalis Papæ, menſe *Martio*, XII. Indictionis, eodem menſe *Martio* prædictus *Beneventanus* Archiepiſcopus videns Civitatem variis prædarum afflictionibus ex omni parte confundi, & devaſtari, ſuæque Parochiæ Eccleſias a raptoribus vexari quotidie, Synodum decimo die intrante menſis ejuſdem *Martii* celebravit [1]. Ad cujus ſacri Conventus præſentiam *Tuſculanus* affuit Epiſcopus, & *Ugo* ſupranominatus Cardinalis, & Cardinalis alius & *Beneventanæ* Sedis ſuffraganei circiter viginti, Monaſteriorum Abbates ſex affuere. Inter cætera verò, quæ in ipſo Conventu ſtatuta ſunt, omnes male facientis *Beneventi*, & diſturbantes Mercatores ad Civitatem venientes, & redeuntes, ſub anathematis vinculo alligavit. Conventu itaque pie, & ordinate finito, unuſquiſque ad propria repedavit.

De guerra autem *Jordani* Comitis ſupra memorati ſupra memorati (ſi veſtræ placuerit charitati) & Comitis *Rainulphi* aliquid ſuccincte narrabo. Cumque jam, ut dictum eſt, *Montismilitis* Caſtrum, & *Montisaperti*, deſtructum fuiſſet, præfatus *Robertus* de *Monteſuſco*, Caſtellum aliud, quod *Tufum* vocatur, ſæpiſſime aggreſſus eſt, qui vero, ut Dominum Caſtri, & habitatores terroribus variis commoverent, bellorum machinationibus aſſiduis acriter expugnavit. Deinde mortis inaudito nuntio, conſilio invento, ruſticorum ſata, & vineas, ſylvaſque igni, ferroque depopulatus eſt. Sata quidem ruſticorum noviter aſperſa, quod nunquam a ſæculo auditum eſt, raſtris, & aratris iterato volvi, & devaſtari præcepit. Dominus autem Caſtri *Rao* nomine, nec bellorum turbinibus, neque tali mortifera confuſione turbatus, Caſtrum illud viriliter, & animoſe tenuit *Jordanis* Comitis ad fidelitatem. Præterea *Jordanis* Comitis patruus jam nominatus *Robertus*, quotidie adverſus eum ſeditionum conventicula, & minarum jacula, ut erat viperei cordis, operabatur: ſæpiſſime namque cum Comite *Rainulpho*, & *Roberto* de *Monteſuſco* de ipſius *Jordanis* Comitis infeſtationibus, & damnorum periculis confabulabatur. Tandem cordis ſui ſilentia, quæ jugiter meditabatur aperiens, Caſtellum, quod *Templanum* vocatur, a Comite *Jordano* expetiit, ut ſic fidelis, & amicus ejus diebus omnibus ipſe permaneret. Agebat autem, quod cuidam filio ſuo naturali, quem diligebat, Caſtrum illud Sacramento Comes ille firmaret. Comes autem hæc audiens, mentis afflictione, ultra quam credi poteſt, perculſus, valde ſuper his mirabatur. Continuo ſuos omnes vocari fecit Barones, & ſuper hoc tanto, & tali negotio ſtudioſe ab illis conſilium perquiſivit. Illi vero Comitis neceſſitates, quæ ſupererant, & *Roberti* illius mentis perfidiam cognoſcentes, & aliter erga Comitis fidelitatem converti non poſſe aſpicientes, ut petitionibus ejus uſquequa-

que

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1119. *& anno primo Pontificatus Domini* Calliſti 2. &c. *Menſe* Martio *prædictus* Beneventanus *Archiepiſcopus videns Civitatem variis prædarum afflictionibus ex omni parte confundi, & devaſtari, ſuæque Parochiæ Eccleſias a raptoribus vexari quotidie, Synodum decima die intrante ejuſdem* Martii *celebravit*, &c.] Excommunicationis ſententiam in hac *Beneventana* Provinciali Synodo, cui præter alios adfuit *Hugo* Cardinalis, *Beneventi* Rector a *Gelaſio* in *Gallias* proficiſcente inſtitutus, torſit *Landulfus* Archiepiſcopus in *Beneventanorum* res, & negotia diſturbantes. Sed ejuſdem urbis ad tutelam eximie ſe tunc præfatum *Hugonem* geſſiſſe indicat *Landulfus Piſanus*: Hugoni, inquit, *Cardinali Apoſtolorum* Beneventa-

A næ *urbis cuſtodia, pro ut poſtea vidimus, non ſine Sancti Spiritus oraculo eſt a* Gelaſio *commendata; nam paulo poſt deficiente Papa, niſi ipſe reſiſteret, & mille modis ipſis ſagaciter obviaſſet*, Nortmanni *illam hodie, & non Papa teneret:* deque his ſucceſſibus *Falconem* ne verbum quidem feciſſe cum appareat, illum vel aliena injuria; vel propria incuria, ſive malis induſtria mancum putem, neceſſe eſt: qui prædictos *Hugonem*, & *Landulfum* amicitiam cum *Jordano Ariani*, & aliorum locorum Comite, genere *Nortmanno*, coluiſſe adverſus *Rainulfum Abellini*, & *Calatiæ*, pluriumque pariter oppidorum Comitem, genteque etiam
B *Nortmannum*, & aſſeclas ejus, ad hunc & ad ſequentem annum quam ſobriiſſime adnotavit. *Hugonis* itaque induſtriæ adſcribendum eſt, cunctos illos Proceres in *Beneventi* damna tunc una non conſpiraſſe.

que faveret, consilium tribuerunt. Ventilato itaque; & firmato Concilio in præsentia *Landulphi* Archiepiscopi, & *Vgonis* Cardinalis, aliorumque *Beneventanorum*, & Procerum, qui ad tale, tantumque spectaculum convenerant, petitiones cunctas illius adimplevit. Deinde sacramento mediante, Comitis *Jordani*, fidelis, & canonicus effectus est [1]. His taliter actis, centum milites pro ejus servitio obtinuit. Continuo vicem reddens pro acceptis, segetes omnes militum *Montisfusci* depopulatus est. Contigit autem, dum die quadam *Landulphus* de *Græca Montisfusci* Comestabulus, super Castrum jam dictum, nomine *Tufum*, militum caterva stipatus tenderet, Comes *Jordanus* occulte invigilans eos aggreditur, prosternit, & duodecim milites illorum comprehendit, armis omnibus eorum acceptis, inter quos miles nomine *Eternus*, & *Brianus* captivi perducti sunt. Audiens autem *Rainulphus* Comes fidelium suorum stragem immensam, & a Comite *Jordano* ita superari non patiens, militum fere quadringentorum copiam, & peditum multitudinem congregavit. Quibus congregatis multotiens minabatur se terram Comitis *Jordani* ingressurum, & Castrum aliquod ejus igni, ferroque consumare. Tandem militum, peditumque manu illa assumpta *Jordani* Comitis Terram ingressus est: nam sicut ipse sæpius dixerat, non ausus est Castellum illius aggredi, neque belli sonitum præparare; sed ut nominis sui gloria levaretur, & Comitem *Jordanum* terreret, confinia Castelli, quod *Pesclum* nominatur, intravit, sicque nullo concursu suorum parato ad propria reversus est. Comes autem *Jordanus*, ut providi, & sapientis erat ingenii, *Rainulphi* Comitis agnoscens proterviam, & hujusmodi audaciam non ex prudentum thesauris procedere, trecentorum militum caterva stipatus circa ejus confinia districte morabatur. Agebat quidem Comitem illum non sic stulte sectari, sed munitiones suas, si oporteret, viriliter contueri.

Hoc anno XV. die intrante mensis *Maji* [2], *Beneventanus* Archiepiscopus *Landulphus* supra memoratus consilio salutis invento corpora Sanctorum *Martiani*, *Dori*, *Potiti*, & *Prosperi*, *Felicis*, *Cervoli*, atque *Stephani*, quæ prisco ex tempore non honestæ tumbæ, qua jacuerant, coram omnibus propalavit. Corporibus namque illis taliter foras eductis, ex ossibus eorum duo in conspectu omnium Civium Antistes præfatus poni magna cum reverentia, ut crederent, præcepit. Fama igitur per Civitatem ventilata, concursus magnus factus est Virorum, ac mulierum, & cursu præcipiti, oblationibus ossa illa lacrymando osculabantur; quæ vero ossa Sanctorum indignus ego osculatus sum. Biduo autem postquam corpora illa Sanctorum foras educta sunt, prædictus Antistes Presbyteros omnes Civitatis ad Episcopium vocari præcepit, quatenus de tantorum Sanctorum laudibus agendis colloquerentur. Continuo, consilio assumpto dedit in mandatis, ut primum Presbyteri *Portæ summæ* ad Episcopium jubilando, cereis, & lampadibus descenderent; & coram Sanctorum ossibus laudes Deo, & eis decantarent. Secundo quidem Presbyteri *Portæ aureæ*; Tertio autem *Portæ Ruffinæ*; Quarto *Forenses*; Quinto *Civitatis novæ*, postremo vero Civitatis totius Presbyteri, & Viri, quatenus una in honore Dei, & Sanctorum illorum aggregati, Omnipotentis Dei misericordiam invocarent, ut eorum intercessionibus, delictorum veniam consequerentur. Presbyteri autem Pastoris jussa audientes, sicut imperaverat, executi sunt, & laudibus innumeris ordinatim ad Sanctorum corpora descendebant. Virorum autem, & mulierum, & pauperum turbam canentium, quæ præcedebat, & sequebatur, cereis in altum positis, & accensis, Lector, si cerneres, de tanto gaudio ultra humanum modum exultares, & ex cordis profundo lacrymas rivo irriguo produceres: processionem enim insolitam cerneres, & quod a multis annorum spaciis inauditum est, *Beneventana* Civitas ob Sanctorum honorem, amoremque modo operata est. Regem quidem testor cælorum, quod si lingua triplicatos ederet sonos, & vox incef-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Deinde sacramento mediante*, *Comitis* Jordani *fidelis*, *& canonicus effectus est*] Nimirum cum in Feudum accepisset a *Jordano* Castellum *Templanum*, factus est ejus *canonicus*: hoc est *tributarius*: nam pensio passim olim dicta reperitur. *Canon*: quoniam scilicet juxta Canonem, & certam regulam penderetur; unde Cassiodoro lib. 2. epist. 25. *solidi canonici*; & lib. 12. ep. 13. aliisque in locis sunt *Canonicarii*, qui tales Canones exigebant, deque iis etiam vide *Cujacium* in expositione Novell. *Justiniani* 128. Porro in Falcone paulo post lego: *duodecim milites illorum comprehendit*, *armis omnibus eorum acceptis*; *inter quos miles nomine* Eternus, *&* Arianum

A *captivi sunt perducti*: non. *Eternus*, & *Brianus*.

[2] *Hoc anno XV. die intrante Mensis* Maji Beneventanus *Archiepiscopus* Landulphus. &c.] Restituo. *XII. die intrante*. nam *Landulfus* eductis e vetusta tumba Sanctorum Lipsanis, ut ea in decentiori reponeret sepulchro, post transactum biduum, die videlicet 14. *Maji*, palam universo *Beneventano* populo per insecutos dies octo, nempe ad 21. usque diem, ipsa exposuit; & demum proxima luce, *in crastinum*, inquit *Falco*, *die videlicet decimo stante Mensis* Maji, hoc est decem ejus Mensis diebus superstitibus, ipsoque die 22, in præparato loculo collocavit. *Beneventanos* autem regionatim ad eorundem SS. honorem B vigilias per singulos prædictos octo dies celebrandas convenisse, simulque in *Falcone* nomina deesse duarum regionum, alibi est a me observatum.

inceſſabili plectro promeretur, tanti gaudii pondus, & tantarum laudum denſitatem nullo modo exarare valerem. Quis unquam Civium tempore iſto viventium, ſic prorſus Civitatem lætari, poterit recordari? Credo vero ſub B. Apoſtoli *Bartholomæi* Patroni Civitatis adventum, ita prorſus gaudio magno Civitatem impletam fuiſſe. Nam ut *Beventanorum* memoria per duas generationes allevaretur, Abbates omnes Eccleſiarum ſtudio magno lignorum machinationes mirabili conſtructas artificio compoſuerunt. Civitatis autem novæ Presbyteri, ut ſtudioſiores præ omnibus viderentur, lignorum machinam quandam circumquaque cereis, lampadibuſque immenſis obductam, ad Sanctorum corpora perduxere. Infra eam vero juvenes cum tympanis, cum cytharis tinnientibus vidimus inſultantes. Campanas namque, & tintinnabula multa intra ſtruem illam videbamus. Sacerdotes denique in albis veſtiti, cum vexillis, & multo cereorum Comitatu coram Sanctorum oſſibus decantabant: Noviſſimè autem *Archiſius* Archidiaconus talem, tantamque per ſingulas Civitatis partes, partiumque angulos lætitiam inſolitam fieri aſpiciens, conſilio accepto, mirabilem quandam lignorum ſtructuram pro Eccleſiæ Sancti *Laurentii* honore, quam regebat, & totius Civitatis, præcepit componi; illic artifices multos, Lector, ſi adeſſes, conſpiceres, ibi ſtudii manus operantes videres, ſub quorum vero induſtria ad naviculæ inſtar facta eſt. Qua demum peracta, ſuper illam magni ponderis campanam, & multa alia metallorum genera vociferantia, & cereos multos accenſos imponi præcepit. Hominem etiam lyrizantem, & tubas ſtridentes ad aſtra, ibi aſſociavit; & circa illam cornua crepitantia, tympana mirabiliter percuſſa, cytharæ, variique generis modulationes tripudiabant. O qualem, Lector, aſpiceres exſultationem, quale gaudium per totius Civitatis partes cerneres, ſi intereſſes, quod revera putares, credereſque potius aliam vitam, aliamque ſpeciem cordis, oculi, & corporis imitari. Talibus igitur, & tantis modulationibus patratis, ut Archidiaconi gloria attolleretur, boves ad illam ſtructuram injunxit, & junctis bobus uſque ad S. *Andreæ* Eccleſiam perduxere. Deinde pro denſitate ædificiorum, quæ ſuper plateas inerat, uſque ad Epiſcopium Boves illam trahere nequiverunt. Continuo ad manus virorum multorum machina ipſa ſic ponderata ad Sanctorum corpora perducta eſt; & ea perducta, Archidiaconus ipſe cum Clericorum comitatu in albis veſtito coram oſſibus Sanctorum vigilias cantaverunt; quibus finitis unuſquiſque ad propria reverſi ſumus. In craſtinum autem prædictus Antiſtes, die videlicet decimo ſtante menſis *Maji*, cum Epiſcopo *Frequentino*, & de *Monte Marano*, & *Arianenſi* corpora Sanctorum collocavit; inter quos corpus aſſociavit Beati *Joannis* XXI. *Beneventani* Archiepiſcopi, qui triginta, & tres annos, ſicut titulus teſtabatur, in Epiſcopatum advixit. Item corpus *Stephani Levitæ*, & corpus alterius Sancti, cujus nomen ignorabatur. Corpus quidem ipſius *Joannis* Epiſcopi, & *Stephani Levitæ*, & alterius Sancti ante prædictorum inventionem Sanctorum *Martiani*, & ejus ſociorum inventum eſt, juxta Altare, in quo ipſi requieſcebant. Ad quorum vero venerabilem dedicationem Archipræſul ipſe quartam partem peccatorum omnibus, qui ad Sanctorum viſitationem convenerant, condonavit; donavit id quoque omnibus aliis, qui uſque ad octavum diem Apoſtolorum *Petri*, & *Pauli* venturum, ad dedicationem hanc convenerint; item ſub excommunicationis vinculis poſuit contra omnes male facientes illis, qui ad tantorum Sanctorum conveniſſent dedicationem.

Hoc anno *Landulphus Beneventanus* Archiepiſcopus obiit quarta die intrante menſis *Auguſti*; & *Roffridus* electus eſt, qui erat tunc Archipresbyter.

Hoc anno ſeptimo die ſtante menſis *Februarii*; *Alferius* Judex a *Porta aurea* obiit.

Anno 1120. Dominicæ Incarnationis, & ſecundo anno Pontificatus Domini *Calliſti* ſecundi Summi Pontificis, & univerſalis Papæ menſe *Martio* XIII. Indictionis. Hoc anno menſe *Majo* tertio die ante feſtivitatem Sancti *Euſtachii* magna fluminis *Caloris* venit inundatio, quam nemo viventium tempore ipſo potuerit recordari. Per idem tempus Comes *Rainulphus*, cujus mentionem fecimus congregata militum, peditumque caterva innumera, una cum *Roberto* de *Monteſuſco*, ſuper prædictum Caſtellum, quod *Tufum* vocatum eſt, commeavit: continuo Montem quendam munitum valde conſcendunt; in quo Caſtelli munitiones mirabiliter conſtruentes, vallo & aggere illud circumeunt, & lignorum machinis circumquaque componunt, & eo taliter munito, *Tufum* illud ſæpiſſime, acriterque expugnabant. *Rao* autem Caſtri Dominus viriliter obviabat. Comes igitur *Jordanus* audiens *Rainulphum* Comitem ſuper *Tufum* illud, Caſtelli munitiones conſtruxiſſe, & oris omnibus belli apparatus feciſſe, abſque mora, collecta equitum, peditumque manu copioſa, ad Caſtellum, quod *Montisfalconis* dicitur, haud longe a *Rainulphi* Comitis tentoriis tetendit. Deinde Cardinalem *Ugonem Beneventum* Regentem, & *Stephanum* Rectorem, *Roffridum*que electum accerſiri præcepit [1]; & eis advocatis ad Comitem *Rainulphum* illos deſti-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

1 *An.* 1120. *Dominicæ Incarnationis*, &c. *Deinde Cardinalem* Ugonem Beneventum *Regentem &* Stephanum *Rectorem*, Roffridum*que Electum accerſiri præcepit.* &c.] Paulo diligentiorem nunc te optaſſem, *Falco*; nam Cardinalem *Hugonem Regentem*, *Stephanum* vero *Rectorem* cum appellas, diſcreta quidem ea fuiſſe officia innuis, al-

 terum-

destinavit, addens in mandatis, quod libenter a Comite *Rainulpho* justitiam sumeret, & ipse ei justitiam conferret. Comes hæc audiens pollicitus est & accipere justitiam, & libenter sectari. Quid plura? *Tufum* illud dimittunt, & ad pontem S. *Valentini* magna Procerum caterva glomerante congregantur. Confestim coram omnibus, data fide, & accepta, treunam a septimo die stante mensis *Maji*, & usque ad Kalendas *Septembris* firmiter confirmaverunt; in qua etiam treuna Civitatem *Beneventanam* statuere.

Hoc anno quinto die stante mensis *Maji Capuani* constituerunt Principem *Richardum* filium *Roberti* Principis Dominum eorum, eo quod Princeps ipse genitor ejus infirmabatur, & eo constituto, *Capuanus* Archiepiscopus, convocatis Episcopis, aliisque viris prudentibus, & *Roffrido Beneventano* Electo, die Ascensionis Domini, quinto die ipsius *Maji* stante, Ptincipem illum consecravit. Octavo autem die post ejusdem filii sui consecrationem, Princeps ipse Genitor suus ex hoc sæculo decessit: Filius autem Principis illius, postquam consecratus est, decem dies advixit, quo defuncto, *Jordanum* prædicti *Roberti* Principis fratrem constituerunt in Principatus honorem.

Hoc anno supramemoratus Papa *Callistus* ab *ultramontanis* partibus reversus est, & nono die intrante mensis *Junii Romam* ingreditur. Unde factum est, ut *Petrus Portuensis* Episcopus, tunc Vicarius cum aliis Cardinalibus *Romæ* manentibus, aliisque Clericorum turmis, & viris utriusque sexus obviam Pontifici illi properavit. Gaudium igitur populi *Romani*, & lætitiam, si lector aspiceres, diceres, admirans, præ gaudio, tanto sub honore, & triumpho Pontificem quempiam Urbem ingressum non fuisse. Audiens itaque *Ugo* Cardinalis, qui tunc *Beneventanam* Civitatem regebat, Apostolici adventum, *Romam* festinus tetendit, & cum illo cives complures adierunt. Eodem anno, nono die intrante mensis *Julii*, *Rao* nomine Dominus *Ceppaloni* mortuus est.

Hoc anno *Bernardus* Abbas Monasterii *Sanctæ Sophiæ* tertio Kalendas *Augusti* migravit ad Dominum. Post obitum vero ipsius Abbatis quædam Monachorum pars ultimo die stante mensis *Julii* Monachum quendam *Ademarium* nomine, Abbatis *Madelmi* nepotem, in Abbatem elegerunt, ad cujus electionem *Joannes* Venerabilis Decanus, *Joannes Grammaticus* vir per cuncta laudabilis, *Rao* Sacerdos, & Monachus, aliique Monachorum sapientum non consenserunt. Unde factum est, quod discordia ineffabilis inter eos

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

terumque altero præstantius, quæ viri imparis conditionis obtinerent; ut etiam facis ad an. 1127. ubi de *Gualterio* Archiepiscopo *Tarentino Beneventum* moderante, & *Guilielmo* tunc cum eo simul Rectore: sed talium nuncupationum discrimen tute confinxisti, nec palam ipsorum munerum aperis disparitatem; qui promiscue non semel Rectores vocas tum eos, quos suprema illa potestate, tum quos minori præditos fuisse, verisimile est; quin ad an. 1129. præfato *Guilielmo* Rectori substitutum ais Rectorem *Girardum* Cardinalem, haud plane eandem, ni fallor, sed celsiorem jam dictam dignitatem obtinentem; in qua positus qui erat, administrum habere solebat Rectorem inferiorem; ut ex Falcone metipso discere est ad an. 1137. *Prius vero*, inquit, *quam Apostolicus* Innocentius *de civitate discederet*, Octavianum *Subdiaconum*, *virum prudentem*, *& sapientis animi*, *Rectorem* Beneventi *ordinavit*; *qui simul cum Domino* Girardo *Cardinali statum civitatis*, *& pacis firmamentum studiose regebat*: Vel etiam Comestabulum, & ipsum dignitate se minorem: Idem noster ad an. 1132. fautores ait Papæ *Innocentii* statuisse *Girardum* Cardinalem Presbyterum Rectorem *Beneventanorum*, & alio die *tradidisse Comestabiliæ honorem*, *& potestatem* Rolpotoni *de Sancto* Eustasio; *qui taliter ordinatus*, *cœpit simul cum Cardinali illo Curiæ statum regere*, *& justitiæ vigorem unicuique dispartiri*. Comestabilia enim, sicuti ille minor Rectoratus, proxima supremo Rectori potestas censebatur, omnisque alia erat iis inferior; indeque *Landulfus* de *Græcia* a seditiosis *Beneventanis* adactus est, ut *jurejurando firmaret* (verba sunt *Falconis* ad an. 1114.) *quod Comestabiliam*, *& Rectoraticum*, *aut aliquam Baliam publicam non acciperet*. quarum licet altera militari,

A altera civili munere esset prædita, in *Falcone* tamen non leges, tunc apud *Beneventum* eas simul, sed modo istam, modo illam observatam: nimirum quoniam si pro temporis ratione arma erant tractanda, vir præficiebatur gerendo bello aptus; qui sub militaris magistratus titulo utramque obtinebat potestatem: unde est, quod præfatus Comestabulus *Rolpoto* Curiæ statum rexisse, & justitiæ vigorem unicuique dispertiisse dicatur; & ad an. 1133. quod *cum B.* Petri *fidelibus Curiam animose gubernarit*. Sin autem nulla armorum aderat occasio, non Comestabulus, sed Rector instituebatur; qui etiam pro opportunitate milites educebat ad bellum, ut de *Guilielmo* Rectore legitur ad an. 1127. Quæ promiscua cum essent munera, ut dictum est, nunc intelligimus, non incongrue *Landulfum* de *Græcia*, olim *Beneventanum* Comestabulum, literas suas apud Papam *Gelasium* direxisse, *notificando Rectorem* Stephanum Beneventanum *ex quo ipse depositus fuerat*, *justitiam egentibus non fecisse*. Comestabuli itaque, & Rectores illi minores, sive uno, sive altero vocabulo præfigurarentur, æque forensibus, & bellicis præerant concertationibus: pari ratione ac ipsis supremis Rectoribus utraque committi consuebat cura. *Honorius* Papa, inquit Falco ad an. 1127, Gualterio Tarentino *præcepit Archiepiscopo*, *ut* Beneventum *veniens*, *civitatis negotia studiose curaret*, *& ejus consilio civitatem tueretur*. Et ad annum 1137. ait, Pontificem *Innocentium* sic *Beneventanum* Populum inter alia verba allocutum: *Cardinalem* Girardum *vobiscum morari permittimus*, *qui erga vestras utilitates assidue invigilabit*, *& pacem inter vos continebit*. quæ tamen publico Ordine urbis consulto, sive ut tunc loquebantur, consultis *Judicibus*, ipsi Rectores curabant. *Amici*, inquit Falco ad an. 1131, *ipsius* Crescentii *Cardinalis*, *& præfati Judices ad eum animose conveniunt*, *& eum hortantur*, *ut Curiæ statum simul eum eis obtineat*.



eos habita est. Hoc anno Dominus noster Papa *Callistus*, accepto consilio, *Beneventum* advenit, & octavo die intrante mensis *Augusti* Civitatem ingressus est. Audiens itaque *Beneventanus* populus ipsius adventum longe, lateque optatum, extra Civitatem duorum millium spatio gaudio magno repletus egrediebatur. Tandem Apostolicus ipse a Clericis, & Monachorum turba, & a Presbyteris, Civibusque omnibus, gloria, & gaudio magno suscipitur. Præterea *Amalphitani* omnes, plateas cunctas vestibus sericis, palliisque, & ornamentis pretiosis in adventu illius ornaverunt; infra ornamenta vero, thuribula aurea, & argentea cum odoribus, & cinnamomo posuerunt. Pedes vero Apostolici, & habenas equi Cives quatuor a *Ponte leproso*, usque ad Portam S. *Laurentii* ducebant: deinde quatuor alii usque ad Episcopium, ab Episcopio autem quatuor Judices *Joannes*, *Persicus*, ∴ ∴ ∴ ∴ & *Landulphus* usque ad sacrum *Beneventanum* Palatium detulerunt. In Comitatu Apostolici, Lector, si adesses, & tympana percussa, cymbala tinnientia, & lyras sonantes aspiceres, revera affirmares Apostolicum alium tali sub triumpho, & gaudio ingressum non fuisse Civitatem. Diebus autem non multis decursis, complures Civium, qui amici *Landulphi*, quondam Comestabuli, extiterant, Apostolicum precatur, quatenus ei copiam habitandi tribueret in Civitate. Comestabulus vero per triennium *Montemfuscum* habitaverat. Apostolicus igitur fidelium suorum precibus favens, sicut postulaverant, licentiam impendit. Continuo ouiam exeuntes cum *Jordano* Comite, qui pro eo venerat, *Landulphum* illum Civitatem introduxere. Audiens autem *Callistus* Pontifex discordiam illam, quæ inter Fratres Monasterii *Sanctæ Sophiæ*, pro electione facta supradicti *Ademarii* regnabat, Monasterium advenit, & congregatis Fratribus, satis, abundeque super electione tali locutus est. Tandem cognita rei veritate, & quia electio illa canonica, & regularis non esset, a *Petro Portuensi* Episcopo, cæterisque Cardinalibus, qui illuc convenerant, irrita, & fracta judicata est. Confestim id a Pontifice *Callisto* confirmatur. Quid multa? licentiam fratribus dedit, ut, quem vellent, Abbatem eligerent. Quo facto ad Palatium Apostolicus reversus est. In crastinum autem quartodecimo die intrante mensis *Augusti*, tota Fratrum collectio locum Capituli solitum ingreditur, ibique Spiritu Sancto mediante, de facienda electione pleniter tractavit. Interea prædictus *Joannes* venerabilis Decanus personam fratris ad tantum ferendum pondus idoneam elegit, & Fratribus in unum congregatis eam patefecit. Denique unumquemque interrogavit, si persona complaceret. At ipsi una voce, una concordia dignam fore, dignam, clamavere. Fratres vero ipsi numero fere quinquaginta convenerant, & clamantibus illis personam illam *Joannis* quidem *Grammatici*, virum prudentem, ornatum moribus comprehenderunt, & eum invitum, & renuentem, jubilando, cathedram supersedere fecerunt. Ipse autem indignum & infelicem se coram nobis omnibus clamitabat. Deinde facta est actio venerabilis sacra, & monachus virgam in manu ejus Pastoralem posuit, & eum ad locum Abbatis in Capitulo statuerunt. Continuo Decanus primum, postea fratres omnes pedibus ejus, ut moris est, advolvuntur, & unicuique pacis osculum ipse donavit. Electo autem eo, nuncium *Callisto* Pontifici dirigit Congregatio, significans *Joannem Grammaticum* electum fuisse. Audiens igitur Apostolicus, quod regulariter electio illa fieret, complacuit ei, & confirmavit. Diebus autem non multis excursis, prædictus Pontifex *Callistus* Monasterium *Sanctæ Sophia* advenit, & inter Missarum solemnia XIV. Kalend. *Septembris* præfatum *Joannem Grammaticum*, quem Congregatio Monasterii elegerat in Abbatem, consecravit. Die vero ipsius consecrationis Dedicatio Altaris B. *Mercurii* celebratur in *Sancta Sophia*. Diebus autem non multis elapsis, prius ad prædicti *Roffridi* electionem Pontifex *Callistus* inducias posuit, ut ad constitutum tempus jejunii mensis quidem *Septembris* consecraretur. Cumque ad id ventum est, magno cum honore, & diligentia eum in Sacro *Beneventano* Palatio Presbyterum statuit. In crastinum autem die Dominico coram Episcopis decem numero, sedis *Beneventanæ* suffraganeis, illum ad Pontificalem Infulam sublimavit: inter quos Venerabilis *Joannes* Monasterii *Sanctæ Sophiæ* Abbas affuit; die vero consecrationis ipsius festivitas Sancti *Januarii* celebratur.

Hoc anno biduo post consecrationem prædicti Archiepiscopi *Roffridi*, *Callistus* Pontifex, consilio accepto, deposuit *Stephanum*, qui tunc Rector fuerat, & ordinavit Rectorem *Rossemannum* Diaconum filium *Rossemanni* Monachi.

Anno 1121. Dominicæ Incarnationis, & tertio anno Pontificatus Domini *Callisti* Secundi, Summi Pontificis; & universalis Papæ, mense *Martio* IV. Indictionis [1]. Hoc anno Domina *Labinia* Abbatissa Monasterii S. *Mariæ* a *Porta summa*, infirmitate valida detenta est. Videns itaque se ad mortis transitum tendere, consilio accepto, cunctas ancillas Dei sorores suas vocari præcepit, quibus vocatis, ita eas alloquitur: Credo vestram non latere prudentiam, Sorores charissimæ, quantum erga Monasterium istud, & vestram charitatem laborum perpessa sum. Unde, Deo favente, & vestris orationibus

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1121. *Dominicæ Incarnationis*, &c. *Mense* Martio *IV. Indictionis.*] Denarii numeri notam omisit Typographus; nam hoc anno Indictio censebatur XIV.

bus succedentibus, status Monasterii hujus enituit, & ad perfectionis culmen attinxit. Nunc autem, sicut conspicitis, validæ infirmitatis periculo teneor, & certa sum ab hoc corpore cito dissolvi: familiaritatem igitur vestram suppliciter postulo, quatenus petitionibus meis faveatis, præsertim cum, Deo teste, nihil præter Monasterii proficuum a vobis petiero. Prævidi enim corde post meum discessum discordiam electionis oriundam, & Monasterii causas ad detrimentum pervenire. Unde si vestræ placuerit charitati, vivente me, dissidium hoc auferatur, & personam, quam dixero, Abbatissam statuamus. Quid plura? *Bethleem* filiam *Girardi* Comitis de *Græcis* patefecit. Audita itaque persona eis complacuit, & studium electionis laudaverunt. His actis, prædicta Domina *Labinia* Abbatissa migravit ad Dominum. Continuo *Roffridum Beneventanum* Archiepiscopum, & *Rachisium* S. *Modesti* Abbatem accersiri jubent, ut factum illud firmarent, & statuerent; qui vero petitionibus earum faventes factum illud firmaverunt. Diebus autem non multis elapsis, Archiepiscopus ipse Monasterium advenit, & Abbatissam illam secundum ordinem regulæ nobis, & multis aliis viris consecravit aspicientibus, ad cujus sacrationem *Joannes* venerabilis Abbas Monasterii S. *Sophiæ*, & prædictus *Rachisius* Abbas Sancti *Modesti* convenerunt quarto die intrante Mensis *Aprilis*.

Hoc anno XVIII. Kalend. *Junii Robertus* de *Montefusco* a *Rogerio* filio *Trogisii*, & fratribus suis apud *Beneventum* gladiis, heu miser, laceratus est; quem si, Lector, aspiceres capite horribiliter cæso, membrisque ejus divisis, & per partes diffusis, miseratione motus lacrymarum fontem super eo produceres, & de tali, tantoque homicidio mirareris. Prædictus autem *Joannes* Monasterii S. *Sophiæ* Abbas venerabilis cum quibusdam fratribus ad cadaver illud properavit, & eo viso mirabiliter horruit, mirabiliusque lacrymatus est. Nec mora, illum taliter cruentatum ad Monasterium perduci præcepit, quem juxta ritum *Christianorum* occisorum sepelierunt [1]. Confestim Comes *Jordanus Montemfuscum* properavit, & pactis intervenientibus, suæ castellum illud obtinuit potestati.

Eodem anno supradictus Pontifex *Callistus*, exercitu congregato, super Civitatem nomine *Sutrim* tetendit. *Gregorius* autem ille, quem prædictus Rex in Pontificem statuerat, Civitatem ipsam obtinebat. Quid longius moror? viribus sumptis, Civitatem illam comprehenderunt, & *Gregorium* illum, turpissime, ultra quam credi potest, injuriis afflictum ligaverunt. Deinde illum super Camelo imponentes, *Romam* taliter captivum, & vestibus propriis exutum perduxere IX. Kalend. *Majas*. Pontifex igitur *Callistus* Deo, & *Petro* Apostolo gratias agens, gaudio magno repletus, Urbem triumphans ingressus est: deinde consilio invento, ad Monasterium S. *Trinitatis*, quod *Cavæ* dicitur, illum delegavit.

His ita peractis prædictus Pontifex *Callistus*, consilio invento, *Salernum* ivit, quinto die intrante mensis *Septembris*, ut pacis firmamentum cum Duce *Guillelmo*, & *Rogerio* Comite confirmaret [2].

Hoc

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *Quem juxta ritum* Christianorum *occisorum sepelierunt*] Hunc paulo clarius descripsit ritum Aymoinus Floriac. in vita S. *Abbonis* cap. 20. de ejus agens nece. *Dubitatum*, inquit, *aliquandiu est*, *quonam in loco poni deberet. Tunc in commune placuit*, *ut quando innocenter*, *ac pro veritate*, *quæ* Christus *est*, *interemptus erat*, *in Ecclesia poneretur*, & infra. *Matutino sane tempere Feriæ quartæ cum ipsis*, *quibus indutus erat vestimentis: uti mos est sepeliri interemptos*, *inlotus etiam*, *lapideo tumulatus Sarcophago. Inlotus*, inquit; nam defunctorum hominum cadavera communiter olim lavabantur, antequam humarentur, atque vestibus quantum licebat decentioribus induebantur; non sic occisorum sine causa: nimirum quoniam sanguis eorum, si dilutus non fuisset, Divinam vindictam in percussores indesinenter clamare credebatur; juxta id quod legitur Genesis cap. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Rex autem *Chilpericus* suorum temporum alter *Nero*, ut est apud Gregorium Turon. Histor lib. 6. cap. ult. cum fuisset interemptus, *ablutus*, *vestimentisque melioribus indutus*, *in Basilica S.* Vincentii, *quæ* Parisiis *est*, *sepelitur.*

[2] *His ita peractis*, *prædictus Pontifex* Callistus *consilio invento* Salernum *ivit*, *quinta die in-*
A *trante Mensis* Septembris, *ut pacis firmamentum cum Duce* Guilielmo, *&* Rogerio *Comite confirmaret.*] Acta hæc dicit *Falco* postquam *Callixtus* Antipapam *Mauritium* ex *Sutrina* civitate vi extractum, *ad Monasterium S.* Trinitatis, *quod* Cavæ *dicitur*, *illum delegavit:* illuc, inquam, tunc primum, ut ad Anonymum *Cassin.* est notatum. Et quidem etiam *Baronius* in *Callixti* potestatem *Mauritium* hoc anno 1121. venisse assentitur, quod non antea contigisse, ad præfatum Anonymum exposuimus. At idem Dux *Guilielmus*, ut perhibet *Romualdus Salernitanus*, quem præfatus sequitur *Baronius*, in *Beneventano* Palatio in anno
B antecedenti, ante captum Antipapam, ligius homo Papæ *Callixti* factus, Ducatum ab eo per vexillum recepit; eodemque mense illum *Trojam* venientem officiosissime coluit. A quo haud dissona tradit *Petrus Diac.* lib. 4. cap. 68. dicens, *Callixtum Benevento Trojam* descendisse, ac more antecessorum suorum a Duce *Guilielmo* fidelitate recepta, *Romam* esse reversum, ac *Mauritium* deinde cepisse. Nec ego temere fidem his auctoribus denegaverim; verum id non apud *Beneventum*, quod non siluisset *Falco*, pluscula *Callixti* ibi gesta prolixius elocutus; sed primum apud *Trojam*, quam causam illuc procedendi habuisse videtur
C Papa; & demum iterum apud *Salernum* in an. 1121. interventu etiam *Siciliæ* Comitis *Rogerii*, peractum reor.

Hoc anno IV. Kalend. *Septembris* Archiepiſcopus *Salernitanus* nomine *Alfanus* defunctus eſt. Quo defuncto, *Calliſtus* ſupramemoratus Pontifex *Romualdum* Diaconum Cardinalem Archiepiſcopum *Salerni* conſecravit menſe *Septembris* mediante.

Hoc anno *Robertus Sclavus* obiit decimo die ſtante menſis *Decembris*, & *Rachiſius* Abbas Sancti *Modeſti*, ad cujus obitum *Joannes* Venerabilis Abbas Monaſterii S. *Sophiæ* cum quibuſdam Fratribus properavit. Continuo cadaver ejus ex more paratum ad Monaſterium ſepeliendum perduxit: deinde peractis exequiis in tumba quadam marmorea poſitum eſt.

Aliud quoque ſi placuerit explicabo; ſeptima namque die Kalendarum *Martiarum* *Agnes* Abbatiſſa Monaſterii S. *Petri* Apoſtoli, quod ſitum eſt intra Civitatem *Beneventanam*, in ſacro *Beneventano* Palatio, aſcendit, & ſuper *Bethleem* Abbatiſſam Monaſterii *Sanctæ Mariæ*, quod eſt conſtructum ad Portam Summam conqueſta eſt, videlicet, quod contra voluntatem ſuam Abbatiſſa effecta eſſet de prædicto Monaſterio *Sanctæ Mariæ*, affirmans quidem Monaſterium illud ſuæ ditioni poſitum, & Monaſterio Beati *Petri* ſubditum eſſe. Apoſtolicus autem hoc audiens, prædictam *Bethleem* vocari præcepit, ut juſtitiam ex hoc conſequeretur [1]. Continuo adveniens querimonias audivit, & per Advocatos ſuos reſpondit, ſe dictis illius fidem dare non debere, niſi rationibus ſcriptis, quæ dixerat, probaret. Tunc Apoſtolicus, quia valde infirmabatur, & curiam in conſpectu ſuo ſervare non poterat, *Dionyſio Tuſculano* Epiſcopo, & *Chryſogono* Cancellario, *Roberto Parienſi*, & aliis Cardinalibus præcepit, ut ſuper hoc negotio Judices exiſterent, & diſcordiam utriuſque Monaſterii, rationibus cognitis, ſedarent; quod & factum eſt. His ita decurſis præfata *Agnes* Abbatiſſa per Advocatum ſuum oſtendit privilegium quoddam, per quod *Leoprand* olim Dux Civitatis *Beneventanæ* conceſſit, & tradidit prædictam Eccleſiam *Sanctæ Mariæ* cum omnibus ſuis pertinentiis ſub jure, & domino prædicti Monaſterii S. *Petri* Apoſtoli. Oſtendit item privilegia, quibus *Pandulphus* Princeps, & ejus ſucceſſores confirmaverant eandem Eccleſiam S. *Mariæ* ſub poteſtate jam dicti Monaſterii B. *Petri*. Iterum protulit alia privilegia, & munimina ipſius, Monaſterio pertinentia. Ad hæc jam dicta *Bethleem* Abbatiſſa Monaſterii S. *Mariæ* per Advocatum ſuum produxit in medium chartas, & inſtrumenta ejuſdem Monaſterio pertinentia, in quibus continebatur, a quinquaginta annis jam præteritis, & uſque ad præſens Abbatiſſam continuatim in Monaſterio S. *Mariæ* præfuiſſe; ex quibus prior fuerat *Labinia* nomine; ſecunda *Sicelgarda*; & aliæ, quarum nomina in earum inſtrumentis legebantur. Nos autem memoriæ ducimus ex moderno tempore Abbatiſſam *Labiniam* eidem Monaſterio ſecundam præfuiſſe. Similiter in ipſis muniminibus legebatur, præpoſitas ipſi Monaſterio per ſe cauſas, & negotia, & præfuiſſe, & egiſſe. Oſtenſis itaque ab utraque parte privilegiis, & munitionibus illis, & lectis, Prædicti Cardinales Judices dati in partem euntes, ſuper auditis querimoniis ſententiam protulerunt: Ventilata igitur ſententia ex communi conſulto Domino Papæ *Calliſto* eam intimavere, ut ipſe, quam invenerant, ſententiam confirmaret. *Calliſtus* autem Pontifex abſque mora, dicta eorum & confirmavit, & fidem attribuit; & ſententia talis fuit, videlicet, ut prædictum Monaſterium S. *Mariæ* a modo, & perpetuo propriam habeat Abbatiſſam, a *Romano* quidem Pontifice conſecrandam, ita ut Sororum congregatio apud idem Monaſterium S. *Mariæ* degentium poteſtatem habeat eligendi Abbatiſſam, qualem voluerit, ſalvo tamen cenſu, quem pars ipſius Monaſterii perſolvat annualiter ad prædictum Monaſterium S. *Petri*, quatuor oblatas ſcilicet, & duos cereos in Nativitate Domini, in Reſurrectione totidem, in Aſſumptione B. *Mariæ* totidem. Super etiam ſententiam ipſam Apoſtolicus ipſe ſcribi præcepit, & a cunctis præfatis Cardinalibus conſtitutis per hoc Judicibus, teſtari mandavit. In quo vero libello judicii ipſe Pontifex manu propria ſe ſubſcripſit. Confirmata itaque, & ſic roborata tali ſententia, prædictæ *Bethleem* venerabili Abbatiſſæ illam delegavit talibus, & tan-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Apoſtolicus autem hoc audiens*, &c.] Septima die Kalendarum *Martiarum*, deſinente anno *Falconiano* 1121, inchoato autem anno communi 1122. coram *Callixto Beneventi* tunc degente, *Falco* perhibens proclamaſſe *Agnetem* Abbatiſſam Monaſterii S. *Petri* Apoſtoli ſuper *Bethleem* Abbatiſſam S. *Mariæ*, hoc quidem dicto, non alio apertiori ſermone prodidit, Papam *Salerno* digreſſum ſe contuliſſe *Beneventum*. Cui tunc, ut puto, Sugerius Abbas S. *Dionyſii*, quod ipſe de ſe ait in Vita *Ludovici Groſſi*, *in* Apuliam (ſic dicit *Italiam* hanc omnem cis *Tyberim*) *apud civitatem* Beneventum (non *Botontum*, ut depravatus A ejus Codex; nec. *Bitontum*, ut legit *Baronius*, qui hæc refert in antecedentem *Callixti* ad nos adventum, quando vere ille in *Apuliam*, ac *Trojam* proceſſit) *miſſus a Dn. Rege* Ludovico *pro quibuſdam Regni negotiis occurrit*. Id autem in anno 1122. cum *Beneventi Callixtus* iterum adeſſet, accidiſſe, ex *Sugerio* metipſo fatendum eſt; qui tradit, *Mauritium* Antipapam pridem devictum fuiſſe, annoque ſequenti ab eodem Pontifice celebratum Concilium *Lateranenſe*, quod in anno actum conſtat 1123, ut paulo poſt dicam. Quos autem raptores *Italiæ*, & *Apuliæ* tunc a *Callixto* perdomitos idem ibi innuat Auctor, haud novi. B Cæterum ſecundus iſte *Callixti* adventus *Beneventum* latuit *Baronium*, quem non latuit *Falco*.

& tantis ornatam Cardinalium testimoniis, quatenus a modo, & perpetuis temporibus pars Monasterii ipsius quieta permaneat, & sine aliqua, a parte B. *Petri*, perturbatione, molestiave consistat. Præterea privilegio signato, confirmavit idem monasterium S. *Mariæ* cum omnibus possessionibus ei pertinentibus, quatenus omni tempore inviolatum permaneat, & sine cujuslibet contrarietate vigorem obtineat.

Anno 1122. Dominicæ Incarnationis, & quarto anno Pontificatus prædicti Domini *Callisti* Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ mense *Martio* XV. Indictionis. Hoc anno Dux *Guillelmus* filius *Rogerii* Ducis ad *Rogerium* Comitem filium *Rogerii* Comitis *Siculorum* descendit, conquerens de *Jordano* Comite *Arianensi*, ut ei auxilii manum, & virtutis militum, & divitiarum ei largiretur, quatenus ejus auxilio de *Jordano* Comite ultionem perciperet. Cumque Dux ipse ad Comitem illum applicuisset, precibus multis, lacrymisque taliter exorsus est. Ad vestram Comes egregie descendi potentiam, tum pro consanguinitatis vigore, tum pro divitiarum tuarum magnitudine de *Jordano* Comite querimoniam facturus, & suppliciter postulans, ut vestro vallatus auxilio super illo ulciscar. Nam cum die quadam ego Civitatem *Nuscum* intrarem, en Comes ille *Jordanus* militum suorum caterva stipatus ante Portam ipsius Civitatis advenit, & contumelias multas, & convicia mihi inferens minatus est, quia mantellum tuum ego curtabo [1]. Deinde Civitatem ipsam *Nuscum* circumquaque perlustrans omnino deprædatus est. Ego vero quia prævalere in eum non poteram, invitus sustinui, & diem rogavi ultionis. Et his actis, Comes ille horis omnibus multis, variisque afflictionibus nos dehonestabat. Quid multa? Medietatem suam *Palermitanæ* Civitatis, & *Messanæ*, & totius *Calabriæ* Dux ille eidem Comiti concessit, ut ei super his omnibus auxilium largiretur. Continuo sexcentos milites, & quingentas uncias auri ei largitus est. Nec mora: Dux ille adveniens terram Comitis *Jordani* aggrediens die S. *Joannis Baptistæ* Castrum *Rosetum*, & alia multa ei abstulit. Inde procedens in festivitate Sanctorum *Joannis*, & *Pauli* Castellum *Montis Jovis* insiliens, igne, ferroque illud consummavit; & quinquaginta milites ibi comprehendens, arma eorum, & spolia secum gaudens deportavit. Et inde procedens *Castellum Apicis*, ubi Comes ille morabatur, obsedit. Ad Ducis namque auxilium *Crescentius* Cardinalis tunc Rector *Beneventanus* cum *Beneventanorum* cœtu festinavit. Quid multis? Comitem illum, & *Castrum Apicis* suæ obtinuit potestati. Comes itaque *Jordanus*, Ducis pedibus, sicut ipsi vidimus, qui aderamus, prostratus, misericordiam ei postulavit. Dux autem precibus multis coactus præcipue Comitis *Rainulphi*, qui aderat, liberum eum, & ubi vellet abire permisit: qui vero Comes *Montemfuscum* properavit: & his actis Civitatem *Ariani*, & totius sui Comitatus confinia, ejus submisit potestati. Cumque Comes ille *Jordanus Montemfuscum* ascendisset, dies quindecim ibi moratus est. Continuo *Landulphus* de *Græca* ejus adversarius conspiratione firmata eum de *Montefusco* ejecit, qui taliter ejectus *castrum Morconis* adivit, ibique per annum habitavit; quibus ita patratis Dux ipse *Montem Corvinum Salerni* proximum obsedit. *Fulco* itaque Dominus Castri illius, quia resistere non poterat, Castellum illud Ducis submisit potestati. Eodem tempore *Richardus* filius *Guarini* de *Formari* a villanis suis est trucidatus. Audiens autem Dux prænominatus taliter *Richardum* illum trucidatum esse congregato exercitu *Montem Vicum* festinavit, & inauditam de homicidis illis accepit ultionem, & Castellum illud igne, ferroque consummavit; & duos Presbyteros, qui ad mortem illius consenserant, laqueo suspendit. His, aliisque negotiis ita decursis, Dux ille milites, quos a Comite *Rogerio* acceperat, ei remisit; cumque sicut prædiximus, *Jordanus* Comes exhæredatus fuisset, consilio *Ugonis* Infantis, & *Raonis* de *Boscone*, & *Raonis* de *Fraineta* invento, *Castellum Paludis* comprehendit. Audiens autem Dux prænominatus Castellum illud captum fuisse, exercitu aggregato Castrum illud obsedit mensibus tribus. Tandem Dux ille videns, quia sic cito capi non poterat, Principem *Jordanum Capuanorum* rogavit, ut ei auxilium præberet, & pro auxilio offerendo *Castellum Apicis*, & *Acernum* ei largitur. Continuo Princeps ipse congregato exercitu super *Apicis Castrum* advenit, & ex hac parte in planitie castrametatus est. Præterea Dux ipse *Beneventanis* mandavit, ut neque sibi, neque Comiti *Jordano* auxilium præstarent, & daret eis, & concederet totas fidantias, & pensiones, quæ a Castello *Fenuculo*, & usque ad Castellum *Montisfusculi* exibant

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1122. &c. *Contumelias multas, & convicia mihi inferens, minatus est: quia mantellum tuum ego curtabo.*] In Sacris literis lib. 2. Reg. 10. *Hanon* contumeliæ etiam causa *præscidit vestes servorum* David *medias* (Septuaginta legunt. *Mantella*, quam lectionem noster imitatus videtur) *usque nates.* Sed & Regis *Rogerii* Cancellarius *Guarinus* apud *Petrum Diac.* lib. 4. cap. 100. paribus minis opprobria etiam paria in *Cassinenses* Monachos se illaturum vociferabatur; dicebatque, *se incisurum illis, & labrum, & nares, & vestes illorum medias usque ad nates.* qua contumelia, olim frequenter solita irrogari, qui afficiebantur, cum abirent, quia utraque pudenda manibus tegere conabantur, dicterio occasionem dedere, in eos usurpari consueto, quos aliqua cum ignominia ad sua rediisse, vel redituros notamus.

exibant de hæreditatibus *Beneventanorum*; quod *Beneventanis* complacuit, & sic pactis firmatis juratum est ab utraque parte. Cumque Comes ille *Jordanus* taliter se coactum aspiciens, in manus prædicti Principis se, & *Castellum Paludis* summisit: & ipse cum suis prædictis consociis inde exeuntes ad propria reversi sunt, Comes vero *Jordanus Castrum Morconis* ingressus est; & sic pace firmata Princeps ipse *Capuam* revertens, temporibus multis *Castrum Apicis*, & *Acernum* obtinuit. Deinde Dux ille super *Castrum Morcone* milites, & peditum catervas opposuit, cogitans & Comitem, & Castellum illud suæ obtinere ditioni, quod facere minime potuit. Deinde Dux præfatus *Salernum* adivit, & de multis, variisque sudoribus, quos perpessus fuerat, requiem adeptus est: sicque usque ad diem obitus sui Terra sui Ducatus a bellorum turbinibus siluit, & quievit. Et ipso anno, duodecimo die intrante mensis *Augusti* copia piscium in *Caloris flumine* apparuit, ita quod mulieres, & viri manibus tantum, sine retibus, capiebant.

Anno 1123. Dominicæ Incarnationis, & quinto anno Pontificatus Domini *Callisti* Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense *Martio*, primæ Indictionis, supradictus *Callistus* Pontifex consilio salutis accepto, *ultramontanos* omnes fere Episcopos, & Archiepiscopos, & Abbates, & totius, ut ita dicam, *Italiæ* Ecclesiarum Pastores accersiri præcepit, quatenus, Sancta Synodali confabulatione firmata, pactum cum Imperatore *Henrico* positum perpetuo confirmarent [1]. Ad cujus sacri Conventus præsentiam *Roffridus Beneventanus* Antistes honeste properavit. Ordinato itaque Concilio tali, & tanto, Apostolicus ipse Sacramenti privilegium, quod prædictus Imperator constituerat pacis, in conspectu omnium, qui convenerant adduci, & legi præcepit. Continuo ab omnibus confirmatum est, & commendatum. Inter cætera vero, quæ ibi statuta sunt, treugam Dei tenendam posuerunt. Item vinculis anathematis alligavit Apostolicus ipse, si quis *Beneventanam* Civitatem ex B. *Petri* potestate auferre tentaret; & multa alia, quæ huic opusculo affigere longum visum nobis est: excogitans quidem me fastidia addere, si libello tali universa componerem. Alias vero scripta omnia, & notata invenietis. Audivimus autem, & quod revera est comperimus tale, tantumque pacis firmamentum infra *Romanam* Urbem temporibus prædicti Apostolici advenisse, quod nemo Civium, vel alienigena arma, sicut consueverat, ferre ausus est: & Concilio celebrato, *Beneventum* venit prædictus Apostolicus *Callistus*, & quædam negotia *Beneventanorum* tractavit.

Eodem anno *Landulphus* de *Græca* supranominatus, XII. Kalendas *Decembris* obiit, & ad Ecclesiam suam S. *Maximi* sepultus est. Cumque prædictus Pontifex *Callistus Beneventum* venisset, vocari fecit præfatum *Roffridum* Archiepiscopum, ut audiret quorumdam Civium accusationes, quæ ei inferebantur. Accusatus enim fuerat, quod simoniace Archiepiscopatus honorem accepisset. Tunc Præsul ipse, vocatis quibusdam suffraganeis suis, & presbyteris Civitatis sacrum ascendit Palatium, & accusatoribus auditis, inducias postulavit, & acceptis induciis respondit: Paratus sum Pater Sanctissime, juxta canonica instituta ab his purgari accusationibus, & vestram sequi jussionem. Tandem juravit ipse primum, cum duobus Episcopis, & tribus Presbyteris, simoniace non fuisse ingressum [2].

Anno 1124. Dominicæ Incarnationis, & VI. anno Pontificatus Domini *Callisti* Papæ. Hoc anno præfatus *Roffridus Beneventanus* Antistes, consilio accepto, corpus Sanctissimi Patris nostri *Barbati Beneventani* Præsulis ex Altaris tumba, qua per multa annorum curricula quieverat, abstraxit: Altare vero illud non honeste, prout decebat, habebatur; præcipue quia structura novi Episcopii ad locum ipsius Altaris producebatur: idcirco inde amoveri juxta fabricæ sententiam oportebat. Archiepiscopus itaque prænominatus Episcopos duos suos suffraganeos vocari præcepit, quatenus eorum consilio, & auxilio talis, tantusque copiosus thesaurus inveniretur. Continuò quibusdam Civibus advocatis, & Clero, medio noctis silentio, Archipræsul *Roffridus* Ecclesiam ingrediens ad Altare superius nominatim adivit, & coram omnibus, Episcoporum solatio, illud confregit; & Altare fracto Sanctorum reliquiæ, quorum nomina nesciuntur, inventæ sunt; quibus eductis in altum fodi præcipitur, ut diu desideratum pignus præfati corporis videretur. Nec mora, lapis quidam pretiosus invenitur, ex omni parte acriter, miroque laboris opere conclusus, quem vectes ferrei sustentabant: & eo invento, lætitia eos invasit immensa, qui ad tollendum lapidem viribus omnibus conabantur: sed quia

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1123. *Dominicæ Incarnat.* &c. *Mense* Martio *primæ Indictionis supradictus* Callixtus *Pontifex consilio salutis accepto*, Ultramontanos *omnes fere Episcopos*, &c. *accersiri præcepit*, &c.] In præsentem etiam annum hanc *Lateranensem* Synodum A conjicit *Robertus* de *Monte*, & Chronicon *Ciccanense*; a qua sententia stat quoque *Rigordus* in *Ludovico*, ut expositum est supra. Sed *Baronius* eam statuit ad antecedentem.

[2] *Tandem juravit ipse primum*, &c.] Canonica ea dicebatur purgatio, de qua *Jureto* ad *Ivonem*, aliisque observata, non repeto.

quia fortiter ob duritiem operis tenebatur lapis ille, assensu omnium frustatim confringitur. Quo sublevato, divina gratia favente, Beatissimi *Barbati* corpus inventum est. Præfatus itaque Archiepiscopus, primus omnium locum ingreditur, & ossa, ciseremque advolvens, gaudio magno, laudibusque sonantibus, ad medium propalavit. O quale gaudium, Lector, aspiceres, & alacritatem, cum longe margaritas optatas temporibus nostris invenimus. Ossa autem collecta ad Altare S. *Sebastiani* Clericis cantantibus Hymnos, producuntur. Mane autem facto, tota Civitas catervatim prorupit, & Deum omnium conditorem laudabant, qui eis tale, tantumque B. corpus *Barbati* largiri dignatus est. De ossibus namque ipsius vidimus quædam, & osculati sumus. Quibus ita peractis, præcepit Archiepiscopus, ut primum Presbyteri *Portæ Summæ*, & clerici simul cum laicis ad Episcopium descenderent, & coram sacratissimo *Barbati* corpore vigilias celebrarent. Confestim ex jussu Archipræsulis Sacerdotes conveniunt, & cereis, lampadibusque accensis, simulque magno laicorum comitatu utriusque sexus, & ætatis, jubilando descendimus; sicque unaquæque Civitatis Porta diebus singulis usque ad octavum diem peregit. Die itaque octavo adveniente pridie Kalend. *Junii* sub Altari lapideo corpus B. *Barbati* præfatus Archiepiscopus duobus secum Episcopis adhibitis, locavit; & eo taliter locato, Altare in honore B. *Barbati* dedicavit; ad cujus dedicationis solemnitatem turba multa Civitatis convenit, quatenus delictis eorum Deus Omnipotens indulgeret. Archiepiscopus itaque jam fatus loco eminentiori ascendens, ut videri, & audiri ab omnibus posset, peccatorum partem, divina favente clementia, condonavit. Donavit item aliis omnibus, qui usque ad octavum diem festivitatis Sanctorum Apostolorum *Petri*, & *Pauli* ad dedicationem illam devote concurrunt. De miraculis autem, quæ ob prædicti Patris nostri *Barbati* merita honoremque *Iesus Christus* humani generis amator, nobis omnibus aspicientibus ostendere dignatus est, licet sermone inculto, Paternitati vestræ explicabo. Cum enim sicut supra scriptum est, B. corpus venerabile in conspectu omnium ad Altare S. *Sebastiani* per dies octo teneretur, vir quidam, *Joannes Sutor* vocabulo, Episcopium ingreditur, & ante Sanctissimi *Barbati* corpus terratenus lacrymis rigantibus prosternitur, qui continuo a Clero, populoque astante, qua de causa defleret, interrogatur, & ille cuncta, quæ reciderant, a vestigio patefecit. Dum ego noctis silentio in stratu quiescerem, meo corpori somno debito soporatus, en adest ante oculos vir quidam canitie venerandus, vestimentis indutus dealbatis, qui vero paulatim accedens stratui meo appropinquavit: Et quare, inquit, cum cæteris ad vigilias canendas coram ossibus præterito die non advenisti meis? Et ego, Pater, quoniam dolore gravi, uti constat, brachium meum cum dextera tenebatur; sed etenim mensium spatio miser ego tali languore perturbor, addidique: Dicito mihi, quo nomine Pater vocaris? & ille, *Barbatus*, ait, *Beneventanæ* quondam Civitatis Episcopus. Subjunxit item: Brachium, & manum ipsam cito mihi ostendas. Tandem ego, quia dolore torquebar, non citissime manum extendi; extensam tamen tetigit eam, & ita cursu rapido dolor ille dilabitur, ac si nunquam manum cum brachio dolor ipse tenuisset. Protinus mane facto surrexi, & sanitatem cito exortam mirabar. Adveni itaque gratias, & laudes Creatori omnium Deo, & *Barbato* Sanctissimo Præsuli, cujus meritis evasi, redditurus. His ita actis, atque narratis, tintinnabula omnia Episcopii pulsari jubentur, ut Civitatis populus ad audiendum, videndumque tale, tantumque miraculum convenirent. Prorupit continuo tota fere Civitas, & Medicorum omnium Medicum gloriosiorem benedicendo laudavimus: manum illius brachio curatam scriptor ego palpavi: vicini namque illius testabantur, quod tempore longo eum infirmari cognovissent. Quo viso ad propria, lætitia referti reversi sumus. Aliud quoque miraculum, quod Redemptor generis humani *Christus Iesus* diebus ipsis operatus est, ad præfati Patris nostri *Barbati* gloriam enarrabo. Rusticus quidam de *Castello Montisfusci* habitator, tantique Viri famam Sanctitatis audiens, *Beneventum* venit, qui per longa annorum curricula nervis cruris, pedisque arefactis claudicaverat; tenebatur quidem jugiter dolore terribili, & quasi pede ad clunes ligato miser ille omnibus horis cruciabatur. Continuo ante Basilicam Sancti *Barbati* prosternitur, Redemptorem omnium Deum efflagitans, quatenus ei pristinam restitueret sanitatem: & eo taliter orante, soporis gravitate arripitur, & ceu semivivus noctis unius spatio ibi moratus est. Noctis igitur ipsius silentio, en adest vir quidam ætate senili productus, canitie veneranda locupletatus, qui sicut ex ejus lingua audivimus, eum taliter expergefactus est: Surge, ait, festinus, & propera Altare nomini meo consecratum exquirens, ibique favente Salvatoris clementia, sanitatis gaudia longe, lateque optatæ consequeris. Et ille: Quis es, inquit, qui mihi tanti thesauri pondus promittis? *Barbatus*, ait, *Beneventanæ* Civitatis Episcopus. Confestim claudus ille audaciam sumens loquendi, Non possum, ait, infelix ego sic pergere; videsne qualiter pede siccato cruciatus hic ego permaneo? tuæ namque sanctitatis famam persentiens cursu rapido asello supersedens adveni, ut tuis intercessionibus salutis optatæ lætitiam adipiscar. Nec mora; Pater ille *Barbatus* manum extendens, pedem aridum, & tibiam tangit, inquiens; Festina celeriter, & sanitate accepta ante Altare te prosternito.

nito. His auditis surrexit sanus qui fuerat claudus, & alta voce Deum laudat, per quem sibi dona salutis talia donantur, per quem sibi gaudia dantur. Et mane facto Ecclesiam ingreditur Deo, & Patri *Barbato* gratiarum actiones redditurus. Narrat itaque, qui claudus fuerat, e vestigio cuncta, quæ sibi acciderant, populo advenienti, & qualiter longo ex tempore claudicaverat nervis contractis. Fatebatur etiam præfatum Episcopum *Barbatum* sibi apparuisse, & ejus interventu sanitatem accepisse desideratam. Fragor interea tanti miraculi Civitatis partes, partiumque angulos invadit, & catervatim ad videndum hominem Cives properaverunt. Quo viso factorem omnium laudantes ad propria remeavimus. Diebus autem non multis elapsis, mulier quædam manus aridas, nervosque obductos ferens ad beneficia Præsulis *Barbati* accucurrit; quæ coram Altaris præsentia accubuit, & lacrymis manantibus Salvatoris misericordiam invocabat. Lacrymas autem ejus Omnipotens Dominus ex alto aspiciens, & confessoris sui *Barbati* gloriam ostendere volens, qualis, quantique apud eum triumphi consistit, coram omnibus, qui convenerant, manus sic arefactas cæpit mulier illa ad cælum erigere; deinde voce clara prorupit sanitatis auxilium in manibus, & nervis circumflexis sensisse, digitos revera curvatos aperuit, & compages digitorum omnium gratia divina favente solutæ sunt. Ad hæc populus fere totus festinat, & cælorum Regem, Patremque nostrum *Barbatum* benedicendo magnificavimus.

Hoc anno tanta fuit fertilitas vini, quod nobis, & multis aliis videntibus, centum saumæ pro triginta denariis vendebantur. Eodem anno supramemoratus Papa *Callistus*, duodecimo die stante mensis *Decembris*, migravit ad Dominum, post cujus obitum Cardinales omnes *Ostiensem* Episcopum nomine *Lambertum* in Pontificem *Honorium* elegerunt; qui vero *Callistus* annis quinque, & mensibus novem Pontificatus Cathedram gubernavit. Continuo *Honorius* ipse Pontifex ordinatur, *Petrum* Presbyterum Cardinalem Rectorem apud *Beneventum* delegavit.

Anno 1125. Dominicæ Incarnationis, & primo anno Domini *Honorii* mense *Martio* tertiæ Indictionis: hoc anno undecima nocte mensis *Octobris* adveniente, novum, terribileque *Beneventi* advenit prodigium: & ut audivimus etiam per Civitates alias, & Oppida Civitati *Beneventanæ* contigua. Nocte siquidem illa, nobis omnibus sopori debito incumbentibus, terremotus subito factus est inauditus, ita quod universi nos exterriti mortem expectabamus. Continuo Civitatis populus expergefactus lacrymis, singultibusque exæstuans, ad Episcopium festinavit, alii quidem Civium ad Monasterium *Sanctæ Sophiæ*, Deum precaturi Salvatorem omnium, festinavimus. Terremotus vero sic terribiliter accidit, quod Turres, Palatia, & universa Civitatis ædificia concussa tremebant; terra quoque, & saxa a tanti tremoris formidine in duas partes scissa sunt: muri quoque Civitatis ruentes domos quorumdam terratenus prostraverunt. Regem vero testamur æternum, terram sub pedibus cerneres labefactari. Quid dicam? terremotu tanto stupefacti, & præ timore insolito arescentes ad ima descendere cogitabamus: sicque usque ad Solis ortum, locis Sanctorum gemitibus, lacrymisque adhærentes, fletibus multis precabamur Dominum corporum, & animarum salubrem medicum, ut pietatis viscera nobis indignis largiretur. Tertio, ut ferebant, & quarto terremotum illum accidisse nocte illa affirmabant. Die vero insecuta circa meridiem, en adest iterato terremotus concutiens, quod, si Lector adesses, oculata fide universa Civitatis ædificia tremere, & palpitare videres. Præfatus igitur Pontifex *Honorius*, qui tunc apud Sacrum Palatium *Beneventanum* morabatur, tanti terremotus concussionem nocte illa persentiens, Cameram egreditur, & *S. Joannis* Basilicam properavit. Continuo terratenus prosternitur, & coram Altari *Salvatoris Dei* misericordiam lacrymis irrigantibus invocavit. Mira res, & omnibus inaudita viventibus, quæ nusquam temporibus istis, & a quibus recordari potuerit, sic evidenter accidisset. Nocte siquidem semel terremotus concussionem advenisse complures memoriæ ducimus, & firmamus. Nunc vero die, noctuque sæpissime ad quindecim usque dies terremotus tempestas perduravit: ex cujus terremotus formidine Cives stupefacti ad Episcopium, & ad Ecclesiam S. *Leonis* Papæ cum Litaniis, & magno lacrymarum singultu viri, & mulieres, parvuli quoque clamantes ad Dominum festinarunt. Quin etiam præfatus Pontifex *Honorius* Cardinalibus vocatis nudis pedibus magnas super hoc ad Deum lacrymas preces effudit.

Anno 1126. Dominicæ Incarnationis mense *Martio* IV. Indictionis, hoc anno Imperator *Henricus* obiit.

Anno 1127. Dominicæ Incarnationis; Hoc anno Dux prænominatus *Guillelmus*, septimo Kalendas *Augusti* mortuus est. Continuo uxor ejus crines suos, quos pulchros, & suaves nutrierat, coram omnibus, qui aderant totondit, & lacrymis manantibus, vocibusque ad astra levatis super Ducis defuncti pectus projecit. Nec mora, totius Civitatis *Salernitanæ* partes obitus Ducis fama perculsit; & sic catervatim cursu præcipiti populus omnis ad Palatium properavit, cupiens Ducis illius defuncti cadaver aspicere, & eo viso humilitatis ejus, & pietatis reminiscentes, crinibus, genisque evulsis, Patrem

eorum, & Dominum mirabiliter invocabant [1]. Confestim Archiepiscopus Civitatis, Clero accito ad deferendum corpus adivit, & eo in feretro gloriose imposito, quatuor ejus, quos dilexerat, equos, ante feretrum usque ad Episcopium Sancti *Matthæi* duxerunt, similiter quatuor aurea vexilla coram eo imposuerunt. Lector itaque si adesses, utriusque sexus populum deflentem aspiceres, & miratus affirmares Ducem aliquem, vel Imperatorem tali sub mœstitia nunquam sepultum fuisse. Exequiis igitur ex more celebratis, in tumba pretiose parata Ducem illum sepelierunt. Cumque Ducis illius mortem fama per totius *Apuliæ* partes ventilaret, Comes prænominatus *Jordanus*, quia a Duce illo exhæredatus fuerat, auxilio militum arrepto, *Montemfuscum* ascendit, die videlicet sepulturæ præfati Ducis, & quia ibi complures amicos habuerat, Comes ille *Montemfuscum* obtinuit. Deinde totius sui Comitatus comprehendit Civitates, & Oppida, & sic in integrum lucratur, quod perdiderat. Diebus præterea quindecim evolutis, *Robertus* filius *Richardi* Comitem præfatum precatur, ut in ejus subveniret auxilio, quatenus Civitatem *Florentinum* capere potuisset. Comes itaque *Jordanus*, ut erat ardentis animi, absque mora militibus sumptis, festinavit. Continuo tubis sonantibus, Civitas illa ex omni parte aggreditur, & Comes ille ad portam quandam insiliens ingredi satagebat; Custodes autem turris tantam aspicientes audaciam cæperunt lapidibus, gladiisque obsistere. Tandem divino judicio superveniente, Comes ille sub lapidum densitate oppressus vitam, & totius sui Comitatus amplitudinem, quam acquisierat morte infelici amisit. Cumque *Rogerius* Comes *Siculorum*, mortem Ducis *Guillelmi* agnovit,

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1127. *Dominicæ Incarn.* &c. *Et sic catervatim, cursu præcipiti Populus omnis ad Palatium properavit, cupiens Ducis illius defuncti cadaver aspicere*, &c.] Eodem ritu a cuncto Clero, & Populo civitatis *Trojæ*, per turmas scilicet dispertito, Ducem *Raynulfum* sepulturæ traditum narrat idem noster ad an. 1138. Nec diverso admodum modo Hugo Falcandus ait comploratum primi Regis *Guilielmi* obitum: *Per totum*, inquit, *triduum mulieres, nobilesque matronæ, maxime* Saracenæ, *quibus ex morte Regis dolor non fictus obvenerat, saccis opertæ, passis crinibus, & die, noctuque turmatim incedentes, ancillarum præeunte multitudine, totam civitatem ululatu complebant, ad pulsata tympana cantu flebili respondentes.* Sic etiam de *Boni Neapolis* Ducis morte, ut legitur in ejus Tumulo, *Neapolitani turmatim* condoluerunt. Nec tantum in luctu ejusmodi mos servabatur, sed etiam in publica lætitia. Idem Falco ad an. 1139. *Audiens*, inquit, *Populus* Romanus *Domini Papæ* Innocentii *adventum, catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno, & honore suscepit.* Quin non alio ordine ad sacras tunc procedebant, conveniebantque præcipuas solemnitates, easque celebrabant. *Anastasium* Biblioth. sic capio in *Leone* 3. dicentem, quod *Romæ*, qua die idem Pontifex a *Romanis* clericis lingua, & oculis fuit privatus, indictis majoribus Litaniis, *omnes tam viri, quam fæminæ devota mente catervatim in Ecclesia B.* Christi *Martyris* Laurentii, *quæ* Lucinæ *nuncupatur, ubi & collecta prædicta inerat, occurrerant.* Nec nisi catervatim etiam recedebant: idque est S. *Paulino Nolano* in Natali 7. *solvere cœtus a Templo.* Catervas autem tales regionatim collectas disco ex *Gisleberto* in vita S. *Romani* lib. 2. cap. 15. apud Biblioth. *Floriac.*; ubi de pueri cujusdam matre, surdi, & claudi, quæ viderat per somnium, se ad Sanctorum Ecclesias illum detulisse, sanitatemque ei expostulasse: *Quibus ita visis*, inquit, *superveniente diei splendore, audivit referri a commanentibus, quod ad S.* Romanum *ire, ac peculiare deberent orationum celebrare sacrificium. Quem laborem tota cum illis suscipiens industria, eorum juncta agmini, unicum detulit pignus ad limina præfati protectoris.* Sed adverte, peculiare illud fuisse sacrificium, & laboriosum; nam solebant singularum regionum incolæ in sin-

A gulos cœtus adunati, una cum Ecclesiasticis viris suæ regionis, quibus præcipua curaverat processionem ducere, habereque tum ad sui nominis, tum ad suarum Ecclesiarum decus quamornatissimam, statis diebus, si Festum in plures dies producebatur, ad sacras vigilias celebrandas procedere: sacra cantica canentes, cereosque, & lampades accensas, & vexilla simul gestantes, & pegmata majoris, minorisve molis vario artificio elaborata, in Templo ejus Divi, cujus festum agebatur, aliquandiu ad devoti cultus argumentum asservanda. Cujus sacri ritus luculentum præ-
B fert exemplnm noster *Falco* ad an. 1119. exiguumque nunc etiam a *Campanis* servatur vestigium in Festo Inventionis S. *Stephani* Protomart.; qui machinulas a Sacerdotibus definitarum Ecclesiarum ad Cathedralem Ecclesiam delatas, appellant *Fajos*: detorto vocabulo ab antiquo *Langobardico Faræ*, quod apud Leges *Langobard.* lib. 3. tit. 12; & *Paulum Diac.* lib. 2. cap. 7. sive. 9. sonat idem ac *generationes.* vel. *prosapiæ.* Nam ipsi utique singuli *Faji* insignia quædam esse videbantur singularum regionum, quæ urbani populi convenientis ad eam synaxim stirpes complecte-
C bantur. Istamque nominis originem sequi penitus placet: vero quamvis etiam simile videri posset, dictos esse *Phajos*, quasi *Phalas*: priscis sic appellatas *Turres*, teste *Servio* ad *Æneid.* lib. 9. & *Isidoro* Etym. lib. 18. cap. 7. quibus ii forma maxime accedunt. At ab *Fajis*, hoc est ab ejusce nominis arborum, sive aliarum arborum virentibus ramis, quos celebri etiam in solemnitate Translationis S. *Matthæi* Apost. regionatim *Salernitanus* Populus, ac Diœcesani oppidatim ad Cathedralem Ecclesiam convenientes lætitiæ, & honoris causa antiquitus importabant, sicut
D ex ejusdem Ecclesiæ vetusto libro Rituali ejusmodi imagunculis belle depicto cognovi, minime nostros structiles dictos credam *Fajos*. Multoque minus, quod tanquam. *Phari.* annexis ardentibus candelis, lucernisve noctu, dum procedebatur, prælucerent; nam accensæ quidem faculæ in ejusmodi processionibus, ut est dictum, præferebantur, tuncque ad vigilias faciendas, celebrandasque procedi, prisco sane verbo dicebatur: sed minime nocturnum illud constat tunc fuisse sacrum: Gislebertus inquit verbis supra
E relatis; *superveniente diei splendore, audivit* mulier *referri a commanentibus, quod ad S.* Romanum *ire deberent*, &c.

vit, navigiis septem paratis (in armis siquidem, & omnibus necessariis *Salernum* advenit) & diebus ibi decem commoratus est, nolens revera de navi descendere, sed nocte, dieque in navigio persistens, cives vocari fecit *Salernitanos*, & Archiepiscopum eorum *Romualdum*, & eis juxta littus omnibus convenientibus taliter Comes ille *Rogerius* exorsus est. Domini, & fratres, sicut vestra novit sagacitas, *Robertus Guiscardus* Dux olim bonæ memoriæ Patruus meus, Civitatem hanc, quam modo vestra tenet prudentia, in vigore animi, & prudentia multa expugnans acquisivit; deinde post ejus discessum *Rogerius* Dux ejus filius, consobrinus noster, pacifice tenuit cum vestra prosperitate, inde Dux *Guillelmus* hæres ejus, & filius usque in præsentiarum viriliter dominatus est. Nunc vero judicio Dei adveniente Dux ipse *Guillelmus* sine filio mortuus est. Ego itaque, qui ex ejus progenie productus sum, si vestræ placuerit Nobilitati, vestram imploro Civilitatem, quatenus consilium habeatis, & me præter quemlibet alium diligentes, Dominium nostrum, & amoris vinculum consequamini. Nam, Domino auxiliante, & vita Comite, ad melioris status vigorem pervenietis, & divitias, quas sub tempore pristino habuistis. Quid multa? Cives illi, consilio communicato, Civitatem *Salerni* ejus sub fidelitate commiserunt. Sacramentis civium omnium diligenter firmatis pollicentes suam nusquam deserere dilectionem. Juravit statim Comes ille *Rogerius*, quod sine judicio, & sine culpa eos non capiat, neque capi permittat, neque extra dies duos in expeditione illos perducat, & *Castellum Turris majoris* de illorum potestate non auferat, & si quis abstulerit ejus auxilio sub eorum potestate restituat. Et his actis Civitatem ingreditur, & ibi honeste commoratur. Audiens autem *Beneventanus* populus Comitem illum *Salernitanum* habuisse Civitatem, quosdam Civitatis sapientes ei miserunt, dilectionis vinculum, & obsequia pollicendo. At Comes ille gratis, & retributionis munera remisit *Beneventanus*, vita comite, redditurum. His, & aliis ita decursis, universum Ducatum *Amalphitanorum* circumquaque Comes ille suæ subjugavit potestati; & inde procedens *Trojanam* Civitatem, & *Melphitanam*, & totius fere *Apuliæ* partes obtinuit. *Landulphum* quoque de *Montemarano*, & *Landulphum* de Sancto *Barbato*, & *Raonem* de *Fraineta*, & *Ugonem* infantem, cum omnibus eorum pertinentiis ad suam redegit ditionem. Quibus peractis victor, & exultans *Siciliam* repedavit. Continuo consilio habito, ad Ducatus arripiendum honorem animum impulit elatum, & præcepit omnibus in terra sua manentibus ut Ducem *Rogerium* eum vocitarent, quod & factum est. Misit præterea Domino Papæ *Honorio* munera multa auri, & argenti, pollicitando insuper etiam Civitatem *Trojanam*, & *Montemfuscum*, ut Ducatus ei vexillum, & nomen largiretur; quod nunquam tempore illo prædictus Papa *Honorius* ei concedere dignatus est. Unde discordia multa, & sanguinis effusio orta est. Qualiter autem sibi prædictus Pontifex *Honorius*, & quando Ducatum concessit, in subsequentibus, vita comite, describam. Audiens autem prædictus *Rogerius Siculorum* Comes, præfatum Pontificem *Honorium* petitionibus suis circumflecti non posse, præfato *Raoni* de *Fraineta*, & *Ugoni* Infanti, omnibusque circa *Beneventanam* Civitatem fautoribus suis præcepit, quatenus quot possent captivos, perducerent *Beneventanorum*, & afflictionibus multis Civitatem infestarent. Qui vere magis quam fuerat eis injunctum, executi sunt; præcipue *Rao* de *Fraineta*, qui valde Civitatem ex antiquo oderat. *Guillelmus* igitur, qui tunc *Beneventanorum* præerat Rector, ferociam, & infestationem præfati persentiens *Raonis* de *Fraineta*, consilio habito, die quidem festivitatis S. *Martini* totius Civitatis partes submovit, ut armis acceptis super *Raonem* illum festinaret, qui libentissime perrexerunt, ut ultionem acciperent de acceptis. At prædictus *Rao* quinquaginta fere milites, & pedites multos secum occultaverat. Unde ex improviso insiliens multos *Beneventanorum* in fugam conversos comprehendit, & eos turpiter in flumine *Sabbati*, & extra invenit. Sicque ad *Castrum Ceppaluni* secum perduxit captivos; & eis taliter alligatis bona illorum argenti, & auri pro redemptione accepit. His taliter omnibus superius narratis evolutis, prædictus Pontifex *Honorius* nihil utilitatis, & virtutis erga Civitatem *Beneventanam* agere deprehendens, consilio salutis accepto III. Kalend. *Januarias* *Capuanam* Civitatem adivit. Continuò prædictus *Robertus* Princeps officiosissime illum excipiens ad Palatium Episcopii *Capuani* gaudio magno eum castrametari præcepit.[1] Nec mo-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *His taliter omnibus superius narratis evolutis, prædictus Pontifex* Honorius *nihil utilitatis, & virtutis erga civitatem* Beneventanam *agere deprehendens, consilio salutis accepto III. Kalend.* Januarias Capuanam *civitatem adivit. Continuo prædictus* Robertus *Princeps officiosissime illum excipiens, ad Palatium Episcopii* Capuani *gaudio magno eum castrametari præcepit*, &c.] Nec de discrimine, in quo *Beneventana* civitas tunc erat, nec de adventu Papæ *Honorii* ad eam, aliisque ejus gestis in hoc an. 1127, quæ tamen oratio a præfato Pontifice in conventu *Capuæ* habita, inferius descripta, utcumque exponit; nec de Principe *Roberto*, est in antecedentibus quicquam dictum. Deficere nunc itaque ea in *Falcone*, nemo erit, qui non fateatur. Sed ipse, ex industria fortasse, quamvis sane rudi, *Honorium* cum faciat ea, quæ perpessus fuerat, in concione enarrantem, reliqua de Principe *Roberto* ex *Petro*

mora: Præfatus Pontifex *Honorius* Archiepiscopos, & Abbates accersiri præcepit, quatenus ad Principis unctionem convenirent, qui euntes die statuto exultatione ingenti ad *Capuanam* Ecclesiam convenere. Archiepiscopus itaque *Capuanus* juxta Prædecessorum suorum privilegium, præsente tanto, ac tali Pontifice *Honorio* cum turba virorum Religiosorum, quæ convenerat, & Episcoporum conventu, prædictum *Robertum* in principatus honorem inunxit, & confirmavit. O quantus exultationis, & gaudii affuit affectus, cœlorum Regem testamur viventem, neminem Principum vetustorum tali jubilatione, & jucunditate nobilitatum fuisse. Audivimus profecto sicut ex eorum, qui interfuere, comperimus testimonio, quinque millia virorum ad tanti Principis unctionem convenisse. Pontifex autem *Honorius* tantam Episcoporum, & proborum virorum multitudinem aspiciens, Principe illo sacrato, eminentiori ascendens loco, taliter exorsus est: Domini, & charissimi fratres, sicut vestra cognovit charitas, diu est, quo *Romanam* Sedem relinquens, apud Civitatem *Beneventanam*, quæ specialis *Romanæ* attinet Sedi, pacificus venerim, & omnibus abjectis tempestatibus, circa convicaneos nostros hospitatus sum. Biduo autem post nostri adventus præsentiam *Rogerius* Comes, B. *Petri* adversarius, circa Civitatem *Beneventanam* milites fere quadringentos ob Civitatis ruinam, & nostri dedecus inauditum induxit, qui vere horis omnibus Civium bona deprædati sunt, & eorum possessiones assidue incisioni posuerunt. Nos autem universas illorum sustinentes afflictiones, ut ab illorum desisterent pertinacia, excogitavimus: insuper etiam prædictus Comes *Rogerius* cum *Vgone* Infante, & *Raone* de *Ceppaluni* pro Civitatis detrimento gravissime confœderatus est, existimans nos timori ejus succumbere, & nefandis ejus petitionibus operam dare. *Vgo* itaque & *Rao* conjuratione tali alligata, quotidie confinia Civitatis igne, ferroque consumere cæperunt. Nos autem omnia, quæ ingerebantur, aspicientes, solam Dei Omnipotentis misericordiam præstolantes, cœlestis Regis auxilium, & Beati *Petri* invocabamus. Deinde ne Civitas prorsus turbaretur *Beneventana*, talibus commota afflictionibus, militum amicorum depoposci juvamen; sicque prout potuimus, obsistere cæpimus eorum pertinaciæ. Cumque pro quibusdam imminentibus negotiis Civitatem *Trojanam* adissemus, præfatus *Rao* de *Ceppaluni Beneventanos* Cives, qui ob vindicandas, quas passi fuerant, contumelias, die festivitatis B. *Martini* circa ejusdem *Raonis* confinia exierant; ira divina, & furore cælitus adveniente, ducentos fere captivos tenuit, & in ima carceris, denudatis corporibus, alligavit. Deinde quosdam captivorum Civium *Vgoni* Infanti viro nefandæ memoriæ, & tyranno horribili, ut cruciatibus, & suppliciis afficerentur donavit. Qui *Vgo* dentibus eorum radicitus evulsis, & membratim dilaceratis, pretio eorum accepto, distraxit. Eos vero, quos *Rao* ipse detinuit, periculo famis, & frigoris jugiter affligere non desistit. Quid multa? universa, quæ excogitari possunt, convicia *Beneventanis* captioni positis inferuntur. Præterea die, noctuque minantur, ut Comitem illum *Rogerium*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

Diac. lib. 4. cap. 96, & ex Anonymo *Cassin.* a me castigato sunt petenda: scilicet eodem anno 1127, quo e vivis decesserat Dux *Apuliæ Guilielmus*, in fata etiam concessisse *Capuæ* Principem *Jordanum* 2. (hujus obitus in antiquis Emortualibus notatur 14. Kal. *Januarii*) eique in Principatu successisse præfatum *Robertum* ejus filium, hujus nominis secundum; quod utique *Falco* pluribus exposuerat; sicuti ejusdem etiam descripsit inaugurationem; enarrans quo pacto *Archiepiscopus* Capuanus (erat tunc *Otho*) *juxta prædecessorum suorum Privilegium*, ac juxta antiquum Principum *Langobardorum* ritum, *præsente tanto*, *ac tali Pontifice* Honorio *cum turba virorum Religiosorum, quæ convenerat, & Episcoporum conventu* (*Episcopos*, non *Archiepiscopos* cum Abbatibus ad eam solemnitatem a Papa accersitos in *Falcone* legendum est; ni mavis utrosque: nam sublimationi Principis *Richardi* 3. actæ in an. 1120. eidemque Auctori descriptæ, affuit etiam *Roffridus* electus Archiepiscopus *Beneventi*) *prædictum* Robertum *in Principatus honorem inunxit* (oleo scilicet sancto perfudit) *& confirmavit*: mense nimirum *Januarii*, ineunte communi anno 1128. qui *Falconi* usque ad sequentem *Martium* est 1127. Porro quia *Campanus* Archiepiscopus præfato Privilegio non antea donatus censendus est, quam

A Principatus *Capuæ* dignitas ab *Othone* 1. Imperiali auctoritate fuisset confirmata, præsidente tunc in ea urbe *Pandulfo*, cognomine *Caputferreo*, de quo pauca libavi lib. 1. plura dicturus lib. 2. Hist. *Langobard.* ea plane prærogativa nec ab alio, quam a Papa *Joanne* 13. qui *Campanam* Ecclesiam per eadem tempora, & in an. 968. in Archiepiscopatum erexit, videtur auctus. Hanc autem nostræ Ecclesiæ Metropoliticam dignitatem ætate minorem facere cum nequeant, qui eam suæ Ecclesiæ pari decore aliquanto recentius præditæ anteferri dolent; mira res est, ad quot in dies nova se vertant argumenta, sed & diminuta etiam (non credam fraude) tanquam e sinu, proferant prisca monumenta, & Auctores; quorum fallaciam nunc non detegam, nam ipsi sunt sibi invicem sui Indices erroris. At nobis cur hanc invident nostræ senectutis prærogativam, quæ recens est præ antiquissima illa abusque Ecclesiæ *Christianæ* primordiis enata *Campanæ* sedis dignitate? Sane qui initio præsentis seculi de Regionibus Suburbicariis peracute, summaque cum eruditione disputarunt, ultro *Campanam* Ecclesiam, non aliam; in omni *Campania* per ea tempora Archiepiscopali munere exornatam consenserunt, ac velut rem exploratissimam constanter asserere, de cætero discordes, non dubitarunt. Orationem autem a Papa *Honorio* in *Campano* conventu habitam, & a *Falcone* descriptam, in multis leges apud *Baronium* meliorem.

rium anathemati deditum super Civitatem inducant *Beneventanam*, & de B. *Petri* virtute eductam, suæ obtineant ditioni, & potestati. Insuper vobis omnibus, qui Civitatum dominia, & Castrorum vigores tenetis, terroribus multis, variisque tempestatibus minitatur, quatenus unicuique vestrum munitiones, & in quibus confiditis arces auferat, & secundum ejus velle vitam vestram disponat, & prout vult, & quomodo vult, de Civibus peregrinos faciat, & de viris locupletatis pauperes statuat, & egenos. Nos itaque mentis suæ iniquitatem & excogitationes quibusdam signorum conjecturis, per eos, qui hactenus perpessi sunt, cognoscentes, longe, lateque vitavimus, & pollicitationes suas tanquam virus mortiferum fugientes, nullo modo paruimus, neque, ut ita dicam, auribus percipere dignati sumus. Auri quippe & divitiarum o! quantas pollicitus est cumulationes, dumtaxat, si ei Ducatus honorem largiri vellemus, divitiarum sane illarum multimodas evitans promissiones, tum pro *Romanæ* Sedis honestate, quam conservare certavi, tum pro vestri exilii, quod horis omnibus terrore expavi, Deum omnium factorem sæculorum, qui renes scrutatur, & corda, dejeci, & dedignatus sum. Pro vestra credatis confusione, & expulsione divitias tantas promiserat; excogitans ad ejus libitum me usquequaque devolvere, & consensum vestræ largiri exulationi. Ego vero dilectionis vestræ vinculum amplexatus, mori prius vobiscum elegerim, quam ejus pollicitationibus nefandis adhærere. Vitam igitur, mortisque asperitatem Karissimi Confratres, & filii in vestra tenetis electione, & voluntate, dummodo pugnare velitis, & vigorem honestatis tueri adinvicem exæstuatis: prudentiam vestram certissimam expertus sum, nihilque restat, nisi ut omni desidia abjecta, & cordis torpore deposito, *Romanæ* Sedis dignitatem, quæ pro vobis omnibus assidue intervenit, defendatis, & vobis ipsis, quem tenetis vigorem, & filiis vestris conservare conemini. Subvenite itaque Viri fortissimi, & bellatores perspicui, & dum tempus prosperitatis succedit, viribus cunctis justitiæ, quam amplectimur, severitatem ad ardua sublevemus. Deus enim, qui justitiæ via est, & lux veritatis, & B. *Petri* Apostoli interventio nos quotidie liberabit, & auxilium a sancto ejus solio pietate assueta largietur. Hæc, & multa his similia Pontifice *Honorio* lacrymis irrigantibus prædicante, vox militum, populique omnis, qui convenerat, efficitur, & una concordia clamavere se, suaque omnia pro B. *Petri* fidelitate, & sua tradituros. Novissime *Robertus* noviter Princeps statutus coram omnibus taliter pollicetur. En Pater venerabilis, & personam, quam aspicis, & totius Principatus mei, quem tradidisti, virtutem tuæ committo ditioni, & ad tuum imperium omnia subjacebunt. Idipsum *Rainulphus* Comes, & multi alii Proceres, & Episcopi, qui convenerant, pollicentur. O quales, Lector, promissiones, si adesses, aspiceres, & quæ ex eorum promissis oriebantur lacrymationes, quas si universas enarrare voluissem, fastidium auditoribus oriretur. Audiens autem Apostolicus *Honorius* multitudinem illam ad ejus exorationes consentaneam dedisse concordiam, Salvatori omnium Deo, & Beatis Apostolis *Petro*, & *Paulo* gratias egit, qui in se sperantibus subvenit, & quotidianum præbet auxilium. Continuo ex auctoritate Divina, & Beatæ *Mariæ* Virginis, & Sanctorum Apostolorum meritis talem eis impendit retributionem; eorum videlicet, qui delictorum suorum pœnitentiam sumpserint, si in expeditione illa morientur, peccata universa remisit; illorum autem, qui ibi mortui non fuerint, & confessi sunt, medietatem donavit. Audiens itaque præfatus Princeps, & Comes *Rainulphus* tanti benificii gratiam ab *Honorio* Pontifice prolatam, alacritate ingenti locupletati, cum universis, qui convenerant ad eorum propria secesserunt. Nec mora: toties sui Principatus orbem, & Comitatus præconibus tonantibus feriunt, ut unusquisque ad Pontificis paretur solatium. Populus autem universus eorum imperio consensit. Accesserunt interea prædictus Princeps, & Comes *Rainulphus* ad Pontificis præsentiam, & ei salutis consilium inventum intimavere, prius videlicet *Ugonem* Infantem a Comite illo conveniri oporteret, quoniam quidem datis inter se, & acceptis securitatibus alligati videbantur. Apostolicus autem dictis illorum & assensum præbuit, & eorum fidem commendavit. Confestim quosdam suorum Procerum Comes ille accipiens ad *Ugonem* conveniendum, ut justitiam ei sequatur, delegavit, addens in mandatis, ut obsides, & fidejussores acciperet, quatenus securitate omni adhibita, Curiam Comitis ad justitiam faciendam veniret. Quid multa? neque obsides voluit, nec Curiam Comitis adivit. Comes igitur protinus omnia Pontifici *Honorio* patefecit, deinde præfatus Princeps, & Comes, sicut polliciti sunt, militum copiosam manum, & peditum innumeram multitudinem arripiens super Castellum ipsius *Ugonis* Infantis, nomine *Lapillosa* commeavit. Audiens *Guillelmus* tunc Rector *Beneventanus* castellum illud sic obsessum fuisse, Civitatis totius partes voce præconis intonuit, quatenus armis eductis ad expeditionem illam properarent. Populus itaque paratus ad necessaria expeditionis citissime festinavit. Triduo autem post præfatus Rector sumptis secum fere duobus millibus hominum super Castellum illud tetendit. Cumque sic acriter castrum illud obsessum fuisset, sylva, quæ ob ipsius Castri tuitionem longo ex tempore surrexerat, celeriter incisa, & in ignem est conversa. Deinde *Beneventanus* populus unanimiter aggregatus castri illius aggreditur munitionem, & eo ag-

 gresso,

gresso, viriliter expugnatum est, capi quidem, & comburi potuisset, dummodo Comitis *Rainulphi* auxilium subveniret; sed quia Comes ille, prout poterat, auxiliari noluit, *Beneventanus* populus ad sua castra fatigatus revertitur. Altera autem die adveniente *Beneventanus* aspiciens populus Comitis auxilium, & Principis non ita viriliter adesse, prout polliciti sunt Apostolico, pavore, tædioque correpti super talibus dilationibus mirabantur. Mane autem facto prædictus Princeps tentorium suum, & apparatum ejus amoveri præcepit. Deinde Comes *Rainulphus* pro tempore nivali, & periculoso instanti, manere excusabat in tanta expeditione, sicque una cum Principe discessit. Rector igitur illorum deprehendens excusationes, ut populus omnis ad Civitatem reverteretur, præcepit. Nec mora, jussa sumentes, cursu rapido repedaverunt; obsidio autem illa IV. Kalend. *Februarii* facta est. Præfatus itaque Pontifex, qui apud *Montemsarculum* morabatur, castrum illud sic dimissum fuisse deprehendens, & pollicitationes Principis, & Comitis non circa eum prospere commorari, dolore inaudito turbatus ultra quam credi potest condoluit infremendo. Continuo iter arripiens *Romanos* fines adivit. Princeps itaque, & Comes dolosas suas machinationes circa Pontificem excusabant *Honorium*. Apostolicus autem universa, quæ facta fuerant, & audita, cordis secreto conservans, torvo, ut ita dicam lumine eos aspectans, sicut mente conceperat, festinavit. Quibus ita peractis *Gualterio Tarentino* præcepit Archiepiscopo, ut *Beneventum* veniens Civitatis negotia studiose curaret, & ejus consilio Civitatem tueretur. Insuper etiam Rectori præfato mandavit, ut solidos de regalibus acceptos Archiepiscopo illi committeret, de quibus milites Civitatis armarentur, & auxilium secundum vires præberetur. Rector itaque solidos illos militibus largiri distulit, dum usque literis propriis mandatum accepisset, & imperio accepto equitibus solidos illos largitus est.

Anno 1128. Dominicæ Incarnationis, & IV. anno Pontificatus Domini *Honorii* Papæ mense *Martio* VI. Indictionis. Hoc anno Papa *Honorius* venit *Beneventum* cum ducentis militibus *Romanorum*, & invenit *Robertum* Principem *Capuanum*, & Comitem *Rainulphum* cum exercitu magno, & Civium *Beneventanorum* multitudine super *Castellum turris Palatii*, & illud valde expugnantes, & obsidentes, quod Castellum erat *Ugonis* Infantis. *Ugo* enim ipse contra prædictum Principem, & Comitem *Rainulphum* instabat, & castro illo sic obsesso, & mirabiliter expugnato, Dominus, qui illud observabat, quia illud defendere non valebat, in potestate Principis, & Comitis tradidit. Quibus ita peractis, prædictus Apostolicus *Honorius* audiens Comitem *Rogerium Siculorum* contra ejus voluntatem quotidie insistere, & *Apuliæ* partes detinere, *Robertum* Principem nomine, & Comitem submovit, ut exercitu congregato super Comitem illum *Rogerium* festinent: Quid multa? simul cum Principe, & Comite illo *Apuliam* descendit prædictus Apostolicus, & *Grimoaldum Barensem*, & *Tancredum* vocari præcepit, ut omnes unanimiter adversus Comitem *Siculorum* insistant, quod & factum est. Comes itaque *Rogerius* sentiens Apostolicum cum exercitu valido militum, & peditum, & Baronibus illis adversus se venientem in montana secessit, devitans Apostolici virtutem, ne aliquo modo aliquid ei sinistrum contingeret, & sic per quadraginta dies Apostolicus ille ardenti Sole mensis *Julii* fatigatus Comitem illum obsedit. Interea prædictus Princeps, quia delicati corporis erat, & laborem sustinere non poterat, cæpit a fidelitate Apostolici declinare, excogitans qualiter castra ejus dimitteret, & ad propria repedaret, & tentoria sua amoveri fecit, & iter arripere conabatur. Apostolicus itaque Principis fraudem, & aliorum Baronum deprehendens, pactis intervenientibus, Ducatum prædicto Comiti *Rogerio* per Cancellarium *Americum*, & *Cencium Frajapanem* sedaturum promisit, & ut Comes ille circa *Beneventum* veniret, ibique Ducatus honorem ei firmaret. Et his actis, *Beneventum* Apostolicus ille revertitur, & Comes ille exercitu suo aggregato *Beneventum* venit, & in *Monte Sancti Felicis* castrametatus est. Inde pactis inter se compositis, & promissionibus adimplendis, prædictus Apostolicus in octavo die Assumptionis *Sanctæ Mariæ* Ducatus honorem Comiti illi in conspectu fere viginti millium hominum largitus est, ad *Pontem* scilicet *Majorem* juxta fluminis ripam post Solis occasum; multis enim negotiis intervenientibus dies ille totus disputando inter se consumptus est. Et quia Comes ille Civitatem *Beneventi* introire dubitabat, ideo prædictus Apostolicus foris, ut dictum est, ad prædictum Pontem exivit, & Ducatus ei tribuit honorem, & Ducatu accepto Dux ille sacramento juravit non esse in facto, vel consensu, ut B. *Petrus*, & Dominus Papa *Honorius*, ejusque successores Catholici Civitatem *Beneventanam* perdant, & Principatum *Capuanum* non capiat, vel permittat ad capiendum. Et his omnibus actis *Salernum* revertitur, & *Siciliam* repedavit. Diebus autem non multis elapsis prædictus Pontifex *Honorius* consilio accepto *Romam* reversus est. Sed priusquam Urbem *Romam* ingrederetur, pars quædam *Beneventanorum* secundo die stante mensis *Septembris*, *Guillelmum* tunc *Beneventanum* Rectorem in sacro Palatio *Beneventano* gladiis eductis occidit. Videlicet miser ille Rector furorem partis illius fugere tentans post Altare S. *Joannis* de Capella Palatii fugit, & ibi se occultans infra pedes *Joannis* Presbyteri, qui ibi Missam tunc celebrabat, se abscondit, sed evadere non potuit.

tuit. Ibi vero cultris percussus est, & foris eductus de Palatio illo projicitur, & pedibus ejus funem ligaverunt, sicque per Civitatis plateam usque ad Carnariam Sancti *Laurentii*, heu miser, lapidibus obrutus productus est [1]. Et eo defuncto, populus Civitatis furore arreptus, domum *Potonis Spitametæ*, & *Joannis*, & *Guislitii* Judicum; & *Transonis*, & *Laurentii*, & *Lodoici* Medici destruxerunt. Ipsi vero, & *Dauferius* Judex, populi caventes superbiam ad *Montemfuscum* fugiunt. Continuo communitate intra se ordinata, populus fere totus juravit, ut ex tunc, & septem annis completis, & quadraginta diebus non esset habitator Civitatis prædictus *Poto Spitameta* cum aliis supradictis, qui Civitatem exierunt.

Eodem anno *Joannes* Abbas S. *Sophiæ* octavo die stante mensis *Novembris* mortuus est, & *Franco*, qui tunc erat Mansionarius electus est. Audiens autem prædictus Pontifex mortem Rectoris illius sic contigisse, dolore turbatus valde Civitati *Beneventanæ* minatur ultionem pro tali facinore insectari. Continuo consilio accepto miserunt ad prædictum Pontificem Legatos, qui dicerent mortem Rectoris per stultos, & viros iniquos advenisse, rogantes, ut Rectorem idoneum mitteret, & pacem donaret *Beneventanis*. Pontifex autem consilio accepto Dominum *Girardum* Cardinalem Rectorem nobis mandavit.

Anno 1129. Dominicæ Incarnationis. Hoc anno prædictus Papa *Honorius Beneventum* venit, & mense *Augusto* prædictum *Franconem* Abbatem Monasterii *Sanctæ Sophiæ* consecravit, & precatur *Beneventanos*, qui communitatem fecerant, ut prædictum *Potonem Spitametam* cum jam dictis Civibus, quos de Civitate ejecerant, in Civitatem revocarent *Beneventum*, quod obtinere non potuit. Unde Apostolicus valde iratus de *Benevento* exivit, & ad Vicum quendam, qui dicitur *Leocabante*, secessit, & rogavit prædictum Ducem *Rogerium*, qui ibi morabatur, ut in mense *Majo* venturo cum exercitu veniret, & de Civibus *Beneventanis* ultionem acciperet, quod Dux ille sacramento juravit taliter factutum. Inde Apostolicus ille ad *Castrum Ceppaluni* adivit, & Civitatem prædari fecit, & sic valde iratus *Romam* repedavit. Et hoc anno corpora Sanctorum *Januarii*, *Festi* & *Desiderii Roffridus* tunc Archipræsul foras produxit de Altari, in quo antiquo tempore jacuerant, & revera non honeste, sicut decebat loco illo manebant. Unde in Basilicam, quam *Gualterius Tarentinus* Archiepiscopus, pro Sanctorum illorum dilectione construi fecerat, magno cum honore, & lætitia, prædictorum Sanctorum ossa collocata sunt, nobis videntibus, & de illorum ossibus osculantibus.

Eodem anno Dominus Papa *Honorius* medio mense *Februario* viam universæ carnis ingressus est ad Dominum: Et Dominus *Innocentius* electus est, post quem *Innocentium* die ipso ad horam tertiam *Petrus Portuensis* Episcopus *Petrum* filium *Petri Leonis* elegit pro *Anacleto*. Deinde *Innocentii* illius electionem damnantes *Anacleti* Pontificis electionem confirmabant: cumque *Leo Frangenspanem*, qui partem *Innocentii* sequebatur, electionem *Anacleti* audivisset, cæpit *Romanos* Cives fideles suos, & amicos exhortari, ut ejus faverent auxilio. Inde *Leo* germanus præfati *Anacleti* Ærario aperto, totum fere populum *Romanum* rogavit, ut juxta vires fratris electionem tueretur, quod & factum est. Sicque ab utraque parte graviter civile bellum sævissimum inceptum est.

Anno Dominicæ Incarnationis 1130. mense *Martio* VIII. Indictionis. Cum prædictus *Anacletus* electus fuisset, *Beneventanis* mandavit, qualiter ipse electus fuisset, & ut *Beneventani* sibi facerent fidelitatem. Præfatus igitur *Innocentius* consecratus Pontifex videns Populi *Romani* divisiones, & civilia bella quotidie oriri, consilio habito, ultra montes perrexit ad Regem quidem *Francorum*, & ad alios *Romanæ* Sedis fideles, qui honeste, & diligenti cura ab eis susceptus est. Continuo apud *Rhemensem* Civitatem Synodum celebravit; ad cujus conventus præsentiam Archiepiscopi, & Episcopi fere centum (sicut accepimus) & quinquaginta, convenere. Ibi *Anacletum* illum, & ejus fautores vinculis excommunicationis alligavit.

Eo-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1128. *Dominicæ Incarnat.* &c. *Sicque per civitatis plateam usqae ad Carnariam S.* Laurentii, *heu miser, lapidibus obrutus, productus est.*] *Per plateam* Beneventi, inquit, non *per plateas*; quæ tunc quoque e Sacro *Beneventano* Palatio, in summa urbis re, & nomine regione sito, ducebat recto, nec minori itinere, quam omnis ejusdem urbis estenderetur, nuncque estendatur longitudo, ad Portam S. *Laurentii*, in regione positam inferiori. Apud quam exterius de more erat *Carnaria*, fuitque etiam ad *Salernitanæ* urbis *Portam Novam*, & ad *Capuæ Portam* pariter *Novam*, sive *Castelli* olim, nunc dictam *Portam Neapolis*:

A hoc est locus sub dio, muris septus, ad quem suspendii morte, unde ei fortasse nomen: nam *Latine* est *Carnarium* cella, ubi caro salsa suspenditur: alterove supplicii genere perempti, sed & vilissima capita semihumanda comportabantur: *Italice* tunc dictus, *Carnaro*, & *Carnajo*, quem *Florentina* Academia in suo Dictionario, in verbo. *Carname*, valere ait: *sepoltura comune di Spedali, o di simili luoghi.* Si itaque dicas, ad Ecclesiam S. *Laurentii*, sitam etiamnum extra præfatam *Beneventanæ* urbis *Portam* cognominem, ubi vetustissimorum etiam operum rudera apparent, & ad ejus Nosocomion: quod inibi fuerit, B spectasse id genus sepulturæ, atque *Carnariam*, non repugnabo.

Eodem anno prædictus *Roffridus Beneventanus* Archiepiscopus mortuus est, & *Landulphus* filius *Roffridi* de *Garderisio* electus est in Archiepiscopum.

Eodem anno prædictus *Anacletus* venit *Beneventum*; deinde *Abellinum* Civitatem ivit, & cum prædicto Duce *Rogerio* stabilivit, ut eum Regem coronaret *Siciliæ*. Et his statutis, *Anacletus* ille *Beneventum* revertitur, & Dux ipse *Salernum*, deinde *Siciliam* remeavit. Anno igitur ipso prædictus *Anacletus* Cardinalem suum, *Comitem* nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in Civitate *Palermitana* in Regem coronavit. Princeps vero *Robertus Capuanus* coronam in capite ejus posuit, cui non dignam retributionem impendit [1]. Et eodem anno ipse *Anacletus* consecravit *Romæ* prædictum *Landulphum* Archiepiscopum. Et his omnibus actis, idem Rex *Rogerius*, exercitu congregato, comprehendit *Amalphiam*; cumque prædictus *Anacletus*, ut supra cum Duce *Rogerio* apud Civitatem locutus esset *Abellinum*, *Beneventum* revertitur, & consilio accepto vocari fecit prædictum *Joannem*, & *Dauferium*, & *Benedictum* Judices, & *Lodoicum* Medicum, & *Potonem Spitametam*, & accipiens ab eis ducentos solidos reduxit illos in Civitatem, & omnes illorum possessiones concessit eis, deinde cum illis, & aliis suis fautoribus tractavit, quomodo communitatem frangeret, quæ infra Civitatem conjuraverat a tempore mortis prænominati *Guillelmi* Rectoris. Sæpissime etenim relatum fuerat, quod ob ejus infestationem, & Civitatis detrimentum Communitas illa fuisset ordinata, maxime a tempore prædicti Papæ *Honorii*, quatenus idem Papa eis, qui Rectorem illum interfecerant, nocere non posset. Item sibi narratum fuerat, quomodo idem Pontifex *Honorius Beneventum* venisset post mortem prædicti Rectoris, & cum Civibus satis, satisque fuisset locutus, ut Judices illos, qui ab illius morte Rectoris exulaverant, in Civitatem permitterent introire, & ad domos eorum, quamvis

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Anno Dominicæ Incarnationis* 1130. &c. *Anno igitur ipso prædictus* Anacletus *Cardinalem suum*, Comitem *nomine*, *ad Ducem illum direxit*, *quem die Nativitatis Domini in civitate* Palermitana *in Regem coronavit. Princeps vero* Robertus Capuanus *coronam in capite ejus posuit*, &c.] De *Rogerio* in Regem coronando convenerat primum inter ipsum, & *Anacletum* apud *Abellinum* hoc anno, aliquanto ante 5. Kal. *Octobris*: & deinde prædicto die *Anacletus*, jam *Abellino Beneventum* reversus, Diploma conscripsit de Regio titulo, ac Regno eidem impertiendo, quod prostat apud *Baronium*; & tandem in Dominicæ Nativitatis proxime subsecuta celebritate ea coronatio peracta est apud *Panormum* ordine, quem exposuit superioribus verbis *Falco*, sed fusius *Alexander Teles*. lib. 2. cap. 1. & seqq. Sed haud latet me esse, qui affirment, non semel, sed bis, nec tunc primum, sed anno antecedenti, Idibus *Maji*, *Rogerium*, proprio arbitrio persuasum, Regia se corona, etiam apud *Panormum*, redimitum fuisse per manus quatuor Archiepiscoporum; *Beneventani* videlicet, *Campani*, *Salernitani*, & *Panormitani*, adstantibus compluribus aliis Episcopis, Abbatibus, ac viris religiosis, præter Dynastas, nobilesque milites admodum frequentes. Qui ejusce narrationis auctorem se habere contextantur ineditum Chronicon *Maraldi*, nec dicunt quantæ antiquitatis, Monachi *Carthusiani*; quibus facile assentiri non possum, tacentibus omnibus antiquis, & præcipue *Alexandro Telesino*, qui *Rogerii* benevolus, & familiaris coronationem ejus summo sumptu, hominumque omnis conditionis frequentia in Dominicis Natalitiis, ac perinde in exitu anni 1130, Antipapæ *Anacleti* auctoritate actam, & a *Falcone* descriptam, literis cum consignet: haud antecedentem, vel in ipsius *Rogerii* gratiam, siluisset, nec pompa, nec Antistitum, Procerumque minori conventu, quin nullo tunc in *Romana* Ecclesia schismate vigente; sed *Honorio* sedente, *Rogerii* eo temporis momento amicissimo, celebratam: uni *Fazello* superiori seculo descriptam Decade. 2. lib. 7. sed

A vah quam inconvenientia simul conponenti. Sane quisquis ille fuerit *Maraldus*, is quidem unius tantum meminit coronationis, sicut facit *Fazellus*; & præterea non incongrue coronam *Rogerio* a præfatis Archiepiscopis impositam, est commentatus; quippe Regem, qui *Siciliam*, cujus Metropolis *Panormus*, cunctamque *Cis-Tyberinam Italiam*, *Beneventano* olim, *Salernitano*, & *Campano* Principatu fere comprehensam obtinebat, ab Archiepiscopis earundem urbium condecebat coronari; quibus suos Principes inungere, ex antiquo more, & Privilegio competebat; atque ea ratione velut quadruplici corona unico actu redi-
B miri, ad instar scilicet quatuor Dynastiarum eodem ab Rege sub unico Regno possessarum; nam id antiquitus exemplo, ut autumabant, petito ex Sacris literis usurparunt: atque ut *Hincmarus* Episcopus *Remorum* in Coronatione *Caroli Calvi* de Regno *Lotharii Metis* acta in an. 869, quæ extat una cum ejusdem Regis Capitulis, est ad Populum præfatus, *Reges quando Regna obtinuerunt; singulorum Regnorum sibi diademata imposuerunt.* Et præterea non ab uno Episcopo, sed a pluribus simul coronam Regi imponi solitam, quod in priori illa *Rogerii* coronatione observatum fuisse, *Maraldus* tradidit, ex altera ejusdem Coronationis *Caroli Calvi* descriptione, adjecta ad fi-
C nem præfatorum Capitulorum clare patet. Sed ad veram, & a nostro Falcone descriptam Regis *Rogerii* coronationem, ut me convertam; *Princeps* Robertus Capuanus, ait ille, *coronam in capite ejus posuit*; quod scilicet suæ dignitati, qua cæteros omnes Barones, ipsumque *Sergium* Mag. Militum *Neapolitanum*, ut est apud *Telesinum* lib. 2. cap. 1. *Rogerio* tunc obnoxios supereminebat, ac subjectioni, qua eidem obstrictus erat, condecens fuit: nam *Roberti* Patruus, & decessor, Princeps *Richardus* 2, ut perhibet Gaufredus Malat. lib. 4. cap. 26. *homo*, *Rogerii* quondam, Apuliæ *Ducis factus fuerat*, cujus Ducatus jam ad præsentem *Rogerium* pervenerant jura; simillimoque exemplo legitur apud Rigordum corona-
D tus *Remis Philippus* Rex *Francorum* a *Remensium* Archiepiscopo *Romanæ* Sedis Legato, *astante* Henrico *Rege* Angliæ, *& ex una parte super caput ejus ex debita subjectione coronam portante.*

vis destructas, remeare, quod obtinere non potuit. Unde, ut prædiximus, idem Pontifex *Honorius* valde iratus de *Beneventana* Civitate exivit, & cum Duce *Rogerio* de Civitatis tractavit desolatione. His, & aliis multis prædicto *Anacleto* de Communitate illa sic ordinata relatis, continuo consilio prædictorum Judicum, & aliorum ejus fautorum communicato, *Anacletus* ipse *Robertum Capuanum* Principem, qui tunc sibi favebat, vocari præcepit, ut virtute militum copiosa stipatus ad eum festinaret, qui nunciis acceptis, sicut mandaverat, acceleravit. Confestim fractionem Communitatis faciendam cum eo disponens, precatur eum, ut super hoc viriliter auxilietur. Quid multis? die constituto in octavis quidem Epiphaniæ, & præfato Principe cum suis insistente, vocatur *Rolpoto* de Sancto *Eustasio*, qui præcipuus super illa videbatur communitate ferventior, & *Beneventus* de *Joanne* de *Rocca* [1], & *Roffridus* de *Anselmo*, & *Dauferius Barbæ majoris*, aliique ejusdem *Rolpotonis* sequaces, qui acciti in Palatio *Dacomarii*, ubi tunc *Anacletus* ipse consilio celebrato morabatur, conveniunt, ut, quid *Anacletus* peteret, audirent. Ex adverso denique *Crescentius* tunc Rector fere quadringentos suos vocaverat fautores armatos, ut eos vocatos sine audientia caperet. Continuò *Anacleti* fautores sic armati, & Principis vigorem habentes insurgunt, armisque eductis *Rolpotonem* illum, & cunctos, qui cum illo venerant, turpiter comprehendentes in Palatio illo *Dacomarii* vinctos tenuerunt, deinde per plateas eorum amicos inventos comprehenderunt. *Joannem* vero quendam, ut ita dicam, Jocularium, ultra quam credi potest, lapidibus, gladiisque diversis trucidant, qui sic trucidatus, & vulneribus multis afflictus de eorum manibus semivivus evasit, qui plures postea advixit annos. Cumque præfatus *Rolpoto* cum sequacibus suis taliter captus fuisset, statuit prædictus *Anacletus*, ut *Persicum*, & *Roffridum* Judices caperet, qui actibus illorum consenserant, & quorum consilio longo sic tempore Communitas illa regnaverat. Prædictus autem *Persicus*, & *Roffridus* Judices hujusmodi consilia per amicos sentientes, Civitatem silentio exeuntes manus *Anacleti*, & inimicorum evaserunt; sicque per dimidium fere annum exulaverunt. Audiens itaque prædictus *Anacletus* sic *Persicum*, & *Roffridum* diffugientes mirabiliter contristatus est, & mirabatur, quomodo ejus consilium esset patefactum. Excogitaverat enim, ut si Judices illi capti fuissent, in *Siciliam* illos captivos, *Beneventum* nunquam reversuros transmitteret. Et his actis a compluribus prædicti *Rolpotonis* amicis *Anacletus* ille rogatur, ut *Rolpotonem* illum a vinculis solvat, qui orationibus eorum favens a vinculis eum absolvit, qui sacramento firmavit jam amplius Communitatem illam, vel aliam nunquam tenendam. Alios vero ejus sequaces sacramentis ligatos de Civitate projecit, ut sine ipsius *Anacleti* voluntate, vel sui Rectoris non ingrediantur Civitatem. Quibus omnibus ita peractis, prædictus *Anacletus* die Kalendarum *Martiarum* *Salernum* ivit, deinde consilio accepto *Romam* redeundi disposuit. Cumque de captione prædicti *Anacleti Rolpoto* ille evaderet, cæpit mirabiliter, mirabiliusque multas, variasque in pectore moliri machinationes, qualiter contra *Anacletum*, & ejus fautores, qui se turpiter comprehenderant, & quorum institutione hortum suum vendiderat sexaginta *Romanatos*, quos prædicto dederat *Anacleto*; ajebat quidem *Rolpoto* ille, morti se prius velle succumbere, quam captivitatem suam, & amicorum suorum impunitam dimittere. Cæpit itaque nova quotidie experiri consilia, & contra suos adversarios torvo semper vultu, & animo excogitare.

Anno 1131. Dominicæ Incarnationis mense *Martio*: Diebus non multis evolutis prædictus *Beneventus* cum sequacibus suis, octavo die intrante mensis *Maji*, armis acceptis, *Beneventum* ingrediuntur, & domum ipsius *Dauferii Basaforte* ascendunt, ibique audaci animo permanserunt. Miserunt itaque amicis suis, ut ipsis in plateam propalatis unanimiter subveniant, & de adversariis suis accipiant ultionem, quorum consilio de Civitate expulsi fuerant: nec mora, prædictus *Beneventus*, & ejus sequaces cæperunt viriliter gladiis, lapidibusque debellare. Audiens igitur prædictus *Crescentius* Rector sic eos audacter Civitatem fuisse ingressos, turbatus animo, & valde admirans campanam Palatii pulsari præcepit, quatenus omnes sui fautores cursu rapido ad eos ejiciendos festinent. Quid plura? armis eductis ad domum *Dauferii Basaforte* descendunt, & viriliter defendere conantur, ne sic Civitas ab eorum invasione turbetur. *Beneventus* autem, & socii ejus amicorum suorum auxilium non adesse aspiciens domum illam *Dauferii* ascendunt, & per domos alias diffugientes, & plateas, de Civitate exeunt, & de manibus persequentium incolumes evaserunt, & eis sic fugientibus domum prædicti *Dau-*

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Et* Beneventus *de* Joanne *de* Rocca] Recte quidem; non *Benevenutus*. Sicuti vir alter apud *Falcandum* ab nomine urbis *Salerni*: *Salernus* est appellatus, ita & hic a *Benevento*. *Beneventus*. Horum itaque filii si a genitorum no- A minibus fors tulisset, ut gentilitia traxissent cognomina, facile nunc nonnemo gentes sic denominatas genus duxisse ex Principibus earundem urbium autumaret: scilicet quoniam pari ratione plures familias a possessis locis, & oppidis appellatas constat: At patrii etiam loci nuncupatio in stirpis nomen sæpius transivit, quod notum.

C. Peregr. Rr

Dauferii, & aliorum, qui eis consenserant, prostraverunt. Ab illo autem die discordia multa, & inaudita inter Concives orta est. *Persicus* interea, & *Roffridus* Judices, timore inimicorum coacti Civitatem *Beneventanam* ingredi non audebant, tandem cognoscentes prædictum *Anacletum Capuanam* Civitatem applicuisse, ut *Romam* reverteretur, habito consilio Civitatem ipsam *Capuanam* audacter ingrediuntur. Inde *Robertum* Principem tunc *Anacleti* fidelem suppliciter precantur, ut ejus intercessione amorem *Anacleti* invenire mereantur, & licentiam ad possessiones suas remeandi. *Robertus* itaque Princeps absque mora, *Anacletum* adiit, & eum præ dilectione eorum invenienda pulsavit. Quid multis? petitionibus Principis *Anacletus* favens, literis datis, licentiam redeundi, & secure habitandi in Civitate eis largitur; Ii vero redeuntes ad Portam Sancti *Laurentii* pervenerunt, disponentes ad propria, fronte libera, sicut ab *Anacleto* acceperant, reverti. Sed turba inimicorum copiosa simul cum prædicto *Crescentio* insurgens, crudeliter, ne introirent, minatur. Ipsi vero proterviam eorum, & minarum copiam sentientes, salutis consilium arripiunt, & ad prædictum sunt reversi *Anacletum*, qui adhuc *Capuæ* morabatur. Continuo pedibus ejus prostrati, omnia, quæ dicta, quæque facta super se fuerant, e vestigio retulerunt. *Anacletus* igitur super hoc iratus, cæpit contra *Beneventanos* mirabiliter minari. Tandem ex consulto Principis eos ad Civitatem remisit, dans eis Cardinalem suum, ut eo viso, & audito fidem darent, eosque pacifice ad propria eorum reverti permitterent. Venerunt itaque cum prædicto Cardinali, quo audito, omnique deposito furore cum Civibus Cives ipsi permanserunt. Interea præfatus *Rolpoto* amicorum suorum fretus auxilio die, noctuque nova semper consilia, & conventicula super præfato *Crescentio*, & ejus conspiratoribus palam quandoque, privatim aliquando adinveniebat. Tractabat quidem *Rolpoto* de *Crescentio*, & ejus consentaneis ultionis pœnam accipere, reminiscens doloris, & captivitatis, simulque horti sui venditionis, & qualiter sexaginta *Romanatos* per eos perdidisset. Prædictus autem *Crescentius Rolpotonis* illius, & ejus amicorum murmur, & minarum terrores deprehendens de Palatio Curiæ descendit, & apud Monasterium *Sanctæ Sophiæ* permansit: relatum siquidem ei fuerat, quod sicut prædictus *Guillelmus* Rector, ita & ipse in Palatio trucidari disponebatur, qui quidem ferociam talem, & mortis asperitatem devitans, quasi securus infra ipsius Monasterii claustra manebat. Amici igitur ipsius *Crescentii*, & præfati Judices ad eum animose conveniunt, & eum hortantur, ut Curiæ statum simul cum eis obtineat. Ipse vero *Crescentius* hortationibus eorum, & monitis nullo voluit modo favere. Nam per amicos revera suos sæpe ei referebatur, quod si Palatium reverteretur, membratim eum dividerent morte inopinata; unde, ut prædiximus, *Crescentius* ipse minas illorum, & terrores devitans, infra idem Monasterium usque ad festivitatem *Sancti Angeli*, quæ III. Kalend. *Octobr.* colitur, moratus est. Cernens præterea prædictus *Crescentius* Rector *Rolpotonem* illum, & ejus auxiliarios die, noctuque minarum terrores, & convicia super se exercere, & evidenter super eum velle insurgere, cæpit cum fautoribus suis studiose tractare, qualiter tanti veneni mortiferi flammas posset extinguere. Prædictus interea *Rolpoto* horis omnibus minabatur, quod si *Crescentius* ipse sexaginta *Romanatos*, quos *Anacletus* ei abstulerat, ei non reddidisset, remota omni caligine, de corpore ejus inauditam sumeret ultionem. Advocans igitur prædictus *Crescentius* suos omnes fautores, cæpit cum eis agere, quid super hoc esset faciendum. Pars quippe ejus amicorum diligenter, & dolo remoto, *Crescentium* illum hortatur, & monet, ut illos sexaginta *Romanatos* de Curiæ regalibus prædicto redderet *Rolpotoni*, quatenus vel sic a tanta ruina, & timoris tempestate secure possent permanere. Ad hæc *Crescentius* ipse coram eis ajebat se *Romanatos* ipsos ei reddere dubitare, præcipue cum *Anacletus* ille in scriniis suis pecuniam illam detulisset. Unde timens asserebat, quod si pecuniam illam sine *Anacleti* consilio redderet, proculdubio ejus incurreret furorem. Dum hæc, & alia *Beneventi* geruntur, *Crescentius* ipse legatum suum ad *Anacletum* direxit, notificans omnia, quæ ei acciderant, & qualiter pro pecunia *Rolpotoni* ablata, ipse cum amicis suis mortem quotidie expectaret. Insuper, quod pro ipsius *Rolpotonis* timore de palatio descendisset, & infra *Sanctæ Sophiæ* Cœnobium permansisset: nunc vero & de pecuniæ illius redditione, & de cæteris, quæ ad vos misimus, quid sit agendum, nobis remittatis [1]. Prædictus itaque *Anacletus* hujusmodi sinistrum accipiens legatum, dolore cordis turbatus, vocari fecit quosdam suorum amici-

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1131. *Legatum suum ad* Anacletum *direxit, notificans omnia, quæ ei acciderant; & qualiter pro pecunia* Rolpotoni *ablata ipse cum amicis suis mortem quotidie exspectaret*, &c. *nunc vero, & de pecuniæ illius redditione, & de cæteris, quæ ad vos misimus, quid sit agendum, nobis remittatis.*] Dissonam qui videas eodem in contextu sermonis formam usurpari, ne deesse hic quicquam suspiceris; sicuti nec ad an. 1137. ubi omnino par legitur elocutio: non enim infrequens fuit ea variatio apud Auctores mediæ ætatis. Vide Historiam Miscell. lib. 15. ubi de *Justino* Imp. & *Anastasium Bibl.* in *Silverio* bis, & in *Vigilio*: omitto Anonymum *Salernit.* ineditum.

amicorum, & cum eis, quid facto opus esset, tractavit. Quædam vero pars ejus amicorum, ut redderetur pecunia, pro qua Rector ejus, & Civitas turbata trepidabat, confirmavit. Sed *Anacletus*, ut erat viperei cordis, dejecit consilium, & *Crescentio* delegavit, pecuniam illam non reddere. Vita enim Comite, ipse *Beneventum* veniret, & tempestatis hujus turbinem ad portum perduceret salutis. Reversus igitur ab *Anacleto* Legatus literas hæc omnia continentes præfato dedit *Crescentio*, qui magis, magisque confisus literarum continentias adimplevit. Audiens autem præfatus *Rolpoto Anacletum* sic præcipientem, & *Crescentium* reddere dubitantem, cæpit ferventius inflammari, & cum *Roberto* Principe *Capuanorum*, & *Rainulpho* Comite meditari, qualiter de *Crescentio* Rectore, & ejus amicis, qui causa perditionis ejus fuerant, ulciscatur, quod postea rei probavit eventus. His, & aliis conflictationibus inter se habitis, & pro multis antiquis inimicitiarum generibus, quæ ad memoriam ducebantur concordia illa ad fructum tranquillitatis perduci non potuit. Præfatus igitur Princeps, & Comes *Rainulphus Rolpotonis* illius dulcia audientes colloquia, & aureas, argenteasque pollicitationes, sacramentis communibus juraverunt, cum res, & tempus expostularet, sibi adinvicem subvenirent. Sed ne tempus tarditatis me apprehendat describendi, ad ea, quæ necessaria imminent, & opportuna videntur, succincte festinemus. In subsequenti igitur tractatu, vita comite, describemus, qualiter prædictus *Crescentius* cum prædictis Judicibus, aliisque eorum amicis, & alii fere quadringenti tali inventa occasione de Civitate fuerunt exulati. Plura etenim veritate munita, & quæ ipse viderim omni remota dubietate si singillatim describere vellem, & tempus deficeret, & ego, licet incultus, sub tanti laboris sudore defessus succumberem. Nihil etenim lectoribus, & audientibus proderit mendacia proferre, & vanitate repleta, cum tot, ut prædixi, vera habeantur, quæ, Domino favente, ad posteritatis memoriam ducere curamus.

Anno igitur 1132. Dominicæ Incarnationis, mense *Martio* VIIII. Indictione [1], Luna splendorem ortus sui derelinquens in sanguinis colorem conversa est, quam nos aspicientes prodigium fore credidimus. Hoc anno prædictus *Anacletus* venit *Salernum*. Eodem anno præfatus Rex *Rogerius* videns *Tancredum* de *Conversano* virum utique prudentem, & animosum, rebellem sibi, & resistentem, consilio habito exercitum congregavit, & super Castrum *Brindisii* ejusdem *Tancredi* festinavit, & illud terra, marique obsedit, sicque mirabiliter expugnatum suæ illud obtinuit potestati, & his actis super Civitatem *Barensem* exercitu convocato festinavit. Nec mora; Civitatem illam diversis cæpit expugnare machinationibus, per quindecim vero dies Civitas illa obsessa, & expugnata est. Tandem Civium *Barensium* traditione manifestata Civitas ipsa ad Regis potestatem tradita est [2], & Civitate ipsa sic comprehensa, *Grimoaldus* Princeps vir valde mirabilis, & bellicosi spiritus a quibusdam concivibus captus est, & ad Regis potestatem perductus, quem Rex ipse confestim captivum cum uxore sua, & filiis ad *Siciliam* mandavit, sicque totam *Apuliam* suæ subegit potestati. His ita peractis minabatur Rex ipse Principem *Robertum*, & *Rainulphum* Comitem exhæredare. Eodem anno Rex præfatus deprehendens Comitem ipsum *Rainulphum* convicia multa, & afflictiones *Mathildi* uxori suæ inferre ejusdem Regis sorori, quam ultra, quam credi potest, diligebat, consilio habito, ipsam suam sororem vocari mandavit, quam honeste accipiens eam dulcibus colloquiis consolatur, & eam in *Siciliam* mandavit. Hoc anno Rex ipse prædictum Principem, & Comitem *Rainulphum* cum ducentis militibus ad auxilium prædicti *Anacleti Romam* delegavit, & eis euntibus, sicut prædixi, uxorem jam dicti Comitis, & filium, & Civitatem *Abellinum* ei abstulit; cum autem Princeps, & Comes *Roma* reverterentur, turbati animo, & dolore immenso percussi mirabantur, qualiter Rex ipse ejus uxorem abstulisset, præcipue tamen Comes *Rainulphus*, cujus uxor charissima, & filius sic ablata fuisset, palam quandoque, aliquando privatim lacrymis conquerebatur manantibus, injuste conjugem, & filium perdidisse. Inde per se ipsos, & amicos eorum prædictum *Anacletum* rogaverunt, ut a Rege *Rogerio* impetraret reddi filium, & uxorem. *Anacletus* igitur Regem per nuncios precatur, ut uxorem Comiti redderet, & filium,

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Anno igitur* 1132. *Dominicæ Incarnationis mense* Martio VIIII. *Indictione*,] Scribe x. *Indictione*. Et ad an. 1135. *Indictione* XIII, non. XII. Nec de recta dubites annorum consignatione, quibus cæteræ omnes bene competunt a *Falcone* assignatæ Indictiones; & præterea apprime eis consentiunt temporum Characteres pluribus hujus Chronici locis descripti, scilicet ad an. 1109, 1114, 1120. bis, 1132. & 1137.

[2] *Tandem civium* Barensium *traditione manifestata Civitas ipsa, ad Regis potestatem tradita est*,] Non igitur vi capta a *Rogerio* fuit *Baris*; sed ejus cives deditionem fecerunt, nempe post tres fere hebdomadas obsidionis, ut ait *Alexander Teles.* lib. 2. cap. 21. qui non in aliam sententiam est capiendus. Idque *Falconis* plane denotat sermo, usurpari solitus iis, qui in Forensibus concertationibus judicio victi manus dabant, ac manifestare se de re injuste possessa, hoc est eam legitimis dominis renuntiare, publico scripto profitebantur. Sic etiam Aymoinus lib. 5. cap. 5. de *Barcinone* ab Imp. *Ludovico Pio* recepta: *Tradita*, inquit, *& patefacta civitate* (quod idem valet, ac *manifestata*) *primo quidem die custodes illuc Rex destinavit.*

filium, quod obtinere non potuit. Unde Comes ille dolore accensus, ultionis tempora rogabat. Quid multa? cum prædicto Principe, & Magistro militum *Neapolitanorum*, & aliis amicis alligatus, cum duobus millibus Equitum, & pedestrium multitudine propalatus exivit. Exivit quidem lætanti animo, & intrepidus, & morti primum succumbere desiderabat, quam exhæredatus ab illo aliena peteret, & incognitas partes adiret. Famam vero *Barensis* Civitatis, & *Grimoaldi* Principis, & *Tancredi*, quos olim dilexerat, ante oculos ferens, & qualiter eos afflixerat malis, mori gladio orabat, & ense deficere, quam tali, tantaque Regis potestate colla ligare. Nec mora; Princeps ille, & Comes, ut fati sumus cum duobus millibus Equitum, & peditum armatorum magnitudine innumera pugnaturus, & defensurus a Regis proposito in planitiem *Montisfardi* castrametati sunt. Cœlorum quidem Regem suppliciter precantur, ut cœlesti accincti auxilio minas Regis, & timorem evadere possint. Quotidie Comes ille suos lacrymando orat, & monet, quatenus solius Dei fiduciam habentes, timorem abjiciant, & terrorem deponant; gloriosius quidem toto mundo narrabitur nos in justitia confidentes, & propria tueri & mori primum in ore gladii, quam pati alienas manus nobis viventibus nostra invadere, & de civibus delicatis peregrinos efficere. Vox itaque omnium una efficitur, & ad illorum petitiones vertuntur; sicque die, noctuque invigilantes cælestem victoriam invocabant. Cumque ut supra diximus, Rex *Rogerius* Civitatem *Barensem* suæ subjugasset potestati, & *Tancredum* de *Conversano* a totius *Apuliæ* finibus expulisset, exercitu viriliter, acriusque congregato, circa *Beneventanos* fines advenit. Continuo in planitiem Pontis Sancti *Valentini* Civitati proximam, Rex ipse tertiodecimo die mensis *Julii* intrante castrametatus est. Deinde consilio accepto Legatos *Roberto* Principi *Capuano*, & Comiti *Rainulpho* mandavit, ut justitiam sibi ex multis, variisque querimoniis consequatur. Princeps autem nunciis auditis in conspectu omnium suorum taliter respondit. Sciat revera Rex vester, quem dicitis, quoniam nullo modo ei justitiam faciemus, donec Comiti *Rainulpho* uxorem, & filium restaurabit; super etiam Civitatem *Abellinum*, & Castrum, quod sibi abstulit, in ejus potestate largietur [1]. Et legatis illis revertentibus Princeps ille universos suos milites tria millia fere numero, & quadraginta millia peditum armatorum, quos rogaverat congregari, mandavit, quatenus ad tale, tantumque negotium viribus totis parati invigilarent, & taliter oratio incæpta discreta, & diligenti cura alloquitur. Certissimum Domini, & fratres agnovimus vos pro libertate vestra augenda, domos, uxores filiosque vestros, & universa bona dimisisse, & armis solummodo vestris acceptis, solam Dei Salvatoris misericordiam invocantes in medium convenisse. Audistis etenim, & nos veritate perfecta accepimus, qualiter erga Civitatem *Barensem* gesserit, & quomodo talem, tantumque *Grimoaldum* Principem ab honoris gloria turpiter afflictum exulaverit catenatum. *Tancredum* vero, & ejus probitatem quid memorem? vos ipsi audistis, qualiter ei Civitates omnes, & oppida dolo invento eripuit, & transmarinas partes eum destinavit. *Giffredum* quoque Comitem ad qualem afflictionem Civitatum suarum perduxerit, credimus vestram non latere probitatem: omnes namque potentes viros, & illorum divitias gutture aperto desiderat, & ne ei resistant, terratenus sternit, & in pulverem gloriam illorum sine aliqua manu pietatis inducit. Heu nefas, & morte dignissimum, sic omnium nostrum gloriam sitibundo pectore velle consumere, & gladio evaginato sine misericordiæ fonte nos omnes ad mortis periculum destinare. Succurrite itaque viri fortissimi, & vobis, inquam, ipsis subvenite, ut dum tempus auxilii, & consilii nobis superest a tanti viri faucibus, & potestate effrænata liberari valeamus. Sola namque Salutaris Dei fiducia in omni nostra manet dispositione, & in vestris armis, quæ accepistis, omniumque bonorum amissione vestrorum consolatio vestra inflammetur. Consolandum quippe est, ut spes in victoria habeatur. Nos pro augenda libertate sanguinem volumus fundere, & in alienas manus nullo modo pervenire. Timorem itaque mortis abjiciamus hujusmodi, & justitiam defendentes unanimiter moriamur, ut toto orbe terrarum fama nostræ virtutis inveniatur. Rex cælorum Dominus, fratres, justitiam nostram inspiciat, & qui *Machabæorum* orationes clamantium exaudivit, nostras dignetur accipere afflictiones. Quid enim prodest, dilectissimi, turpiter in mundo isto manere, & afflictionibus subjacere, cum post multas miserias, & pericula, quæ nobis succedunt mors ex improviso horribilis accidit, & calamitatibus nostris, divitiisque finem, terminumque imponit. Gloriosius igitur erit pro justitia, quam speramus deficere, quam gentis nostræ mala videre, & periculose exulati diem claudere extremum. Notum præterea vestræ significamus fraternitati, ut pro securitate nobis adinvicem data obsides filiorum nostrorum, & consanguineorum ponamus, ponendum quippe est, & lætanti animo faciendum, ut unusquisque nostrum secu-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Super etiam civitatem* Abellinum, *& Castrum, quod sibi abstulit, in ejus potestate largietur.*] Castrum, cujus nomen, vel Auctor, vel Librarius omisit, Alexandro Telef. lib. 2. cap. 22. dicitur. *Merculianum.*

securus, & timore deposito alter alteri fidem attribuat, & vigoris alacritatem. Hæc, & his similia Principe illo orante, unusquisque militum, & peditum, divina instigante clementia, petitionibus Principis consentaneam dedere concordiam, & sic singillatim filios suos unusquisque Baronum in Principis potestate obsidis loco largitus est. Legati itaque Regis a Principe reversi, e vestigio cuncta eis injuncta narraverunt. Quibus auditis Rex, consilio iterato accepto, nuncios alios eidem Principi legavit, ita continentes: Miramur valde super his, quæ Princeps nobis destinavit; præcipue cum ejus suasionibus, & legatis ego in partibus istis modo advenerim, pollicens se nobis justitiam de querimoniis nostris facturum. Præstolamur itaque ejus promissiones, & die constituto in crastinum monemus illum ad justitiam nobis sequendam, deinde, vita comite, quid super his opus sit, faciendum tractabimus. Princeps vero eadem Regi remisit, quæ, & primum mandaverat. Rex autem *Rogerius* dicta Principis, & Comitis audiens dolore multo accensus, & quia quod mente conceperat, aliter fieri cognoscit, satis, satisque turbatus est. At Princeps continuo *Crescentium* Cardinalem, *Beneventanum* Rectorem, & *Landulphum Beneventanum* Archiepiscopum vocari mandavit, quatenus cum quibusdam sapientibus Civibus *Beneventanis* ad Regem ipsum festinarent, & nuncio accepto, assumptis secum *Beneventanis* Judicibus, & triginta aliis probis viris, ad Regem festinaverunt. Rex itaque diligenter eos, & honeste accepit, deinde cunctis longe, lateque confabulatus est, ut ejus amore, & *Anacleti* fidelitate secum alligati, & sacramenti confœderati guerram adversus Principem *Capuanum*, & Comitem *Rainulphum* facerent [1]. Promittebat ideo pacem Civitati *Beneventanæ* daturum, & *Beneventanorum* hæreditates a *Normandorum* servitute, & tributis liberare. Quid multa? Cardinalis exaudiens simul cum Archiepiscopo, & Civibus *Beneventum* reversi sunt. Nec mora; *Beneventanorum* non modicam partem congregari præcepit, quatenus super his, quæ a Rege acceperant, consiliarentur; pars autem populi præcepto Cardinalis favens Curiam Sacri Palatii ascendit, deinde ordinem rei exponens, & quid Civitati pollicetur nominatus Rex, e vestigio aperiens, consiliis ab eis perscrutatus est. Exposuit etiam, quoniam sine sacramentorum firmatione istud negotium agere noluisset. Quid longius moror? petitio Regis audita cursu rapido quibusdam complacuit *Beneventanorum*. Continuo in ipso sacro Palatio Cives illi, qui convenerant, Judices primum *Joannes*, *Persicus*, *Dauferius*, *Benedictus*, *Roffridus* juraverunt, non esse in facto, consilio, vel consensu, ut Rex ille vitam, vel corporis membra perdat, aut capiatur, & vivam, & continuam guerram Principi nominato, & Comiti faciant, & alia quæ in Capitulari facto legebantur, salva tamen fidelitate *Petri* Apostoli. Quibus ita peractis Cardinalis de Palatio descendit, & per Civitatem, quot inveniri studuit, sacramento eodem alligavit. Cumque taliter a *Beneventanis* juratum esset, fama terribilis Civitatem *Beneventanam* perculsit, & linguis solutis vociferabantur alii, quibus sacramentum illud displicebat, quod Cardinalis *Crescentius* simul cum Archiepiscopo *Landulpho*, & Judicibus nominatis, & *Beneventanis* quibusdam Civitatem *Beneventanam* Regi *Rogerio* dare voluisset, & in ejus potestate largiri. Affirmabant quoque uncias auri a Rege innumeras accepisse. Factum est autem, cum taliter fama hujusmodi per Civitatem ventilaretur, en subito armis acceptis maxima Civitatis turba in plateas exivit, & furore arrepto super Cardinalem *Crescentium*, insurgens in fugam illum perduxit. Cardinalis autem timore coactus Civitatem fugiendo deseruit, & ad Regem festinanter acceleravit. Nunciavit itaque omnia, quæ *Beneventi* acciderant, & qualiter in eum lapidibus, armisque acceptis insurrexisset turba Civitatis, *Landulphus* autem Archiepiscopus sic Cardinalem fugientem aspiciens Palatium Episcopii ascendit, & ibi timore coactus morabatur. Quibus ita peractis populus in unum catervatus, armis eductis, palam vociferabatur, quod sacra-

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

[1] *At Princeps continuo* Crescentium *Cardinalem* Beneventanum *Rectorem*, *&* Landulphum Beneventanum *Archiepiscopum vocari mandavit*; *quatenus cum quibusdam sapientibus Civibus* Beneventanis *ad Regem ipsum festinarent*, &c. *ut ejus amore*, *&* Anacleti *fidelitate secum alligati*, *& sacramento confœderati guerram adversus Principem* Capuanum, *& Comitem* Rainulphum *facerent.*] *Capuæ* itaque Princeps *Robertus Beneventanos* ad Regem *Rogerium* ire persuasit, ut adversus se fœdera cum illo inirent? Quid sane absurdius? Sed adverte, ne fallax lectio ad alia a vero æque aliena commentanda te seducat; nam Falco inquit, *Princeps vocari mandavit.* &c. scilicet *ad se.* præterea, quod Card. *Crescentius*, & Archiepisco- A pus *Landulfus*, *assumptis secum* Beneventanis *Judicibus*, *& triginta aliis probis viris ad Regem festinaverunt:* fœdera scilicet cum eo inituri. Non Princeps igitur, sed Rex illos vocari mandaverat; *qui in planitiem Pontis S.* Valentini, *civitati* Beneventanæ *proximam*, *tertiodecimo die mensis* Julii *intrante castrametatus fuerat*; & per Legatos semel, & iterum Principem *Robertum* interpellaverat, *ut justitiam sibi ex multis*, *variisque querimoniis consequeretur*; sed illum ad debita obsequia sibi præstanda allicere cum nequivisset, *dolore multo accensus*, *& quia quod mente conceperat*, *aliter fieri cognovit*, *satis*, *satisque turbatus* B *est*; *& continuo* Crescentium *Cardinalem Rectorem* Beneventanum (sic plane legendum; non. *At Princeps continuo*) *&* Landulphum Beneventanum *Archiepiscopum vocari mandavit*, &c.

cramenta Regi *Rogerio* noviter facta non observentur. Nolumus quidem sic Regi alligari & sacramentis astricti in expeditionibus suis cum *Siculis*, & *Calabridibus*, *Apulis*que Sole ardenti, & sudore fatigati anhelare. In delitiis quidem positi, & periculis exercitalibus nunquam assueti cum tali, tantoque Rege consortia minime habemus. His ita præmissis memoratus Princeps, & Comes *Rainulphus*, nunciis acceptis, *Beneventanis* miserunt pacis verba, & securitatis dilectionem. Notum sit vobis, quoniam Princeps, & Comes, & *Rao* de *Fraineta*, & *Ugo* Infans sacramentis intervenientibus dimittet in perpetuum *Beneventanis* omnes fidantias, & tributa, quæ nobis solvere solebatis; dum tamen neque Regi *Rogerio*, neque nobis auxiliamen tribuatis. Revera vestrum auxilium tempore isto accipere nolumus Civitati providentes, ne tali occasione Civitas *Beneventana* contrarietatem incurrat; volumus tamen securi transire, & timore deposito securiores manere. Quid multa? licet Cardinali *Crescentio Beneventano* Rectori, pactum illud displicuisset, tamen *Beneventanis* animo libenti satis, satisque complacuit. Princeps itaque, & Comes *Rainulphus* militibus accitis ad Pontem majorem venerunt, & coram *Landulpho Beneventano* Antistite, & turba multa *Beneventanorum*, sicut in superiori tractavimus, simul & *Rao* de *Fraineta*, & *Ugo* Infans juraverunt. Juraverunt quoque B. *Petro* fidelitatem, & in scripto sigillato ordinem convenientiæ, & sacramentorum firmitatem adnotari jusserunt, per omnes Civitatis portas scriptum signatum de convenientia illa ad posteritatis memoriam diligenti cura positum est. Cumque talium sacramentorum, & convenientiæ cum Principe firmiter factæ *Rogerii* Regis aures fama tetigisset, ultra quam credi potest, admirans obstupuit, & dolore cordis perculsus ajebat; quomodo Civitas *Beneventana*, cujus auxilium habere putabat, erga Principis, & Comitis *Rainulphi* dilectionem adhæsisset, revera, sicut a multis comperimus, non alia de causa Regem illum circa *Beneventanos* fines venisse, nisi ut *Beneventanorum* auxilio & virtute Principem invaderet, & eum in fugam duceret desolatum. Unde a mentis proposito decidens, cogitationibus variis frangebatur assidue, & quod mente conceperat, ad effectum non posse perducere, oculata fide cernebat. Quid igitur dicebat, ab exteris, *Siculis*que partibus huc adveni, cum in his, quæ excogitaverim fortuna volatili, animo defeci? Et tali fractus angustia exercitum suum in partes divisit, & quasi ad bellandum ducturus acies diversas exercitus, & manus armatorum instruxit. Ipse vero Rex, ut erat providi animi, & cordis meticulosi, & ne ab inimicorum cognosceretur instantia, quasi bellandi, & resistendi adinvenit securitatem. Nocte etenim insecuta cubiculariis suis, & sapientioribus consilii ejus patefecit excessum, & qualiter inde amovere desiderat, significavit. Continuo clamari voce præconis jussit, ut vexillo ejus viso universus exercitus, qua parte duceretur, consequatur. Præconis itaque voce audita, timorem Regis sentientes, prout poterant, parantur ad proficiscendum. Nec mora, cohortibus militaribus, & peditum turmis divisis fugiendo potius, quam resistendo, castra inde amovere. Deum quidem testor æternum, qui cordium occulta cognoscit; remotio illa Regis in fugam nocturnam, timoremque ascribi poterit, & memorari. Et Regem illum, cujus potentia cælum hactenus verberabat, nocturnis umbris insilire per devia, & cursu celeri festinare. Mane autem facto circa *Salernitanos* fines applicuit, ibique fatigatus, & aliquantisper deposito cordis timore circa fluenta Montis *Atrupaldi* quievit [1]. Octo vero dies in planitiem Pontis Sancti *Valentini* Rex ille moratus est, & illo totaliter ibi morante multa frumentorum confusio, & ruina mobilium a suis peracta est. Cumque taliter Rex locum illum fugiendo dimisisset, ad exercitum Principis auditum est. Confestim *Rao* de *Fraineta* caterva militum accita post eum viriliter, & animose

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Mane autem facto circa* Salernitanos *fines applicuit; ibique fatigatus, & aliquantisper deposito cordis timore, circa fluenta Montis* Atrupaldi *quievit.*] De *Salernitanis* finibus alibi erit sermo peculiaris. Nunc adverto, *Atrupaldi* montem ipsos esse colles, quos amnis *Sabatus* præterfluit, oppido imminentes *Atrupaldo*: quandoque etiam nuncupato *Atropaldo*, sive si ejus primitivum nomen retinere malis, *Tripaldo*, quod etiamnum obtinet, cum dicatur. *L'Atripalda*. pro. *La Tripalda*; unde oppidani *Atrium Palladis*, vel *Atram Paludem* nomini occasionem dedisse, Poëtico sane figmento, sibi persuadent. Sed re vera cum per *Langobardorum* tempora in adversa *Sabati* ripa civitas adhuc staret *Abellinum* (ibi nunc Monasterium, & Ecclesia *S. Joannis Baptistæ*, & A rudera antiquæ urbis non obscura) speculatrix Turris a quodam *Paldo* in edito colle constructa fuisse videtur, dictaque perinde *Turris Paldi*, & per syncopen *Tri Paldi*, & tandem *Tripalda*; ad quam plerique *Abellinates* in patriæ excidio, quando ea in tutiorem paulo locum secedere coacta est, se receperint, sed tandem ad ima iterum sensim descenderint, tum aquarum ad varia opificia opportunitate, tum erga excavatum ibi antiquitus cœmeterium S. *Hippolyti* Mart. devoto cultu allecti: sicuti S. *Felicis* apud *Nolam*, & apud *Capuam* S. *Prisci Christi* Discipuli cœmeteria, habitatoribus etiam ab antiquo frequentata fuisse constat. Sed hoc oppidum in Tabulis Monasterii *Cavensis* de an. 1174. scriptum legi *Truppoaldum*, ex Tabularii, ut B reor, opinione: qui ab viri nomine ipsum appellatum audierat, nullumque *Tripaldi* vocabulo magis accedere sentiebat, quam *Truppoaldi*, viris olim imponi consuetum.

mose insequitur: insequitur eum dentibus frendens, & ultionem de eo sitibundo pectore anhelabat: Novissime quosdam *Sarracenorum* Regis, qui eum sequebantur *Rao* ipse aggreditur, & eos capiens captivos secum perduxit; uni vero eorum caput abscidi præcepit, quod nomine gloriæ ad Principem delegavit. Princeps autem caput illud *Capuam*, ut fama laudis ejus attolleretur, mandavit. Rex autem *Sarracenorum* suorum stragem, & captivitatem audiens, satis, abundeque condoluit: minabatur insuper dolore commotus, ut tempore ultionis accepto, vicem redderet pro acceptis. Inde castra amovens ad Castrum *Nuceriam* valde munitum, quod præfati *Roberti* Principis erat, exercitu congregato festinavit. Continuo tubis sonantibus, & tentoriis paratis Castellum illud *Nuceriam* prope muros, & turres obsedit, & eo acriter circumquaque vallato Rex ipse *Rogerius* præcepit pontem ligneum frangi, qui super Flumen *Sarnum* positus antiquitus erat, ubi *Scafati* cognominatur, & fractum illum omnino de loco illo tolli, & amoveri. Dubitabat revera ne Princeps, & Comes *Rainulphus* hostium multimoda manu audita obsidionis fama super eum irruentes sese affligerent. Securus itaque Rex ipse Castellum illud *Nuceriam* obsidebat, & ex omni parte expugnatum credebat suæ obtinere voluntati. Princeps igitur *Robertus*, & Comes *Nuceriam* taliter obsessam sentientes mente confusi mirabiliter dolent, & suos omnes convocantes cursu rapido ad liberandum concurrunt, *Nucerium* Castrum, quod obsessum audierant, festinant; cito citissime victorem Dominum invocantes, & gladio mori desiderant priusquam a tanto capiantur invasore; & eis sic sitienter currentibus ad præfati Fluminis *Sarni* oram castrametati sunt. Continuo legatos explorandi destinant inquirentes, utrum obsidio Castelli, sicut audierant, vera haberetur, & veritate inventa, tractare inter se cæperunt, quomodo obsidionem Castri illius virili animo liberarent. Novissime invento consilio, pontem ordinari, & firmari fecerunt super prædictum fluvium *Sarnum*, & vigore accepto contra Regis acies ad liberandam obsidionem expediti accelerarent. Deinde, ponte illo superposito, Princeps ille, & Comes, milites cunctos armatos, & peditum suorum copiosam multitudinem transire die Dominico, qui aderat, mandavit, quinto videlicet die, postquam Castrum illud obsessum fuerat, & eis trans flumen euntibus absque mora, Princeps ipse salutifero usus consilio milites suos mille rogatos in duas divisit cohortes. At Comes *Rainulphus* ut erat sapientis animi, & ad quem doloris magnitudo, & uxoris amissa dulcedo spectabat, similiter equites suos mille numero, & quingentos in quinque divisit catervas; ducentos vero, & quinquaginta milites ad defendendum *Nuceriam* transmiserant, qui viriliter contra Regem pugnabant. Cumque, ut dictum est, ad præliandum taliter Princeps, & Comes parati instarent, subito ad Regis aures fama eorum pervenit. Quid multa? Præconis voce pulsatur, quatenus omnis exercitus ad prælium armaretur. Confestim armis acceptis, armati coram Rege apparuere; illico Rex ipse, ut audivimus, octo acies militum suorum, & peditum pugnaturus divisit: quibus ita divisis adinvicem applicuerunt. Quantas lacrymas ab utraque parte armatorum, Lector, si adesses, aspiceres, victorem Deum invocantes, ut justitiam ex alto inspiciat, & sanguinem innocentem liberaret. En subito prima Regis acies contra Principis cohortem insilivit, qui juxta eorum potentiam defendendo pugnaverunt, & sic adinvicem aliquantulum dimicatum est. Quibus ita præliantibus, timor terribilis pedites Principis, & Comitis ex improviso invadit, & usque ad flumen nominatum terga vertentes fugerunt, multi vero per pontem transeuntes evasere; alii namque mille, sicut nobis nunciatum est, pontem illum desiderantes in aquam fluvii ingrediuntur, evadere cogitantes animas suas in gurgite illo amiserunt, armis eorum bibulis aquis immersis. Qualis igitur stridor, luctusque morientium accidit! quem si ex toto scribere voluissem, prius me tempus desereret, quam copia recitandi. Sed redeamus ad causam. Secunda itaque Principis manus stragem tantam militum, peditumque persentiens, viribus animisque acceptis ad Principis intravit auxilium. Regis quoque acies ad Regis juvamen ex adverso positæ incurrerunt; sicque spatio interposito acriter, duriterque decertaverunt. Revera, sicut ex ore narrantium, qui interfuerunt, audivimus, sic instanti animo pars Regis præliabatur, quod Principis acies, fuga jam inchoata, deficiebat ab armis; sed divina providentia gubernante, in cujus dispositione non fallitur, justitiæ partem, sicut nostræ fragilitati apparuit, ex alto prospexit. Comes enim *Rainulphus*, qui ex adverso positus erat, eventum pugnæ jam fallentis aspiciens, equis concitatis quingentorum militum caterva stipatus, Regem animose invadit, vigorem illico, & constantiam Principi pugnanti attribuit, & clamoribus ad astra levatis expugnabant. Deinde secunda Comitis acies accurrit, & Regem atrociter pugnantem aliquantisper impulit. Quid longius morer? tertia ejusdem Comitis manus ardenti animo agitata, fatigatos suos agnoscens, ex adverso exiens, sicut *Leonis* triduana fames dentibus exasperata pervolat, & in medio præliantium intravit, & sic, Domino auxiliante, in fugam, & stragem Rex ille conversus est. En clamor populi pugnantis ad sidera tollitur, Regem fugientem significans, suosque adhortans, ut sequantur, quatenus victoria cælitus concessa de tali, tantoque viro ulciscatur. Rex autem volens militibus suis animositatem, constantiamque reparare, ne tali infortunio campum dimit-

dimittant, cæpit hasta accepta, obsistere, & suis fugientibus nomen suum manifestare: nihil tamen manifestatio nominis profuit, nihilque fugientibus auxilii accidit, cum jam talis, tantaque victoria ab excelso Salvatoris solio Principi, & Comiti orta est. Rex igitur sic suos, ultra quam credi potest, fugientes aspiciens, hastam projicit; de sola fuga, & vita custodienda cogitabat, & equo mirabili, quem supersedebat, concitato, ut auditum est, quatuor secum militibus adjunctis fugiendo, & mirabiliter lugendo evasit. Sicque tanta districtus angustia, & mentis calamitate circumquaque satiatus, *Salernitanam* Civitatem ad solis occasum introivit. Cives autem *Salernitani* sic eum fugientem sentientes, Regem illum suscepere. At Comes *Rainulphus* milites armatos accipiens prope Civitatem ipsam Regem illum fugientem insequitur. Revertitur Comes intrepidus; audierat enim Regem *Salernum* intravisse, & eo revertente simul cum Principe, Barones Regis viginti fere numero, & septingentos milites præter multos alios, quos nominare silentio dedimus, comprehendit: alios vero in fugam conversos occisioni expositos crudeliter fore audivimus. Quid plura? totus Regis exercitus militum, peditumque in fugam, occisionem, captivitatem perductus est; auri vero copiam, & argenti ineffabilem multitudinem, & vasorum aureorum abundantiam, & vestimentorum infinitas varietates, & equorum congregationes, & Loricarum densitatem, cunctorumque mobilium, quæ in victoria illa capta sunt, Regem regum testamur æternum, si universa, & singillatim describere vellem, prius in scribendo deficerem, quam universa exararem. Quid plura? universa illa mobilium gloriosa magnitudo ad potestatem Principis, & Comitis pervenit. Lætatur itaque Princeps, & Comes de tali triumpho cælitus concesso. Quibus omnibus ita peractis, fragor victoriæ, & Regis fugientis calamitas *Apuliæ* partes, & *Siciliæ*, & totius *Italiæ* intonuit, & super inauditis occisionibus, & Regis terroribus valde mirabatur. Nemo quidem tempore isto viventium, recordatur talem tantamque præliorum stragem infra *Christianos* accidisse. Cum autem victoriæ fama *Beneventanam* Civitatem tetigisset, en subito Civitatis populus gaudio magno repletus ad Episcopium, & Monasterium S. *Sophiæ*, jubilando convenit; ibique gratias Deo, & *Petro* Apostolo, lacrymis manantibus, egit; deinde cereorum magnorum frequentia, & luminarium lignorum accepta cum clericis, & Presbyteris catervatim ad *B Bartholomæi* Apostoli Basilicam, & Monasterium *Sanctæ Sophiæ* vigilias, & laudes persolventes lætabantur. Lætabatur quidem gaudio ineffabili totius Civitatis populus, ac si omnis illa victoria a *Beneventanis* facta fuisset. Dies vero, quo bellum illud factum est, in vigiliis B. *Jacobi* Apostoli habebatur, octavo videlicet Kalend. *Augusti* [1].

Hoc anno duodecimo die intrante mensis *Augusti* obiit *Landulphus Beneventanus* Archiepiscopus. His ita gestis. prædictus Rex *Rogerius* consilio communicato in *Apuliam* descendit, & apud Civitatem *Melphitanam* diebus non multis moratus est. Continuo quosdam ex Baronibus suis vocari mandavit, quos valde præcipiendo admonuit, quatenus in ejus permanerent fidelitate, & dilectione. Mandavit etiam, ut juxta eorum vires a *Tancredi* de *Conversano* consortio caveant; oderat enim eum Rex ipse *Rogerius* odio mortifero, & sicut præmisimus, a totius *Apuliæ* finibus eum depellere conatus est. Quibus peractis *Salernum* repedavit, ibique Procerum suorum frequentia magnificatus de inimicitiis Principis *Capuani*, & Comitis *Rainulphi* satis, abundeque tractabat. Consiliabatur quotidie, qualiter eos vincere posset; quoniam quidem, sicut prædiximus, ab eis victum, & in fugam conversum eorum virtute longe, lateque audivimus. Diebus præterea non multis evolutis, Rex præfatus *Rogerius* consilio Cardinalis *Crescentii* tunc *Beneventani* Rectoris, & aliorum *Beneventanorum*, sicut audivimus, Civitatem *Beneventanam* depredatus est; viros quidem, & mulieres, & animalium multitudinem captivos apud *Montemfuscum* perduxit. O qualem, Lector, si adesses, luctum *Beneventanorum* audires, & miratus lugeres; quoniam quidem Civitas securitate a Rege accepta, jugiter ad possessiones eorum, & vineas, quia vindemiarum tempus inerat sine timoris aliqua dubietate exibat. Die itaque ipso, cum talis deprædatio-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Dies vero, quo bellum illud factum est, in Vigiliis B.* Jacobi *Apostoli habebatur, octavo videlicet Kal* Augusti] Cur. 8. *Kal.* vigilias B. *Jacobi* celebrari dicat, quæ hoc an. 1172. vere in Dominicam incidere; ipsumque Festum infra ad an. 1139. in 7. *Kal.* conjiciat, ibi exponam. Cum autem prædicta die ingentem victoriam de Rege *Rogerio Robertum* Principem obtinuisse, nuncius *Beneventum* pervenisset; *en subito*, inquit idem noster, *civitatis Populus gaudio magno repletus, in Episcopium, & Monasterium S.* Sophiæ *jubilando* A *convenit. deinde cereorum magnorum frequentia, & luminarium lignorum accepta cum clericis, & Presbyteris catervatim ad B.* Bartholomæi *Apost. Basilicam, & Monasterium S.* Sophiæ *vigilias, & laudes persolventes lætabantur.* Quod inobservatum præterire nolui, ut videres, sacras Vigilias clara die, sicut superius notabam, non in nocte a Populo, & Clericis turmatim cereos, & lignea luminaria deferentibus celebrari consuetas: quæ sane luminaria Fais non correspondent *Campanis*: nam hi tanquam donaria quædam Divo oblata super Templi chorum affiguntur: illa e Templo reportabantur, ad eosdem usus, quoties accideret, adhibenda. B

dationis crudelitas acta est, Civitatis fere totus populus armis eductis apud Monasterium *Sanctæ Sophiæ*, ubi prædictus Cardinalis morabatur, furore accepto properavit. Confestim eum ad præfatum Regem licet invitum transmittunt, quatenus Cives a vinculis Regis absolvat, & prædam *Beneventanorum* innumeram reducat: ajebant siquidem, quoniam ejus consilio, & fautorum suorum talis, tantaque deprædatio facta est. Cardinalis igitur absque mora, ad Regem festinavit. Jurabat Cardinalis ille sacramentorum verbis coram omnibus consilio suo prædam ipsam factam non fuisse. Cardinalis itaque ad Regem veniens nullo modo impetrare potuit, ut multitudo illa deprædationis, & Civium captivorum redderetur. His ita decursis jussit præfatus Rex, ut horis omnibus circa *Beneventanam* Civitatem milites sui insilirent, & quos Cives invenire possent, captivos ligarent. Ipse autem Rex, navigio parato, octavo die mensis *Decembris* intrante, mare ingrediens ad *Siciliæ* partes transfretavit, sed antequam Rex ipse ad navigandum pararetur, *Bernardum* de *Fraineta*, qui Dominus erat de Castello *Balba*, suasit nunciis interjectis, ut castrum illud ejus traderet potestati, quod & factum est. Accepit itaque ab eo, sicut audivimus, centum uncias auri: ipse vero *Bernardus* ad *Salernitanam* Civitatem secessit. Mandavit continuo Rex ille centum fere viros armatos ad castellum illud muniendum. *Rao* igitur de *Fraineta*, qui erat Dominus præfati *Bernardi*, a quo Castrum illud tenuerat dolore cordis perculsus, Castelli illius perditionem deprehendens, *Beneventum* venit, & diligenter eos precatur, quatenus ei subveniant, & celeri cursu festinent. Deinde Principem *Robertum Capuanum*, & Comitem *Rainulphum* adivit, eosque hortatur, ut ad ejus auxilium veniant. Princeps illico, & Comes præfati simul cum *Beneventanis* ad obsidendum Castrum illud totis viribus festinaverunt, ibique lignorum machinis ad turrem illam destruendam citissime utuntur, custodes autem, qui turrim illam observabant, nihil omnino eorum, quæ inferebantur, metuebant: milites vero Regis, & pedites in conspectu Principis, & *Beneventanorum* Castrum illud securi intrabant, arma quoque & cuncta eis necessaria coram omnibus deferebant. Princeps itaque talem, tantamque eorum constantiam, & animorum alacritatem aspiciens castra sua inde amovit, & Civitatem *Capuanam* ingressus est: Comes autem *Rainulphus*, & *Rao* de *Fraineta* dolore cordis turbati similiter cum *Beneventanorum* cœtu, qui aderat, ad propria reversi sunt: machinas quidam lignorum, quas *Rao* de *Fraineta* ad obsidionem illam duci fecerat, timore interveniente, dimisere. Confestim viri de turre illa exeuntes machinas illas coram omnibus capiunt, & lætanti animo eas introducunt: sicque Castellum illud dimissum est, & sub Regis potestate magis, magisque alligatur.

Per idem tempus pars quædam *Beneventanæ* Civitatis, consilio habito, Dominum *Girardum* Cardinalem Presbyterum, qui cum Domino Papa *Innocentio* aderat, in Civitatem *Beneventi* introduxerunt; firmabat enim pars ipsa Civitatis partem *Innocentii* Papæ tenendam fore, *Anacleti* vero electionem contra Canones fore, & iniquam. Statuit itaque præfatum Cardinalem Rectorem *Beneventanorum* ad *Romanæ* Ecclesiæ, & ejusdem Domini Papæ fidelitatem mense *Novembri* mediante. Alio autem die post ejus adventum in sacro *Beneventano* Palatio coram *Beneventanorum* cœtu, qui convenerat, tradidit Comestabiliæ honorem, & potestatem *Rolpotoni* de Sancto *Eustachio*, qui vero taliter ordinatus cæpit simul cum Cardinali illo curiæ statum regere, & justitiæ vigorem unicuique dispartiri. Milites denique, & servientes rogavit, ut Civitati subveniant, & contra Regis milites Civitatis inimicos insurgant, sicque de guerra Civitatis studiosus apparuit. Comestabulus autem *Montisfusci* a Rege ibi ordinatus, ut *Beneventanæ* Civitati timorem induceret, præcepit vineas omnes, & possessiones *Beneventanorum* igne, ferroque devastari, quod & factum est. Præfatus igitur *Rolpoto Beneventanus* Comestabulus, tantam aspiciens contra Civitatem adversitatem, assidue insurgere, vicem reddens pro acceptis absque mora, Civitatis partes præconis voce commovit, ut armis eductis, unusquisque ad Ecclesiam Sancti *Martiani* conveniat. Qui vero præceptis ejus faventes, simul cum *Rainulpho* Comite, qui cum trecentis advenerat militibus, super Castellum *Farnitum*, quod erat *Raonis Pinellæ* ultimo die stante mensis *Januarii* adivit. Quid multa? tota rusticorum habitatio igne, ferroque consumitur, deinde tota eadem manus habitantium utriusque sexus, & ætatis in timorem, fugamque conversa bona sua dimisit, sicque a Civibus viri multi, & mulieres, parvulique dispoliati sunt, & deprædati; mobilia vero illorum innumera, & animalia in oppido illo inventa sunt. Dominus autem Castri illius captivus perducitur: & his actis ad propria *Beneventani* ipso die vertuntur. Alia autem die insurgente, simul cum præfato Comite Civium multitudo ad Castellum, quod *Plescum* nominatur, properavit. *Robertus* itaque de *la Marra*, cujus Castellum illud erat, viros armatos centum fere intromisit. Præfatus autem *Rolpoto* Comestabulus constantiam illorum aspiciens ad Civitatem *Beneventanam* repedavit, & sic Castellum illud a *Beneventanis* dimittitur, deinde securiter, & illæsum permansit. His ita peractis *Rogerius* Comes *Jordani* Comitis filius, qui in captione Comitis *Rainulphi* tenebatur, ex quo prædictus Rex *Rogerius* sicut in superiori tractatu

dictum est, in fugam conversus fuit, consilio amicorum suorum accepto, sacramento firmavit, ut Principis *Capuani*, & ipsius Comitis *Rainulphi*, & Civitatis *Beneventanæ* fidelitatem teneat, & contra jam dictum Regem jugiter adversetur: idipsum *Robertus* de *la Marra*, & *Bartholomæus* de *Petrapolicina*, aliique milites juraverunt.

Anno 1133. Dominicæ Incarnationis, his ita peractis *Tancredus* de *Conversano*, vir valde bellicosus, & prudentis animi simul cum Comite *Rainulpho*, & aliis Baronibus *Apuliæ* consilio salutis accepto, mille fere milites, & peditum multitudinem copiosam rogavit, & Civitatem *Venusiam* supersedit. Populus itaque Civitatis libertatem optatam exspectans gratuita voluntate sub *Tancredi* de *Conversano* fidelitate colla submisit, deinde alias Civitates *Apuliæ* suæ obtinuit potestati.

Dum hæc, & alia in *Apuliæ* finibus geruntur, *Innocentius* Papa simul cum *Lothario* Imperatore *Romam* pervenerunt. Audivimus revera duo millia militum secum duxisse. Apostolicus itaque honeste susceptus, Palatium *Lateranense* ingreditur, ibique gaudio magno, & honoris copia supersedit. Imperator autem circa Monasterium S. *Pauli* cum exercitu suo viriliter castrametatur. Misit namque, sicut audivimus ad *Anacletum*, ut Consilio Religiosorum virorum communicato adesset, & Spiritu Sancto mediante tanti erroris, & homicidii magnitudini finem poneret, quod *Anacletus* ille, sicut accepimus, facere contempsit. Audiens itaque *Robertus* Princeps *Capuanus*, & *Rainulphus* Comes Apostolici *Innocentii*, & Imperatoris *Lotharii* adventum longe, lateque optatum, trecentum fere militum caterva stipati, simul cum Domino *Gerardo* Cardinale, qui tunc *Beneventanus* Rector præfuerat, & Civibus quibusdam sapientibus *Beneventanis*, *Romam* festinarunt. Qui vero euntes, ordinem omnem afflictionis, quam Civitas *Beneventana* dudum perpessa est, e vestigio intimavere, lacrymis orantes, ut Civitatem *Beneventanam* a Comite *Rogerio Siculorum* jugiter oppressam liberarent, & eam libertati redderent longe, lateque desideratæ. Cumque prædictus *Girardus* Cardinalis Rector præesset Civitati, consilio cum prædicto *Rolpotone* Comestabulo accepto, & aliis Civitatis sapientibus, *Falconem* Notarium, scribam sacri Palatii, istius opusculi factorem [1], sicut in principio legitur, Judicem Civitatis ordinavit, & eo ordinato, sicut prædiximus, *Romam* repedavit. Continuo Cardinalis ille simul cum Civibus *Beneventanis*, qui cum ipso inerant, Civitatis negotia, & pericula multa, quæ patiebamur, intimavit prædicto Domino Papæ. Inter cætera vero annuntiant ei qualiter consilio Comestabuli, & Civium, Cardinalis ille *Falconem* Scribam sacri Palatii Judicem statuisset. Quid multa? Apostolicus ille petitionibus eorum favens confirmavit, & privilegio signato misit Civitati *Beneventanæ* per *Gregorium Beneventanum* electum, qui *Romam* ierat, se *Falconem* præfatum Judicem confirmasse *Beneventanum*.

Eodem anno, triginta & duo *Beneventani* Cives, qui apud Civitatem *Salernum* captivi tenebantur, Domino auxiliante de vinculis liberati sunt: dies vero eorum liberationis Sancti *Eustachii* Martyris colebatur. Princeps itaque, & Comes *Romam* euntes, non sicut voluerunt ab Imperatore consecuti sunt. Et eis illic morantibus, en ex improviso prædictus Rex *Rogerius Siculorum*, exercitu *Sarracenorum* congregato *Pharum* transivit; deinde in *Apuliam* cursu rapido acceleravit, & continuo Civitatem *Venusiam*, quam *Tancredus* comprehenderat, & alias Civitates virtute comprehendens, igne, ferroque consummavit: viros quoque & mulieres, parvulosque earum variis mortis generibus necavit, quosdam vero eorum comburi fecit. Regem testamur æternum, tanta crudelitate in *Christianos* illos exarsit, quod vix aut nunquam a sæculo est auditum. Continuo Principi, & Comiti *Romæ* morantibus est nuntiatum, ut citissime redeant, & tanto Tyranno resistentes, *Apuliam* totam, & eorum bona a gutture tanti Prædonis defendant. Itaque nuntio accepto celeriter redeunt, & præconis voce tonante, Principatum totum *Capuanum*, & Civitatem *Beneventanam* exagitant, ut armis eductis contra perfidiam illius, & tyrannidem viriliter resistant, quod factum est, & præparatum. Comes itaque *Rainulphus* mille fere milites accipiens circa *Trojanos* fines acceleravit: misit continuo legatos suos ad *Trojanam* Civitatem, ut sacramenta, quæ Comiti, & Principi Cives *Trojani* promiserant, adimplerent. *Trojanus* vero populus timore prædicti Regis coactus, & verbis Regis dolose pacificis fidem attribuens, Comitis voluntati favere penitus recusavit. Insuper etiam Episcopus Civitatis populum omnem suaserat, ut

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1133. &c. Falconem *Notarium scribam sacri Palatii, istius Opusculi factorem*] *Falco* certe dictus est hic auctor; non *Fulco*: ut alicubi legitur apud *Baronium* per Typographi forte errorem. Quod nomen quia syllaba crescit in obliquis, *Italice* dicitur *Falcone*; sed *Beneventani* cives efferunt *Falco*: quos non reprehendo; siquidem promiscue olim vulgo dicebatur. *Falco*, & B

A *Falcone*; *Leo*, & *Leone*; *Pando*, & *Pandone*; *Scipio*, & *Scipione*; *Ugo*, & *Ugone*, &c. unde ex iis variæ etiam gentes, & cognomina processere apud *Capuam*, & alibi: nempe *De Falco*, & *De Falcone*; *De Leo*, & *De Leone*; *De Pando*, & *De Pandone*; *De Scipio*, & *De Scipione*; *De Ugo*, sive *De Uvo*, & *De Ugone*, quæ una gens est, inque ea ante annos fere 60. in Poëtices studiis emicuit *Benedictus* de *Uva*, patruo meo *Camillo* amicissimus.

ut Regis fidelitatem non dimitteret. Comes autem hæc audiens quadraginta dierum ſpatio illic commorans apud *Beneventum* repedavit. Dum hæc, & alia geruntur, Rex præfatus Civitatem nomine *Materam* obſedit, quam acriter expugnans proditione populi comprehendit; ibique *Giffredum* filium *Giffredi* Comitis Dominum Civitatis alligavit. Quibus ita peractis Civitatem aliam nomine *Anſam* ſuæ obtinuit poteſtati. Revera theſaurum auri, & argenti *Alexandri* Comitis invenit. Quid multa? omnes Civitates ejuſdem *Alexandri* Comitis, & oppida ſuæ ſubmiſit ditioni. *Alexander* itaque Comes, ſicut naufragus, apud prædictum Comitem *Rainulphum*, heu miſer, mortuus eſt. Deinde Civitatem *Tranum*, & totam *Apuliam* igne, ferroque Rex ipſe trucidavit. Quid dicam? quod nunquam a ſæculo eſt auditum, Rex ipſe in *Chriſtianos* operatus eſt. Deinde amoto exercitu, Rex ipſe *Rogerius* humano nondum ſanguine ſatiatus, *Montem Piloſum*, ubi *Tancredus* de *Converſano*, & *Rogerius* de *Pleuto* viri bellicoſi, & ſtrenui aderant, obſedit; quindecim vero dies ibi moratus eſt. *Tancredus* itaque, & prædictus *Rogerius* viriliter, & animoſe Regi *Rogerio*, & ejus exercitui obſiſtebant. Rex autem *Rogerius* conſtantiam eorum aſpiciens, machinas lignorum, & belli apparatus ſuper *Montem Piloſum* fieri mandavit. Ruſticorum itaque manus *Montis Piloſi*, ferocitatem Regis, & præliorum terrores perſentiens, pugnare contra eum nolebant: clamabant etiam ſe minime defendere poſſe. Quid longius? tubis ſonantibus, & prælii apparatu circa muros inchoato, *Montem Piloſum* circumquaque vocibus ad aſtra levatis expugnat. *Tancredus* autem de *Converſano*, & prædictus *Rogerius* aggreſſionem ipſam aſpiciens equos aſcendunt, & cum militibus eorum ſecundum vires obſiſtunt. Noviſſime autem judicio divino ſuperveniente, & eorum infortunio horribili, Civitas ipſa *Montis Piloſi* capta eſt. *Tancredus* quidem, & miſer ipſe *Rogerius* armis projectis, per latebras, & loca Civitatis abſcondita latuerunt. Inveniuntur tamen a perſequentibus, & coram Rege *Rogerio* perducuntur. O quantus dolor, & lacrimarum horror inſolitus! quod ſi lector adeſſes, dolore turbatus expaveſceres. Continuo *Rogerium* ipſum laqueo ſuſpendi præcepit. Præcepit etiam ut *Tancredus* ipſe, manu ſua funem laquei traheret [1]: heu nefas, & dictu terribile. *Tancredus* ipſe invitus Regis voluntati obtemperavit. Mirabatur omnis exercitus, & facta Regis horrebat, cælorum Regem depoſcens, ut tanto Tyranno, & crudeli viro reſiſtere dignaretur. Quo facto, *Tancredum* de *Converſano* virum mirabilem cuſtodiri mandavit. Et ſicut audivimus apud *Siciliam* captivus perducitur. Nec mora, Civitatem ipſam *Montis Piloſi*, & Monaſteria, viros, & mulieres, omnes habitatores cum parvulis eorum in ore ignis, & gladii trucidavit. Inde exercitu amoto, curſu rapido ſuper *Trojanam* Civitatem advenit. Cives autem, quia verbis ejus in dolo pacificis crediderant ſecuriter eum expectavere. Epiſcopus itaque *Guillelmus* nomine, Civitatis Clerum omnem Civitatis, & Monachos, & Cives convocans, in albis veſtitus, cum laudibus, & proceſſionibus coram Rege obviavit, cogitans animi ferocitatem ſedare, corpora, ut audivimus, Sanctorum ad ejus gloriam ante eum perduxit. Rex autem ipſe furibundus Civitatem ingreſſus, & ſecuritatis datæ oblitus proceſſionem ipſam, & gloriam aſpiciens, catholicæ fidei immemor, & *Chriſtianæ* Religionis expugnator, oculis ardentibus proceſſionem illam deſtruxit: Nolo, inquit, nolo hujuſmodi gloriam, ſed vita Comite, omnes deſtruam, & omnes exulabo. Clerus autem, & populus, qui obviam exiverant, in fugam convertuntur, &, ſicut potuit, quiſque abſconditur. Continuo Cives multos *Trojanorum* comprehendit, & mulieres, & eorum infantes vinculis deſtinavit. Judicem quoque *Robertum* nomine, & quatuor alios viros ſapientes laqueo ſuſpendi præcepit. Multi vero *Trojanorum* cum uxoribus, & filiis ſubſtantiam omnem relinquentes, ad *Beneventum* fugierunt. Domos inſuper *Trojanorum*, & eorum bona igne, ferroque conſummari præcepit. O quantus luctus mulierum, & Infantum per totam Civitatem *Trojanam* ſurrexit, quod ſi centenas voces lingua exprimeret, prius deficerem ſcribendo, quam omnia ſingillatim enarrarem. Diebus autem non multis evolutis, exercitu congregato Rex præfatus apud *Melphitanam* Civitatem feſtinavit, quam, ſicut audivimus viriliter comprehendens ſuæ ſubmiſit poteſtati. Hoc anno præfatus *Robertus* Princeps videns ferocitatem *Rogerii* Regis, & *Apuliam* totam in confuſionem, & mortis periculum pervenire, timens etiam, ne Rex ipſe Principatum ſuum invaderet, conſilio accepto, apud *Piſanam* Civitatem, navigiis paratis feſtinavit; qui quidem honorifice ſuſceptus interrogatur, qua de cauſa tanti laboris ſudorem ſubiret.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *Præcepit etiam, ut* Tancredus *ipſe manu ſua funem laquei duceret.*] Attende quo more olim, qui ſuſpendii morte erant plectendi, ad ſupplicium ducebantur; nam ex eorum collo pendentem laquei funem carnifex manu ſervabat, ac præibat. *Petrus Diac.* lib. 3. cap. 47. ab hac eſt A mente, animam dicens cujuſdam *Adonis* ad æternos cruciatus damnatam, viſam eſſe *Gebizoni* Monacho *Caſſinenſi jumentorum more ligatam ad ſupplicium trahi.* Nec aliter capiendus Oſtienſis lib. 2. cap. 2. iis verbis. *Videns*, inquit, Adenulfus *ſe non poſſe Principis manus evadere, fune in collum ſuum miſit, & per manus conjugis ſuæ ad Principis pedes ſe trahi præcepit:* ſcilicet ut reus mortis.

C. Peregr.

ret. Princeps itaque Regis *Rogerii* ferocitatem, & minas ejus, & terrores illatos e vestigio exponens precatur suppliciter, Civitas *Pisana* auxilii manum, & consilii ei largiretur, pactis eorum intervenientibus, sicut in inferiori tractatu continebitur. Octavo quidem Kalend. *Julii* Princeps ipse mare ingressus est, & *Pisas* transfretavit; qualiter autem cum *Pisanis* egerit, nondum plenissime ad nostram perventum est notitiam. Sed redeamus ad causam.

Cum præfatus Rex *Rogerius Trojanam*, & *Melphitanam* Civitatem depopulatus est, sicut accepimus, exercitus sui magnitudinem per partes dividens apud *Barensem* Civitatem repedavit. Hæc inter præfatus Comes *Rainulphus* Principatum totum *Capuanum* submovit, & totius terræ suæ auxilium, & *Rolpotonem Beneventanum* Comestabulum, & *Beneventanæ* Civitatis partes, partiumque angulos, ut omnes armis eductis Regi tyranno resistant, qui unanimiter, & mente devota Comitis *Rainulphi* voluntati famulantur. Clamabant quidem prius morti velle succumbere, quam sub nefandi Regis imperio colla submittere. Quid longius moror? mille numeratos equites, & viriliter armatos, & peditum fere viginti millia Comes ipse congregavit. Comestabulus autem *Rolpoto* præconis voce Civitatem *Beneventanam* exagitans innumerabilem Civium multitudinem secum gaudens eduxit, & eis in unum convenientibus, dum Rex ipse taliter *Apuliam* consummaret, consilio virtutis arrepto, super Castrum, quod *la Pelosa* vocatur, festinavere. Castrum illud *Ugonis* Infantis fuerat; qui perjurio facto Comitem *Rainulphum* dimiserat, & Regi *Rogerio* adhæsit. At Castrum illud obsessum per quatriduum acriter expugnatum est; machinas continuo lignorum ad muros destruendos Comes ipse ordinari præcepit, aquam vero fluminis, quod prope aderat, & fontes ibi contiguos die, noctuque custodiri, ne a rusticis hauriretur, viriliter præfatus Comes, & Comestabulus mandavere. Milites itaque Castellum illud servantes terrorem machinarum, & domos rusticorum a lapidibus dirutas aspicientes, & sitis periculum imminentis sentientes, ne igne, ferroque caperentur, exterriti Castrum illud reddiderunt ad præfati Comitis potestatem. Deinde sacramentis intervenientibus, sub fidelitate Comitis alligantur. Inde consilio accepto, prædictus Comestabulus cum *Beneventanis* Civitatem *Beneventanam* gaudens ingreditur. At Comes, suis omnibus congregatis, licentiam redeundi ad propria largitur, sacramento firmantes, ut, cum necessitas incumberet, omnes armis eductis convenirent; & sic ad propria unusquisque repedavit.

Eodem anno *Crescentius* Cardinalis, de quo superius mentionem fecimus, cum prædicto Rege *Rogerio* conciliatur, ut vineæ omnes *Beneventanorum*, & possessiones incenderentur, excogitans terrorem *Beneventanæ* Civitati inducere, & sic Civitatem sub nefandi Regis imperio subjugare. Rex itaque hujusmodi nefando consilio communicato præcepit, ut vineæ omnes *Beneventanorum*, & hæreditates igne, ferroque consummarentur. Nec mora; pars quædam vinearum, & possessionum inciditur, pars quædam combusta est. Lector quidem, si adesses, turbatus expavesceres de tanta vinearum incisione, & combustione possessionum. Vindemias dimisimus, famis quidem penuriam, & sitis, mortisque genera sustinentes ore vociferabamur aperto, prius pelago, & morti terribili colla submittere, quam ejus imperio famulari. Quis unquam mortalium tanti Regis nefandi furorem audiens, ejus dominium subire non pertimescat? Regem vero testamur æternum, Judicemque communem, *Neronem* crudelissimum Imperatorem Paganorum in *Christianos* stragem talem non legimus exercuisse. Cumque sicut prædiximus, præfatus Rex *Rogerius* Civitates *Apuliæ*, & oppida, viros, & mulieres eorum crudeli manu depopulatus est, consilio accepto, *Salernum* venit, ibique congregari mandavit Proceres quosdam juxta *Salernitanam* Civitatem commorantes, & eis accitis tractavit cum eis, qualiter Cives *Salernitanos*, & *Amalphitanos*, sicut *Apuliæ*, feroci manu perderet. Sed quia congruum sibi tempus non videbatur, quod corde conceperat, imperfectum dimisit, excogitans tempore opportuno adimplere. Deinde navigio parato, mare ingrediens *Siciliam* transfretavit XII. Kalend. *Novembris.* Audivimus præterea viginti, & tria navigia auro, & argento onerata, & mobilium, quæ de Civitatibus *Apuliæ* expoliaverat, in profundo maris se submersisse, in quibus navigiis multi viri, & mulieres ex omnibus Civitatibus *Apuliæ*, & infantes ligati exules ducebantur, patriam, parentesque suos nunquam visuri; qui in eodem naufragio suffocati sunt? O quantus luctus, & dolor horribilis universos fines *Apuliæ* invasit, cælorum tamen Regem collaudantes, quod de variis mortis generibus, & exilii periculo, eos liberavit, & momento uno de mundi hujus voragine eos eduxit.

Dum hæc, & alia, quæ scripta sunt, juxta *Apuliam* geruntur, prænominatus Pontifex *Innocentius*, & *Robertus Capuanus* Princeps, salutis accepto consilio, mense *Septembri* mediante, navem ingrediuntur, & ventis secundis *Pisas* transfretavere; nam sicut accepimus exercitus navium, & armatorum virorum, & Imperatoris *Lotharii* virtutem quærentes cordi proposuere, ut Domino favente Civitatem *Beneventanam* multis, variisque calamitatibus oppressam a gutture nefandi Regis *Rogerii* eripiant. Iverat enim præfatus Princeps *Robertus* ad Civitatem *Pisanam*, & cum Consulibus, & sapientibus viris

viris Civitatis satis, abundeque tractavit, ut auxilium navalis exercitus ei largirentur. Qui tamen sine populo *Januensi* hoc promittere noluerunt. Tandem definito consilio, sacramentis intervenientibus, pactum stabilivere, ut circa mensem *Martium* futurum cum centum navigiis paratis armatorum super nefandum Regem *Rogerium* festinent. Audivimus quoque Ducem *Venetiarum* ad ejus auxilium manum dedisse; ideoque Princeps ipse *Romam* revertitur, & omnia quæcumque cum *Pisano*, & *Januensi* populo tractavit, Domino Papæ *Innocentio* e vestigio patefecit, sicque cum eodem Pontifice ad pactum illud firmandum *Pisas* festinavere. Cumque sicut prælatum est, Rex *Rogerius Siciliam* peteret, præfatus *Crescentius* nomine tantum Cardinalis, aspiciens, quod sub ipsius Regis potestate, sicut tractaverat, *Beneventanam* Civitatem non posset submittere, valde cæpit ipse cum aliis *Beneventanis* de Civitate projectis contristari. Deinde multis, variisque insidiis, & conspirationibus cæpit quosdam eorum muneribus, quosdam pollicitationibus, sacramentis intervenientibus, alligare. Alligavit revera, ut Comestabulum *Rolpotonem* occiderent, & ejus sequaces, quot invenire possent, & sic armis eductis Civitatis plateas invaderent, pacem nomine doloso clamitando. Quibus sacramento taliter alligatis, alios *Beneventanos* sanioris sensus, & prudentiores præfatus *Crescentius* decipiendo, mandavit, ut præfatis fautoribus suis manum consilii, & auxilii largirentur, quibusdam vero pecuniam transmisit, quibusdam honoris dignitatem pollicebatur. Nam sicut accepimus, præfatum Comestabulum die solemnitatis omnium Sanctorum trucidare disposuere. Sed humani generis Salvator, qui reprobat consilia gentium, cujus consilium manet in æternum, dispositiones eorum subvertit. Deinde præfatus *Crescentius* per totum mensem *Novembris* cum prædictis fautoribus suis de invasione Civitatis, & destructione subtiliter, & studiosissime tractare non desinit. Quid multa? pestifero invento consilio die festivitatis *Sancti Andreæ* Apostoli statuerunt, ut ipse *Crescentius*, congregatis fere ducentis militibus, & peditum multitudine copiosa, ad incidendas vineas *Beneventanorum*, quæ sunt in loco, ubi dicitur *Rosetum*, venirent. Incisionem illam cum Cives *Beneventani* vidissent, ad defendendas vineas suas exire pugnaturi deberent, cum quibus exeuntibus prædictum Comestabulum *Rolpotonem* aggredi, & in fugam convertere disposuerunt, ita quidem, ut simulata fide, & fraude mortifera, primum ipsi terga vertentes quosdam suorum militum, & peditum captivos in manus dimitterent *Beneventanorum*. Qua de re præfatus Comestabulus cum Civibus eos prosequi, & invadere protinus deberet, & eis ita persequentibus, quidam *Beneventanorum* præfati *Crescentii* fautores, & homicidio Civitatis alligati, portam Sancti *Laurentii* clauderent, & porta illa viriliter clausa nominatus Comestabulus cum *Beneventanis*, qui secum exierant, Civitatem ingredi non possent, & sic præfatus *Crescentius* cum militibus Regis *Beneventanos* insequerentur usque ad prædictam portam S. *Laurentii*, ad quam eum capere destinaverunt, & quot Civium invenire potuissent; sicque omnes particulatim trucidarent. Disposuerunt etiam, ut centum milites ad Ecclesiam S. *Angeli* ad *Crucem*, quæ est infra confinia portæ Summæ, latitarent, qui stragem illam, & captivitatem sentientes, Portam Summam virtute intrarent, deinde viros, & mulieres, & parvulos, & omnia Civitatis bona in ore ignis, & gladii confunderent, & ita Civitatem in potestate Regis, & dominio submitterent. Sed Salvator Omnipotens, qui castigat, & salvat, qui ducit ad inferos, & reducit, & post lacrimationem, & fletum exultationem inducit, mortifera eorum consilia, & nefandas dispositiones reprobavit. Ipse, inquam, qui reprobat consilia gentium, cujus consilium manet in æternum, reprobavit revera, & subvertit malignorum machinationes, & longe aliter, quam ipse *Crescentius* cum hostibus tractaverat, peractum est. O dolor, & dictu terribile, sub colorato nomine *Romanæ* Sedis *Beneventanam* Civitatem, quæ in vigore libertatis, & in B. *Petri* fidelitate longe, lateque permanserat, sub prædicti Regis *Rogerii* crudelitate, execrandæ, ut ita dicam, memoriæ submittere disponebant. Regem quidem testamur æternum, quoniam per Civitatis *Beneventanæ* libertatem viriliter custoditam, & merita Apostolorum *Petri*, & *Pauli*, & *Bartholomæi*, & aliorum Sanctorum, miseram *Apuliam* a nefando illo Rege captivatam, & usque in *Romanos* fines Provincias de manu ejusdem Regis, & desiderio ereptam fore, & ad gloriam perductam sine dubio sperabamus. Sperandum quippe erat, & ante oculos jugiter habendum, quoniam quidem *Innocentius* Pontifex cum *Roberto Capuano* Principe sudore multo, & periculo arrepto, pro nobis omnibus redimendis laborabant, sicut in superiori tract. præmisimus; modo vero apud hostes Civitatis disponebatur, nos omnes in mortem, & depredationem, & dispersionem subjicere. Sed redeamus ad causam.

Præfati igitur *Crescentii* fautores, velocitate accepta, *Beneventanorum* sanguinem sitientes adventum inimicorum Civitatis, qui secum conjuraverant, sicut superius dictum est, non expectavere. Continuo in prædicta festivitate S. *Andreæ* Apostoli, armis acceptis, in plateas exierunt. Quid dicam? mente confusi, fideles B. *Petri* percutientes, pacem se velle clamabant. *Roffridum* quidem Judicem, & Abbatem *Paroaldum* gladiis percusserunt. Mira res; quid defuncto, vel ad mortem percussis pax talis proficeret?

ficeret? pacem verò firmari, & consolidari, armis depositis, vidimus, & audivimus, & eis in plateas exeuntibus existimabant, ut tota fere Civitas dictis eorum, & factis obtemperarent. Comestabulus autem *Rolpoto* tunc in Civitate non aderat; iverat enim Comitem *Rainulphum* alloquuturus. Confestim, spiritu fidelitatis accepto, populus omnis *Beneventanus* insurgens, armis celeriter assumptis, Civitatem *Beneventanam* animose, & studiose obtinuimus. Quid plura? nefandos illos viros *Crescentii* fautores comprehendimus. Comestabulus autem prope Civitatem *Beneventanam* adveniens, & eam turbatam, & in tali ruina positam audiens, confisus in *Beati Petri* fidelitate, Civitatem ingreditur, mori prius velle desiderans, quam sic inopinate Civitatem destructam videret. Armis itaque acceptis viriliter, & animose cum quibusdam militibus *Beneventanis* secum venientibus per plateam Civitatis ascendit; & ad Portam Summam acceleravit, invenit revera Portam ipsam firmiter clausam, & a fidelibus honeste custoditam. Milites interea *Montiffusci* cum *Beneventanis*, qui projecti de Civitate fuerant, foris Portam Summam venerunt, ut Civitatem intrarent, & desideria cordis perficerent, sicut inter se tractaverant. At ubi portam ipsam clausam aspiciunt, paulisper ibi morati sunt, fideles autem B. *Petri* turrim Portæ Summæ ascendentes milites illos lapidibus projectis ejiciunt, & eam fideliter defendunt. Nec mora, milites illi terga vertentes cursu præcipiti ad suos revertuntur. Confestim Comestabulus ipse Portam Summam aperiri præcipiens cum militibus armatis eos mirabiliter insequitur, qui sane timore coacti ad *Montemfuscum* repedaverunt: in quorum persecutione Vir quidam, nomine *Joannes Benedicti*, qui *Beneventanus* erat, quique cum præfato *Crescentio* exierat, captus est. Præfatus autem Comestabulus ad Civitatem reversus cum B. *Petri* fidelibus Curiam animose gubernavit. Quid multa? prædictum *Joannem Benedicti* laqueo suspendi præcepit; deinde cæteros alios proditores, quos comprehenderamus, suspendi jussit. *Joannem* quidem de *Lepore*, virum nefandæ memoriæ, præfati *Crescentii* fautorem capite verso in foveam mergi præcepit, & pedibus in altum levatis; heu miser, vitam inaudita morte finivit. His, & aliis ita decursis, *Beneventana* Civitas a turbine tanto, & tempestate quievit. Quosdam præterea *Beneventanos*, qui in suspicione illa tenebantur, præfatus comprehendit Comestabulus, & vinculis alligari mandavit per Comitis *Rainulphi* municipia.

Anno Dominicæ Incarnationis 1134. mense *Martio* XII. Indictionis. Hoc anno præfatus Princeps *Robertus* cum duobus Consulibus *Pisanorum Alzopardo* videlicet, & *Cane*, Viris sapientibus, & cum aliis fere mille *Pisanis* ad Principatum suum *Capuanum* revertitur IV. Kalend. *Martii* [1]. Qui diligenter a Magistro militum *Neapolis*, & *Rainulpho* Comite susceptus, omnia, quæ cum *Pisanis*, & *Januensibus* firmaverat coram Papa *Innocentio* prædicto, patefecit, & qualiter tria millia librarum argenti *Pisanis* in auxilium suum venientibus, sacramento mediante, dare deberet: Prædictus autem Magister militum, & Comes *Rainulphus* hæc audientes, gaudio magno gavisi sunt, factisque omnibus a Principe recitatis fidem attribuerunt. Nec mora, per Ecclesias *Neapolitanæ* Civitatis, & *Capuanæ* discursum est, & pecuniam illam argenti cursu celeri congregavere. Quid plura? thesaurum ipsum argenti ad *Pisanos* transmisernnt, rogantes, ut cum festinatione ad eorum auxilium subvenirent. In quorum Comitatu *Gregorium Beneventanum* electum cum quibusdam Sacerdotibus suis mandaverunt, quatenus afflictionem *Beneventanæ* Civitatis Domino Papæ, qui illic aderat, & *Pisanis* intimaret. Quibus ita peractis, Rex *Rogerius* memoratus, navigiis galearum fere sexaginta paratis *Salernum* pervenit. Continuo galeas illas ad Civitatem *Neapolim* debellandam mandavit, & eis applicantibus usque ad portum *Neapolis*, expugnatum est. Cives *Neapolitani*, armis acceptis, viriliter galeas illas pepulerunt, deinde Castella *Neapolitanorum* ibi contigua depredati sunt, sicque ad Regem remeaverunt. His, & aliis ita decursis, præfatus Rex *Rogerius*, congregato exercitu *Siculorum*, & *Apulorum*, *Abellinum* Civitatem advenit. Inde amoto exercitu, aurora surgente, Castellum quoddam nomine *Prata*, quod erat *Guillelmi* de *Abinalia*, insilivit. Castrum quidem ipsum putans fore securum, & a tanto exercitu imparatum fuerat. Quid dicam? momento uno captum est, & in ore ignis, & gladii consummatum: Ibi milites mortuos, vulneratos, & captivos audivimus. Eadem die Castrum illud *Alta cauda*, & *Grucla*, & *Submonte* ad

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Anno Dominicæ Incarnationis* 1134. *mense* Martio XII. *Indictionis. Hoc anno præfatus Princeps* Robertus *cum duobus Consulibus* Pisanorum, Alzopardo *videlicet*, & Cane, *viris sapientibus*, & *cum aliis fere mille* Pisanis *ad Principatum suum* Capuanum *revertitur* 4. *Kal.* Martii] Si initio hujus anni *Falconiani*, inchoati a *Martio*, *Robertus* ad suum rediit Principatum, id utique non in 4. Kal. *Martii*, nam sic in exitu ejus anni contigisset, sed in 4. Nonas incidit, vel Idus. Ipse plane Princeps, ut idem noster tradit, *an.* 1133. 8. *Kal.* Julii *mare ingressus*, Pisas *transfretavit*; *Pactumque cum* Pisanis *stabilivit*, *ut circa mensem* Martium *futurum cum centum navigiis paratis armatorum super nefandum Regem* Rogerium *festinarent.*

ad *Ranem* de *Fraineta* pertinentia, comprehendit [1]. Dum hæc, & alia crudeli manu agerentur, *Beneventanam* Civitatem, totumque *Capuanum* Principatum timor invasit. Rogabamus itaque Salvatorem omnium, ut nobis omnibus sòlita pietate subveniret. Quantas autem lacrymas, & voces in altum levatas *Beneventanorum*, *Neapolitanorum*, & *Capuanorum*, omniumque circumquaque habitantium. Lector si adesses, mirareris; & crinibus solutis misericordem Dominum invocabamus, & Castris illis ita comprehensis Rex ipse *Rogerius* revertens Castra *Roberti* Principis comprehendit, *Palmam* quidem & *Sarnum*. Audiens autem talem, tantamque stragem, & invasionem Comes prædictus *Rainulphus*, & *Robertus* Princeps, & Magister militum, mirabiliter, mirabiliusque insiliunt, & præconis voce, tubisque sonantibus Civitates suas, & oppida, & vicos submoverunt, ut unusquisque armipotens omnibus eorum armis eductis insurgeret, & tali, tantoque Tyranno obviaret; Quid longius morer? Cœlorum Regem testamur, milites omnes, Proceres, Sacerdotes, Clerici, juvenes, & senes occurrerunt, & mirabili, & potentissimo exercitu congregato, gaudio magno festinant vocibus apertis dicentes. Melius est mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & Sanctorum: & eis ita congregatis apud Castellum *Marilianum*, exercitus ipse castrametatus est. Ad auxilium vero eorum *Rolpoto Beneventanorum* Comestabulus quadraginta equites, & mille fere *Beneventanos* transmisit. Cumque præfatus Rex taliter Comitem *Rainulphum*, & Principem paratos persensisset, super Castrum *Nucerium* festinavit, putans illud momento, sicut & cætera comprehendi, & circa flumen nomine *Sarnum* milites, & sagittarios posuit, ne Comes cum suis ad eum transiret. Interea Castrum illud *Nucerium* acerrime ab exercitu Regis expugnatum est. *Rogerius* autem de *Surrento* a Principe ibi ordinatus, cum centum quinquaginta militibus, & sagittariis multis, & armatis viris fidelibus, nihil eorum, quæ inferebantur, trepidabat, & quotidie, & animose castrum illud tuebatur. Quid multis? proditione quorumdam Regis amicorum, Castrum illud *Nucerium* in potestate ipsius Regis datum est; deinde Castrum *Sarni*, & *Lauri*, & universa oppida Rex ipse suæ obtinuit potestati. Cumque Castrum illud *Lauri* sic comprehensum esset, prædictus Princeps, & Comes *Rainulphus*, & Magister militum mirabiliter turbati sunt. Congregant itaque mille fere equites, & multitudinem peditum copiosam, ut *Castrum* illud *Lauri* de Regis potestate evellant, sed Proceres Principis, & Comitis *Rainulphi*, pecunia Regis accepta, auxilium eis, sicut juraverant, inferre distulerunt. Unde Princeps ipse dolore commotus, *Neapolim* properans *Pisas* transfretavit. Præfatus autem Comes *Rainulphus* Baronum suorum nequitiam comprehendens, & quia tanto Regi obsistere non poterat, Sacramento interveniente sub Regis potestate colla submisit. Audiens autem *Rolpoto Beneventanus* Comestabulus Comitem illum *Rainulphum* ad Regis imperium pervenisse, animo consternatus die Kalendarum *Julii* de Civitate *Beneventana* exiens *Neapolim* ingressus est, quem Comestabulum mille, & eo amplius *Beneventanorum* secuti sunt. Triduo autem post Comestabulus ipse *Rolpoto* timore perculsus navigio parato, ne in manus Regis traderetur, cum quibusdam fidelibus suis, & duobus filiis *Pisas* festinavit, & eis navigantibus, judicio Dei superveniente, navis illa confringitur, & sic ipse cum uno filio suo, & duobus fidelibus suis, inter procellas maris mortui sunt. Alter vero filius evasit, Rex autem Comite illo accepto, *Capuam*, & *Aversam* & totum Principatum comprehendens *Salernum* adivit, & ibi non multis diebus commorans, victorque effectus *Siciliam* repedavit. Pontifex autem sub *Anacleti* nomine coloratus, cursu rapido *Beneventum* venit, & Civitatem illam ipsius Regis virtute suæ obtinuit voluntati, & domos quorumdam *Beneventanorum* destrui præcepit. Princeps præterea Ca-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Eadem die Castrum illud* Altacauda, & Gructa, & Submonte *ad* Ranem *de* Fraineta *pertinentia*, *comprehendit.*] Scribo. *Raonem*; ut pluries illum dicit *Falco*. quem non confundas cum altero *Raone*; *Ceppaluni* similiter domino, jam ab anno 1120. præmortuo: nec distinguas a *Radolfo*, ut ipsum appellat *Alexander Telesinus* lib. 2. cap. 54. namque *Nortmanni* hoc nomen, *Rao*, videntur efferre etiam consuevisse, *Rayno*, *Radolfus*, sive *Raydolfus*, & *Ranolfus*, sive *Raynolfus*; de quo nunc non afferam exempla. Ipsum potius *Telesinum* præfato loco emaculandum collatione nostri *Falconis* obiter indicabo; qui *Radolfum de Frameto*, pro *de Fraineto*; *Grintla*, *Simonto*, & *Altacunda* habet, pro *Gructa*; *Submontum*; & *Alta*, sive *Alzacauda*. Et insuper subsequenti cap. 55. sicut etiam antecedenti cap. 25. est de-

A pravatus in vocabulo oppidi. *Tressancti*; pro quo utrobique nunc legitur. *Cressanta*: nimirum errore nato, quod *Nortmanni* inducta super majusculum. *C.* transversa quadam lineola, facile lectorem fallebant, qui ipsum ab. *T.* ob consimillimam formam non distinguebant; unde ipse etiam *Alexander* cum esset *Abbas Cœnobii* Telesini, reputatus est, ac dictus *Abbas Celesinus*: Sed nec prætercam, eodem cap. 55. legendum esse, *suis Proceribus*, *Baronibusque instanter omnibus mittens*: non. *Principibus* (*Procerum* etiam lego apud eundem lib. eod. cap. 37. non. *Principum*) qui sane sub magno cæteroquin Comite *Raynulfo* fuere

B nulli: Falco hac eadem col. dicit, *milites omnes*, *& Proceres*, virosque Ecclesiasticos tunc convenisse. Sed & ipse Auctor noster statim auxilio eget, verbo diminutus, ubi legendum. *quadraginta equites*, *& mille fere pedites* Beneventanos *transmisit*. Nunc deest. *pedites*.

Capuæ a Papa *Innocentio*, qui *Pisis* aderat, honorifice suscipitur, & ibi usque ad mensem *Martium* permansit.

Anno 1135. Dominicæ Incarnationis, & sexto anno Pontificatus Domini *Innocentii* mense *Martio* Indictionis XII. Hoc anno Princeps ipse septimo die stante mensis *Aprilis* cum viginti navigiis *Neapolim* venit, & comprehendit *Aversam*, & *Cucculum*, quibus comprehensis *Neapolim* Princeps ipse revertitur, & ibi immoratus est cum *Pisanis* ipsis. Eodem anno prælatus Comes *Rainulphus* venit *Neapolim* cum quadringentis militibus, & Civitates suas, & oppida dimisit. His ita peractis præfatus Rex medio mense *Junio* venit *Salernum*, & exercitum congregavit, & super *Aversam* perrexit, & eam igne, ferroque est depopulatus, & bona eorum diripuit. Cumque Rex ipse stragem illam fecisset, super *Neapolim* venit, & diebus novem eam obsedit, sed populus Civitatis, & Princeps nihil ex hoc trepidabant. Rex autem Civitatem illam capere non posse aspiciens, eam dimisit, & *Aversam* perrexit, & eam reædificari præcepit. His ita decursis præfatus populus *Pisanorum* cum aliis viginti navigiis, quæ supervenerunt, Civitatem *Amalphitanam* pergunt, & eam comprehendunt, & ejus universa bona diripiunt, sicque divitiis multis locupletati *Pisas* redeunt simul cum Principe. Rex autem, *Pisanorum* exercitum reverti comprehendens, iterum *Neapolim* obsedit, cumque die quodam in festivitate Nativitatis *Sanctæ Mariæ*, Rex ipse navale bellum cum *Neapolitanis* incipere vellet, en subito tempestas affuit, & omnes naves illas divisit; ita quod in profundum mergi putarent, & sic ad portum *Puteolanum* revertuntur. Tunc Rex videns neque mari, neque terra, contra Civitatem agere, navigia illa reverti præcepit, & ipse *Salernum* repedavit, deinde *Siciliam* ingressus est. Cumque *Robertus* Princeps *Pisas* reverteretur, consilio Domini Papæ *Innocentii* simul cum Domino *Girardo* Cardinali, & *Riccardo* Comitis *Rainulphi* germano ad gloriosum *Lotharium* Imperatorem festinavit, qui honorifice ab ipso Imperatore suscipiuntur, & ei qualiter Principatum suum perdidisset, lacrymis multis intimavit. Precatur etiam, ut pro amore Domini Papæ sibi succurreret, & quod injuste perdiderat, redintegraret. Imperator itaque muneribus multis ei datis, promisit se ipso anno venturum ad *Romanæ* Sedis libertatem, & ejusdem Principis restitutionem, & sic Princeps ipse reversus Domino Papæ *Innocentio* cuncta narravit. Ipso anno Magister militum *Pisas* perrexit, ut auxilium ab Apostolico *Innocentio*, & *Pisanis* inveniret, qui a *Pisanis* diligenter susceptus est, & promiserunt libentissime ei auxilium inferre, sed quorumdam inimicorum consilio auxilium illud promissum destrnctum est Unde Magister ipse militum vehementer turbatus *Neapolim* revertitur, & Civitatem suam viriliter tenuit.

Anno 1136. Dominicæ Incarnationis, & septimo anno Papæ *Innocentii*, dum hæc, & multa alia agerentur, præfatus Imperator Apostolico *Innocentio* mandavit, ut eum præstolaretur, quia, Domino favente, sicut promiserat in festivitate S. *Jacobi* venire despondebat. Pontifex autem spirituali gaudio gavisus Magistro militum destinavit omnia, quæ Imperator ei mandaverat, deinde Princeps ipse audiens Civitatem *Neapolim* famis periculo urgeri cum quinque navigiis ad eandem Civitatem venit, & Imperatoris adventum firmiter propalavit, & cursu celeri *Pisas* revertitur. Continuo ad Imperatorem festinans invenit eum montes descendisse [1], & super Civitatem *Cremonam* castra sua posuisse. Illico pedibus ejus advolvitur lacrymis rogans ut sibi exhæredato subveniret. Interea ad tantam famis asperitatem Civitas pervenit *Neapolitana*, quod infantes multi, pueri, adolescentes, juvenes, senes etiam utriusque sexus per Civitatis plateas, & domos spiritum exhalabant. Sed Magister militum, & ejus fideles, qui libertati invigilabant Civitatis, quique antiquorum suorum sequebantur honestatem, mori prius famis morte malebant, quam sub nefandi Regis potestate colla submittere. Hæc inter præfatus Imperator literas suas signatas propriis legatis suis Magistro militum, & Civibus suis destinavit consolationis verba describens, ut fidelitatis propositum teneat, quia, favente Domino, in proximo ad ejus liberationem festinaret. Legati vero illi coram omnibus juraverunt Imperatorem illum ad Civitatem *Spoletum* dimisisse. Diebus autem non multis excursis, en adest Legatus alius ipsius Imperatoris literas ferens, consolationis similiter verba continentes, qui eum dimisisse apud fluvium *Piscariam* affirmavit. Item in subsequentibus diebus alias transmisit Imperator literas continentes se in proximo venturum in *Apuliam*, & *Italiam* a tanta perditione redempturum. Archiepiscopus præterea *Marinus* Civitatis *Neapolitanæ*, & *Philippus* de *Acerra* Civis *Neapolitanus* vir prudentis ingenii, & *Rainulphus* Comes, qui obviam Imperatori dudum

dum

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1136. &c. *Continuo ad Imperatorem festinans, invenit eum montes descendisse*] Scribe litera grandiuscula. *Montes*, quo absoluto nomine A nobis *Italis* dicuntur *Alpes*; pari ratione, ac *omnes altitudines montium*, teste Servio ad *Æn.* lib. 10; *a Gallis* Alpes *vocantur*; *proprie tamen montium* Gallicorum *sunt*: illorum scilicet, quibus *Gallia* ab *Italia* separatur.

dum exierant, similiter literas suas consolationis Magistro militum delegavit. Literis itaque talibus acceptis, & tali suspensi *Neapolitani* promissione, licet fame coacti, Imperatoris tamen illius expectabant adventum.

Anno 1137. & anno octavo Pontificatus Domini *Innocentii* mense *Martio* XV. Indictionis præfatus Apostolicus *Innocentius*, qui tunc *Pisis* morabatur, consilio communicato de Civitate *Pisana* exivit, & apud Civitatem *Bitervum* advenit, præfatum Imperatorem alloquuturus [1]. Imperator igitur *Henricum* generum suum cum tribus millibus equitum ad Pontificem destinavit *Innocentium*, addens se facturum, ut *Romanos* fines teneat, & Principi *Roberto* Principatum suum restituat. Ipse vero *Marcas* adire disposuit. Apostolicus autem continuo *Romanos* fines advenit, & Civitatem *Albanum*, & Provinciam totam *Campaniæ* suæ obtinuit fidelitati. *Romam* quidem ingredi noluit, ne in *Romanorum* negotiis impediretur. Præfatus autem Imperator flumen *Piscariæ* adveniens, Pascha Domini ibi celebravit. Inde flumen illud transiens, Civitatem *Termulensem*, & illius Provinciæ Comites obtinuit, & inde amoto exercitu, *Apuliam* ingreditur, & Civitatem *Sipontum*, & Montem *Sancti Angeli* octavo die intrante mensis *Maji* comprehendit. Tantus itaque timor totam invasit *Apuliam*, quod universus populus usque ad Civitatem *Barum*, ad ejus Imperium alligatus est. Et his actis Apostolicus ipse ad Civitatem Sancti *Germani* pervenit, quam suæ submisit ditioni. Inde *Capuam* veniens *Roberto* Principi eam restituit, & his actis *Beneventum* venit prædictus Apostolicus decimo Kalend. *Junii*, & retro montem *Sancti Felicis* prope *Beneventum* cum *Henrico* Duce prædicti Imperatoris genero castrametatus est. Continuo Dominum *Girardum* Cardinalem virum prudentem, & discretum prope Civitatem misit *Beneventanam*, ut cum *Beneventanis* loqueretur, utrum cum eo pacis firmamentum ponere vellent. Venerunt itaque ad eum quidam de Civibus *Beneventanis*, & cum illis satis, abundeque de Civitatis concordia tractaverunt, & his actis ad Dominum Apostolicum omnia, quæ dicta sunt, exposuit prædictus *Girardus* Cardinalis. Alio autem die adveniente prædictus Apostolicus, consilio arrepto, castra inde amovit die videlicet Sabbati, & ex hac parte prædicti Montis *Sancti Felicis* transivit cum exercitu prædicti Ducis *Henrici*, & in planitie *Sancti Petri* Apostoli juxta flumen *Sabbati*, viriliter, & animose castra apponi præcepit. *Beneventanus* autem populus horum, quæ fiebant, nihil agnoscere poterat. Cumque taliter in prædicta planitie *Sancti Petri* castra Apostolici, & Ducis illius ponerent, fama talis, tantique facti Civitatem percussit *Beneventanam*; & *Rossemannus*, qui tunc præerat *Romanæ* Sedis adversarius Cives fere universos submovit, ut contra Apostolicum venientem insurgerent, & ad eorum posse resisterent. Nec mora, prædictus *Girardus* Cardinalis vocari fecit *Landulphum* Judicem *Beneventanum*, & *Lodoicum* Medicum, & *Malfridum* de *Grimaldo* Abbate, ut de pacis fœdere loquerentur, & Civitatem Domino Papæ *Innocentio* redderent. Exierunt itaque viri illi vocati, & petitionibus Apostolici faventes Civitatem revertuntur. Præterea ad horam fere nonam quidam *Beneventanorum* exeuntes cum *Teutonicis* pugnare cæperunt, putantes eis timorem inducere, ut eos in fugam sectari. Dux vero illorum nominatus *Henricus*, audiens *Beneventanos* ita super se insilire, armari suos omnes occulte præcepit, & catervatim eos a castris exire disponens præcepit, ut *Beneventanos* sic stulte, & furiose exeuntes, insidiis positis, præoccuparent. Quid multis? en ex improviso Leonum more frendentes *Teutonici* insiliunt, & *Beneventanos* illos, qui contra eos pugnabant, usque ad Pontem majorem in fugam convertunt. In fuga vero illorum quadraginta ferme capti sunt, & quidam illorum trucidati, inter quos *Petrus* de *Populo* vocatus, capite abscisso, heu miser, exhalavit. Alter vero, *Priscianus* nomine, Civitatis Notarius, ibi mortuus est vulneribus multis afflictus. Decem vero vulneratorum, qui de captione evaserant post dies quadraginta mortui sunt intra Civitatem. Cumque taliter Cives *Beneventani* capti, trucidati, & & morti dediti essent, timor continuo Civitatem invadit *Beneventi*, & luctus, quod, si lector adesses, mori cum eis putares, & afflictione multa deficere. Nocte itaque insecuta, Cives, qui capti fuerant, vinculis districti sunt, & alligati. Mane autem facto, die quidem Dominico, ad Dominum Papam veniunt quidam de Civibus *Beneventanis* viri sapientes, & discreti, qui omnia, quæ Apostolicus exquisierat, assecuti sunt, continuo captivos Cives *Beneventanos*, quos *Teutonici* comprehenderant Dominus Apostolicus absolvi jussit, & ad propria reverti. Et sic sacramentis firmatis, fidelitatem Domino Papæ complures Civium, qui ad ipsum Pontificem exierant, juraverunt. Cumque taliter sacramenta illa perficerentur, vir quidam *Jaquintus* nomine, Civis *Beneventanus*, quique per triennium exulaverat, ultionem reddere de acceptis excogitans, *Teutonicos* omnes submovit, ut Civitatem ingredientes, quot possent, caperent, & bona eorum

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1137. *& anno octavo Pontificatus Domini* A *Innocentii &c.*] Descripta a *Falcone* hoc anno recitat ex eo *Baronius* verbis plerisque in locis, sed leviter, immutatis, sicuti nonnulla etiam alia anno 1138, & 1139.

rum auferrent; qui cursu rapido armis acceptis insiliunt, & usque Portam *Ruffini* festinaverunt, sed quia Portam illam hi, qui intrinsecus erant, firmiter clauserunt, Civitatem ingredi non potuere. Fama itaque tantæ invasionis cum ad aures Pontificis *Innocentii* pervenit, prædictum Ducem *Henricum* vocari mandavit, ut exercitum illum compesceret, & a tali mortifera aggressione illum prohibeat. Confestim Dux ille pervolat, & totum illum exercitum ad Castra reverti mandavit; sicque Civitas ab eorum invasione evasit. *Jaquintus* vero ille per clavicam, quæ Sancti *Renati* vocatur, ingrediens, cum quibusdam consociis suis ad sacrum Palatium Curiæ festinans perrexit, & *Crescentium* Cardinalem Pontificis *Innocentii* adversarium, qui tunc ibi occultabatur comprehendit. Nec mora, per plateam illum ducentes ad Dominum Papam captivum illum transmiserunt; deinde in eadem platea, *Bernardum*, qui Comes Palatii vocabatur, ejusdem Pontificis contrarium *Jaquintus* ille invehit, quem audacia assumpta capere conatus est, quatenus eum in captionem prædicto Apostolico delegaret; qui *Bernardus* videns se sic turpiter capi, quibusdam sociis suis secum equitantibus exclamavit, ut quantocyus succurrant, & eum a tanta captione eripiant, qui statim ensibus evaginatis *Jaquintum* illum feriunt, & plagis crudeli manu impositis terratenus illum de equo prosternunt, & sic *Bernardus* ille a captione illa liberatur. Invadit igitur Civitatem illam timor mirabilis, & bonis suis oblitis, Cives attoniti ruinam inauditam, & deprædationem metuebant. Præfatus autem *Jaquintus* ita crudeliter vulneratum ad manus quorumdam ad sororis domum perducitur, & sic novem dies sine sensu, & memoria advivens mortuus est. Dominus autem Apostolicus sic illum vulneratum, & mortuum; suaque sponte taliter fuisse perductum audiens, ut erat sapientis animi, & pacifici cordis, nullam cum *Beneventanis*, qui eum interfecerant, excitavit quæstionem. *Rossemannus* autem, qui tunc contra voluntatem ipsius Apostolici Episcopus fuerat, & qui Civitatem violento nomine tenuerat, noctis silentio timore coactus fugiit. Quibus omnibus ita peractis, ita prædictus *Falco* Judex, & *Roffridus* Judex, & *Falco* Abbatis *Falconis*, & *Saductus*, & *Pando*, & *Potofridus*, & *Adonibezet*, qui per triennium exules fueramus, cum aliis *Beneventanis* similiter exulibus, licentia prædicti Pontificis ad propria reversi sumus. Cælestis quidem Regis magnalia laudantes, qui post tribulationem, & fletum exultationem inducit. Præfatus autem Apostolicus supranominatum *Girardum* Cardinalem ad Civitatem mandavit, ut a Civibus universis fidelitatem acciperet, quod & factum est.

His omnibus ita evolutis, Pontifex *Innocentius* sacramentis fidelitatis acceptis, consilio habito, iter arripuit VIII. Kalend. *Junii*, ut ad Imperatorem nominatum festinaret; veniens autem ante Portam Summam, populum Civitatis, qui eum ibi præstolabatur, Pontifex ipse taliter allocutus est: Gratias vobis agimus, fratres, & Domini, quia corde hilari, & voluntate sincera fidelitatem nobis peregistis; rogo itaque fraternitatem vestram, & probitatem, ut pacem teneatis, & constantiam justitiæ inter vos; Civitatem vero intrare modo non possumus pro multis, variisque negotiis, quæ cum Domino Imperatore definienda decrevi. Sed his, divina clementia definitis, ad vos reverteremur, & de Civitatis utilitate tractabimus; nunc vero prædictum fratrem nostrum Cardinalem *Girardum* vobiscum morari permittimus, qui erga vestras utilitates assidue invigilabit, & pacem inter vos continebit. Hæc, & his similia Pontifex ipse ubi allocutus esset, iter cæptum arripiens, ad prædictum Imperatorem tetendit *Lotharium*, quem super Civitatem *Barensem* eam acriter obsidentem invenit. Cardinalis igitur nominatus *Girardus* jussu prædicti Apostolici in *Beneventana* Civitate moratus est, & confestim sacrum *Beneventanum* Palatium ascendens, Civitatis utilitates, data pace circumquaque, operabatur. Inter cæteras ejus dispositiones præcipue pacem tenendam viribus totis, ore, & corde prædicabat. Prius vero quam Apostolicus de Civitate discederet, *Octavianum* Subdiaconum, virum prudentem, & sapientis animi, Rectorem *Beneventi* ordinavit, qui simul cum Domino *Girardo* statum Civitatis, & pacis firmamentum studiose regebat. Cumque Pontifex ipse apud Imperatorem pervenisset cum præfato Duce *Henrico*, honore mirabili, & gaudio ab Imperatore suscipitur. Deinde *Barensis* populus Castellum Civitatis, quod pro eorum afflictione Rex *Rogerius* fabricari jusserat, valde terribile, & munitum expugnaverunt, sicque per quadraginta dies illud obsidentes cum *Teutonicorum* auxilio, virtute multa Castellum illud comprehenderunt, & terratenus prostraverunt. Custodes autem Castelli, quia jam amplius illud defendere non poterant, capti, & trucidati, & in mare præcipitati sunt. Sicque de tali, tantaque victoria tota *Italia*, & *Calabria*, *Sicilia*que intonuit, & Regi cælorum gratias agens de tanti Tyranni gutture eripi gaudebat. Inde maritima omnis usque ad *Tarentum*, & *Calabriam* ad Imperatoris fidelitatem alligari satagebat. Cumque Castellum illud *Barense* taliter comprehensum est, super Civitatem *Melfium* Apostolicus, & Imperator venerunt, & eam viriliter obsidentes, diebus non multis elapsis, comprehenderunt, & suæ obtinuerunt fidelitati. Hæc inter *Pisanorum* exercitus, sicut juraverat, centum navigiis armatis ad Civitatem pervenit *Neapolitanam*. Nec mora; jussu prædicti Imperatoris super Civitatem *Amalphitanam* festinat, excogitans igne, ferroque eam depo-

depopulari. Cives autem *Amalphitani*, consilio salutis invento, pecunia multa data, ad Imperatoris, & *Pisanorum* permansit fidelitatem; Inde super *Rebellum*, & *Scalam* properantes eas invadunt, & universa eorum bona diripientes, in ore ignis, & gladii eas consumunt. Viros quoque, & mulieres cum eorum parvulis captivos perducunt, sicque super tali vindicta gavisi, ultra quam credi potest, insultant. Interim præfatus Imperator, & Apostolicus Civitatem dimisit *Melfium*, & Civitatis *Potentiæ* fines descendit: ibique juxta fluenta de lacu *Pesele* per dies fere triginta moratur. Inde universa *Apuliæ* oppida, & Civitates ad suum Imperium alligavit. Et his actis mandavit Imperator, ut *Pisanorum* exercitus *Salernum* obsideat; præcepit quoque *Roberto* Principi, & Magistro militum *Neapolitanorum*, ut viribus totis, & armis simul cum *Pisanis* eandem *Salernitanam* obsiderent Civitatem; quod & factum est XV. Kalend. *Augusti*. Quinetiam *Rainulphum* Comitem, quem affectione multa secum detinebat, mille *Teutonicorum* viris ei datis, super Civitatem ipsam *Salernum* destinavit: quibus ita convenientibus prope muros obsederunt. In Civitate illa revera quadringenti milites aderant, qui Civitati invigilantes, *Pisanos*, & Principem, suosque omnes quotidie expugnabant. Quadam itaque die, sicut accepimus, certatum ad invicem validissime est inter eos, & de militibus illis *Rogerii Siculorum* captivi ducti sunt, & alligati. Consules præterea *Pisanorum*, Civitatis constantiam aspicientes, quia talis, tantaque caterva militum intererat, consilio communicato, lignorum machinam mirabiliter, mirabiliusque excelsam, & ultra quam credi potest, terribilem construi, summaque cum festinatione levari mandaverunt. Unde factum est, quod populus Civitatis mortis periculo oppressus mortem expectabat. Audiens autem Imperator Civitatis *Salernitanæ* constantiam, & quia igne, ferroque *Pisani* eam obsidebant, consilio invento, simul cum Domino Apostolico ad eandem Civitatem celeriter festinavit. Sequenti igitur die sapientes Civitatis ad ipsum Imperatorem venere, & pactis intervenientibus, Civitatem ipsam suo Imperio submiserunt. Quidam vero militum illorum, securitate accepta, licentiam exeundi impetrarunt, quidam vero & prædicti *Rogerii* Proceres ad turrem majorem, quæ super Civitatem erat, confugerunt. Sicque Civitas ipsa in gaudium conversa, sub tali tantoque Imperio exultabat. Audiens autem populus *Pisanorum* Civitatem *Salerni* sine eorum consilio, & voluntate ab Imperatore captam fuisse mirabiliter contristati sunt, & furore arrepto machinam lignorum factam combusserunt, & paratis navigiis *Pisas* regredi disponebant, sed Apostolici *Innocentii* precibus, & promissionibus coacti ad Imperatoris voluntatem reversi sunt. Sicque Castrum illud *Turris majoris* pro eorum discordia dimissum est. His ita peractis præfatus Imperator, & Apostolicus Castra inde amoventes, *Abellinum* venerunt; deinde *Beneventum*, & juxta *fluvium Caloris* ex hac parte *Ubiani*, ad Ecclesiam *Sancti Stephani* castrametati sunt, secundo die stante mensis *Augusti*. Cum autem *Abellinum* venisset Apostolicus ipse *Innocentius* Ducem ad defensionem *Apuliæ* ordinare nomine suo satagebat: Imperator vero nomine suo, contra voluntatem Apostolici ordinare volebat. Unde factum est, ut per triginta fere dies ad invicem discordatum sit, sed sapientum consilio communicato, discordia talis destructa est. Quid multa? divina favente clementia, & ipso Imperatore favente, omnibusque suis, Apostolicus nomine suo ad *B. Petri* fidelitatem Comitem *Rainulphum* virum utique prudentem, & discretum in Ducem elegit, & eo electo vexillum ad honorem Ducatus Apostolicus, & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt, & confirmaverunt. Unde nemo tempore isto viventium recordari poterit, tali lætitia, & honore Ducem aliquem fuisse electum. Cumque taliter in prædicto loco castrametati sunt, triduo post, die videlicet Kalendarum *Septembris* Imperatrix nomine *Florida*, militibus fere centum assumptis ad Ecclesiam Beati *Bartholomæi* Apostoli venit *Portam auream* ingrediens, & Missarum solemnia ibi audiens, pallium quoddam super Altare Beati *Bartholomæi*, & libram unam argenti obtulit. Præ gaudio vero *Beneventanus* populus utriusque sexus, quia per innumera annorum curricula Imperatricem, sive Imperatorem non vidimus, cursu præcipiti ad ipsam intuendam Imperatricem ex omni parte Civitatis festinavimus, & gratias Deo agentes exultavimus, quia, quod Patres, Avi, Proavi videre non potuerunt, temporibus nostris vidimus. Ea autem Basilicam ipsam B. *Bartholomæi* egrediens per mediam plateam Civitatis ascendit, & per Portam Summam exiens ad exercitum suum remeavit. Triduo autem post Imperatricis adventum præfatus Apostolicus *Beneventanam* Civitatem intravit, & a Clero, & populo universo honorifice susceptus est. Altera autem die adveniente in sacro *Beneventano* Palatio sedens in conspectu Cleri, & populi *Beneventani* clamavit, ut si quis contra personam, sive electionem *Gregorii Beneventani* electi canonice, & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret: sed clementia divina opitulante, & quia electus ipse vitam suam religiose custodierat, nemo Civium contra ejus electionem objecit. Apostolicus itaque hoc aspiciens gratias Deo egit, & ipse de persona, & vita electi testificatus est honeste, & religiose, & eidem electo præcepit, ut de peccatis suis confiteatur, & die Dominico adveniente, Spiritu Sancto cooperante consecrationem acciperet. Quid multis?

die adveniente Dominico Apoſtolicus ipſe Eccleſiam Epiſcopii deſcendit, quinto die videlicet intrante menſis *Septembris* electum ipſum conſecravit, ad cujus conſecrationem Patriarcha interfuit *Aquilejæ*, & complures alii Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates *Teutonicorum* viri Religioſi. Lector ſi intereſſes, revera miratus diceres Archiepiſcopum quemlibet *Beneventanum* tanto honore, & reverentia conſecratum nunquam fuiſſe, & eo conſecrato Apoſtolicus ipſe Palatium revertitur. His ita peractis Judices, & ſapientes Civitatis eundem Dominum Papam precantur, quatenus apud Imperatorem intercederet, ut de antiqua afflictione, quam Civitas longe, lateque perpeſſa eſt, Imperator ipſe *Beneventanos* liberaret; videlicet de vinearum fidantiis, & angariis, terratico, & de omnibus redditionibus, quas *Normandis* reddere ſoliti ſunt, quoniam quidem nos, & Patres noſtri, Avi, & Proavi Deum oravimus, ut Imperatoris adventum partibus iſtis largiri dignaretur, per cujus adventum libertatis vigorem, & ſecuritatis conſequeremur. Nunc vero Pater ſanctiſſime, & quia voluntas, & poteſtas conceſſa eſt bene nobis faciendi, lacrymis omnium oramus, ut de tanto periculo tributorum Civitatem B. *Petri* eripias. Apoſtolicus itaque pietate divina correptus ſuper Civitatis longa afflictione condolens Patriarcham *Aquilejæ*, alioſque Cardinales, & *Girardum* ſpecialiter Cardinalem ſuum Presbyterum, virum valde venerabilem, & diſcretum ad Imperatorem direxit, qui foras in præfato loco caſtrametatus erat, expoſtulans, ut Comiti *Rogerio* de *Ariano* præciperet, ejuſque Baronibus, ut fidantias, & omnes redditus, quos de hæreditatibus *Beneventanorum* habere ſolitus erat, quietus dimitteret. Imperator itaque precibus Apoſtolici acceptis, abſque mora, vocari fecit præfatum Comitem, ut cum Baronibus ſuis veniret, & ſacramento interveniente, petitionibus Apoſtolici obtemperaret. Comes itaque adveniens coram Imperatore confeſſus eſt, ſe hoc juraviſſe, & confirmaviſſe tempore Comeſtabuli *Rolpotonis*, qui pro Civitate hoc petierat. Denique Barones, quos ſecum duxit, jurare coegit, ſicut Apoſtolicus exigebat. In primis *Alferius Draco*, & *Robertus* de la *Marra*, & *Bartholomæus* de *Petrapulcina*, & *Tadeus* de la *Greca*, & *Girardus* de *Lanzulinu*, & *Sarolus* de *lo Tufo*, & ſic juraverunt. Juro, & promitto, quod ab hac hora in antea non quæram, nec quæri permittam de cunctis hæreditatibus *Beneventanorum* fidantias, angarias, terraticum, olivas, vinum, ſalutes, nec ulla dationem, ſcilicet de vineis, terris aſpris, ſylvis, caſtanetis, & Eccleſiis, & liberam facultatem tribuo in hæreditatibus *Beneventanorum* venandi, aucupandi, & in eis, & de eis quodcumque voluerint faciendi, & per hoc mercatum Civitati non diſturbabo, nec diſturbari conſentiam. Hæc omnia attendam bona fide ſine fraude. Taliter eis jurantibus, præcepit Imperator, ut alios ſuos Barones *Montisfuſculi* vocaret ad idem ſacramentum faciendum. Quibus actis, præfatus *Girardus* Cardinalis cum ſapientibus Civitatis omnia hæc Domino Papæ retulerunt. Hoc ſacramentum factum eſt ſexto die intrante menſis *Septembris*. Altera autem die idem *Girardus* Cardinalis cum Judicibus ad Imperatorem tetendit, ut ab ipſo Comite, & ſuis Baronibus ſacramentum hujuſmodi acciperet. Comes vero *Rogerius* ſacramentum illud facere noluit, confitens ſe tempore præterito illud feciſſe, ſuos vero Barones de *Monteſuſco* jurare præcepit, videlicet *Raonem* de *lo Tufo*, *Accardum*, *Gemundum*, *Eternum*, *Onfridum*, cæteroſque, qui circa *Beneventum* fidantias accipiebant, & his taliter actis Salvatori Deo, & *Innocentio* Papæ gratias egimus, cujus virtute, & gratia tantam conſecuti ſumus libertatem. Quibus ita peractis præfatus Imperator de prædicto loco caſtra amovens, viam *Romam* redeundi arripuit, qui ante Portam Summam cum toto ſuo exercitu tranſivit, & prædictus Apoſtolicus cum illo feſtinavit nono die intrante menſis *Septembris* [1]. Tunc ipſe Imperator caſtrametatus eſt, ubi *tres Sancti* nominatur; deinde *Capuam* petens, *Romam* tranſierunt. Quid multa? Imperii ſui altitudinem, & Palatia Imperator ille repedavit. Apoſtolicus autem *Innocentius* Palatium *Lateranenſe* adivit. Audiens itaque nominatus Rex *Rogerius* Imperatorem illum viam redeundi arripuiſſe, exercitu convocato *Salernum* venit; continuo ſuper *Nuceriam* veniens, illud ſuæ obtinuit poteſtati, deinde caſtra amovens totam Terram *Rainulphi* Comitis obtinuit; inde procedens *Capuam* furore multo, & tempeſtate comprehendit, & eam igne, ferroque depopulatur; univerſa ſiquidem Civitatis illius ſpolia, & divitias partim igne, partimque virtute conſumi præcepit; Eccleſias quidem, & earum ornamenta diripuit, mulieres quoque, & ſanctimoniales in opprobrium converſæ ſunt, & his taliter evolutis *Abellinum*, & uſque ad confinia *Beneventi* obtinuit. Confeſtim Magiſter militum *Sergius* Civitatis *Neapolitanæ* ad ſuam convertitur fidelitatem; deinde Judices *Beneventanæ* Civitatis cum aliis Civibus Regem ipſum adeuntes ad *Anacleti* fidelitatem, & ipſius Regis amorem Civitatem ſubmittunt *Beneventanam*, *Innocentii* Papæ fidelitatem parvipendentes, & his actis

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Et prædictus Apoſtolicus cum illo feſtinavit,* A *nono die intrante menſis* Septembris] Hæc omnino cum iis congruunt, quæ in Serie Abbatum *Caſſin.* de tempore obſervabam, quo *Innocentius*, & *Lotharius* apud *Caſſinum* ſimul fuerunt.

ctis convocato exercitu Civitatem *Beneventanam* applicuit, & ante Portam Summam medio mense *Octobris* transiens ad Montem *Sarchum* festinavit, quod suæ obtinuit potestati. Et inde procedens super Civitatem Comitis *Riccardi* cursu volucri properavit, quam Comes ille dimittens ad Ducem confugit *Rainulphum*; sicque Civitatem illam suæ voluntati alligavit. Inde Montem *Corvinum* capiens in ore ignis, & gladii illud consumi præcepit, & spolia ejus diripuit. Dux igitur *Rainulphus* memoratus audiens Regem illum ob ejus confusionem *Apuliam* fuisse ingressum, & ejus desolationem quotidie tractare, *Barensem* populum, & *Tranensem*, *Trojanum*, & *Melphiensem*, & mille quingentos milites congregavit, affirmans prius morti velle succumbere, quam vitam ducere infelicem, & taliter Dux ille paratus prope Regis exercitum adivit. Interea Abbas de *Claravalle* vir valde mirabilis, & discretus, qui ad Regem illum venerat pro tanti dissidii infestatione sedanda, inter Regem illum, & Ducem pacis fœdera alligare conatur: sed pro multis, variisque negotiis, quæ inter eos quærebantur, apud Salvatoris Dei potentiam nondum complacuit concordia alligari. Quid plura? Rex ipse exercitum suum divisit, & ad bellandum illum viriliter stabilivit, similiter & Dux ille suos omnes sapienter ordinavit. Primum quidem Regis acies ordinata aggreditur, & inter Ducis armatos intravit. Illico acies illa Regis prosternitur.Rex autem, qui cum aliis aciebus suis armatis inerat, Dei adveniente judicio, timore perculsus ipse primum terga vertens in fugam conversus est; sicque universa Regis congregatio cursu præcipiti confugit, dimissis omnibus divitiarum suarum apparatibus, & tentoriis, auri, argentique magnitudine infinita, quorum numerare copia non est humanæ scientiæ. Quid multa? Dux ille victor effectus de Regis exercitu comprehendit, & occidit, omnemque illam magnitudinem, divitiasque tam ipse, quam populus *Barensis*, & *Tranensis*, cæterique quos rogaverat ad propria locupletati detulerunt. Tria millia, sicut audivimus, hominum in bello mortua sunt. Ibi *Sergius* Magister militum *Neapolitanæ* Civitatis mortuus est; ibi *Eternus* de *Montefusco*, & *Girardus* de *Luzulino*, & *Sarolus* de *lo Tufo*, & complures, quorum nomina pro difficultate numerandi silentio tegimus. Secundo vero die stante mensis *Octobris* bellum hoc actum est. Rex itaque nominatus taliter cum sequacibus suis aufugiens noctis tempore, altera quidem die ad *Castrum Paludis* pervenit, deinde *Salernum* festinavit, diebus autem non multis evolutis, *Rossemannus Beneventanus* Antistes, consilio accepto cum Judicibus Civitatis, & sapientibus quibusdam ad Regem ipsum consolandum, & servitia Civitatis offerenda festinavit. Præcatur insuper, ut libertatem possessionum *Beneventanorum*, quam supradictus Imperator concesserat, populo *Beneventano* ipse largiretur. Rex igitur, precibus eorum acceptis, pro totius Civitatis amore inveniendo, privilegio facto, & signato, omnes fidantias, & exactiones, quas soliti fuimus persolvere, condonavit, & privilegiis pagina accepta gaudio ineffabili Civitatem sunt regressi *Beneventanam*; privilegii pagina ita est continens.

In nomine Domini Dei Salvatoris æterni Jesu Christi; *Dominicæ Incarnationis anno* 1137. *mense* Novembri *primæ Indictionis: Ego* Rogerius *Dei gratia* Siciliæ Italiæ *Rex*, Christianorum *adjutor*, & *clypeus*, Rogerii *primi Comitis filius*: *Regalis Excellentiæ nostræ provocamur liberalitate fidelibus nostris tanquam de nobis bene promeritis beneficia ampliori manu debere impendere, ut non solum fideliores inveniantur, sed ut cæteri spe retributionis adjuti in nostro servitio promptiores habeantur. Eapropter Venerabilis* Beneventane Rossemanne *Archiepiscope, qui semper in omnibus fidelis extitisti, petitionibus tuis*, & Bernardi Beneventani *Comestabuli*, & Beneventanorum *Judicum*, *aliorumque plurimorum Civium clementius annuentes, quia vos semper nostros fideles experti sumus, pro amore Summi Regis, per quem subsistimus, & regnamus, & amore, & fidelitate vestra, quam in nobis habetis, & in antea habituri estis, dimittimus, & condonamus vobis ea omnia, quæ nos, & prædecessores nostri* Normandi *circa* Beneventanam *Civitatem habuerunt, fidantias subscriptas, videlicet denariorum, redditus, salutes, angarias, terraticum, herbaticum, carnaticum, Kalendaticum, vinum, olivas, relevum, postremo omnes alias exactiones tam Ecclesiarum, quam Civium, & omnia prædicta, & possessiones liberas facimus, & quietas undecumque aliquid accipere soliti fuimus; ut quamdiu in nostra permanseritis fidelitate, & nostrorum hæredum, liberi, & quieti vos, & vestri hæredes ab omnibus supradictis maneatis, & in vestris prædiis venandi, piscandi, aucupandi liberam facultatem habeatis, & ut firmiter hoc tenere valeatis privilegium istud sigillo aureo nostro signari fecimus: Siqua vero persona, quod absit, magna, humilisve hujus nostræ concessionis paginam in aliquo violare præsumpserit, viginti libras auri purissimi in misericordia nostra Palatio nostro componat, præsensque privilegium robur pristinum obtineat. At hujus concessionis judicium per manus* Henrici *nostri Notarii scribi præcepimus, & bulla aurea insigniri. Anno Regni nostri septimo.*

Cumque privilegium hoc coram *Beneventanorum* cœtu lectum esset, Deo Salvatori omnium, præfatoque Regi, & jam dicto Antistiti gratias egimus, quia quod Avi, & Pa-

& Patres nostri videre non potuerunt, libertatis, & securitatis donum nobis dignatus est misericordia sua *Iesus Christus* largiri, & meritis non nostris offerre. Quid multa? ex tanto nobis concesso beneficio, & firmato, cives universi, servitia, & honores præfato Regi polliciti sunt, & sine offensione ad ejus præceptum famulari [1]. Dux præterea *Rainulphus* supra memoratus audiens Regem illum sic devictum & animo consternatum cum paucis *Salernitanam* Civitatem fuisse ingressum, consilio habito, mille fere equites, & *Apulorum* peditum multitudinem congregavit; nec mora, *Trojam* dimittens captivatam totam suæ alligavit potestati, & inde procedens super Comitis *Rogerii* de *Ariano* Comitatum advenit, qui continuo *Alferium Draco*, & *Robertum* de *la Marra*, & *Robertum* de *Petramajori*, & *Robertum* de *Potofranco*, aliosque Barones ipsius Comitis suæ subjugavit ditioni. Postremo eundem Comitem *Rogerium* ad suam coegit voluntatem. Quibus ita peractis Dux ipse prope *Castellum Paludis* suorum virtute stipatus castrametatur, die quidem Kalendarum *Decembris*. Mirabatur interea populus *Beneventanus* de Ducis illius *Rainulphi* continentia, & in prædicti Regis amore, & fidelitate, & *Anacleti* servitio die, noctuque simul cum Domino *Rossemanno* Antistite invigilabat.

Aliud quoque non tegendum silentio fraternitati vestræ explicabo. Cum præfatus Abbas de *Claravalle* vir valde mirabilis, & discretus de fœdere pacis, & Ecclesiæ unitate cum nominato Rege confabularetur, assidue Rex ipse cum Abbate illo stabilivit, ut tres Cardinales ex parte *Innocentii* Papæ, qui ejus interfuissent electioni ad Regem ipsum venirent, & tres ex parte *Anacleti*, & ordinem electionis utriusque Regi ipsi insinuarent, deinde Rex ipse ordine audito utriusque partis sanctiorem, & justiorem eligeret electionem, & sic Spiritu Sancto favente, ad pacis perveniret cum totius sui Regni magnitudine firmamentum, quantum in suis arbitrio, & scientia contineret. Cognoverat enim, firmiterque crediderat, totius mundi *Christicolas* parti favere *Innocentii*, & ejus Pontificatum venerari; ipse vero solus cum Regni sui latitudine discordabat. Continuo ad *Innocentium* Papam, & *Anacletum* delegatum est, & cursu rapido Regis positio destinatur. Placuit itaque eis, & consilio eorum firmato ex parte *Innocentii Aimericus* Cancellarius, & *Girardus* Cardinalis vir valde venerabilis simul cum prædicto Abbate de *Claravalle Salernum* super hujusmodi electione ventilanda advenerunt. Ex parte vero *Anacleti Matthæus* Cancellarius, & *Petrus Pisanus* Cardinalis, & Cardinalis alius nomine *Gregorius* similiter acceleravere. Quibus ita congregatis Rex ille, ut erat sagacis animi, providique consilii prius partem *Innocentii* quatriduo usque ad occasum mirabiliter, & ultra quam credi potest, examinavit; sequenter autem *Anacleti* partem quatriduo similiter perscrutatus est. Studiose igitur, & diligenter partibus utriusque electionis auditis, Rex ipse Clerum omnem, & populum Civitatis *Salernitanæ* congregari mandavit, & Episcopos, & Abbates Monasteriorum, qui convenerant, & coram eis taliter exorsus est: Domini, & fratres credimus vestram non latere prudentiam, qua de re Cardinales istos partis utriusque fecerim convocari; putavi etenim, quantum nostræ attinet virtuti, tali, & tanto negotio finem imponere, & justitiæ semitam evidenter sectari, sed quia multis quæstionibus, variisque responsionibus animus noster impeditur, solus ego super hoc tanto negotio finem impendere nequeo: unde si Dominis istis Cardinalibus videtur, ordinem utriusque scribant electionis, & ab utraque parte unus mecum in *Siciliam* descendat Cardinalis, ubi, favente Domino Nativitatis *Iesu Christi* Salvatoris festivitatem celebraturi sumus, ibique sapientes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque inveniemus prudentis animi viros, quorum consilio *Anacleti* partem usque modo sectatus sum: tunc enim ipsorum, aliorumque sapientum consilio super hoc negotio, divina inspirante clementia, certissimum finem, quantum meæ attinet potestati, imponemus. Cardinalis ad hæc *Girardus* respondit: Sciatis revera, quoniam ex parte nostra ordinem partis nostræ nos omnes scribemus: audistis enim ex ore nostro seriem electionis, audistis omnia, quæcumque circa nos gesta sunt: Cardinalem quidem mittemus *Guidonem* de *Castello*

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *Ex tanto nobis concesso beneficio, & firmato, cives universi servitia, & honores præfato Regi polliciti sunt, & sine offensione ad ejus præceptum famulari.*] Fortasse: *sine offensione* Romani *Pontificis*. *Beneventani* autem liberi ab exactionibus omnibus *Rogerii* Privilegio redditi, sua servitia ei promiserunt; sed pridem concesserat *Anacletus*. *Auxilium hominum* Beneventi, inquit in Diplomate superius relato, *contra hostes tuos largimur*, A *& confirmamus*. Quos anno sequenti 1138. obsequii sui specimen eidem dedisse, perhibet *Falco*, cum ait. *Prædictus Rex Dominum Papam* Innocentium *in Patrem, & Dominum accepit, & civitati* Beneventanæ, *& per totius Regni sui partes mandavit, eum Patrem, & Dominum accepisse. Nos autem literis ejus acceptis, Dominum illum, & Patrem vocavimus*. Schismati sic renuntiasse videtur *Rogerius*, pax tamen inter illum, & *Innocentium* sequuta haud est, quem anno 1139, ut idem noster habet, præfatus Papa in *Romana* Synodo *vinculis excommunicationis alligavit*.

stello sapientem utique virum, & discretum, qui vobiscum, sicut petitis ad *Siciliam* veniat, deinde sicut sapientiæ vestræ placuerit, perficiatis, Spiritus Sanctus paraclitus cor vestrum illuminet, & corde recto ad Ecclesiam, & veritatis lumen perducat. Et his actis unusquisque ad propria remeavit. Altera die adveniente prædictus *Girardus* Cardinalis cum suis reversus est: solus autem *Guido* præfatus Cardinalis remansit cum Rege profecturus, sicut statutum est. Ex parte vero *Anacleti* similiter Cardinalis alius destinatur. Quibus patratis navigio parato Rex ipse ad *Siciliam* transfretavit. Dux præterea *Rainulphus* jam nominatus præfatum *Castellum Paludis* viriliter obsedit, quod præliis multis, & machinationibus quotidie expugnabat. Videns autem Dux ipse Castellum illud capere non posse, consilio habito, Castellum illud dimisit, & in finibus *Alifanis* secessit, qui continuo Civitatem illam, & munitionem Castelli comprehendit, & suæ obtinuit potestati.

Hoc anno *Anacletus*, qui sub nomine Pontificatus advixit, septimo die stante mensis *Januarii* mortuus est, qui sedit annis septem, & mensibus undecim, & diebus vigintiduobus. *Innocentius* itaque Pontifex continuo viribus sumptis, & amicorum virtute accepta contra inimicos viriliter insilivit. *Rossemannus* igitur Episcopus totius Civitatis tintinnabula *Beneventanæ* pulsare præcepit, mortem ipsius *Anacleti* significando.

Hoc anno prædictus Imperator cum ad Imperium suum revertebatur, mortuus est in partibus *Tusciæ*, & eo defuncto *Corradus* ad Imperium unanimi voto sublimatus est.

Anno 1138. & novo anno Pontificatus Domini *Innocentii* Secundi Summi Pontificis mense *Martio* primæ Indictionis. Cum prædictus *Anacletus* mortuus esset, Cardinales sui, consilio accepto a fratribus ipsius *Anacleti*, ad Regem miserunt *Rogerium* ipsius *Anacleti* mortem significantes, ut si ei placeret, Papam coustituerent. Rex itaque ut Domini Papæ *Innocentii* partem impediret, voluntati eorum assensit, & Papam eligendi potestatem dedit; qui *Romam* reversi fautoribus eorum congregatis, medio mense *Martio*, *Gregorium* Cardinalem Papam sibi, & invasorem constituerunt, *Victorem*que eum vocaverunt. Sed Dei misericordia auxiliante, hæresis illa, & invasio pauco tempore regnavit. Diebus autem non multis evolutis, fratres prædicti *Anacleti*, tantam cognoscentes turbationem, in se reversi, Domino favente, cum prædicto Domino *Innocentio* Papa pacis firmamentum composuerunt, & ipsi, & omnes ejus adversarii ad ejus fidelitatem conversi sunt, & sceleratus ille, qui sub *Victoris* nomine apparuit, vestem, & Mitram deposuit, & ad voluntatem Pontificis *Innocentii* pervenit. Sicque gaudio magno, & gloria exultationis tota *Romana* Civitas exultavit, & Pontifex ipse *Innocentius* ad unitatem Ecclesiæ, & concordiam, auxiliante Domino, perducitur. Diebus autem non multis evolutis prædictus Apostolicus consilio accepto *Albanum* venit disponens, exercitu congregato ad Ducem *Rainulphum* venire, sed infirmitate percussus venire non potuit. Interea Rex *Rogerius* congregato exercitu in finibus venit *Apuliæ*, cogitans Civitates sibi ab Imperatore ablatas suæ submittere potestati. Dux igitur *Rainulphus* Regis illius sentiens adventum, totius *Apuliæ* partes submovit, ut contra ejus rabiem unanimiter insistant. Nec mora, cursu rapido ad Ducem festinant nominatum, & sic contra Regis illius ferociam mensibus fere duobus resistunt. Hæc inter, sicut nobis est relatum, prædictus Rex Dominum Papam *Innocentium* in Patrem, & Dominum accepit, & Civitati *Beneventanæ*, & per totius Regni sui partes mandavit eum Patrem, & Dominum accepisse. Nos autem literis ejus acceptis Dominum illum, & Patrem vocavimus; quibus peractis *Rao* de *Fraineta Beneventanæ* Civitati, & Regi *Rogerio* rebellis apparuit, & vineas *Beneventanorum* incidi mandavit. Cives itaque consilio accepto *Raonis* illius infestationes Regi nominato mandaverunt, ut citissime eos ab illius adversitatibus eripiat. Rex illico, congregato exercitu, iter arripuit, & in ipsius sui adventus virtute *Montemmaranum*, & Castella alia comprehendit, & igne comburit. Inde super *Ceppalunum* adveniens simul cum *Beneventanis* illud obsedit, & die ipsa villam rusticorum comprehendit, & eorum bona deprædata sunt, & domos omnes eorum destructæ. Sequenti vero die turres, & munitiones Castelli in potestate Regis datæ sunt. *Rao* etenim de *Fraineta* timore Regis coactus Castellum illud triduo ante exierat cum uxore, & ad Ducem festinavit *Rainulphum* simul cum *Raone* de *lo Tufo*, & *Orrico* de *Sarno*, qui similiter faciem Regis fugientes Castella sua dimiserunt. Cives continuo *Beneventani* Regem precantur suppliciter, ut *Castellum* illud *Ceppaluni* Civitati contrarium, ad destruendum largiatur. Quid multa? Rex ipse petitionibus populi favens permisit ad diruendum. Nec mora, catervatim *Beneventanus* populus festinat ad destruendum, & sic radicitus universa ædificia Castelli evulsa sunt, & Civitas tota super illius gaudebat destructione. Nam si universas crudelitates, & pericula, quæ ab illius Castelli Dominis passi sumus, describere vellem, nec lingua dicere, neque stylo pronunciare possem. Unde Deum laudantes Regi gratias egimus, qui nobis illud ad destruendum concessit. Et his actis præfatus Rex *Capuanos* fines adivit, & *Castellum*, quod *Calvum* dici-

dicitur, comprehendit [1]. Dux præterea *Rainulphus* exercitu congregato horis omnibus invigilabat, ut Regem illum virtute insiliat, & accipiat ultionem. Rex vero, ut erat sapientis consilii per montana quæque, & loca ardua castrametatur, & sic Ducis vitabat prudentiam, & virtutem, unde Dux ille vehementer condolens mente, & corpore fremebat, quia cordis dolorem ostendere non poterat. Novissime apud *Alifas* moratur, existimans Regem illum *Alifis* venire. Rex vero, ut diximus, Ducis constantiam fugiens a *Castello Calvo* revertitur, & in finibus Sanctæ *Agathes* tentoria sua poni præcepit, *Beneventum* venire disponens; & inde amoto exercitu castrametatus est prope *Beneventum*, ubi dicitur *Plancella*, & ibi mansit duobus diebus. Tunc accepto consilio inde recessit, & districto exercitu flumen transivit *Caloris*, & Castra posuit super *Pontem Valentinum*, mansitque ibi duobus diebus. Dux autem nominatus *Rainulphus*, ut erat prudentis animi, in finibus morabatur *Petræmajoris*, pertractans, ut *Castellum Apicis*, quod Rex minabatur obsidere, virtute, & animose illud liberaret. Rex itaque nominatus *Beneventanos* precatur, ut in ejus auxilio unanimiter festinarent, *Rossemannus* igitur, qui tunc Præsul aderat, amore Regis coactus Cives universos rogavit, & in ejus mandavit auxilio. Audiens autem Rex ipse *Castellum Apicis* a militibus, & viris prudentibus armatum fore, consilio accepto, castra amovit, *Petræpolicinæ Castellum* aggredi præcipit, & igne, ferroque illud depopulatur; & inde procedens Castella alia comprehendit, & comburi mandavit. *Pontem Landulphi*, *Farnitum*, *Campugattari*, & *Guardiam*, & Civitatem comprehendit *Allipham*, & igne consumpsit, universam quidem substantiam Civium, & Ecclesiarum ornatus, galiotæ Regis, & turba innumera prædonum, quæ eum sequebatur, comprehendit, rapuit, dispoliavit, & unusquisque, prout potuit, dispartitur. Lector itaque, si adesses, super tali, tantaque Civitatis strage, & confusione turbatus deficeres, & firmares a *Græcorum* tempore, & *Paganorum* tantam in *Christianos* ruinam, & combustionem non accidisse. Cumque taliter Civitatem illam *Alipham* consummasset, exercitu inde amoto, in finibus festinavit *Benafri*, Civitates illas suæ submittere potestati. Continuo jussu crudelitatis a Rege illo injuncto, Civitatem illam *Benafrum* aggredi, & expugnari mandavit. Cives autem, prout poterant, & se, & Civitatem defendebant. Rex itaque eorum constantiam aspiciens, crudeli manu jussionis minatur, ut Civitatem illam insiliant. Continuo peccatis imminentibus Civitas illa valde munita, & divitiis plena capitur, & Civium omnium bona, & divitiarum magnitudines ab hostibus capiuntur, & divisæ per partes ad nihilum sunt conversæ. Viri itaque, & mulieres, parvulique eorum per montana fugiunt, omnibus eorum bonis in manibus rapientium, & prædonum dimissis, sicque Civitas illa, & turrium ejus munitiones in potestate Regis subacta est. Et tali crudelitate audita *Præsentianum Castellum*, & *Roccaromana* ad Regis voluntatem convertitur, & alia Castella circumquaque contigua. Quibus actis Rex inde revertens *Beneventum* venit, & ad *Paludis Castellum* castrametatur duodecimo die mensis *Septembris* intrante. Dux interea *Rainulphus*, qui tanto Regi resistere non poterat, dolore cordis concussus circa *Aliphanos* fines morabatur. Inde procedens Rex ipse ad Civitatem *Melphium* ivit, putans eam suæ submittere potestati, quod obtinere non potuit, & inde reversus super *Castellum Toccum* adivit. Continuo machinas lignorum fieri mandavit, virtute quarum turres Castelli illius, & munitiones destruerentur; sicque pars quædam turrium diruta est. Dux interea *Rainulphus* circa eum quotidie invigilabat, ne Rex ille terras *Rogerii* Comitis de *Ariano* invaderet. Populus autem Castelli, virtutem Regis, & furorem aspiciens sub ejus potestate, & ditione colla submisit, & Castellum illud in ejus dominatione subactum est tertio Kalend. *Octobris* octo quidem dies *Castellum* illud *Toccum* obsedit. Quibus ita peractis, Rex ipse castra inde amovit, & tempore valde pluviali *Beneventum* venit, & ipse intra Ecclesiam S. *Petri* Apostoli prope Civitatem sitam castrametatur [2]. Totus quidem ejus exer-

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1138. Capuanos *fines adivit*, *& Castellum*, *quod* Calvum *dicitur*, *comprehendit.*] Vere *Calvum* (ubi olim *Cales*, diutissime quæ deserta mansit) & ab ejus constructionis primordio in ipso confinio fuit agri *Campani*: quippe in an. 879. ab *Atenulfo*, qui dein Comes *Capuæ*, & demum Princeps *Beneventi* evasit, ædificari cœptum in limite *Calinii*, incurrente in *Campanum*, ex *Erchemperto* Num. 40. & 45. est intelligere; de quo offendebatur *Capuæ* tunc Gastaldus *Pandonulfus*. Eadem autem descriptio, cum postea suus ager *Calvo* fuisset assignatus, immutata non A est, quod ex Præcepto Princ. *Pandulfi* in Hist. PP. *Langob.* lib. 1; & ex Privilegio quodam Reginæ *Joannæ* 2. in Archivo *Campanæ* urbis aperitur; atque etiamnum manet, de quo alibi.

[2] Beneventum *venit*, *& ipse intra Ecclesiam* S. Petri *Apostoli*, *prope civitatem sitam*, *castrametatur.*] Manent etiamnum hujus Ecclesiæ rudera *in planitie*, ut nostri Falconis usurpem verba ad an. 1137. *juxta flumen* Sabati; eamque *Theoderada*, uxor Ducis *Romualdi*, qui sedit ab an. 961. ad an. 977, construxit; *quo in loco multarum ancillarum Dei Cœnobium instituit*, ut perhibet Paulus Diac. lib. 6. cap. 1. At hoc *Rogerii* tempore B ibi non aderant Moniales, ut reor; quæ Monasterium S. *Petri* Apost. pariter nuncupatum, memora-

exercitus infra Civitatem hospitatus est *Beneventi*, ibique mansit diebus tribus: tempus enim terribile pluviarum, & valde periculosum inerat, & pro inveniendis ad exercitum necessariis, nullo modo adire valebant; unde, sicut diximus infra Civitatem *Beneventi* ad refocillandum exercitum commorati sunt. Rex interea nominatus Civitatem intravit *Beneventanam* quarto die intrante mensis *Octobris*, & Ecclesias, & Civitatis Palatia, & Curiam Apostolici studiose perquisivit, & exercitu refocillato Castra a Civitate amovit, & prope *Castellum S. Severi* castrametatus est. Inde procedens Castellum *Morcone* suæ obtinuit potestati, & his actis *Castellum Sancti Georgii*, & *Petræmajoris* comprehendit. Comes igitur *Rogerius* de *Ariano* hæc audiens *Apicis Castellum* dimisit, & villanis omnibus, ut Regi obedirent, licentiam largitur, & ipse Civitatem intravit *Arianum*; ibique confidens Ducis *Rainulphi* auxilium adinvenit; qua de re nullo modo ad Regis voluntatem pervenire voluit. Continuo Rex ipse *Castellum Apicis* suæ alligavit fidelitati, & Rex ipse ad Castellum *Tamarum* diebus quatuor moratus est. Præfatus autem Dux exercitu congregato prope Civitatem *Arianum* venit custodiens, ne Rex ipse quoquo modo eam invaderet, & sic Rex ipse, & Dux adinvicem laborabant. Et his decursis prædictus Rex a *Tamaro* illo Castello discedens circa *Melphitanos* fines festinavit; & inde procedens *Castellum S. Agathes* valde munitum suæ obtinuit potestati, & alia Castella ibi contigua. Dux interea nominatus Civitatem regebat *Melphium*, ne Rex ille quoquo modo ingenio eam invaderet: præfatus autem Rex cognoscens Ducem *Rainulphum* jugiter contra se, & suos obsistere, & *Apuliæ* Civitates tueri, consilio communicato, Castella, quæ comprehenderat, militibus, & viris armatis muniri, & observari mandavit, & ipse Rex *Salernum* adivit, disponens ad *Siciliam* reverti, quam longo tempore dimiserat. At Dux nominatus *Barum* descendit, & marinos fines visitavit, populum omnem hortando, ut tempore opportuno, viribus sumptis, & armis, contra Regem obsistant, qui unanimiter, & corde devoto paratos fore clamitabant.

Anno 1139. Dominicæ Incarnationis, & decimo anno Pontificatus Domini *Innocentii* Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ mense *Martio* secundæ Indictionis, hoc anno præfatus Apostolicus *Innocentius*, octavo die intrante mensis *Aprilis Romæ* Synodum celebravit. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates innumeri convenerunt: ibique inter cætera, quæ, Spiritu Sancto mediante, statuta sunt, vinculis excommunicationis alligavit Regem *Rogerium* prædictus Apostolicus *Innocentius* in præsentia omnium Catholicorum virorum, qui convenerant, & ejus omnes sequaces. Hoc anno *Rainulphus* Dux, de quo in superiori tractatu mentionem fecimus, ardentissimo febris Synoche, calore correptus, ultimo die stante mensis *Aprilis* ex hoc mundo decessit apud Civitatem *Trojanam*, quem Ducem *Guillelmus* venerabilis ipsius Civitatis Episcopus cum universo Clero, & populo diligenter, & honeste, lacrymisque manantibus sepulturæ infra Episcopium tradiderunt. O quantus luctus omnium, & virginum, & viduarum, puerorum, & senum utriusque sexus, & militum, Civitatem illam invasit, quem si radicitus describere tentarem, nec dies sufficerent, nec copia describendi. *Barensis* itaque populus, & *Tranensis*, *Melphiensis*, *Canusinus*, & omnes, qui sub ejus dominio, & protectione confidebant, consolatione oblita, crinibus evulsis, pectoribus laniatis, & genis; ultra humanum modum lugebant. Lugebant enim Ducem piissimum, & Patrem universorum, qui totius sui Ducatus habenas dulcedine, & humanitatis suavitate, furore omni deposito disponebat. Quid multa? de mortis illius compassione inimicorum etiam acerbitas, & de ejus prudentia condolens, lacrymansque compatiebatur: sicque tota fere *Italia* de ejus probitate, & præliis, horis omnibus recitabat. Audiens autem prænominatus Rex *Rogerius* Ducem *Rainulphum*, virum bellicosum, & magnanimum ex hoc mundo obiisse, vanitatis, & elationis spiritu accensus ultra humanum modum gavisus est. Gavisus utique, & morte communi oblitus exæstuat, animoque concipiens, ut exercitu congregato *Apuliæ* fines insiliat, eamque suæ submittat ditioni, & fidelitati. Quid multa? septem navigiis armatorum paratis, & auri, argentique magnitudine ditatis, die septimo stante mensis *Maji*, *Salernum* transfretavit. Continuo Clerus omnis, & populus *Salernitanus* laudibus

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

moratumque *Falconi* ad an. 1121, intra urbem situm incolebant. *Theoderada* autem eam extra *Beneventi* mœnia construxisse videtur Ecclesiam, ut pio quodam affectu D. *Petri* in *Vaticano* campo extra *Romam* conditam Basilicam imitaretur; sicuti non alia occasione excitatas reputo extra *Capuam*, *Tarentum*, *Viennam* (*Nolam* mitto, a-

A liasque urbes) Ecclesias eidem Divo, summo olim habitas, quarum prima descripta habetur nostro *Michaëli Monacho* in suo Sanctuario Par. 3. altera *Petro Diac* lib. 3. cap. 43. & 57; tertia vero in quodam Diplomate memoratur *Callixti* 2. apud Bibl. *Floriac.* qua deinde labentibus annis ignorata, vulgus, quem sequuti postea sunt doctiores, longe alias earundem construendarum excogitavit, pias quidem, rationes.

bus multis, Hymnisque sonantibus Regem illum suscepit. Nec mora, Rex ipse literas omnibus suis circumquaque manentibus direxit, ut armis eductis ad eum conveniant. Literis itaque ejus acceptis ad imperium ejus obtemperaverunt; deinde Rex ipse exercitu congregato *Beneventum* venit, & sic contra inimicos expugnandos festinavit.

Hoc anno IV. Kalend. *Junii*, mons ille, qui prope Civitatem *Neapolim* esse videbatur, ignem validum & flammas visibiles projecit, per dies octo, ita ut Civitates ei contiguæ, & Castra mortem expectabant, ex cujus incendio pulvis niger, & horribilis exivit, & usque *Salernum*, & *Beneventum*, & *Capuam*, & *Neapolim* pulvis ille a facie venti pervolavit; ignis vero ille per dies octo visus est, de quo pulvere Cives multi *Beneventanorum*, & ego istius operis descriptor collegimus, per dies vero triginta pulvis ille super terram visus est. Cumque, ut supra dictum est, Rex *Rogerius* exercitum congregasset, super Comitis Civitatem festinus adivit, & Civitatem illam acerrime expugnans suæ eam alligavit ditioni. Comes autem fugam petens *Trojam* ingressus est. Deinde Rex ille Civitates, & Castra Capitanatæ suæ obtinuit potestati. Dux præterea filius præfati Regis Civitates cunctas *Apuliæ*, & maritimas ad suum convertit Imperium, pacem omnibus, & securitatem affirmans. *Barum* quidem Civitatem valde munitam obtinere non potuit; quadringentos enim milites Princeps Civitatis secum detinebat, præter Cives quinquaginta millia habitantium. Dux itaque nominatus Civitatem illam *Barum* cognoscens, capere non posse, exercitu suo convocato ad Patrem Regem *Rogerium*, qui in *Trojanis* morabatur confinibus pervenit, & eis in unum convenientibus, studiose tractare cœperunt, qualiter Civitatem *Trojanam* suæ submittant potestati. Quatuor quidem millibus interjectis a Civitate *Trojana* Comes *Rogerius Ariani* cum septingentis militibus de morte desperatis morabantur. Cives revera *Trojani* cum extraneis, qui ad eos confugerant præ timore nominati Regis Civitatem illam tuebantur. Rex itaque Civitatem illam sic a tantorum virorum virtute munitam persentiens ad Castellum *Bacharezza* ibi vicinum ducentos milites dimisit pro Civitatis illius infestatione, & ipse cum Duce nominato filio suo, simulque eorum exercitu advocato super Civitatem *Arianum* Comitis *Rogerii* venit. Continuo Rex ipse Civitatem illam obsedit, & lignorum machinas ad expugnandum eam fieri mandavit. Cives autem, & milites, qui cum eis erant, nihil ex his, quæ ingerebantur, metuebant; ducentos enim milites, & viginti fere millia armatorum in Civitatem introduxerunt. Rex itaque sic eam paratam, & munitam aspiciens castra amoveri præcepit, & furore commotus vineas, olivas, & arbores, & sata eorum, quæ inveniri poterant, incidi mandavit, & devastari, & sic Civitatem illam dimittens biduo per confinia illius moratus est.

Eodem tempore præfatus Apostolicus *Innocentius* prædictum Ducem *Rainulphum* obiisse audiens, satis, satisque condoluit, & consilio communicato Urbem *Romam* exivit, mille Equitum caterva stipatus, & peditum multitudine copiosa, deinde ad Civitatem Sancti *Germani* pervenit. Cumque præfatus Rex Apostolicum illum Urbe egressum persensit, Legatos suos prædicto Apostolico de pace mandavit, & voluntatem Apostolici, & petitionem pollicetur perficere. Apostolicus autem Legatos Regis honeste accipiens, Cardinales duos ad Regem ipsum transmisit, pacis, & dilectionis firmamentum describens, & ut ad *Civitatem Sancti Germani* Rex ipse festinaret. Quid multa? Cardinales illos Rex ille diligenter, & honeste accipiens, *Civitatem Trojanam*, quam obsidebat dimisit, & cursu rapido ad prædictum Apostolicum cum Duce filio suo, & exercitibus suis festinat; continuo per Legatos suos ab utraque parte de pacis fœdere interlocuti sunt. Apostolicus itaque Principatum *Capuanum* a Rege petebat, quem injuste Principi *Roberto* abstulerat. Rex vero nullo modo Principatum illum reddere voluit, & sic per dies octo disceptatio talis inter eos habita est, & his actis præfatus Rex suo omni exercitu coacervato ad terras, quæ filiorum *Burelli* vocantur, acceleravit, de quibus terris partem quandam castrorum suæ submisit potestati. Apostolicus autem, & qui cum eo erant, Regem illum in partes illas recessisse cognoscentes, Castrum quoddam nomine *Galluzzum* aggredi præcepit, & devastari. Nec mora, præfato Regi nunciatum est, qualiter jam dictus Apostolicus Castellum illud esset aggressus. Quid multa? cursu rapidissimo Rex ille ad *terram Sancti Germani*, ubi Apostolicus ipse morabatur, pervenit. En subito de Regis adventu fama terribilis pervolat, & continuo castra Regis confixa sunt. Apostolicus itaque, & Princeps *Robertus Capuanus*, & *Romanorum* militia Regis adventum sentiens castra eorum omnia amoveri jubent, ut in securiori parte manerent. Dux autem Regis filius, mille fere equites accipiens sic Apostolicum discedentem deprehendens insidiis constitutis super Apostolici milites insilivit, qui potentiam, & insidias sentientes terga vertentes fugam petunt, & secundum vires per loca illa diversa aufugiunt. Præfatus vero Princeps, & *Riccardus* de *Sapa-*

Sapacanina[1], & *Romanorum* multitudo evaſit, multi vero militum, & peditum in flumine mortui ſunt, multos in captione Regis fore audivimus. Apoſtolicus autem *Innocentius* poſt ſuos omnes quaſi ſecurus incedebat. En ex improviſo militum caterva eum aggreditur: heu dolor, & illum comprehendunt, omnique ſuo theſauro, & ornatu diviſo, ducunt illum ante Regis aſpectum, & ſic contumeliis ditatum, captivum illum in tentorio, quod Rex illi tranſmiſit, intromittunt: & conſequenter Apoſtolici Cancellarium *Aimericum*, & Cardinales captivos perducunt. Decimo autem die ſtante menſis *Julii*, Pontifex ipſe *Innocentius* captus eſt [2]. O quantus luctus, & mœroris abundantia mentes fidelium, & Civitates Apoſtolici invaſit, quæ ſi radicitus deſcribere vellem, nec dies, nec tempus ſufficerent. Quid multa? Continuo Rex ille per legatos ſuos Pontifici *Innocentio*, quem captivum tenebat, ſuppliciter, & ultra quam credi poteſt, mandavit humiliter, ut pacis & concordiæ manum componat. Apoſtolicus itaque ſe deſtitutum virtute, & armis, & deſolatum aſpiciens, precibus Regis, & petitionibus aſſenſit, & capitularibus, & privilegiis ab utraque parte firmatis. Rex ipſe, & Dux filius ejus, & Princeps ſeptimodecimo die ſtante menſis *Julii* ante ipſius Apoſtolici præſentiam veniunt, & pedibus ejus advoluti miſericordiam petunt, & ad Pontificis imperium uſquequaque flectuntur. Continuo per Euangelia firmaverunt B. *Petro*, & *Innocentio* Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus fidelitatem deferre, cæteraque, quæ conſcripta ſunt. Regi vero *Rogerio* ſtatim *Siciliæ* Regnum per vexillum donavit, ejus Duci filio *Ducatum Apuliæ*, Principi alteri filio ejus *Principatum Capuanum* largitus eſt. Die vero illa, in qua prædictus Apoſtolicus pacem cum Rege firmavit, B. *Jacobi* Apoſtoli feſtivitas celebratur; VII. Kalendas *Auguſti*. Et his actis, Miſſæ ſolemnia celebravit Apoſtolicus ipſe, ubi ſatis, abundeque de pacis continentia tractavit. Lætitia igitur, & gaudii abundantia univerſos inhauſit, & cælorum Regem magnificantes ſuper pacis firmatæ, & concordiæ dextra lætati ſunt. *Beneventanus* itaque populus pacem audiens firmatam, & Regem voluntati Apoſtolici alligatum, tanto gaudio, & exultatione triumphat, quod ſi ex toto deſcriberem, deficerem in tempore, & locutione. Apoſtolicus igitur, pace firmata cum nominato Rege, *Beneventum* ingreſſus eſt die Kalendarum *Auguſti*, quem *Beneventanus* populus honore multo, & devotione cordis ſuſcipiens, quaſi B. *Petrum* in carne aſpiciens, lætatus valde gaudebat. Rex autem foris Civitatem *Beneventi* caſtrametatus eſt, quia Rex uſque ad *Portam Sancti Laurentii* cum Domino Apoſtolico comitatur. Die vero ipſa ad Veſperam

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An* 1139. *Dominicæ Incarnat.* &c. *Præfatus vero Princeps*, & Richardus *de* Sapacanina] Non ſic: ſed. *De Rupecanina*, quod oppidi eſt nomen in Epiſcopatu *Allifano*. Hic *Richardus* frater fuit *Raynulſi*, qui ex *Abellini*, aliarumque plurium civitatum, oppidorumque Comite Dux *Apuliæ* ab *Innocentio*, & a *Lothario* fuit inſtitutus; exque Comite *Roberto* natus erat, filio ſenioris Comitis *Raynulſi*, germani fratris Principis *Capuæ Richardi* I. ut alibi eſt dictum.

[2] *Decimo autem die ſtante menſis* Julii, *Pontifex ipſe* Innocentius *captus eſt.*] Baronius non habet to. *ſtante*, & abſolute legit. *decimo die menſis* Julii, ac perinde id contigiſſe cenſuit 6. Id. *Julii*. Sed certe *Innocentius* captus a *Rogerio* fuit 11. Kal. *Auguſti*, decem tantum diebus *Julii* reſtantibus; nam *quarto die*, inquit Anonymus *Caſſin*; *pace facta confirmavit illi totam terram:* die nimirum 24. prædicti menſis; a quo noſter die tantum diſcrepat. *Die vero illa*, ait, *in qua prædictus Apoſtolicus pacem cum Rege firmavit*, *B.* Jacobi *feſtivitas celebratur*. Quocirca in eodem Falcone paulo ante hæc verba legam: *Rex ipſe*, & *Dux filius ejus*, & *Princeps ſeptimo die ſtante menſis* Julii *ante ipſius Apoſtolici præſentiam veniunt.* non. *ſeptimodecimo.* Sed in antecedentibus, ut dixi, nil mutandum. Nec ubi de eodem *Rogerio col.* 628. & ſeq. qui *die ſeptimo ſtante menſis* Maji Salernum *transfretavit.* a quo ſimul loco Baronius expunxit to. *ſtante.* Sane *quinto die ſtante menſis* Maji (fortaſſe VI. non *V.*) an. 1120. a *Campanis* conſtitutum Principem *Richardum*, hujus nominis tertium;

A cum idem dicit Falco, ac ſubdit *die Aſcenſionis Domini*, *quinto die ipſius* Maji *ſtante* a Campano Archiepiſcopo illum conſecratum, utique ipſam conſecrationem 27. die *Maji* actam demonſtrat; in quem præfato anno Feſtum contigit Dominicæ Aſcenſionis. Huncque *Falconis* locum familiari in ſermone, meo more, apud amicum, doctumque virum, ut ſæpe etiam pleraque alia antiqua minus trita, ſic etiam olim enarrabam; qui applauſu tunc ſuo meam amplexatus interpretationem, neſcio cur poſtea eam ſcripto tradens, per me profeciſſe, (quod non hac tantum vice commiſit) diſſimulavit; *Baroniumque* graviſſimum

B abſque controverſia; ſed quem ea non ſemel fugerat, ut dictum eſt, maluit ſuper hoc laudare Auctorem. Integros autem uniuſcujuſque menſis dies in tres ſectiones; hoc eſt in dies intrantis, mediantis, & exeuntis, quos ſtantes appellabant, cum olim diſtinguerent (*Syneſius* epiſt. 4. in dies tantum intrantes, & exeuntes partitur menſes) de quo exempla ſunt nimis obvia, priſcorum *Latinorum* Nonas, Idus, & Kalendas aliquo pacto videntur voluiſſe imitari; ſed ea præter alias adhibita exceptione; ut ſtantem diem ab ultimo menſis die diſtantem, non a Kalendis, & *a principio ſucceſſuri menſis*, ut rem non ſicut docueram, tradidit idem amicus meus, denotarent; quam

C differentiam *Falco* vel neſciens, vel non curans, non diverſo calculo dies Kalendarum, quo dies ſtantes ſupputavit; Feſtumque D. *Jacobi* Apoſt. celebrari dixit 7. Kal. *Auguſti*, quod 8. Kal. ac ſeptimo die ſtante *Julii* veneratur: ad annum tamen 1131. Feſtum S. *Angeli* figit 3. Kal. *Octobris* nullo errore: quippe ibi recenſitus.

ſperam Rex ipſe Civitatem ingreditur, & Curiam Domini Papæ aſcendens, cum eo aliquantum moratur, deinde ad Epiſcopium pergit, & B. *Mariæ* Baſilicam & *Bartholomæi* Apoſtoli ingrediens pro ſalute ſua oravit. Intravit quoque Monaſterium S. *Sophiæ*, & ante Altare S. *Mercurii* ſe proſtravit. Inde procedens clauſtra Monaſterii, & Dormitorium, & Refectorium perambulavit, & Monachorum orationibus ſe commendans, Civitatem exivit per Portam Summam, & ad caſtra gaudens remeavit. *Roſſemannus* autem, qui contra voluntatem Apoſtolici quotidie pugnabat, Archiepiſcopus a *Petro Leonis* conſecratus, de *Benevento* expulſus eſt, & miſer ipſe cum Domino Rege feſtinavit. Et his actis Caſtellum, quod *Roſſemannus* ille ad Portam Summam fabricari juſſit, Dominus Papa deſtruxit: & in his diebus Cives *Neapolitani* venerunt *Beneventum*, & Civitatem *Neapolim* ad fidelitatem Domini Regis tradentes Ducem filium ejus duxerunt, & ejus fidelitati colla ſubmittunt. Præfatus præterea Rex, exercitu amoto, *Trojam* adivit, & Civitatem ipſam ſuæ ſubmiſit poteſtati; Epiſcopus autem *Trojanæ Civitatis Guillelmus* nomine, & populus Civitatis Legatos præfato delegaverunt Regi, ut Civitatem ingrediatur, & inter ſuos fideles, & amicos honeſte maneat, & ſecure. Rex vero, Legatis acceptis, Non Civitatem, inquit, ingrediar, donec traditor ille, *Raynulphus* ſcilicet, inter vos manſerit. Continuo, qui miſſi fuerant, Civitatem regreſſi Regis intentionem omnibus patefaciunt, & licet dolore commoti Cives ex tanta Regis reſponſione, quatuor tamen militibus præceperunt, ut ſepulchro fracto cadaver Ducis *Rainulphi* extraheretur, & extra Civitatem educerent, ut furore Regis ſedato, ad eos pacifice ingrediatur. Juſſerunt etiam inimici Ducis præfati cuidam militi nomine *Gallicano*, qui Ducis illius fideliſſimus fuerat, ut ipſe *Gallicanus* ob injuriam Ducis defuncti, & ejuſdem *Gallicani* dolorem, tumulum frangeret, & Ducis oſſa pelli, & fætori adhuc circumplexa manu ſua extraheret; qui *Gallicanus* timore coactus, & ne tanti Regis furorem incurrat, (heu dolor) quaſi mente hilari cum aliis, Ducis oſſa involuta, ut diximus, eduxit. Continuo in collo Ducis defuncti funem ligari fecerunt, qui ejus inimici extiterant, & uſque ad Caſtellum Civitatis per plateas traxerunt, deinde reverſi uſque ad Carbonarium foris Civitatem, ubi ſtagnum luteum, putridumque inerat, Ducis ipſius ſuffocaverunt cadaver [1]; heu nefas, & dictu mirabile, totam protinus Civitatem, timor, & luctus invadit, quod unuſquiſque mortem optabat, & amicorum Ducis ipſius, & inimicorum (Regem quidem teſtor æternum, Judicemque ſæculorum) tale, tantumque factum horribile in generationibus præteritis, & inter *Paganorum* ſectam nunquam legimus accidiſſe. Hæc ſiquidem crudelitatis potentia quid Regi illi profuit? quæ victoria, vel majeſtatis gloria ei ſucceſſit? ſed ut mentis ſuæ furorem pacare deſiderans, quod non potuit exercere in viventem, operatus eſt in defunctum. Revera dum Dux prædictus vixerat, licet cum paucis adeſſet, ipſe tamen Rex nullo modo circa Ducis ipſius aciem, & ſi eum decem millibus armatorum inſtaret, propinquare audebat. Unde ei viſum fuit, mentis ſuæ rabiem aliquantiſper fore mitigatam. Sed redeamus ad cauſam. Dux itaque Regis illius filius factum hujuſmodi audiens ad Patrem acceſſit audacter, & facti illius ordinem redarguit, & precatur Patrem, ut ſepulturæ Dux ille dehoneſtatus traderetur. Rex igitur Ducis filii favens orationi ſepulturæ illum tradi mandavit; & his actis Civitatis populus, ut ingrederetur ad eos, expectabat, ſicut promiſerat. Qui nec ſic voluit Civitatem *Trojam* introire, ſed caſtra inde amovens *Civitatem Barenſem* adivit, quam terra, marique obſedit. Cumque prædictus Apoſtolicus Civitatem introiſſet *Beneventanam* omnem ordinationem a *Petro Leonis* factam depoſuit, & a *Roſſemanno*: die vero Aſſumptionis S. *Mariæ*, & in paſſione B. *Bartholomæi* Epiſcopium deſcendit, & Miſſarum ſolemnia honeſte celebravit; & his actis, prædictus Apoſlicus a *Romanis* ſæpe vocatus, ſecundo die ſtante menſis *Septembris*, iter arripuit, &, Domino favente, *Romam* repedavit.

Hoc anno *Gregorius Beneventanus* Antiſtes a Domino Papa *Innocentio* conſecratus *Beneventum* intravit ſecundo die intrante menſis *Septembris*, & Dominus Papa *Guidonem* Diaconum Cardinalem Rectorem *Beneventi* ordinavit. Audiens autem Populus *Romanus* Domini Papæ *Innocentii* adventum catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno, & honore ſuſcepit, deinde eum hortabatur, ut pacem, quam cum Rege *Rogerio* poſuerat, conſilio eorum confringeret. Apoſtolicus autem nullo modo petitionibus eorum

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *Deinde reverſi uſque ad Carbonarium foris civitatem, ubi ſtagnum luteum, putridumque inerat, Ducis ipſius ſuffocaverunt cadaver*] Extra urbes ſub ipſis muris ad excipiendas ſordes omnes de more cœnoſa iſta, & fœtida ſtagna tunc deputabantur. Loci quid tale deſcripſit Joannes Boc- A cacius in Fabella de Magiſtro *Symeone* iis verbis: *Erano allhora per quella contrada foſſe, nelle quali i lavoratori di que' campi facevan votar la Conteſſa a Civillari, per ingraſſare i campi loro.* Et fortaſſe locus pridem ſub muro urbis *Neapolis*, qui etiamnum antiquo nomine appellatur *Carbonaria*, eidem uſui fuit; ſed multo quidem ante *Franciſci Petrarchæ* ætatem, qui Gladiatorum munus ſe ſpectante ibi exhibitum ait lib. 5. Famil. epiſt. 6.

eorum consentire voluit; dicebat quidem sic Domino placuisse, quod per ejus captionem pax hujusmodi facta fuisset. Cumque ut supra dictum est, præfatus Rex *Civitatem* obsedisset *Barensem*, *Innocentius* Papa, cum intra Civitatem esset *Beneventanam*, Episcopum *Ostiensem* virum valde venerabilem ad *Civitatem Barensem* delegavit, populum Civitatis monendo, ut ad Regis fidelitatem colla submittant, & ejus voluntati famulentur. Populus autem *Barensis*, ut erat superbi animi, & elationi suppositus, Episcopum illum, ut Civitatem ingrederetur nullatenus est passus, dictis quoque ejus nullo modo credere pertentavit. Quid multa? Episcopus ille revertens, *Barensis* populi ferociam, & elationem Domino intimabat Apostolico; inde, ut dictum est, Dominus Papa *Romam* reversus est. Rex igitur *Rogerius* populi illius *Barensis* aspiciens superbiam, consilio habito, machinas lignorum & turres triginta fere ordinari præcepit, ut Civitatis muros, & munitiones prosternat; quibus peractis prope Civitatis murum machinas illas appropinquari virtute multa mandavit, & continuo turres, & muri Civitatis prostrati frangebantur; palatia etiam Civitatis, quæ prope Civitatis murum intrinsecus erant fracta, ruebant; sicque duorum mensium spatio *Augusti* videlicet, & *Septembris* ruinam illam & timorem passi sunt, famis etiam asperitatem, & sitis sustinentes, panem unum sex romesinis emebant, carnem, ut audivimus, equorum comedebant. Novissime autem tum pro fame, tum pro populi seditione, quæ inter eos orta erat, quosdam civium cum *Rogerio* de *Surrento*, Princeps Civitatis, *Jaquintus* nomine, ad præfatum Regem mandavit, addens in mandatis, qui Civitatem animo libenti ei redderet, dummodo securi circa eum, pace accepta, consistant; & Rex captivos Civitatis, quos habebat, eis reddat, similiter homines Regis, quos Civitas habebat, dimittat. Nec mora, pactio talis, & ordinatio & Regi placuit, & Civitati, sicque Civitatis populus, pace accepta, acquievit, &, sacramentis datis, pax constituta apparuit. His ita peractis, en adest miles quidam, cui præfatus Civitatis Princeps oculum evelli præcepit, pedibus Regis prostratus oravit, ut justitiam sibi de Principe *Barensi* faciat, qui lumen oculorum sibi evulsit. Rex itaque continuo furore accensus, & ultra quam credi potest, admirans cursu rapido vocari fecit Judices *Trojanorum*, *Tranensium*, & *Barensium*, ut de pacto judicarent, quod Rex cum Civitate *Barensi* posuerat, videlicet, ut ex utraque captivi, sani, & incolumes redderentur. Quid plura? a Judicibus *Barensibus* judicatum est, ut Princeps ille *Jaquintus* Civitatis, qui ei oculum jussit evelli, & ejus Consiliarii in potestate essent Regis. Confestim Princeps ille, & Consiliarii ejus *Gvaiferius* quidam, & *Abiut*, cæterique eorum consocii ante Regem confessi sunt, jussu, & consilio eorum lumen oculorum militi prædicto evelli fecisse. Nec mora; Principem illum, & prædictos viros, aliosque decem laqueo fecit suspendi præfatus Rex, & decem alios oculis, & membris truncari, civesque alios prudentes ligari, & vinculis teneri, eorumque bona auferri, sicque de Civitate illa *Barensi* inauditam fecit ultionem. Timor itaque, & tremor tantus Civitatem illam invasit, quod nemo virorum, & mulierum per plateas, & vicos incedere palam audebat. Lacrymis quidem, & suspiriis Salvatoris misericordiam invocabant, ut eorum afflictioni subvenire dignaretur. His ita gestis, consilio accepto, Rex ipse exercitum dividens *Salernum* adivit quinto die stante mensis *Octobris*, ibique de negotiis suis, & actibus tractavit. Octo retro diebus intrantibus mensis *Octobris* Civitas illa *Barensis* sic afflicta, & exagitata est. Cumque *Salernum* Rex ipse advenisset, inimicis suis terras omnes eorum abstulit, & sacramento eos perstrinxit, ut ultra montes festinarent: quod & factum est. Comitem vero *Rogerium* de *Ariano* ejus adversarium simul cum uxore sua navigio parato in partes *Siciliæ* captivum mandavit, sicque vindictam perficiens super inimicis, quinto die intrante mensis *Novembris* navigio armato *Panormum* transfretavit.*

Hoc anno XI. Kalend. *Februarii* primo pullorum cantu terremotus magnus factus est, ita quod domos corruere putabamus: cumque, ut prædiximus Papa *Innocentius* Civitatem *Beneventanam* recuperaret, *Guidonem* Diaconum *Romanæ* Sedis virum valde discretum, & moribus ornatum Rectorem Civitatis *Beneventanæ* ordinavit. Qui Rector usque ad Kalendas *Martii* in Civitate permansit. Deinde Apostolicus alium misit Rectorem *Joannem* nomine, consanguineum suum, Subdiaconum, & *Guido* ille *Romam* repedavit.

Anno 1140. & undecimo anno Pontificatus prædicti Domini *Innocentii* mense *Martio* tertiæ Indictionis. Hoc anno prædictus Rex *Rogerius Amphusum* filium suum Principem *Capuanorum* magno cum exercitu militum, & peditum trans Civitatem *Piscariam* misit, ut Provinciam illam suæ subjugaret potestati; qui vero Princeps exercitu illo accepto sicut Rex pater ejus jusserat, labore multo peregit, & *Piscariam* transiens castella copiosa ibi contigua, & vicos comprehendit, & spolia illorum prædatus est, & quædam eorum igne consumpsit. Diebus autem non multis interjectis præfatus Rex *Rogerium* Ducem filium suum mille cum militibus, & peditum manu copiosa in auxilium præfati Principis delegavit. Dux itaque cum Principe fratre suo simul alligati Provinciam illam prope *Romanos* fines adjacentem timore multo ad eorum Imperium

submiserunt, unde prædictus Apostolicus *Innocentius* turbatus, consilio accepto *Romanorum*, ad eos per Cardinales direxit, ne aliena invaderent, & *Romanis* fines non usurparent, qui Apostolico rescribentes responderunt, non aliena petere, sed solummodo terras ad Principatum pertinentes velle redintegrare [1].

Dum hæc, & alia geruntur, nominatus Rex medio mense *Julio*, navigiis paratis *Salernum* venit, ut filiorum Ducis, & Principis facta, quos, ut supra dixi, cum exercitibus miserat, agnosceret; insuper cum Domino Apostolico *Innocentio* alloqui, & simul esse excogitabat. Continuo Rex ille, consilio habito, *Salernum* exivit, & ducentis militibus aggregatis prope Civitatem venit *Beneventanam*, & cum *Joanne* Subdiacono *Romanæ* Sedis tunc *Beneventano* Rectore, & aliis *Beneventanis* de pace, & Civitatis utilitatibus, & Domini Apostolici fidelitate tenenda satis, abundeque locutus est, & inde procedens *Capuam* ingressus est, ibique diebus non multis commorans de quibusdam suis negotiis tractavit, deinde apud *Sanctum Germanum* festinavit. Illico habito consilio Legatos Duci, & Principi filiis suis mandavit, ut ad eum reverterentur; audierat enim Rex ipse, Apostolicum *Innocentium* de Provinciæ illius invasione valde turbatum esse, & contristatum. Dux autem, & Princeps nunciis acceptis ad Patrem eorum reversi sunt, universa vero Oppida, quæ comprehenderant, necessariis omnibus muniverunt. Et his actis Nuncios Rex ipse præfato Apostolico delegavit, suppliciter impetrando, ut si fieri posset cum illo alloqui, & de multis, variisque negotiis terminare desideraret. Apostolicus autem consilio habito, tum pro temporis tempestate, tum pro aliis negotiis instantibus eum alloqui non posse rescripsit. Rex igitur aggregato exercitu *Capuam* repedavit, & ibi aliquantisper castrametatus exercitum omnem dimisit, licentiam ad propria remeandi unicuique præbens. Ipse vero Rex quingentis acceptis militibus *Piscariam* tetendit, quam supra diximus filios suos comprehendisse. Inde procedens totam illam regionem a prædictis filiis ejus obtentam circuivit, & eis omnibus studiose perscrutatis, *Arianum* Civitatem advenit, ibique de innumeris suis actibus Curia Procerum, & Episcoporum ordinata tractavit. Inter cætera etenim suarum dispositionum, edictum terribile induxit, totius *Italiæ* partibus abhorrendum, & morte proximum, & egestati, scilicet, ut nemo in toto ejus Regno viventium *Romesinas* accipiat, vel in mercatibus distribuat, & mortali consilio accepto monetam suam introduxit, unam vero, cui *ducatus* nomen imposuit, octo Romesinas valentem, quæ magis, magisque ærea, quam argentea probata tenebatur. Induxit etiam tres *follares* æreos Romesinam unam appretiatos, de quibus horribilibus monetis totus *Italicus* populus paupertati, & miseriæ positus est, & oppressus, & de Regis illius actibus mortiferis, mortem ejus, & depositionem Regni optabat. Quibus ita mortalibus edictis, & monetis inductis, Rex ipse militibus suis congregatis *Neapolim* tetendit. Archiepiscopus itaque *Neapolitanus*, *Marinus* nomine, Clerum omnem Civitatis congregari præcepit; simul & Cives, & adventum Regis eis annuncians hortatur, ut honeste, & lætitia multa eum suscipiant. Cives igitur simul cum militibus Civitatis foris *Portam Capuanam* exierunt in campum, quem *Neapolim* dicunt [2], & Regem ipsum honore, & diligentia multa, ultra quam credi potest, amplexati sunt, & sic usque ad prædictam *Portam Capuanam* perductus est. Continuo Presbyteri, & Civitatis Clerus ad eandem Portam obviam exivit, & eum Hymnis, & Laudibus ad astra levatis Civitatem introduxerunt. Quatuor illico viri nobiles habenas equi, & pedes Regis ipsius tenentes, alii quatuor usque ad Episcopium Civitatis Regem illum introduxerunt. Frequentiam vero populi per plateam incedentis, & mulieres viduas, conjugatas, & virgines per fenestras existentes, Lector, si aspiceres, miratus affirmares, Imperatorem, aut Regem alium, sive Principem tali sub honore, & gaudio nunquam Civitatem *Neapolim* ingressum fuisse. Quid multa? Rex ipse tali, & tanto honore ditatus ad Episcopium descendit, & in Camera Archiepiscopi hospitatur, die vero altera adveniente, totam intrinsecus Civitatem, & foris Rex ipse equitavit, & palatia, & ædificia circumspexit. Inde navigio parato ad *Castellum Sancti Salvatoris* Civitati proximum ascendit, & Civibus *Neapolitanis* ibi vocatis, negotia quædam cum illis de libertate Civitatis, & utilitate tractavit [3]. Donavit insuper unicuique militi quinque modia

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

[1] *Sed solummodo terras ad Principatum pertinentes velle redintegrare*] Ad *Capuæ*ne Principatum Provincia trans civitatem *Piscariam* pertinebat? De hoc alibi viderimus.

[2] *An.* 1140. &c. *Exierunt in campum, quem* Neapolim *dicunt.*] Hunc etiam campum demonstrabat Ignotus *Cassin.* Num. 28. & *Joannes Diac.* A de Episc. *Neapol.* in S. *Athanasio.* Sed cur ipse præcipue dictus fuerit *de Neapoli*, sive *Neapolis*, hoc operæ erat pretium, ut literati *Neapolitani* viri, omnigenæque antiquitatis periti intactum non præterirent.

[3] *Civibus* Neapolitanis *ibi vocatis, negotia quædam cum illis de libertate civitatis, & utilitate tractavit.*] De *Neapolitanæ* civitatis immunitate Rex cum ejus civibus tractavit, quam *Falco* consueto tunc vocabulo appellat *libertatem.* Sicut ad

modia terræ, & quinque villanos [1], & promiſit eis, vita comite, munera multa, & poſſeſſiones largiturum. Interea noctis ſilentio præfatus Rex totam Civitatem *Neapolim* extrinſecus metiri fecit, cognoſcere volens, quantæ eſſet circumquaque latitudinis; invenit itaque ſtudioſe metiendo in gyrum paſſus duo millia tercentum, & ſexaginta tres. Et paſſibus illis ita inventis, dum populus Civitatis aggregatus eſſet, in ejus conſpectu quaſi dilectionis affectu, eos interrogare cæpit, utrum ſcirent, quot paſſus Civitas illorum per circuitum habuiſſet, qui, ultra quam credi poteſt admirantes, ſe neſcire profitentur. Rex autem ſicut ſtudioſe invenerat, menſuram paſſuum, quos Civitas eorum tenebat, patefecit. Unde populus omnis Regem ipſum ſapientiorem aliis anteceſſoribus, & ſtudioſiorem prædicabat, & quod nunquam factum fuerat, ſuper Civitatis menſura mirabantur, quomodo Rex ille fieri contractaſſet. Et his omnibus ita peractis ipſe *Salernum* properavit, & ibi diebus non multis moratus, quarto die intrante menſis *Octobris* navigio parato mare ingreſſus eſt, deinde *Panormum* feſtinavit. Dux vero filius ejus in *Apuliæ* partibus remanſit, & Princeps alter ejus filius apud Civitatem *Capuam* manſitavit. Cumque ut prædiximus, prædictus Rex *Rogerius* monetas illas ſuperius dictas introduceret, Domino *Joanni* Subdiacono Sanctæ *Romanæ* Sedis *Beneventano* Rectori, & Civibus *Beneventanis* delegavit, ut monetas illas infra Civitatem ſuſcipiat; quod prædictus Rector audiens mirabiliter contriſtatur. Ajebat quidem Rector ipſe, quoniam ſine Domini Papæ licentia monetas illas recipere non poſſet, præcipue cum ad totius *Italiæ* mortem monetarum illarum introductio ſpectaret. Tandem communicato conſilio Rector præfatus prædicto Pontifici Regis edicta mandavit, ut quid ſuper his negotiis eſſet agendum mittere dignaretur. Pontifex itaque *Innocentius* his auditis, ultra quam credi poteſt, condoluit, & ſuper Regis *Rogerii* execrandis actibus mirabatur.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

ad an. 1132. *Precatur inſuper*, inquit, *ut libertatem poſſeſſionum* Beneventanorum, *quam Imperator* Lotharius *conceſſerat Populo* Beneventano *ipſe Rex* Rogerius *largiretur*. Quam ſane immunitatem *Siculi* eripi ſibi timebant apud Falcandum. *Non difficile*, inquit, *perſuaſerant, Cancellarium, ſi diu perſeveraverit in eo culmine poteſtatis, univerſis populis* Siciliæ *libertatem, quam hactenus habuerant, ſublaturum*. Et infra. *Ut univerſi populi* Siciliæ *redditus annuos, & exactiones ſolvere cogerentur, juxta* Galliæ *conſuetudinem, quæ cives liberos non haberet*. Nec diverſæ rationis libertate, & immunitate *Neapolitani* prædicti, ea participes fecerunt negociatores Ducatus *Amalfitani*, degentes *Neapoli*; de quo in Privilegio apud *Latinam* Hiſtoriam Neapolitanam lib. 1. cap. 12. ſic legitur. *Ut ſicut iſta civitas* Neapolis *privilegio libertatis præfulget, ita & vos negociatores, campſores, ſive apothecarii in perpetuum gaudeatis*. Sed quanam? pergit Privilegium. *Ut nulla condicio* (ſcribo *condictio*) *de perſonis, vel rebus veſtris; ſive hæredum, & ſucceſſorum veſtrorum negotiatorum in* Neapoli *habitantium requiratur; ſicut non requiritur de civibus* Neapolitanis. Haud igitur eo in Privilegio, ut cenſuit ejuſdem Hiſtoriæ Auctor, *libertas* Neapolitana *præponitur, quæ ab ædificationis primordiis ſecum vixit*. quippe illam libertatem intellexiſſe videtur, qua municipia communiter omnia, fœderatæque civitates, ac perinde ipſi *Neapolitani* olim cum fruerentur, a quibus *ſtipendium, & naves*, ut eſt apud Livium lib. 35. Romani *ex fœdere exigebant*, Magiſtratus ſibi creabant; nec ſatis exploratum habetur, an ei ceſſerint, quando in anno Urbis conditæ 663, ante *Chriſtum* natum fere 90, Sociali bello univerſa pæne *Italia* in *Romanos* quia conſpiravit, *lege* Julia *civitas eſt ſociis, &* Latinis *data; in quo magna contentio* Heraclienſium, *&* Neapolitanotum *fuit*, teſte Cicerone pro *Balbo*; *cum magna pars in iis civitatibus juris ſui libertatem civitati anteferrent*. Sed ſane ei tandem renunciarunt, ut indicio eſt idem Cicero cont. *Rull.* 2; qui enumeratis Coloniis & Municipiis *Campaniæ*, quæ *Rullus*

A ſuis colonis occupare deſtinaverat, haud *Neapolim*, ſed *Puteolos* in ſua poteſtate tunc fuiſſe perhibet. Calenum, inquit, *municipium complebunt*. Teanum *opprimunt*. Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam *ſuis præſidiis devincient*. Puteolos *vero*, *qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure, libertateque utuntur, totos novo populo, atque adventitiis copiis occupabunt*. Porro dein & ipſum *vetus oppidum* Puteoli, ut ait Tacitus Annal. lib. 14. *jus Coloniæ, & cognomentum a* Nerone *adipiſcuntur*, cum ſcilicet primitivæ coloniæ illuc deductæ, de qua *Livius* lib. 34. & *Vellejus* noſter lib. 1, jam exoleviſſent jura; recentiſque de qua *Frontinus* in
B Catal. Coloniarum, abolita fuiſſent. Sed eidem *Tacito* lib. 3. Hiſt. adhuc inter municipia collocari judico *Puteolos*; qui ait, ab *Claudiis*, *Faventino*, & *Apollinari*, & ab *Apinio Tirone Municipia, Coloniaſque impulſas, præcipuo* Puteolanorum *in* Veſpaſianum *ſtudio, contra Capua* Vitellio *fida* (erat hæc certe Colonia) *municipalem æmulationem bellis civilibus miſcuiſſe*: quippe jus coloniæ adeptos fuiſſe, non coloniam miſſam prædixerat. Sic *Pompejus*, ut tradit *Aſconius Pædian.* ad Orat. in *Piſon. Tranſpadanas* Colonias deducens, *non novis colonis eas conſtituit; ſed veteribus incolis manentibus, jus dedit* Latii, *ut poſ-*
C *ſent habere jus, quod cæteræ* Latinæ *Coloniæ: id eſt, ut petendi magiſtratus gratia civitatem* Romanam *adipiſcerentur*. Qualem etiam coloniam fuiſſe *Neapolim*, valde ſuſpicor, quæ patrios *Græcanicos* ritus nunquam dimiſit. Hæc autem civitas, *quæ, mirabile dictu, poſt* Romanum *Imperium*, ut cum *Alexandro Teleſ.* dicam lib. 2. cap. 12. & 66. cujus ſententiam rigide nunc non examino, *vix unquam a quoquam ſubdita fuit, nunc vero* Rogerio, *ſolo verbo præmiſſo, ſubmittitur*. *Græcis* namque Impp. non armis domita. ſed ex antiquiſſima ſubjectione: ut reliqua multo etiam tempore *Italia*: longo annorum curriculo obedi-
D verat; de quo dicam lib. 2. Hiſt. *Langob.*

[1] *Donavit inſuper unicuique Militi quinque modia terræ, & quinque villanos*] *Unicuique Militi*, inquit, non *Comiti*, non *Magnati*, in feudum dedit exiguum terræ modum cum glebæ adſcriptis colonis; ut præſtito ſibi perinde ab iis fidelitatis ju-

tur. Confestim *Beneventanis* mandavit literas suas ita continentes: *Facta Regis, & monetarum suarum inventiones, & a vobis accepimus, & ab aliis nobis in veritate referentibus; unde mandamus, ut non terreamini; neque jam mentes vestras moveatis, quoniam transitura sunt, & cito possunt emendari. Nos autem circa utilitates vestras quotidie invigilamus.* Literis talibus acceptis, & lectis, gratiarum egimus actiones, & aliquantulum roborati respiravimus; & his actis præfatus Pontifex *Innocentius* ad Regem transmisit *Rogerium* significando, qualiter totus populus *Italiæ*, & extra de introductione monetarum istarum doluisset, & quomodo ad famis afflictionem devenisset. . . . .

Hactenus Codex *Benevent.* papyraceus.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

juramento, urbem in officio strictori velut nexu devinctam detineret. Alexandrum Telef. lib. 2. cap. 37. huc advoco, ubi de eodem Rege: *Eo quod*, inquit, *supradictorum adversum se Principum* (lego. *Procerum.* ut monui supra) *compererat cum perjurio factam conspirationem, tanta quidem contra eos rapitur indignatione, tantoque mentis erupit furore, ut non Comiti, non Magnati, non etiam cuilibet Militi, qui ita perjurantes, in eum colla erexerant, penitus parceret.* Sed attende temporum vices. *Rullus* olim, ut *Cicero* perhibet de lege Agrar. 2. quinque millia colonorum *Capuam* scribi, quos e rusticis Tribubus sortiri decreverat, & in singulos tum dena, tum duodena jugera dispertiri jusserat,

A hoc est nostros terræ modios plus minus octo. Porro Fazellus Poster. Decad. lib. 7. non contentus res plures, tempora, & personas perperam immiscuisse, hoc etiam addit; quod postquam inter *Innocentium*, & *Rogerium* convenit, ipse *Rex* Neapolim *ingreditur, magno tum suorum, tum civium applausu; quo die centum quinquaginta milites instituit, duosque menses ibidem festos egit.* Noster sane nil habet tale, quem pro hoc dicto ab viris parum cordatis (tales enim nuperrimo experimento contra spem se prodiderunt meam) citari video. Et præterea ipse Falco diserte declarat, hoc anno, Rogerium *medio mense* Julio Salernum *e*
B Sicilia *venisse, & quarto die intrante mensis* Octobris *mare ingressum*, Panormum *festinasse*; variis interim negotiis, itineribusque distentum.

FINIS CHRONICI FALCONIS BENEVENTANI UT ET NOTARUM ET CASTIGATIONUM EJUSDEM.

INDICIUM CAMILLI PEREGRINII.

Chronicon nunc adjiciam Anonymi Barensis, *superius promissum; quod nuper in exitu anteacti Autumni, cum* Salernum *me contulissem, ut ejus urbis Archiva lustrarem, antiquæ vir nobilitatis, sed & excellenti judicio, nec minori eruditione præditus* Pyrrhus Aloysius Castellomata *ex vetusto in membranis exarato exemplari, ut exscriberem, atque Typis inde committerem, libentissime assensus est.*

IGNOTI CIVIS BARENSIS [1]

Sive

LUPI PROTOSPATÆ CHRONICON

AB ANONYMO AUCTORE BARENSI

qua auctum, qua decurtatum

Primum prodiit e membranaceo *Salernitano* Codice V. C. *Pyrrhi Aloysii Castellomata.*

Additi asterisci denotant castigata ea loca in Lupo.

A Transitu Sancti *Gregorii* usque nunc an. CCLII. Anni Domini nostri *Iesu Christi* DCCCLV. Ind. III.

Anno D. DCCCLX. Ind. VIII. Comprehensa est ab Imperatore *Vari.*

DCCCLXI.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] Præstat nunc quoque, levi saltem manu,

A præsens Ignoti *Barensis* Chronicon percurrere, & adnotare: quantum scilicet sit satis ad Auctoris ejus fidem, & diligentiam declarandam. Qui cæteroquin *Latini* sermonis haud iis peritior, qui

per

[1] DCCCLXI. Ind. VIIII. Mortuus est *Michayl.* Imp. Et surrexit *Basilius* * *Parakimumeno* ejus. regnavit an. XXI.

DCCCLXVII. Ind. XV. Incensa est *Materia* a *Lodyco* Imp. Intravit in civitatem *Orie* idem Imp.

DCCCLXVIII. Ind. I. Exierunt *Sarraceni* de *Vari* per *Francos.*

DCCCLXXV. Ind. VIII. Intravit in *Bari* * Bajulo Stratigo.

DCCCLXXX. Ind. XIII. Exierunt *Sarraceni* de *Taranto.*

DCCCLXXXV. Ind. III. Mortuus est *Basilius* Imp. Et regnavit *Leo*, & *Alexander* filius ejus an. XXVI.

DCCCXCI. Ind. VIIII. Intraverunt *Græci Benevento.*

DCCCXCIIII. Ind. XII. Exierunt *Greci* de *Benevento* per *Francos.* *

An. Dom. DCCCCXII. Ind. XV. * Ab obitu Sancti *Martini* usque nunc ann. D.

[2] DCCCCXIII. Ind. I. * Coronatus est *Constantinus* filius jam dicti *Leonis*; qui regnavit an. XLVII.

[3] DCCCCXVI. Ind. IIII. Exierunt, volente Deo, *Agareni* de *Gareliano.* * Et sunt an. CCCL, quo intraverunt *Langobardi* in *Italiam.*

DCCCCXX. Ind. VIII. Intraverunt *Ungri* in *Italia.*

DCCCCXXIIII. Ind. XII. Capta est *Grie* a *Saraceni.*

DCCCCXXVI. Ind. XIIII. * Comprehendit *Michayl Clavos Sipontus.*

DCCCCXXVII. Ind. XV. Capta est *Tarantus* a *Saracenis* in mensis *Augustus.* *

DCCCCXXXVI. Ind. VIIII. Venerunt *Ungri* in *Capua.*

DCCCCXLVII. Ind. V. Jecerunt *Ungri* usque *Otrantus.*

DCCCCLII. Ind. X. Obiit *Petrus* Episcopus, & electus est *Johannes.*

DCCCCLVI. Ind. XIIII. Incensi sunt *Marancius Scelsula.* *

[4] DCCCCLX. Ind. III. Obiit *Constantinus* Imp. ann. qui reg. XLVII. Ex surrexit Imp. *Romano* filius ejus.

DCCCCLXIII. Ind. VI. Obiit *Romano* Imp. Et reg. *Nikyforo* an. VII.

[5] DCCCCLXX. Ind. XIII. Interfectus est *Nikiforo* a *Simiski.* & reg. *Simiski* Imp. an. IIII. DCCCCLXXVI.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

per ea tempora in Foro versabantur; quique Tabellionum munere fungebantur, civem se *Barensem* esse clare prodit ad an. 1064. & 1087. (vide etiam Notas ad an. 1088.) rebusque postremis in annis ejusdem Chronici descriptis æqualem. *Græcissat* etiam quandoque, sed ex patrio nimirum more; sicuti de *Lupo* est pariter dictum. At ignavissimus præterea librarius suis ineptiis Chronicon metipsum in Codice, e quo est a me exceptum, fœdius conspurcavit: quæ patentes sunt adeo, atque crassæ, ut peculiari admonitione, paucis detractis, certe non egeant.

[1] *An.* 861. *Ind.* 9.] Quod primum occurrit, & in *Lupo* quoque insidet, prætereundem non est haud leve tum Auctoris, tum Librarii sphalma. Nam *Basilius* in filium adoptatus, & Imperator creatus est a *Michaele* in an. 866. die Pentecostes, 26. *Maji*, Indict. 14. idemque *Michael* peremptus in an. 867. die 24. *Septemb.* Indict. 1. sed Auctor utraque in unum cum retulisset annum DCCCLXVI. & in Indictionem XIIII. ignavus postea Librarius male confusa tempora reddidit sua oscitantia inconvenientiora: notam nimirum X. in describenda Indictione mutans in V. hancque eandem notam in anno omnino omittens. Qui nec majori diligentia obitum deinde *Basilii* descripsit ad an. 885. & Indict. 3. Vide hic ad finem.

[2] *An.* 913. *Ind.* 1.] De anno coronationis *Constantini* vide infra ad an. 960. & Notas ad finem.

[3] *An.* 916. *Ind.* 4.] Noster, & *Lupus* quoque, quoniam annos ducunt ab Kal. *Septembris*, ut postea aperietur, quod ad ipsum *Lupum* non adverti, reputans annos incuria Librarii, sicut pleraque alia, male consignatos: referunt ejectionem *Saracenorum* de *Gariliano* ad an. 916. & ad Indict. 4. quippe quod; ut reor, non in *Augusto*, ut

A tradit *Ostiensis* relatus supra col. 289. sed in subsequente *Septembri* conceperant id contigisse.

[4] *An.* 960. *Ind.* 3.] Noster *Cedrenum* sequutus, qui pag. 500. coronationem *Constantini*, ætate septennis, actam perhibet post patrui *Alexandri*, nedum post patris *Leonis* obitum, eam ad annum retulit 913. sibique nunc constans mortuum illum dicit in 960. cui Imperii annos 47. imputat ibi, hic, & infra ad finem. Sed in anno, inquam, 960. inchoato a *Septembri* communis anni 959. (sic etiam dicendum de coronationis ejus anno 913.) quippe obiit *Constantinus*, ut

B ipse notat, Indict. 3. & ut notat *Cedrenus*, die 9. *Novembris*: scilicet desinente jam dicto communi anno 959. quo plane calculo uti hic noster solet. *Cedrenus* vero pag. 529. & post illum *Zonaras* Tomo 3. ea ratione tradere videntur, *Constantinum* imperasse cum patre, patruo, & matre an. 13. nimirum usque ad 919; quoniam vixisse illum asserunt an. 54. (menses duos addit *Zonaras*) annos scilicet vitæ, & Imperii ejus confundentes.

[5] *An.* 970. *Ind.* 13.] Minime annos IIII; sed annos VI. regnavit *Simiski*, sive *Joannes Tzimisces*; qui occiso *Nicephoro* in anno, & Indictio-

C ne prænotata (ei *Zonaras* dat annos sex cum dimidio) eodem tempore. Imperium inivit, & in anno obiit 976. Indict. 4. ut idem noster habet. *Cedrenus* quidem pag. 545. ab eadem stat sententia, referens *Nicephori* necem ad annum Mundi 6478, diemque 11. *Decembris*, & 13. Indictionem: pag. vero 563. sublimationem *Basilii*, & *Constantini* fratrum, qui regnarunt post *Tzimiscem*, conjiciens in annum Mundi 6484. mensemque *Decembrem* & Indict. 4. At cum ibidem dicat, idemque etiam affirmet *Zonaras*, imperasse *Tzimiscem* an. VI. totidemque menses, & paulo am-

D plius, hæreo an Librariorum id sit imputandum errori. Cæterum apud nostrum more suo jam indicato annus 970. elevationis *Tzimisces*, annusque

DCCCCLXXVI. Ind. IIII. Obiit *Simiski* Imp. Et reg. *Basilius*, & *Constantinus* germani.

DCCCCLXXVIII. Ind. VI. Inchoatum est monasterium Sancti *Benedicti* in *Bari* a Dom. *Hieronimo* Abb. Et obiit *Johannes* Episcopus & *Pan* electus est.

DCCCCLXXXI. Ind. VIIII. Fecit prelium *Otto* Rex cum *Saracenis* in *Calabria*; & mortui fuerunt ibi XL millia *Saraceni* cum Rege eorum.

DCCCCLXXXVII. Ind. XV. Occisus est *Sergius* Protospata a *Barensibus*. Et *Adralistus*, an. ipso interfectus est a *Nicolao Calabriti* *

DCCCCLXXXIX. Ind. II. Descendit *Johannes* Patricius, qui & *Ammiropolo*; & interfecit *Leonem Icannato*, & *Nicolao Criti*, & *Porfirium*.

DCCCCLXXXX. Ind. III. Descendit *Tubali*. Et interfectus est *Petrus* Excubitus.

DCCCCLXXXXI. Ind. IIII. Fecit bellum *Atto* Comes cum *Saracenis* in *Tarantum*; & ibi interfectus est cum multis *Barensis*.

DCCCCLXXXXIII. Ind. VI. Defunctus est *Pau* Archiepiscopus, & *Chrisostomus* electus est.

DCCCCLXXXXIIII Ind. VII. * Obsessa est *Materies* a *Saraceni*; & in quattuor menses comprehensa est.

DCCCCLXXXXVII. Ind. X. * Occisus est *Macro Theodoro* Excubitus a *Maraldo*, & *Petro* germani in *Orie*.

[1] DCCCCLXXXXVIIII. Ind. XII * Descendit *Trachamoti*, qui & *Gregorius* Catapanus. Et obsedit *Gravina*, & comprehendit *Theofilacto*.

Mill. an. ab Incarnatione Domini Ind. XIII. Hoc anno *Trachamoti* comprehendit *Maracdo*.

Mill. I. Ind. XIIII.

Mill. II. Ind. XV * Hoc anno descendit *Fasi* Apostata mense *Magio*, & obsedit *Bari* usque in Sancti *Luce* Apostoli, & liberata est per Sancta *Maria*, & *Petro* Dux *Veneticorum*.

Mill. III. Ind. I.

Mill. IIII. Ind. II.

Mill. V. Ind. III.

Mill. VI. Ind. IIII. * Descendit *Xifea* Catepano; & *Chanioti* perrexit.

Mill. VII. Ind. V. Obiit *Xifea* in *Bari*.

Mill. VIII. Ind. VI. Descendit *Curcua*.

Mill. VIIII. Ind. VII.

[2] Mill. X. Ind. VIII. Obiit *Curcua*. Et descendit *Basilius Mesardoniti*. Et *Sellittus*, & aliis homines incensi sunt ab ipsi *Tranisi* in una Turre.

Mill. XII. Ind. VIIII. *Mesardoniti* laboravit Castello *Domnico*.

Mill. XII. Ind. X. Obiit *Hieronimus* Abbate Sancti *Benedicti Barense*, mense *Octub*.

Mill. XIII. Ind. XI.

Mill. XIIII. Ind. XII.

Mill. XV. Ind. XIII. Obiit *Samuil* Rex. Reg. post filius ejus.

Mill. XVI. Ind. XIIII. Obsederunt *Saraceni Salerno* per mare, & terra.

[3] Mill. XVII. Ind. XV. Descendit *Adroniky* Catapanus & fecit prælium cum *Mel*, & vicit *Mel*.

Mill. XVIII. Ind. I. * Descendit *Basilius Bugiano* Catapanus & *Abalanti* Patricio. Et factum prelium in *Trane* mortuus est. . . . . . *Johannacium* Protosp. & *Romoalt* captus est *Constantinopoli*.

[4] Mill. XIX. Ind. II. Fecit prelium *Bugiano* Catapanus cum *Franci* in *Canni*, & vicit. *Mel* fugiit, & ibit ad *Enrico* Imp.

[1] Mill.

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

976. depositionis ejus numeratus est ab antecedente *Septembri*, quod ex mensibus, & Indictionibus, quibus ea contigisse dicuntur, demonstratur.

[1] *An.* 999. *Ind.* 12.] Nomen *Trachamoti* incorruptum in *Lupo* probat nunc noster; sed ex hujus nihilominus collatione complura in illo vocabula, quin & annos perplures depravatos haberi aperitur.

[2] *An.* 1010. *Ind.* 8.] *Basilius Mesardonites*, non *Basilius* cum *Macedonibus*, ut perperam præfert *Lupi* textus descendit: hoc est advenit; qui ab eodem *Lupo* asseritur obiisse *Butunti* in 1017.

[3] *An.* 1017. *Ind.* 15.] *Melus Barensis* civis *Langobardos*, hoc est suos *Apulos* sic *Græcis* nuncupatos, ut alibi dixi, ad deficiendum a *Romanis*, videlicet *Græcis* absolutum nomen *Romanorum* u-

A surpantibus, cum solicitasset ex causa *Ostiensi* exposita l. 2. c. 37: illustri etiam eos prælio vicit Indict. 9. (anno nimirum 1012.) ut perhibet *Cedrenus* pag. 582. & 583. qui *Græcorum* Duces, tunc profligatos, appellat, alterum *Basilium Argyrum*, alterum *Contoleonem*; quocirca minime capiendus ille erit de conflictu ad præsentem annum a nostro relato: vel ob id præcipue, quod eapse Indictione 9. hyemem asserit fuisse gravissimam, quæ a *Lupo* conjicitur in an. 1009. quando, juxta ejusdem Auctoris sententiam, incepta est rebellio mense *Maji*. Uter igitur tempora rectius consignarit, inquirendum. *Ostiensis* præ-

B terea loco jam dicto prodit, *Melum*, & ejus *Barenses* haud tunc *Græcis* prævaluisse; sed fortasse post susceptam ab *Melo* victoriam, descriptam *Cedreno*, victus ipse est hoc anno 1017; quod noster ambiguo, sed *Lupus* aperto magis exposuit sermone ad annum denotatum.

[4] *An.* 1919. *Ind.* 2.] Communi *Francorum* vocabulo

[1] Mill. xx. Ind. III. Mortuus est *Mel* Dux. Et descendit *Raica.*
Mill. xxI. Ind. IIII. *Dattus* captus est. intravit in *Bari* in Asiano super.
Mill. xxII. Ind. v.
Mill. xxIII. Ind. vI. *Rayca* comprehensit *Palajano.* Et fabricata est *Mutule.*
Mill. xxIIII. Ind. vII. Barchavit *Bugiano* in *Corbatia* cum *Barenses*, & comprehendit ipsam *Patricissa* uxor *Cosmizi*, & adduxit illam in *Bari*; misitque eam cum filio suo in *Constantinopoli.*
[2] Mill. xxv. Ind. vIII. Descendit *Oresti Kytoniti* cum exercitu, ut iret *Sicilia.* Et mortuus est *Johannes* Episcopus in mense *Junii.* Et elevatus est *Bisantius* Archiepiscopus. Et *Bugiano* cum *Barenses* barcavit *Messinum.*
Mill. xxvI. Ind. vIIII. Obiit *Basilius* Imp. Et reg. *Constantinus* frater ejus.
Mill. xxvII. Ind. x. Factus est Sanctus *Nicolaus de monte* mense *Septembr.*
Mill. xxvIII. Ind. xI. Venit *Andronicus* proxim.
[3] Mill. xxvIIII. Ind. xII. *Ebstasius.* . . . . thi adduxit Catepanatum *Christoforo. Oresti* vero, & *Bugiano* barcaverunt. Et obiit *Constantinus* Imp. Surrexit *Romano* gener ejus. Et incensi sunt duo *Hebrei*, pro quo fregerunt onorandam Crucem. Et venit *Patho* Catapanus & preliavit cum *Rayca* in *Bari.* Et mortuus est *Johannes* Monopolitano. *Argiro* senex venit de ipso exilio cum sua familia.
[4] Mill. xxx. Ind. xIII. * Mortuus est *Guaimarius* Princeps *Salarnetano.*
Mill. xxxI. Ind. xIIII. Compreh. est *Cassanum* a *Saraceni.* Et *Potho* Catapanus cecidit ab eis.
[5] Mill. xxxII. Ind. xv. Descendit *Michail* Protospata eriti tu Bilu, *Ke tu Ypodromu.* Et adduxit *Anatoliki* epi tu *y Kyacon* Catapan.
Mill. xxxIII. Ind. I. * Venit *Constant.* Protospata, qui *Opo* vocatur, Catapanus.
[6] Mill. xxxIIII. Ind. II. Obiit *Romano* Imp. Et surrexit *Michail.* Et *Bisantius* Archiepiscopus dirupavit Episcopum *Barinum*, & cepit laborare. Et *Argiro Barensis* obiit in *Constantinop.* idem *Argiro* veterano.
Mill. xxxv. Ind. III. Obiit *Bisantius* Archiepiscopus. Et electus est *Romoalt* Protospata. Postmodum missus est cum *Petro* fratre suo *Constantinopoli*; & postea electus est a cuncto populo *Nicolaus*, intronizatus est.
Mill. xxxvI. Ind. IIII. Zalate sunt case *Johannes Ycanato.*
Mill. xxxvII. Ind. v.
Mill. xxxvIII. Ind. vI. * Descendit *Michail* Patricio, & Dux, qui & *Sfondili*; & barcavit cum *Maniaki* in *Sicilia.* Et interfecti sunt in Curte Domnica *Capozzati*, & filius ejus, & *Juda* Proto. & zalavit dom. *Maracdi Trummar.* & de *Adralisto*, & *Leo* consobrino ejus. [1] Mill.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

cabulo *Nortmannos* appellat noster, quos *Melus* duxit adversus *Græcos*, eorundemque armis fultus ter eos vicit (unius tantum, id est prioris pugnæ meminit *Guilielmus Apul.* l. 1.) nempe ad *Arenolam* mense *Majo*, apud Civitatem, & apud *Vaccariciam.* Sed tandem circa Kal. *Octobris* anni insequentis, ut ait idem *Guilielmus*, a *Bugiano* Catapano, qui *Basilius Bugianus* a nostro in anno antecedenti, & a præfato *Guilielmo* ibid: sed *Bojoannes* dicitur a *Cedreno* pag. 623. victus ingenti suorum clade fuit apud *Cannas.* Vide *Ostiensem* l. 2. c. 37.

[1] *An.* 1020. *Ind.* 3.] Obiit *Melus* ultra Montes, regioque more ejus funus curavit Imp. *Henricus. Ostiensis* l. 2. cap. 39. & *Guilielmus Apul.* l. 1.

[2] *An.* 1025. *Ind.* 8.] Imp. *Basilius* in *Siciliam* præmiserat *Orestem*, quem subsequi destinaverat; sed morte præoccupatus nequivit: obiit enim prædicto communi anno 1025, Mense *Decembri*, Indict. 9. qui annus nostro est 1026. jam a *Septembri* inchoatus *Cedrenum* vide pag. 593. *Vixit*, & *regnavit*, inquit Zonaras, *an.* 72. (esto annos vitæ, & regni habuerit pares, utique descriptis fuere pauciores) *solus an.* 50. & *amplius*, *reliquo tempore collega fuit primum patris*, *deinde* Phocæ, & *post illum* Tzimisces.

[3] *An.* 1029. *Ind.* 12.] Nono die *Novembris* Indict. 12. Imp. *Constantinus* subito morbo correptus, triduo post decessit, septuagenario major. *Cedrenus* pag. 596. & *Zonaras.* Obiit itaque sub exitum communis anni 1028. sed juxta calculum nostri Auctoris in an. 1029. jam inchoato, cum regnasset an. 3. minus mense uno. Ex *Cedreno*, & *Zonara.*

[4] *An.* 1030. *Ind.* 13.] Igitur vere depravatus erat *Lupi* textus ad annum 1029. ut ibi monebam; qui obitum *Guaimarii* Pr. *Salerni* eo anno contigisse repræsentabat. Sed plane (antiquæ ni me fallunt Tabulæ) advixit etiam *Guaimarius* usque ad an. 1031: quod fortasse non negat noster; cum non ducat annos a *Januario*, sed a *Septembri*: & præterea inconstanti tenore communem annorum computum sæpius quidem præveniat per menses quatuor; nonnunquam autem etiam prætereat per menses octo, communes annos extendens usque ad *Septembrem.* Vide infra ad an. 1052.

[5] *An.* 1032. *Ind.* 15.] Supplendus, & emaculandus est ex nostro auctore *Lupus* ad hunc annum. Sed & ipse a Typographo leviter hic commaculatus; namque est viri nomen. *Y Kiacon*: non. *y Kiacon*, legendum.

[6] *An.* 1034. *Ind.* 2.] Obiit Romanus *Imp.* ut inquit Cedrenus pag. 605. *die* 15. Aprilis; *Indict.* 2. *quo die Sanctæ Magnæ quintæ Feriæ erat solemnitas, cum imperasset an.* 5. *m.* 6. Porro eo anno, & Indictione nos *Latini* cum celebraverimus Pascha die 14. *Aprilis*; quinta feria magnæ hebdomadæ incidit in diem 11. prædicti mensis: non 15.

[1] Mill. XXXVIIII. Ind. VII. Dirute sunt Domus *Maraldi*, & *Adralisto*. Et descendit * *Niciforo* Catapanus, qui & *Dokino*.

[2] Mill. XL. Ind. VIII. Obiit *Nikiforo* Katap. in civitate *Asculo*. Et ipsi Conterati interfecerunt *Chiros* facti criti, & *Romano* sub *Mutule*, & venerunt in *Bari* cum *Argiro*, & dispersi sunt. *

[3] Mill. XLI. Ind. VIIII. Venit *Michail* Catap; qui & *Dukiano*, a parte *Sicilie*; & pro omicidio, quod fecerunt ipsi Conterati, ibit in *Asculo*, & appendit unum hominem ibi propter homicidium, quod fecerunt. Et venit *Botunte* ipse Catepanus & appendit ibi homines tres, & cecavit quatuor. * Et *Arduino Lanbardo* intravit in *Melfi*, erat Tepoteriti de ipso Catapan. & coadunavit ubicumque potuit *Francos*, & rebellium exegit contra ipsum Catapanum & ceciderunt de ipsis *Grecis*, & adeo ipse Catapanus fugiit in *Bari*.

[4] Mill. XLII. Ind. X. Descendit *Exagusto* Catapanus filius *Bugiano*. Iterum fecit prelium

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

[1] *An.* 1039. *Ind.* 7.] Dixi ad *Lupum* distinguendum *Nicephorum* a *Dulchiano*, sive *Dukiano*; & verum est: nam eos distinguit noster. *Nicephorus* sane dicebatur etiam *Dokinus*: non *Dokianus*, unde in *Lupo* error.

[2] *An.* 1040. *Ind.* 8.] Præsenti, & subsequenti anno dici a nostro videntur *Conterati*, qui erant oppidani *Asculanenses*, quasi ejus oppidi *Conterranei*: Italice. *Terrazzani*, In *Lupo* mendose nuncupantur. *Contracti*. nec de iis quicquam certi ibi statuebam.

[3] *An.* 1041. *Ind.* 9.] *Michaëli Duchiano*, sive *Ducaliano*, vel *Doceano*, commissum bellum *Siculum* ab Imp. *Michaële* 4, qui *Paphlagonus* appellatus, tradit *Guilielmus Apul.* lib. 1. E qua Insula in *Apuliam* illum hoc anno advenisse ait noster. Ostiensis l. 2. c. 67. tacet utrumque, ac tantum perhibet, *transmissum in* Apuliam *ab Imperatore* Ducalianum *Catapanum*, *trucidato jam* Moniaco, *eo quod ad Imperium aspirasset*; qui ea in Insula strenue se gesserat contra *Saracenos*. At *Georgius* hic *Maniaces*, seu *Moniacus*, per summam calumniam, quasi novarum rerum auctor, e subacta a se *Sicilia* captivus tunc *Constantinopolim*, quod perhibet tum *Cedrenus* pag. 613. tum *Zonaras* Tomo 3. perductus fuit; cui successor datus *Michaël Doceanus*, homo ineptus, *Græcorum* res in *Italia* perdidit, easque ad recuperandas præfatus *Maniaces* jam liber rediit, ut constabit ad annum sequentem. Cæterum *Arduinus Lombardus* versa vice falso a Cedreno dicitur *Dominus cujusdam regionis*, *ac nemini subjectus*, namque *aurum non modicum* Moniaco *offerens* (ei inquam, non *Ducaliano*, quæ est *Ostiensis* relato loco quamvis implexo in sermone mens) *Candidati ab illo honore donatus*, *& nonnullis* Apuliæ *civitatibus prælatus est*: atque ut noster ait, *erat* Tepoteriti *de ipso Catapano*: id est consueto tunc Locumtenentis, sive Vicarii Catapani munere in civitatibus ab *Ostiensi* indicatis fungebatur: quo apud *Lupum* ad an. 1018. functus etiam legitur *Ligorius* quidam. Glossæ *Græco-Latinæ*: Τοποτηρητής. *Vicarius*. Idem etiam *Adjutor*, & *Loci Servator* dicebatur. Capitularia Caroli Mag. l. 2. c. 6. *Vosmetipsos coram Deo*, *& hominibus tales exhibeatis* (Comites alloquitur) *ut & nostri veri Adjutores* (S. Paulinus *Nolan.* ep. 39. Adjutores ad civium juvamen nuncupatos refert) *& populi conservatores juste dici*, *& vocari possitis*. Et in Addit. 2. cap. 25. *Sed & hoc obsecramus*, *ut in eligendis Adjutoribus vestris*, *& Reipublicæ ministris*, *qui vice vestra Populum Dei regere*, *& gubernare*, *atque judicare debent*, *solertissimam providentiam adhibeatis*. Leges quoque *Langobardorum* lib. 1. tit. 25. l. 78. *Siquis furem*, *vel latronem ad præsentiam Judicis*,

A *aut Comitis*, *qui in loco præest*, *vel Loci Servatoris*, *qui missus est Comitis* (& propterea ejus Vicarius) *adduxerit*, &c. Clare etiam in Auth. *Justiniani* Collat. 2. tit. 2. Novel. 8. cap. 3. & Collat. 9. tit. 14. Novel. 128. cap. 4. est Servator Loci, qui Præsidis agit vices. Inde apud Paulum Diac. l. 6. c. 1. sive 3. &c. 8. sive 24. quidam *Ado* Ducatum *Foro-Juliensem sub nomine Loci Servatoris*, cum Dux ipse non esset, dicitur aliquamdiu gubernasse: sub nomine scilicet Vicarii Ducis. Sed redeo ad *Arduinum*, quem post *Siculum* bellum, in quo pro *Græcis* militaverat,
B a *Moniaco* fustibus per contumeliam cæsum, perhibet *Gaufredus Malat.* l. 1. c. 8. eaque de causa in *Græcos* exarsisse; a cujus dicto non abit *Ostiensis* l. 2. c. 67. Verum *Guilielmus Apul.* l. 1. & *Cedrenus* pag. 623. non a *Maniace*, sed a *Doceano* verberibus illum dehonestatum produnt, quod rerum postea sequutarum ordini consonat sane magis.

[4] *An.* 1042. *Ind.* 10.] Postquam *Dukianus*, seu *Doceanus* a *Francis*, vel dicas *Northmannis* ad *Oliventum* primum in an. 1041. ut perhibet *Ostiensis* l. 2. c. 67. & *Gaufredus Malat.* l. 1. c. 9.
C (*juxta rapidas* Lebenti *fluminis undas*, ait Guilielmus Apulus l. 1.) iterum ad *Cannas*, & ad *Aufidum* bello fusus fuerat, de quo idem *Ostiensis* ibidem, *Guilielmus Apul.* l. 1. & *Cedrenus* pag. 623. atque in *Siciliam* recesserat, ut notat noster, & præfatus attestatur *Guilielmus*, missus fuit ejus loco *Exaugustus*, illius *Bugiani* filius, qui Imperante *Basilio* egregie se gesserat contra *Melum*, sicuti præfatus *Guilielmus*, & *Cedrenus* citatis locis contestantur: etsi *Cedreno* tum pater, tum filius nomine appellatur *Bojoannes*. Hic itaque nil meliori quam *Doceanus* usus fortuna, conflixit
D cum *Northmannis* (diem 3. *Septembris* præfert *Lupus*) sub Monte *Pelusio* (apud *Monopolim* ait *Cedrenus* pag. 624.) vivusque in hostium manus devenit, cum esset Dux *Northmannorum Atenulfus*, frater Principis *Beneventi*: quod a memoratis *Guilielmo*, & *Ostiensi* ubi supra enarratur. Sed *Ostiensis* præfuisse *Atenulfum Northmannis* etiam in conflictu ad *Cannas*, & *Aufidum* tradit. *Gaufredus* insuper *Malat.* l. 1. c. 10. *Græcorum* Ducem ad M. *Pilosum* devictum nomine appellat *Annonem*, nec scio quid depravato in illo textu submurmuret de eo tunc interfecto, qui certe vivus
E a *Northmannis* captus est, vel *Cedreno* adstipulante ubi supra. Cum Guilielmo itaque dicam Apulo, *Ter* Gallis *illo victoria contigit anno*: nimirum an. 1041. jam ab *Ostiensi* denotato. *Northmanni* autem præter spem *Græcum* Ducem ab *Atenulfo* liberum dimissum, *non parva pecunia ab eo accepta*, ut tradit Ostiensis, cum conspexissent, Ducem, Principemque sibi constituerunt *Argyrum*, *Meli* superius dicti filium, quod Auctores nuper laudati *Ostiensis*, & *Guilielmus* affirmant. At mortuo

lium cum *Normanni*, & cum *Atinolfo* Dux eorum de *Venebento* sub monte *Pelusio*; & ceciderunt *Greci*, & captus est Catapanus in *Benevento*. Et *Dukiano* ibit *Siciliam*. Et *Adargiro* factus est Princeps Et *Michail* Imp. defunctus est. Et surrexit *Michail* Cesar nepus ejus, qui direxit in *Apulia Maniaki*. Post mens. v. cecaverunt illum ipsum puditi, qui exiliavit *Zoy*. Et surrexit *Constanti Monomacho*. Et *Argiro* ibit super *Juvenaciem*, & comprehensit ea per fraudis ab intus. Et *Maniaki* se fecit Imp. in *Italia*, & venit super civitatem *Monopoli*, & comprehendens per ipsa campora plures homines: fecit illos decollare ante Porta. Similiter in civitate *Materie* truncavit homines cc. *Argiro* perrexit in *Trane* per mare, & terra obsedit eam. fecit ibi Turrem excelsam ligneam, & Tractareas manculas, & Berbices, ut comprehenderet eam. Inter hec venit misso ab Imp. *Theodorito Monomacho* cum *Basilisco*, mandatora referentes parcentia; & patricato eidem *Argiro* ilico fecit incendere omne artificium, quod ibi factum abuit, reversus est in *Bari*.

[1] Mill. XLIII. Ind XI. Descendit *Pardus* Patricius cum *Tubaki* Protospata, & Malg. cum thesauro, & dona *Dargiro*. & comprehendens illi *Maniaki* in civitate *Odronto*. *Pardus* occidit *Tubaki* necare fame, & venit super *Bari* cum suo exercitu ad sumilandum se Imperatore; sed non fuit, qui ei obediret, confusus reversus est in *Taranto*. Et venit *Guaimari* Princeps *Salernitanus* cum *Franci*, & obsedit *Bari* dies V. Postea descendit *Theodoro Cano* Catap. in *Bari*, & ibit cum *Argiro*: ille per mare, & *Argiro* cum exercitu per terra *Normanni*, & *Longobardi* super *Idrontus* ad capiendum *Maniaki*; & non invenerunt eum, eo quod transmeavit *Bulgarie*. Et fecit prelium cum ipse Sevastoforo, & cecidit ibi, tollentes caput ejus optulerunt Imperatori *Monomacho*.

[2] Mill. XLIIII. Ind. XII. Venerunt *Russi* per mare sine numerum super *Constantinopoli*; sed ante obviavit eis *Monomacho*, & superavit illos, Deo volente. plurimi religati adduxerunt, reliqui fugiunt Et *Argiro* direxit Stolum ad ipsa *Asta*, ubi occisus est *Alesantus Nacteri*.

[3] Mill. XLV. Ind. XIII. Periit nave *Maraldi*, filius *Joannis Icananti*, ubi *Ygio pelago* dicitur. veniebat de *Tharso*. Et in *Taranto* descendit ignis de celo, & incendit maxima pars civitatis. Et venit *Chagea*, & Catapanus *Palatino* in *Bari*. Et *Argiro* ibit cum

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

tuo inter hæc Imp. *Michaële Paphlagono* die 10. *Decembris*. Indict. 10. cum regnasset, ut inquit *Cedrenus* pag. 618. an. 7. & mens. 8. (*Zonaras* ait, an. 7. vel paulo diutius) & perinde in communi anno 1041. exeunte, qui nostro est ab anteacto *Septembri* annus 1042. ita ut antecedentia sub hoc anno descripta, peracta intelligamus ab Kal. præfati mensis: excepta tantummodo præfata sublimatione *Argyri*; quæ a *Lupo* facta asseritur mense *Februarii*, atque adeo initio communis anni 1042: mortuo, inquam, inter hæc præfato *Michaële*, nepos ejus ex sorore, qui ei successit, *Michaël* pariter appellatus, cognomineque *Calæphatus*, *Maniacem* bello jam clarum e carcere eductum misit adversus *Nortmannos*, idque nostro in omnibus concors superior *Guilielmus* testatur: etsi *Cedrenus* pag. 621. 623. & 624. a *Calæphato* quidem illum dimissum e custodia affirmat, sed transmissum in *Italiam* ab Imperatrice *Zoe*, demortui *Paphlagoni* uxore, postquam ea in filium adoptaverat præfatum *Michaelem* ejus nepotem (*Zonaras* adoptatum ait vivente *Paphlagono*, & Cæsarem quoque institutum) evexeratque ad Imperialem dignitatem, & post menses 4. (quinque numerat noster) e solio dejiciens etiam excæcaverat. Qui præterea addit, a *Maniace* *Francos* ex *Italia* pulsos apud *Capuam*, *Beneventum*, & *Neapolim*, resque mediocri in quiete constitutas; at hoc postremum minime verum est, nam res ei cum *Nortmannis* juxta *Monopolim*, & *Materam* tantum fuit, nec admodum sane illustris, ut noster, & *Guilielmus* tradidere. *Zoës* itaque, deturbato *Calæphato*, nupsit *Constantino Monomacho*, eumque Imperii simul consortem fecit, quod idem *Guilielmus*, sed fusius explicat *Cedrenus* pag. 619. & seqq. *Maniaces* autem hos rerum casus cum

A accepisset (jam enim appulerat in *Italiam*, ac de Tyrannide etiam conceperat, ut ait *Zonaras*) ab *Monomacho*, & ab *Zoe* rebellavit ex occasione modo dictis Auctoribus exposita; tunc per *Monopolis*, & *Materæ* campos dirius quam clarius se exercuit. *Argyrus* interea *Juvenacium* ceperat, obsederatque deinde *Tranum*, quam inexpugnatam reliquit, causam dimissæ ejus obsidionis tradentibus eodem nostro, & *Guilielmo* l. 1. ad finem. Qui *Apulus* scriptor cum enarrasset, *Barium*, *Monopolim*, *Juvenacium*, urbesque alias complures iniisse fœdera cum *Nortmannis*, subjicit electum postea *Argyrum* in ipsorum Ducem.

B [1] *An.* 1043. *Ind.* 11.] Etiam *Cedrenus* pag. 624. & *Guilielmus* l. 1. habent de adveniente in *Apuliam Pardo*, atque a *Maniace* occiso: idemque *Guilielmus* de thesauris ab eo secum ductis, deque susceptis a *Maniace* Imperii insignibus, ac *Bario* frustra tentata; qui *Tarentum* recessit, ac ab *Argyro*, & *Nortmannis* irrito conatu circumobsessus, *Hydruntum* postea se contulit, denuoque ab *Argyro*, & insuper ab Catapano *Theodorocano* (*Basilius* hic ille videtur *Theodorocanus* memoratus *Cedreno* pag. 613. & 626. & *Zonaræ* Tomo 3.) frustra impugnatus, in *Bulgariam* transfretavit, ubi cum *Stephano* Sebastophoro congressus C (ista ex *Cedreno* pag. 624. & 625: & ex *Zonara*) victus occubuit, ejusque caput est ad Imperatorem delatum. De *Guaimario* Principe *Salerni*, qui *Barium* obsedit, habens secum *Francos* jam ab *Argyro* dimissos, postquam *Maniaces Hydrunto* secesserat, idem *Guilielmus* l. 2. initio.

[2] *An.* 1044. *Ind.* 12.] De *Russis*, qui obsederunt *Constantinopolim*, late *Cedrenus* pag. 625. & seq.

[3] *An.* 1045. *Ind.* 13.] *Ygio Pelago* videtur *Ægeum* mare. *Constantinus Chages* vir est bello clarus apud *Cedrenum* pag. 609. De *Argyro Constantinopolim* accito ab Imperatore *Guilielmus* l. 2. initio.

cum *Chagea Constantinopolim* cum suis, & ipse Catapanus remansit *Bari.*

Mill. XLVI. Ind. XIIII. Perrexit ipse Palatino in *Taranto*, & fecit prelium cum *Normani*, & ciderunt *Greci*, & multi antopii per gladio, & in mare. Et reversu ipse Catap. in *Bari.* Et fecit *Bari* cum *Umfreida* Comite. Et descendit *Rafayl* Catap. cum *Guaranci*, & comprehenderet. . . . stum.

Mill. XLVII. Ind. XV. Venit *Johannes* Catapanus, qui & *Rafayl*, cum ipsis *Guarangi* in *Bari.* Intravit in Curte Domnica, & mansit ibi hunum diem; & deinde ibit, & sedit in ipsa Pinna dies II. cum ip. *Guarangi.* Et postea iterum venerunt in ipso porto, & pacem firmaverunt cum *Bari*, & dimisit *Eustathium* Catap. & reversi sunt in *Ydrontum. Adralisto* preliavit cum *Alfaraniti*, & comprehendi illos, & diruerunt domos *Johannis Ycanati.*

[1] Mill. XLVIII. Ind. I. Rebellavit *Tornibey* cum *Makedonis*, & *Botazzi* consocruneo suo perrexit *Constantinopolim*; ut faceret se Imperatorem. *Argiro* Magistro ex ivit sub nocte cum aliquanti *Franci*; & *Greci*, & fecit ei damnum maximum. Postea comprehensus est ipse *Torniki* a *Monomacho*, & jussit eum cecare, & *Batazzi* cecati sunt ambos. Et comprehensa est *Licce* ab ipsi *Guarangi.*

Mili. XLVIIII. Ind. II. Comprehenditur iterum uno Castello de *Monte garenno.*

[2] Mill. L. Ind. III. Venit *Leo* Papa in *Siponto.* Fecit Sinodo. Obiit *Tioy* Imperati.

[3] Mill. LI. Ind. IIII. Venit *Argiro* Magistri in *Idronto*, mense *Martii* cum thesauro, & dona, & honores a *Monomacho* Imp. Et in mense *Aprilis* intravit in *Bari.* Et occisus est *Mel Malapezza*, & *Liboni*; & zalavit ipse *Judeam*, & dominum *Adralisto* & ille fugiit foras civitatem ad *Umfreda* Comitem, & comprehensa est *Rodia* uxor sua, & filius, & *Ramoaldo*, & *Petro* fratre ejus, & aliis, misitque illos *Chelandiis*, & direxit *Constantinopolim* ad *Monomacho.* Et usta est navis in ipsa Penna, honerata oleo, pro ut hire in *Constantinopolim.* Et occisus est *Drogo* Comes in monte *Ylari* ab incolis ejusdem. Et *Argiro* comprehendens *Barbocca.*

[4] Mill. LII. Ind. V. Occisus est *Guaimarius* Princeps *Salernitanus.* Et *Argiro* ibit in *Siponto* per mare. Deinde *Umfreda*, & *Petrone* cum exercitu *Normannorum* super eum, & fecerunt bellum, & ceciderunt de *Longobardi* ibidem. ipse *Argiro* semivivus exiliit plagatus, & ibit in civitate *Vesti.* Et venit ipse *Leo* Papa cum *Alamanni*, & fecit prelium cum *Normanni* in Civitate, & cecidit. Comprehenserunt illum, & portaverunt *Benebento*, tamen cum honoribus.

Mill. LIII. Ind. VI. *Argiro* direxit ipso Episcopus *Tranense Constantinopoli* messatico.

Mill. LIIII. Ind. VII. Obiit Domino *Leo* Papa. Et capta est *Cupersano.* Et surrexit *Victorino* Papa.

[5] Mill. LV. Ind. VIII. Obiit *Constantinopolitanus* Imp. Et surrexit *Theodora.* Et mater *Argiro* cum *Nicolaus* Archiepiscopus perrexit *Constantinopol.*

[1] Mill.

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1048. *Ind.* 1.] De *Tornibei*, qui in mense *Septembri* Indict. 1. salutatus est Imperator adversus *Monomachum Cedrenus* pag. 630. & 631. sed ab eo appellatur *Leo Tornica*, & *Tornicius.* Idem *Cedrenus* insuper ibidem habet de *Argyro* Magistro *Italo*, qui se *Tornicio* opposuit pro Imperatore & pag. 632. de *Joanne Botaza*, deque eo, & *Tornicio* excæcatis, cui consentit *Zonaras.*

[2] *An.* 1050. *Ind.* 3.] Eodem anno, quo ordinatus est *Leo* 9. *Garganum* adiit, ut tradidit *Ostiensis* l. 2. c. 80. Vide supra col. 457. *Tioy* est *Zoes* Imperatrix; quam *Cedrenus* pag. 650. defunctam dicit jam pridem ante Indictionem 7. & 8: hoc est ante annos 1054, & 1055: *Zonaras* autem notat, excessisse annum vitæ 70.

[3] *An.* 1051. *Ind.* 4.] De adventu *Argyri* cum thesauris *Guilielmus* l. 2. initio. De occiso Comite *Drogone* in monte *Ylari* (*Pontilari* habet præfatus *Guilielmus* ibidem) sive in *Monte Olei*, vel *Montolio*, Gaufredus Malat. l. 1. c. 13.

[4] *An.* 1052. *Ind.* 5.] De anno occisi *Guaimarii* Princ. *Salerni* vide supra col. 457. Sed quæ præsenti loco narrat noster de *Argyro*, ea omnino silet *Guilielmus*, alia de illo exponens nostro prætermissa. Conflictum vero Papæ *Leonis* 9. cum *Nortmannis* ad Civitatem, quem omnes ad

A annum figunt 1053, idem noster ob id retulisse videtur in an. 1052: quoniam annos quamvis anticipare soleat per menses quatuor, ut dictum est, & plenius constabit paulo post; præsentem nihilominus annum 1052. extendisse videtur per menses octo usque ad *Septembrem* anni 1053; quandoquidem ejus conflictus dies fuit 18. *Junii*, ejusdemque Pontificis obitum cæteris concordans Auctoribus ad annum ipse figit 1054, qui utique communi etiam omnium dicto decessit 13. Kal. *Maji*, sequenti anno ab accepta clade. Nec *Malaterra* l. 1. c. 14. dicens, *Leonem* fœdera iniisse cum *Nortmannis* circa annos 1052, quod sane non

B post multos ab pugna contigit dies; nec *Guilielmus Apulus*, qui l. 2. continenti narratione prodit, occisum Comitem *Drogonem*, & superatum a *Nortmannis* Papam, communi sententiæ præjudicio esse possunt, qui nec annum pugnæ definite designant.

[5] *An.* 1055. *Ind.* 8.] Obitum *Constantini Monomachi*, & sublimationem *Theodoræ* etiam ad Indictionem 8: sed nullo exposito mense, refert *Cedrenus* pag. 650. *Theodora* vero, ut idem auctor subjicit, advixit per totam Indictionem 9. usque ad exitum mensis *Augusti*, scilicet anni 1056, cum imperasset, ait *Zonaras*, an 1. mens.

C 9. ex quo intelligimus defecisse *Monomachum*, cœpisseque *Theodoram* initio *Decembris*, communi anno 1054, qui nostro numeratur 1055. ab an-

[1] Mill. LVI. Ind. VIIII. Elevatus est *Michail* Imperator nobicio.

Mill. LVII. Ind. X. Obiit *Umfreda*: & surrexit *Guiscardus* frater ejus. Obiit *Victorinus*, & surrexit *Stephanus* Papa, qui fuit Cancellerius.

[2] Mill. LVIII. Ind. XI. Surrexit *Commiano* Imperator *Michail* vero Imperator induerat monachicum. Obiit *Stephanus* Papa; & surrexit *Benedicto*. Et *Argiro* in Vigilia S. *Petri* perrexit *Constantinopoli*, & dimisit in *Bari* scinuri. Et obiit *Adralisto*.

Mill. LVIIII. Ind. XII. Occisus est in *Monopoli Leo* de *Garsasi*.

[3] Mill. LX. Ind. XIII. *Comminiano* voluntarie dedit Domino suo *Constantino Dukizzi*, & induit sibi habitum monachicum.

[4] Mill. LXI. Ind. XIIII. Mortuus est *Nicolaus* Archiepiscopus; & a quibusdam electus est *Andreas*. Defunctus est *Nicolaus* Papa, & consecratus est Domnus *Alexander*. Et *Robertus* Dux barcavit *Sicilia*. Et *Maruli* Catapanus venit in *Bari*.

Mill. LXII. Ind. XV. Perierunt tres naves, que pergebant carricate *Constantinopol*; in qua obiit Kiria *Maria*, mater *Ranno* in *Malea*. Et *Siriano* venit Catap. in *Bari*.

Mill. LXIII. Ind. I. Venit *Arnolfus* Archiepiscopus Vicarium Pape *Alexander*; & fecit Sinodum foras in S. *Nicolao*, qui vocitatur *de Episcopus*. Et capta est *Taranto* a filio *Petrone* in mense *Magii*.

Mill. LXIIII. Ind. II. Fecit *Andreas* Sinodum in ipso Episcopio. Et *Apochara* venit Catap. & capta est *Idrontum* a *Gosfreida* suo Comite. Et capta est *Materia* a *Robberto* Comite suo. Et multi nobiles perrexerunt *Perino* in *Durrachio* pro tollendum honores. Et *Robbertus* Dux venit in *Bari*, & fecimus ei sacramentum, & ille nobis. Et *Gozolino* perilavit cum suis at *Perino*. Et Chelandie incenderunt nave, que veniebat de *Calabria*.

Mill. LXV. Ind. III.

Mill. LXVI. Ind IIII. Perrexit *Andreas* Archiepiscopus *Constantinopl.* Et *Mabrica* cum Chelandiis venit *Bari* cum *Guarangi*.

Mill. LXXVII. Ind. V. Capta est galea *Petri* de *Gira* a *Saraceni* in *Malea*. Et galea quatuor *Barenses* comprehense sunt a stolo Impte.

[5] Mill. LXXVIII. Ind. VI. Obiit *Constantino Duchizzi*. Et surrexit Imp. *Romano Diogeni*.

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

anteacto *Septembri*. De Magistro *Argyro*, qui *Constantinopolim* abiit, sed illuc pervenit vivente adhuc *Monomacho*, cui non sicut olim carus, reliquam in exilio duxit vitam. *Guilielmus Apul.* l. 2.

[1] *An.* 1056. *Ind.* 9.] Die ultimo *Augusti* Indict. 9. declaratus est Imperator præsens *Michael*, defuncta *Theodora* sub exitum ejusdem mensis: *Cedrenus* pag. 651. diciturque a nostro *novitius*: hoc est recentior, qui aliis senior: nam senex erat, ut *Zonaras* tradit. At de *Theodora* iterum hic ad finem.

[2] *An.* 1058. *Ind.* 11.] *Isaacium Comnenum* prius per factionem salutatum Imperatorem octava die *Junii*, Indict. 10. anno Mundi 6565. publice autem, & solemniter postea in magno Templo coronatum in subsequentibus Kalendis *Septembris* Indictione 11, anno mundi 6566. cum dicat *Cedrenus* pag. 656. & pag. 662, quæ est universi ejus operis postrema, clare hinc, præter alia plura rei indicia, aperitur, etiam annos æque ac Indictiones ab eo duci a mense *Septembri*. Noster itaque surrexisse dicens *Commianum*, id est præfatum *Comnenum*, in an. 1058, Indict. 11: de legitima ejus inauguratione, peracta Kal. *Septembris*, Indictione præscripta, est intelligendus: & præterea annos *Christi* pari passu ac *Cedrenus* annos Mundi, auspicari ab eodem mense: quamvis ad annum *Christi* millesimum disertis verbis numeratum ipsum dicat ab Incarnatione, ac perinde cæteros quoque annos ab eodem termino subindicet deductos; namque eam inaugurationem, celebratam Kal. *Septembris* Indict. 11. communi an. 1057, in annum refert 1058, inchoatum juxta suum hunc calculum ab ipsis Kal. *Septembris*. Nec Imp. *Michaëlem*, quem dixerat elevatum in 1056: quemque ad finem Chronici ait per annum imperasse, ut etiam habet *Zonaras*, pronunciasset abdicasse in

A an. 1058: nisi annos duceret a *Septembri*; quippe *Michaël* die ultima *Augusti* Indict. 9. anno sibi 1056 exeunte, Imperium susceperat, deposuerat vero ineunte anno sibi 1058. Sed præter superius observata, manifestissime prodit se pluribus etiam locis infra. Cæterum de *Argyro* in hoc sane anno 1058. *Constantinopolim* navigaturo verba facit *Ostiensis* l. 3. cap. 10. juxta traditum a me Canonem annorum vitæ & gestorum *Desiderii* Abb. *Cassinensis* supra col. 303. & 304.

[3] *An.* 1060. *Ind.* 13.] *Commenus* Imperium inivit Kal. *Septembris* communi anno 1057: sed juxta nostri Auctoris computum ineunte an. 1058. Idem post an. 2. & mens. 3. ut notat *Zonaras*,
B se abdicavit: nimirum in *Decembri* communis anni 1059. qui nostro est annus 1060. jam inchoatus.

[4] *An.* 1061. *Ind.* 14.] Trajecit in *Siciliam* Dux *Robertus* post *Majum* in 1060, ut perhibet *Gaufredus Mal.* l. 2. c. 10. & 12.

[5] *An.* 1068. *Ind.* 6.] *Constantinus Ducas*, qui ab *Decembri* communis anni 1059: seu dicas cum nostro a præfato mense inchoati anni 1060. regnavit, ut notat *Zonaras*, an. 7. & mens. 6. utique in omnium sententia decessit in an. 1067. mense *Junii*, Indict. 5. sed noster continenti sermone complexus est tum ejus obitum, tum successoris
C *Romani Diogenis* elevationem, qui post septem menses, & dies aliquos, atque adeo ineunte communi anno 1068, ab *Eudocia* præmortui *Constantini* uxore in conjugem, & in Imperatorem est delectus. De cætero quamvis *Argyrus*, cujus mors a nostro notatur anno præsenti, *Barensium Proedrus* fuisse videatur; quod *Latine* valet, *Præses*, vel *Antesignanus*, haud tamen reputandus ille est *Argyrus* Dux *Nortmannorum*, quem *Guilielmus Apulus* l. 2. ærumnosam vitam in exilio clausisse tradit. Sed nec ille erit, qui eodem hoc anno obsessæ *Barii* a Duce *Roberto*, quique eodem anno, quo Dux ille eam obtinuit, ipsi urbi principa-

geni. Obiit *Argiro* proedro, & *Apochara* Catap. Et *Amicetta* intravit *Juvenacie.* Et die quinto astante *Agusti* venit Dux *Robberto*, & obsedit *Bari* per terra, & mare. *

[1] Mill. LXVIIII. Ind. VII. Venit *Stephanus Patriano* cum stolo. Et perierunt naves XII. in pertinentia civitatis *Monopoli* onerate victo, omnique bono. Et multi homines necati sunt, & alii comprehenserunt *Franci*, & truncaverunt.

[2] Mill. LXX. Ind. VIII. Octabodecimo die mensis *Julius*, die Dominica interfectus est *Bisantius* Patritius ab iniquis homines, & proinde zalate sunt case *Meli Pezzi*, & obrute.

[3] Mill. LXXI. Ind. VIIII. In mense *Febr.* venit *Stephano Patriano*, & *Gozolino* cum stolio, & comprehensa est chelandia, in qua erat *Gozolino* cum auro, & bestimenta a stolo *Robbertus* Dux; & alium gata Impte demersit in mare, & mortui sunt ibi CL. omines. Et in mense *Martii* cattus, qui pergebat *Durracchio*, ubi erat Kyri *Depifani* cum aliis multis, orta tempestas, periit in pelago, nec unum hominem inde exivit. * Et in medio mensis *Aprilis* fecit *Bari* cum ipso Duca. & in mense *Magi* exivit, & perrexit *Palermo* cum nabali exercitus; & obsedit eam per mare, & terram.

[4] Mill. LXXII. Ind. X. Capta est *Palermo* ab ipso Duca X. die intrante mensis *Januarii* Et in mense *Juti* cattus *Diogenes* Imp. & mortuus est.

[5] Mill LXXIII. Ind. XI. Ibit ipse Dux, & obsedit *Trane* per terra, & mare in mense *Januario.* Et secundo die intrante *Februarii* fecit cum ipso Duce. Et die VII. intrante *Februarii* capta est *Juvenacie.*

Mill. LXXIIII. Ind. XII.

Mill. LXXV. Ind. XIII.

Mill. LXXVI. Ind. XIIII.

Mill. LXXVII. Ind. XV.

[6] Mill. LXXVIII. Ind. I. Elevatus est Imp. *Nikyforo Botaniati* mense *Martii*; & deposuit *Michail* Imperium & tulit uxor ejus sibi uxorem, fecitque eum Monachus, & fecit vocare *Basilaby*, & *Brioni.*

[7] Mill. LXXVIIII. Ind. II. Mense *Februario* die III. stante, rebellavit *Bari* ab ipso Duce, & dirutum *Castello* de *Portanova*. *Passarizzi*, & *Stinizzi* interfecerunt *Basilium Meli Pezi* intus Sancti *Nicolaus* de *Monte*, & eodem die cecati sunt ambo in festa Sancti *Marci.*

[8] Mill. LXXX. Ind. III. Ipse Dux fecit fine cum *Bari*, & mense *Aprili* fecit *Taranto* cum illo, & *Trane.* Et fumilare fecit ibi *Michael* Imp. Et *Urso* Archiepiscopus intravit in sede *Barina* die III. intrante mense *Augusti.*

[9] Mill. LXXXI. Ind. IIII. Mense *Martio* ipse Dux *Robbertus* direxit navigia, & obsedit *Corfo*;

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

cipabatur, ut loquitur *Malaterra* l. 2. c. 43. sive primus habebatur inter *Barenses*, & præfatus ait *Guilielmus* l. 3. sed tertius fuit *Argyrus* inter hos medius, de quo hic ad an. 1058. ni tamen vel noster, vel laudati nos fallant Auctores.

[1] *An.* 1069. *Ind.* 7.] Præsens *Stephanus* cognomine appellatur *Pateranus* a *Guilielmo* l. 2. Edictoque Imperiali datus dicitur *Barensibus* Prætor: quem Dux *Robertus* capta *Bario*, canitiem ejus misertus, benigne tractavit, & cum suis *Græcis* liberum dimisit, ut idem Auctor tradit l. 3.

[2] *An.* 1070. *Ind.* 8.] Dies 18. *Julii* vere in hoc anno fuit Dominica die, qui literam Dominicalem habuit C.

[3] *An.* 1071. *Ind.* 9.] De *Gocelino* transfuga *Nortmanno*, qui Stolium *Græcorum*, hoc est classem, ad subsidium *Barensium* ductabat, loquitur etiam *Guilielmus Apul.* l. 3. & *Gaufredus Malat.* l. 2. c. 43. qui perhibet, Ducem *Robertum*, recepta *Bario* in 1070, fuisse apud *Hydruntum Junio*, & *Julio* mense.

[4] *An.* 1072. *Ind.* 10.] *Romanus Diogenes* cum imperasset, ut auctor est *Zonaras*, an. 3. & mens. 8, captus, excæcatus, & mortuus est: quod contigisse oportet mense *Septembri*, decurrente communi anno 1071, ineunte Indict. 10: sed juxta nostrum Auctorem, ineunte an. 1072: captum tamen, ex eodem nostro affirmandum, in antecedente *Julio.*

A [5] *An.* 1073. *Ind.* 11.] Obsessos *Tranenses* ait Guilielmus l. 3. *decies jam quinque diebus*, de capta tunc *Juvenacio* loquens simul.

[6] *An.* 1078. *Ind.* 1.] Jussu Imp. *Botoniatis*, qui anno, & mense ab nostro descripto Imperium adeptus est, deposito *Michaële Parapinacio* (hic regnaverat, ut ait *Zonaras*, an. 6. & m. 6.) excæcatos *Nicephorum Bryennium* prius, & dein *Nicephorum Basilacium*, qui unus post alium *Dyrrachium* cum regerent, Tyrannidem affectarunt, idem Auctor tradit.

[7] *An.* 1079. *Ind.* 2.] *Guilielmus* quoque *Apul.* B l. 3. *Barium* per hos ferme annos ab Duce *Roberto* rebellasse prodit.

[8] *An.* 1080. *Ind.* 3.] De recepta *Bario*, *Tarento*, & *Trano* a Duce *Roberto Guilielmus Apul.* l. 3. fine; deque Imp. *Michaële*, quem *Botoniates* dejecerat, sed Dux præfatus per duos ferme, & amplius annos, expeditionem interea in *Græcos* parans, secum detinuit, idem Auctor l. 4. & *Malaterra* l. 3. c. 13.

[9] *An.* 1081. *Ind.* 4.] Hoc anno, ut inquit Gaufredus Malat. l. 3. c. 24. *Mense* Majo *Dux* Robertus Hydruntum *venit*, *versus* Romaniam *animum intendens*, *& quindecim naves trans mare* C *aliquam urbem præoccupatum mittit.* Subdit Guilielmus lib. 4. *Gens*, *quæ præcesserat*, Botrontinam *urbem* (*Buthrotum* Straboni l. 7. aliisque memoratam) *capit.* Uterque etiam auctor de capta tunc simul Insula. *Corfo:* id est *Corcyra*, & obsessa *Dyrrachio*, *Venetis*que advenientibus ad obsessorum subsidium pluribus; deque deposito

ſo; & poſtea ibit ille cum multis; & decimo die ſtante *Magi* comprehenſit *Corſo*, & *Bothrontò* & in menſe *Junio* perrexit per mare, & terra ſuper *Durracchio*, & congiravit eam per mare, & terram; pugnavitque ea cum multis machinis. Inter hec venerunt ipſi *Venetici*, & continebant eam. Et elevatus *Alexius* Imp. & intravit per vim in *Conſtantinopol.* & depoſuit *Botoniati* Imp. & induit eum Monachus.

[1] Mill. LXXXII. Ind. V. Venit *Alexius* Imp. & commiſit bellum cum *Robberto* Dux fer. III. in die S. *Luce* Apoſtoli, & Euangeliſte; & terga vertit ipſe Imp. vicitque ipſe Dux. Er octabo die ſtante *Februario* ipſe Dux cepit in *Durrachio*, & ibi comprehendit Dux *Veneticorum*, & navigie eorum cum multi homines.

[2] Mill. LXXXIII. Ind. VI. Tulit ipſe Dux multa milia ſolidorum ab ipſis *Barenſes*, & fecit eis pro exinde magna tribulatio, & capſiones; & perrexit ſuper civitatem *Canni*, & pugnavit eam. & X. die intrante *Julii* comprehendit eam per vim.

[3] Mill. LXXXIIII. Ind. VII. Diruit *Canni*; & iterum tulit multos ſolidis in *Bari*, & perrexit *Roma*, & ingreſſus eſt in urbem, tulitque inde Papa *Idelprando*, & adduxit ſecum.

[4] Mill. LXXXV. Ind. VIII. Tranſiit ipſe *Robbertus* in *Romania* in menſe *Octubri*. In menſe *Januarii* commiſit bellum in mare cum ipſi *Benetici*, & vicit. *Ildeprando* Papa mortuus eſt in *Salerno*. Et in menſe *Julii*, in die S. *Alexii*, obiit *Robbertus* Dux in *Kefalonia*.

Mill. LXXXVI. Ind. VIIII.

Mill. LXXXVII. Ind. X. Nono die intrante *Magii* adduxerunt noſtri *Barenſes* Beatiſſimi S. *Nicolai* corpus.

[5] Mill. LXXXVIII. Ind. XI. * In menſe *Sept.* X. die intrante, feria VI. magnus Terremotus factus eſt per omnem terram noſtram, ut fundamenta moveret.

[6] Mill. LXXXVIIII. Ind. XII. Mortuus eſt *Urſo* Archiepiſcopus * & electus eſt *Helias*. Et fecit *Bari* cum *Boamonte*.

[7] Mill. LXXXX. Ind. XIII. Menſe *Septembri* intravit *Urbanus* Papa in civitate *Bari*, &

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

to *Botoniate* ab *Alexio*; qui ut perhibet *Zonaras*, *Conſtantinopolim* occupavit in quinta feria magnæ hebdomadæ: ea hoc anno fuit die 1. *Aprilis*.

[1] *An.* 1082. *Ind.* 5.] De bello inter Imp. *Alexium*, & Ducem *Robertum Petrus Diac.* l. 3. c. 48. *Gaufredus Malat.* l. 3. c. 27. & *Guilielmus Apul.* l. 4. At eo anno, qui a noſtro ſuo more ab Kal. *Septembris* numeratur annus 1082, ſed jam dictis Auctoribus eſt communis 1081: quo nimirum *Alexius*, ut tradit *Zonaras*, recens potitus rerum, nunciata Ducis *Roberti* expeditione contra *Epidamnum* (hoc etiam nomine dictum eſt *Dyrrachium*) & ipſe illuc profectus eſt, commiſſoque prælio, victus turpiter fugit: eo, inquam, anno 1081. dies S. *Lucæ* 18. *Octobris* incidit in feriam II: non III: quo anno litera Dominicalis fuit C. De capta autem *Dyrrachio* præfati etiam Auctores. Sed *Guilielmus* captum tunc dicit filium Ducis, non ipſum Ducem *Venetorum*, ut a noſtro perhibetur. Cæterum idem noſter hoc loco uni, eidemque anno contribuit menſem *Octobrem*, & ſubſequentem *Februarium*, quippe annos exorditur a *Septembri*.

[2] *An.* 1083. *Ind.* 6.] De *Cannis* obſeſſis, & expugnatis a Duce *Roberto Guilielmus Apul.* l. 4.

[3] *An.* 1084. *Ind.* 7.] Dirutas a *Roberto Cannas Guilielmus* quoque narrat l. 4: quam hoc anno *Romualdus Salern.* ex noſtratibus: ex exteris *Bertoldus Conſtant.* aliique *Romam* profectum affirmant; ſed *Malaterra* l. 3. c. 33. & 37. acceſſitum a Papa ait in 1082: & in 1083. iter intendiſſe.

[4] *An.* 1085. *Ind.* 8.] Adeſſe jam cœperat Autumni tempus, cum Dux *Robertus* iterum in *Romaniam* transfretavit, ut habet *Guilielmus* l. 5. ſed *Malaterra* l. 3. c. 40. magis ſignate, congregaſſe ait naves apud *Hydruntum* menſe *Septembri*, & dein trajeciſſe. Trajecit itaque, ut perhibet noſter, menſe *Octobri*, conflixitque cum *Venetis* in *Januario* proxime ſubſequuto, victorque evaſit, quod ab eodem *Apulo* auctore ibidem affirmatur. Liquidiſſime hinc etiam patet, annos a noſtro inchoari a *Septembri*, qui eodem anno 1085. adſcribit menſem *Octobrem*, & proximum *Januarium*. Sane obitum *Ildeprandi*, ſeu dicas *Gregorii* 7, & Ducis *Roberti* omnes referunt ad unicum communem jam dictum an. 1085. Et *Malaterra*, qui l. 3. c. 41. figit ad antecedentem, quo Solis maximam Eclipſim factam die 6. *Februarii*, inter Sextam, & Nonam per ſpatium trium horarum notat, Aſtronomi dijudicent, an tempora recte conſignarit.

[5] *An.* 1088. *Ind.* 11.] Haud in an. 1088. ſed in 1087, dies 10. *Septembris* incidit in feriam 6; qui annus habuit literam Dominicalem C. Eſt tamen hæc conſueta noſtro Auctori annorum anticipatio, qui eos antevertit, ac exorditur ab *Septembri*, ut plures dixi; quo etiam calculo *Lupus Protoſp.* uſus, præſentem Terræmotum in annum pariter refert 1088; dicens factum *per totam Apuliam:* ſed *Barenſis* iſte ait, *per omnem terram noſtram:* quippe *Barium*, ut *Petrus Diac. affirmat* l. 3. c. 44. & l. 4. c. 106, caput fuit *Apuliæ*. *Lupus* autem Canonem annorum a noſtro uſurpatum obſervaſſe deprehenditur, cum ad an. 1017. 1042. 1043. 1047. & 1081. diſparatorum annorum menſes in unum confert annum.

[6] *An.* 1089. *Ind.* 12.] *Barium* obtinuit *Boamundus* poſt initam cum fratre *Rogerio* concordiam, de qua *Malaterra* l. 4. c. 4. & 10. Confer *Joannem* Archid. *Barenſ.* relatum col. 436.

[7] *An.* 1090. *Ind.* 13.] Si *Helias* in Archiepiſcopum *Barii* eſt conſecratus Prid. Cal. *Octobris*, ut perhibet noſter, utique conſecrationis ejus Diploma exaratum die 9. *Octobris*, atque, ut ibi aſſeritur, in an. 1089. qui noſtro eſſe cœperat annus 1090: non ipſam conſecrationem eo die actam, dicendum eſt.

& consecravit *Helias* Archiepiscopus in civitate *Bari* prid. Kal. *Octubris*. Et in Kal. *Octubris* edificavit confessionem Sancti *Nicolai*.

Mill. LXXXXV. Mense *Januar.* Ind. III. Juraverunt *Barenses* a Domino *Helia* Archiepiscopus obscultandum illum, quod jusserit pro communi salvatione.

Mill. LXXXXVI. Ind. IIII.

Mill. LXXXXVII. Ind. V. Inspirati a Deo multi occidentales, Regib. Comitibus, Princib. cum suis multis exercitibus equestres, & pedestres, magni, & parvi, divites, & pauperes senibus, & juvenibus, infantibus; etiam multe mulieres cum illis, & Episcopis, Presbiteri, Abbatibus, Monachis, & Heremites cum maxima virtutes per consensum Pape *Urbano*, & fecerunt sibi omnes signum sancte Crucis in vestimentis suis; & alii perrexerunt per terram *Ungarie* usque *Constantinopoli*: alii intraverunt in navibus. *Barenses* similiter per omnes civitates maritime nostre totius Provincie intraverunt dandum naulum, passando cum magnis, vel infinitis navibus majores, & minores; quatinus Deo auxiliante irent, & expugnarent, & contererent omnes *Sarracenos* Deo revelles, & per vim intrarent *Hierosolimis*, expellendum inde omnes *Paganos*, regnandum ibi *Christicolas* omni tempore usque in perpetuum. Amen. Tandem ipse Imp. *Constantinopoli Alexius* occupavit illum pro eis magnus timor, vel tremor; ne forte illum a suo Regno eicerent. Cepit illi absconse, & callide impedire, & per montibus, vel clausuriis *Vulgarie*, similiter *Ungarie* multi sunt occisi, & necati fame, quia non erant conjuncti. Postquam fuerunt adonti magna multitudo *Constantinopoli*, & concordaverunt se cum ipso Imperatori, & fecerunt ei de suo Regno securitatem, tandem optulit eis dona magna, & navigie, cum quo transfretaverunt quasi sexcenta milia; & protinus perrexerunt *NiKyam*; commiseruntque bellum cum *Sarracenis*, qui ibi erant; & Deo auxiliante, miserunt eos in ore gladii, & intraverunt civitate: ipsa in sua potestate tenuerunt. Et inde recedentes totam *Romaniam*, atque *Armeniam* peragrantes cum multimodis periculis, & preliis perrexerunt *Antiochia*; & obsessa est igitur ab exercitu Domini viriliter; quam mirabiliter illos expugnantes, & multi ex utraque parte ceciderant. Transactis paucis diebus nuntiatum est eis, ut *Corbarannum* Principem militie Regis *Persarum* in eorum mortem conjurasse; & cum innumerabili exercitu ad eos veniret, & flumen *Eufratem* preterisse. Deus qui perseverantes in se non deserit.

Mill. LXXXXVIII. Ind. VI. * Tradita est eis *Antiochia* a civibus in Nonis *Juniis*. Occiderunt omnes *Paganos*. Sequenti ergo die adveniens *Corbaran* cum plure Regibus, & obsedit civitate, & compulsi sunt commedere carnes equorum, & asinorum. Inimici autem cupientes compellere eos inopia victus; sed Deus revelavit eis Lancea, qua perforatum est corpus *Christi*, sub pavimento quasi duo statura homines inventa est; & vigilii Apostolorum *Petri*, & *Pauli* miserunt nuntios ad *Corbaran*: Hec dicit exercitus Domini. Recede a nobis, & ab hereditate B. *Petri*, alioquin armis fugaveris. Quo audito *Corbaran*, evaginato gladio juravit per Regnum, & Thronum suum, quia defenderet se de omnibus *Francis*, & terram ipsam possideret, & nec verbum au illo jam audirent, donec derelicta *Antiochia Christum* denegarent, & Regem *Persarum* profiterentur. His auditis *Christiani*, confessione mundati, perceptione corporis, & sanguinis *Christi* firmiter armati, porta egressis, Lancea Domini preeunte, & ligno Dominico, ceperunt preliari, Deoque juvante, predictos Principes *Turcorum* confusos, & omnino victos in fugam verterunt, & numeros eorum occiderunt feliciter. Igitur cum letitia maxima celebrantes.

[1] Mill. LXXXXVIIII. Ind. VII. * Tertia die intrante mense *Octubri* venit Papa *Urbanus* cum plures Archiepiscopi, & Episcopi, Abbatibus, & Commitibus, intraverunt in *Bari*, & suscepti sunt cum magna reverentia, & preparavit Domino *Helia* nostro Archiepiscopo mirificam sedem intus in Ecclesia Beatissimi *Nicolay* confessoris *Christi*. Et fecit ibi Synodum per unam ebdomada. Post completis dies octò perrexit in pace; & in mense *Julii* obiit ipse Papa *Urbanus*, & surrexit *Pascalis* Papa. Et in ipso mense capta est *Hierusalem* per vim ab ipsis *Christianis*, qui ob amore sanctis sepulchri perrexerant ibi, & miserunt omnes *Paganos* in ore gladii.

Mill. CV. Ind. XIII. Venit *Boamundo* ab *Anthiocia* in mense *Januar.* Et X. Kal. *Junii* obiit *Helias* Archiepiscopus.

[2] Mill. CVI. Ind. XIIII. Mense *Septembr.* perrexit *Boamundus* in occiduas partès auxilium exinde, milites querere; & factum est, cum multitudine *Francorum* insuper, & filia

NOTÆ & CASTIGATIONES
CAM. PEREGRINII.

[1] *An.* 1099. *Ind.* 7.] Dixi ad *Lupum*, Synodum *Barensem*, ab *Urbano* 2. actam in an. 1098. mense *Octobri*: eandem quam solidissimè nunc firmat sententiam noster; cui more suo celebrata ea asseritur in an. 1099. inchoato a Kal. *Septembris*: nec *Lupus*, qui eundem calculum est pro- A fessus, ut hic dixi ad an. 1088, quid diversum prodit.

[2] *An.* 1106. *Ind.* 14.] Annum a *Septembri* ductum extendit ad subsequentem *Augustum*, ut solet, noster; nam *Boamundum* communi an. 1106. ad *Gallias* profectum, Chronicon notat S. *Albini* apud *Sirmondum* in Notis ad *Goffridum Vindocinens.* *Guilielmus* autem *Tyrius* l. 11. c. 1. *Boamundum* dicens *Gallias* petiisse in an. 1104.

cas

filia *Philippi* Regis, *Constantinam* nomine, in conjugio accepit; & in eodem anno menſe *Augusti* reverſus eſt.

Mill. cvii. Ind. xv. Perduravit hac in Provincia, preparandum navigie magne, & parve.

Mill. cviii. Ind. i. Menſe *Septembr.* celebravit ſanctam Miſſam ſuper ſanctum Altare, ubi Beatiſſimi Sancti *Nicolai* corpus deget. & deinde perrexit ad portum *Brindiſinum* cum xxxiiii. millia inter equeſtres ſimul, & pedeſtres; & naves magne, vel parve cc. & xxx. galee.

Decimo die intrante *Octuber* transfretavit pelagus, devenitque in ipſa *Velona:* intravit in ea pacifice: ſimiliter & ipſa canina. Deinde perrexit *Durachio*, & obſedit ea, nec potuit capere. fecit pacem cum Imperatore.

Mill. cviiii. Ind. ii. Menſe *Octubri Boamundus* transfretavit *Idrontum.*

[1] Mill. cxi. Ind. iiii. Menſe *Februario* obiit *Roggerius* Dux. Et eodem an. menſe *Martii* obiit frater ejuſdem Ducis *Boamundus.*

[2] Mill. cxii. Ind. v. xiiii. die intrante menſe *Aprili*, Dominico die in Palmis Domnus *Riſus* intravit in *Barinam* ſedem. In menſe *Junio*, in feſta Sanctorum *Petri*, & *Pauli* obiit *Leo* Abbas Sancti *Benedicti.*

Mill. cxiii. vi. Ind. vii. die intrante menſe *Martii* Abbas *Vincentius* intravit Monaſterium Sancti *Benedicti.*

Mill. cxiiii. Ind. vii.

Mill. cxv. Ind. viii.

Concinniori aliquantulum forma iſthæc alia in exemplari ſtatim poſt vacuum annum MCXV. Ind. VIII. *exarata, ſtyloque minus deformi deſcripta, haud eidem adſcribenda, ſed alteri,* Barenſi *nihilominus, videntur Anonymo.*

Paſchalius filius *Paſſari*, & *Nicolaus Tirra* nepos ejus, filius *Sergii*, qui & *Ungruli*, noctis hora miſerunt duos homines, qui poſita ſcala lignea ſuper domum *Nicolai Garzonis* aſcenderunt occulte, & leviter in Turrem filiorum *Melis Joannis* Patricii; nam vigil Turri manebat ſub eo orreo, in quo illi aſcenderunt; & clam deſcendentes intus per ſcalam Turris, apprehenderunt vigilem, & comprehenſam Turrem diruerunt uſque ad tria orrea; unde multa bella ſunt commiſſa inter cives utriuſque partis, in quibus nonnulli juvenes occiſi ſunt.

Mill. cxvii. Ind. x. *Petrus Joannizzi*, & *Nicolaus Joannis Uſure* cum ſocietate ſua diruerunt Turrim B. *Nicolay*, que erat prope Turrim *Nicolai Melis Pezie*; ſub cujus ruina mortuus eſt prefatus *Nicolaus Joannis Uſure* cum maxima manu nobilium *Barenſium.* Eodem quoque anno per afurnarium ſororis *Grimoaldi* de *Guaragna* tradita eſt Turris *Majonis Polinianenſis* prememorato *Petro Johannizzi*; qui & proditorem a ſummo Turris deorſum prohici fecit: impulerat enim ipſe predicte Turris vigilem *Sarracenum* a ſumma altitudine ad terram, quando prodidit eam; atque octavo die poſt captam Turrim eam ſubverti fecit.

Mill. cxviii. Ind. xi. Menſe *Septemb.* poſt factas utrimque ſicut dicebatur; ſecuritates, *Grimoaldus* filius *Guaragne* ſub conſiliandi ſpecie vocatum ad ſe *Argiro*, nepotem *Danihelis*, in captione poſuit. Poſt triduum de captione fugit, ſicque magnum bellum inter eos exortum eſt; atque poſt tertium diem belli *Riſo* Archiepiſcopo cum monitionibus B. *Nicolay*, proibente per omnia *Grimoaldo*, cum ſervientibus B. *Nicolay*, pecunia & victu, capte ſunt due Turres predicte, *Argiro* cum curia, & omnibus domibus ſuis: ipſe vero fugiens, declinavit ad domum conſobrini ſui *Petri Johannitii.* Poſt aliquot autem dies prememoratus Archiepiſcopus ibit *Canuſium* ad Eccleſiam B. *Sabini.* Ibit & predictus *Argiro Tranum*; ibique communicato conſilio amicorum exſpectabat reditum Archiepiſcopi. & paucis decurſis diebus, paratis inſidiis prope Eccleſiam B. *Quirici* infra *Cannas*, & *Barolum*, interfecit eum Reverenti *Argiro Tranum*, milites *Andrenſis* Comitis *Joffredi* redeuntes a vigilia obviaverunt, & captum *Barolum* duxerunt, & nocte delapſa, die Dominico mane ſuſpendio interiit *Grimoaldus*, cujus ſupra memini. & *Joannes* frater Archiepiſcopi prenominati diruerunt Turres ejus, & domos omnes funditus ſubverterunt.

Quæ ſubſequitur notula ex variantis antiquæ ſcripturæ, & adnotati anni apertiſſimo indicio, tribuenda certe eſt Librario, ſimulque Auctori antedictis recentiori.

Mill.

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

capiendus eſt de diſceſſu ejus e *Syria*; quandoquidem in *Apuliam* ille pervenit menſe *Januario*, anno 1105, ut tradit noſter. Itaque jam dicto communi anno 1105. menſe *Septembri* ſuſceptum proſequutus iter, in *Gallis* aderat an. 1106; eſtque in *Apuliam* reverſus eodem anno, menſe *Augusti.*

A

[1] *An.* 1111. *Ind.* 4.] De anno obitus Ducis *Rogerii*, & fratris ejus *Boamundi* dixi ad *Falconem*, *col.* 520.

[2] *An.* 1112. *Ind.* 5.] In hoc anno Biſextili, quo literæ Dominicales fuerunt G F, eſtque Paſcha celebratum die 21. *April.* verè Dominica Palmarum incidit in 14. prædicti menſis.

Mill. CXLIX. Luna *Mar.* XII. Eclypsim passa est, nocte Sabbati ante Palmas, quippe cum esset plena. siquidem sexta feria XXV. die ejusdem mensis, octavo videlicet Kal. *Aprilis* extiterat XII. sequenti nocte Sabbato illucescente, & clare lucente nona hora noctis subito obscurate sunt fere due ejus partes inferiores, & tertia ejus parte clare fulgente superius.

Et Græcorum *hæc Imperatorum Series* [1] *ex præcedenti Chronico, paucis tantum mutatis, excerpta, post binas vacuas paginas manu anterioris Librarii fuerat exarata; quas idem ille per otium erat, forte, post descripturus. Sed re non præstita, Librarii posteriores suis notulis, ut dictum est, eas nec totas occuparunt.*

Michayl cepit regnare cum prima Ind. Anno IIIX. regnavit, & post ipsum *Basilio. Basili ParaKymomeno* Ind. quartadecima. XX. annos jam expletos migravit a seculo. Filii ejus regnaverunt *Leo*, & *Alexandro.* Isti acceperunt Regnum cum quarta Ind. XXVI. annos regnantes, sua vita finiunt. Successit Regnum *Constant.*, jam dicto *Leo* filius. *Constantinus*, qui successit Ind. XV, XXXXVII. annos vixit, & defecerat *Romano* filius ejus Regno ascenderat. *Romano* ascendit Regnum secunda Ind. Septuaginta annos Rex cum *Constans*, & *Basilio*, *NiKyforo*, & *SimisKy balos* suos filios. *Romano* gener *Constant* Ind. XII. Postquam regnavit annos quinque, *Michail* surrexerat. *Michail*, qui &

NOTÆ & CASTIGATIONES CAM. PEREGRINII.

[1] Imperatorum eodem Chronico descriptorum Epilogum ad finem ejus adjectum sic expono. *Michael Theophili* Imp. filius, qui sub tutela matris imperavit an. 14. solus an. 11, ut *Cedrenus*, & *Zonaras* produnt, *Basilium* adoptavit in filium die 26. *Maji.* Indict. 14. an. 866. Primus itaque annus postremorum XIII. annorum Imperii ejus ante *Basilium* adoptatum (hæc enim videtur nostri Auctoris lectio, & mens sincera) incidit in Indictionem 1. *Basilius Macedo* ab Indict. 14. an. 866. regnavit an. 20 expletos, B inchoatos. 21. Cum *Michaele* an. 1. solus 19. (sic ejus tempora distinguunt laudati superiùs Auctores) usque ad Indict. 4. an. 886. *Leo*, *Alexander* filii *Basilii* acceperunt Regnum Indict. 4. an. 886. Regnavit *Leo* an. 26: præcisè 25. & mens. 3. auctore *Zonara*; ac pervenit ad an. 911. *Alexander* advixit per alium annum, & mensem, ut idem *Zonaras* tradit. obiit Ind. 15. an. 912. *Constantinus Porphyrog.* filius *Leonis* successit patruo *Alexandro* vita functo Indict. 15. sed coronatur proxima Indict. 1. an. 912. sive 913. inchoato a Kal. *Septembris.* Regnavit an. 47. usque ad Indict. 2. & an. 959. *Romanus* filius superioris *Constantini*, dictus junior, successit in Regnum Indict. III. non Indict. II, an. 959. vel dicas C 960. inchoato a Kal. *Septembris.* cujus, & filiorum ejus *Basilii*, & *Constantini* tempora, qui cum eo, & post eum, imparibus tamen annis simul regnarunt (coronatus est *Basilius* a patre, ut ait *Cedrenus*, in festo Paschæ, eadem Indict. 3. an. 960. *Constantinus* natu posterior triennio post) anni in solidum fuerunt 70: sed cavi, inclusis in ea summa annis interjectorum Impp. *Nicephori*, & *Tzimiscæ*. Porrò annus 41. horum fratrum mihi ex antiquis Tabulis descriptus in Prima parte Historiæ P P. *Langob.* erat, fortasse, juxta hunc calculum, secus ac ibi feci, D exponendus, discrepantibus quamvis, ut alias sæpe, nostris calculis a calculis *Græcorum* (mitto Tabulariorum multimodas subducendorum annorum rationes, sed & hallucinationes) de qua discrepantia nonnihil supra col. 488. *Romanus Argyrus* surrexit Indict. 12. an. 1028. sive an. 1029. inchoato a Kal. *Septemb.* quo obiit præfatus *Constantinus.* Regnavit an. 5. & insuper menses ferè 6. Librario omissos: usque ad *Aprilem* Indictionis 2. & an. 1034. *Michaël Paphlago*, non *Calæphatus*, surrexit dicta Indict. 2. an. 1034. Regnavit an. 4. (non integros ait *Zonaras*) usque E ad *Decembrem* Indictionis 10. an. 1041: sive di-

A cas 1042. *Michael Calæphatus* ex sorore nepos *Paphlagonis*, a quo adhuc vivo in Cæsarem, ut perhibet *Zonaras*, ascitus, cœpit regnare Indict. 10. mense *Decembris*, anno dicto. Regnavit per annum, sed non exactum; nam post mens. 4. vel 5. excæcatus est mense *Majo*, Indictione, & anno prænotato. *Zoës* superioris *Constantini* filia, uxor primùm *Romani Argyri*, dein *Paphlagonis*, regnavit cum sorore *Theodora* post *Calæphatum* per mens. 3. teste *Zonara*: nempe usque ad Indict. 11. ac *Septembrem* communis anni 1042. sive inchoati 1043. *Constantinus Monomachus* tertius *Zoës* maritus regnavit ab Indict. 11. & anno jam dicto per an. 13. (præcise an. 12. mens. 8. ait *Zonaras*, qui computasse simul in hac summa videtur tres menses solius *Zoës*) usque ad mensem *Decembrem*, Indict. 8. an. 1054. sive 1055. jam inchoatum. *Theodora* superius dicta, soror *Zoës*, non surrexit, sed obiit Indict. 9. quæ post *Monomachum* regnavit an. 2. non exactos: hoc est, ut perhibet *Zonaras*, an. 1. mens. 9. nempe usque ad exitum mensis *Augusti* Indictionis prædictæ, elabentis anni 1056. *Michael Stratioticus*, a nostro dictus *Utringa*, a *Lupo* detracta litera *t*, ac mutata *V.* in *B. Bringa*, non surrexit, sed abdicavit se ineunte Indict. 11. qui post *Theodoram* regnavit per annum usque ad præfatum Indict. & an. 1057: sive ineuntem 1058. *Isaacius Comnenus* ascendit Kal. *Septembr.* ineunte Indict. 11. communi an. 1057. sive 1058. Regnavit an. 2. & ut prodit *Zonaras*, per alios mens. 3. usque ad *Decembr.* Indictionis 13, & exeuntem communem an. 1059: sive dicas inchoatum 1060. *Constantinus Ducas* cœpit regnare Indict. XIII. non III. regnavit an. VIII. non XVIII. (Librarius per summam inertiam denarii notam ab Indictione traduxit ad annos) & pervenit ad Indict. 5. & mensem *Junium*; atque adeo ad an. 1067. *Zonaras* definite ei imputat an. 7. & menses 6. *Eudocia* uxor antecedentis *Constantini* cum imperasset per mens. 7. & dies aliquos, usque ad ineuntem communem an. 1068, & Indict. 6. *Romano* nupsit *Diogeni. Romanus Diogenes Eudociæ* maritus ascendit in Regnum Indict. 6. ineunte communi an. 1068. Regnavit an. 5. non integros; quibus cum simul computantur mens. 7. & dies *Eudociæ*. Itaque ipse regnavit an. 3. & mens. 8. quot ei adjudicat *Zonaras*; ac pervenit ad *Septembr.* Indictionis 10. communis an. 1071. sive ineuntis 1072. *Michael Parapinacius Constantini Ducæ* filius in Regnum ascendit inchoata Indict. X. communi an. 1071. qui nostro est exoriens an. 1072. non autem ascendit Indict. XI. qui annus nostro esset 1073. communis 1072. annusque vacuus

& *Calafati*, secunda Ind. ceperat: octo annos cum regnasset, de hac vita discesserat. *Michaëli*, qui dicitur *Cesar*, surrexit cum decima. Primo anno cum regnasset, deinde postpositum, pro qua *Theodora* exiliavit, evulserat ejus oculos. *Constant.* Monomacho Ind. XI. annos XIII. regnavit *Theodora*. Surrexerat *Theodora* jam cum nona, annos duos vixerat. *Michaëli Vtringa* cum undena, uno anno stiterat. *IsaKy Conniano* ascendit in ipsa undecima, & regnavit annos duos. Et post *DuKyza* ceperat *Constant.* Qui *DuKyzi* Ind. III, XVIII. annos cum regnasset, *Romano* ascenderat. *Romano*, qui & *Diogeni*, Ind. sexta, annos quinque. Post regnavit *Michail.* Ascenderat *Michail ParapinaKy* Ind. XI. annos quinque cum regnasset, *NiKyforo* ascenderat. *Nicefori Botaniati* cum prima Ind. per vim intravit, & comprehensit *ParapinaKy* miserum: uxor ejus sibi vi tulit in lecto suo proprio, & ille egecit a regno, induitque eum monachum. annos tertio regnavit, progectus est a solio. *Alexius* per vim intravit cum IIII. Ind. deposuit *Botaniati*, & devenit miserum, induitque Monachilem, & perrexit irritum Regna.

Nec plura Historica in Codice Salernitano: *annosque* Alexii *non adnotavit hic Auctor, quem defunctum non vidit.*

NOTÆ & CASTIGATIONES *CAM. PEREGRINII.*

cuus inter eum, & *Diogenem* superesset. Verùm idem noster quia assignat *Parapinacio* an. 5. quos *Zonaras* facit 6. & mens. 6. jam tempora sic exæquantur, regnasseque *Parapinacium* constat usque ad *Martium* Indict. 1. an. 1078. *Nicephorus Botoniates*, deturbato *Parapinacio*, Imperium adeptus, ejusque uxore abusus est ab *Martio*, Indict. 1. an. 1078. ad *April.* Indict. 4. an. 1081.

A Imperavit an. 3. *Alexius Comnenus* intravit. Ind. 4. die 1. April. an. 1081. *Regnavit an.* 37. *mens.* 4. *& dies aliquos. Vix. an.* 70. *aut circiter. Obiit an. Mundi* 6626. (Christi 1118.) *mense* Augusti: quæ addo ex Zonara, nostro Auctori non descripta, quia nec visa, ut reor. Imperatorum itaque hoc Chronico descriptorum tempora sic dirigenda, ac sicubi alium Canonem secutus secus commiserim, ad hanc normam exponenda B dijudico, denuncioque.

FINIS NOTARUM *CAM. PEREGRINII* IN *CHRONICON IGNOTI BARENSIS.*



INDEX
NOMINVM ET RERVM MEMORABILIVM.

A.



An-

Bene-

Desi-

Guai-

Joan-

Lan-

Pau-

F I N I S.









ANTIQ
ITALIÆ

TOM. I.
P. I